Digitized by Google

APPENDIX AUGUSTINIANA,

IN QUA SUNT

S. PROSPERI CARMEN DE INGRATIS,

CUM NOTIS LOVANIENSIS THEOLOGI;

JOANNIS GARNERII

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI

DISSERTATIONES PERTINENTES

AD HISTORIAM PELAGIANAM;

PELAGII BRITANNI

COMMENTARII IN EPISTOLAS S. PAULI;

AC DENIQUE

DES. ERASMI, JOAN. LUD. VIVIS, JACOBI SIRMONDI, HENRICI NORISII, JOANNIS PHEREPONI ET ALIORUM

Præfationes, Cenſuræ, Notæ, & Animadverſiones

IN OMNIA

S. AUGUSTINI OPERA.

Tomus XII.

Qui huic editioni peculiaris, undecim prioribus ex ſola Editione Pariſienſi ſine mutatione expreſſis.

ANTWERPIÆ,

Sumptibus SOCIETATIS.

M. DCCIII.

CUM PRIVILEGIO.

Google

Digitized by Google

JOANNIS PHEREPONI
PRÆFATIO.

CUM recuderentur in hac Urbe Opera *S. Auguſtini*, ex Pariſienſi Editione, quæſiverunt Bibliopolæ, ecquid eſſet quo hæc altera editio poſſet exornari atque augeri. Reſpondi poſſe eum brevibus notis in ipſum *S. Auguſtinum*, tum etiam libris nonnullis, ac Diſſertationibus, Appendicis inſtar editis, commendabiliorem eam fieri; quod cùm nunc tandem, & decem Tomis *S. Auguſtini* & Indice ac vitâ ejus editis, perfectum ſit, totius hujus Appendicis rationem Lectori reddendam nobis eſſe exiſtimavimus, in hac Præfatione.

Ante omnia igitur oculis ſe ſubjicit legendum Poëma *S. Proſperi* de Ingratis, in quo doctrinam *S. Auguſtini*, *Pelagii* & præſertim *Semipelagianorum*, verſibus quidem non optimis, ſed intellectu minimè difficilibus exponit. Eos tamen eruditus Lovanienſis Theologus ſat diligenter illuſtraverat notis, quas hîc vides. Eæ notæ, viri docti manu emendatæ & auctæ, à nobis editæ ſunt, quales transmiſſæ fuerant, ſine ulla additione, aut detractione. Erant priùs editæ Lovanii, noménque præferebant *Martini Steyarti*, qui Theologus fuit ejus Academiæ, non ita pridem mortuus, & qui dicitur primùm fuiſſe in eorum partibus qui Auguſtinianam doctrinam tuentur, deinde in partes contrarias tranſiiſſe; quod ſatis liquet ex variis libellis Gallicis, quibus eum oppugnavit vir diſertiſſimus *Antonius Arnaldus* Doctor Sorbonicus, Auguſtinianarum partium in Gallia facilè princeps. Nomen tamen *Steyarti* deleri voluerunt, qui Opuſculum hoc ad Bibliopolam tranſmiſerunt; quod nos diſſimulare non potuimus.

Sequuntur *Joan. Garnerii*, Jeſuitæ doctiſſimi, Diſſertationes pertinentes ad Hiſtoriam Pelagianiſmi; quæ extra Galliam paucorum manibus terebantur. Eæ ſunt in editione Pariſienſi Anni MDCLXXIII. appendix prioris partis Operum *Marii Mercatoris*. Deerat ſanè editioni Pariſienſi Operum *S. Auguſtini*, aut certe Tomo ejus Decimo, in quo ſunt Scripta contra Pelagianos, aliáque ad controverſias Pelagianas ſpectantia, accurata præſertim diſcuſſio Scriptorum à Pelagianis editorum, quam feliciter aggreſſus eſt & abſolvit *Joannes Garnerius*, ut intelligent quicumque eas ſtudioſè legerint. Scimus ſedes attributas à *Garnerio* Epiſcopis Synodorum Africanæ & Numidicæ, de quibus in Diſſertatione II. ad examen olim revocatas fuiſſe ab Eminentiſſimo Cardinale *Henrico Noriſio*, multóſque hominis errores Geographicos animadverſos; nam Noriſianas elegantes juxta ac eruditas Epiſtolas, hac de re, animadverſionibus in Tomum II. *S. Auguſtini* adtexuimus. Verùm hinc colligere fortè poſſis *Garnerium*, in Geographia Africæ Chriſtianæ non ſatis verſarum fuiſſe; nec obſtat quominùs utilem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ operam, in ceteris, præſtiterit, laudémque vel ab adverſariis retulerit, ut videre eſt fermè ad calcem II. Epiſtolæ *Noriſii*. Itaque rem gratam atque utilem Pelagianæ Hiſtoriæ ſtudioſis facturos nos cenſuimus, ſi *Garnerii* Diſſertationes hîc ederemus, quò à pluribus legi poſſent.

Decreveramus ſeorſim etiam edere quidquid ſupererat ex operibus *Pelagii*, ſed cur non fecerimus intelliges ex monitiuncula addita paginæ 458. Vides ergo dumtaxat Commentarios *Pelagii* in Epiſtolas Pauli, qui ad calcem operum *S. Hieronymi* edi ſolebant atque ei tribui. Eos eſſe *Pelagii* dudum viris doctis ſuboluerat, rémque manifeſtam fecit *Garnerius* Append. Diſſert. VI. c. 2. Idem etiam liquebit ex notulis variis locis à nobis ſubjectis, in quibus Pelagiana dogmata tàm liquidò notamus, ut res dubia nemini eſſe poſſit, niſi harum rerum planè imperito. Plura etiam occurrent indicia Pelagianiſmi iis, qui hoſce Commentarios diligentiùs legent. Niſi conſtaret per aliquot ætates non ſatis intellectam fuiſſe *S. Auguſtini* ejuſque Adverſariorum doctrinam, ita ut multi ſe Auguſtinianos eſſe crederent, qui *Pelagii* ſententiam ſequebantur; mirum eſſet eos, qui ſæpius interpolarunt hoſce Commentarios, loca illa quibus *Pelagii* doctrina manifeſtò habetur, non expunxiſſe. Sed multi adeò rudes fuerunt, ut *S. Auguſtinum* quidem Pelagianum facerent, & *Pelagium* viciſſim Auguſtinianum; eáque imperitiâ factum eſt, ut Pelagianiſmus manifeſtus correctorum manus hîc effugerit. Edidimus hoc opus, ex Frobenianis *Eraſmi* editionibus, niſi quòd multa menda, ſed ea dumtaxat manifeſta, quæ remanſerant, ſuſtulimus. Optaſſemus nobis eſſe copiam MS. cujuſpiam Codicis, in quo eſſent hi Commentarii; præſertim quia textus, qui in iis illuſtratur, non eſt antiqua illa verſio Latina, quæ tempore *Pelagii* obtinebat, ſed ab *Hieronymo* emendata. Non poterat, ſine antiquo Codice, hoc flagitium exſcriptorum recentiorum corrigi. Ceteroqui quamvis hoſce Commentarios laudare nolimus, præſertim ſi cum Recentiorum laboribus conferantur; attamen non contemnendos eſſe, pro ſua brevitate, ſi conferantur cum aliis ejuſmodi veterum Scriptis, exiſtimamus; quare etiam integros eos, & quales è manu auctoris prodierunt, ad nos uſque non perveniſſe dolemus.

Poſt *Pelagii* Commentarios, collocavimus *Deſ. Eraſmi* & aliorum Præfationes, Cenſuras, & Animadverſiones in Opera *S. Auguſtini*, quæ ſingillatim enumerari, Lectoris, ut opinor, intereſt I. Præfatio eſt ae Dedicario *Deſ. Eraſmi* ad Alfonſum Fonſecam Archi-Epiſcopum Toletanum, in qua laborum ſuorum ei rationem reddit, ſummiſque laudibus, ut fieri ſolet, extollit *S. Auguſtinum*. Merito etiam laudat *Joannem Amerbachium* Baſileenſem, qui primus omnia ejus opera colligere atque edere aggreſſus eſt. *Tot ſunt*, inquit, *examina Monachorum in orbe, quorum otium magnis cenſibus alitur; tot ſunt Abbates, opimo reditu, nihil aliud quàm ædificantes, vel alentes equos, vel epulantes. Hic erat illorum proprius labor, quem homo Laïcus ſuâ ſponte ſuſcepit.* Si nunc ad vitam rediret *Eraſmus*, quâ erat æquitate, non dubito quin gratias nobiſcum eſſet acturus Monachis Benedictinis ſæculi XVII. qui edendis Patribus eos labores impenderunt, quos in illis ſæculo XVI. merito requirebat. Sicubi de pingui Monachorum otio loquutus ſit, id, non ſine exceptione eruditorum & bonorum, intelligendum eſſe doceret. Sequuntur Præfationes Lovanienſes, tum *Eraſmi* Præfatio Retractationibus & Confeſſionibus præfixa, ae tandem Animadverſiones noſtræ in Tomum I. quibus intertextæ ſunt viri ſummi præfatiunculæ. De ratione & ſcopo Animadverſionum poſtea dicemus, cùm ſingula enumeraverimus.

II. Animadverſionibus in Tomum II. præfixa eſt præfatio *Eraſmi* in Epiſtolas *S. Auguſtini*, quas vehementer laudat, ne, credo, in conſuetudinem peccaret, ut poſtea ſatis liquebit. In Epiſtola XIV. inſignem locum ex *Columella* emendavimus, at alius non minùs inſignis ex *Virgilio* emendari potuit, quod nos tum fugit, eùm notas ſcriberemus. Itaque id hoe loco reponemus. Probat *S. Auguſtinus*, quamvis *idem* ſermone quotidiano homines facere dicantur, non eſſe tamen prorſus *idem*: *Quod ſi ab axe*, inquit, *in meridiem tendamus, conjuncti nobis, atque inhærentes quantum valemus, innitamùrque marmori lævi & æquali, vel etiam ebori, tam non poteſt eſſe amborum idem motus, quàm venæ pulſus, quàm forma, quàm facies. Remove nos & pone* GLAUCIAM *prolem, nihil egeris. Quippe his etiam ſimillimis geminis, tanta eſt neceſſitas, ut propriè moveantur, quanta fuit ut ſinguli naſcerentur.* Obſervant Benedictini MSS. prope omnes habere hic *Glauciam prolem*, unde conjiciebamus *Glauciam prolem* fuiſſe proverbialem formulam ductam à neſcio cujus *Glauci* filiis gemellis. Debueramus dicere *Dauciam prolem*, & *Dauci* filios, ex *Virgilii* Æneïd. X, 391.

Vos etiam gemini Rutulis cecidiſtis in arvis,
Daucia, Laride, Tymbérque, ſimillima proles,
Indiſcreta ſuis, gratúſque parentibus error.

In ceteris ad hunc Tomum Animadverſionibus, varia ſunt ad verſionem LXX. Interpretum, vexationem Donatiſtarum, ut & quorumvis Hæreticorum, & damnationem Pelagianorum pertinentia; quæ digna ſunt quæ à Lectore, præjudiciorum vacuo, expendantur. Sunt & duæ Epiſtolæ antea memoratæ Eminentiſſimi Cardinalis *Henr. Noriſii*, de ſedibus Epiſcoporum Provinciarum Proconſularis & Numidicæ, contra *Garnerium*, in quibus multa ſunt, quibus Geographia Sacra Epiſcopatuum Africæ luculentè illuſtratur.

III. Tomus tertius *S. Auguſtini* complectitur aut Libros de Interpretatione Scripturæ, aut varias ejus interpretationes. Ideóque multæ occurrent in hoſce Libros Animadverſiones Criticæ, ex quibus intelligere licebit, quàm neceſſaria fuiſſet *S. Auguſtino* Græcæ & Hebraïcæ Linguarum peritia; quæ cùm ei deeſſet, neceſſe fuit frequenter hominem labi, quod inſignibus aliquot exemplis manifeſtum fit. Multa alia potuiſſent addi, ſi Commentarium in hoſce Tractatus ſcribere ſtatuiſſemus.

IV. Quartus Tomus habet Sermones *S. Auguſtini* in Pſalmos, quos valdè laudat *Eraſmus*; & ad quorum exemplum etiam ipſe varios Pſalmos interpretatus eſt, Tomo V. Operum. Verùm jam exolevit, & quidem meritò, ea ratio interpretandi Scripturam, ubicumque Linguæ præſertim Hebraïcæ ſtudia floruerunt à ducentis propemodum annis. Igitur Præfatiuncula *Eraſmi* ad examen hic à nobis vocatur, oſtendimusque eadem operâ quis poſſit eſſe uſus horum *S. Auguſtini* Sermonum; quamvis ad intelligendos accuratè Pſalmos, nihil, aut parum conferre queant. Qui eos legere poſſunt Hebraïcè, nec Criticæ Sacræ ſunt prorſus imperiti, ex ſola lectione horum aliquot Sermonum intelligent nihil eſſe verius. Quod & alii animadvertent, ſi Veritatis ſtudio ducti expendant examen interpretationis Auguſtinianæ trium primorum Pſalmorum; nam plures excutere non vacabat, nec verò opus erat.

V. Tomus quintus habet primùm præfationes *Joan. Vlimmerii* & *Jacobi Sirmondi* in Sermones *S. Auguſtini* à ſe editos, quæ faciunt ad Hiſtoriam Editionum Operum *S. Auguſtini*. Subjunctæ ſunt notæ integræ *Sirmondi*, quarum nonnullas tantùm ediderant Benedictini, noſtræque iis admiſtæ; ſed ita ut ſubjectis utriuſque nominibus facilè ſecerni queant. Ad Sermonem CCCXXII. inſeruimus integram Hiſtoriam, eámque in ſuos Actus diſtinctam, curari Pauli cujuſdam Cappadocis, unà cum ſorore; quæ ſpecimen eſt ſingulare miraculorum illius ævi.

VI.

VI. In Tomo ſexto ſunt varii libri Theologici, ad quos paucæ *Eraſmi* Præfatiunculæ, & notulæ noſtræ legentur ab iis, qui Veritatem potius quærent, quàm auctoritatem. Varia enim illic objecimus, quæ vix ex principiis in illis libris poſitis ſolvi poſſe videbantur. Ex iis præſertim, quæ ad Enchiridion ad Laurentium notavimus, liquere poteſt quæ fuerit de libero arbitrio *S. Auguſtini* ſententia; quæ interdum non facilè intelligitur, quia vocibus *libertatis* & *liberi arbitrii* aliud intelligit, quàm quod iis ſolet ſignificari.

VII. Ante Animadverſiones in Tomum ſeptimum, collocavimus Præfationes *Joan. Ludovici Vivis* in Opus de Civitate Dei. Voluiſſemus etiam iis ſubjungi ejus & *Leonardi Coquæi* notas; ſed earum prolixitas deterruit Bibliopolas, præterquàm quod facilè comparari poſſint; ad quod acceſſit bellum hoc anno MDCCII. per totam fermè Europam inchoatum, quod rationes omnes Librarii Commercii non parum conturbavit. Cùm autem habeatur hoc de Civitate Dei eximium inter *S. Auguſtini* Opera, id paullò copioſioribus notulis illuſtratum ivimus; in quibus, ut in aliis, Critica, Philoſophica, Theologica, laudes & caſtigationes, pro re natâ, unà coacervatæ invenientur. Ad Lib XVIII. c. 43. contra *S. Auguſtinum* defenditur *S. Hieronymus*, oppugnatúrque quod prior habet de divino afflatu LXX. Interpretum.

VIII. Tomus octavus totus eſt contra Hæreticos, & præſertim contra Manichæos & Arianos. Eos quidem nullâ ratione defenſos cupimus, nec ab eorum deliriis quemquam longiùs abeſſe quàm nos putamus; ſed optaſſemus ſæpè aliâ viâ, aliisve armis oppugnatos, ut intelligere licebit præſertim ex iis quæ habemus ad Librum de Utilitate Credendi atque ad Libros de Trinitate. Alioqui cùm benè eos aggreſſum eſſe *S Auguſtinum* exiſtimavimus, laudes in eum pleno modio, ut alibi, effudimus, & ambabus ulnis rationes ejus amplexi ſumus, ſicut ad Lib. XXXII. contra *Fauſtum* Manichæum

IX. Tomus nonus, in quo cum Donatiſtis pugnat *S. Auguſtinus*, nos non valde exercitos habuit, quia eadem fermè ubique repetit, cùm Donatiſtæ eaſdem objectiones, eoſdémve paralogiſmos adverſariis ad faſtidium uſque oggererent. Mirum tamen eſt *S. Auguſtino* tædium aut ſomnum non obrepſiſſe, idem toties dicenti. In libros contra Epiſtolam Parmeniani nos quoque iterum egimus de perſequutione Hæreticorum, de qua ſat multis in Animadverſionibus ad Tom. II. dixeramus; déque Synodorum auctoritate in Libros de Baptiſmo, ubi tamen ſummatim dumtaxat rem attigimus.

X. Cur plura in Tomum decimum non ſcripſerimus, præfatiuncula ei præfixa docebit. Præfationes dumtaxat primorum quorumdam librorum Editorum collegimus; quibus addidimus elegantiſſimam ac eruditiſſimam Epiſtolam Eminentiſſ. Cardinalis H. *Noriſii*, de Inſcriptione libri de Gratia Chriſti. Speciminis dumtaxat cauſâ, paucula ſcripſimus in Libros de Correptione & Gratia & in Opus imperfectum contra Julianum; quibus plura & graviora addere potuiſſemus, ſi neceſſe fuiſſet. Sed de Pelagianis Controverſiis, quædam jam ad Tomum II. dixeramus.

Hæc complectitur *Appendix Auguſtiniana*, cujus fortaſſe omnia, exceptis notis noſtris, nonnullis moroſioribus Lectoribus probabuntur. Ægrè ferent, nimirum, nos de *S. Auguſtino*, de quo fermè quaſi de oraculo quodam, non ſine horrore religioſo, loqui ſolent, ita ſæpe egiſſe quaſi de quovis alio homine ageremus. Sed poſtquàm omnia dixerint, quæ ſuperſtitioſa quædam reverentia eis ſuggeſſerit erga Scriptorem, quem fortè numquam attentè legerunt, & ſemper cum maximo præjudicio; non efficient ut argumenta ex recta Ratione, Grammaticáque ac certiſſima Scripturæ Interpretatione deducta, fiant minùs firma. Quod ſi ſint vera, ut quidem ego puto, mihi gratias agere, aut certè habere debebunt; quia ne unà cum Scriptore, quem nimio in pretio habent, errarent effecero. Quod ſi contrà eſſent falſa, nihil eſt quod propterea exiſtimationi ejus timeant; falſitas enim Veritati collata facillimè evaneſcit, niſi vi defendatur.

Ceterùm ſciat Lector oportet nos minimè aggreſſos eſſe ſcribere Commentarium, aut notas perpetuas in *S. Auguſtinum*, ſed tantùm ſparſim quædam in varia ejus Opera adnotare; quorum ſi quæ aliis debuimus, auctorum nomina diligenter ubique appoſuimus, ut unicuique laus ſua conſtaret. Alia intacta, aut quæ certè an alii attigerint neſcimus, noſtro nomine protulimus. Sunt autem multa Grammatica ac Critica, multa Philoſophica, ac Theologica; quæ miſcenda hîc cenſuimus, quòd non tantum interpretes *S. Auguſtini* ageremus, ſed ratiocinationes ejus expendere ſtatuiſſemus. Non voluimus dumtaxat obſcura quædam explicare, aut alia illuſtrare; ſed & verè ac rectè dicta ſubinde meritis laudibus afficere; eáque, in quibus hallucinatus eſſe videbatur, notare; ne alios incautos, vel viri auctoritate territos fallerent. Noveramus non legi hoſce libros, ut ex iis eruditio Critica colligatur, ſed potiùs ratiocinationum ac dogmatum cauſâ; ideóque hæc potiſſimùm expendi à nobis oportere credidimus, ut eſſent Animadverſiones noſtræ veluti Manuductio quædam, in eorum uſum qui multum tempus hiſce legendis impendere nequeunt; judiciúmque, magis quàm memoriam, Veterum lectione excolere atque acuere ſe debere meritò exiſtimant.

Verùm audire mihi videor homines nonnullos clamitantes quæ à me dicta ſunt, variis in locis, ea apta eſſe ad corrumpendum potiùs quàm ad excolendum judicium. Quibus reſpondeo, me, ſi in illorum ſententia fuiſſem, ea omiſſurum fuiſſe; ſed cùm aliter ſen-

ſerim, non potuiſſe committere, ut ea, quæ mihi optima dictu videbantur, prætermitterem. Ita ſe & ipſi gerunt; neque enim ea ſcribere ſolent, quæ putant mihi aut aliis probatum iri, ſed quæ ipſi vera eſſe cenſent. Neceſſe eſt profectò unumquemque id facere, quod optimum factu ei videtur. Sed erit poſtea omnium Judex ſupremus, qui aliquando tandem quinam rectiùs ſenſerint certò docebit. Quin & noſtra ætas, ne poſteras dicam, judicium hac de re ferre poterit; nec, ſi rationibus meis adſentiri nequeat, auctoritate meâ, quæ nulla planè eſt, tranſverſa ſaltem agi poterit. Erat cur timerem ne auctoritate *S. Auguſtini* obruerer, quamvis rationibus eſſem ſuperior; at nihil ſimile à me poſſunt vereri, qui niſi firmiſſimis argumentis verum eſſe evicero, quod defendo, ſine dubio damnabor.

Iidem homines, ut ſunt clamoſi, magnâ voce à me iterum quærent quis tandem ſim, qui audeam judicare de *S. Auguſtino*, cujus vel nomen ſolum me terrere debuit? Reſpondebo verò, quoniam, ut illi dicent, os perfricare cœpi, me hominem eſſe, cui perſuaſiſſima eſt veritas Religionis Chriſtianæ, ac doctrinæ Jeſu Chriſti divinitas, & cui nemo umquam demonſtrare queat falſum eſſe aut iniquum quod dixit unicus Doctor Matthæi Cap. XXIII, 8. NOLITE VOCARI RABBI, UNUS ENIM EST MAGISTER VESTER; OMNES AUTEM VOS FRATRES ESTIS. ET PATREM NOLITE VOCARE VOBIS, SUPER TERRAM, UNUS EST ENIM PATER VESTER, QUI IN COELIS EST. NEC VOCEMINI MAGISTRI, QUIA MAGISTER VESTER UNUS EST CHRISTUS. Itaque Dei minimè fallacia lumina, ſive per rectam tantùm Rationem, ſive per Revelationem ad nos delata, à triginta annis ſola adtendere conatus ſum; ita ut magiſtros omnes, quaſi adjutores ad eam rem, non quaſi dominos judiciorum meorum habuerim. Quamobrem & Dialecticam diligenter colui, ne ratiocinando fallerer, & Grammaticam, ac Criticam, ſive litteras Hebraïcas, ſive Græcas ſpectes, lectionémque indefeſſam, non verſionum tantùm, ſed & Authenticorum Scripturæ librorum, Dialecticæ pro virili adjeci; ut intelligerem quid revelarit Deus, ac intellectum toto animo amplecterer. Quantum in hiſce omnibus profecerim neſcio, Deus novit; ſed ut verum id eſſe credam, quod, adhibitis omnibus illis ſubſidiis, falſum eſſe liquidò videre mihi videor, nemo æquus à me exegerit. Ut ſplendidiſſimis rectæ Rationis & divinæ Revelationis luminibus oculos claudam, quò me cœcum ſponte factum tradam ducendum iis, à quibus illa lumina valde neglecta fuiſſe tam certò video, quàm me ſentio vivere, nemo prudens à me poſtularit. Sciunt qui *Eraſmi*, qui vir penitus ſanè norat *S. Auguſtinum*, Epiſtolas legerunt, quid de hujus eruditione ſentiret; ſed & ejus judicia huic præfationi, ne quærenda ſint, ſubjiciam. Quibus omnibus accuratè expenſis, per me licet laudent *S. Auguſtinum*, qui volent, præconéſque ejus elogiorum ſe profiteantur; ſed ſciant, ſi alii metu quod ſentiunt proloqui non audeant, me vivo, non defuturum Veritati patronum: uti nec mortuo deerit à Deo optimo maximo, ejúſque Filio Jeſu-Chriſto præmium, ſi modò convenienter Veritati Evangelicæ vixero; quod, opitulante divinâ miſericordiâ, fore ad finem uſque omnino confido, útque fiat eum iterum atque iterum oro. AMEN.

DES. ERASMI JUDICIA
D E
S. A U G U S T I N O.

EPIST. LIB. II. *Epiſt.* 26. ad Joan. Eckium, *qui ægrè tulerat* S. Auguſtinum S. Hieronymo *poſthabitum ab* Eraſmo.

DIſplicet tibi meum judicium, quod in cognitione Sacrarum Litterarum adeò præferam *Hieronymum Auguſtino*, ut vehementer impudens arbitrer alterum cum altero conferre. Hìc tibi oon priùs reſponſurus ſum, *Ecki* doctiſſime, quàm mihi conceſſeris oon affici contumeliâ qui potiori poſthabetur, cùm de utroque magnificè ſentias. Ego de *Auguſtino* ita ſentio, ut de viro ſacro, eximiiſque dotibus prædito, par eſt; nec tenebras offundo illius gloriæ, ut tu ſcribis, ſed noo patior obſcurari gloriam *Hieronymi*; cui planè fieret injuria, ſi quem longè præcellit, ei poſthaberetur, &c. Nam quod ſecundùm Canonicas Scripturas, ac ſacroſancta Eccleſiæ decreta, ſecundùm primas Eccleſiæ columnas, ſummam auctoritatem tribuis *Auguſtino*, quis non fateatur fortiter abs te dictum? Hoc nec ipſe ſibi poſtulat, oeque quiſquam umquam illi tribuit; præſertim cum Græcis primæ debeantur, in hoc genere laudis, quemadmodum & io ceteris omnibus. Sed excutiamus quibus argumentis mecum agas. *Philelphi* auctoritatem mihi opponis, qui cùm *Hieronymo* concedat eloquentiæ laudem, *Auguſtinum* io Dialectica prætulerit, &, admetiris de tuo, in omni Philoſophia ſuperiorem fecerit. Ego, doctiſſime *Ecki*, non tantùm tribuo *Philelpho*, præſertim in cenſura rerum ſacrarum, ut illius auctoritate me patiar opprimi; cui, oe in ipſius quidem arena, ſi res poſtulet, admodum ceſſurus ſim; ne nihil de me ipſo dicam glorioſè, cùm ille tam multa de ſe prædicarit. Et

quod

quod ille in Epiſtola familiari apud Amiculum nugatus eſt, perinde mihi objicis quaſi de tripode pronunciatum. Quis enim neſcit in Scholis decantatum, *Auguſtinum* inter Veteres eſſe præcipuum Theologum, admirabilem Philoſophum, invictum Dialecticum? Quaſi verò quidquid illic, quocumque caſu, jactatum ſit Oraculi vice debeat haberi! Suum cuique Ordini vulgus eſt, & ſemper optima pauciſſimis placuerunt &c. *Aliquantò poſt:* Certis agamus. Nemo negabit plurimum eſſe momenti ſitum in patria & educatione. *Hieronymus* Stridone natus, quod oppidum ſic Italiæ vicinum eſt, ut Itali ſibi vindicent; Romæ educatus in Italia, ſub eruditiſſimis viris. *Auguſtinus* in Africa, regione barbara, in qua ſtudia litterarum mirè frigebant, quod ipſe non diſſimulat in ſuis Epiſtolis *Auguſtinus*. *Hieronymus* Chriſtianus è Chriſtianis, unà cum ipſo lacte, Chriſti Philoſophiam imbibit. *Auguſtinus* penè triginta natus annos nullo præceptore Paulinas Epiſtolas legere cœpit. *Hieronymus*, tali ingenio præditus, triginta quinque annos impendit ſtudio Sanctarum Scripturarum. *Auguſtinus* ſtatim ad Epiſcopale munus pertractus eſt, & coactus docere quod ipſe nondum didicerat. Id ſi mihi non credis, lege ipſius Epiſtolam ad Valerium Epiſcopum, quâ maximè deprecatur ſpatium aliquod diſcendi, quod alios doceret. Jam fac, ſi libet, patriæ, ingeniorum, præceptorum, educationis pares eſſe calculos; expendamus quanto inſtructior *Hieronymus* ad hoc negotium acceſſerit. Niſi fortè leve momentum eſſe putas Græcarum & Hebraicarum Litterarum peritiam. Tota Philoſophia, tota Theologia tum temporis Græcorum erat. Auguſtinus Græcè neſciit, aut ſi quid attigit, non magnopere fuit uſui, ad Græcorum Commentarios evolvendos. Demiror autem unde quidam *Auguſtino* tribuant abſolutam Ariſtotelicæ Philoſophiæ cognitionem, cùm ipſe in Confeſſionum libris fateatur, ſibi unicum duntaxat libellum lectum, eúmque Latinè verſum. Cúmque locis compluribus tractet rem Dialecticam, ad quam ut erat naturâ compoſitus, ita impenſè delectatus videtur; veſut in Opere *de Doctrina Chriſtiana*, in libris *de Trinitate*, in libellis aliquot, quos ſcripſit Catechumenus, non declarat ſe quidquam legiſſe, præter quinque *Porphyrii* voces, quas *Prædicabilia*; & decem rerum genera, quæ *Prædicamenta* vocant; & librum de *Enunciatione*, &c. Quid autem erat, in univerſa Græcorum Bibliotheca, quod *Hieronymus* non excuſſerat, quod non velut in Indices digeſtum in numerato haberet? Quòd ſi ex re libet æſtimare utrumque, *Hieronymus*, cùm egit adverſùs *Jovinianum*, adverſùs *Rufinum*, adverſùs *Pelagium*, adverſùs *Luciferianos*, quæſo te numcubi Dialecticum acumen in eo deſideras? &c. Et tamen *Auguſtinus Tullium Philoſophaſtrum (de Civit. Dei* Lib. 11. c. 27.) vocat ipſe, videlicet, Philoſophus; cùm ille, ni fallor, aliquantò plus legerit in Græca Philoſophia, quàm *Auguſtinus*, in libris ſacris, &c. Quid aliis uſu veniat neſcio; in me certè comperio, quod dicam; plus me docet Chriſtianæ Philoſophiæ unica *Origenis* pagina, quàm decem *Auguſtini* &c.

L I B. XIX. *Ep.* 91. *Ad Natal. Beddam.*

Hortaris me ad exemplum *Divi Auguſtini*. Nihil hic dicam cujuſmodi ſint illius retractationes, certè multa prætermiſit, quæ non retractavit, cùm ſint retractatione digna.

L I B. XX. *Ep.* 2. *ad Germ. Brixium.*

Nunc totus *Auguſtinus* ſex prælis acceleratur, ſcriptor & obſcuræ ſubtilitatis, & parum amœnæ prolixitatis.

Ibidem Epiſt. LXVII. ad *Joachimum.*

Sic me premit *Auguſtinus* ſcriptor ΑΠΕΡΑΝΤΟΛΟΓΟΣ, ut Ætnam atque Athonem mihi videar ſuſtinere.

LIBRO XXV. Epiſt. 14. ad *Nicol. Maſſarium.*

Hic nobis toties occinuntur *Auguſtini* retractationes. Atqui *retractatio* nihil aliud eſt, quàm *recognitio*. Neque enim eo titulo profitetur ſe caſtigationem errorum ſuorum; ſed catalogum & recenſionem operum ſuorum texere, ac ſingulorum velut argumenta; eò ſpectans, ne quid lucubrationum ipſius intercideret, aut alteri tribueretur quod ipſius eſſet, aut ipſi tribueretur quod eſſet alterius. Verùm obiter quædam ſua reprehendit, fateor, ſed levicula; veluti quod alicubi ſit uſus vocabulo *Fortunæ*, quod lapſus ſit in nomine *medici*. At plura defendit, interdum non ſine tergiverſatione. Porrò quantò graviora adhuc reſident in illius viri libris, *nulla eſſe hominum merita?* cujuſmodi ſi quid in meis deprehenditur, Lutheranus ſum. Quoties iterat infantibus nihil prodeſſe baptiſmum, niſi comedant carnem & bibant ſanguinem Domini? Quoties tribuit Petro, Apoſtolorum Principi, ſuperſtitioſam ac perverſam voluntatem pertrahendi Gentes in Judaiſmum? Omitto cetera. Proinde fruſtra tantopere jactatur hoc exemplum *Auguſtini*.

HENRICI DODWELLI

JUDICIUM DE S. AUGUSTINO.

Lib. de Jure Laicorum Sacerdotali p. 39.

NOn eſt quod de *Auguſtino* admodum laboremus, acutiore, quam peritiore aut ſolidiore adverſario. Quod tamen, ſalvâ Patris maximi pietate atque eruditione, ſit dictum. Multa ſolent illius ætatis Rhetores, in adverſariis, tragicè reprehendere, quæ æquiore animo cenſuiſſent, ſi Catholicum habuiſſent auctorem.

SCIO hiſce judiciis candidioribus poſſe laudes opponi, ſed recordandum laudes eſſe conſuetudinis datas, caſtigationes veritatis. Scribebam Amſtelodami anno MDCCII. Calendis Auguſtis.

CON-

Digitized by Google

CONTENTA
IN HOC
VOLUMINE.

S. PROSPERI *Carmen de Ingratis.* p. 1.

J. GARNERII *Diſſertationes ad Hiſtoriam Pelagianam facientes.* p. 37.

PELAGII *Commentarii in Epiſtolas Pauli.* p. 115.

ERASMI *& aliorum Cenſuræ, Præfationes, Notæ, Diſſertationes &c. in Omnia Opera Auguſtini.* p. 459.

SANCTI PROSPERI

SANCTI PROSPERI
AQUITANICI
CARMEN
ΠΕΡΙ ΑΧΑΡΙΣΤΩΝ,
HOC EST,
DE INGRATIS.
ACCURANTE ET ILLUSTRANTE
THEOLOGO LOVANIENSI.

HÆc tantùm in medium quæ jam ſunt geſta, vocemus;
Ut facilè ex illis quale hoc ſit, diſcutiatur,
Quod diſceptantes, dudùm in diverſa movemur.

Proſp. in Carm. cap. 11, al. 8.

NOTA LECTOR, *è duplici numero Capitum quem in hac editione obſervas, eum qui charactere minuſculo in margine interiori notatur, veterem & vulgatum; alium verò qui in exteriori margine & majori charactere adſcribitur, novum ac demum à nobis inductum eſſe. Cùm enim Auctor nullam ejuſmodi Capitum diſtinctionem feciſſet, & qui deinde illum ediderunt, non ſatis in ea deſignanda felices fuiſſe viderentur; auſi ſumus quod olim Duacenſes, qui cùm Proſperum ederent, in libris de vocat. Gent. diſtinctionem vulgatam antiquarunt, relicto dumtaxat, ut hìc, illius veſtigio.*



S. PROSPERI AQUITANICI

ΠΕΡΙ ΑΧΑΡΙΣΤΩΝ,

HOC EST,

DE INGRATIS

CARMEN.

Præfatio.

Argumentum & fructus operis proponitur.

Unde voluntatis ſanctæ ſubſiſtat origo;
Unde animis pietas inſit, & unde fides;
Adverſùm Ingratos, falſâ & virtute ſuperbos;
Centenis decies verſibus excolui.
Quos ſi tranquillâ ſtudeas cognoſcere curâ,
Tutus ab adverſo turbine, Lector, eris.
Nec libertate arbitrii rapiêre rebellis,
Ulla nec audebis dona negare Dei:

Sed

Aquitanici. Pattonymicum, juxta iſtius temporis ulum: cùm alioqui puriora ſecula *Aquitani* dixiſſent; utquibus *Aquitanicus*, ſicut *Germanicus*, & his ſimilia, non tam eſſent patriæ quam victoriæ nomina. Ceterùm *Aquitania*, unde *Aquitanus* noſter, nota eſt Galliæ regio, quam hodie vulgò *Guiennam* vocant. Vetus Aquitania multo longiùs ſe extendebat, quàm Provincia quæ hodie appellatur *La Guienne*: illas enim tunc Regiones complectebatur, quæ hac ætate Provincias Eccleſiaſticas Bituricenſem, Burdigalenſem & Auſcenſem conſlant.

Episcopi Regienſis titulum; quem opera Proſperi paſſim præferebant, omiſimus; contendentibus hodie Criticis, nec fortaſſe de nihilo, Proſperum hominem laïcum, aut ut ſummùm Presbyterum fuiſſe. Nulla proferri poſſunt argumenta vel indicia, quibus Proſperum Preſbyterum fuiſſe probetur magis quàm Epiſcopum. Eum *Servum-Dei* fuiſſe putaverim eodem ſenſu, quo Auguſtinus ſtatim à baptiſmate, quem his verbis mater Monnica alloquebatur: *Hoc mihi Deus meus præſtitit, ut te etiam contemta felicitate terrena Servum ejus videam.* Conf. l. 9. c. 16.

De Ingratis. Qui hoc Carmen in Gallicum tranſlatum Pariſiis edidit A. 1647, quemque nos hic in poſterum ſimpliciter *Gallum* nominabimus, exiſtimavit nomine *Ingratorum* intelligi *inimicos Gratiæ* generatim, tam Pelagianos formatos quàm ſemi; adeóque & hos & illos unà hoc Opuſculo impeti. Ubi rectè quidem obſervavit, nomen illud cùm Græcè, tùm Latinè, pro *inimicis Gratiæ* hìc poni, quaſi *ſine Gratia* (quàm aptè, non diſputo:) attamen mihi vel ex ipſo hujus Præfationis initio liquet, Auctorem uſum eſſe vocabulo generali non in tota latitudine ſua, ſed pro ſpecie ignobiliori, & quæ nullo adhuc ſpecialiori nomine inſignita eſſet; pro Semi-Pelagianis, nimirum, quos inter & Orthodoxos propriè vertebatur illa quæſtio, *de initio bonæ voluntatis & fidei*, paraphraſticè hìc propoſita diſticho primo. Contra hos ergò ſolos ſtilum ſtringit, cùm diſticho altero ait:

Adverſum INGRATOS; falſa & virtute ſuperbos, &c.

uti infrà eos ſolos alloquitur v. 684 & ſeq.

Vos igitur ſoli queruli, ſolique SVPERBI,
Vos ſoli INGRATI.

Neque Pelagianorum aliter toto opere meminit, quàm ut ex illorum damnatione, à Semi-Pelagianis perindè ac ab Orthodoxis admiſſâ, concludat quid de reſtante illa inter hos quæſtione ſentiendum foret, juxtà iſtud v. 223 & ſeq.

Hæc tantùm in medium quæ jam ſunt geſta vocemus;
Vt facilè ex illis quale hoc ſit, diſcutiatur,
Quod diſceptantes, dudum in diverſa movemur.

Ingratos itaque hìc nominat, quos poſteritas communiùs *Maſſilienſes* & *Semi-Pelagianos* appellavit: de quibus nominibus, commodiùs infrà ſuis locis; ubi etiam videbitur, non ita dictos *Ingratos*, quaſi *ſine Gratia*, ut nulla *ingratitudinis* ſit habita ratio.

Cognoscere. Sic apud Virg. Silenus in cognomine Ecloga:

Carmina quæ vultis, cognoſcite. i. audite.

Eſt enim hic Noſter Maronianæ dictionis, non minùs quàm Auguſtinianæ ſententiæ, affectator aſſiduus.

 Ope-

Sed bona quæ tibi ſunt, operante fatebere Chriſto,
Non eſſe ex merito ſumta, ſed ad meritum.

PROOEMIUM.

Cauſa ſcriptionis indicatur.

Congenitæ in Chriſto Gentis mihi caſtus ab alto
Inſinuatus amor proprias excedere vires
Me jubet, atque pias accendere carmine mentes;
Ne poſt confectum celebris victoria bellum
Securos animos incautâ pace reſolvat;
Ceu metus eliſo jam nullus ab hoſte ſuperſit;
Nec caput attriti viroſum palpitet anguis.

Ac divinum imploratur ad ſcribendum auxilium.

Undè igitur commenta mali ſopita reſurgant,
Quemve ipſo de fine dolum nova promat origo,
Da fari, Pater omnipotens, artemque malignam
Pandere, proſtratus quâ rursùm nititur error.

CAPUT I. Cap. I.

Præcipua Pelagianæ hæreſis capita perſtringuntur.

Dogma quod antiqui ſatiatum felle draconis,
Peſtifero vomuit coluber ſermone Britannus,
Hac primos homines cretos ditione ferebat,

Ut de mortalitate primorum hominum:

Ut ſeu præſcriptum mandatum tranſgrederentur, Gen. I.
Sive inculpati ſervatâ lege manerent,
Mortem iſtam prorsùs, quâ carnem vita relinquit,
Oppeterent, quæ non peccato parta, ſed ipſo
Inſtituente Deo, comes eſſet fixa creatis.

De horum poſteris, & peccato originali:

Progenitos igitur nullum traxiſſe reatum
De Patribus, neque diſſimiles nunc naſcier illo
Ortu primorum, qui liberrate malè uſi
Peccarunt, formâ nocui, non ſemine, proli.

De naturali facultate obſervandi mandata:

Poſſe autem inſontes omnes virtutis in arce
Vitam agere, & menti ingenitum ſervare decorem:
Arbitrio quoniam ſubſiſtat recta volentis
Naturalis honos, Lexque inſita cordibus, intùs

Hoc

OPERANTE CHRISTO. Vel id referentum Gallo ad ſequentia, ut ſit conſtructio: *Fatebere bona quæ tibi ſunt, operante Chriſto, ſumta eſſe ad meritum, ſed non ex merito*: vel potiùs, magiſque è genio Proſperi, ad ipſum *fatebere*; ut ita magnificentiùs Chriſti Gratia commendetur, quando & illud *fateri* ipſamet operatur. Ejuſdem ſacri acuminis eſt quod Sapiens ait, ſapientiam non niſi à Deo donari, hoc ipſum autem ſapientiæ eſſe, ſcire à quo donetur: Sap. 8.

SUMTA: pro *accepta*, ut hic paſſim. duriuſculè ſanè nonnunquam; ſed tamen, ut apparet, phraſi iſtius ætatis, cum & Hilarium illum Proſperi ſocium eädem uſum legamus in celebri ſua ad Auguſtinum epiſtola: *voluntate*, inquit, *quæ ſumitur*, i. quæ à Deo accipitur.

CONGENITÆ IN CHRISTO GENTIS. i. Eccleſiæ ſeu populi Chriſtiani, ob communem regenerationem per Baptiſmum.

PROOEMIUM profectò Chriſtianum, perindè ut ipſum opus, ubi ſacra omnia, nihil autem earum nugarum Gentilium, ſine quibus in carmine omnia frigere autumant aliqui: falsò id quidem, quando aliud hic noſter tam magnificè exemplo oſtendit ſuo.

VICTORIA, non de Ingratis, quibuſcum etiamnùm certabatur; ſed de Pelagianis, jam toto Orbe damnatis.

IPSO DE FINE, ſeu exitu cauſæ Pelagianæ: è quo initium Semi-Pelagianiſmus cepit. *Originem* autem pro initio poſitam etiam ſuprà vidimus in Præfat. v. 1.

V. 1. SATIATUM: Saturum, quaſi eo maceratum, ut Gallus tranſtulit:

Detrempé dans le fiel du dragon redoutable.

Quod quidem de omni dogmate hæretico dici potuit, at ſpeciali ratione hic dictum de ſuperbo illo Pelagiano, ob magnam ipſius cum *antiqui draconis* ſeu dæmonis peccato affinitatem.

V. 2. BRITANNUS. *Pelagius Brito*, ait Proſper in Chron. ex eâ, nimirum, *Britannia*, quam nos hodie *magnam*, ipſe autem lib. cont. Collat. c. 41. *ſecretum Oceani*, & *Romanam inſulam* vocat. Gallus illâ inſulæ parte quæ nunc *Scotia* dicitur, oriundum facit; alij Anglum malunt, quibus magis aſſentio.

V. 3. CRETOS DITIONE. i. creatos conditione: Gallus transfert in Proſa, *neceſſitate*.

V. 6. QUA CARNEM &c. Periphraſis mortis corporalis, ad diſtinctionem à ſpirituali quæ fit per peccatum, de qua cum Pelagio circa primos parentes quæſtio nulla fuit, teſte Aug. lib. 1. de pecc. merit. c. 2: etſi aliud putaſſe videatur Gregor. lib. 5. Regiſt. ep. 14. ad Narſen comitem, & alibi.

V. 10. DE PATRIBUS, ſeu primis Parentibus: niſi quis malit, Proſperum, ut ſolet, ſuo Auguſtino adhærentem dubitaſſe, an non à ceteris etiam Parentibus mediis culpam poſteri traherent. Hujus interim dubitationis in Eccleſia hodie nullum penè veſtigium.

V. 12. FORMA NON SEMINE. i. *non propagine*, *ſed exemplo*, ut iidem docent apud Aug. lib. de pecc. orig. c. 41, *id eſt: non quod ex illo* (Adamo) *traxerint aliquod vitium, qui ex illo propagati ſunt; ſed quod eum primùm peccantem imitati ſint omnes qui poſteà peccaverunt.*

V. 13. INSONTES, & VIRTUTIS IN ARCE. i. ſine ullo peccato, atque in ſumma adeò perfectione. Quod argumentum tractat Aug. toto lib. de perfect. Juſtit. item toto lib. 2. de pecc. mer. ac alibi. Hieronymus etiam ab eodem incipit Dialogos ſuos contra Pelagianos.

V. 16. NATURALIS HONOS. i. ingenitus.

- - vigor ille -
In quo inſons natura fuit; - -

ut infrà dicitur v. 880 & ſeq. Senſus eſt: eum qui modò velit, eundem nunc habere arbitrii vigorem ad bonum, ac olim habuerunt primi Parentes ante lapſum. Ex quo ſenſu

patet,

De Gratia effectu, nempè in Baptiſmo:

Hoc moneat, quod ſcripta, foris. Cui Gratia Chriſti
Addita, perfugium lapſis generaliter in ſe
Condiderit, ſacro ſi vellent Fonte novari,
Ut ſponte attractum veniâ ſolvente reatum,
Sponte ſuâ in vires proprias natura rediret,
Quóque per errores eſſet ſpoliata vigore,
Hunc ſervare ſemel poſſet purgata receptum.

De Baptiſmo parvulorum:

Tam dives verò hoc donum Baptiſmatis eſſe,
Et tam multa homini conferri fœdere in iſto,
Ut parvis etiam, vitioque carentibus omni,
Congruat, ut qui ſunt geniti bene, ſint meliores,
Naturæque bonum adjecto illuſtretur honore.

Denique de gratia Baptiſmi ex tortiùs.

Nullum autem ex cunctis exſortem muneris hujus
Judicio genitum eſſe Dei: ſed quemque mereri
Libertate ſuâ, ut capiat promiſſa vocantis,
Quæ ſint averſis indebita, debita rectis.

Cap. II.

Cap. 2.

Cura & vigilantia Eccleſiæ contra exſurgentem Pelagianiſmum:

TAlia cùm demens latè diffunderet error,
Commentiſque rudes traheret lethalibus aures,
Adfuit, exhortante Deo, proviſa per Orbem
Sanctorum pia cura Patrum, non diſpare motu
Conficiens diros jaculis cœleſtibus hoſtes.
Iiſdem namque ſimul decretis Spiritus unus
Intonuit. Peſtem ſubeuntem prima recîdit

At in primis Sedis Apoſtolicæ.

Sedes Roma Petri: quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis,
Relligione tenet. Non ſegnior inde Orientis

Inde Epiſcoporum Orientis.

Rectorum cura emicuit, captumque nefandi
Dogmatis auctorem conſtrinxit lege benignâ

Com-

patet, iſtud *recta volentis* quod præcedit, regi non à *naturalis bonos*, ſed ab *arbitrio*, quod antè præceſſit. Porrò infrà v. 230 & ſeq. idem ſic error exprimitur:

Et quoniam tales naſcantur nunc quoque, qualis
Ille fuit noſtri generis Pater ante reatum;
Poſſe hominem ſine peccato decurrere vitam,
Si velit.

V. 19. Fonte, Baptiſmi: nam de lapſis ante Baptiſmum agitur.

V. 20. Sponte attractum. i. actualem & perſonalem: cùm originalem negarent Hæretici.

V. 24. Esse. Sic legendum, & non *eſſet*, ut alij, patet ex verbis quæ ſequuntur, *conferri*, *genitum eſſe*, *mereri*.

V. 28. Naturæque bonum &c. i. *ut bono eorum naturali bonum ſanctificationis accedat, ut ſint infantes ſancti Dei filii.* Ita apud Aug. Julianus Pelagianus.

V. 31. Promissa vocantis: non præmia æterna, de quibus hîc nullus ſermo; ſed *donum Baptiſmatis*, cum *venia ſolvente reatum*. i. remiſſione peccatorum, uti ſuprà exprimuntur. Eodem modo intellige infrà v. 166, *donumque vocantis*. Hunc autem errorem ita expreſſum leges v. 240 & ſeq.

Quòd meritis hominum tribuatur Gratia Chriſti,
Quantùm quiſque Dei donis ſe fecerit aptum.

V. 39. Recidit Roma. Scilicet, *quando beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita*, Pelagium & Cœleſtium, *Apoſtolico mucrone percuſſit*: lib. cont. Collat. c. 41. Præſtitit hoc Innocentius duabus datis epiſtolis ad Synodos Africanas Carthaginenſem & Milevitanam, quæ epiſtolæ ſunt inter Auguſtinianas 91 & 93. Io his autem cùm Eraſmus ſanctiſſimum Pontificem *ſævum potiùs quàm eruditum, & ad damnandum quàm docendum inſtructiorem* vocat (quod ſaltem ab editoribus Venetis operum Auguſtini animadverſum atque expunctum oportuit;) cogor profectò aliquid judicii in viro deſiderare: quaſi, ſcilicet, aliter decuiſſet ſcribere primæ Sedis Epiſcopum ad Patres iſtos Africanos, qui non tam rationes (quas ipſimet in ſuis litteris abundè ſuggeſſerant) quàm auctoritatem rebus à ſe geſtis adjungi, neque argumenta, ſed anathemata poſtulabant.

Ibid. Prima recidit. Quo verò id pacto, cùm & Synodi Africanæ jam dictæ, & ſi earum rationem Proſper nullam habuit, uti paſſim non habet; Dioſpolitana ſaltem, quæ hîc *Orientis* dicitur, jam ante Innocentium de Pelagianiſmo judicaſſet? Ad hoc præclarè quidam: *prima*, inquiunt, non ordine temporis, ſed auctoritate; uti apud Virg. Æneid. 1:

- - veteriſque memor Saturnia belli,
PRIMA quod ad Trojam pro caris geſſerat Argis.

præclarè, inquam, niſi Virgilius alibi hanc ſuam phraſin ipſe exponeret, nempe, Æneid. 12 his Turni verbis:

O ſoror, & dudùm agnovi cùm PRIMA per artem
Fœdera turbaſti, teque hæc in bella dediſti.

Ubi rectè Farnabius: *cùm prima*, inquit. i. *cùm tu primùm* &c. Nullum ergò hactenùs è Marone ſubſidium (tametſi aliàs magnoperè probo, quod quæ in hoc Carmine obſcura ſunt, iis lux petatur ex Poëta illo: non ſecùs ac ex Homero aut Theocrito elucidari ſolet, ſi quid hic ipſe obſcuriùs ſcripſerit.) Auget verò difficultatem quòd hanc voculam *Prima*, alia mox excipiat non minùs ordinis ſignificativa, videlicet *Inde*:

- - - Non ſegnior INDE Orientis.

Aliunde igitur petenda tanti nodi ſolutio: niſi potiùs illum ſecare iubeat, ultróque fateri aberraſſe Proſperum, útque erat Gallus, non ſatis compertum habuiſſe quo ordine Romæ & in Palæſtina res geſtæ eſſent. Erit fortaſſe qui mecum breviter rem expediat, dicatque voculis iſtis, *Prima* & *Inde*, non alium ordinem quàm narrationis denotari; uti ferè ſolent qui plura quæpiam narrant, confuſionis vitandæ gratiâ, has ordinis notulas interjicere, nullâ interim habitâ prioritatis aut poſterioritatis ratione. Quin horum nullam hic à ſe rationem habitam, ſatis ipſe Auctor declarat, dum potiùs omnia videri vult *ſimul*, ac diverſis quidem locis, at uno velut tempore geſta eſſe:

Iiſdem namque SIMUL decretis &c.

V. 41. Quidquid non possidet &c. Ita lib. 2. de vocat gent. c. 16. *Per Apoſtolici Sacerdotii principatum amplior facta eſt arce Religionis, quàm ſolio Poteſtatis*, ſcilicet, Imperatoriæ. Similia vide apud Leonem PP. ſi non & hæc ipſa illius ſunt, ut docti ſuſpicantur.

V. 43. Captumque &c. *Pelagium, ad proferendam in ſe ſuoſque ſententiam, Palæſtinorum Epiſcoporum Synodus coarctavit*: lib. cont. Collat. c. 41.

Commentum damnare ſuum, niſi Corpore Chriſti
Abjungi, & ſancto mallet Grege diſſociari.

Synodi Dioſpolitanæ, tametſi decepta eoque lenioris, magna tamen utilitas.

Lene quidem hoc, nimiùmque malos toleraſſe videtur,
Judicium. Sed ſancta Fides examine in illo
Vicit oborturam diro de ſemine prolem:
Proſpectum namque eſt, divino & munere cautum;
Ut licèt inſtantem declinans Beſtia pœnam,
Perfidiæ ſecum ſenſus tenuiſſet eoſdem,
Ipſa tamen proprium germen damnando necaret,
Ore malam exſtinguens ſobolem, quam protulit ore.

Cap. III.

Hieronymi laus & cum Pelagianis certamen.

TUnc etiam Bethlei præclari nominis hoſpes,
Hebræo ſimul & Grajo, Latioque venuſtus
Eloquio, morum exemplum, mundique magiſter
Hieronymus, libris valdè excellentibus hoſtem
Diſſecuit, noſcique dedit, quo turbine veram
Vellent exortæ lucem obſcurare tenebræ.

Hæreticorum Legatio ab Attico Epiſcopo C-P. rejecta.

Quid loquar & curam, magna quam geſſit in urbe
Conſtantinopoli docto bonus ore Sacerdos
Atticus, antiquâ Legatos hæreticorum
Confutando fide? de qua tunc impia corda,
Quamvis ſe * obductæ tegerent velamine formæ
Judicii, * tacitæ tulerunt tormenta repulſæ.

* Obductâ t. v. formâ.
* Et tacitæ tulerant, vel tulerint.

Idem Epheſo & Siciliâ ejecti.

Præterea, quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Epheſos, non paſſa ſuis conſiſtere tectis
Vaſa iræ, & morbi flatus, & ſemina mortis.

Quaque

V. 51. Bestia. Atrox appellatio; ſed Patribus iſtis paulò ſeverioribus uſitata in hæreticos jam contumaces.

V. 52. Sensus tenuisset eosdem: *quia*, inquit Aug. lib. 1 cont. Julian. c. 5, *id quod negavit ore, corde ſervavit.*

V. 54. Ore - - sobolem quam protulit ore. Alluſum ad Ovidii Muſtelam Metamorph. 9.

- - quia - - - - juveras ore,
Ore parit.

V. 55. Bethlei. Vocem Hebraicam *Bethleem* ad Latinam terminationem inflexit, fecitque *Bethleum*, unde genit. *Bethlei.*

Ibid. Præclari nominis. An ob celebritatem famæ tantùm, an etiam ob etymon nominis *Hieronymi*, quaſi *Sacrinominis*?

V. 57. Mundique magister. Sic de illo Breviar. Rom. ultimâ Septemb. *Tanquam ad oraculum ex omnibus orbis terræ partibus ad ipſum divinæ Scripturæ quæſtiones explicandæ referebantur. Illum Damaſus Pontifex, illum S. Auguſtinus de locis Scripturæ difficillimis ſæpe conſuluit, propter ejus ſingularem doctrinam, & linguæ non ſolùm Latinæ & Græcæ, ſed Hebraicæ etiam & Chaldaicæ intelligentiam.*

V. 58. Libris, præſertim Dialogorum de quibus ſuprà, & Epiſt. ad Cteſiph.

V. 59. Dissecuit: non adeò ob acrimoniam ſtili; de qua ibidem Brev. *Hæreticos acerrimis ſcriptis exagitavit*; quàm quia libris iſtis ſubtilem quandam callidiſſimæ hæreſeos anatomen fecit, *noſcique dedit* (ut in verſu ſequitur) ipſa veluti intima illius viſcera: utpotè cùm eſſet ex iis qui ejus *ſenſus diligentiùs indagare potuerunt*, teſte Synodo Milevit. ad Innocentium PP. epiſtola inter Auguſtinianas 92.

V. 62. Docto bonus ore, i. eruditè facundus. Virgilianè ſcilicet, uti Æneid. 9.

Hic jaculo BONUS, hic longè fallente ſagittâ.

poſitum autem ad diſtinctionem ab Hieronymo, qui manu & ſtilo melior *hoſtem diſſecuit.*

Ibid. Sacerdos. Proprium tunc Epiſcopis nomen; nunc è contrà uſu Eccleſiaſtico relictum Presbyteris.

V. 64. De qua, ſeu à qua; nempe, *urbe*, non autem *fide*, ut putari poſſet. Completur verò conſtructio per ſequentia, *tacitæ tulerunt tormenta repulſæ.* i. inauditi repulſi ſeu expulſi ſunt. Quinam autem hi fuerint hæreticorum Legati, non liquet; niſi quod Marius Mercator ducem illorum ponat Cœleſtium, de quo paulò poſt initium Commonitorii ita ſcribit. *Poſt*, inquit, *aliquantos annos* (nimirùm à condemnatione ſua Carthaginienſi, Paulino Diacono accuſante) *ſub S. mem. Attico Epiſcopo urbem* C-P. *petiit; ubi in ſimilibus detectus, magno ſtudio ſancti illius Viri ex prædicta alma Urbe detruſus eſt.*

V. 65. & ſeq. Obductæ tegerent velamine formæ judicii, tacitæ tulerunt. Ita jam ab ingenio & conjectura emendaveram locum hactenùs corruptiſſimum, ſententiamque turpiter ſuſpendentem (nam alias erat:

- - - obductâ tegerent velamine formâ
Judicii, & tacitæ tulerant, vel *tulerint*;)

cùm opportunè incidi in Scriptorem hodiernum ſic quoque legentem; qui interim quaſi non ſatis fiſus hâc lectione, iſtam quoque alibi inſinuabat:

Quamvis ſe obductæ tegerent velamine formæ,
Judicii & tacitæ tulerunt tormenta repulſæ.

At mihi prorsùs diſplicet iſtud *Et*; quod exiſtimo demum irrepſiſſe ſupplendæ ſententiæ alioqui mutilæ, cùm pro Virgiliano *tulerunt*, imperitâ emendatione legi cœptum eſt, *tulerint*, aut *tulerant*.

Ibid. Formæ Judicii. *Speciem judicii* diceret Tacitus: ſed Noſter metro ſervire debuit. Hanc autem judicii ſpeciem fallor niſi idem Mercator innuat, cùm ſignificat Cœleſtium in Synodo Carthaginienſi ad Sedem Apoſtolicam provocaſſe, ſed mutatâ deinde ſententiâ Conſtantinopolim ſpecie appellationis confugiſſe.

V. 67. Tumultu, veriſimiliter populari, ut erat populus ille pro avita fide ferventiſſimus, teſte eorum gaudio in protrita Neſtorii hæreſi, de quo hiſtoria Concilij œcumenici Epheſini: ſaltem cave hunc tumultum acceperis de damnatione Pelagianorum, in eodem iſto Concilio; ut quod nondum cùm ſcriberetur hoc Carmen, ſed mortuo demùm Auguſtino coactum noſcitur.

V. 68. Consistere tectis: non, ut quidam, *terris*; tametſi haud ignarus ſim illius Æneid. 1.

- - - primâque vetant conſiſtere terrâ.

ad quod ſi Noſter, ut ipſemet credo, reſpexit; imitari tamen phraſin quàm tranſcribere verba maluerit.

V. 70.

Digitized by Google

Quaque ſide tellus etiam Trinacria ſervens;
Agmen vipereum propriis exegerit oris.

Cap. 3. *Juxta Gallum.*

CAP. IV.

T U cauſam fidei flagrantiùs, Africa * noſtra,
Exſequeris; tecumque ſuum jungente vigorem
Juris Apoſtolici ſolio, fera viſcera belli
Conficis, & lato proſternis limite victos.
Convenêre tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque Senum celeberrima cœtu
Decernis, quod Roma probet, quod Regna ſequantur.
Nec ſola eſt illic Synodorum exſerta poteſtas;
Ceu quos non poſſent ratione evincere noſtri,
Vi premerent: diſcuſſæ artes, viruſque retectum eſt
Hære-

* noſtræ

Specialis zelus & vigor Eccleſiæ Africanæ, unà cum Sede Apoſtolica, contra eoſdem:

Quos cùm doctiſſimè rationibus confutavit,

V. 70. TRINACRIA. Eritne monendum Grammaticorum more, ſic dictam Siciliam ob tria promontoria? Da veniam, Lector: aliter hæc ſacra non conſtant. Dum poëtam interpretor, eorumque ſtudium æmulor, qui hoc tempore ceteros Auctores bonos edunt *cum notis* (*variorum* quidem illi, ſed quod mihi primo in hoc ſtadium ingreſſo imitari non licuit;) dùm rudioribus etiam conſultum volo, ipſiſque adeò pueris in ſcholis hoc opuſculum, ceu Poëſeos ſacræ eximium quoddam ſpecimen juxta ac exemplum, familiare reddere allaboro; denique dum magna non profiteor, nec Theologum magis quam Philologum & Grammaticum ago, minutiora iſta etiam attingenda fuerunt.

V. 72. AFRICA NOSTRA. Ita cum Gallo lego contra vulgatos, quibus eſt:

Tu cauſam fidei flagrantiùs, Africa, noſtræ
Exſequeris.

Aliquantò enim robuſtius mihi videtur, legere *cauſam fidei* abſolutè, quam cum addito, *noſtræ*. Non etiam ſine patho ac emphaſi eſt iſtud *Africa noſtra*, uti Æneid. 6:

I *decus*, i NOSTRUM.

noſtra autem dicitur Africa ab homine Gallo, uti mox Africæ Epiſcopi *Noſtri*. i. partium noſtrarum; imò ut partium decus.

V. 75. LATO LIMITE. Ex Æneid. 9, ubi Niſus Euryalo viam armis facturus per proſtratos hoſtes:

Hæc ego vaſta dabo, & LATO te LIMITE ducam:

vel etiam Æneid. 10, ubi Poëta de Ænea:

- - - *LATUMque per agmen*
Ardens LIMITEM agit ferro.

V. 77. SENUM COETU. i. Concilio Epiſcoporum, qui non ſemel hic phraſi iſtius ævi ſimpliciter *Senes* vocantur. Quod autem præceſſit, *de cunctis urbibus*, indicat Concilia plenaria totius regionis fuiſſe.

V. 78. ROMA PROBET. Nam *Africanorum Conciliorum decretis beatæ record. Papa Zoſimus ſententiæ ſuæ robur annexuit, & ad Impiorum detruncationem gladio Petri dextras omnium armavit Antiſtitum:* lib. cont. Collat. c. 41. En ergò quod modò dixerat;

- - - *tecumque ſuum jungente vigorem*
Juris Apoſtolici ſolio.

Ibid. REGNA SEQUANTUR. Quippe eorundem Conciliorum *conſtitutionem contra inimicos Gratiæ Dei totus mundus amplexus eſt:* Reſpon. ad capit. Gall. c. 8. Gallus quidem noſter per *Regna* ipſos Reges ſeu Imperatores intelligit, qui Conciliorum iſtorum auctoritatem ſecuti, leges tulerint in Pelagianos: ſed ubi habemus Auctorem ſuis-ipſius verbis ſe exponentem, uti nobis hîc ſæpiùs uſuvenit; ibi cedat oportet omnis alia quantumvis plauſibilis expoſitio.

ATque hæc hactenùs de Synodis iſtis Africanis: de quibus cùm porrò quæritur, quænam fuerint, ubi coactæ, quæ decreta reliquerint &c. non eadem omnium eſt ſententia. Nos hic eam in rem dumtaxat illa afferemus, quæ nobis præſens Carmen, ac ferè hoc ipſum Caput ſuppeditant. Et primùm quidem colligimus fuiſſe plenarias, ita teſtantibus iſtis verbis v. 76, *de cunctis urbibus:* deinde numeroſas, ut in quibus ſententiam dixerint tot Antiſtites, ut congruè potuerint ab Auctore v. 86. dici *tercentenos:* præterea ambas quodammodò unam & eandem fuiſſe, putà in eadem civitate, iiſdem è Patribus, una in cauſa, minimoque temporis intervallo, coactas; ut idcircò v. 91. item 184, ſingulari numero *Concilium*, & non *Concilia* nominentur. Denique utrique præfuiſſe Carthaginienſem *Aurelium*, & interfuiſſe Auguſtinum, ut v. 91 & 92 indicatur. Ex quibus concludimus, minimè hic agi de Synodis Carthaginienſi & Milevitana ſub Innocentio PP. ut quas neque plenarias fuiſſe, neque eum habuiſſe Antiſtitum numerum, neutri etiam ſimul Aurelium illum & Auguſtinum affuiſſe, abundè probant (quidquid aliqui ſenſerint ſentiántve) ſubſcriptiones litterarum utriuſque ad Innocentium. His autem excluſis, quid niſi ſuperſunt duæ Carthaginenſes ſub Zoſimo Pontifice, quas omnes admittunt? iis namque vix dici poteſt quàm aptè conveniant omnia ſuprà recenſita. Plenarias fuiſſe ipſe Auguſtinus indicat ep. 17 ad Valentinum: numerus etiam Antiſtitum conſtat, nam ducentos & 14 ſeu 17, non uno in loco Proſper numerat, quos hic in verſu *tercentenos* dixit libertate poeticâ. Sed quid pluribus immoror, dum uno rem conficio? Puto ſanè, geminum illud Concilium, quod hic Auctor memorat, tum v. 77,

- - *geminoque Senum celeberrima cœtu*,

tum v. 90 & 91,

An alium in finem poſſet procedere ſanctum
Concilium &c;

puto, inquam, illud idem eſſe cum eo, ad quod infrà v. 184 & ſeq. remittit Pelagianos, jubetque

- - *Petri ſolium Romam, & Carthaginis altæ*
Concilium repetant;

nempe, ubi priùs ipſos dixerat condemnatos. Quid ergo adhuc quæſito opus, ubi gentium habitum ſit illud Concilium, dum iſtud Virgilianum, *Carthaginis altæ*, pluſquam digito rem indicat? Utinam modò de illius decretis ſeu Canonibus eadem lux & certitudo affulgeret! ac conditos quidem in eo aliquos, ſuadet illud v. 84.

Condita ſunt & ſcripta manent;

perſuadent etiam verba ſuprà ex lib. cont. Collat. citata ad v. 78; ut taceam inſuper de Aug. epiſt. 17 jam laudata: ſed vel interciderunt, uti & Epiſtola ipſa Zoſimi quâ confirmabantur; vel quod magis reor, ſunt illi ipſi octo Canones de Gratia, quos olim Concilium Turonenſe II. *antiquos Milevitanos* appellavit, & ideò à nonnullis in Synodo quapiam Milevitana primùm conditi, & demum Carthagine renovati exiſtimantur; ſed Aug. epiſtolâ illa ad Valent. renovationis non meminit, ac potiùs ita loquitur, ut illic conditos ſignificet.

V. 81. DISCUSSÆ ARTES &c. nempe, ut putat Gallus, *in litteris ad Innocentium & Zoſimum, & in octo Canonibus* jam memoratis. Ac de Canonibus quidem nec non epiſtola ad Zoſimum, etiam ipſe conſentio, ſi hic paragraphus à v. 79 uſque ad 84 intelligendus veniat de rebus Synodicis, de quibus priora & ſequentia: verùm quia is potiùs interjectus videtur parentheſis in modum, in eoque Auctor, ut apparet, digreditur ad alia in eadem Eccleſia (ut ita loquar) extraſynodaliter geſta, putà per Auguſtinum & ſimiles diſputatores; crediderim ad privatam ejuſmodi Afrorum operam hæc referenda eſſe. Locus iſte percommodè intelligi poteſt generaliter de omnibus, quæ in Africa geſta ſunt adversùs Pelagianos, ac de ipſis etiam S. Auguſtini lucubrationibus. Certum inſuper plura ſcripta fuiſſe ab Africanis Epiſcopis ad Zoſimum P. P. ut illi hæretico-

Hæretici ſenſus, nullumque omnino relictum,
Docta fides quod non diſſolveret, argumentum.

Tum Synodali auctoritate prudentiſſimè coercuit.

Condita ſunt, & ſcripta manent, quæ de cataractis
Æterni fontis fluxêre undante meatu,
Et tercentenis Procerum ſunt edita linguis:
Sic moderante ſuam legem bonitate ſeverâ,
Ut qui damnato vellent de errore reverti,
Acciperent pacem, pulſis qui prava tenerent.

CAP. V.

** En*

Captatâ ex Africanis Concilii occaſione in laudes excurritur Auguſtini:

* AN alium in finem poſſet procedere ſanctum
Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumque
Auguſtinus erat? Quem Chriſti Gratia cornu
Uberiore rigans, noſtro lumen dedit ævo
Accenſum vero de lumine: nam cibus illi,
Et vita, & requies, Deus eſt, omniſque voluptas,
Unus amor Chriſti eſt, unus Chriſti eſt honor illi:
Et dum nulla ſibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, & in ſancto regnat Sapientia templo.

Qui præ ceteris victoria de Pelagianis adſcribitur.

Cap. 3. juxta al.

Iſtius ergò, inter cunctos qui de Grege ſancto
Inſanas pepulêre feras, induſtria major,
Majus opus, totum præſtantiùs imbuit orbem.
Nam quócumque gradum convertit callidus hoſtis,
Quáque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occurſu eſt præventus; mille viarum
Inſidiis aditum non repperientibus ullum.
Cùmque foris rabies avidorum excluſa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,

Ne

ticorum artes, quibus deludi ſe paſſus fuerat, aperirent, quæ nondum è tenebris emerſerunt. Saltem de litteris ad Innocentium adduci non poſſum ut credam Auctorem agere; quippe qui Synodorum, à quibus hæ ſcriptæ ſunt, nullam uſquam, ut ſuprà monitum eſt, habuit rationem, ſeu quòd illæ non deditâ operâ pro cauſa Pelagiana coactæ eſſent, ſed ex occaſione tantùm ac obiter de illa cognoverint; ſeu quod potiùs eandem integram detulerint ad primam Sedem, cui proinde adſcribendum veniat quidquid hac in parte peractum fuit.

V. 84. CONDITA SUNT &c. De conditis illîc Canonibus jam expoſuimus.

V. 86. TERCENTENIS. Poëticè, ut infrà v. 187.

Mille ſenum - - -

nam in proſa conſtanter vocat *ducentos quatuordecim* (aliàs 217) *Sacerdotes*. Sed quidni *biſcentenos* potiùs dixit in verſu, æquè nimirùm poëticè; & numero qui à vero propiùs abeſſet? Putem numerum rotundum 300 vel ideò in primis placuiſſe, quòd jam pridem in Patribus primæ Synodi Nicænæ conſecratus eſſet.

V. 89. PACEM. Dubitari poſſit an poſitum phraſi Patrum, Cypriani præſertim, pro Communione Eccleſiaſtica, cui ſuprà v. 45 & ſeq. opponitur,

- - - - - *Corpore Chriſti*
Abjungi, & ſancto - - Grege diſſociari;

an verò phraſi Virgilianâ pro venia, ut Æneid. 3 (cui ſimilia ſunt alia loca complura:)

Sed votis precibuſque jubent expoſcere PACEM.

Verùm pro Communione Eccleſiæ poſitum eſſe, ſuadet quod per antitheſin additur:

- - - *pulſis* (de Eccleſia) *qui prava tenerent.*

V. 90. AN ALIUM. Ita ſcribere non potuit qui infrà v. 484 non inſcius Legis Pediæ, dixit:

ANNE ab Aquis divina manus &c.

Vel ergò ſimiliter lege, *Anne alium* &c; vel certè meo periculo, *En alium*. Auctor tibi erit qui paſſim noſtro Auctori, Virgilius; cujus modò obſerva interrogationes ſequentes: Eclog. 1.

EN unquam patrios longo pòſt tempore fines &c?

deinde in Pharmaceut.

- - - - - *EN erit unquam*
Ille dies &c?

ac ne cum quibuſdam putemus, numquam eam voculam iſtâ notione poni niſi ante *Unquam*; mox ſequitur:

EN erit ut liceat &c?

Ibid. ALIUM IN FINEM. Perperàm accepit Gallus in proſa: *Ce ſaint Concile pourvoit-il agir autrement?* rectè autem in verſu:

Du Concile ſacré la troupe genereuſe
Ne l'eut pû couronner d'une FIN plus heureuſe.

Sic enim perpetuò hic accipitur *Finis*; nempe pro exitu aut ſucceſſu, numquam pro cauſa, ut aiunt, finali.

V. 91 & 92. DUX AURELIUS INGENIUMQUE AUG. Aurelium Carthaginienſem & Auguſtinum Hipponenſem Epiſcopos intelligi, nemo eſt qui hodie dubitet. Videtur olim neſcio quis utroque nomine unum Epiſcopum Hipponenſem intellexiſſe, cui prænomen *Aurelio* & cognomen *Auguſtino*; quique iſtius Concilii ſimul & *Dux* & *Ingenium* fuerit: atque hinc nobis hodieque (ajunt Antiquitatis myſtæ celeberrimi, quos conveni) fictum iſtud, *Aurelius Auguſtinus*. Viderint tamen ipſi, ne cui videantur ſummi iſtius Viri vocabulum injuriâ decurtare; præſertim hoc tempore, quo vile videtur & plebejum, uno ac ſimplici *Joannis*, *Petri*, aut *Auguſtini* nomine appellari.

V. 92. CORNU UBERIORE. Fabuloſi illius Cornu copiæ ſeu Amaltheæ fortaſſis in mentem venerit; præſertim cùm nec ipſum Divinæ litteræ ſpreverint: ſed tamen fruſtrà. Reſpexit potiùs Auctor ad Cornu, quo ſacras olim Regum & Sacerdotum inunctiones fieri ſolitas Scripturæ memorant. Ejus ubertatem præ Lenticulæ iſtius penuria, quâ Saul & ſimiles mali ominis principes inuncti leguntur, expendentem vide Gregorium in 1 Reg. 10.

V. 97. NULLA SIBI TRIBUIT BONA. Dictum putaveram ad Ingratorum invidiam, qui contrà multa bona ſibi ſuoque arbitrio tribuebant. Sed penitiùs contextum inſpicienti, monente etiam Gallo, occurrit hunc potiùs ſenſum eſſe: Dum nullum quærit bonum ſuum (*non quærit quæ ſua ſunt*, ait Scriptura) non ſuum *cibum*, non *vitam*, *requiem*, *voluptatem*, *honorem*, uti verſibus ſuperioribus bona illa enumerantur; *fit Deus illi omnia* iſta, *cibus*, *vita* &c; atque ita in ipſo tanquam *templo* ſibi unicè dedicato, *regnat Sapientia* increata illa, quæ *in malevolam animam non introibit, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*: Sap. 1.

V. 98. REGNAT. Ex quo aliiſque toto paragrapho verbis præſ. temp. colligo hæc ſcripta eſſe S. Doctore ſuperſtite.

V. 112.

Ne mentes ullarum ovium corrumpere poſſet,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
Iſtius ore Viri fecit Deus: Iſtius ore
Flumina librorum mundum effluxêre per omnem,
Quæ mites humileſque bibunt, campiſque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

Cap. 4.

CAP. VI.

Semi-Pelagianorum exortus tropicè deſcribitur:

JAmque proceſſoſæ disjecto turbine noctis,
Heu! nova bella, novi partus oriuntur in ipſo
Securæ Matris gremio: quæ creſcere natis
Viſa ſibi, diſcors horret conſurgere germen;
Degeneres pavitans inimico ex ſemine fœtus,
In quibus antè diu, ſpecie fallente, benignus
Erratat genitricis amor, cùm obducta decoris
Moribus, externæ ſtirpis tegeretùr origo.
Sic veris ſubeunt falſa; & diſcrimine cæco
Fronte placent, quæ fine latent. ſic laudis amore
Virtutis ſtudium corrumpitur, atque ab honeſto
Principio in vitium exitur plerùmque tumoris.
Quo quidam inflantur nunc turpiter, atque peremti
Dogmatis extinctas tentant animare favillas;
Dum libertatem arbitrii, affectumque volendi,
In naturalis motûs virtute locantes,
Tam bona quemque docent ſectari poſſe ſuôpte
Ingenio, quàm poſſe ſubeſt cuique, in mala ferri.

Cauſaque & ſumma errorum ipſorum notatur.

Cap. 5.

CAP. VII.

Quàm illis difficile ſe à Pelagianis diſcernere;

QUod qui confirmas, quinam diſtabis ab illis,
Qui dicunt, nullo peccati vulnere læſum
Naturale bonum, cumque illo lumine naſci
Nunc omnes homines, quod primis ingeneratum eſt?
An verò excerpis quædam, quæ parte receiſâ
Suſcipias, cordiſque ſinu purgata recondas?
Dic igitur quidnam inde probes, quid verò refutes;
Et de damnatis quid ſit quod crimine ſolvas.
An dextram pacis palàm dare te pudet hoſti?
Nec tutum eſt, ullâ pulſos ex parte tueri

At e contrà parùm tutum ſe cum iis pa-

Sim-

V. 112. MITES HUMILESQUE BIBUNT. Obliquè taxat adverſarios ſuos, ut e contrario feroces ac ſuperbos, quibus eadem flumina Auguſtiniana non ſapiant.

V. 116. MATRIS, Eccleſiæ: quæ inducitur ut mulier, cui ſtirpis alienæ, nempe Pelagianæ, fœtus ita ſint ſuppoſiti, ut eos diu ob morum ſpeciem pro ſuis habuerit.

V. 120. DECORIS MORIBUS. Deſcribit Auctor Semi-Pelagianos init. lib. cont. Collat. ut *habentes ſpeciem virtutis in ſtudio*: eódemque alludit infrà v. 774. & ſeqq.

V. 126. PEREMTI DOGMATIS &c. Sic cont. Collat. c. 11. *Quid cineres extincti dogmatis* (Pelagiani) *refovendo, deficientis fumi nidorem in redivivam flammam conaris accendere?*

V. 129. NATURALIS MOTUS VIRTUTE. Infrà v. 925. diſertiùs *naturalem mobilitatem* vocat:

Ut naturali mens vivida mobilitate.

Vide igitur, num & hîc legendum ſit *Naturali.* meo certè ſuffragio.

V. 130. TAM BONA QUEMQUE &c. Similiter Epiſt. ad Aug. circa med. *Quantum quiſque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum; parique momento animum ſe vel ad vitia vel ad virtutes convertere.*

V. 131. INGENIO. Non facilè dixeris quâ notione Proſper plerúmque hîc utatur hoc vocabulo: raró quidem vulgari illâ pro vi intelligendi: ſed nec eâ quâ idem paſſim exſtat apud bonos auctores, nimirùm pro rei cujuſque indole. Suſpicatus ſum pro facultate volendi poſitum, neque malè ita acceperis ſaltem hoc loco: ſed ſunt alia loca quibus ne hoc quidem quadret. Putem igitur ſæpe tam latè ſumi, ut totam mentem, quà intelligit & quà appetit, ſuâ ſignificatione complectatur. Atqui hæc ſemel monuiſſe ſufficiat.

V. 133. NULLO PECCATI &c. Id dicunt Pelagiani ſuprà v. 10 & ſeqq.

- - *neque diſſimiles nunc naſcier* &c.

V. 136. PARTE RECISA SUSCIPIAS. Hinc *Semi-Pelagianorum* nomen; à dimidiato nimirum Pelagianiſmo. Sic ante ipſos quidam Semi-Ariani dicti ſunt, quod Arii inſaniam non niſi pro parte ſuſciperent. Rati, ſcilicet, tam hi quàm illi, quàm prudentiſſimè feciſſe, ſi inter partes altercantes mediam quandam iniiſſent viam: forſitan adducti decantatis iſtis, *In medio virtus:*

- - - - *Medio tutiſſimus ibis:*
Inter utrumque vola:
- - - *Medium tenuêre beati*, &c.

quaſi media veritatem inter & errorem via non ſit ipſa quoque erronea.

V. 140. PACIS PALAM. Si ita ſcripſit S. noſter, boni conſule diaſtolen in *palam*, eo præſertim ævo quo primarum ſyllabarum quantitas jam Romanas, nedum Gallicas, aures fugere cœperat. Alioqui lege, *pacemque palàm.*

V. 141. ULLA PULSOS EX PARTE. Complano tibi rurſùm hanc ſalebram, Lector. Refer iſtud, *ulla ex parte*, non ad *pulſos*, ſed ad *tueri*; ſicque ſententiam accipe: Nec tutum eſt pulſos iſtos vel in ullo ſaltem dogmatis ſui capite ſimpliciter tueri?

ſam conjungere: quorum alterum tamen neceſſe.

Simpliciter? Quos non dubitas excludere templo,
Pelle animo; nova te diſcordia dividit abs te:
Corde foves quod in ore premis. Conjungere amicis
Mentibus, & tecum cupidis componere fœdus
Lege tuâ, jam parce minis, & congrue pactis.

Cap. VIII. Cap. 6.

Inducuntur Pelagiani parati in omnibus conſentire Maſſilienſibus,

ECce, pereratis terrarum finibus, adſunt;
Implentesque tuas lacrymoſis queſtibus aures,
Incipiunt: Pulſi mundo, nullâque recepti
Sede vagi, tandem famâ exhortante redimus,
Quæque placent vobis, amplectimur: edita nobis
Doctrinæ veſtræ eſt pietas; nihil inficiando
Diſcutimus; liceat vobiſcum jungere ſenſum.

Atque ita recedere à priſtinis erroribus.

Immortalem hominem factum ſi creditis; & nos
Credimus: inciderit mortem peccando, ſuamque
Progeniem culpâ & letho devinxerit omnem:
Nullus non egeat ſacro Baptiſmate Chriſti,
Infanteſque etiam purgentur Fonte lavacri.

Salvo duntaxat uno ſibi cum illis communi:

Dùm noſtri decus arbitrii, lumenque creatum
Principiô, quod ſponte poteſt inſiſtere rectis,
Manſerit illæſum; nec viribus abſit ab illis,
Quas, condente Deo, generaliter omnis in Adam
Suſcepit natura hominis: nec ſuppetat ulli
De non accepta arbitrii virtute querela;
Cùm ſine delectu ſeu Lex, ſeu Gratia Chriſti,
Omnem hominem ſalvare velit; donumque vocantis
Sic ſit propoſitum, ut nullus non poſſit ad illud
Libertate ſuâ, proprioque vigore, venire;
Sitque ſalus, dignis ſalvari, ex fonte volendi.

Ad quorum promiſſo ſocietatem & communionem admitti poſtulant.

Hæc ſi veſtra fides, veſtra eſt doctrina, remotis
Quæ veſtro exemplo rejecimus, addite ſanctis
Nos Gregibus, tandemque boni defendite veſtros.

Cap. IX. Cap. 7.

Semi-Pelagianis ad iſta hærentibus & perplexis,

TAlia ſubmiſſus ſi defleat hoſtis apud te;
Quid referes? quo te affectu comperta movebunt?
Conſultas, trepidas, nutas, cunctaris & hæres,
Quóve anceps ſe præcipite ſententia, volvis:
Injuſtum eſt animis cognatis non dare pacem,
Et quos una fides, eadem ſapientia nectit,
His communem aditum Sanctorum ad ſancta negare;
Jungere ſed fœdus cum talibus, & violare
Sanctorum decreta Patrum, Regumque piorum
Scriptas lege Dei leges contemnere, multùm
Hoſtile eſt, nimiúmque audax & pernicioſum.

Ergo

V. 142. Excludere templo; uti tunc ſolebant non ſuæ Communionis homines, præſertim ſi ob hæreſim ab ea præciſi eſſent.

V. 144. Conjungere &c. Imperativus, ſed ironicus. *Componere*, tamen v. ſeq. eſt Infinit. regiturque à *cupidis*.

V. 146. Lege tua: hoc eſt, iis conditionibus quas ipſe præſcripſeris; ut ipſimet Pelagiani cap. ſeq. exponunt. Vulgati conjungebant has voculas cum ſequentibus, *jam parce* &c, ſed ſine ſenſu.

V. 158. Purgentur fonte lavacri: non idem valet ac ſimpliciter, *baptizentur*; quod Pelagiani nunquam rejecerant: ſed ſit vis in *purgari*, ſeu à peccatis mundari.

V. 159. Dum nostri &c. Egregius artifex noſter totus in eo eſt, ut fruſtrà videatur condemnatus Pelagius, ſi vel unum hoc ejus dogma, quod etiam Maſſilienſium erat, integrum maneret.

V. 172. Boni: non *bonis*, aut *bonos*, ut alii. Eſt enim locutio bonis auctoribus familiaris: ut Horatio lib. Serm. ſat. 4.

- - - - *des veniam BONUS, oro.*

V. 177. Pacem, pro Communione, ut ſuprà.

V. 179. Sanctorum ad sancta. i. ad templa, Sacramenta &c. alluſio ad *Sancta ſanctorum* Templi veteris.

V. 181. Decreta Patrum. i. Pontificum & Synodorum contra Pelagianos.

Ibid. Regumque piorum; Imperatorum, Honorii, Theodoſii, Conſtantii &c, qui contra eoſdem edicta publicarunt. Hinc de Bonifacio PP. Auctor cont. Collat. c. 14. *Piiſſimorum Imperatorum catholicâ devotione gaudebat, & contra inimicos Gratiæ Dei non ſolùm Apoſtolicis, ſed etiam Regiis utebatur Edictis.*

V. 186.

Cap. 8.

Cap. X.

Pelagiani mittuntur ad Pontificem & Synodos à quibus erant damnati: Sed & ibi deſperato ſucceſſu.

Ergo Petri ſolium Romam, & Carthaginis altæ
Concilium repetant humiles; eademque perorent,
Quæ fruſtrà hic trepido ſunt deplorata favori.
Sed cùm mille Senum prudentia pervigil (olim
Perfectum notúmque tenens, quod tota nefandæ
Hæreſeos ſumma exiguâ ſub parte tegatur,
De qua plena mali labes renovetur, & omne
Commenti corpus per ſingula membra reſurgat)
Antiquas adhibentem artes rejecerit hoſtem,
Limitibuſque ſuis ſteterit cenſura ſalubris;
Numquid non juſtus poterit dolor abdita cordis
Rumpere, & in tales miſeros excire querelas?
Ut dicant: Quænam iſta, Patres, in cordibus almis
Juſtitia eſt? quo fine graves, quo fine ſeveri,
Claudere terrarum nobis perſiſtitis Orbem?
Nóſne ſumus toto mundo, quorum undique vobis
Sit ſuſpecta fides? quos non tolerare queatis,
Si noſtra à veſtro vel ſyllaba diſſonet ore?
Non verbis jam nos argumentiſve tuemur;
Judicium exemplo petimus: quod pace manente
Libera multorum vox adſtruit, hoc ſine bello
Cedatur nobis. Non noſtra inventa fovemus,
Nec primis ſtudiis inſiſtimus: ecce reciſum eſt,
Unde olim certamen erat; veſtriſque reverſi
Cedimus, & quæcumque illis placuêre, probamus:
Quid ſupereſt culpæ? quò nos decet uſque repelli?

Invidioſa illorum querela deſcribitur, quod Eccleſiâ & Orbe ipſo pellantur, ob ea quæ interim impunè tradantur à Semi-Pelagianis.

Si

V. 186. Trepioo favori, nempe, Maſſilienſium erga Pelagianos; quibus favebant, ſed trepidè ob leges.

V. 187. Mille Senum. Poſitum pro numero magno Epiſcoporum, à quibus Pelagiani in hac ſua propoſitione repulſam paſſuri erant, uti antea tulerant damnationis ſententiam.

V. 188. Notumque tenens &c. *Quia notum eſt ita ſe falſitatis iſtius habere verſutias ut ſi es liceat prætentæ correctionis imagine aliquod* [*ſibi faventium*] *radicis ſuæ germen excipere; totam ſe poſſit in exigua ſui parte reparare:* lib. cont. Collat. c. ult. Ubi obiter noto vulgatum iſtius loci mendum, redundantibus his vocibus, aut certè aliis quibuſdam deſideratis. Utramque vocem, *ſibi faventium* conſtanter retinent codices omnes tam MSS, quam typis excuſi, ad quos editum fuit hoc opuſculum. Sed prima hujus loci verba ſic repræſentant Benedictini ex codice Corbeienſi ante annos ferè 900. ſcripto, & Moguntienſi editione omnium prima A. 1524. *Ita falſitatis iſtius haberi verſutias, ut ſi es liceat prætentâ correctionis imagine* &c. Ad rem ipſam quod attinet, notat idem bujus hæreſis ingenium Leo PP. epiſt. 86 ad Nicet. Aquileien. breviterque etiam alibi notatum à Sancto noſtro, Gratiam Dei ſi non tota juxta fidem Catholicam reciperetur, totam rejici, nullo proinde relicto dimidiandi loco.

V. 192. Antiquas artes, quibus Pelagius & Cœleſtius quaſi certatim, ille Epiſcopis Orientis, hic etiam Romanis, obtepere tentaverant.

Ibid. Rejecerit, & v. ſeq. Steterit, fut. temp. verba: neque enim Antiſtites jam propoſitionem rejecerant, ſed prædicuntur rejecturi. Verùm ſatis id monet ſententia ipſa, ſaltem ex quo verſus illos præcedentes, cum ipſo adv. *olim*, quod hucuſque turbaverat, parentheſi demùm incluſimus. Gallus quia hæc non advertit, prolapſos eſt, neque pulcherrimum locum pro dignitate expreſſit.

V. 193. Limitibusqux suis steterit censura. i. fixa manſerit Romana & Africana ſententia.

V. 197. Quo fine, pro *quouſque*? non autem pro eo quod dici ſolet *quâ intentione?*

V. 199. Toto Munoo: q. d. ſoli ex cunctis hominibus, uti rectè Gallus reddidit.

V. 201. Si nostra a vestro &c. Extenuare conantur ſuum ab Orthodoxis diſſidium (ex Hæreticorum omnium ingenio) quaſi in verbis ſolùm & vocibus ſitum. Porrò hunc verſum Vulgati cum proximis hunc in modum conjungunt:

- - - - - - quos non tolerare queatis?
Si noſtra à veſtro vel ſyllaba diſſonet ore;
Non verbis jam nos &c.

Nos Gallum ſecuti ſumus.

V. 203. Juoicium exemplo petimus: contrà quàm dici ſolet, *non exemplis, ſed legibus judicari.* Petunt itaque de ſe ſtatui, Semi-Pelagianorum exemplo; ut ſi illi abſolvantur, ipſi quoque habeantur abſoluti. Editiones pleræque habebant, *extemplo*; ſed incongruè.

Ibid. Pacx manente. i. Salvâ Communione Eccleſiaſticâ, ut ſuprà non ſemel. Conformiter intellige v. ſeq. *ſine bello.*

V. 204. Multorum. Magno enim numero jam inde ab initio fuiſſe Semi-Pelagianos, Auctor quoque reſlatur Ep. ad Aug. adeò ut ſub finem ejuſdem *paucos* dicat (eorum comparatione) *perfectæ Gratiæ intrepidos defenſores*; maximè cùm Factio ingenti potentiâ & gratiâ niteretur, ut idem oſtendit.

V. 205. Inventa ſua, & v. ſeq. Prima Stuoia, vocant prima dogmata, ſuprà cap. 1 expreſſa; quaſi dicant: Non eadem jam eſt noſtra doctrina, quæ primùm cùm nos damnaſtis: ecce inde recidimus ea de quibus quæſtio; iſta, nimirùm, ſuprà memorata cap. 8 toto parag. 2.

V. 208. Quæcumque illis: nempe, Semi-Pelagianis, quos adhuc pro *veſtris* ſeu veſtræ Communionis habetis. Jam enim cap. 8 paratos ſe gerunt toti horum doctrinæ ſubſcribere:

Quæque placent vobis, ajunt, *amplectimur.*

V. 290. Quio superest &c. Vulgati ferebant:

Quid ſupereſt culpæ, quo nos decet &c?

ſic ut *quo* eſſet ſexti caſus relativum, afficeretque, *quid culpæ.* Nos autem ita reſtituimus, uti putamus ab Auctore ſcriptum, ex Æneid. 5.

Qui finis ſtandi? quò me decet uſque teneri?

Ubi perſpicua eſt Tmeſis in *quouſque.*

V. 210.

Si verò hæc etiam quæ nos pia ducimus, abſunt
A veris, & veſtra illis bene cura repugnat;
Cur extra invidiam pœnamque erroris habentur,
Qui damnata docent, & per clara oppida tuti
His magnos implent populos, quæ nos perhibentes,
Plectimur, & nullâ ſinimur conſiſtere terrâ?

Cap. XI.

Expendendum proponitur, quid auditâ hâc querelâ decreverint Synodi de Maſſilienſibus:

Quod tamen ſi illos non moveat;

Ad ea tranſitur, quæ jam inde à Synodis in anteceſſum decreta.

* vocamur.

HÆc in Pontificum ſancto deprompta Senatu,
Quam curam exigerent, & quæ decreta moverent,
Perſpicis? An quoniam culpâ ſecurus opertâ,
Non premeris Synodo, nec te pœnæ metus urget;
Spernis propoſiti ſpeciem terroris, & iſthæc,
Plena velut vanis ſimulacris ſomnia, rides?
Ergò gerendorum eventu & fine remoto,
Hæc tantùm in medium, quæ jam ſunt geſta, vocemus,
Ut facilè ex illis, quale hoc ſit, diſcutiatur,
Quod diſceptantes, dudùm in diverſa * movemur.

Cap. XII. Cap. 9.

Ubi in primis damnatus Pelagianorum error, Naſci hodieque homines ſine vitio, eóque poſſe, ſi velint, vivere abſque ullo peccato:

INter multa, ſuis quæ tradidit Hæreſiarches,
(Quod cognoſcis) ait, naturam quæ bona facta eſt,
Nullis cum vitiis in quoquam omnino creari,
Nec cuiquam primi culpam nocuiſſe Parentis.
Et quoniam tales naſcantur nunc quoque, qualis
Ille fuit noſtri generis Pater ante reatum;
Poſſe hominem ſine peccato decurrere vitam,
Si velit, ut potuit nullo delinquere primus
Libertate ſuâ. nempe hæc damnata fateris
Conciliis, mundique manu. Connectit & illud

Deinde Legem non ſecùs adducere ad ſalutem, ac Gratiam:

Idem Auctor: quod Lex ita Sanctos miſerit olim
Cœlorum in regnum, ſicut nunc Gratia mittit.
Hoc quoque Judicio ſancto ſcis eſſe peremptum.

Denique Gratiam ex meritis dari.

Objectum eſt aliud: ipſum dixiſſe Magiſtrum,
Quod meritis hominum tribuatur Gratia Chriſti,
Quantùm quiſque Dei donis ſe fecerit aptum.
Sed nimis adverſum hoc fidei, nimiúmque repugnans
Eſſe videns, dixit ſe non ita credere, & illos
Damnari dignos, quorum mens iſta teneret.

In quorum errorum damnationem ipſe Pelagius in Synodo Dioſp. conſenſit, tametſi poſt relapſus.

Quo cernis, eum Judicibus damnantibus iſta,
Conſenſiſſe Reum, nec quemquam hæc poſſe tueri:
Quæ tamen ipſe ſuis rursùm excoluiſſe libellis
Detegitur, reprobum in ſenſum fallendo reverſus.

Nunc

V. 210. Quæ nos, nimirùm unà cum *veſtris* illis, ſeu Semi-Pelagianis, agitur namque de dogmatis utrique ſectæ communibus.

V. 313. Per clara oppida, & v. ſeq. Magnos populos: videlicet *Maſſiliæ, vel aliis etiam locis in Gallia*, ut ait Hilarius ep. ſuprà cit. ad Aug. Hinc enim tota factio *Maſſilienſium* nomen accepit; & Auctor quoddam opuſculum contra Capitula *Gallorum* ſcripſit. Reſpondit quidem hic etiam ad excerpta *Genuenſium*; ſed hi Semi-Pelagiani non erant, ut Excerpta ipſa indicant: quapropter Italiam ab hac labe immunem fuiſſe crediderim.

V. 225. Movemur. Gallus, *vocamur*: nec fortaſſis incongruè, niſi tertius retrò verſus eodem iterum verbo clauderetur.

V. 227. Quod cognoscis. Turbabant & hæ voces; ideóque parentheſi incluſimus.

V. 235. Mundique manu. De ſeculari Imperatorum poteſtate interpretatur Gallus: nonnemo alius intelligit de generali ſubſcriptione, quâ cujuſvis ordinis homines promiſcuè Pelagianos damnare cogerentur. Simplicius erat accipere de conſenſu, quo Conciliorum Africæ *conſtitut*o*nem contra inimicos Gratiæ Dei totus mundus amplexus eſt*, ut ſuprà dicentem audivimus Auctorem ipſum ad v. 78. Si tamen de ſubſcriptione intelligendus ſit locus, tum audire malim Pelagianos, qui apud Aug. lib. 4 ad Bonif. c. 8. *Epiſcopis ſine congregatione Synodi in locis ſuis ſedentibus ſubſcriptionem queruntur extortam*, de ceteris verò ordinibus altùm tacent.

V. 239. Ipsum dixisse magistrum. In Synodo quidem tam ſequens quàm præcedens articulus, tanquam à Cœleſtio aſſertus objicitur: ſed quod diſcipulus aſſeruerat, meritò Pelagio ut *Magiſtro* attributum eſt. Ceterum ad hunc poſteriorem *reſpondit Pelagius: hæc utrùm Cœleſtii ſint, ipſi viderint qui dicunt ea Cœleſtii eſſe; ego verò nunquam ſic tenui, ſed anathematizo qui ſic tenent:* Aug. lib. de geſt. Pelag. c. 14: quo libro reliqua etiam quæ hic de Synodo iſta dicuntur, videri poſſunt.

V. 247. Excoluisse libellis. Hoc illi Auguſtinus multis locis improperat; ac in primis lib. de Gratia Chri. item de peccato orig. Porrò, *excoluiſſe libellis*, dictum eſt ut ſuprà in præfat. *Verſibus excolui.*

V. 251.

Cap.10. **CAP. XIII.**

Ut eluceat quàm propè à damnatis iſtis erroribus abſint Maſſilienſes. Ipſorum doctrina luculenter proponitur.

NUnc igitur quoniam quid noſtris diſplicuiſſet,
Oſtenſum eſt; quàm ſana fides ſit veſtra, pateſcat.
Gratia quâ Chriſti populus ſumus, hoc cohibetur
Limite vobiſcum, & formam hanc adſcribitis illi:
Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque; nec ullum
Præteriens, ſtudeat communem adferre ſalutem
Omnibus, & totum peccato abſolvere mundum:
Sed proprio quemque arbitrio parêre vocanti,
Judicioque ſuo motâ ſe extendere mente
Ad lucem oblatam; quæ ſe non ſubtrahat ulli,
Sed cupidos recti juvet, illuſtretque volentes.
Hinc adjutoris Domini bonitate magiſtrâ
Creſcere virtutum ſtudia, ut quod quiſque petendum
Mandatis didicit, jugi ſectetur amore.
Eſſe autem edoctis iſtam communiter æquam
Libertatem animis, ut curſum explere beatum
Perſiſtendo queant, finem effectumque petitum,
Dante Deo, ingeniis qui nunquam deſit honeſtis:
Sed quia non idem eſt cunctis vigor, & variarum
Illecebris rerum trahitur diſperſa voluntas;
Sponte aliquos vitiis ſuccumbere, qui potuiſſent
A lapſu revocare pedem, ſtabileſque manere.

Cap.11. **CAP. XIV.**

Vocatio Gratiæ Christi ab ipſis adſtructa refellitur, eò quod non mox omnibus ſimul gentibus annuntiatum ſit Evangelium.

JAm quia ſummatim; ut potuit, ſententia veſtra
Decurſa eſt, dic unde probes, quod Gratia Chriſti
Nullum omninò hominem de cunctis qui generantur,
Prætereat, cui non regnum vitámque beatam
Impertire velit. Nec enim vel tempore noſtro
Omnibus in terris jam certum eſt inſinuatum
Chriſti Evangelium, ne dicam, exordia doni
Non potuiſſe ſimul toto decurrere mundo.
Marc. 16. Illa quidem ad cunctos ferri ſunt juſſa; ſed uno
Tempore non agitur, quod tempore dicitur uno:
Dúmque ſuis aditus Domino pandente miniſtris,
Creſcunt primitiæ; fuerint omninò neceſſe eſt
Quædam terrarum partes, ubi Gratia nondum
Corda hominum tenebris * abſolverat impietatis;
Et dirâ innumeri demerſi nocte peribant,
Cùm multæ accepto fulgerent lumine mentes.

* Abſorpſerat.

Cap.12. **CAP. XV.**

Quod non ideò factum eſſe oſtenditur, quia non omnes ſimul apta eſ-

AN bonitas Divina quidem non deſtitit omnes
Velle vocare homines; ſed non ſimul apta fuerunt
Corda, quibus poſſent conferri dona ſalutis,
Dum

V. 251. Gratia. Sapientiæ in Scripturis, maximè Proverb. Sap. Eccl. &c. perſona attribuitur; quæque de illa dicuntur, promiſcuè de Increata & creata pro locorum diverſitate accipiuntur ab interpretibus. idem hîc tantùm de Gratia monitum velim; cetera relinquens vario Lectorum palato.

V. 257. Judicioque suo. Puto *judicium voluntatis* intelligi, ut vocat Julianus apud Aug. lib. 4. con. Julian. cap. 4. ſeu liberam electionem.

V. 260. Bonitate magistra. i. docente; unde mox:

Mandatis didicit - - - - &,
Eſſe autem edoctis &c.

Ad dictionem quod attinet, præiverat ille Æneid. 12.
- - - - *non arte magiſtrâ.*

V. 275. Nec enim &c. Videſis idem argumentum Reſpon. ad capit. Gall. c. 4.

V. 277. Doni, Evangelii: ſicut infrà v. 289, *Dona ſalutis.*

V. 284. Absolverat. Fateor in Editis antiquioribus eſſe, *abſorpſerat*: ſed repugnat ſententia; & credendum eſt hîc ſcriptum fuiſſe, *tenebris abſolverat*, ſicut infrà v. 881, *pœnaque abſolvere.*

Ibid. Impietatis: pro infidelitate, ut non ſolùm libri ſacri, ſed etiam profana judicia olim loquebantur. hinc Chriſtiani *Impietates* ſeu ἀθεότητες damnati.

V. 288. Sed non simul &c. Sic ep. ad Rufin. c. 15: *An dicendum eſt*, inquiet, *voluntati Dei humanas obſiſtere* volun-

ſent ut Evangelium reciperent; quaſi per ipſos ſteterit ut ſuis meritis illud acceperent:
* Se monſtrare.

Dum morum obſiſtit feritas truculenta Magiſtris,
Difficiléſque aditu tranſcurrit Gratia gentes:
Ut quoniam lucem offerri voluiſſet, & ipſis
* Demonſtrare Deus; ſua quemque adverſa voluntas
Arguat, & culpâ obſtringat: quia lumine primo
Per vitia oppreſſo, ſit facta indigna ſecundo?

Quippe cùm hoc omnes redoleat Pelagianorum principia.

Quod ſi firmatur; nequicquam plectimus illos,
Qui nullum innatum vitium naſcentibus ajunt,
Incolumique omnes cum libertate creari,
Gratia quos Chriſti meritorum examine juſto
Eligat, & dignos vitâ vocet accipiátque.

A quibus reipsâ Maſſilienſes non ſatis recedere demonſtrantur.

Námque utrumque ſimul ſapitis, qui dicitis: Omnes
Omnibus oblatum potuiſſe apprendere munus,
Naturæ quoniam non ſit detracta facultas;
Nec ſine juſtitia pereant, qui mentis honorem
Sordibus obruerint vitiorum, ut lumen ab alto
Emiſſum, indignâ nollet requieſcere ſede:
Sic quod naſcendo eſt unum, diſtare volendo;
Ut meritum ad paucos, natura ſpectet ad omnes.

CAP. XVI. Cap. 23.

Dei quoque voluntas convertendi & ſalvandi omnes, talis qualem illi volebant, oppugnatur, eo quod non omnes reipſa ſalventur aut ad fidem veniant.

SEd tamen hæc aliquâ ſi vis ratione tueri,
Et credi tam ſtulta cupis; jam pande quid hoc ſit,
Quod bonus omnipotenſque Deus non omnia ſubdit
Corda ſibi, pariterque omnes jubet eſſe fideles.
Nam ſi nemo uſquam eſt, qnem non velit eſſe redemtum; Pſalm. 113.
Haud dubiè impletur quidquid vult ſumma poteſtas:
Non omnes autem ſalvantur, magnaque pars eſt,
Quæ jacet in tenebris mortis, nec vivificatur.

Neque enim ita libertate hominis id evenire, quaſi ab illo pendeat voluntatem Dei ratam aut irritam reddere.

An varii motus animorum talia gignunt,
Libertaſque facit cauſam non omnibus unam?
Ergò hominis valida arbitrio Divina voluntas,
Aut etiam invalida eſt; operis cui finis in illo eſt;
Quem fruſtrà juviſſe velit, niſi præferat ille
Affectum, cujus comitetur Gratia curſum.

At

voluntates, & tam feros tamque intractabiles horum hominum mores, ut Evangelium ideò non audiant (hoc eſt, ipſis non prædicetur) *quia prædicationi impia corda non pateant?* Quod effugium ibidem egregiè quoque præcluditur.

V. 290. MAGISTRIS. i. Prædicatoribus.

V. 291. TRANSCURRIT: non pro *percurrit*, ut infrà v. 581: ſed pro *prætercurrit*, ſeu *præterit*. agitur enim de gentibus, quas, ut dicitur infrà v. 650,

Gratia neglexit degentes mortis in umbra.

V. 293. DEMONSTRARE &c. Phraſis dura, nec ſapiens Proſperi facilitatem. Putem omnino legendum, *Se monſtrare*; ut periodi ſenſus ſit, Deum omnibus lucem oblatam voluiſſe, ac reipſa obtuliſſe, quâ unum ſaltem Deum verum agnoſcerent; atque ita illis ſufficienter ſe ipſum monſtraſſe: at etiam oblaturum fuiſſe lucem Evangelii, quâ cetera ad ejus cultum pertinentia noſcerent, niſi primâ iſtâ luce per vitia oppreſſâ, ſe alterâ illâ indignos reddidiſſent. Eſtque planè conformis locus Auctoris ep. ad Aug. poſt med. *Quandoquidem*, ajunt, *inexcuſabiles ſint, qui & ad unius veri Dei cultum potuerint inſtrui intelligentiâ naturali; & Evangelium ideò non audierint, quia nec fuerint recepturi.*

V. 294. LUMINE PRIMO: nempe *intelligentiâ naturali* iſtâ de qua loco citato: v. ſeq. verò, SECUNDO. i. *Evangelio*, ut ibidem.

V. 297. INNATUM, potiùs quam *illatum*, ut alii: tum quòd infrà v. 826 ſimiliter legatur,

Nunc talem INNASCI &c;

tum quod illa hîc, *innatum naſcentibus*, ſibi concinnitate quâdam congruant.

V. 301. UTRUMQUE SIMUL SAPITIS, cum Pelagianis, videlicet, & quod homines cum incolumi & primigenia iſta libertate naſcantur, & quod Gratia vocet eos quos meritorum examine juſto invenit vocatione dignos. Primum, nempe, ſapiunt aſſeruntque duobus verſibus proximis; alterum verò ceteris ſequentibus. quod ut clariùs videatur, juvabit eoſdem, verſus per ſe ſatis obſcuros, brevi Paraphraſi elucidare. Itaque

Ibid. OMNES OMNIBUS OBLATUM &c. i. Omnes nationes & homines ſui arbitrii merito potuiſſe efficere, ut ſibi Evangelium annuntiaretur; nimirum, non admittendo obſtantem cordis duritiem, morumque feritatem (quandoquidem integram ad id libertatem non amiſiſſent.) Adeo ut qui auditione Evangelii fruſtrati ſunt, eam præciſè ob cauſam illâ ſint fruſtrati, quia dignum Evangelio locum in ſe ſuis propriis meritis non præpararunt. Atque ita fieri, ut qui nativâ arbitrii libertate ſunt æquales, diſpari ejuſdem uſu inæquales efficiantur; ſitque meritum paucorum, licèt naturalis merendi facultas ſit omnium.

V. 302. APPRENDERE, pro *aſſequi* (ut etiam infrà v. 845) eſt inclinantis Latinitatis vocabulum, tandem etiam vernaculè uſurpari cœptum pro *addiſcere*. Obiter autem notari poteſt, quomodo hunc Infinitivum Auctor phraſi ſibi familiari continuò mutet in Subjunctivum, cum poſt verſum interpoſitum pergit:

Nec ſine juſtitia pereant &c,

pro *perire*.

V. 320. OPERIS FINIS. i. Succeſſus.

Ibid. IN ILLO EST; nempe *arbitrio*, ut primâ fronte apparet. Sed quæ ſequuntur v. ſeq. *Quem*, & *Ille*, indicant omnia ſimul eſſe relativa *Hominis* v. præced.

V. 321 & ſeq. PRÆFERAT AFFECTUM CUJUS &c; eo ſenſu quo quis facem aut ſignum *præferre* dicitur. quod notatum oportuit ob vocis & phraſis ambiguitatem.

V. 338.

Cap. 14.

CAP. XVII.

Gratiam non dari niſi affectus bonus præceſſerit, refutatur exemplo infidelium ferociſſimorum, qui ſæpe nullo tali affectu prævio per Dei Gratiam convertuntur:

AT ſi, dimotâ certandi nube, ſereniſ
Quæ ſunt vera oculis mecum intueare modeſtè;
Et vetera exemplis manifeſtis plena videbis
Secula, & in noſtro cognoſces tempore multa,
Quæ doceant, virtute Dei converſa malorum
Corda, quibus recti nihil unquam inſederat, & quæ
Nullum juſtitiæ ſignum ſenſûmve gerebant.
Namque ut nunc ſævas gentes, & barbara regna,
Ignoti priùs, aut ſpreti, nova Gratia Chriſti
Attrahit, & Terra templum ſibi condit in omni;
Sic priùs immites populos, urbeſque rebelles,
Vincente obſtantes animos pietate, ſubegit.
Non hoc conſilio tantùm, hortatuque benigno,
Suadens atque docens, quaſi normam Legis haberet
Gratia; ſed mutans intùs mentem atque reformans;
Váſque novum ex fracto fingens, virtute creandi.
Non iſtud monitus Legis, non verba Prophetæ,
Non * proſtrata ſibi præſtat natura: ſed unus,
Quod fecit, reficit. Percurrat Apoſtolus Orbem,
1 Tim. 4. 1 Cor. 3. Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, inſtet,
Quáque viam Verbo reſeratam invenerit, intret;
Ut tamen his ſtudiis auditor promoveatur,
Non doctor, nèque diſcipulus, ſed Gratia ſola,
Efficit, inque graves adolet plantaria fructus.
Hæc ſemen fidei radicem adfingere menti,
Eque ſinu cordis validum jubet edere germen:
Hæc maturandam ſegetem ſervátque fovétque,
Ne lolium, & tribuli, & vanæ dominentur avenæ;
Ne ventus frangat, torrens trahat, æſtus adurat;
Neu cùm ſe nimiùm læta, & præfortis, in altum
Extulerit, turpi procumbat ſtrata ruinâ.

Tum operatio, virtus, ac neceſſitas Gratiæ eleganter deſcribitur;

* Præſtata.

Adhibitâ etiam è re ruſtica inſigni metaphorâ.

Cap. 15.

CAP. XVIII.

Ipſi quoque Maſſilienſes videri volunt eadem tenere de Gratia:

ET nos iſta, inquis, ſentimus de bonitate
Ac virtute Dei: quæ ni foveátque regátque
Quos vocat, & tutos peccato præſtet ab omni;
Non ſua ſervabit quemquam prudentia, nec ſe
Perficiet ſolis naturæ viribus ullus.

Sed

V. 338. VIRTUTE CREANDI. i. eâdem virtute & potentiâ nunc reformans, quâ olim in creatione formavit: hinc enim mox illud;

Quod fecit, reficit.

V. 340. PROSTRATA. Nonnulli legunt, *præſtata ſibi.* i. ſibi dimiſſa, inquiunt: nec etiam careret elegantiâ à conjugatis, ut vocant,

Non PRÆSTATA ſibi PRÆSTAT natura.

Tamen legendum, *proſtrata*, indicat tum quod *proſtrata natura* etiam infrà repetatur v. 889:

Sed PROSTRATA ſemel quanto NATURA profundo &c;

tum quod v. 398 & ſeq. in eandem ſententiam legatur:

Nemo alii dat, nemo ſibi; non littera Legis,
Nec naturalis ſapientia (en quod hic dicit *Natura*: ſic autem proſequitur) *quæ ſemel acta*
In præceps &c. quod idem eſt ſanè ac *proſtrata.*

V. 346. ADOLET. Sic etiam ad Capit. Gall. ſent. 6. *Arbitrium hominis* (ſeu libertatem) *Gratia Dei non abolet, ſed adolet.* P. Ramus in illud Pharmaceut.

Verbenaſque adole pingues:

Adole, inquit, *propriè eſt Auge, & hìc κατ' εὐφημισμὸν pro Incende dicitur.* Noſter igitur inuſitatiùs quidem fortasſis, ſed tamen propriè hanc vocem poſuit.

V. 347. RADICEM ADFIGERE MENTI. Dixerat Virgilius Georg. 2.

- - - - *radicem adfigere terræ:*

quin totus hic penè paragraphus è Georgicis expreſſus eſt.

V. 350. NE LOLIUM &c. Ramus in ſimilem Virgilii verſum Eclog. 5.

Infelix lolium, & ſteriles dominantur avenæ:

Lolium, ait, Græcis eſt ζιζάνιον, Francis yuraie: verſus idem repetitur Georg. I.

Lappæque, tribulique, interque nitentia culta,
Infelix lolium &c.

Officit oculis, quod Ovidius I *Faſt. teſtatur,*

Et careant loliis oculos vitiantibus agri.

Tum ita pergit de *avenis* eod. verſu: *Avena primum frumenti vitium eſt, ait Plinius lib.* 18. *c.* 17. *ſterilis porrò dicitur ad differentiam ſativæ: vana pro eodem dicitur.* Georg. I.

Exſpectata ſeges vanis eluſit avenis.

V. 354. INQUIS, potiùs quam *inquit*, ut Vulgati: cùm aliquot his Capitibus perpetua ſit hominis Semi-Pelagiani allocutio.

V. 355. QUÆ NI &c. Idem fatetur Collator lib. contra ipſum c. 8. quod quidem *ſuis interdum motibus homo ad virtutum appetitus poſſit extendi; ſemper verò à Domino indigeat adjuvari:* & bonarum voluntatum principia, *niſi à Deo*

Sed cùm eorum confeſſio ad Gratiam prædicationis tandem ferè redeat;

Sed quia jam in nobis & velle & nolle creatum eſt,
Arbitriique ſui, quò vult, intendere motus
Libertas accita poteſt; patuitque per aurem
Judicio cordis, quo mundum propoſuiſſet
Conſilio ſervare Deus; mens excita longum
Excutiat ſomnum, ſeque illi ſubdat & aptet,
Qui cupidam & fidam promiſſa in * gaudia ducat.

* Præmia.

CAP. XIX. Cap. 16.

Oſtenduntur quàm abjectiſſimè de Gratia ſentire. *Juxta Gallum.*

HOc eſt, nobiſcum quod te ſentire ferebas?
Hæc ſincera fides? hæc Chriſti Gratia tecum eſt?
Cujus opus, fixo diſtinctum limite, totum
Extra hominem ſtatuis, clauſâ penitus fore mentis:
Vixque Deum ſenſus carnis permittis adire,
Per quos ſumpta foris, animus dijudicet intùs;
Seque ferat, quoquò librata examina pondus
Prefferit arbitrii: Veluti cùm voce loquentis,
Aut rerum actarum ſpecie quas vidimus, aut quas
Legimus, exoritur ſecreta cordis in aula
Nunc amor, aut odium, nunc ſpes, metus, ira, dolorque;
Nec tamen hos motus ſcriptor, narrator, & * Auctor
Inſevêre animo (quamvis fortè hoc quoque vellent;)
Sed de * præceptis mens judex ſponte movetur,
Et pro more ſuo, quantùm ſe exercuit iſtis,
Tranſit in affectum quem confirmaverit ex ſe,
Illa volendo ſequens, iſtis nolendo reſiſtens.

* Actor.

* Perceptis.

CAP. XX.

Cum aliud planè de illius virtute & operatione ſentiendum ſit:

Atque hoc in primis, quod vis illis non in Prædicatoria inſtructione aut monitione conſiſtat.

AT verò omnipotens hominem cùm Gratia ſalvat;
Ipſa ſuum conſummat opus: cui tempus agendi
Semper adeſt, quæ geſta velit. non moribus illi
Fit mora, nec cauſis anceps ſuſpenditur ullis.
Nec quod ſola poteſt, curâ officioque miniſtri
Exſequitur, famuliſve vicem committit agendi:
Qui quamvis multa admoveant mandata vocantis;

Pul-

à Deo dirigantur, ad conſummationem virtutum pervenire non poſſint: quod poſtremum quidem hic ita effertur:

- - - - - - Nec ſe
Perficiet ſolis naturæ viribus ullus.

V. 359. JAM IN NOBIS. Vulgati, *jam nobis*: Gallus addidit *In*; neſcio an à libris, an ingenio.

V. 361. ACCITA. i. provocata: impropriè procul dubio. Gallus ſatis appoſitè in Proſa: *Lors qu'on luy a propoſé quelque choſe.*

V. 364. CONSILIO. Gallus de magno Conſilio, miraque œconomia redemptionis noſtræ intelligere videtur. hinc ſatis quidem magnifice:

Lors qu'on luy fait ouir ces moyens ineffables,
Dont un Dieu daigne uſer pour ſauver les coupables:

Dubitem tamen, an eon ſenſus germanus ſit: *Quo mundum propoſuiſſet* &c. i. quid ad ſalutem Deus à nobis velit. Porrò *Propoſuiſſet* phraſi Auctoris poſitum eſt pro *propoſuerit*, ut ſupra v. 249. *diſplicuiſſes*, & v. 292. *voluiſſet*.

V. 365. CUPIDAM ET FIDAM. Reſpici videtur ad duo illa, quæ Maſſilienſes prævie ad Gratiam requirebant; nempè deſiderium ſanctitatis & fidem: vel ad deſiderium tantùm, ſed conſtans illud & continuatum, cui iidem & Gratiam & perſeverantiam acceptam referebant.

Ibid. IN GAUDIA. Gallus *præmia*: ſed vulgatam noſtramque lectionem probat, primò quod ſi *præmia* legendum foret, tùm aptiùs *Ad præmia* dictum fuiſſet; deinde & præcipuè, quod reſpici videatur ad locum Evangelii, *Intra in gaudium Domini tui*: unde etiam quod in textu præcedit, ubi ſervus *fidelis* appellatur, puto hìc expreſſum per illud *Fidam*.

V. 368. FIXO DISTINCTUM LIMITE. Sic ſuprà v. 251. & ſeq.

- - - - - - hoc cohibetur
Limite vobiſcum.

V. 369. CLAUSA FORE. Seu jaouâ: non *clauſæ*, ut alii.

V. 370. SENSUS CARNIS: propter illud v. 361.

- - - patuitque per aurem.

V. 374. SPECIE: al. *ſpecies*, ut ille ſit rectus verbi *Exoritur*: ſed cùm ſequatur mox alius, nempe *Amor*, *odium* &c. neceſſe eſt ut hic ſit obliquus, perinde ut *Voce loquentis*.

V. 377. AUCTOR. Jam ex conjectura, Gallo meo conſentiente, ſubſtitueram *Actor*, ut ſic tria hæc, *Scriptor*, *narrator*, & *actor*, convenirent cum tribus illis ſuperioribus, *Voce loquentis*, *rerum actarum ſpecie quas videmus*, & *quas legimus*; cùm lucem attulit Salluſtii locus, oſtendens *auctorem* etiam pro *actore* poni poſſe, adeóque nihil hic in Vulgatis immutandum eſſe: ſic enim ille paulò poſt initium Catilin. diſtinguit rerum *Scriptorem* & *Auctorem*, ut *Auctorem* dicat qui eas agit.

V. 379. PRÆCEPTIS. Ita reſtituo ex Editis antiquioribus; cum recentiores habeant, *perceptis*: ſic autem intellige, ut Æneid. 6.

Omnia PRÆCEPI, atque animo mecum antè peregi.

V. 380. PRO MORE SUO. i. pro quibus eſt moribus ac ingenio. ita Salluſtius in Jugurt. *Sibi quiſque pro moribus conſulunt; alii fugere, alii arma capere.*

V. 385. NON MORIBUS: contra illud v. 290.

Dum MORUM obſiſtit feritas.

V. 385. ADMOVEANT; quaſi ad *pulſandum* ac *intrandum*, ut ſequitur. non igitur, *Admoneant*, ut aliqui.

V. 401.

Pulſant, non intrant animas. Deus ergò ſepultos
Joan. 11. Suſcitat, & ſolvit peccati compede vinctos:
Pſal. 145. Rom. 1. Ille obſcuratis dat cordibus intellectum:
Ille ex injuſtis juſtos facit: indit amorem,
1 Joan. 4. Quo redametur amans; & amor quem conſerit, ipſe eſt.

Cap. XXI.

Quod affectus boni, unde ſalutis initium, non ab homine habeatur; non à littera Legis:

Neque adeò ab ingenita illa hominum facultate, utpotè per primum lapſum nutantem ſauciata.

Hunc itaque affectum, quo ſumunt mortua vitam,
Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda niteſcunt,
Quo ſtulti ſapere incipiunt, ægrique valeſcunt,
Nemo alii dat, nemo ſibi; non littera Legis,
Nec naturalis ſapientia, quæ ſemel acta
In præceps, labi novit, conſurgere neſcit:
Cap. 16. juxta al. Et licèt eximias ſtudeat pollere per artes,
Ingeniumque bonum generoſis moribus ornet;
Cœca tamen finem ad mortis per devia currit,
Nec vitæ æternæ veros acquirere fructus
De falſa virtute poteſt; vanamque decoris
Occidui ſpeciem mortali perdit in ævo.
Omne etenim probitatis opus, niſi ſemine veræ
Exoritur fidei, peccatum eſt, inque reatum
Vertitur, & ſterilis cumulat ſibi gloria pœnam.

Cap. 17.

Cap. XXII.

Unde breviter concluditur, quòm igitur & fides, & cetera dona Gratiæ, ſint gratuita.

Usque adeò donum eſt, quod credimus; & data gratis
Gratia, non meritâ ditat mercede vocatos:
Nec juſtorum operum diſcernit facta, ſed omnes
Sola ex immundis mundos facit; utque legentem
Lectus amet, non hoc ſtudio, ſed munere ſumit.

Cap. XXIII.

Quod rurſùs probatur ex miſſione Chriſti ad peccatores juxta Evangelium:

* Solùm.

Nam ſi ſpectatrix meritorum eſt Gratia, & illis
Se tribuit, quorum eſt animus purgatior, & quos
Per libertatem arbitrii ſibi repperit aptos;
Inſontes tantùm, juſtoſque adſumere * ſolos
Debuit, & veri cupidos, ac recta volentes:
Perverſos autem, & ſcelerum aſſuetudine turpes,
Deturbare procùl, lucémque negare tenebris.
Matt. 9. Atqui Salvator mundi non præmia juſtis
Luc. 19. Solvere, nec ſanis venit conferre medelam;
Ezec. 34. Sed quod diſperſum exciderat, fractum atque jacebat,
Quærere, & inventum reparare, ac reddere curæ.

De-

V. 401. Et licet eximias &c. Sit contra Collat. c. 22. *Etiamſi excellentiſſimis artibus, & cunctis mortalium polleat diſciplinis, juſtificari ex ſe non poteſt: quia bonis ſuis male utitur, in quibus ſine cultu veri Dei, impietatis immunditiæque convincitur, & unde ſe defendi exiſtimat, accuſatur.*

V. 405. Decoris occidui: eâdem phraſi quâ Ep. ad Demetriad. c. 4. dicit *honores occiduos.* i. qui citò tranſeunt occiduntque. In pluribus Editis pro *vanamque decoris*, legitur *unamque*, ſed vitio fortaſſe Typographi: ſaltem lectio noſtra dubia eſſe non poteſt, ita prorsùs poſcente ſententiâ.

V. 408. Peccatum est. Locutio eſt Apoſtolica Rom. 14. *Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; de qua conſule Interpretes. Eam interim emollire videtur hic Noſter, cum addit.

Ibid. Inque reatum vertitur, et sterilis &c. per quod fortaſſis inſinuat, non ipſum per ſe opus quod non ex fide ſit, peccatum eſſe oportère, ut quod ſæpe ſit moraliter (ſic Scholæ loquuntur) ſeu ex officio bonum; ſed reatum demùm accedere, ubi de illo homo aliter quam in Domino gloriatur, uti facilè infideles de bonis gloriantur ſuis. Saltem non ſenſit Proſper, neque ſentire potuit, omnia opera infidelium, in rigore quo hodie Theologia loquitur, eſſe peccata.

V. 413. Legentem lectus: pro, eligentem electus. i. Deum homo.

V. 414. Non hoc studio &c. i. Non labore & merito, ſed dono gratuito accipit.

V. 418. Solos. Gallus *Solum*: verùm in medio verſûs *Tantùm*, & in fine *Solùm*, diſplicet.

V. 424. Fractum atque jacebat. Quidni, inquies, ſcripſit *Fractumque*? ſed libuit fortaſſis imitari Horatium lib. 1 Epiſt. ad Quinct. - - *renuit, negat atque Sabellus.*

CAP. XXIV — Cap. 18.

Ac denique exempla impiiſſimorum infidelium, ſubitò in fine vitæ converſorum;

DEnique ne quiſquam ex morum ſplendore putetur
Cenſeri, aut fidei merito ad bona ſumma vocari,
Ceu non divino ſit munere mentibus ipſa
Inſpirata fides; recole innumerabile vulgus
Retro ſenum & juvenum, qui cœcâ turpiter uſi
Libertate animi, per cultus dæmoniorum,
Per magicas artes, per amorem rapta tenendi,
Per ſtupra, per cædes, vitam duxêre nefandam;
Et tamen incumbente obitu, jam limite in ipſo
Extremi flatûs, miſerantem nocte remotâ
Cognovêre Deum, purgatoriſque Lavacri
Munere, nulla mali linquentis ſigna prioris,
Exemti mundo, mutarunt tartara cœlo.
Quæ merita hic numeras? ſi præcedentia cernis;
Impia; ſi quæris poſt addita, nulla fuerunt.

Quorum nulla profectò merita prætendi poſſunt.

CAP. XXV. — Cap. 19.

Nam quod tales baptizari volunt, hoc ipſum non habent niſi ex fide, quam dat Gratia.

SI verò merito adſcribis, voluiſſe renaſci;
Nempe utero fidei parta eſt tam recta voluntas:
Porrò fidem quis dat, niſi Gratia? ſic bene velle
Gratia dat, tribuendo fidem: quæ credita poſcat,
Quæque voluntatis meritum creet, ipſaque ſolo
Naſcatur ſpirante Deo, mentémque reformans,
De cinere algenti ſopitum ſuſcitet ignem.
Ergò voluntatis genitrix, operumque creatrix,
Non eſt ex merito; quoniam quod non fit ab illa,
Non bene fit: Quem non recto via limite ducit,
Quantò plus graditur, tantò longinquiùs errat.

Ex fide, inquam, quæ adeò non eſt ex merito, ut nullum niſi ex illa, meritum eſſe poſſit.

CAP. XXVI.

Hinc, ſive rationem meriti operibus ante fidem Adverſarii tribuant, ſive fidem ipſam arbitrio adſcribant; perinde Gratiam excludere convincuntur.

SIve igitur meritum, credens exſiſtere poſſe
Ante fidem, donas virtutibus impietatis;
Sive illam vis eſſe tuam, non munere dantis
Sumtam, ſed genitam de libertate volendi;
Nullam habet in vobis ſalvatrix Gratia ſedem,
Inflato excluſa arbitrio, quod fronte ſuperbâ
Erigitis, ſpatio ut graviùs majore ruatis.

CAP. XXVII. — Cap. 20.

At lubet eos interrogare, quodnam tandem ipſi ſtatuant initium

DIvinorum operum quod ponitis in redimendis
Principium? Mandata Dei facere ante Lavacrum,
Noſſe & amare Deum, promiſſis credere Chriſti,

Quæ-

V. 434. LIMITE IN IPSO. Conjiciunt aliqui legendum, *Limine in ipſo*; ſeu quòd ſic legatur infrà v. 812. ſeu quòd tum Virgilius in Pharmac. & Æneid. 10, tum Lucretius lib. 6, ſic habeant: cenſeo tamen retinendam hanc lectionem, cui correſpondet illud in epiſt. ad Rufin. c. 17, *In ipſo exhalandi ſpiritus fine.*

V. 435 & ſeq. MISERANTEM COGNOVERE: q. d. Ideò cognovêre, quia miſerantem.

V. 439. CERNIS. Quidam *Cernas*: magis ſcilicet rythmicè; ſed vel ideò malè.

V. 448. VOLUNTATIS GENITRIX OPERUMQUE CREATRIX. Tametſi Epiſt. ad Ruf. c. 2. *bonorum creatrix* vocetur Gratia; tamen quod hic dicitur, ad *fidem* eſt referendum, de qua mox ante;

Quæque voluntatis meritum creet:

item lib. i. de Voc. gent. c. 23; *Fides, quæ bonæ voluntatis & juſtæ actionis eſt genitrix, quo ipſa fonte naſcatur* &c.

V. 450. RECTO VIA LIMITE. Legerat Georg. 2.

- - - - *ſecto via limite* -

Adagii formam habet ſententia; quam ideò ſuo charactere diſtinximus.

V. 453. VIRTUTIBUS IMPIETATIS. i. Infidelitatis (ut ſuprà v. 284) ſeu paratis ante ipſam fidem.

V. 459. DIVINORUM &c. Ex abrupto aliud arripit medium: quod illi non inſolens.

V. 461. PROMISSIS CREDERE CHRISTI: pro *Sperare*; ſicut *Noſſe Deum*: pro *Credere*: nam hoc verſu tres virtutes Theologicæ exprimuntur.

V. 462.

Quærere, pulſare, & petere, proprium omnibus eſſe
Aſſeritis, qui ſe ſtudeant aptare vocanti.
Anne ab Aquis Divina manus renovare receptos
Incipit, & vitæ cauſa eſt ſua cuique voluntas,
Ut merces operum ſit Gratia, judiciumque
De pretio, quo quod Donum perhibetur, ematur?
An verò auxilium verbo Deus inchoat, & ſe
Voce miniſtrorum mundo declarat in omni?
Ut pulſante aures ſermone illecta voluntas,
Judicio præcurrat opem, nec Gratia jam ſit
Gratia, quæ Legis fungens vice, jure monentis
Solùm agat, atque agro cum plantatore miniſtret,
1 Cor. 3. Terraque ſeminibus det, non Deus, incrementum:
Ubere ceu * glebæ ſubſiſtat, & arte colentis,
Exortura ſeges, neque quidquam cordis in arvo
Præſulcet Divina manus, quo temperet æquor
Edomitum, faciatque ſatis gaudere novales.

operationis Divina in converſione hominis:

An ut demùm à Baptiſmo Gratia ſuas partes incipiat? An verò citiùs quidem, ſed ut per Gratiam tunc prædicatio & doctrina intelligatur?

* Glebâ.

CAP. XXVIII.

Certè utrumque à Pelagianiſmo ſumptum eſſe, eique prorsùs favere oſtenditur:

TAlibus adſumptis inimico ex dogmate, nónne
Perſpicuum eſt, quantùm damnatos confoveatis,
Dùm cuique, ad veræ capienda exordia vitæ,
Naturam affectum fidei conferre docetis?
Dúmque aliud non eſt vobiſcum Gratia, quam Lex,
Quámque Propheta monens, & quàm doctrina miniſtri?
Scilicet ut tale arbitrium generaliter inſit
Semine damnato genitis in corpore mortis,
Quale habuit nondùm peccati lege ſubactus
Primus homo, & nullum in prolem de vulnere vulnus
Tranſierit, niſi corpoream per conditionem:
Quæ ſic exteriùs reſpondeat, ut nihil intùs
Imminuat, teneatque ſuum ſubſtantia mentis
Splendorem, & nullâ pœnali nocte prematur.

Inde etenim ſequi, hominem nunc naſci cum eodem mentis vigore omnis vulneris experte, qualem habuit Adam ante lapſum.

Cap. 11.

CAP. XXIX.

Quæ ſi ipſis à Pelagianiſmo non diſpliceant, ut igitur pergant cetera quoque his cohærentia ex eodem adſtruere:

ADdite quod ſupereſt, tumidi, ruituraque vani
Congerite, & cauſis cauſas aptate ſequentes:
Et quia nil periit primæ virtutis apud vos,
Dicite, ab illæſis animis procedere veram
Juſtitiam, regno dignam, cœloque locandam,
Et

V. 462. PROPRIUM OMNIBUS ESSE: ita ut illa per ſe poſſint. Volebant namque Maſſilienſes, *ad conditionem uniuſcujuſque hominis pertinere, ut per diſcretionem boni & mali ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus, poſſit ſuam dirigere voluntatem, atque ad hanc Gratiam quâ in Chriſto renaſcimur, pervenire; per naturalem, ſcilicet; facultatem petendo, quærendo, pulſando:* Epiſt. Auctoris ad Aug. paulò ante medium.

V. 464. AQUIS. Baptiſmi. Tunc autem demùm incipere Gratiam, indicant Maſſilienſes verbis jam citatis: *Gratiam quâ in Chriſto renaſcimur.*

V. 467. DONUM PERHIBETUR: nempe in Scripturis, præſertim Epiſtolis Apoſtolicis, Rom. 5. Eph. 3. &c.

V. 471. JUDICIO. En manifeſtò *Judicium voluntatis.*

Ibid. NEC GRATIA JAM SIT GRATIA: non eâ ratione, quia non ſit gratuita, ut Rom. 11: item epiſt. Auct. ad Rufin. c. 2. ſed quia (ut ſequitur)

- - - - jure monentis
Solùm agat;

quod non eſt Gratiæ, ſed Legis.

V. 475. UBERE GLEBÆ. Eſt Virgilii verſu illo iterùm repetito Æneid. 1 & 3.

Terra antiqua, potens armis, atque Ubere glebæ.

Ut mirer, etiam Gallum cum Vulgatis legiſſe, *Glebâ.* Columella tamen etiam *Uberi glebâ* dixit.

V. 477. PRÆSULCET. Notum eſt, *Sulcare* pro *Arare* à Poetis poni: hinc collige quid *præſulcare.*

Ibid. TEMPERET ÆQUOR. Sumptum ex Æneid. 1. tranſlatumque à re marina ad ruſticam; ipſo præeunte Virgilio, cui & campi planities, nondum aratro ſubacti, *Æquor* dicitur, recèns autem ſubacti, *Novalis*, aut *Novale.*

V. 478. SATIS: Ablat. ut Virgil. Eclog. 3.

Dulce SATIS humor.

V. 486. CORPORE MORTIS. Phraſis Apoſtolica Rom. 7. v. 24. pro corpore morti obnoxio; nec tam morti corporali: quàm morti Concupiſcentiæ & legis membrorum.

V. 490. RESPONDEAT. i. appareat ſeu conſpicua ſit: ut infrà v. 622.

Nulla tibi arbitrii reſpondent ſigna.

Virgilius etiam *reſpondere* pro *provenire* poſuit Georg. 2.

Sed truncis oleæ meliùs, propagine vites
Reſpondent.

Quod an huic loco lucem afferre poſſit, Lector diſpiciat.

V. 494. CAUSIS CAUSAS APTATE &c. Si ita ſcripſit Noſter, & non potiùs, *ac anſis anſas* (quod obiter indicaſſe ſufficiat;) tum ſatis oppoſitè reddidit Gallus:

Joignez à ces erreurs l'erreur qui les produit,
La cauſe à ſes effets, & le tronc à ſon fruit.

 V. 498.

Ut, quod ad ſalutem Lex naturæ ſuffecerit:

Et fruſtrà Chriſtus ſit mortuus. Edite, multos — *Galat. 2.*
Arte & ſponte ſuâ Sanctos ab origine mundi
Abſque Deo placuiſſe Deo; decretáque Legis
Tunc data, cùm pejor mos, & corruptior ætas,
Terrore inſtanti, & formidine mortis egeret.

Poſteà autem Lex ſcripta ad effecerit, quod nunc Gratia: quod ut abſolutè hâc opus non fuerit, niſi ut faciliùs ſalus obtineretur.

Dicite plectentes apices, mortiſque miniſtros,
Hoc expleſſe operis, quod Gratia vivificatrix.
Nunc agite; & quoniam fuerit ſine Lege voluntas
Libera, quam ſcripti munibat pagina cordis; **
Sic vitam æternam acquiri potuiſſe, vacante
Hâc ope quæ Legem ſupereminet, ut ſine Lege
Ex naturali potuit virtute capeſſi:
Nunc autem ſtudiis vergentibus in mala multa,
Creviſſe auxilium, non quo ceſſante, ſalutem
Non caperet per difficiles natura labores;
Sed quo conatus operum affectuſque juvante,
Propoſitam citiùs ferret mens libera palmam.

Denique quod parvuli non baptizentur in remiſſionem peccatorum.

Dicite, cùm infantes renovantur, non renovari
Inſontes animas; & ſolâ carne renaſci
Exteriùs lotos, non exſiſtentibus ullis
Interiùs maculis: quoniam licèt edere rectæ
Signa voluntatis nequeant; tamen hôc magis omni
Sorde vacent, ſuper auctoris quòd conditionem
De proprio nihil addiderint, quod Fons aboleret.

Cap. XXX. — *Cap. 22.*

Quæ omnia niſi velint aſſerere, reſtat ut Orthodoxis acquieſcentes,
Cum iis ſincerè fateantur vulnera ac impotentiam lapſæ naturæ.
* Superantis.

HÆc ſi non veſtris ſpirant de cordibus, & vos
Non cum damnatis eadem ratis extulit, alto
Mergendos Pelago; ſubmittite vela tumoris,
Nobiſcúmque humiles placido conſiſtite portu.
Edite conſtanter naturæ vulnera victæ:
Exutam virtute animam, cœcataque cordis
Lumina; & in pœnam propriam jaculis * ſuperatis
Armatum arbitrium, numquam conſurgere poſſe,
Inque novos lapſus ſemper nitendo revolvi:
Cui ſua ſit laqueus ſapientia, morſque ſubactum
Detineat, niſi vera ſalus ex munere Chriſti
Adſit, & oppreſſam dignetur Gratia mentem.

Cap. XXXI. — *Cap. 23.*

At contrà, ſi hæc fateri dedignentur;

AN veſtrum ſublimem animum pudet iſta fateri;
Ne ſub tam multis morbis ſit vilior æger,
Cùm nihil ex omni majorum dote ſuperſit,

Quo

V. 498. Et frustra &c. Sic malo cum Vulgatis, quam cum Gallo, *Vt fruſtrà*. Nec eum etiam ſequor in verſione ſoluta hæc conjungentem cum ſequentibus, quaſi legiſſet:

Vt fruſtrà Chriſtus ſit mortuus, edite &c.

V. 503. Plectentes apices mortisque &c. Sic vocat litteram Legis ex 2. Cor. 3: ubi eadem *occidere* dicitur, & *miniſtratio mortis* appellatur.

** Repetendum hic fuerat, *Dicite*, aut *Edite*, ſed Ellipſis conveniebat impetui quo hæc expoſtulatio ferebatur.

V. 507. Vacante hac ope quæ &c. i. ſine auxilio Gratiæ. Eſt doctrina Pelagianorum apud Aug. lib. 6. cont. Iulian. c. 24. & aliis locis.

V. 517. Ullis. Gallus *Illis*; ſed vitio, puto, operarum: cùm in verſione nobis & Vulgatis conſonet.

V. 520. Auctoris conditionem. i. Dei creationem.

V. 524. Pelago. Simul alluditur ad *Pelagii* nomen (quo luſu nec Auguſtinum quidem indelectatum videmus) ac inſiſtitur eleganti metaphoræ à navigantibus ſumptæ.

V. 526. Constanter: q. d. in fatendis naturæ vulneribus vobis ipſis conſtate; nec, dum peccatum originale admittitis, inficiari velitis vulnera *difficultatis* & *ignorantiæ*, ut Aug. vocat, quæ iſtud neceſſariò conſequuntur.

V. 528. Jaculis superatis probè, meâ quidem, ſententiâ. Neque opus fuit quærere *Superantis*, nimirum diaboli, ut quidam è Vulgatis, ipſeque adeò Gallus. Mali ominis olim habebatur armis jam ſemel devictis pugnare: hinc apud Tacitum hiſtor. lib. 3 Cæcina ille *temeritatem VICTA ARMA tractantum incuſans*. Quid ergò ſi Noſter ex hoc loco *Jacula ſuperata* petierit? certè ex eodem Hiſtoricorum principe plura alia petiit, atque illud in primis, quod ſuprà ad initium operis citavimus, ubi Britanniam *Secretum Oceani* appellavit. Quod autem *in pœnam propriam* arbitrium jaculis iſtis ſuperatis armatum dicatur, fortaſſis lumen accipiet è Rami apophthegmate ad illud Virg. Eccl. 9.

Nunc victi triſtes - -

ſic, ait, *Brennus Sulpitio aurum appendenti, & roganti cur enſem unà cum balteo exutum lancibus apponeret; Quid enim aliud (inquit) niſi dolor victis? In pœnam* igitur, i. dolorem *proprium*, dum arma ſua victis nonniſi dolori ſunt, ubi conſpectui offeruntur.

V. 537.

Quo medici mereatur opem, & mercede valeſcat?
Ergò in caſtra gradum revocate hoſtilia; & illis
Addite vos, quorum ingenio & fallacibus armis
Luditis, ejuſdem vibrantes ſpicula linguæ.
Exſultate bonis naturæ, & mentis honorem
Omnibus à ſeclis illæſum ſtare docete.
Neu vos in totum retegatis dogmate nudo,
Corporeo tantùm decurrere tramite pœnam
Peccati perhibete, animis nihil imminuentem:
Vulnere transfixos abſolvite crimine, & ipſam
Juſtitiam accuſate Dei, tranſire ſinentis
Supplicium, quò non vultis tranſire reatum.

Tum ipſis feriò concedendum in Pelagianorum partes, ubi integritatem naturæ plenis buccis extollant:
Aut ſi manifeſtè videri nolint Pelagiani, docendum illis inſulſiſſimè, non quidem culpam, at pœnam tamen in poſteros Adami tranſire, ita ut Deus ſupplicio afficiat innocentes.

Cap. 24. — Cap. XXXII.

Rom. 4. Sed non injuſtus Deus eſt: manifeſtaque Pauli
Vox docet, uno omnes homines cecidiſſe ruente;
In quo tota ſimul ſeries proſtrata nepotum
Deperiit, nec habet quiſquam quo ſurgere poſſit
Ad vitam, ſacro niſi rurſùm naſcitur ortu.
Quotquot enim ſummo juſtos * numeratis ab ævo,
Hâc ope non dubium eſt ſalvatos, quam modò toto
Latiùs omnipotens exercet Gratia mundo.

Quod quia impoſſibile eſt, fatendum, homines ex primo lapſu verum peccatum, ac animi vitium contraxiſſe, à quo ſine Gratia ſanari nequeant.
Nec ii quidem ſanati ſunt, qui ante Salvatoris adventum juſtè vixiſſe memorantur.

* Numeravit.

Cap. 25. — Cap. XXXIII.

Hæc, ſicut dictum eſt, non judex eſt meritorum;
Quæ niſi plena malis non invenit: & niſi donet
Quæ bona ſunt, nihil efficiet benè cœca voluntas.
Hæc ut cujuſquam ſtudio affectuque petatur,
Ipſa agit, & cunctis dux eſt venientibus ad ſe;
Perque ipſam niſi curratur, non itur ad ipſam:
Ergo ad iter per iter ferimur; ſine lumine, lumen
Nemo videt; vitam, ſine vita inquirere, mors eſt.

Imò adeò illâ opus eſſe Gratiâ, ut ante eam ne hoc quidem per ſe poſſit arbitrium, ut ad ipſam ſuis conatibus ſaltem accedat.

Cap. 26. — Cap. XXXIV.

Hic vanam inſano profertis corde querelam:
Omne opus arbitrii ſublatum vociferantes,
Rom. 9. Currere curſentum ſi non, & velle volentum, eſt:
Nec

Solemne Maſſilienſium objectio; Quod per hanc Gratiæ neceſſitatem libertas arbitrii.

V. 537. Mercede valescat. l. pretio curetur; non gratis, ut ſolent, qui quod ſolvant, non habent.

V. 542. Illæsum. Ita ſæpiùs lego hoc ipſo in opere: at *Illapſum*, ut alii, quaſi *non lapſum*, neſcio ubi legatur uſpiam.

V. 544. Pœnam peccati: puta corporalem, ut ſunt morbi, ipſaque adeò mors. agitur enim de pœna, quæ *animis nihil imminuat*: adeóque de vulneribus animæ, quæ juxta Auctorem neceſſariò conſequuntur peccatum Originale, non eſt ſermo. Hanc ſententiam à nemine reverà traditam fuiſſe, ſed Maſſilienſibus ſolùm proponi ut inſulſum quoddam paradoxum, ad quod iis deveniendum ſit, niſi aut integrè cum Orthodoxis, aut apertè cum Pelagianis conſentiant, oſtendit Auctor cont. Collat. c. 20. *Niſi fortè dicatur*, inquit, *in Adæ poſteros pœnam tranſiſſe, non culpam: quod omni modo falsò dicitur, & ob hoc fortè NON DICITUR. Nimis enim impium eſt, hoc de Dei ſentire juſtitia, quod à prævaricatione liberos cum reis voluerit eſſe damnatos.* quibus verbis finis hujus Cap. abundè illuſtratur.

V. 554. Numeratis: al. *numeravit*, nempe, Paulus. Utrumque bono ſenſu: nam & Apoſtolus Heb. 11. veterum juſtorum luculentam ſeriem texit; & Maſſilienſes in iiſdem enumerandis toti erant, ut quos prætenderent ſine Gratia juſtè vixiſſe: ſic auctor Carminis de Provid. Dei inter opera Proſperi, ſic Fauſtus Regienſis & alii: quò etiam alludere videtur Noſter ſuprà v. 498 & ſeq.

- - - - - - - Edite multos
Arte & ſponte ſuâ Sanctos ab origine mundi &c.

V. 557. Sicut dictum est: videl: ſuprà cap. 21, 22 & alibi.

V. 562. Perque ipsam &c. Sic ad Capit. 8. Gal. *Sine Gratia nemo currit ad Gratiam.*

V. 563. Ergo ad iter per iter &c. al. *pariter*, ſed ineptè. Tria autem hæc, ad quæ niſi per ipſamet haud perveniri hìc dicitur, eadem illa eſſe videntur, quæ de ſe Salvator prædicat, cùm ſe ait eſſe *Viam*, *Veritatem* & *Vitam*. Ceterùm *Ergò*, novè neſcio an antiquè, certè aliter hìc & deinceps plerùmque ponitur, quam ex uſu communi.

V. 567. Currere currentum &c. Ergóne auſi ſunt illi obſtrepere ſacerrimo Pauli dicto, *Non eſt volentis, neque currentis?* aut fortè & in hoc Magiſtros ſuos ſecuti ſunt, ut diviniſſimam affirmationem cum impia interrogatione

ratioque meriti & demeriti tollatur.

Nec vitiis pœnam deberi, aut præmia laudi;
Si vel naturam obſtrictam mala velle neceſſe eſt,
Vel noſtro adſcribi nequeunt bene geſta labori.

CAP. XXXV.

Quæ cùm ſit etiam communis Pelagianis, utriſque ſimul reſpondetur.

NUnquid non eadem ſapiunt, eadémque perorant
Veſtri illi, quorum ructatis verba, magiſtri?
Sed quia conſimili cognata ſuperbia queſtu Cap. 27.
Proſilit; & vobis nunc reſpondetur, & illis.

Adſtructâ communi naturæ lapſu.

Inviolata Dei quondam & ſublimis imago
In primo cuncti fuimus patre, dùm nemore almo
Degit, & edicto pârens, cavet arbore ab una.
At poſtquam, ruptâ mandati lege, ſuperbum Gen. 2.
Conſilium, mixtum invidiæ de fonte, recepit;
Corruit, & cuncti ſimul in genitore cadente
Corruimus: tranſcurrit enim viroſa per omnes
Peccati ebrietas, corrupti & cordis in alvo
Perſiſtit, crudâ fervet carbunculus eſcâ.

Atque inde relictâ impotentiâ:

Hinc animi vigor obtuſus, caligine tetrâ
Induitur, nec fert Divinæ fulgura lucis
Lumen iners: hinc arbitrium per devia lapſum
Claudicat; & cœcis conatibus, inque ligatis,
Motus ineſt, non error abeſt. Manet ergò voluntas
Semper amans aliquid, quò ſe ferat; & labyrintho
Fallitur, ambages dubiarum ingreſſa viarum:
Vana cupit, vanis tumet & timet, omnimodáque
Mobilitate * ruens in vulnera, † vulnere ſurgit.

* Vigens.
† Melius ſine commate.

CAP. XXXVI. Cap. 28.

Quam dum ſanat Gratia, non tollis arbi-

HOc itaque arbitrium cùm ſanat Gratia, tolli
Dicitis, & perimi vitâ adſpirante putatis.

Quid

gatione commutarent? De Pelagianis quidem teſtatur id Auguſtinus: verùm de Maſſilienſibus nondum legiſſe memini. Erit igitur poëtæ noſtri artificium, ſuam Orthodoxamque ſententiam his verbis Apoſtolicis invidioſè exprimentis, quò ea tantò magis nefariè ſugillari ab Adverſariis videatur.

V. 568. LAUDI, pro virtute; ex Æneid. 1.

- - - - *ſunt hic etiam ſua præmia laudi.*

V. 570. NOSTRO LABORI. i. nobis proprio, & quo Gratiam præveniamus.

V. 576. NEMORE. Ramus in illud Virg. Ecl. 6.

Te nemus omne canet;

notat, *Nemus* propriè dici ſilvam voluptatis causâ comparatam. Quapropter aptè hoc nomine S. noſter Paradiſum voluptatis appellavit. Alcimus Avitus etiam *Lucum* dixit, credo ob *lignorum* amœnitatem, quam in illo ſacræ Litteræ celebrant.

Ibid. NEMORE ALMO. Gallus ediderat, *alto*: quod ut vidi, ſanè placuit, nimirum, cogitanti quàm ſoleat Noſter affectare phraſin Virgilii, apud quem *nemora alta* non ſemel legas. Sed mox offendi idem *Alto* inter errores ab ipſo editore relatum, repoſitumque *Almo*, quod ſatis probum eſt.

V. 581. VIROSA; ut ſuprà in Procem. *Viroſum caput:* Virgilianè ex Georg. 1.

- - - - *Viroſaque Pontus*
Caſtorea.

ubi minimè audio Interpretes, vocem illam in bonam partem accipientes, quaſi de Caſtoreis, & non de Ponto ipſi dicta ſit, reclamante Pharmaceutriâ:

- - - *hæc Ponto mihi lecta venena*
Ipſe dedit Mœris: naſcuntur plurima Ponto.

Porrò quæ hìc ponuntur de viroſa iſta ebrietate & cruditate, diſertiùs repetuntur cont. Collat. c. 19. *Bibit* (nimirum arbitrium in prima tranſgreſſione) *omnium vitiorum venenum, & totam naturam hominis intemperantiæ ſuæ ebrietate madefecit: inde priuſquam edendo carnem Filii hominis, & bibendo ſanguinem ejus, lethalem digerat cruditatem; labitur memoriâ, errat judicio, nutat inceſſu* &c; nempe ut ſoleot temulenti.

V. 583. CARBUNCULUS. Alludi ad Carbunculum peſtiferorum, bene notat Gallus in utraque verſione: ſed quid ſibi velit ibidem *Cruda eſca*, non vidit; quia ad ſupra citata verba è lib. cont. Collat. oon reflexit.

V. 587. INQUE LIGATIS. Tmeſis, pro *& inligatis* ſeu *illigatis*. i. impeditis. Eſt enim imitatio iſtius Virgiliani Æneid. 10 de Mezentio vulnerato & pugnæ ſe ſubducente:

Ille pedem referens, & inutilis, INQUE LIGATUS,
Cedebat.

V. 591. OMNIMODAQUE MOBILITATE RUENS. Ita potiùs lego cum Gallo, quam cum aliis pleriſque *Vigens*: niſi enim *ruinæ*, ſeu casûs, mentio fiat in hoc hemiſtichio, quis locus *ſurgendi* verbo in altero? Et quia diſtinctionis notam cum quibuſdam ponendo poſt *Ruens*, vix ſenſum ullum ſanum patitur illud ſequens, *In vulnera vulnere*; hinc eos potiùs ſequor, qui ita ut nos diſtinxerunt. Porrò quid ſignificetur illâ *Omnimodâ mobilitate*, jam intelligi poteſt ex dictis ſuprà ad v. 129. quod enim ibi dicitur, *naturalis motûs virtute*, id alibi *naturali mobilitate*, & hìc *omnimodâ mobilitate* ſignificari putandum eſt: ipſum, inquam, quod rursùs v. 359. & ſeqq. diſertiùs Ingrati exponunt:

- - - *In nobis*, inquiunt, *& velle & nolle creatum eſt,*
Arbitrijque ſui, quò vult, intendere motus
Libertas accita poteſt.

Denique Polyptoto illo, *In vulnera vulnere*, etiam alibi delectatum videmus Proſperum, nempe ſuprà v. 488.

- - - - - *de vulnere vulnus.*

Ob-

Quid mirum, rabido ſi corde phreneticus æger
Morbum amat, & pellit medicum? Cognoſcite tandem
Antiqui commenta doli, & deſueſcite captas
Aures vipereo rurſùm præbere ſuſurro.
Parcite de fractis præcerpere noxia poma
Arbitrii ramis. non hæc vos eſca reformat,
Nec ſpeciem Angelici nutrit cibus * iſte decoris:
Sed vetitorum avidos, & tetrâ bile tumentes,
De faſtiditæ procul abripit arbore vitæ.
Hujus ope & fructu veſcendum eſt, ut revaleſcens
Languida mens, etiam propriis bene viribus uti
Poſſit; & in Chriſto inveniat, quod perdidit in ſe.

triuum (ut promde ab hac ſalubri medicina quidam immeritò abberrant, præferentes illi opem liberi arbitrii:)

* Ille.

Cap. 29 — Cap. XXXVII.

Neque per illam decedit aliquid honoris naturæ, ſed plurimum accedit; utilitas etiam maxima ex ejus donis in nos redundat,
Si tamen illa ſuo Auctori accepta referamus.

NOn igitur, quiſquis terreni veſte parentis
Exueris, priſcum naturæ perdis honorem,
Sed recipis; ſic acquirens quibus antè carebas,
Ut tua ſint, ſi collatis utare modeſtè,
Et quod habes, hoc te acceptum fatearis habere.
Jac. 1. Fons igitur meriti eſt Lucis pater: inde quod in nos
Fluxerit, hoc nobis majorum eſt cauſa bonorum,
Dùm largitori ſua reddimus, éque relatis
Augemur, noſtrumque bonum ſit gloria dantis.

Cap. 30. — Cap. XXXVIII.

Novo argumento, nempe à parvulis, Maſſilienſes impugnantur:

SEd qui judicium arbitrii, meritúmque tueris,
Quique hominum ſtudiis adſcribis dona vocantis;
Infantum diſcerne animos, & diſſere, quales
Affectus, qualeſque habeant hæc pectora motus.
Da teneris mores, & libertate volendi
Inſtrue, vix auræ tenuis, lactiſque, capaces.
Nulla tibi arbitrii reſpondent ſigna, nec ullis
Diſſociare pares meritis potes: omnibus una eſt
Natura, & pariter nequeunt bona, vel mala velle:
Et tamen ex illis miſeratrix Gratia quoſdam
Eligit, & rurſùm genitos Baptiſmate, transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis,
Quorum cauſa fuit ſimilis de vulnere eodem.

Cap. 31. — Cap. XXXIX.

Eorumque ſubterfugium de ſtudio & meritis parentum, excluditur;

NEc meritis iſtud poteris aptare parentum;
Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum,
Abſtuleritque aliis aliena ignavia vitam:
Cùm videas, multos ſanctis genitoribus ortos,
Nullo ſalvari ſtudio potuiſſe ſuorum;

Ex-

1

Obſcurè autem memini, idem aut ſimile legere apud Virgilium, aut certè alium quempiam ejuſdem claſſis poëtam.

V. 597. ANTIQUI COMMENTA DOLI; nempe, quem Serpens in Paradiſo ſtruxit: hinc illud mox, *Vipereo ſuſurro*. Eſtque continua hic alluſio ad geſta in deceptione primorum parentum; cui comparatur deceptio Pelagiana: comparatione quidem ſatis appoſitâ, quâ & læſum arbitrium arbori vetitæ, Gratia arbori vitæ confertur; ac proinde opera Gratiæ & arbitrii, utriuſque iſtius arboris fructibus; denique reformatio interior quam Pelagius ex viribus arbitrii promittebat, transformationi in Deos, ſeu Angelos, quam ex arbore vetita promittebat Serpens.

V. 597. DESUESCITE CAPTAS &c. Nota ſis ſibilum litteræ ſerpentinæ, cùm *ſuſurrus vipereus* exprimendus venit.

V. 599. PRÆCERPERE. Non temerè ita dixit potiùs quam *decerpere*: ſic enim meliùs indicatur Pelagianorum ac Semi-Pelagianorum error, primò requirentium fructum arbitrii, quem deinde fructus Gratiæ exciperet.

V. 603. DE FASTIDITÆ - - VITÆ. Fortè & hîc præpoſterâ ryhmi affectatione turbatum eſt, ſcripſeritque Auctor, *de faſtidita*. Saltem illius ævo verſus, ut vocant, Leoninus adbuc in vitio erat, mediæque demùm ætati debebatur hæc barbara & Gotbica elegantia.

V. 614. EQUE RELATIS AUGEMUR. Deo hanc relationem novis donis munerante, ut rectè Gallus exponit. Hinc collige, quid ſit.

V. 615. NOSTRUMQUE BONUM FIT GLORIA DANTIS: ſeu potiùs contrà (ſic enim invertenda eſt ſententia) *gloria dantis*, Dei ſc. *ſit bonum noſtrum*.

V. 616. JUDICIUM ARBITRII. Jam ſuprà *Judicium voluntatis* vocavimus, & expoſuimus.

V. 638.

Expoſitiſque aliis ob turpia crimina matrum,
Miſſam externorum curam, quæ ſtercore raptos,
Per Fontem vitæ cœleſti traderet Aulæ. *Pſal.* 112.

Cap. XL.

Præſertim in gemellis, ubi nulla diſparitas prætendi poteſt:

QUid ſi diverſum hunc finem, quo Gratia Chriſti
Unum alio pereunte legit, donatque ſalute,
In geminis etiam videas? Quod dividis uno
Tempore conceptos, atque uno tempore natos,
Non ullos potes arbitrii prætendere motus:
Ceſſat opus, ceſſat meritum; nihil editur impar.
Sed Deus & tales diſcernit, quò magè Chriſti
Excellat bonitas, quæ ſola eſt cauſa vocatis
Et fidei & meriti: quoniam Sapientia dives
Hoc etiam tribuit multis, ut ſancta operatis
In finem vitæ, fieret de munere merces.

Quos tamen Deus etiam aliquando diſcernit, ut pateat, in majoribus quoque ab ipſo fieri diſcretionem.

Cap. XLI. *Cap.* 32.

Prætendentibus, quod ſi Gratia aux lio opus ſit ad evadendam damnationem, igitur excuſandi ſint quos Gratia non liberaverit, nervose occurritur, adſtructo iterum communi reatu,

NOn autem rectè nec verè dicitur, illos
Qui ſunt exſortes Divini muneris, & quos
Gratia neglexit degentes mortis in umbra,
Peccati non eſſe reos, quia recta gerendi
Non data ſit virtus. naturæ compede vinctos
Procubuiſſe negant; nec ab uno germine, credunt,
Omnigenam prolem cum pœna & crimine naſci.
Quod qui non renuit, videt hujus pondera culpæ
Tam validâ pariter miſeris incumbere mole,
Ut ſi nulla etiam cumulent mala, ſit tamen unum hoc
Sufficiens ſcelus, ad mortem, naſcendo, luendam. *Cap.* 33.
Hanc igitur legem, quam per ſe nemo reſolvit, *Jux. Gall.*
Si meritò, & juſtè, poſitam impoſitámque fatemur;
Cur querimur, quod non omnes * ſalvantur ab illa?
Cùm ſi progeniem ſuper omnem irrupta maneret,
De cunctis juſtè damnatis non quereremur.
An quod de toto ferretur, non toleratur
De parte? & melius foret omnia debita cogi,
Quam ſummâ ex ſolidâ clementer multa remitti?
Quis verò exemtus ſquallenti carcere, pulſet
Invidiâ miſerantis opem, quia non ſimul omnes
In lucem veram tenebris * eduxerit iiſdem?

Ob quem Deus potuit in damnatione relinquere univerſos; eòque magis de univerſis aliquos:

* Solvantur.

* Eduxit eiſdem.

Cap. XLII.

Nec in alios cadere poſſe hanc iniquiſſimam querimoniam, quod Gratia non omnes liberet;

CUm pœnam quâ merſus erat, non experiatur
Quàm miſerè ferat addictus, niſi liber ab illa;
Denique tunc illum ſocialem mente benignâ *Cap.* 34.

V. 638. Leoit, ut alibi ſæpiſſimè, pro *eligit*.

V. 645. Sapientia dives &c. Editi plerique in margine indicant, reſpici ad locum Sap. 4. de juſto qui *raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*. Utut ſit, Sapientia hîc intelligitur increata, ipſa videlicet Providentia Dei, vel (ut Gallo placuiſſe videtur) Chriſtus.

V. 653. Negant, qui nempe ita ratiocinantur.

V. 658. Nascendo luendam. Turbata ſententia; quam ſic ordina: *Sit tamen unum hoc ſcelus naſcendo* contractum, *ſufficiens ad mortem*, nempe, æternam, *luendam*. Gallus breviter æquè ac pulchrè:

Il ſuffit d'eſtre né pour meriter la mort.

V. 660. Positam impositamque: puta *juſte poſitam*, & *meritò impoſitam:* quippe *Impoſitam* magis pœnam ſonat; & meritum, ſeu culpam, reſpicit.

V. 661. Salvantur ab illa. Vix dubito, quin legendum ſit, *ſolvantur:* tum ob majorem ſermonis proprietatem; tum quia præcedit,

- - - - quam per ſe nemo RESOLVIT;

tum denique quia ſequitur,

- progeniem ſuper omnem IRRUPTA maneret;

nimirum, ut ceu vinculum quoddam, *rumpi* cenſeatur in iis, qui contrà.

- - - - - SOLVANTUR ab illa.

V. 669. Eduxerit iisdem. Vulgatis eſt *eduxit*, ut ita *Iiſdem* ſit triſyllabum: verùm nunquam hac voce ut triſyllabâ uſus eſt aut Noſter, aut Virgilius.

V. 670. Cum pœnam &c. Hos duos verſus cum ſuperioribus conjunxerunt hactenus omnes, quos viderim; etiam Gallus: qui idcircò mirè hîc ſudat ut idoneum aliquem ſenſum exſculpat. An nobis contigerit rem acu tetigiſſe, Lector judicet.

Con-

V. 673.

Juxta al. Concipit affectum, quo ſubmiſsâ prece Chriſtum
Conciliet miſeris, ſuetà qui nocte gravati,
Nulla gerunt vota effugii (tantum nocet error,
Ut juvet errare, & veteris contagia morbi
Tam blandè obrepunt, ut quo languetur, ametur.)
Unde ergò hæc oritur querimonia? non movet illos
Talis cura, quibus necdum eſt ſua pœna dolori,
Et qui ſe nulla credunt à luce relictos:
Qui verò tenebris exempti in lumine vivunt,
Gaudent, & quantum ſibi ſit bonitate vocantis
Dimiſſum, ex illis diſcunt, qui debita ſolvunt.
Vos igitur ſoli queruli, ſolique ſuperbi;
Vos ſoli Ingrati, quos urit Gratia: cujus
Omne opus arbitrio vultis * ſubſiſtere veſtro;
Et quod non omnes mortales atria vitæ
Ingrediuntur, ita ex ipſis pendêre putatis,
Ut tam ex judicio conſtet cujuſque, quòd intrat,
Quàm quòd non intrat; ceu par in utrumque facultas
Suppetat, & tam ſit proprium, bona, quàm mala, velle.

(Puta nec in eos qui jam per Gratiam liberati ſunt; nec in ceteros, qui nondum liberati)

Niſi in ſolos Maſſilienſes, volentes hoc pacto ſtabilire errorem ſuum de æquali omnium vocatione, & naturali bonum eligendi facultate.

* Conſiſtere.

CAP. XLIII.

Ut igitur cum ſuo Pelagio tam impia præſumptio faceſſat ab auribus & animis orthodoxis; quibus nihil antiquius, quam ſibi diffidere, & totum Deo tribuere.

I Procul, inſana impietas; arteſque malignas
Aufer, & auctorem comitare excluſa Britannum.
Nos humiles tenueſque ſumus, grex parvus, & altis
Inniti metuens; quia ſufficientia noſtra
2. Cor. 3. Ex Chriſto eſt: ſi quid * recti ſapimus, volumuſque;
Illi debemus, qui vincula noſtra reſolvit,
Proque malis bona reſtituit, non inveniendo
Quod merito legeret, ſed donans quo legeretur;
Ut de perceptis prodiret cauſa merendi,
Deque datis in danda gradus induſtria creſcens
Scanderet, atque bonum fieret Deus omnibus unum.

* Rectè.

Cap. 35.

CAP. XLIV.

Ceterùm ſine damno ignorari cauſam diſcretionis hominum; ſicut multa alia innoxiè à Sanctis ignorantur.

CUr verò humani generis de germine toto
Pars quædam in Chriſto rursùm generanda legatur,
Pars pereat, cùm cauſa eadem ſimul implicet omnes,
Nec diſcernantur merito, qui munere diſtant;

Non

V. 673. Submissa. Sic ſuprà v. 173. *Talia ſubmiſſus* &c: eſtque dictio ſatis Virgiliana. Alii tamen legunt, *cum ſumma*; ſed huic nihil ſimile alibi apud Auctorem legitur; neſcio an vel apud alium quempiam. unde ne vel dignum quidem credidi, quod in marginem rejiceretur.

V. 675. Tantum nocet &c. Datur ratio, cur hi nulla gerant vota effugii: idemque repetitur ad 6 Capit. Gall. *Amat ergò* arbitrium *languores ſuos; & pro ſanitate habet, quod ægrotare ſe neſcit; donec prima hæc medela conferatur ægroto* &c.

V. 678. Unde ergo &c? Hic adeò nihil ſani diſtinctio Vulgata habebat, ut etiam hæc interrogatio abeſſet: quam primùm quidem duce ſenſu reſtitui, ſed deinde etiam Gallo probatam inveni.

V. 685. Ingrati. Nomen hoc juxtà ac ejus ratio ex Aug. deſumpta videntur lib. de bono perſev. c. 8. *Et gratis*, inquit, *à Deo datur Gratia; & juſto ejus in aliis judicio demonſtratur, quid eis quibus datur, conferat Gratia. Non itaque ſimus INGRATI, quod ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ Gratiæ ſuæ tam multos liberat miſericors Deus de tam debita perditione, ut ſi inde neminem liberaret, non eſſet injuſtus.*

V. 686. Subsistere. Ita Gallus: Vulgati, *conſiſtere*.

V. 689. Judicio, pro electione, ut ſuprà.

V. 690. Ceu par &c. Vide ad fin. cap. 6.

V. 693. Britannum. i. Pelagium (ut ſuprà v. 2.) qui nunc cùm hæc Auctor ſcriberet, *excluſus*. i. ab Eccleſia ejectus (ut rursùs v. 106) neſcio ubi vagus & extorris errabat. hinc illud etiam v. 149.

> - - *pulſi mundo, nullâque recepti*
> *Sede vagi*;

& alibi ſimilia.

V. 694. Grex parvus. Luc. 2. *puſillus grex*; parvus, inquam, ac ideò timidus, ſibique diffidens.

V. 696. Recti. Gallus *Rectè*. quod non probo: non enim ſolet Noſter ſic loqui, *Rectè velle*; ſed potiùs, *recta*, ut ſuprà aliquoties, *recta volentis*, *recta volendi* &c: *Recta ſapere* autem etiam Eccleſia dicit in Collecta de Spiritu ſancto. maneat igitur, ut eſt,

> - - *ſi quid recti ſapimus volumuſque.*

V. 699. Quo legeretur, nempe, Deus à nobis, ut Gallus intellexit. Sed contrà eſt illud Evangelicum; *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*; propter quod etiam Auctor, cùm frequenter electionis meminerit, nunquam tamen niſi ejus quâ à Deo ipſi eligimur. Fortè igitur ponendum *legeremur*, vel *Quo legeretur*. i. quo *merito* à ſe eligi poſſet. nam reverà Deus in nobis meritum eligit, ac nos ob meritum; ſed quod ipſemet donat. Uno verbo (quo totum verſiculum expono:) Deus meritum quo nos eligat, non invenit in nobis, ſed ipſemet facit, & faciendo eligit. de electione ago, quæ fit in tempore; non autem, quâ electi ſumus in Chriſto ante conſtitutionem mundi.

V. 704. Legatur: rursùs ut paſſim.

V. 706. Nec discernantur merito: videlicet ante fidem & Gratiam.

Non ſatis audemus ſcrutari, nec per opertas
Ire vias, callêſque gradu pulſare remotos.
Multa etenim bene tecta latent, neſcitaque proſunt;
Dùm manſueta Fides quædam dilata modeſtè
Suſtinet, & nullo ignorat non edita damno.

Sic olim paſſim ignorabatur futura vocatio omnium gentium.

Sic quando electum ex cunctis populum Deus unum
Lege, ſacris, templo, unguento, ſigniſque fovebat;
Quod fuit occultum, mundique in fine retectum eſt,
Non oberat neſcire, omnes quandoque vocandas
In regnum æternum gentes, totumque per Orbem
Donandum, quod ſpes parvæ tunc plebis habebat.

Sic hodieque neſciunt omnes diem mundi ſupremum.

Sic poſtrema dies, quâ mundi clauditur ætas,
Notitiæ noſtræ non eſt data: nec tamen hujus
Secreti impatiens Sanctorum turba laborat.

Cap. XLV.

Ac ut propiùs ad rem veniatur, ſic latet cauſa tanta diſparitatis inter corporeas hominum conditiones;

Ipſa quoque humani generis carnalis origo
Quàm multas vario circumtegit ordine cauſas?
Cúmque omnes de fermento producat eodem
Una manus, nec diverſis elementa parentum
Principiis coëant; limo procedit ab uno
Diſpar opus: mutat numeros per vaſcula Fictor,
Materiamque unam diſcernit jure creantis.

Quà hic regnat formoſus, robuſtus, ingenioſus &c; ille contra deformis, debilis, hebes ſervit,

** Datum eſt; illos,*

Ergò eadem natura animæ, naturaque carnis,
Diverſis mundum ſub conditionibus intrat:
His regnare * datum; aſt illos ſervire neceſſe eſt:
Hos decor, & vires validæ, viridiſque ſenectus
Suſcipit; hos ſpecies inhonora, & debile corpus:
His viget ingenium præclaris artibus aptum;
Horum tarda premit gelidus præcordia ſanguis:
Quoſdam nec licitus calor incitat ad generandum;
Aſt alii inſanum nequeunt frænare furorem:
Hunc mitem & placidum tranquilla modeſtia comit; **
(Supple:) *Aſperitas iſtum genii intractabilis urget.*

Nec tamen quiſquam impatienter fert, quod eum hujus diſſimilitudinis ratio lateat:

His & mille modis ſemen variantibus unum,
Impariles ſubeunt diſtincta exordia formas.
Nec tamen hæc inter tam compugnantia, quiſquam
Arguit auctorem, qui ſecum continet hujus
Legem operis, dum judicio placita explicat æquo,
Et rerum cauſas obſcurat juſta poteſtas.

Quantò igitur magis ſi-

Si terrenum igitur figmentum, addictaque morti

Pro-

Ibid. Munere: perpetuò hîc pro dono, non officio: ſed nuſquam fermè tam ambiguè quàm hoc loco.

V. 711 Non edita. Sic rurſùs v. 746.

- - - *tamen EDITA NON ſit* &c.

contrà ſuprà v. 86. *Edita linguis*, & v. 151. *Edita nobis* &c. nempe *Edita* pro declarata ſeu manifeſta; *Non edita* verò pro occulta.

V. 712. Sic quando &c. Epiſt. ad Ruf. c. 16. *Quia & in anterioribus ſeculis, quando de unius gentis populo dicebatur [Notus in Judæa Deus, in Iſraël magnum nomen ejus] futura Gentium latebat electio, & poſtmodum innotuit, quod revelatum antè non fuerat, ſicut dixit Apoſtolus [Quod aliis generationibus non eſt agnitum* &c.] Quod tamen ita dumtaxat accipiendum videtur, ut non paſſim olim homines ſcirent, vocandas aliquando Gentes: nam alioqui Prophetas id ſciviſſe & prædicaſſe, ex profeſſo probatur lib. 2. de voc. Gent. c. 18.

V. 714. Mundique in fine: non pro *poſtrema die*, de qua mox v. 718; ſed pro tempore novæ Legis, quæ ultima eſt mundi ætas.

V. 725. Procedit: non *procedat*, ut alii: ita poſcente ſententiâ cum verbis quæ ſequuntur.

V. 730. Datum; aſt illos. Alii cum Gallo: *Datum eſt; illos &c.* Sed mihi placere non poteſt importuna illa repetitio verbi ſubſtantivi in medio & fine verſus: cui adde quod conjunctione *Aſt* eodem modo utatur Auctor mox infrà v. 736.

V. 734. Gelidus præcordia &c. Virgiliana phraſis, quâ hebes ingenium denotatur. ſic Georg. 2.

Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis.

Ubi alluſum putant ad ſententiam Empedoclis, animum, cordi ſuffuſum ſanguinem exiſtimantis, ut Cic. Tuſcul. 1.

V. 736. Furorem, nempe, libidinis: hi enim de quibus præſenti verſu, opponuntur illis de quibus præced.

Quoſdam nec licitus calor &c.

** Hic deſiderabatur quintæ antitheſis complementum, uti etiam doctiſſima manus ad meum Galli exemplar annotaverat. Gallus ipſe in utraque verſione ſuppleverat: nos in Latinis quoque ſupplendum duximus: an rectè, tu, Lector, videris. Aſperitatem litteræ caninæ affectavimus; uti Auctor lenium liquidarum mollitiem in v. præced. ac rurſùs antè in *Frænare furorem* eandem aſperitatem affectat.

V. 741. Secum continet. Intellige hanc phraſin ex v. 52 ſuprà, ubi ſimiliter, *Secum tenuiſſet* &c.

V. 742. Judicio placita explicat &c. Sic paulò pòſt dicit:

Ut cum operis ſpecies pateat, tamen edita non ſit
Norma voluntatis, de qua &c.

item lib. de voc. Gent. c. 16. *opus exſerit* (ſic reſtituo pro *erexit*) *pietas; cauſam obſcurat poteſtas.* Horum enim trium locorum una eſt ſententia: Deum opere atque exſecutione ipſâ, quæ quidem ſemper juſtiſſima ſit, oſtendere quid ſibi ſit placitum; ſed pro jure poteſtatis ſupremæ nos celare placiti ſui rationes.

V. 750.

Progenies, ita diſſimili producitur ortu;
Ut cùm operis ſpecies pateat, tamen edita non ſit
Norma voluntatis, de qua venit hic modus impar;
Quid mirum, ſi conſilii ſuper omnia magni
Arcanum latet, & placito ſubducitur alto?
Quod cùm vana fluunt mundi, dùm in corpore mortis
Vivitur, & poſiti expletur certamen agonis,
Non cognoſcendum texit Deus, utiliuſque
Duxit, ad examen quædam velare piorum.

...tendum; quod ſublime diſcretionis iſtius arcanum, tamiſper dum hic vivimus, nos lateat?

Cap. 36. — CAP. XLVI.

Qui ergò Chriſtianus ſeſe erga iſtud arcanum habere debeat.

NOn ergò inſtamus clauſis, nec operta procaci
Urgemus curâ: ſatis eſt, opera Omnipotentis
Cernere, & auctorem cunctorum noſſe bonorum,
Quo ſine nil rectum mens inchoat. Audeat amens
Impietas tumido arbitrio ſubnectere cauſas
Divinorum operum: nos cùm manifeſta videmus
Dona Dei, quorum eſt fons unus ſumma voluntas;
Rom. 11. Cum Paulo tremuiſſe juvat, ſtupidúmque modeſtè
Phil. 2. Invictum ad ſolium Chriſti ſuſpendere nutum:
Cujus judicium ſic inſcrutabile, & altum,
Dicimus, ut verax prorsùs fateàmur, & æquum.
Nam meritum ad mortem ſubeundam ſufficit unum;
Ad vitam, niſi quod donarit Gratia, nullum.

Cap. 37. — CAP. XLVII.

A qua Chriſtiana humilitate ne ſe Orthodoxi abduci patiantur ſuperbâ Maſſilienſium ſanctitate;

TU verò, ô nova Gens, veteris quæ ſtirpe oleaſtri
Velleris, & ſacræ ramis inoleſcis olivæ;
Quærere formatæ ſentis te frondis honorem
Non ſtudio cœpiſſe tuo, ſed jure potentis
Joan. 15. Agricolæ inſertam fœcundo vivere ligno.
Vince ſuperborum flatus, & vana furentum
Turbinibus ſtabili fortis pietate reſiſte:
Nec tibi fallacis ſubrepat imago * decoris,
Nullum ex his errare putes. Licet in cruce vitam
Ducant, & jugi afficiant ſua corpora morte;
Abſti-

* ..decoris. Nul. ex h. e. putes?

Suſpecta redditur tota horum virtus,

V. 750. CORPORE MORTIS. Videſis ſuprà ad v. 486.

V. 753. AD EXAMEN PIORUM: non ut illi ea examinent; ſed per illa potiùs à Deo examinentur ac probentur, quàm, nimirum, ſint humiles & fideles.

V. 757. QUO SINE &c. Magnificè abutitur putido illo Virgilii hemiſtichio ad Mæcenatem Georg. 3.

Te ſine nil altum mens inchoat.

ex quo etiam patet, legendum *Rectum*, uti Virgilius dixit *Altum*; non autem *Rectè*, ut habebant plures Editiones.

V. 758. ARBITRIO SUBNECTERE CAUSAS &c. Dictio eſt Juvenalis in fine Sat. 3. ubi legis, *ſubnectere cauſas*, tametſi longè alio ſenſu (ut ſolet Noſter à Veteribus non perinde ſenſus ac phraſes mutuari.) Ad ſenſum autem quod attinet, peti is poteſt ex ſimili loco ad Capit. 8. Gall. *Cauſas verò operum & judiciorum Dei qui ex toto ad humanas voluntates & actiones refert .... & diſpenſationes Dei ex liberi arbitrii vult mutabilitate variari* &c.

V. 767. NOVA GENS. Non alloquitur Ingratos (ut quidam exiſtimarunt, fortè decepti voce, *novi*, quæ in malam partem frequenter accipitur) ſed orthodoxum Eccleſiæ populum; novum utique comparatione Judaïci; cui hoc loco opponitur.

V. 768. VELLERIS, verb. pro *avelleris*, Virgilianè. Alluditur ad Rom. 11. ubi de gente Judæorum ut *Olivâ*, & de Gentili ut *Oleaſtro*, diſſeritur. vide ejus loci expoſitionem luculentam apud Aug. in Pſal. 72.

V. 769. FORMATÆ FRONDIS, nempe oleaginæ; ut diſtinguitur contra frondem oleaſtri, velut informem & imperfectam.

V. 772. SUPERBORUM. Maſſilienſium epitheton, & quidem è duobus primariis unum. alterum nempe eſt *Ingratorum*. ambo autem conjunctum habes ſuprà in Præfat. & v. 684.

V. 774. & ſeq. DECORIS, NULLUM &c. Hactenùs lectum fuit:

- - - - ſubrepat imago decoris.
Nullum ex his errare putes?

nec interrogationi tam abruptæ diſſimilis eſt illa ſuprà v. 459.

Divinorum operum quod poniti͏s &c?

Tamen locum corruptum eſſe, cum Gallo ſentio: optaremque cum eodem M. SS. opem; ſed quæ mihi, ne Romæ quidem omnes Bibliothecas celebriores, ipſamque etiam Vaticanam perluſtranti, obtingere potuit. Igitur meo Marte, non invito Gallo, ita reſtitui, ut duo hi verſus ſibi cohæreant; ſubauditâ tamen inter utrumque conjunctione *Ut*. Dubitavi etiam, num fortè integer verſus deſideraretur, v. g.

Ut quia conſpicui ſunt moribus, atque probatis; ſine quo profectò, aut ſimili, non ſatis indicatur, quæ ſit illa *fallacis imago decoris*.

V. 775. LICET IN CRUCE &c. Igitur ubi illud, loquies, Evangelicum: *Ex fructibus cognoſcetis eos?* ſine dubio enim nonnulla doctrinæ probatio mores ſunt: ſed nec id negat hîc Noſter; imò potiùs probat, eum detracturus Semi-Pelagianis hanc larvam, non eam init viam, ut dicat mores nihil conferre ad doctrinæ judicium; ſed aliam potiùs, nempe ut oſtendat, virtutes eorum ſolidas non eſſe, vitiante illas ſuperbiâ, & propriæ laudis

ut quæ ſolida eſſe non poſſit in tali doctrina:

Abſtineant opibus, ſint caſti, ſintque benigni,
Terrenisque ferant animum ſuper aſtra relictis:
Si tamen hæc propriâ virtute capeſſere quemquam
Poſſe, putant; ſitve ut dignus labor iſte juvari,
Ingenium meruiſſe ajunt, bona vera petentis;
Creſcere quo cupiunt, minuuntur, proficiendo
Deficiunt, ſurgendo cadunt, currendo recedunt.
Unde etenim * vani fruſtrà ſplendeſcere quærunt; (* Varii.)
Inde obſcurantur: quoniam ſua, laudis amore,
Non quæ ſunt Chriſti, quærunt, nec ſit Deus illis Phil. 2.
Principium, & Capiti non dant in corpore regnum.

Cui propoſito varia Scripturæ loca applicantur.

Non horum templo eſt Chriſtus petra, fundamentum:
Sed ſuper inſtabilem arbitrii nutantis arenam
Adſurgunt, fœdâ lapſuri mole tumoris.
Iſti quem quidam reprobarunt ædificantes,
Nunc etiam reprobant Lapidem, parieſque ſine * illo (* Ipſo.)
Tertius eſſe volunt, quem nullo fœdere nectat
Angulus, & quem nulla habeat compago ligatum.
Hi thalamum ad Sponſi non perducuntur, & intrant
Libertate ſuâ. quæ Chriſti Gratia confert,
Non acceperunt, & habent. non attrahit illos
Vis Patris ad Verbum; ſed ſponte, & præpete curſu
Præveniunt ceſſantis opem: nec ad omne gerendum
Ejus egent, ſine quo ſibi plurima poſſe videntur.

Cap. XLVIII. Cap. 38.

Doctrinam illorum non diſtare à Pelagianâ, niſi voce & ſuperficie tenus.

Quid prodeſt, verbis commentum Pelagianum
Reſpuere, & ſolâ damnatos plectere voce;
Cum paucis ſqualidâ ſublatis de cute nervis,
Intima viperei foveantur viſcera ſenſus?
O bene, quod diri erroris malus ille Magiſter
Nullo prælevit lethalia pocula melle;
Sed non ambiguâ infectum feritate venenum
Protulit, & guſtu virus detexit amaro!

Nam

laudis amore, quem quidem ipſo ſuo dogmate profitentur.

V. 784. Vani: aliud Ingratorum epitheton, quo eos iterùm ornat ſuprà v. 493. Alii interim pro illo legunt, *Varii*; ut ſit à particulari de Maſſilienſibus ſermone tranſitus ad ſententiam generalem: verùm quia & illa, quæ mox ſequuntur, ſolos iterum Maſſilienſes tangunt; putem in *Variis* mendum eſſe.

V. 788. Non horum &c. Iuvat integra adducere ea Scripturæ loca, quibus Auctor hoc paſſag. tam graviter ſanctéque ludit; præſertim quòd illorum annotatio marginalis denſior & confuſior foret, quàm quæ facilè caperetur. Itaque hoc ipſo v. 788. reſpicitur tum ad 1 Cor. 3. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*; tum ad Epheſ. 2. *In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino*; tum denique ad 1 Cor. 10. *Petra autem erat Chriſtus.*

V. 789. & ſeq. alluditur ad *Virum ſtultum*, ſic loquitur Salvator Matt. 7, *qui ædificavit domum ſuper arenam* &c.

V. 791. reſpicitur ad illud Pſal. 117. quod etiam in Evangelio ſæpiùs repetitur, *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.*

V. 792. & ſeqq. primò reſpicitur ad loca in quibus Chriſtus dicitur *Lapis angularis*, ut Iſa. 28. Epheſ. 2. & 1 Pet. 2. deinde iterum ad Epheſ. 2. *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem ſolvens* &c.

V. 795. miſceri videntur verba Pſal. 18. *Tanquam Sponſus procedens de Thalamo ſuo*, & ſenſus Cantic. 1. *Introduxit me rex in cellaria ſua*, vel ut vulgò Eccleſia, *in cubiculum ſuum.*

V. 796. & init. ſeq. reſpicitur ad 1 Cor. 4. *Quid habes quod non accepiſti?*

V. 797. & ſeq. alluditur ad Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.*

V. 800. denique ad Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.*

V. 803. Cum paucis &c. Totus hic mihi verſus primâ fronte diſplicuit: quid enim, ajebam, illi *ſublati de cute nervi?* an forſitan legendum, *nævi?* deinde qui potuit Auctor labi in *Squalida*, ut primam corriperet, qui jam ſuprà tam diſertè eandem in *Squalenti* produxerat? cùm interim ſubiit, tantò procliviorem fuiſſe S. noſtro hanc ſyſtolen, quòd fortè putarit, primam in *Squaleo* naturâ ſuâ brevem, demùm apud Auctores produci ubi littera l in medio duplicatur. Ad *nervos* autem quod attinet, jam cepi qui illi *de cute* tolli dicantur; nimirum, ſi cutem acceperis pro omni illo tegumento exteriori, quo viſcera occultantur, quódque & nervos, & muſculos, venas &c. denique ipſam cutem propriè dictam complectitur. nam fatendum equidem eſt, impropriè locutum Noſtrum: ſed tanti erat imitari Ovidii locum Metam. 6 in fab. de Marſya excoriato, ubi perinde ut hic, & *Cutis*, & *Nervorum*, & *Viſcerum* eſt mentio:

- CUTIS eſt, inquit, *ſummos derepta per artus,*
Detectique patent NERVI - -
- - - ſalientia VISCERA poſſes,
Et pellucentes numerare in pectore fibras.

V. 806. Nullo prælevit &c. En iterùm mellis mollitiem expreſſam multiplicatis LL: ut econtrà v. præced. *diri erroris magiſter* aſperiùs exprimi haud potuit, quam concurrentibus tot litteris caninis RR.

V. 808. Gustu amaro. Legit Georg. 2.

At ſapor indicium faciet manifeſtus, & ora
Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaro.

Sic ipſius ævo legebant plures: unde veniam meretur ſermonis tam improprii, quo hic utitur: nam procul dubio ſatis vernaculè *Guſtu* poſuit pro *Sapore*. Cæterum hodie poſt A. gellium lib. 1. c. 21. paſſim Grammatici ita legunt hunc Virgilii locum:

- - - ſenſu torquebit amaror.

V. 810.

Digitized by Google

Nam ſi argumenti primordia non oneraſſet
His, quæ Diſcipuli demſerunt callidiores;
Innumeras dubio cepiſſet plaſmate mentes:
Quæ dùm multa vident informia limine in ipſo,
Horrida terrificæ declinant atria mortis.
Nec * jam illis poſſunt attriti illudere fures; * Tam.
Quorum quò tendant artes, atque unde oriantur;
Non dubiis promtum eſt cuivis cognoſcere ſignis.

Cap. 39. CAP. XLIX.

Aliqua illis quidem cum Orthodoxis profiteri, ut videantur à Pelagianis alieni;

NOn igitur cum damnatis ſentire videntur,
Cùm dicunt: Mortem in cunctos tranſiſſe per unum
Rom. 5. Primum hominem, cujus crimen reſperſerit omnes;
Nec quenquam in vitam æternam, niſi Fonte renatum,
Joan. 3. Venturum; infanteſque reos hoc munere ſolvi,
Quos prima ad mortem generaliter edat origo.

Sed per alia quæ adjungunt, prorsùs incidere in damnatos errores.

Sed cum damnatis ſapiunt, damnataque promunt,
Cùm dicunt: Nihil eſſe animis per vulnus avitum
Detractum decoris, ſplendoremque omnibus illum
Nunc talem innaſci, qualis fuit ante ruinam.
Hinc libertatem arbitrii diſcernere ſano
Poſſe oculo cordis, quidquid ſit ritè gerendum.
Nec ſollùm ad vitæ præſentis commoda, ſolers
Sufficere ingenium, quo ſe tueatur & ornet:
Sed ſummis etiam mentem aptam percipiendis,
Æterniſque bonis, ſponte ad cœleſtia ferri;
Perque viam ad Chriſtum, quam fecerit ipſa, venire.
Hinc hominem multâ recti adſuetudine firmum,
Poſſe repugnare adverſis, nec cedere pœnis,
Quas ſuperandæ animæ per carnem admoverit hoſtis;
Auxilio abſcedente Dei: qui deſerat aptè,
Utiliterque ſuos, ut de certamine agonis
Quæſitas referant palmas, neu nulla piorum
Sint merita, & veræ priventur laudis honore,
* Si, quod naturæ ſenſu noluntque volúntque; * Sicut nat. ſenſum.
Præceptiſque tenent Legalibus inſinuatum,
Divini auxilii manus hoc operetur in illis.
Ceu ſolis Chriſti famulis virtute carere

Sit

V. 810. Discipuli. Maſſilienſes, quibus paſſim Pelagium, ac Pelagianos, *Magiſtros* attribuit.

V. 814. Jam: videlicet poſt tot condemnationes & proſcriptiones ſolemnes; vel certè *Jam*, cùm tot conſpiciuntur.

- - - *informia limine in ipſo.*

Saltem *ſigna* illa, de quibus tertio pòſt verſu, non alia putarim, quàm iſta *informia*, quæ hæreſis Pelagiana quaſi ipſâ fronte præferebat. Interim pro *Jam*, Vulgati hic legunt *Tam*, ut conjungatur (puto) cum *Attriti*.

V. 816. Cognoscere. Ita legendum, & non *Agnoſcere*, ut alii (quanquam reverà in tenui labor eſt) demonſtrat verſus Maronis Georg. 4. unde hic expreſſus eſt:

Quod jam non dubiis poteris cognoſcere ſignis.

ex quo etiam fortaſſe deſumptum eſt illud *Jam*, de quo Notâ præced.

V. 822. Prima origo. i. *prima* nativitas ſecundùm carnem, ut diſtinguitur contra *ſecundam* per Baptiſmum, de qua mox note:

- - - *niſi Fonte renatum.*

niſi tamen ſimpliciùs *prima origo* ſit, quam trahont infantes à *primo* Parente; ut propterea etiam mox ſequatur,

- - - *per vulnus avitum.*

V. 824. Nihil esse &c. Vide idem dogma ſuprà cap. 1. & alibi.

V. 835. Nec cedere pœnis &c. Quippe *cùm tanta ſit virium* naturæ *integritas, ut contra ipſum diabolum, ſævitiamque ejus, uſque ad extrema ſupplicia ſine auxilio Dei valeat dimicare.* ita ex ipſorum ſententia lib. cont. Collat. c. 40.

V. 839. Neu nulla &c. Hanc reipſa fuiſſe Semi-Pelagianorum ſententiam, patet tum ex pluribus aliis, tum ex verbis Collatoris eod. lib. c. 39. ſub fin. ubi de fide Centurionis à Chriſto laudata ait: *nullius enim laudis eſſet ac meriti, ſi id in eo* (Centurione) *Dominus, quod ipſe donaverat; prætuliſſet.* i. præ aliis laudaſſet. Quod autem hic cum Vulgatis legimus, *Neu nulla* &c. Gallus legit *Ne:* male, ac contra Proſperi & Virgilii phraſin, qui ubi *Ut* aut *Ne* præceſſit, non jam ampliùs *Ne*, ſed *Neu*, ſubjungunt, quaſi *Neve;* ſicut *Seu*, pro *Sive*, quaſi *Seve*.

V. 841. Si, quod naturæ sensu. Hanc lectionem Vulgati ferebant pro conjectura marginali: Gallus textui rectè invexit, pro eo quod alias legebatur:

Sicut naturæ ſenſum &c.

Senſum autem naturæ rectè itidem intellexit de lumine ac dictamine naturali, quod paſſim Pelagiani cum ſuis illis Diſcipulis ſufficere dictitabant, ſaltem cum Lege ſcripta (de qua hic v. ſeq.) ut quis vellet nolletque, quod oportet. ſic ſuprà docent cap. 1 parag. 3. ſic iterùm cap. 29. parag. 2. & 3. ſic etiam alibi.

V. 844. Ceu solis Christi &c. Ita cont. Collat. c. 12. *Si ideò voluntas non putanda eſt noſtra, quia formatur, regitur, ordinatur, imbuitur; ſpoliantur libertate filii Dei, qui aguntur Spiritu Dei: perdunt vigorem rationalis animi, & omnis voluntariæ devotionis laude privantur, quibus datur Spiritus ſapientiæ & intellectus* &c. hactenus Auctor. *Chriſti famulos* ergò intelligit, qui juxta Scripturam aguntur Spiritu Dei, & quibus datur Spiritus ſapientiæ & intellectus &c. quaſi dicat; Si vera eſt veſtra doctrina, nempe, virtutis laude carere quidquid Deus in nobis operatur; igitur virtutis laude carebit, quidquid egerint illi, qui aguntur Spiritu Dei, qui

tamen

Sit dignum, & non poſſe probos apprendere mores,
Quos plerúmque habeant etiam ſimulacra colentes.

Cap. L. Cap. 40.

Ut ab hiſce ſigitur ſibi caveant Orthodoxi,

TAlia lingua procax verbis cùm fundit ineptis;
Effuge tu, nova Gens; hoſtiles effuge ſenſus,
Et procul à laqueis ſapiens abjungere mortis. Pſal. 17.
Chriſtus enim tua juſtitia eſt: quo te duce oportet
Currere; ne curſus Chriſto ſine, ſit vagus error.
Nemo etenim, nemo eſt, qui non cum vulnere primi
Sit Patris genitus: quo vulnere mens priùs intùs
Percuſſa eſt, quàm membra foris; cùm mente receptum eſt,
Quod regione poli disjecta ſuperbia ſuaſit.
Sic animus, cui lumen erat de lumine ſummo,
Arbitrium involvit tenebris; & luce relictâ,
Conſilio legit tetræ nigreſcere noctis.
Nec jam captivos oculos extollere in altum
Sponte poteſt: quoniam hoc etiam, ſpoliante tyranno,
Perdidit; ut quanto jaceat ſub vulnere, nôrit.

Fatentes Gratiæ neceſſitatem, & ſuam infirmitatem; eamque tantam, ut naturam ægram quidem aut infirmam ſe eſſe ſentiat:

Cap. LI. Cap. 41.

Quo etiam fit, ut de tantillis primæ integritatis reliquiis ſic tanquam de plena ſanitate ſuperbiat.

SI quid enim de principiis felicibus illi,
Et vita exſilii ſupereſt prudenter agenda;
Hoc ſanum, & quo nil fuerit ſublimius in ſe,
Credit: amátque ſuum mundi ſapientia ſenſum,
Innumeras claram ſeſe mirata per artes:
Quod conjecturis ſublimibus abdita quærit;
Quod meminit rectè, ſapit acriter, æſtimat aptè;
Quod ſtudium fandi excoluit; quod legibus urbes
Inſtituit, moreſque feros ratione recidit,
Ut pœnæ metus officio certarit amoris.
Jam cùm exercetur numeris, ad ſidera cœli
Per curſus noſcenda ſuos, & ſcire videtur
Defectus Solis varios, Lunæque labores;
Quàm ſpecioſa ſibi eſt, & quàm vaneſcit in ipſis!

Quæ

tamen propriè ſunt Chriſti famuli: hique hoc pacto inferiores erunt Paganis ipſis, qui juxta vos ſæpiùs digna laude agunt.

V. 848 Nova Gens. Vide ſuprà ad v. 767.

V. 855. Regione poli disjecta, in diabolo.

V. 859. Extollere in altum, ad petendum auxilium aut medicinam; quòd nempe vulnus ignoret ſuum, ac, ut alibi dicitur, *pro ſanitate habeat, quod ægrotare ſe neſcit; donec prima hæc medela conferatur ægroto* &c.

V. 863. Et vita - - agenda. Gallus legit, *Vitâ agendâ*, in ſexto caſu; ut ſit ſenſus: Si quid homini hodie ſupereſt de principiis felicibus primi ſtatus, & de vita hujus exſilii prudenter agenda. quod adeò mihi non probatur, ut retinere maluerim lectionem Vulgatam in caſu recto. Quanquam nec illa quidem ſuis incommodis caret: qui enim iſtud quod ſequitur, *Hoc ſanum* &c; qui inquam, iſtud ad plura illa quæ præcedunt, ac interea ad vitam prudenter agendam, referetur? Certè nitidiùs fuiſſet:

Ad vitam ex. ſ. p. agendam;

ut ſuprà v. 829.

- - - *ad vitæ præſentis commoda* - -

Pro lectione interim noſtra & Vulgata tuenda facere poteſt, quod ſoleat etiam alibi Auctor noſter ponere conjunctim plura, atque ad unum dumtaxat ex iis, idque ut plurimùm quod eſt primùm, referre ſequentia.

V. 865. Suum sensum amare dicitur mundi ſapientia, non uti vulgariter quiſque dicitur amare ſenſum ſuum. i. ſententiam: ſed amat miraturque ſuum ſenſum, hoc eſt ſuum ſcire; ut tum ex ſequentibus, tum ex dictis mox ſuprà ad v. 841. colligi poteſt. Porrò *Mundi ſapientia* dictio eſt Apoſtolica non uno in loco.

V. 871. Exercetur numeris &c: in Mathematicis, in quibus præ cæteris ſibi humanum placet ingenium.

V. 874. Defectus Solis &c. Verſus integer è Georg. 2. ac ferè è Lucret. lib. 5. quem non adeò Noſter huic loco inſeruit, ut utrumque hunc poetam-philoſophum imitaretur, quàm ut eos piè derideret, uti nimis ſibi placentes in hac ſcientia. Quippe Lucretium videas ubique pænè pueriliter eâ exſultantem; Virgilium quoque paulò poſt dictum verſum mirùm quanto affectu exclamantem audias:

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas!

Ibid. Varios. Quia quidam putarunt, faciliùs adſignari *varios Solis effectus*, quàm *varios defectus* (quis enim alius, dixerunt, Solis defectus, quam is qui per Lunæ interpoſitionem creatus, Eclipſis dicitur?) nec inſuper familiarem habuêre Virgilium (quod uti Theologo vitio verti non debet; ita nec contrà improbari ea familiaritas, quam ne SS. quidem Patres paſſim dedignati ſunt;) conjecerunt illi legendum, *Effectus Solis varios.* Sed præterquam quod defectus ipſe ordinarius ſuâ varietate non careat; alius enim totalis, alius partialis; alius univerſalis, alius particularis &c. notandum prætereà, Soli non prorsùs inſolitos eſſe quoſdam defectus extraordinarios, quos Eclipſis nomine non vocamus. Sic famoſus Philoſophus ex hodiernis narrat, Solem aliquando per plures dies, atque adeò menſes, & annum integrum, obtuſo lumine luxiſſe adinſtar Lunæ: quod ipſe copiæ & magnitudini attribuit earum macularum, quas ope teleſcopii in Solis corpore, non eodem perpetuò numero, magnitudine & formâ, obſervamus: quibus etiam fieri putat, ut ſtellæ aliquæ fixæ, quas totidem Soles cenſet, omninò diſpareant; uti ſeptimâ Plejadum factum eſſe, Ovidius in Faſtis non fabuloſè memorat, etſi rationem ipſe pro inſtituto

ſuo

Cap.42. | Cap. LII.

Quæ tamen reliquiæ ſi ad ſalutem perducere poſſent, aut natura adhuc plenâ integritate gauderet; jam fruſtra foret Chriſti ſanguis & mors:

QUæ licet ex primo naturæ habeantur honore,
Non tamen ad veram poſſunt perducere vitam.
(Denique ab his præceps in multas religiones
Decidit; & factis hæſit, Factore relicto.)
Nam ſi nunc etiam * illæſus vigor ille maneret,
In quo inſons natura fuit; ſua quemque voluntas
Conciliare Deo, pœnáque abſolvere poſſet,
Gal. 2. Nequicquam Chriſtus mortem moriendo piaret,
Joan. 1. Peccatum & Mundi ſanguis non tolleret Agni,
Nec genus humanum generari rursùs egeret
Joan. 3. Conditione novâ: quoniam ſapientia ſana,
Sana fides, ſanum arbitrium, mens libera morbo,
Vitam agerent dignam ſummorum participatu.

* Illæſis.

Cap.43. | Cap. LIII.

Quæ omnia cùm fruſtra non ſint, ex tanta Filii Dei exinanitione oſtenditur gravitas communis vulneris naturæ.

SEd proſtrata ſemel, quanto natura profundo
Immerſa, & quantæ ſit mole oppreſſa * ruinæ,
Verbum homo fit, rerumque Sator ſub conditione
Servilis formæ dignatur Virgine naſci;
Inque infirmorum cunctos deſcendere ſenſus:
Vexatur Virtus, Sapientia ludificatur,
Juſtitia injuſtos tolerat, Clementia ſævos,
Gloria contemtum ſubit, & tormenta Poteſtas,
Inque Crucis pœnam nulli violabilis * unquam
Vita agitur; cujus perimatur morte peremtor:
Juſto ut pro injuſtis effuſo ſanguine, ſit mors
Unius inſontis multorum vita reorum.

* Ruinæ?

* Uſquam.

Cap. LIV.

Ut ex remedii magnitudine colligant homines magni-

HOc igitur pretio captivi cùm redimuntur,
Agnoſcant, quali concluſi carcere, quóve
Ob-

ſuo reddat fabuloſam. Et quia de Ovidio facta mentio eſt, quo nemo ingenioſiùs phænomena naturalia fabulis ſuis immiſcuit; is idem eſt, qui ad *defectus* noſtros *Solis varios* alludens, alicubi in Metamorphoſi (loci in præſentiarum non memini) inducit Phœbum neſcio quo pallore marceſcentem; diſertéque addit, non talem hunc tamen fuiſſe, qui Sororis interjectu creſaretur; inſinuans ſcilicet alias defectionis ejus & ſpecies & cauſas.

V. 878. Denique ab his &c. Periodum nimis abruptam parentheſi includendam duximus. Specialiter autem illa refertur ad dicta in fine Cap. præced. de Aſtrorum ſcientia: quæ adeò non valet poſſeſſores ſuos ad veram vitam perducere, ut etiam quoſdam ad idololatriam, puta ad ipſum illorum Aſtrorum cultum, pertraxerit (de quibus magna querela Sap. 13.) Ubi admirari licet humani ingenii pravitatem, optimis quibuſque rebus tam perversè abutentis, ut pulcherrimam ſcientiam, Phyſicen dico, quâ ex iis quæ facta ſunt, Factorem op. max. ἀναλογικῶς invenire tam facile eſt; ſibi contra ipſummet Deum faciat inſervire, ex eaque decidat non in multas tantùm religiones, ut hic Noſter notat; ſed vel in ipſum Irreligioſitatis, atque Atheïſmi barathrum. Sic quippe impius ille cum ſuo Epicuro Lucretius, ſic Plinius, ſic alii Naturæ myſtæ, auxerunt infelicem Atheorum numerum: ſic hodieque noſtri ævi Satyricus ejuſdem impietatis infamiam adſpergere audet Phyſicorum, ſeu ut ipſe vocat, *Medicorum* profeſſioni. Et quidem illud fortaſſis injuriâ; ſed tamen pudet, piget, tædet generis humani, quòd ſaltem ſuſpicio illa non in alios potiùs omnes cadat, quàm in eos, qui ab hoc malo longiſſimè abeſſe deberent. Atque hæc ad prudentiſſimæ veriſſimæque hujus Proſperianæ parentheſis confirmationem dicta ſint; & quidem ab eo (ne Phyſices odium putetur) qui & ipſe aliquando hanc Galateam amavit, imò deperiit.

V. 880. Illæsus vigor. Sic ſuprà v. 541. legimus *Mentis honorem illæſum:* Gallus tamen (niſi vitium typorum eſt) *Illæſis.*

V. 883. Mortem moriendo piaret. Non opus erat conjecturâ *Ligaret*: eſt enim imitatio iſtius Metam. 8. in Meleagri fabula:

- - - *Mors morte pianda eſt:*

aut ſi nonniſi Virgiliana dictio in pretio eſt; reſpexit ad illud Æneid. 2.

- - - *Culpam hanc miſerorum morte piabunt.*

V. 890. Ruinæ. Hucuſque interrogative legit Gallus: conſentirem, ſi foret hoc verſu, *Mole eſt oppreſſa* &c. pro *ſit mole.* niſi quod tunc adhuc potiùs per exclamationem legerem. Nunc autem ajo Ellipſin eſſe, nec eam quidem adeò incommodam. qui volet, interim ſuppleat ex ejuſdem argumenti loco contr. Collat. c. 19. *Nonne ex ipſius remedii ſingularitate apertiſſimè patet in quàm profundum malum totius humani generis natura demerſa ſit illius prævaricatione; in quo omnes peccaverunt?*

V. 897. Nulli violabilis unquam. Gallus *Uſquam.* putat autem hoc dictum, quia Salvator inviolabilis erat, niſi ipſe voluiſſet. Mihi acutius aliquid ſubolet; nimirùm, nihil adeò naturâ ſuâ à morte immune eſſe, ac Vitam ipſam, uti morti è diametro contrariam; ideòque miſum, potuiſſe mori.

V. 898. Peremtor; non tam ipſius Chriſti, quàm generis humani; nempe diabolus, qui Joan. 8. *Homicida* dicitur *ab initio.* perimendus autem dicitur metaphoricè, quia (ut item in Evangelio) ejiciendus foràs, ac deſtruendum regnum ejus, adimendúmque illi mortis imperium. Ita Gallus mecum in Proſa: meliùs quàm in Verſu, ubi de Morte intelligit.

V. 908.

tudinem mali, à quo erant liberandi.

Obſeſſi fuerint morbo; quibus eripiendis
Succurri haud aliter potuit, quàm morte medentis.
Et quia de magnis opibus nonnulla ſuperſunt,
Quæ decorent nudos, & quæ ſolentur egenos,
Non ita pro ſummis oblectent ultima lapſos,
Ut de ſupplicio tumeant, atque (ordine verſo)
Quo ſunt effecti miſeri, ſint inde ſuperbi.
Aut cùm hebetes viſus, longa ex caligine tandem
* * (Supple.) *Erepti, acceperint vero de lumine lumen;*
Naturæ hoc potiùs, libertatique volendi,
Quàm Chriſto tribuant, ne, ſcilicet, evacuetur
Arbitrii virtus, ſi deſit recta legendi.

Cap. LV.

Oſtenditur, ejuſdem fuiſſe rationis perſuaſionem Serpentis olim, atque hanc Pelagianorum & Maſſilienſium:

HOc Patribus primis mortis Sator inſinuatus
Conſilio eſt: hàc arte omnes proſtravit in uno;
Dùm ſuadet, multo præſtantius eſſe, quod ipſis Gen. 3.
(Non tribuente licèt Domino) ſponderet habendum
Prudens libertas, vetitoque inſtructa cupido.
Quæ nunc per veteris ſerpens veſtigia fraudis,
Deceptos ſimili ſtudet inflammare furore:
Ut quoniam pulchrum eſt, veris impendere curam,
Juſtitiæque avidos bona noſſe & velle, ſalubre eſt,
Suadeat, ingenio cujuſque hoc lucis ineſſe,
Ut naturali mens vivida mobilitate,
Non ſpirante Deo, Chriſti exardeſcat amore:
Utque ita ſalvatrix nil Gratia conferat iſtis,
Sed referat, pretioque bonos, non munere, ditet.

Cap. LVI.

Quæ cùm plurimorum latentium zizaniorum ferax ſit;

Ut Orthodoxi, tamquam verum frumentum, ab ea caveant, fatendo omne ſe bonum à Deo habere per ſuum myſticum Caput Chriſtum.

HIs de ſeminibus multò jam plura oriuntur,
Et frumenta inter primo turgentia lacte,
Spinis fulta ſubit ſeges horrida zizaniorum.
Sed nos, qui Domini ſemen ſumus, Agricolæque Cap. 44.
Stamus ope, & ſuperâ perflati vivimus aurâ;
Viperei calicis guſtum procul excutiamus,
Divinique opens conſtanter confiteamur
Figmentum nos eſſe novum, quod prorsùs ab illa
Stirpe vetuſtatis diſcretum eſt, atque reciſum;
Et jam ſit penitùs carnalis originis exſors,

Qui

V. 908. Supplicio, & quidem v. ſeq. *quo ſunt effecti miſeri*: de reliquiis primæ integritatis dicitur; nempe cum reſpectu ad bona ipſa primæ integritatis, quorum duntaxat exigua ſunt particula, ceteris miſerè deperditis. Hoc ſenſu pars exigua magnarum opum, quibus quis ob crimen à Principe multatus eſt, *ſupplicium* ejus dici poſſet, cùm ipſe eam adſpiciens conſiderat, quant illum ſibi de tantis bonis ſuperſit: maximè ſi pars iſta exiguo ipſi ſit uſui, & fermè nonniſi ad damnum conducat; uti reliquiæ illæ hominem ſine Dei auxilio *finem ad mortis* (ut ſupra dicitur v. 403.) non autem (ut v. 877. additur.)

- - - ad veram poſſunt perducere vitam.

V. 911. ** Manifeſtum hiatum etiam Gallus notaverat, obſtruxeratque hoc verſu à ſe conficto:

Ad cœlum attollunt, & verâ luce fruuntur.

Satis concinnè enimverò: ſed nos jam alium ex ipſis verbis Proſperi collegeramus; eo nimirum loco, ubi eandem ferè ſententiam tractat (ſi tamen ipſe eſt) Epiſt. ad Demet. c. 14. *Sicut*, inquit, *arte medicâ fit in oculis CALIGANTIBUS, ut poſſint videre quod non vident; .... ita in cordibus tardis & HEBETIBUS per Spiritum S. acies obducta tergitur, & DE VERO LUMINE tenebroſæ jam & deficientes lucernæ LUMEN ACCIPIUNT.*

V. 914. Desit recta legendi. i. virtus recta eligendi. ſic ſupra v. 651. & ſeq.

- - - quia recta gerendi.
Non data ſit virtus.

V. 915. Patribus primis. Dubitanter ſuprà ad v. 10. iſtud, *De Patribus*, expoſuimus de primo Patre & Matre: nimis enim novè, ac ſine ullo idoneo Veterum exemplo, id dictum videbatur. dubitationem verò omnem exemit hic locus: de phraſi interim Grammatici viderint.

V. 920. Quæ nunc &c. Verſum hunc ambiguum & obſcurum reddunt *Quæ*, & *Serpens*: nam hoc quiſpiam facilè ſubſtantivè acciperet; illud verò quò referendum ſit, non ſtatim apparet: ac mihi quidem primâ fronte referendum videbatur ad *Cupido*. Atqui ut nunc video, referendum ad *Veſtigia*: *Serpens* autem participialiter accipe, & ſic ordina conſtructionem: *Per quæ veſtigia veteris fraudis nunc* iterùm *ſerpens* ille *mortis Sator* diabolus, *deceptos ſimili* &c.

V. 925. Mobilitate: ut ſuprà v. 592. non igitur *Nobilitate*, ut quibuſdam viſum fuit.

V. 928. Pretio, non munere. i. mercede debitâ, non dono gratuito.

V. 934. Viperei calicis. i. à Serpente propinati: reſpicitur enim ad dicta cap. ſuperiore.

V. 938. Et jam sit &c. Gallus Imperativum credidit, conjungendum ſcilicet cum illo ſupra v. 934. & ſeq. *Excutiamus*, & *Confiteamur*. Mihi verò Subjunctivus videtur,

Qui membrum eſt Chriſti, Capitiſque in corpore vivit;
A quo ſubjectos vigor omnis manat in artus,
Et ſic quæque ſuo vegetantur in ordine partes,
Ut quod agunt, & diſpoſitis quod motibus explent,
Coloſ. 1. Ex illo poſſint, qui ſumma atque ultima pacans,
Ut nos insereret ſummis, ſe miſcuit imis.

Cap. 45. CAP. LVII.

Denique tantùm abeſſe; ut merito & mercede careant Sancti, ſi bona in ipſis Deus operetur;

Conticeant igitur, qui dicunt eſſe cavendum,
Ne deſit Sanctis ſumendæ cauſa coronæ,
Si non ipſorum bona reperiantur in illis.
Hoc etenim tumidâ nimis impietate docentes,
Quid niſi juſtitiâ nos, & virtute, Deoque
Deſpoliare volunt, ne lux in nocte coruſcet,
Languida ne in vires redeant, ne mortua vivant?
Sed nobis ſummo verorum à fonte bonorum
Haurire hæc, ſupero & ſemper ſplendore nitere,
Iſai. 40. Gloria ſit; non ſpes in fœni flore caduco.
Sicut enim palmes nullos valet edere fructus,
Non in vite manens; quæ de radice miniſtra
Succum agat in frondes, & muſto compleat uvas:
Sic infœcundi virtutum, & fruge carentes,
Perpetui cibus ignis erunt; qui vite relictâ,
Audent effuſa de libertate comarum
Fidere, ne Chriſti ſint ubertate feraces;
Et magè ſe credunt propriis excellere poſſe,
Quàm ſi virtutum placitarum ſit Deus auctor.

Ut contrà iidem cariturì ſint, qui non-niſi ſua opera habuerint.

CAP. LVIII.

Qui ſi villus eſſe putent, minuſque glorioſum, Deum habere ſuorum operum auctorem; certè ſuâ ſententiâ viliores erunt in cælis, cùm nihil agent niſi auctore Deo.

Illes ergò putent ſe, deformeſque futuros,
Cùm transformatis fiet Deus unica Sanctis
Gloria, corporei nec jam preſſura laboris
1 Cor. 15. Conteret incertos, ſed in omnibus omnia ſemper
Chriſtus erit. quod ſi pulchrum, & ſuper omnia magnum eſt;
Cur pudet, hâc etiam fletûs in valle potentes
Eſſe Deo, minimúmque operis mortalis habere?
Quod non eſt niſi peccatum, quo diſcrucietur
Libertas; ad quam ſolam malè geſta recurrunt.

Et

detur, cohærens cum Infinitivo immediatè præcedenti eâ ratione, quâ paſſim hic Noſter hos duos Modos connectit: adeò ut *Jam ſit*, ſtet pro *Jam eſſe*; niſi tamen legendum, *Ut jam ſit* &c.

V. 944. SUMMIS, SE MISCUIT IMIS. Elegans abuſus iſtius triti apud Auctores bonos, *Summa imis miſcere*, pro ſursùm deorsùm omnia vertere.

V. 946. SUMENDÆ CAUSA CORONÆ. i. ratio meriti & mercedis. vide ſuprà ad v. 839. & ſeq.

V. 947. IPSORUM BONA. i. ipſis propria, ac ſine Gratiæ auxilio facta: ſicut ſuprà v. 570.

Vel noſtro adſcribi nequeunt bene geſta labori.

Eodem modo intellige mox infrà v. 862. iſtud *Propriis*, nempe virtutibus.

V. 963. PLACITARUM. At quæ *virtutes* illæ *placitæ*, ut *propriis* opponuntur? Si Virgilii dictio conſulatur; longè is recedit à ſcopo noſtro, ubi hanc vocem uſurpat init. 4. Æneid.

- - PLACITO ne etiam pugnabis amori?

Præterquàm quod etiam credendum non ſit, Proſperum in re tam ſancta ad Æneidos potiùs quàm Scripturæ locum aliquem reſpexiſſe. Putem igitur has virtutes placitas eaſdem eſſe cum *Operibus bonis* (Epheſ. 2.) *quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*: quæ proinde *placitæ* dicantur, quia Divino beneplacito ordinatæ, & præparatæ, ut in illis ambulemus.

V. 966. CORPOREI LABORIS. i. qualis in corpore hoc ærumnoſo geritur, cum tanta cadendi ac delinquendi incertitudine & metu. videbantur enim Maſſilienſes præcipuam operum excellentiam petere ex hac arbitrii ſibi relicti vacillanti incertitudine, quam per operationem Gratiæ tollendam metuebant.

V. 970. OPERIS MORTALIS. i. peccati, inquiet aliquis, præſertim mortiferi. bellè ſanè, ſi tamen ſine nugatione evidenti tunc ſequatur,

Quod non eſt niſi peccatum.

Quid ergò? difficilis locus; quem cum ſui ſimilibus ſervare malo in appendiculam Theologicam, quam cum Deo meditor in hoc Proſperi Carmen: dum hìc interim pergo in luſibus Philologicis.

V. 972. SOLAM, cùm ſola eſt.

Ibid. RECURRUNT, ſic tanquam ad nativam ſcaturiginem ſuam: ut apud Horat.

Naturam expellas furcâ, tamen uſquè recurret.

E V. 977.

CAP. LIX.

Per hæc tamen omnia non negari, quin cùm benè agimus, libertate agamus; ſed libertate quam dat & adjuvat Gratia.

ET tamen in Sanctos animum cùm intendimus actus,
Cùm deſideriis carnis mens caſta repugnat,
Cùm tentatori non cedimus, & per acerbas
Vexati pœnas, illæſo corde manemus;
Libertate agimus: ſed libertate redemtâ:
Cui Deus eſt rector; ſummoque ex lumine lumen,
Vita, ſalus, virtus, ſapientia, Gratia Chriſti eſt,
Quâ currit, gaudet, tolerat, cavet, eligit, inſtat,
Credit, ſperat, amat, mundatur, juſtificatur.

CAP. LX.

Apoſtrophe ad Deum, bonorum omnium (ab initio voluntatis bonæ, & orationis, ad finem uſque gloriæ) auctorem & datorem:

Ubi nova querela (quòd Deo cuncta in nobis operante, arbitrii torpebit induſtria) obiter eliditur; adſtruendo, tunc demùm ſalubriter agere arbitrium, cùm divino adjuvatur auxilio.

* Agit, niſi &c.

SIquid enim recti gerimus, Domine; auxiliante
Te gerimus: Tu corda moves; Tu vota petenti,
Quæ dare vis, tribuis; ſervans largita, creanſque
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.
Non autem hòc curam minui, ſtudiúmque reſolvi
Virtutum, aut opus ingenii torpere putandum eſt;
Quòd bona Sanctorum tua ſunt; & quidquid in illis
Aut ſanum aut validum eſt, de Te viget; ut videatur
Nil actura hominis, Te cuncta gerente, voluntas:
Quæ ſine Te quid * agat? niſi quo procul exſulet à Te,
Præcipites ſemper calles, & devia, motu
Ingreſſura ſuo; niſi feſſam, Tu bone, & ægram
Suſcipias, referas, foveas, tuearis, honeſtes.
Tunc fiet curſus velox, oculique videntes,
Libera libertas, ſapiens ſapientia, juſtum
Judicium, & fortis virtus, & ſana facultas.

CONCLUSIO.

Ad Deum, ut ab hoc tam neceſſario auxilio omnes no-

HUjus opis ſemper, Pater, indigeamus; ab ipſa
Prodeat arbitrium noſtrum: nihil, hac ſine, ſenſus
Cor-

V. 977. LIBERTATE REDEMTA. An ergò libertas redimi, aut unquam non libera fuiſſe poteſt? ſic nimirùm diſertè docet infrà v. 995.

Tunc fiet (cum Gratia) *curſus velox* - -
LIBERA LIBERTAS &c.

Unde duo notanda: & quod in ſenſu Proſperi ſine Gratiâ ſit libertas, & quod per Gratiam ipſa libertas inſuper liberetur, nempe ad volendum & perficiendum bonum, Deo id operante: Phil. 2. de qua libertatis (ut ita dicam) libertate intelligendi etiam ſunt SS. Patres Proſpero coætanei, ubi duriùs nonnunquam ita loqui videntur, ut libertas per primum peccatum amiſſa, per Chriſti Gratiam recuperetur: reverà enim hæc eſt libertas, *qua libertate Chriſtus nos liberavit.* Galat. 4.

V. 978. CUI DEUS &c. Hic aliter Gallus interpungit, & quidem multùm variatâ ſententiâ. ſic enim legit:

- - - - *Sed libertate redemtâ*
Cui Deus eſt rector, ſummoque ex lumine lumen,
Vita, ſalus, virtus Sapientia: Gratia Chriſti eſt,
Quâ currit &c.

Ubi illa omnia, *Rector, lumen, vita, ſalus, ſapientia*, de Deo dicuntur. quod mihi minùs diſpliceret, niſi quod dicitur, *Summoque ex lumine lumen*, de lumine creato accipiendum videretur; ideóque & illud, & quæ ſequuntur, ad Gratiam potiùs referenda eſſent.

V. 983. TU VOTA PETENTIS &c. Sic orat Eccleſia Dom. 9. poſt Pentec. *Ut petentibus deſiderata concedas, fac eos quæ tibi ſunt placita, poſtulare.*

V. 991. QUID AGAT &c. Gallus iterùm aliter. nam primò legit *Agit*, deinde interrogationis notam in finem versûs differt. neutrum (fateor) adeo perperàm, aut ullo notabili ſententiæ damno.

V. 994. REFERAS. Plus dicit hoc verbum, quàm Gallus intellexit, qui illud reddidit per ſuum *Ramener.* ſic enim eadem ſententia repetitur lib. 1. de voc. Gent. c. 8. *Nec dedignetur ægram, diu in invio fatigatam, humeris ſuis ferre, & non revocando tantùm, ſed etiam portando ſalvare.*

Ibid. HONESTES. Sicut in verbo illo ſuperiore, *Referas*, manifeſtò alludit ad parabolam Evangelicam de Paſtore, ovem perditam humeris ſuis referente Luc. 15. ita hic reſpicere exiſtimo ad illam ibid. de Patre, filium prodigum ad ſe reverſum *Stolâ primâ* honeſtante. Gallus ſaltem, in voce hac, quàm in alia iſta reddenda felicior, ita rectè in Proſa: *Si vous ne l'ornez de vos dons & de vos graces.* ubi etiam phraſin Scripturæ ſecutus eſt, quâ *honeſtare* idem eſt ac ditare.

V. 999. PRODEAT ARBITRIUM. i. Libertas: nam arbitrium pro ipſa libertate poſitum etiam ſuprà videas v. 622.

Nulla

Corporei poſſint: opus ut ſervile quieſcat;
Et, tua dum in nobis agitur, non noſtra voluntas,
Legitima in ſanctis ducamus Sabbata feſtis.

ſtra producant actiones.
* Poſſunt, opus &c.

Nulla tibi arbitrii reſpondent ſigna.
Optat ſcilicet libertatem illam, quam dat Gratia, & quam jam ſuprà ex Proſperi ſententia *libertatem* ipſius *libertatis* vocavimus.

V. 1000. Possint. Quod planè amplector ex Gallo, pro eo quod ceteri habebant, *Poſſunt*. Libens etiam adſcribo ejuſdem expoſitionem in Proſa, ubi illud, *Nihil hæc ſine ſenſus corporei poſſint*, ita reddit: *Qu'elle conduiſe tous les mouvemens de nôtre corps*: q. d. Nullam ſenſus noſtri corporei operationem edant, quam illa non producat. ô votum! ſed votum tantùm; niſi cùm mortale hoc induerit immortalitatem.

Ibid. Opus servile: ita vocat, dum noſtra in nobis agitur, non Dei voluntas: dum, inquam, vel malum agimus, vel de bonis actibus noſtris, quaſi de propriis, gloriamur. Sic colligo ex antitheſi Proſperi v. ſeq. & Auguſtini in verbis jam citandis.

V. 1002. Sabbata. Cum levi alluſione ad Sabbatiſmum æternum, agitur de Sabbato in hac ipſa vita agendo: quod ita Noſter Auguſtini ſui verbis exhibet ſentent. 278. *Is enim obſervatione Sabbati, quæ vacatione unius diei figurabatur, perpetuum Sabbatum obſervat, qui ſpe futuræ quietis ſanctis eſt operibus intentus, nec ipſis bonis actibus ſuis, quaſi de propriis & de his quæ non acceperit glorsatur; illum in ſe operari cognoſcens, qui ſimul operatur & quietus eſt.*

CARMINIS
DE INGRATIS
FINIS.

EJUSDEM
S. PROSPERI
IN OBTRECTATOREM AUGUSTINI
EPIGRAMMA.

Novum ſcriptorem aliquid operis molientem adversùs Auguſtinum, propoſitâ rei impietate, peſſimoque ſucceſſu, incepto abſterrere nititur.

QUidam doctiloqui libros ſenis Auguſtini
Carpere, & adverſum condere fertur opus.
Uſque adeóne bonum ingenium, & facundia dives,
Oſtentare artem non aliter potuit;
In nova proſtratas acies niſi bella cieret,
Impiaque extinctis hoſtibus arma daret?
Hæc pugna, Incentor, mors eſt tua; te ſtilus iſte
Conficit, & verbis perderis ipſe tuis.
Dúmque doces, quantùm valeat mens libera, monſtras,
Velle tuum tibimet ſufficere ut pereas.
Verte gradum, fuge perniciem; ſtratóſque rebelles
Oris Apoſtolici fulmine ubique vide.
Nec te mutato defendi nomine credas:
Si Paſtorem ovium lædere vis, Lupus es.

Epigramma. Ex variis Proſperi Epigrammatis jam pridem hæc tria ſelecta ſunt, & juncta Carmini de Ingratis. Haud dubiè ob argumenti affinitatem: quippe duobus prioribus Joannes Caſſianus Ingratorum primipilus exagitari videtur; tertium verò eódem pertinet eâ ratione, quam in argumento marginali ſatis, ac (ut puto) primus oſtendi. Ioverti autem conſuetum eorum ordinem; primumque feci, quod hactenùs primo proximum fuerat. Ita quippe poſtulare videbatur ordo temporis, quo priora illa vel ſcripta ſunt, vel decori gratiâ ſcripta finguntur: nempe, primum cùm Scriptor ille non niſi adhuc ferretur *carpere* Auguſtini libros, & adversùs eoſdem opus aliquod *condere*: alterum verò cùm jam opus iſtud *ſerpere* cœpiſſet.

Quidam. at quis ille? Caſſianus, inquies, qui ſub Collatoris nomine etiam alio tractatu à Proſpero vapulat. Atque hæc multorum hactenùs fuit opinio, quam non parùm confirmant plura loca huic Epigrammati cum libro coot. Collatorem communia. nec equidem illi auſim temerè contradicere: eſt tamen quod Lectori hac in re expendendum proponam. Verónе ſimile videtur, Proſperum, ſolitum alioqui quàm mitiſſimè de hoc Presbytero & tota Maſſilienſium Factione loqui, hic eum vocare *Lupum*, *Viperam*, *miſerum* denique *Anguiculum*? ſiccine etiam ſua ſcripſit & edidit celebris ille Collator, ut dici potuerit *ſerpere*, ac *mutato* ſeu diſſimulato *nomine* tegi velle? Sed de his ſatis.

In nova Prostratas &c. Ita lib. cont. Collator. mox poſt initium: *In eum ſtatum deducere cauſam Eccleſiæ moliuntur, ut dum Noſtros* (putà, Auguſtinum &c.) *affirmant non veraciter pro Gratia locutos, inimicos Gratiæ perſuadeant injuſtè damnatos eſſe.*

Stilus iste conficit. Acutè ludit in æquivoco, quòd *ſtilus* & ſcribendi & feriendi inſtrumentum ſit.

Mutato nomine. Qui ita contra Auguſtinum ſcripſerit pro Ingratis, oemo occurrit præter Vincentium Lirinenſem (Virum alioqui ſanctiſſimum & doctiſſimum) quem hodie plures cenſent aureum illud Commonitorium ſuum ita direxiſſe adversùs hæreſum novitates, ut ſub hoc nomine Auguſtini doctrinam notatam voluerit. Ceterùm conſtat, *mutato nomine* illud edidiſſe, ſeque vocaſſe *Peregrinum*: ſed cùm ipſe ſcripſerit poſt Auguſtini exceſſum, imò poſt Reſcriptum Cœleſtini PP. ad Galliæ Epiſcopos; hoc autem Epigramma conditum ſit Auguſtino jam *Sene* quidem, at tamen vivo; evaneſcit omnis de Vincentii *Peregrino* ſuſpicio, quærenduſque alius, cui iſta conveniant.

Lupus es. In hac cauda latet procul dubio totius Epigrammatis, aliunde etiam acutiſſimi, aculeus præcipuus: qui utique tantò erit acutior, ſi Auctor per ſuſpicionem notatum voluerit aliquem cui *Lupo* nomen; quales iſtis temporibus habemus Gallos complures, ut ſanctum illum Trecenſem, Sueſſionenſem, Lugdunenſem Epiſcopos; item poſteà Ferrarienſem &c. Nî hoc ſit; ſaltem dicere voluit: ut tuum nomen celare ſtudeas; nos qui te vocare oporteat, ſatis ſcimus; nempe *Lupum* cùm opere ipſo te talem præbeas, qui *Paſtorem* oppugnes. Verùm quis ille Paſtor, quem hic læſum cupiat? Pontifex, inquies, illius Sedis, de qua diſticho ſuperiore. nempe, id etiam putavi, donec incidi in hunc locum cont. Collat. c. 41. *Præcipuum noſtro tempore in doctrina Eccleſiaſtica virum* (Auguſtinum) *rabido ore diſcerpunt; creduntque ſe omnia auctoritatum munimina poſſe convellere, ſi hanc PASTORALIS ſpeculæ validiſſimam turrim crebra Pelagiani arietis illiſione pulſaverint.*

ALIUD

(Ut apparet)

IN EUNDEM.

Hunc, cùm ſam ſcriptum ejus ſerpere diceretur, ſuſpicionibus aneret, ipſique egregiam a S. Doctore refutationem promiſit.

COntra Auguſtinum narratur ſerpere quidam
Scriptor, quem dudùm livor aduſſit edax.
Qui caput, obſcuris contectum utcumque cavernis,
Tollere humo miſerum perpulit anguiculum.
Aut hunc fruge ſuâ æquorei pavêre Britanni:
Aut huic Campano gramine corda tument.
Quæ concepta fovet, promat, quæ parturit, edat:
Seu vetere armatur dogmate, ſive novo.
In quoſcumque ſinus, ſpirarum torqueat orbes,
Et fallax multâ contegat arte caput,
Pſal. 90. Currentem attritos ſuper aſpidas & baſiliſcos,
Declinare Senem vipera non poterit.

Qui caput &c. Sic ego primo intuitu acceperam hoc diſtichon: *Qui* Scriptor ſuo illo ſcripto *miſerum anguiculum* Pelagium iterùm ſuſcitavit, & *caput* ſuum attollere *perpulit*, ſub ſpe, fore ût ſuum dogma rurſùs refloreſcat. Movebat præcipue, quod etiam ſuprà aliquoties ille Hæreſiarcha *anguis*, *coluber*, ſimilibuſque nominibus appelletur. Sed decepit me relativum *Qui*, quod tunc non vidi ad *Livorem* referendum eſſe: adeò ut *anguiculus* ſit ipſe *Scriptor* in quem agitur, nempe, *anguis* illius majoris pullus. Diſſimulare interim nequeo ſuſpicionem meam, videlicet Proſperum ſic ambiguè verba libraſſe ſua, ut intelligi poſſet ſeu quiſpiam Pelagii diſcipulus, ſeu ipſe Pelagius. Videtur namque dubitaſſe, ac alios dubitare voluiſſe, an non fortè ipſe Pelagius, aut ſaltem Pelagii germanus compar Cœleſtius, hujus novi ſcripti auctor foret. Sed de hoc plura Notâ ſeq.

Britanni, Pelagii populares: qui rurſùs *æquorei* vocantur, ut pateat quâ Britanniâ Hæreſiarcha oriundus fuerit; nimirùm, inſulâ, non autem eâ quæ in continente eſt, & *Minor* hodie dicitur: de quo plura ſuprà ad cap. 1. Sed quid Britannis iſtis cum *Fruge*? an fortè eâ tunc celebres fuerunt, ut nunc ipſorum Lana in pretio eſt? certè aliquid, ni fallor, ejuſmodi obſervat illorum Morus Utop. lib. 1.

Campano gramine. Ob Julianum Eclanenſem Epiſcopum Campanum, ut notant ceteri in margine hujus loci. Verùm ſunt qui malint dictum potiùs ob Cœleſtium; qui æquè, imò meliori ac certiori ratione Campanus fuit; & tanquam Pelagii cohæreſiarcha (à quo etiam hæreſis iſta per Orientem communiter *Cœleſtiana*, uti per Occidentem *Pelagiana* audivit) aptiùs multò cum ipſo ponitur in parallelo, quam Julianus, utriùſque ſolùm diſcipulus, tunc temporis fortaſſis nondum admodùm notus. Imò quid ſi Julianus is ipſe ſit Scriptor, in quem cuſum eſt utrumque hoc Epigramma? tempus convenit, cetera non abludunt: ſed tamen nonniſi ſuſpicio eſt. *Graminis* autem *Campani* ſit mentio, vel quòd ea regio, ut ceteris è terra naſcentibus, ita in primis feliciſſimo gramine abundaret; vel quod *Campana ſuperbia* ex Agellio videatur in proverbium abiiſſe; vel denique ut alludatur ad *Gramen* Anthedonis, quo guſtato Glaucus Metamorph. 13. ſubitò

- - - trepidare intùs præcordia ſenſit,

ſeque in *Pelagum* præcipitem dedit.

Senem. En rurſùs *Senex* vocatur Auguſtinus (nomine, ut puto, ætatis; non dignitatis) qualis fuit cùm contra ipſum Julianus audacem calamum ſtrinxit.

ALIUD

NESTORIANÆ ET PELAGIANÆ

HÆRESEON EPITAPHIUM.

Neſtoriana hæreſis loquitur.

Ad Maſſilienſium rursùs levatam minatur hæreſis

NEſtoriana lues ſucceſſi Pelagianæ;
Quæ tamen eſt utero * progenerata meo.

* Prægenerata.

Inſe-

Nestoriana lues &c. Vetus Chronologus apud Liberatum hæc habet de hæreſi Neſtoriana: *Felice & Tauro Coſſ. Neſtorius Conſtantinopolitanus Epiſcopus novum Eccleſiis molitur errorem inducere, prædicans Chriſtum hominem tantùm, non etiam Deum natum, eique Divinitatem collatam eſſe pro merito dicit.* Hunc poſteriorem errorem potiſſimùm ſpectat Proſper, & in eo Neſtorianam hæreſin cum Pelagiana comparat. illam verò ait Pelagianæ *Genitricem* ſimul & *Filiam* eſſe. *Genitricem* quidem, quia error illius qui in *Capite* Gratiam deſtruit, & qui Jeſum dignitatem Chriſti propriis meritis aſſecutum fuiſſe contendit (quæ eſt hæreſis Neſtorii) ordinem rerum ſpectando, fons & principium eſt erroris illius, qui Gratiam in *Membris* evertit, quique homines Chriſtianorum dignitatem propriis meritis ſibi comparare poſſe affirmat (quæ eſt hæreſis Pelagii.) *Filiam* verò, quia ſi ordinem temporis ſpectes, Neſtorius ſuam non vulgavit hæreſin niſi poſt damnatos Pelagianos. poſtcà tamen etiam utramque ſimul ortam eſſe ait, tum ob affinitatem & cognationem, quæ inter utriuſque errores intercedit, tum etiam quia ante Neſtorium illius hæreſis in Pelagiana continebatur, ut patet ex Leporio Gallicano Monacho, qui cùm eſſet Pelagiani dogmatis acerrimus defenſor, illam etiam ob quam poſtea Neſtorius damnatus eſt, hæreſin docuit; ſed Auguſtini operâ ad ſanam mentem rediit. Ita hactenùs ferè Gallus; & rectè: niſi quod ipſius Epitaphii ſcopum non vidit.

Successi: nempe temporis ordine.

Utero progenerata meo, juxta ordinem rerum & na-

Neſtoriana deplorans ſuum & Pelagianiſmi exterminium; eamque illius aſſignans cauſam, quà non ſatis immunes eſſent Semi-Pelagiani.

Infelix miſeræ genitrix & filia natæ,
  Prodivi ex ipſo germine, quod peperi.
Nam fundare arcem meritis prior orſa ſuperbis,
  De Capite ad Corpus ducere opus volui.
Sed mea dùm Proles in ſumma armatur ab imis,
  Congrua bellandi tempora non habui.
Et conſanguineæ poſt triſtia vulnera fraudis
  Aſpera conſerui prælia fine pari.
Me tamen una dedit victam ſententia letho:
  Illa volens iterùm ſurgere, bis cecidit.
Mecum oritur, mecum moritur, mecumque ſepulcrum
  Intrat, & inferni carceris ima ſubit.
Quò nos præcipites inſana ſuperbia merſit,
  Exutas donis, & tumidas meritis!
Nam Chriſtum pietate operum, & mercede, volentes
  Eſſe Deum, in Capitis fœdere non ſtetimus:
Sperantesque animi de libertate coronam,
  Perdidimus quam dat Gratia, juſtitiam.
Quique igitur geminæ misereris buſta ruinæ,
  Ne noſtro exitio conſociêre, cave.
Nam ſi, quæ Domini data munera ſerò fatemur,
  Hæc homini credas debita, Noſter eris.

& naturæ. Gallus legit *Prægenerata*, quod quidem haud abludit ab Auctoris phraſi, cui familiaris fuit hæc in verborum compoſitione præpoſitio; ſed Vulgatum eſt Latinius, minúſque inſolens.

Genitrix et Filia: eâ ratione quæ hucuſque indicata eſt.

De Capite ad Corpus. i. à Chriſto ad Chriſtianos: primùm nempe aſtruendo de Chriſto, quod ejus electio ex præviis arbitrii meritis eſſet; ac tùm idem inferendo de Chriſtianis. reverà namque Chriſti electio exemplar eſt illius, quâ *elegit nos in ipſo ante conſtitutionem mundi:* Eph. 1. Unde & eo argumentandi ordine Auguſtinus à Chriſto ad ceteros electos, in extremis ſuis opuſculis, Pelagianiſmum, ceu ultimo clavæ ictu confecit, ac ſimul in anteceſſum Neſtorianiſmum damnavit.

Proles, Pelagianiſmus, in summa ab imis. i. ab electis incipit, ut ſtabilitâ illorum electione ex arbitrii meritis, idem de Chriſto concludat.

Vulnera fraudis. i. poſt Pelagianiſmum jam proſcriptum à Sede Apoſtolica, Synodis Africanis ac Palæſtinâ, denique universè ab Epiſcopis qui horum ſententiæ in ſua quiſque Eccleſia ſubſcripſerant, etiam ante Synodum Epheſinam, puta ſub Zoſimo PP.

Una sententia; Synodi, videlicet, Epheſinæ. ex quo patet hoc Epigramma poſt alia duo conditum eſſe, utpote jam è vivis erepto Auguſtino, qui hanc Synodum non vidit.

Iterum surgere: ſuſcitante potiſſimùm Juliano illo Eclanenſi, ac manum etiam porrigente Neſtorio C. P.

Bis cecidit: ſemel per ſententiam Sedis Apoſtolicæ cum Synodis & Epiſcopis ſupradictis, ac iterum per Epheſinam, quâ unà cum Neſtoriana denuò proſcripta eſt.

Mecum moritur. Hactenùs Pelagiana quandam adhuc vitam ſervaverat, damnata jam quidem, at nondum damnationi acquieſcens, ſemperque aliud adhuc judicium Eccleſiaſticum, puta in Synodo œcumenica, expoſtulans; verùm hâc Epheſinâ illi os occluſum eſt, fractaque audacia; ac tandem ſeriò Eccleſiâ exceſſit.

Volentes; ambæ ſcilicet: nam in illo de Chriſto dogmate etiam Pelagiani Neſtorio conſenſiſſe ſcribuntur. dignum ſcilicet patellâ operculum, nec non labra lactucis.

Noster eris. Iterùm in cauda aculeus: quo Maſſilienſes non ſolùm Pelagianis, ſed & Neſtorianis junguntur; ob communionem dogmatis de Gratia & electione ex meritis. Sumtum autem videtur iſtud, *Noſter eris*, ex Æneid. 2. ubi his verbis Sinonem Priamus in civitatem recipit: ſumſit verò ipſe Poëta, ut notant interpretes, ex formula Imperatoris Romani, transfugam in ſuam fidem recipientis.

S. PROS-

S. PROSPERI AQUITANICI,

Quà ſacrorum horum poëmatum auctor eſt,

ELOGIUM

EX LUCRETIO.

Init. lib. 4. de natura rerum.

A Via Pïeridum peragro loca, nullius antè
Trita ſolo: juvat integros accedere fontes,
Atque haurire: juvatque novos decerpere flores,
Inſignémque meo capiti petere inde coronam,
Unde priùs nulli velarint tempora Muſæ.
Primùm quòd magnis doceo de rebus - -
Deinde quòd obſcurâ de re tam lucida pango
*Carmina, Muſæo contingens cuncta * ſapore.*
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur:
Nam veluti pueris abſinthia tetra Medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus; intereà perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potiùs tali facto recreata, valeſcat:
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerúmque videtur
Triſtior eſſe, quibus non eſt tractata, retróque
Volgus abhorret ab hac; volui tibi ſuaviloquenti
Carmine Pïerio rationem exponere noſtram,
Et quaſi Muſæo dulci contingere melle,
Si tibi fortè animum tali ratione tenere
Verſibus in noſtris poſſem.

* Obiter emendo Vulgatum (ut quidem ego puto) errorem. Video namque paſſim legentes, *Lepore*; meus autem habebat *Lapore*, vitio ſcilicet evidenti, ſed quod tamen veritatem propiùs indicaret: legendum ſiquidem, ut hìc reſtitui, *Sapore*, uti mox infrà.

- - - *Muſæo dulci contingere melle.*
Hæc putidè de ſe Lucretius; jure verò ac meritò ſacer poëta noſter. *atque ita* cuſtoditur Juſto ſubſtantia Peccatoris. Prov. 13.

FINIS.

PE-

PELAGII BRITANNI OPERA OMNIA,

QUÆCUMQUE REPERIRI POTUERUNT.

QUIBUS PRAEMISSAE SUNT

JOANNIS GARNERII

DISSERTATIONES

AD PELAGIANISMUM PERTINENTES.

LECTORI

S. P. D.

JOANNES PHEREPONUS.

CUm quærerctur à Bibliopolis quid exornare poſſet Editionem Operum *S. Auguſtini*, non dubitavi quin Anctarii loco addi iis oporteret quidquid ſupereſt ex fragmentis *Pelagii* Scriptorum, ad quæ ſæpe reſpexit ejus Adverſarius. Quicumque hunc jure, ab Africanis Eccleſiis, damnatum eſſe exiſtimant, nihil habebunt quod querantur; quandoquidem hæc omnia abundè ab *Auguſtino* cenſent confutata; ac proinde nihil eſſe quod, ex eorum lectione, poſſit timeri. Si qui verò dubitant an ſatis rectè intellecta ſit *Pelagii*, ejúſque diſcipulorum doctrina, anve meritò quaſi exitialis error proſcripta; qui plures fortè inter Eruditos ſunt, quàm putant vulgò Theologi; hi, prolatis omnibus eorum reliquiis, ſibi à nobis non eſſe ſatisfactum dicere non poterunt, quod alioqui non omnino immeritò dixiſſent, ſi Adverſariorum dumtaxat Scripta ederentur, neglectis ac ſuppreſſis eorum dictis ac reſponſis. Nunc verò taceant oportet, niſi velint in præterita ſæcula; quæ, præ nimio partium ſtudio, nihil fermè eorum, qui olim damnati ſunt, integrum ac ſincerum ad nos tranſmiſerunt, invehi. Quodnam priſcarum ætatum officium fuerit, viderint alii: nos noſtro defungi conati ſumus. Quæcumque reperiri è *Pelagii* Scriptis potuerunt, tibi, LECTOR CANDIDE, damus; cùm à Joanne Garnerio, ſocietatis JESU Presbytero, diligenter collecta, tum etiam inter *S. Hieronymi* Opera edi perperam antehac ſolita. Integras autem *Garnerii* Diſſertationes, *Mario Mercatori* ſubjectas, recudi oportere rati ſumus; quia iis non modò minora Pelagianorum fragmenta & Confeſſiones, ſed etiam quæcumque fermè ad homines, eorúmque Scripta & damnationem Pelagianæ ſententiæ ex Veteribus hauriri potuerunt, breviter, accuratè, dilucidè, ac eleganter, corraſiſſe & perſequutus eſſe videbatur. Inſcriptiones quidem earum mutavimus, quia hoc in loco, non inſtar Appendicis ad *Marium Mercatorem*, ſed quaſi Hiſtoriam Pelagianam eas edimus. At cetera omnia integra & ſummâ fide emendata exhibemus. His igitur fruere, LECTOR VERI & ÆQUI STUDIOSE, ac auditâ demum utraque contendentium parte, judica. Vale.

Dabam ex Muſeo meo, Anno
Sæculi à Chriſto nato XVIII. *primo.*

JOANNIS GARNERII
SOCIETATIS JESU PRESBYTERI
DISSERTATIONUM

AD

HISTORIAM PELAGIANAM

PERTINENTIUM

SYLLOGE

COMPLECTENS

EPISTOLAM ANASTASII PAPÆ

ad Joannem Hieroſolymitanum de Rufino Aquilegienſi,

ET FIDEI PROFESSIONEM

duodecim anathematiſmis conſtantem, quam Rufinus quidam edidit.



EPISTOLA ANASTASII
ROMANÆ URBIS EPISCOPI,
A D
JOANNEM HIEROSOLYMORUM EPISCOPUM
RESCRIBENTIS SUPER NOMINE RUFINI.

Cur rejecta in appendicem epiſtola.

QUAMVIS *hæc epiſtola nihil contineat affine hæreſis Pelagianæ, habet tamen multa obſervatu digna, & ad hiſtoriam non parum conducentia: ideoque viſa eſt non abjicienda omnino, velut extranea, ſed in hunc poſtremum locum rejicienda, licet in manuſcriptis codicibus primùm obtineat. Nec enim ipſam opinor à Mercatore ſuis operibus præfixam, quippe quæ ad rem ſive Pelagianam, ſive Neſtorianam faciat; ſed a collectore aliquo non eruditiſſimo, cui cum nullus Rufinus præter Aquilegienſem, notus foret, ſtatim ac occurrit Rufini nomen anathematiſmis prælatum, utrumque opus ad unum eundemque ratus eſt Rufinum pertinere.*

I. *Humanitas reſcribentis Pontificis, & acceptas a Joanne laudes regerentis in auctorem, non tamen eodem merito.*

PROBATÆ quidem affectionis eſt hoc, ut de ſacerdote ſacerdos laudabiliter loquaris. Pro tanto igitur præconio, quod immerito in me effuſiſſimum contuliſti, ut amori tuo gratias ago, ita ſplendorem tuæ ſanctitatis, & eas quas in Domino habes virtutes, ſubinde quodammodo parvitatis noſtræ favorabilis ſermo proſequitur: tam enim, vir omnium præſtantiſſime, laudum tuarum fulges nitore conſpicuus, ut par eſſe meritis ſermo non poſſit. Porro autem tanto titulorum tuorum rapior incitamento, ut etiam, quod implere nequeo, audere non deſinam.

II. Jam hoc de laudibus tuis eſt, quod tantum me de cœleſtis iſtius animi ſerenitate laudaſti. Tui etenim epiſcopatus ordo perſpicuus per univerſum orbem velut radians, etiam ad nos ſplendoris tui detulit claritatem: in me quippe totum amicitiæ ipſe tribuis, examini nihil relinquis, aut ſi jure me laudas, tu quoque ſimili tenore laudandus es. Obſecro igitur ob utrumque, ut meipſum apud me laudare jam deſinas: duplex etenim te cauſa conſtringit, ne conſacerdotis tui ſenſibus, aut dolorem falſa laus ingerat, aut pudorem vera ſuccendat.

III. *Caſtigatur Rufinus.*

Sed ut ad cauſam revertar: Rufinus, de quo me conſulere dignatus es, conſcientiæ ſuæ divinam habet arbitram majeſtatem, apud quam ſe, integro devotionis officio, ipſe viderit, qualiter debeat approbare.

IV. *Atque Origenes.*

Origenes autem, cujus in noſtram linguam compoſita derivavit, antea & quis fuerit, & in quæ proceſſerit verba, noſtrum ſtudium neſciit: quod vero ſit animi mei propoſitum, cum tua pauliſper ſuper hoc conferam ſanctitate.

V. *Propter ſtu-*

Hoc igitur mente concepi, illum qui urbis noſtræ populis opera tranſlata Origenis, lec-

tione

dium fidei quam Rufinus & Origenes lædunt.

tione patefecit, quandam puris mentibus veluti nebulam cæcitatis injicere, fidemque Apoſtolorum & majorum traditione firmatam, velut deviis anfractibus, voluiſſe diſſolvere.

VI. Dicere hoc loco libet: Quid aget, in Romanam linguam iſta tranſlatione? Approbo, ſi accuſat auctorem, & execrando factum, exoſum populis prodit, ut juſtis tandem odiis teneatur, quem jamdudum fama conſtrinxerat. Si vero interpres ipſe tantorum malorum erroribus conſenſum præſtat, & legenda impia dogmata prodit ad populos, nihil aliud ſui opera laboris extruxit; niſi ut, propriæ voluntatis arbitrio, hæc, quæ ſola, quæ prima, quæ apud catholicos chriſtianos vera fide, jam inde ab Apoſtolis in hoc uſque tempus tenentur, titulo aſſertionis everteret.

VII. Abſit hoc ab Eccleſiæ Romanæ catholica diſciplina. Nunquam profecto eveniet, aliqua ut hæc admittamus ratione, quæ jure meritoque damnamus: quapropter illa, quæ toto orbe diffuſa eſt, Chriſti Domini noſtri providentia probare dignabitur, accipere nos omnino non poſſe, quæ Eccleſiam maculent, quæ probatos mores evertant, quæ aures circumſtantium vulnerent, & jurgia, iras, diſſenſioneſque diſponant.

VIII. *Damnantur libri Origenis.* Qua re moti, *Origenis quidem ſcripta, & errores damnavimus: interpretem vero, cum non ſatis, neque ſua præfatione ad libros Origenis, neque apologia ad nos miſſa, ſe purgaverit, imo forte iiſdem erroribus reipſa conſentiat, Romam ad judicium Sedis apoſtolicæ vocavimus, & renuentem venire eadem ſententia involvimus. Damnationis autem epiſtolam fratribus noſtris Venerio & Chromatio ſcripſimus.* Quam epiſtolam ad fratrem, & coëpiſcopum noſtrum Venerium, diligentiore cura perſcriptam, parvitas noſtra tranſmiſerit, ex ſubditis poteris comprobare.

IX. Unde igitur habeat ſecum ille, qui tranſtulit, ſervetque ſibi hanc conſcientiam, non ſuperflua laboro formidine, neque inani timore ſollicitor. Mihi certe cura non deerit; Evangelii fidem circa meos populos cuſtodire, parteſque corporis, per ſpatia diverſa terrarum diffuſas, quantis poſſum literis convenire; ne qua profanæ interpretationis origo ſubrepat, quæ devotas mentes, immiſſa ſui caligine, labefactare conetur.

X. *Quorum terrentur lectores principum reſcriptis.* Illud quoque, quod eveniſſe gaudeo, tacere non potui: beatiſſimorum noſtrorum principum manaſſe reſponſa, quibus unuſquiſque Deo ſerviens ab Origenis lectione revocetur; damnatumque ſententia principum, quem lectio reum profana prodiderit, hactenus ſententiæ meæ forma præceſſerit.

XI. *Arguitur Joannes Hieroſol.* Quod te vero vulgi de Rufino querela ſollicitat, ut quoſdam vagis ſuſpicionibus perſequaris; hanc tuam opinionem conſtringam divinæ lectionis exemplo. ſic enim ſcriptum eſt: *1. Reg. cap. 16.* *Non ſic homo, ut Deus; nam Deus videt in corde, homo in facie.*

XII. *Et monetur.* Itaque, frater cariſſime, omni ſuſpicione ſepoſita, Rufinum ſcito, quod propria mente Origenis dicta in Latinum tranſtulit, ac probavit; nec diſſimilis a reo eſt, qui alienis vitiis præſtat aſſenſum. Illud tamen tenere te cupio, ita haberi a noſtris partibus alienum, ut, quid agat, ubi ſit, neſcire cupiamus. Ipſe denique viderit, ubi poſſit abſolvi.

Epiſtolæ hujus meminit Hieronymus. Apolog. adverſ. Rufinum. EPISTOLA.] Hujus meminit Hieronymus in apologia adverſus Rufinum, quem ita alloquitur: *Cur tranſlaturus hæretica, in defenſionem eorum præmittis quaſi martyris librum, & id Romanis auribus ingeris, quod tranſlatum totus orbis expavit? Aut certe ſi ideo interpretaris, ut eum hæreticum arguas, nihil de Græco mutes, & hoc ipſum præfatione teſtare, quod prudentiſſime Papa Anaſtaſius in epiſtola, quam contra te ſcribit ad Epiſcopum Joannem, ſuo ſermone complexus eſt.* *Num. 6. & 12.* Meminit etiam Juſtinianus Imperator, ſeu potius Theophilus Alexandrinus a Juſtiniano laudatus in epiſtola ad Menam, ut mox dicetur.

Loco mox citato. Ipſam ab Hieronymo querebatur Rufinus vel ſcriptam, vel ſuppoſitam; unde Hieronymus: *In epiſtola ſancti Papæ Anaſtaſii lubricus extitiſti & turbatus: in quo figas gradum, non reperis. modo enim dicis, a me eſſe compoſitam; nunc ab eo ad te debuiſſe tranſmitti, cui miſſa eſt. Rurſum injuſtitiam ſcribentis arguis.* Et paulo poſt: *Si a me fictam epiſtolam ſuſpicaris, cur eam in Romanæ Eccleſiæ chartario non requiris? ut cum deprehenderis ab Epiſcopo non datam, manifeſti me criminis reum teneas, & nequaquam aranearum mihi opponas caſſiculos, ſed fortiſſime me & ſolidiſſimo conſtringas reti.*

Ubi reperiatur. Reperitur pluribus in locis, nimirum tomo 9. operum Hieronymi, inter epiſtolas ſummorum Pontificum, apud Baronium ad ann. 402. & in recentioribus conciliorum collectionibus; verum ubique longe minus caſtigata, quam nunc prodeat, partim ex Bellovacenſi, partim ex Vaticano codice.

Quanti ſit momenti. Celebris admodum eſt, propterea quod continet multum quidem hiſtoriæ eccleſiaſticæ; ſed plurimum apoſtolici vigoris, quo ſummus Pontifex, libros περὶ ἀρχῶν proſcribit, Rufinum interpretem caſtigat, damnat Origenem auctorem, lectores terret edictis principum, & Hieroſolymorum Epiſcopum Rufini atque Origenis fautorem arguit, ſerioque monet, ne ſibi patiatur illudi ab homine erroris defenſore.

Quo tempore data ſit. In annal. ad ann. 402. Baronii opinio refellitur. Illuſtriſſimus annalium ſcriptor opinatus eſt datam ann. 402. Sed hæc opinio conſiſtere non poteſt. Nam cum Anaſtaſius obierit v. Kal. Maii ann. 402. quemadmodum conficit ipſe Baronius, ex Marcellini & Proſperi chronicis: qua tandem ratione tot & tanta, intra quatuor menſes, eoſque fere hiemales, nec integros, contingere potuerunt, quanta oportuit, & certo ſciuntur contigiſſe? Nam primum miſſa eſt epiſtola ex urbe Hieroſolymam: deinde Rufinus Aquilegiæ exiſtens nuntium accepit e Syria de iis quæ epiſtola continebantur: deinde petiit Rufinus ſibi mitti e Syria exemplar epiſtolæ: deinde petitionem Hieronymus in Oriente poſitus reſcivit, ejuſque meminit in apologia, quam poſtea ibidem, vivente adhuc Anaſtaſio, edidit. Potuitne fieri, ut ſpatio quatuor menſium, proceolloſo & clauſo mari, bis Hieroſolymam ex Italia iretur, bis in Italiam Hieroſolymis? Hæc omnia porro, quæ dixi, teſtatur verbo Hieronymus: *In epiſtola*, inquit, *ſancti Anaſtaſii lubricus extitiſti.* Et poſtea: *Siricii jam in Domino dormientis profers epiſtolam, & viventis Anaſtaſii dicta contemnis*, &c. *Lib. 3. apol. adverſ. Rufin.*

Verior ſententia ſtatuitur. Datam igitur oportet ann. 401. nec iſta conjectura eſt, ſed apertum Hieronymi teſtimonium, qui cum apologiam ſcriberet anno 402. *Eſto*, ait, *præteriti anni ego epiſtolam finxerim, recentia ad Orientem ſcripta quis miſit? In quibus Papa Anaſtaſius tantis te ornat floribus; ut, cum ea legeris, magis te velle defendere incipias, quam nos accuſare.* *Loco mox citato*

Exceptio Baronii diſſolvitur. Baronius, ut hoc argumentum declinet, duas ab Anaſtaſio epiſtolas in cauſa Rufini eſſe datas contendit, unam ad ipſummet Rufinum quæ citatoria eſſet, alteram ad Joannem Hieroſolymitanum, quæ Rufini condemnatoria; primam ann. 401. quæ viſa eſt Rufino ſup-

ſuppoſititia: ſecundam ann. 402. quæ ſignificetur nomine *ſcriptorum recentium ad Orientem*. Verum aſſequi non poſſum cogitando, qui hæc cohæreant cum iis, quæ Hieronymus eodem in loco ſcripta reliquit: eam ipſam nimirum epiſtolam a ſe ſuppoſitam dici, cujus exemplar Rufinus Hieroſolymis expectaret. Non expectabat illius, quam accepiſſet, & in qua diceret Anaſtaſius, libros Origenis a Rufino tranſlatos, ſimplicique Romanæ Eccleſiæ plebi traditos fuiſſe, ut fidei veritatem, quam ab Apoſtolo didicerant, per ſe perderet? Quæ totidem fere verbis in epiſtola ad Joannem habeotur.

Ut & objectio nonnulla.

Non ignoro, quin faciat pro Baronio in ſpeciem, quod habet Hieronymus in apologia: *Ut epiſtolam noſtram non probas, Papæ quoque Anaſtaſii ſimili dicis fraude ſubnixam, de qua tibi ante reſpondi. Quam ſi ſuſpicaris ipſius non eſſe, habes ubi apud eum nos arguas falſitatis: ſin autem ejus eſt, ut hujus quoque anni contra te epiſtolæ probant, fruſtra & falſo falſam arguere niteris, cum ex illius vera epiſtola, noſtram veram eſſe doceamus.* Ex his enim colligere eſt, binas ſaltem ab Anaſtaſio datas contra Rufinum literas, & unas quidem, quo anno ſcribebat Hieronymus, id eſt, 402. alteras præcedente, id eſt, 401. Verum cum ambæ in Orientem miſſæ ſiot, & neutra ad Rufinum directa, ſed utraque ad Joannem Hieroſolymitanum, miror quomodo inde Baronii coojectura adjuvetur: imo conſtare puto ex hoc ipſo loco, eam, de qua nunc agitur, epiſtolam datam ann. 401. poſterior enim, quæ oomine miſſorum in Orientem ſcriptorum iotelligitur, pervenerat Hieroſolymam, jam tum cum ſcriberet Hieronymus.

Anaſtaſii ſedes & obitus.

Anastasii Romanæ urbis Episcopi.] Succeſſit Anaſtaſius Siricio pridie Idus Martias, Honorio IV. & Eutychiano Coſſ. id eſt, ann. 398. obiit vero v. Kal. Maias, Arcadio & Hooorio V. AA. CC. id eſt, ann. 402. poſtquam ſediſſet annis quatuor, & uno menſe, cum aliquot diebus.

Joannis ſedes, obitus, & reprehenſio.

Ad Joannem Episcopum Hierosolymorum.] Tenuit Joannes ille totos triginta annos Hieroſolymitanam ſedem; tantum enim temporis interceſſit, ab obitu S. Cyrilli cujus in locum ſuffectus eſt, ad ingreſſum Praylii, quem habuit ſucceſſorem. Favit porro & Origeniſtis & Pelagianis, ooo tam forte ſententia mentis, quam affectu voluntatis; propterea quod, Rufioum Origenis defenſorem, & Pelagium monachum adverſari intelligeret Hieronymo, cui per ſe jam erat infenſus. Joannem porro non ſolus accuſat Hieronymus, ſed & Innocentius, Auguſtinus, atque Oroſius, & ita quidem, ut eruditorum judicio Vaſſelli recentes vindiciæ depellere accuſationem nondum valuerint.

Tom. 2. operum Joannis Hieroſol. edit. ann. 1643. Bruxellis.

Subdolæ Joannis literæ.

Rescribentis.] Ad literas nimirum quibus Joannes Pontificem conſuluerat in ſpeciem de Rufino, quid ſentiret; re ipſa autem, Rufinum excuſabat, & Hieronymum, cui alias ob cauſas ſuccenſebat, vocabat io crimen, tum invidiæ, tum odii in presbyterum, ut ipſi quidem videbatur, notæ ſanctitatis, & ſingularis doctrinæ. Illud indicant Anaſtaſii verba: *Rufinus, de quo me conſulere dignatus es, conſcientiæ ſuæ divinam habet arbitram majeſtatem.* Et poſtea: *Quod te vero vulgi de Rufino querela ſollicitat, ut quoſdam vagis ſuſpicionibus perſequaris*, &c.

Aquilegienſis Rufini hiſtoria.

Super nomine Rufini.] Nomen poſitum eſt pro cauſa, uſitata ſcriptoribus illius temporis, nec tamen incognita meliori ævo, dictione. Rufinus vero, cujus mentio fit, nominatiſſimus ille eſt toto orbe Aquilegienſis presbyter, S. Hieronymi amicus primum & ſtudiorum ſocius, tum infenſus hoſtis, cum libros περὶ ἀρχῶν Latinos feciſſet, & Origeniſtam ſe prodidiſſet.

Poſt viginti quinque annos peregrinationum in Ægypto & Oriente, quibus Melaniam ſeniorem comitatus eſt, rediit in Occidentem ann. 397. & *Romam invexit*, ut loquitur Hieronymus, *navem plenam ſuarum blaſphemiarum*. aſportavit enim librum περὶ ἀρχῶν aliosque a ſe conſcriptos, & aureo poculo Romanis venenum propinavit.

Apologia 2.

Hujus facti invidia cum laboraret, ſeceſſit in patriam: unde apologiam ſcripſit Anaſtaſio ſummo Pontifici. Scripſit quoque tres virulentiſſimos invectivarum libros adverſus Hieronymum; tamdiu vero Aquilegiæ ſubſtitit, donec, populantibus agros urbemque Viſigothis, coactus eſt fugere in Siciliam, ubi diem extremum clauſit ann. 411.

Dubiam ſui memoriam reliquit, aliis velut ſanctum laudantibus, aliis execrantibus tanquam hæreticum.

Damnatus certe eſt ante mortem ab Anaſtaſio, accuſantibus Hieronymi amicis; damnatus quoque poſt mortem a Gelaſio, quod de libertate arbitrii contraria Hierooymo ſenſiſſet. Nolim ego dirimere hanc litem; verum credat forte quiſpiam, nec admodum temere, propter maximas a Rufino datas laudes, etiam a ſummis Pontificibus, Anaſtaſii damnationem comminatoriam fuiſſe dumtaxat, juſſiſque de cauſis noo evaſiſſe poſtmodum in ſententiam. Gelaſii profecto decretum non pertinet ad perſonam, ſed ad libros, qua ratione damnati ſunt ſæpe, oullo ſanctitatis præjudicio viri moribus probatiſſimi. Forte pariter ſuſpecta fuerit non ſine cauſa. Non memini Hieronymi in Rufinum accenſæ zelo fidei bilis. Vide, lector veritatis amans, Gennadium & alios ſcriptorum eccleſiaſticorum oomenclatores, ubi de Rufino ſermonem habent.

Dubia mens Rufini in interpretandis libris περὶ ἀρχῶν.

Conscientiæ suæ divinam habet arbitram majestatem. &c.] Utrum ſcilicet, vel hæreſis ſpargendæ cauſa, vel ob aliam rationem Origenis libros περὶ ἀρχῶν ioterpretatus ſit: atque etiam, utrum Origenis errores ſincere & ex animo, an maligne & ore tenus deteſtaretur. Huc pertinent verba Hieronymi prius allata: *Cur tranſlaturus*, &c.

Correctus locus admodum depravatus.

Origenes autem, cujus, &c.] Codex Vaticanus: *Origenes autem, cujus in noſtram linguam compoſita derivavit, ante quis fuerit, & in quæ proceſſerit verba, noſtrum propoſitum inſcit*, &c. Codex Bellov. *Origenes autem . . . aut quis fuerit, & in quæ proceſſerit*, &c. Vulgata lectio: *Origenes . . . ante quis fuerit, in quæ proceſſerit verba, noſtrum propoſitum neſcivit*, &c. Locus, prout eſt in omnibus codicibus, eget Oedipo. Quid enim ſignificant hæ voces, *noſtrum propoſitum neſcivit*? Non dubito, quin primum exemplar, ex quo reliqui codices exſcripti ſunt, perturbatum habuerit ordinem duarum iſtarum vocum, *propoſitum* & *ſtudium*, cumque altera vox alteri ſuperpoſita foret, præſertim in fine linearum, incurioſus, ut fit, notarii exſcribentis oculus deceptus ſit. Clarus enim locus eſt, ſi reſtituatur in hunc modum: *Origenes autem, cujus in noſtram linguam compoſita derivavit, ante* (interpretationem lib. περὶ ἀρχῶν) *quis fuerit, & in quæ proceſſerit verba*, (impiorum dogmatum) *noſtrum ſtudium inſervit; quod vero ſit animi mei propoſitum, cum tua*, &c. Teſtantur enim veteres, Origenem Latinis, ante Rufini ioterpretationem, incognitum fuiſſe, non quidem omnioo, cum aliquot homilias, petente Damaſo, Hieronymus Latino ſermone legendas Romanis prius dediſſet, ſed quoad errores in libris περὶ ἀρχῶν tam ſpiſſos, tamque impios.

Rufinus in præfatione librorum περὶ ἀρχῶν.

Expeditus alius implicatiſſimus.

Illum qui urbis nostræ, &c.] Emendatus eſt a nobis non ſine labore hic locus, cum noo minus quam præcedens, corruptus eſſet. Codices enim Vaticanus & Bellovacenſis habent: *Quod urbis noſtræ populis de tranſlatu Origenis lectione patefecit, quamdam puris mentibus veluti nebulam cæcitatis injectam*, &c. Legebatur olim in libris editis: *Quod qui urbis noſtræ populis de tranſlata Origenis lectione patefecit, quamdam puris mentibus, velut nebulam excitans injectam, fidem Apoſtolorum majorumque traditione firmatam, velut devius anfractibus, illum voluiſſe diſſolvere.* Senſus, ſi tamen aliquis, ubique implicatus eſt, apertus vero poſt emendationem noſtram.

Correctus locus.

Quæ sola, quæ prima, &c.] Corrupte in codicibus vulgatis: *Hanc quæ ſola, & quæ prima apud catholicos chriſtianos vera fides jam ab Apoſtolis exinde uſque ad præſens tempus tenetur, inopinatæ titulo aſſertionis everteret.* Emendavimus, niſi fallor vere, collatis inter ſe codicibus.

Conjectura fere neceſſaria.

Qua re moti.] Habent vulgati codices contra fidem manuſcriptorum, & ſine ullo probabili ſenſu: *Quare noſce, qualem epiſtolam ad fratrem & coëpiſcopum noſtrum Venerium, diligentiore cura perſcriptam parvitas noſtra tranſmiſerit, ſibique hanc conſcientiam fecerim,*

fecerim, quod non ſuperflua laborem formidine, &c.

Suſpicatus ſum ego, nec ſane leviter, fuiſſe olim lacunam, omiſſis verbis, quibus comprehenderetur ſententia damnationis adverſus Origenem & Rufinum iſta, aut latæ mentio, hunc fere in modum, quem literis illis expreſſimus. Suſpicandi cauſas hinc accipio. Primum ab omnibus ſcriptoribus dicitur Anaſtaſius Origenis errores damnaſſe. Unus pro cunctis, Hieronymus ſcribens ad Demetriadem virginem, & in iſtam epiſtolam reſpiciens: *Dum eſſes parvula, & ſanctæ ac beatæ memoriæ Anaſtaſius Epiſcopus Romanam regeret Eccleſiam, de Orientis partibus hæreticorum ſæva tempeſtas, ſimplicitatem fidei, quæ Apoſtoli voce laudata eſt, polluere & labefactare conata eſt. Sed vir ditiſſimæ paupertatis, & apoſtolicæ ſollicitudinis ſtatim noxium perculit caput, & ſibilantia hydræ ora compeſcuit.*

Epiſt. 6. de virginitate ſervanda.

Quod ſi Anaſtaſius Origenem damnavit, id videtur ſilere non debuiſſe, cum ſcriberet ad Epiſcopum eorumdem errorum nomine ſuſpectum, certe ſuſpecto Rufino faventem. Deinde hæc verba, *hactenus ſententiæ meæ forma præceſſerit*, non obſcure ſignificant, factam prius ſententiæ mentionem. Poſtea Hieronymus ſcribit, datas ab Anaſtaſio literas, quibus Origenem toto orbe perſequeretur: iiſque acceptis Chromatium Aquilegienſem, & Venerium Mediolanenſem coegiſſe ſynodos, in quibus pari ſententia, quia & pari ſpiritu, hæreticum Origenem denuntiaverunt populis. Denique damnatum a ſe Rufinum ſummus Pontifex ſatis oſtendit his poſtremis verbis: *Ipſe denique viderit, ubi poſſit abſolvi.*

Num. 10.

Lib. 2. adverſ. Rufin.

Cæleſtini ſententia Anaſtaſianæ ſimilis.

Parteſque corporis mei populos fideles.] Fideles omnes ſanctus Pontifex partes ſui corporis appellat, eodem ſenſu, quo poſtea Cæleſtius, & ipſe caput univerſalis Eccleſiæ, ſcribens ad clerum & populum Conſtantinopolitanum: *Nos*, inquit, *licet longe poſiti, ubi cognovimus perverſitate doctrinæ membra noſtra lacerari, paterna ſollicitudine nos urente, pro vobis alieno flagravimus incendio, licet inter Eccleſias Dei, quæ ubique in unum Chriſti thalamum referuntur, nihil longe ſit, nihil cenſeatur alienum: cum ergo noſtra viſcera ſitis, jure trepidamus, ne fidem veſtram a tramite veritatis inſinuatio male docentis avertat*, &c.

1. p. conc. Eph. cap. 19.

De edictis principum adverſus Origenianos.

lib. 1. apolog. adverſ. Ruf.

Principum manasse responsa.] Imperialium reſcriptorum adverſus Origeniſtas meminit Hieronymus his verbis: *Imperatorum quoque reſcripta, quæ de Alexandria & Ægypto Origeniſtas pelli jubent, me ſuggerente dictata ſunt.* Horum mentio nulla eſt in codice Theodoſiano, nec alibi, opinor, quam his duobus in locis.

Ex epiſtola Juſtiniani ad Menam circa quam notantur tria.

Miror vero, non meminiſſe Juſtinianum in epiſtola ad Menam Conſtantinopolitanum, ubi ſermo fit de damnatione Origeniſtarum ab Anaſtaſio: verum quoniam facta eſt epiſtolæ Juſtiniani mentio, non erit inutile, tria obiter annotare, quæ huc pertinent.

Primum, quo eruditi quidam notantur.

Primum, verba quibus mentio fit Anaſtaſii ſummi Pontificis, non eſſe Imperatoris, quod viſum tamen eruditis nonnullis; ſed Theophili Alexandrini. Sic enim ſe habent: *Audiamus & ſanctum Theophilum Epiſcopum Alexandriæ, ex ſermone ad quoſdam monachos ſcripto, qui Origeni aſſentirentur, ſic enim dicit:* Quare anathematizantes Origenem, cæteroſque hæreticos, exemplo noſtro, & Anaſtaſii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, qui ex veteribus certaminibus clarus, nobiliſſimi populi dux creatus eſt, quem & univerſa beatorum Occidentis Epiſcoporum ſequitur ſynodus, quæ accepit ac probavit Alexandrinæ Eccleſiæ ſententiam in impium latam.

Secundum, quod ad hiſtoriam veterum ſpectat.

Secundum, Juſtinianum epiſtolam ſuam miſiſſe, non tantum ad Menam, *ſed etiam*, ut loquitur, *ad ſanctiſſimum & beatiſſimum Papam ſenioris Romæ, & Patriarcham Vigilium, & ad cæteros omnes ſanctiſſimos Epiſcopos, & Patriarchas, id eſt, Alexandriæ, Theupoleos, & Hieroſolymorum, ut & hi huic rei proſpiciant*, &c.

Tertium, quo gradus Archimandritarum, & mos antiquus proſcribendi errores explicatur.

Tertium, mandatum Patriarchis, ut exempla mitterent aliis Epiſcopis, atque etiam Archimandritis; ſunt enim hæc Imperatoris verba: *Hanc epiſtolam ad tuam beatitudinem dedimus, qua eam hortamur, ut omnium, qui in hac regia urbe nunc degunt, ſanctiſſimorum Epiſcoporum conventum habeat, ac Deo amabiliſſimorum Præfectorum ſanctis, quæ hic ſunt, monaſteriis; faciatque ut omnes ſuis ſcriptis præfatum impium, ac Deo repugnantem Origenem, qui & Adamantius, quique presbyter fuit ſanctiſſimæ Eccleſiæ Alexandriæ, ac ejus nefaria impiaque dogmata, capitulaque omnia, quæ inferius ponuntur, omnimodis anathematizent: exemplaque dimittat eorum, quæ a beatitudine tua ob hanc cauſam geſta fuerint, ad alios omnes ſanctiſſimos Epiſcopos, præfectoſque venerabilium monaſteriorum, ut & ipſi ſubſcriptione propria anathematizent Origenem, ſceleſtaque ejus dogmata, cum omnibus, qui declarabuntur, hæreticis. In poſterum autem ne aliter ordinentur Epiſcopi, aut monaſteriorum præfecti, niſi prius cum aliis omnibus hæreticis, qui de more in editis libellis anathematizantur, id eſt Sabellio, Ario, Apollinario, Neſtorio, Eutyche, Dioſcoro, Timotheo Æluro, & Petro Moggo, & Anthimo Trapezuntio, Theodoſio Alexandriæ, Petro qui fuit Antiochiæ, & Petro qui Apameæ, & Severo olim Antiochiæ; prædictum etiam Origenem, qui paganorum & Arianorum inſania laboravit, una cum execrabilibus impiiſque ejus dogmatibus anathematizent. omnibus enim prædicendum eſt, ne omnino quiſquam audeat, talem hæreticum aut ejus expoſitiones defendere, ſed eas unuſquiſque ex toto animo, & tota cogitatione oderit, & averſetur, & anathematizet.*

Ex quibus quinque ſcitu digna colliguntur.

Ex his digna ſcitu quinque diſcimus. I. Quomodo in totum orbem, vel ut alii loquuntur, ad univerſos orbis Epiſcopos, mitterentur encyclicæ, tum Pontificum, tum Imperatorum epiſtolæ: dirigebantur ſcilicet ad ſolos per ſe majorum ſedium Epiſcopos. II. Ut quæ præſcribebantur epiſtolis, executioni mandarentur, coactas fuiſſe ab Epiſcopis majorum ſedium ſynodos ſuæ diœceſis, & inde, quid facto opus eſſet, ſingulis minoribus Epiſcopis ſignificatum, miſſis acceptarum literarum exemplis. III. Ad ipſos quoque monaſteriorum præfectos fuiſſe miſſa mandatorum exempla; & ab iiſdem, ſi quando hæreſis ſolemnius damnanda foret, exactam ſubſcriptionem, nomine totius cœnobii. IV. Neminem tunc temporis fuiſſe, vel Eccleſiæ, vel monaſterio præfectum, quin prius propria ſubſcriptione, & editis libellis anathema dixiſſet, non tantum hæreticorum dogmatibus, ſed ipſis etiam hæreticis. V. Ejuſmodi imperatam eſſe ſubſcriptionem, qua quiſque ſe, neque perſonam damnatam, neque libros, neque dogmata velle defendere, ſed hæc omnia ex toto animo, et ex tota mente odiſſe, averſari, et anathematizare teſtaretur.

De reſponſis Imperatorum.

Responsa.] Notum eſt, quid intercedat diſcriminis, inter ſanctiones Principum ſive conſtitutiones, & reſponſa ſeu reſcripta; illæ edebantur, quaſi motu proprio, a Principibus; iſta vel conſultationibus magiſtratuum, vel aliorum precibus libelliſque reddebantur. Si ergo ſanctiones Principum, quarum meminit Pontifex, reſponſa fuerint, utique miſſa ſunt, poſt libellum a Theophilo per legatos Arcadio Imperatori oblatum ann. 400. unde concluditur ratio temporis, quo Anaſtaſium Joanni ſcripſiſſe diximus: cum enim de reſponſis Principum loquatur, tanquam de re admodum recenti, neceſſe eſt ſcripſiſſe ann. 401. ſiquidem reſponſa Conſtantinopoli data ſint ann. 400. & inde in Occidentem miſſa innotuerint Pontifici initio ann. 402.

Pallad. in dialog. vita Joan. Chryſoſt.

De vagis ſuſpicionibus Joannis, quæ reipſa ſpectant Hieronymum.

Ut quosdam vagis suspicionibus, &c.] Videtur loqui de Hieronymo, Hieronymique amicis Pammachio, Oceano & Marcella, qui multum reipſa contulerunt ad promovendam Origeniſtarum condemnationem; non tamen impulſi odio Rufini, quod opinabatur Joannes: ſed execratione errorum, qui ex lectione libri περὶ ἀρχῶν horrorem fecerant catholicis mentibus. Vide apud Hieronymum epiſtolam 64. quæ eſt Pammachii & Oceani ad Hieronymum, & 65. quæ Hieronymi ad utrumque, & 78. quæ Hieronymi ad Pammachium & Marcellam, lucem enim dant huic loco per ſe obſcuriori.

Locus emendatus.

Itaque, frater carissime, &c.] Correctus eſt hic locus, qui mendoſe legebatur in hac vulgata lectione, contraria utrique manuſcripto codici: *Rufinum ſcito, quod propria mente Origenis dicta in Latinum tranſtulit ac probavit: nec diſſimilis ab eo eſt, qui alienis vitiis præſtat aſſenſum. illud tamen ſcire cupio*, &c.

Audien-

Ex apologia Rufini quædam huc pertinentia.

Apolog. ad Anaſtaſium Papam.

Audiendus ſub finem Rufinus ipſe pro ſe loquens ad ſummum Pontificem, ſuique facti ratione, quam potuit, reddita, regerens crimen in Hieronymum, de cujus invidia maligne queritur: *Quod quædam Origenis*, inquit, *rogatus à fratribus de Græco in Latinum tranſtuli, puto quod omnes intelligant, hæc pro ſolo livore culpari: ſi enim aliquid eſt, quod diſplicet in auctore, quare id ad interpretem detorquetur? Sicut in Græcis habetur, rogatus ſum, ut Latinis oſtenderem: Græcis ſenſibus verba dedi Latina tantummodo. ſive ergo in illis ſenſibus laus eſt aliqua, non eſt mea: ſive culpa ſimiliter, non eſt mea.*

Nota pro laude ſedis apoſtolicæ.

Et paulo poſt: *Nemo ergo mihi ex hoc, quæſo te, ſancte, ac venerabilis, & beate Pater, conflet invidiam: nemo factionibus utatur & calumniis, quod in Eccleſia Dei fieri non licet. ubi enim ſimplicitas tuta erit, & innocentia, ſi hic non erit?*

Origenis ego neque defenſor, neque aſſertor ſum, neque primus interpres: alii ante me hoc idem opus fecerant: feci & ego poſtremus rogatus a fratribus. Si jubetur ne fiat, juſſio obſervari debet impoſterum. Si culpantur, qui ante juſſionem fecerunt, culpa a primis incipiat.

Ego enim præter hanc fidem, quam ſuper expoſui, id eſt, quam Romana Eccleſia, & Alexandrina, & Aquileienſis noſtra tenet, quæque Hieroſolymis prædicatur, alienam nec habui unquam in iſto homine, nec habeo, nec habebo: & ſi quis aliter credit, quiſquis ille eſt, anathema ſit. Reddent autem in die judicii rationem hi, qui offendicula, & diſſenſiones, & ſcandala fratribus, propter invidiam ſolam & livorem, generant.

INCIPIT
FIDES RUFINI

Quam utilis iſte libellus, & cur in appendicem rejectus.

MIRUM, *quam multa doctrinæ, tum hiſtoricæ, tum dogmaticæ arcana libellus iſte breviſſimus contineat, ut magnis voluminibus, ſin minus præferri, ſaltem componi queat: unde notis diligentius, iiſque laborioſe conquiſitis, illuſtrandus viſus eſt; neque vero mediocriter illuſtrari egebat, ut opes, quas exiguitate ſua velut involutas celabat, explicare cogeretur. Rejectus eſt porro in appendicem, eadem de cauſa atque Anaſtaſii epiſtola, cui ſubjungitur in manuſcriptis codicibus, quantumvis ſecundum ab ipſa teneat locum; nam parum habet Pelagianæ hiſtoriæ, multum alienæ, ſcilicet Origenianæ. illis enim temporibus, quod in notis demonſtrandum eſt, fervebant, eo præſertim loci, quo libellus ſcriptus eſt, quæſtiones ortæ ex libris Origenis* περὶ ἀρχῶν, *quos recens in Latinum ſermonem Rufinus Aquilegienſis presbyter tranſtulerat. Verum iſta patebunt ex notis, in quibus populares quædam opiniones convellendæ ſunt, & nonnulla Origeniana ipſis etiam eruditis non ſatis nota propalabuntur.*

PROPTER venerationem ſanctorum locorum, Hieroſolymam & Bethleem venimus, & intelleximus plurimos fratres in nobis ſcandalizari, eo quod audierint, nos multa hæretica, & quæ contra fidem Eccleſiæ veniunt, profiteri.

Itaque, Deo præſente, teſtamur, quæ infra ſcripta ſunt, nos ex parte ſenſiſſe per errorem, & præſenti tempore condemnare: alia autem, in quibus falſo infamamur, nec dixiſſe, nec dicere: & e contrario, quæ in aliis ſuſpicamur, poſuiſſe atque damnaſſe.

Qui dicunt diabolo, & dæmonibus, & impiis, hoc eſt, Gentili- I.
bus, Judæis, Samaritanis, omnibuſque hæreticis (exceptis Chriſtianis, qui rectam fidem ſequuntur, & peccatores ſunt) aliquando parcendum, & pœnas eorum non eſſe perpetuas, anathema ſint.

Qui dicunt, quemvis ſanctum virum, & prophetalem, & apoſtolicum, ſine Dei auxilio, II.
poſſe eſſe perfectum, anathema ſint.

Qui dicunt, Chriſtum filium Dei Deum Verbum in hominem eſſe mutatum, ita ut Deus III.
Verbum eſſe deſierit: aut hominem purum natum ex Maria, ſecundum Paulum Samoſatenum & Photinum, & merito atque virtutibus in Dei vocabulum profeciſſe, anathema ſint.

Qui dicunt illud, quod ſcriptum eſt; *De die autem & hora neſciunt, neque angeli, neque* IV.
filius, juxta blaſphemiam Arianorum, & non propter diſpenſationem carnis aſſumptæ, verum *Matth. 24. v. 36.*
eſſe, anathema ſint. *Marc. 13. v. 33.*

Qui dicunt Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, hoc eſt, ſanctam Trinitatem, diver- V.
ſæ eſſe inter ſe ſubſtantiæ, & non unius poteſtatis atque naturæ, anathema ſint.

Qui dicunt, quolibet modo, & quolibet ſenſu, Filium Patrem non videre, anathema ſint. VI.

Qui dicunt, animas noſtras ex angelorum faſtigio in hæc corpora corruiſſe, propter quædam VII.
antiqua peccata; & in iſto mundo agere pœnitentiam, aſſumentes illa teſtimonia, *Priuſquam* *Pſal. 118. v. 67.*
humiliarer, ego peccavi, &, *Educ de carcere animam meam*, & cætera his ſimilia, anathe- *Pſal. 141. v. 8.*
ma ſint.

Qui dicunt, Dominum & Salvatorem noſtrum, non in noſtra veniſſe, ſed diverſæ ſublimio- VIII.
riſque fuiſſe ſubſtantiæ, ſive cœleſtis, & non totum ſumpſiſſe, quod de Maria eſt, vel animam hominis non habuiſſe, vel mentem abſque peccato, anathema ſint.

Digitized by Google

IX. Qui dicunt, poſt multa ſæcula & tempora, quæ non poſſumus humana cogitatione comprehendere, reſtitutionem fieri omnium in antiquum ſtatum, & univerſa ad ſua redire principia, anathema ſint.

X. Qui dicunt, poſt reſurrectionem non eadem habere nos corpora, ſed aëria quædam & ſpiritalia, & non ejuſdem naturæ, cujus in ſepulcro conditi ſumus, licet incorruptæ atque immortalis, anathema ſint.

XI. Qui dicunt, poſt reſurrectionis finem, & poſt multa tempora aboleri corpora, & reverti in hylem, ut ſine corporibus tantum animæ ſimus, quod prius fuimus, anathema ſint.

XII. Qui dicunt, animas prius fuiſſe, quam natæ ſunt, & non corpore, ſecundum exemplum primi hominis, a Deo quotidie fieri, anathema ſint.

Finit de fide & de nomine Rufini.

Ubi editus hic fidei libellus.

HIEROSOLYMAM ET BETHLEEM VENIMUS.] Hinc conſtat, ubi ſit editus ille fidei libellus, ſcilicet Hieroſolymis aut Bethleemi, quo confluebat infinita vis ſive presbyterorum, ſive monachorum, partim propter ſanctitatem utriuſque loci, partim ob Hieronymi famam, & nobilium feminarum caritatem, ſuis opibus ſervos Dei alentium.

Quo tempore.

De tempore difficilior quæſtio; hinc tamen ducenda conjectura. Editus eſt procul dubio, ante damnatum Neſtorium, alioquin tertio anathematiſmo, non Samoſateni tantum, Photinique, ſed etiam Neſtorii facta fuiſſet mentio: editusquoque, priuſquam damnaretur Pelagius, nam quomodo alias tam parce anathematiſmo ſecundo de gratiæ divinæ adjutorio dictum fuiſſet? Poteſt ergo videri ad tempora Anaſtaſii pertinere, quibus Origenianæ quæſtiones, magna animorum contentione, præſertim in Oriente, agitabantur, & Pelagianæ quaſi concipiebantur.

Imo vix non opinor, rejici debere ad pontificatum uſque Siricii, quando in Oriente turbatum eſt, diſſidentibus mutuo duobus magnis viris, S. Epiphanio, & Joanne Hieroſolymitano, illo oppugnante, iſto defendente Origenem. Ad tantos enim Epiſcopos acceſſere, cum plurima turba, eximii duo presbyteri, Hieronymus qui Epiphanium, & Rufinus qui Joannem ſequeretur. Hieronymo monachorum chori ita adhærebant, ut non communicarent Joanni; presbyteris autem in partes diviſis, ſchiſma miſerabiliter Eccleſiam Hieroſolymitanam lacerabat. Non improbabiliter igitur dici poteſt editus circiter ann. 398.

Vide apud Hieronym. epiſt. 61. quæ eſt cont. errores Joannis.

Quo auctore.

Auctorem eſſe Rufinum quemdam, titulus indicat: demonſtrat Latinum hominem, dictionis forma: ſeries & ordo codicis manuſcripti appellare videtur presbyterum Aquilegienſem: poſſet alicui venire in mentem presbyter Palæſtinæ provinciæ, cujus libellum fidei edidit P. Sirmondus: poſſet & alteri, Rufinus presbyter, quem legimus ab Hieronymo miſſum e locis ſanctis Mediolanum ann. 400. Occurrunt enim animo, inter legenda temporum iſtorum monumenta, tres hoc nomine presbyteri, ſive qui Hieroſolymis, ſive qui in vicinis Eccleſiis verſati ſint, & ita occurrunt curioſo animo, ut de nullo non poſſit oriri ſuſpicio: nam prout emergebant quotidie hæreſes, præſertim in Oriente, & Hieroſolymis, propter confluentium hominum multitudinem; ita ſuam quiſque debebat probare fidem apud eos, quorum communionem expetebat: ſi quidem multi pietatis ſpecie tegebant hæreſim.

Rationes pro Rufino Aquilegienſi.

Pro Rufino Aquilegienſi facit, in primis auctoritas Mercatoris, aut potius utriuſque codicis, in quo ſunt opera Mercatoris: in ambobus enim anathematiſmi inter epiſtolam Anaſtaſii, & Subnotationes in verba Juliani, ita interponuntur, ut cum manifeſta fiat mentio, in priore loco, Aquilegienſis Rufini, in poſteriore, Rufini illius, qui docuit Cæleſtium, quique vulgo creditur, etiam ab eruditiſſimis quibuſcumque, eſſe Aquilegienſis, non alius anathematiſmis titulus datus ſit, quam iſte: *Incipit fides ejuſdem Rufini*; cujus nempe fit mentio in utroque opere.

Epiſt. ad Cteſiph.

Facit deinde, quod Aquilegienſis, plurimum Origeni, Pelagianis non parum faverit, teſte Hieronymo: ſit vero totus fere hic libellus, de quæſtionibus, tum ab Origene, tum a Pelagio motis. Facit denique, quod quæ hic damnantur, eadem fere objecta ſibi Rufinus Aquilegienſis, cum in apologia ad Anaſtaſium Papam, tum maxime in duabus adverſus Hieronymum invectivis, diluat.

Rationes in oppoſitum.

Verum, ſunt in contrarium vehementia ſane argumenta, eaque non pauca: nam ſi hanc palinodiam aliquando recantaſſet Aquilegienſis, qui potuit factum Hieronymum latere, primis præſertim illis temporibus quibus arcta erat inter utrumque neceſſitas, animique concordia? Qui potuit non exprobrari, maxime ab homine iracundiore, & leviora non ſilente, poſtquam amicitia ſoluta eſt? Quid quod ultimus anathematiſmus perſtringit eos, qui dicunt, animas prius extitiſſe quam venerint in corpora, & non ſecundum primi hominis exemplum, eas a Deo quotidie fieri? Rufinus tamen confitetur jam ſenex, adhuc ſe ignorare, Deoque relinquit ſcire: *Quid ſit in vero ſuper tribus, quæ tunc invaluerant de origine animarum opinionibus, quarum una erat, quod* FORMATIS IN UTERO CORPORIBUS, DEUS QUOTIDIE FACIAT ANIMAS, ET INFUNDAT.

In apologia ad Anaſtaſium Papam.

Diluitur prior ratio.

Adde, quod Rufinus ille Syrus, cujus meminit Mercator in præfatione Subnotationum, longe diverſus ſit ab Aquilegienſi, qui de peccato originali non male ſenſit, ut adverſus popularem credulitatem indubitatis argumentis confectum eſt.

In notis ad præfat. Subnot.

Poſterior.

Neque valet id, quod affertur ex apologia & invectivis. coactus enim eſt Aquilegienſis objectum ſibi crimen conſenſionis cum Origene in dogmatibus, ubique paſſim, & apud judicem Anaſtaſium, & apud accuſantem Hieronymum, diluere.

Ultima.

Argumentum porro, quod ab auctoritate Mercatoris ſumebatur, cum nitatur partim hac voce, *ejuſdem*, partim collocatione libelli poſt literas Anaſtaſii, *&c.* nihil admodum efficit. Quis enim epiſtolam Anaſtaſii ibi collocatam a Mercatore probet, ubi eſt in codice manuſcripto? quis non videat id factum ab imperito librario, qui cum unum Origeniſtam Rufinum noſſet, huic omnia Rufinorum, propter communitatem nominis, tribuerit?

Tribuitur Rufino diſcipulo Hieronymi, qui non differt a Palæſtino.

Opinor igitur, neque incredibiliter, auctorem hujus libelli eſſe Rufinum illum tertium, (ſi tamen tertius a ſecundo differt) quem presbyterum Hieronymus Mediolanum Romamque miſit, utique ad Venerium & Anaſtaſium adverſus Origeniſtas ſollicitandum, ut oſtendimus in notis ad præfationem Subnotationum. Opinandi ratio eſt, quod præter nomen conveniant tempus, locus, patria, aliaque ejuſmodi adjuncta. miſſus eſt enim ex Bethleemitico ſeceſſu, Anaſtaſii temporibus, vir Latinus, qui cum Occidentalibus negotium magni momenti gereret, id eſt, rem ſtrenue ageret contra Origeniſtas, quorum errores & eo ſciret penitius, quo iiſdem fuerat infectus, & hæreticos tanto ardentius inſequeretur, quanto ſe ſciret, profeſſo palam odio, a ſuſpicione priſtinæ ſocietatis certius abſolvendum.

Vide quæ animadvertimus ad præf. Subn.

Tria notanda circa anathematiſmos duodecim.

PRÆSENTI TEMPORE CONDEMNARE, &c.] Tota hæc condemnatio duodecim anathematiſmis continetur, circa quos, ſi modo univerſim ſpectentur, tria puto diligentius obſervanda. Primum, omnes intorqueri in doctrinam, quæ licet Hieronymianæ ſit contraria, non tamen pariter ab omnibus aliis Patribus proſcripta eſt. neque enim duodecimus anathematiſmus adverſus eos, *qui dicunt animas prius fuiſſe, quam natæ ſunt, & non cum corpore a Deo quotidie fieri*, admiſſus fuiſſet ab Auguſtino, quæſtionem hanc velut incertam adhuc ſua ætate definire numquam auſo.

1. Quid anathematiſmi nomine hic intelligatur.

Unde

Digitized by Google

Unde oportet confeſſionem iſtam in nulla Eccleſia fuiſſe publicam; ſed privatam potius, & alicujus, ſive clericorum cœtus, ſive monaſterii propriam. Oportet item anathematis nomen oon ea notione acceptum fuiſſe, qua vulgo ſolet, pro execratione canonica, ſed generali alis; pro condemnatione alicujus dicti. Sic cum Dioſpoli juberetur, dicta quædam per adulationem reprobare Pelagius: *Synodus dixit: Quoniam negas, te talia ſcripſiſſe, anathematiza illos, qui ſic ſenent. Pelagius reſpondit: Anathematizo quaſi ſtultos, non quaſi hæreticos, ſiquidem non eſt dogma. Deinde judicaverunt Epiſcopi dicentes: Nunc quoniam anathematizavit Pelagius inſertum ſtultiloquium*, &c.

Lib. de geſt. Palaſt. cap. 6.

II. Cujus potiſſimum doctrina damnetur.

Secundum, in omnibus Origenem peti, ortaſque ex ipſius fonte hæreſes Samoſateni, Arii, Apollinaris & Photini, imo nullam damnari, quam non Hieronymus Origeni aliquando objecerit. ex quo nec temere quiſpiam, nec imprudenter crediderit, auctorem anathematiſmorum fuiſſe diſcipulum Hieronymi, & eo tempore ſcripſiſſe, quo nondum deferbuiſſet acrior inter Hieronymum, & Joannem Hieroſolymitaoum contentio, id eſt, ante ann. 394. imo & ediſſe profeſſionem hanc, in ipſomet Hierooymi monaſterio, apud ſanctam Bethleem, qua ſe purgaret ab hæreſis ſuſpicione, dignumque probaret, qui admitteretur in catholicum cœtum.

III. Qua occaſione ſcripti ſint anathematiſmi.

Poſtremum, ea tempeſtate plures factas fuiſſe a variis hominibus profeſſiones, iſti noo abſimiles, ſin minus quo ad definitionem, cum alii faverent Origeni, alii pugnarent: ſaltem quoad quæſtiones, de quibus ſuam quiſque ſententiam dicebat. Sic apologiam Rufinus Aquilegienſis: ſic libellum fidei Rufinus Palæſtinus: ſic expoſitiones ſymboli Patres utroque meliores: ſic anathematiſmos ſuos adverſus Apollinariſtas Nazianzenus compoſuit.

Jam vero, ſi ſinguli per ſe anathematiſmi conſiderentur, videbitur procul dubio nonoullum operæpretium ad unumquemque pro notis afferre aliquid, tum ex Origene ipſo, tum ex aliis confeſſionibus, aut etiam ex ſcriptis Hierooymi, aliorumque adverſus Origeniſtas, quo probetur, Origenem omnibus hiſce fulminibus peti.

IN PRIMUM ANATHEMATISMUM.

QUI *dicunt diabolo & dæmonibus, & impiis, hoc eſt, Gentilibus, Judæis, Samaritanis, omnibuſque hæreticis (exceptis Chriſtianis, qui rectam fidem ſequuntur, & peccatores ſunt) aliquando parcendum, & pœnas eorum non eſſe perpetuas, anathema ſint.*

Diſtributio anathematiſmi in duas partes.

PERTINET totus ad pœnam, quam Deus irrogaturus eſt, non diabolo tantum, dæmonibuſque & impiis, quæ prima pars; ſed etiam chriſtianis, *qui rectam fidem ſequuntur, ſed peccatores ſunt*, quæ ſecunda. Illorum pœnæ perpetuæ dicuntur quod omnino catholicum eſt; iſtorum temporales, quod, etſi magnis olim viris placitum eſt, ab aliis tamen erroris damnatur.

Prior, quæ catholica, damnat Origenem.

Contra priorem partem, quæ pertinet ad dæmones & impios, Origenes ita conſtanter, & ubique docuit, ut nemo ipſi ooo tribuerit veluti propriam hæreſim dogmati catholico contrariam; imo omnes tradiderint, eam contineri opere, cui nomen eſt περὶ ἀρχῶν. Hierooymus Avitum monens de cavendis erroribus inter libros hoſce legendos: *Sic permiſcet*, inquit, *omnia, ut de archangelo poſſit diabolus fieri, & rurſus diabolus in angelum revertatur.* Et paulo poſt: *Ipſos dæmones ait, ac rectores tenebrarum in aliquo mundo vel mundis, ſi voluerint, ad meliora converti, fieri homines, & ſic ad antiquum redire principium, ita duntaxat ut per ſupplicia atque tormenta, quæ vel multo vel brevi tempore ſuſtinuerint, in hominum eruditi corporibus, rurſum veniant ad angelorum faſtigia.*

Epiſt. 59.

Rufinus Aquilegienſis, non tantum multa ex libris περὶ ἀρχῶν expunxit, & iſta imprimis: ſed etiam, ut ſuſpicionem conſenſionis cum Origene a ſe amoveret: *Si quis*, ait, *diabolum negat æternis ignibus mancipandum, partem cum ipſo æterni ignis accipiat, ut ſentiat quod negavit.*

In apolog. ad Anaſt.

Poſteriorem partem, quæ ſpectat chriſtianos, Hieronymus tradidit, cum refelleret 72. titulum Pelagii aſſerentis, *in die judicii iniquis & peccatoribus non parcendum, ſed æternis eos ignibus exurendos.* Longam enim diſputationem, qua reſpondet Scripturæ locis a Pelagio allatis, concludit tandem his verbis: *Si Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non eſſe perdendas, & diabolo tribuit pœnitentiam; quid ad nos, qui & diabolum, & ſatellites ejus, omneſque impios, & prævaricatores dicimus perire perpetuo, & Chriſtianos, ſi in peccato præventi fuerint, ſalvandos eſſe poſt pœnas?*

Poſterior, licet erronea, auctorem habet Hieronymum.

Dialog. 1. adverſ. Pelag.

Marianus Victorius trahere nititur dictum Hieronymi ad ignem, quem Eccleſia purgatorium vocat: quo nimirum, vel leviores maculæ a juſtis contractæ excoquantur, vel pœnæ pro gravioribus criminibus, per juſtificationem remiſſis pendantur. Verum, apertam vim facit reluctanti: Hieronymus quippe peccatores, de quibus loquitur, a ſolis illis impiis diſcernit, quos definit, *qui notitiam Dei non habent, velut gentiles, vel ab ea defecerunt, velut hæretici.* Sed ut hæc obſcuritatis aliquid habeant, iſta certe non habent: *Sicut diaboli, & omnium negatorum atque impiorum, qui* dixerunt in corde ſuo, Non eſt Deus, *credimus æterna tormenta; ſic peccatorum atque impiorum, & tamen chriſtianorum, quorum opera in igne probanda, atque purganda ſunt, moderatam arbitramur & mixtam clementiæ ſententiam judicis.*

Marianus Victorius reprehenſus.

In notis ad hunc locum.

Comment. in Iſaiam cap. ult. extrem. verbis.

Pſal. 13. v. 1.

Quibus verbis Sixti Senenſis, & Franciſci Suarii benigniores, quam veriores, exceptiones videntur excludi. moderatio enim ſententiæ æternis tormentis opponitur, & impiorum chriſtianorum nomine intelligi non poſſunt ii, quorum remiſſa ſunt per juſtificationem peccata, cum juſtificatione homines impii eſſe deſinant. Adde quod hiſtoria quæſtionum illius temporis omnem abrogat fidem ſententiæ duorum iſtorum doctorum.

Notati quoque Sixtus Senenſis, & Franciſcus Suares.

Quid quod Auguſtinus, mea quidem ſententia, intendebat in Hieronymum, cum ſcriberet: *Creduntur a quibuſdam etiam ii, qui nomen Chriſti non relinquunt, & ejus lavacro in Eccleſia baptizantur, nec ab ea ullo ſchiſmate, vel hæreſi præciduntur, in quantiſlibet ſceleribus vivant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemoſynis redimant, ſed in eis uſque ad hujus vitæ ultimum diem pertinaciſſime perſeverent, ſalvi futuri per ignem, licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque, non tamen æterno igne puniri. Sed qui hoc credunt, & tamen catholici ſunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur: nam ſcriptura divina aliud conſulta reſpondet. Librum autem de hac quæſtione ſcripſi, cujus titulus eſt*, De fide & operibus, *&c.* Scripſit enim de tribus quæſtionibus librum: *Cum accepiſſet miſſa*, ut ait, *a quibuſdam fratribus, laicis quidem, ſed divinorum eloquiorum ſtudioſis, ſcripta nonnulla, quæ ita diſtinguerent a bonis operibus fidem, ut ſine hac non poſſe, ſine illis poſſe perveniri ſuaderetur ad vitam æternam.*

In Enchirid. cap. 67.

Cauſa cur Auguſtinus ſcripſerit librum *de fide & operibus.*

Lib. 2. Retract. cap. 38.

Quas autem tres quæſtiones tractandas ſuſceperit, initio libri expooit: *Quibuſdam videtur, indiſcrete omnes admittendos eſſe ad lavacrum regenerationis, quæ eſt in Chriſto* JESU *Domino noſtro, etiamſi malam turpemque vitam facinoribus & flagitiis evidentiſſimis notam mutare noluerint, atque in ea ſe perſeveraturos, aperta etiam confeſſione declaraverint. Verbi gratia, ſi quiſque meretrici adhæret, non ei prius præcipiatur, ut ab ea diſcedat, & tunc veniat ad baptiſmum; ſed etiam cum ea manens manſuruſque confidens, admittatur & baptizetur: nec impediatur fieri membrum Chriſti, etiamſi membrum meretricis eſſe perſtiterit; ſed poſtea doceatur, quam ſit hoc malum, jamque baptizatus de mutandis in melius moribus inſtruatur. Perverſum enim putant atque præpoſterum, prius docere quemadmodum debeat vivere chriſtianus, & deinde baptizari: ſed cenſent præcedere debere baptiſmi ſacramentum, ut deinde ſequatur vitæ morumque doctrina, quam ſi tenere & cuſtodire voluerit, utiliter fecerit. Si autem noluerit, & retenta fide chriſtiana, ſine qua in æternum periret, in quolibet ſcelere immunditiaque permanſerit, ſalvum eum futurum, tanquam per ignem, velut qui ædificaverit ſuper fundamentum quod eſt Chriſtus, non aurum, argentum,*

Tres in eo quæſtiones tractantur. Prima.

Secunda.

Tertia.

Digitized by Google

1 *Cor.* 3. *v.* 12. *lapides pretioſos, ſed ligna, fœnum, ſtipulam, id eſt, non juſtos caſtoſque mores, ſed iniquos & impudicos.*

Quorum impulſu ſcripſerit.

Jam vero laicos illos, a quibus ſcripta Auguſtinus accepit, non alios ego cogitandos puto, quam Hieronymi ſtudioſos, id eſt, vel Marcellioum Tribunum, vel nobiles Roma in Palæſtinam profugos, qui ſæpe Auguſtinum conſuluerunt de quæſtionibus eccleſiaſticis. Neque etiam reor, a laicis miſſa fuiſſe alia ſcripta, quam quæ Hieronymus, ſive in Iſaiam edidit, ſive io epiſtolas Pauli, ubi duas de tribus quæſtionibus aperta tractavit, tertiamque indicaſſe videri potuit, ſed ita ut abiret in eam ſeotentiam, quam Auguſtinus, tacito quidem oomine præ reverentia tanti viri, validis tamen argumentis arguere coactus eſt.

Dialog. 1. *cit. partim in Enchirid. partim in lib.* 21. *de civit. Dei cap.* 27. *& ſequentibus.*

Imo cum iterum Hieronymus de quæſtioœ tertia prolixius egiſſet, rurſum quoque Auguſtinus pro fide catholica ſcribere compulſus eſt; ſed id præſtitit poſt obitum Hieronymi, cujus & offenſionem verebatur, & doctrinam ſaoctitatemque ſuſpiciebat.

Ex his autem manifeſte conſtat, quo ſenſu locutus ſit de quæſtione vulgo propoſita Hieronymus, eo nempe, quo diſputari ſolebat a catholicis. Conſtat etiam, non poſſe eum probabilius dici ſenſu catholico locutum de purgatorio igne, quam ipſummet Origenem, cujus veſtigiis apprime inſiſtit: humanitus ergo aliquid, quod fateri neceſſe eſt, hac in parte accidit maximo Eccleſiæ doctori, propter ſententias quaſdam præjudicatas, ex priſtina veteris magiſtri lectione.

Origeoes autem nomine purgatorii ignis oon id ſignificabat, quod Eccleſia ouoc ſolet; ſed ipſa inferorum ſupplicia, quibus ſua tandem aliquando crimina rei chriſtiani purgarent: quaſi fides flammis poſſet io caritatem incendi. Id autem annotaſſe non leve eſt operæ pretium, ad intelligenda Patrum dicta, ſi qui adverſus ignem purgatorium ſentire videantur. neque enim hunc negaot, quem Eccleſia confitetur; ſed quem alii commenti ſunt poſt Origenem.

Orat. 39.

Sunt qui credant, potuiſſe Hieronymum id doctrinæ accipere etiam a Gregorio Nazianzeno, quo magiſtro gloriabatur: ille enim cum recenſeret varia baptiſmorum genera, meminit ultimo loco baptiſmi ignis, qui *poſtremus omnium craſſam materiam depaſturus ſit quaſi fœnum, vitiisque omnis levitatem abſumpturus.*

Verum, hæc verba de purgatorio igne, qualem Eccleſia oovit, interpretari nihil vetaret, niſi interpres Nicetas alio ſenſum doctoris traheret. ſic enim facit Gregorium Novati ſectatoribus loquentem: *Si vos non flectimus, pro vobis, utpote incurabili morbo correptis, lacrymas effundemus: igni enim ſempiterno baptizabimini, qui terrenam & craſſam materiam tanquam fœnum comedit, ut Iſaiæ verbis utar; hoc eſt, craſſis & obſcœnis corporis voluptatibus ſervientes, atque homines peccato leves & aridos ita excruciat, ut tamen non abſumat,* &c.

Orat. catechet.

Sunt etiam, qui Gregorium Nyſſenum ejuſdem doctrinæ nomine ſuſpectum velint, quod eruditi viderint.

Cod. 21.

Photius certe Theodoro Mopſueſteno ita ſcribit: *Τὴν Νεστορίου αἵρεσιν, καὶ μάλιστα ἐν τῷ τρίτῳ λόγῳ, ἐπικυρώσας προαναφωνεῖ, ἀλλὰ καὶ τῶν ἁμαρτωλῶν ἀποκατάστασιν τερατεύεται: Neſtorii hæreſim, maxime in tertio libro, confirmans ante prædicat; ſed & peccatorum reſtitutionem monſtrifice mentitur.*

Lib. de fide & operibus, & lib. 1. *de Civit. cap.* 17.

Neque vero mirum, his & aliis antiquiſſimis Patribus ita viſum fuiſſe: non tantum humana quadam, ut ait Auguſtinus, benevolentia falſi ſunt; ſed etiam præjudicata opinione, qua crederent, Deum ſumma booum Chriſtique amantem perdere non poſſe homines, qui Chriſtum vera fide induiſſent.

In Pſal. 118. *octon.* 20.

Unde Ambroſius, cum Chriſtum docuiſſet eſſe Fidelium caput, membraque capiti fide coaptari: *Hoc caput*, inquit, *humani ſervate ſerpentes, hoc cuſtodite, vita integra, ſalus tuta eſt: nemo enim perire poteſt, cui non ſublatus eſt Chriſtus. Ubi fides eſt, & initium & finem habemus. Ubi perfidia, neque initium, nec finis eſt.*

Hieronymo adhæſit, præter Rufinum hunc Syrum, Paulus Oroſius, illud ipſum Pelagii arguens quod

Apolog. cap. 13.

Hieronymus, *omnes nimirum peccatores ſimul cum impiis in æternum eſſe damnandos.* Adhæſit Mercator, quemadmodum oſtendimus ſuo loco: imo & Joanoes

Commonit. cap. 4.

Damaſcenus, ſaltem ex parte, oratione *pro fidelibus defunctis*, ſi tamen ſuppoſititia non eſt.

Orat. pro fidelibus defunctis. Lib. de fide & operibus.

Quomodo vero tantorum virorum error refutari debeat, demooſtrat Auguſtinus. Quo modo hæreticis noſtrorum temporum oon faveat, diximus in notis ad locum Mercatoris. Quomodo tandem, non ſtulta exprobrandi Patribus libidine, ſed ſincero veritatis ſtudio in hanc inquiſitionem incubuerimus, judicabit ex ſe facile, qui ſatis intellexerit, oppugnaodum eſſe genium noſtri ſæculi, quo quiſque Patrem, quem colit, affectu ſæpe magis quam ratione, ſtatuit velut certam viri regulam.

In II. Anathematismum.

QUI *dicunt, quemvis ſanctum virum, & prophetalem, & apoſtolicum, ſine Dei auxilio, poſſe eſſe perfectum, anathema ſint.*

OBSERVANDUM oomine *prophetalis & apoſtolici viri*, indicari perfectum & ſanctum; ſive qui ante Chriſtum vixerit, ut Prophetæ, ſive qui poſt ipſius adventum, ut Apoſtoli: illi enim utriuſque generis viri ſuæ ætatis perfectiſſimi extiterunt.

Obſervandum pariter, jam inde a tempore conſcriptæ hujus fidei, id eſt, ante ann. 400. motam fuiſſe in Oriente quæſtionem de ἀναμαρτησίας, id eſt, de viribus liberi arbitrii, quibus homo poteſt eſſe ſine peccato, ſi velit. Eam ob rem Hieronymus ann. 413. Pelagianam hæreſim reviviſcere dicebat, tunc cum ſcriberet, ut quæ nimirum diu ante vixiſſet, ſed extincta videri poſſet, atque inſepulta. *Præf. in lib.* 4. *Comment. in Hieremiam.* Eadem de cauſa Photius, hæreſim hanc in Oriente natam, & inde in Occidentem profluxiſſe, ſcriptum reliquit. *Cod.* 54.

Porro non ſine animadverſione prætereundum eſt id, quod dicitur a Rufino, *ſine auxilio Dei poſſe*, &c. eſſe illud ipſum, quod aiebat Pelagius, *hominem poſſe, ſi velit*, ut ſæpe indicavimus.

Origenes huic anathematiſmo occaſionem dedit, cum poteſtatem liberi arbitrii in utramque partem extolleret eo uſque, ut ad perfectionem virtutis, alio negaret indigere auxilio, quam legis & doctrinæ: unde Hieronymus Origenem recenſet inter Pelagii magiſtros *περὶ τῆς ἀναμαρτησίας καὶ ἀπαθείας*, non annumeraturus utique, ſi auxilio voluntatis divinæ, ſeu diffuſione caritatis a Spiritu ſancto, opus eſſe dixiſſet, ad impeccantiam habendam. Quamquam expreſſius quiddam afferendum ſit, ubi de anima Chriſti proficiente ſuis meritis in vocabulum Dei, ſententia Origenis exponetur.

Lib. 3. *περὶ ἀρχῶν c.* 4. & 6.

In epiſt. ad Cteſiphontem.

In III. Anathematismum.

QUI *dicunt, Chriſtum Filium Dei, Deum Verbum in hominem eſſe mutatum, ita ut Deus Verbum eſſe deſierit, aut hominem purum natum ex Maria, ſecundum Paulum Samoſatenum & Photinum, & merito atque virtutibus in Dei vocabulum profeciſſe, anathema ſint.*

UTRAQUE parte anathematiſmus Origenem petit, licet ſingulæ damnent ſingulas Apollinaris & Samoſateni hæreſes inter ſe contrarias. Cum enim altera per exceſſum, ut ita loquar, altera per defectum, in veritatem Incarnationis dominicæ, peccaret; illa Verbi divini converſionem in hominem delirans, iſta renuens ſubſtantivam naturarum unionem, utraque ab Origene orta videri potuit: adeo perplexe, aut inconſtanter potius, de tanto myſterio locutus eſt. Sentiebat procul dubio cum Apollinari, cum diceret: *Mentem in Verbum ante creationem mundi converſam fuiſſe, & in plenitudine temporum cælo lapſam, pro anima in Chriſto extitiſſe, imo in hominem commutatam eſſe.* Errabat cum Photino aſſerens, *animam Chriſti* (quo nomine intelligebat hominem, quem definiebat more Platonis, animam utentem corpore) *merito virtutis & operum deificatam.* Cum catholicis loquebatur, ſi tamen una vocula molliatur, cum hæc verba funderet: JESUS-CHRISTUS, *qui venit, ante omnem creaturam natus ex Patre eſt, qui cum in omnium condi-*

Altera pars anathematiſmi Apollinarem, altera Samoſatenum oppugnat.

Utraque Origenem variis in locis ſcribentem.

Lib. 2. *περὶ ἀρχῶν cap.* 6.

Ibid.

Proœm. lib. περὶ ἀρχῶν.

Joan. 1. *v.* 3.

tione

tione Patri miniſtraſſet, (per ipſum enim omnia facta ſunt) *noviſſimis temporibus ſe ipſum exinaniens, homo factus eſt, incarnatus eſt, cum Deus eſſet, & homo manſit, quod Deus erat, corpus aſſumpſit noſtro ſimile*, &c.

Neſtoriana & Eutychiana hæreſis ab aliunde ortum, ab aliunde nomen accepit.

Ex hoc autem anathematiſmo intellige, Eutychianam hæreſim atque Neſtorianam, ab aliis ortum, ab aliis nomen accepiſſe: hoc enim in libello, ante Neſtorium atque Eutychem natos, edito, utraque damnatur. Unde audiendi non ſunt, mea quidem ſententia, qui libello fidei, quem Pelagius fecit, addita ſuſpicantur hæc verba: *Illorum quoque ſimiliter execramur blaſphemiam, qui novo ſenſu aſſerere conantur, a tempore ſuſceptæ carnis, omnia quæ erant deitatis, in hominem demigraſſe; & rurſum quæ erant humanitatis, in Deum eſſe transfuſa: ut, quod nulla unquam hæreſis dicere auſa eſt, videatur hac confuſione utraque exinanita ſubſtantia, deitatis ſcilicet & humanitatis, & a proprio ſtatu utraque eſſe mutata.* Nemo enim veterum ante natum Eutychem, non meminit erroris illius, quo Incarnatio diceretur, auctore Apollinari, aut potius ex ſententia quorumdam Apollinariſtarum, Verbi divini mutatio quædam in carnem, & carnis viciſſim in deitatem converſio.

Rejicitur ſuſpicio quorumdam de additione facta libello fidei Pelagii. num. 8.

Qui præiverint Neſtorio neganti, virginem eſſe θεοτόκον.

Intellige pariter, quomodo & Origenes, & Samoſatenus, & Photinus, & alii qui Chriſtum aſſeruerunt merito atque virtutibus in Dei vocabulum profeciſſe, Neſtorio præiverint, licet alia via, ad negandum, ſanctam Virginem eſſe θεοτόκον. quod enim ex ea natum eſt, Deus utique non fuit, cum naſceretur, ſi merito profecit in hoc vocabulum. Quanquam Origenis diſpar videri poteſt atque aliorum cauſa: nam æterna quædam, vel ſaltem tempore ſuperiora merita comminiſcitur, quibus mens, priuſquam veniret in corpus, digna evaſerit, quæ Verbo divino conjungeretur.

In iv. Anathematiſmum.

Matth. 24. v. 36. & Marc. 13. v. 33.

QUI *dicunt, illud quod ſcriptum eſt*, De die autem & hora neſciunt neque angeli, neque Filius, *juxta blaſphemiam Arianorum, & non propter diſpenſationem carnis aſſumptæ, verum eſſe, anathema ſint.*

Anathematiſmus Origenem petit, ſed ex falſa ſuſpicione Rufini.

ETSI nemo, quod ſciam, crimini vertit Origeni, quod ignorantiam ſupremæ diei tribuerit Chriſto; vix tamen dubito, quin a Rufino hic in ipſum anathematiſmus prolatus ſit, licet immerito, & per ſuſpicioſam, ſi fas ita dicere, calumniam. nam cum prima parte adverſus Arianos pugnet, inſcitiam ejuſmodi affingentes ipſimet etiam Verbo divino; in ſecunda eos damnat, qui parem inſcitiam humanæ menti Verbo conjunctæ abjudicant, quod fecit Origenes, mentem commentus, cum in cœlo verſaretur ante conditionem mundi, perfecte converſam in Verbum, omniaque myſteria complexam: tempore vero lapſam in corpus, cui fuit pro anima; ſed tamen ita lapſam, ut non perinde ac aliæ, labendo remitteret quidquam de priſtina perfectione; ſive cognitionis, per inumbrationem; ſive voluntatis, per refrigeſcentiam.

Prima pars adverſus Arianos.

Secunda contra catholicos.

Lib. 2. περὶ ἀρχῶν cap. 6.

Duæ ſunt igitur anathematiſmi partes: una Chriſtum ſpectat, quatenus Verbum eſt: altera eundem, quatenus homo. Prima Verbo aſſerit notam judicii diem, quod Ariani negabant; ſecunda fatetur homini ignotam, qua de re non fuit una olim Patrum opinio.

De ignorantia diei ſupremæ, an fuerit in homine Chriſto, diſcors veterum ſententia.

Cum enim omnes Arianis communiter pugnarent, aliqui tamen contenderunt, Chriſtum, ut homo eſt, diem ſupremum vere neſciviſſe; ideoque diſtinctione uſi dicere ſolebant, Chriſtum θεϊκῶς diem judicii ſciviſſe, non ſciviſſe ἀνθρωπικῶς: ſic enim videbantur ſibi, hinc quidem Arianis contradicere, quod fides jubebat; inde vero ſententiæ evangelicæ ſenſum retinere, quem cuique obvium aiebant.

Qui in parte affirmante.

Lib. 6. adverſ. Arianos.

Lib. 11. cap. 1.

Orat. 4. cont. Arian. & in lib. ad Serap.

In ea opinione verſati ſunt nonnulli Patrum, etiam magni in Eccleſia nominis, Euſtathius Antiochenus apud Facundum Hermianenſem, Athanaſius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus Alexandrinus, & Theodoretus, Hilarius, Ambroſius, Fulgentius, & cæteri non pauci.

Conſtans eſt nihilominus hodiernæ theologiæ ſententia, Chriſtum, etiam qua homo eſt, non ignoraſſe ſupremum judicii diem, cum viveret inter mortales: dictumque illud, quod ne filius quidem hoc tempus ſciret, intelligi debere, non ſimpliciter, de quacumque ſcientia; ſed reſtricte de ea ſola, ad quam communicandam miſſus eſt, juxta illud Chriſti: *Quia ego ex me ipſo non ſum locutus; ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar*, &c. *Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, hæc loquor.*

ſub fin.

Epiſt. 391. ad Amphiloch.

Orat. 36.

Ad anath. 4.

Lib. 9. de Trin.

Lib. 2. de fide cap. 4.

Lib 1. ad Traſymund. cap. 7.

Negans nunc communiter recipitur.

Joan. 12. v. 49.

In v. anathematiſmum.

QUI *dicunt, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, hoc eſt, ſanctam Trinitatem, diverſæ eſſe inter ſe ſubſtantiæ, & non unius poteſtatis atque naturæ, anathema ſint.*

Arguuntur Ariani, Macedoniani & Origenes.

NON Arianos tantum, & Macedonianos ferit anathematiſmus, ſed primum utriuſque erroris parentem Origenem, quem in libris περὶ ἀρχῶν abſurda prorſus & impia de Trinitate ſenſiſſe Epiphanius in primis, Hieronymuſque tradiderunt. Conſulendus ille hæreſi 64. & in epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum; iſte vero, cum Avito mitteret verſos a ſe περὶ ἀρχῶν libros, ipſum monuit, ut inter legendum, meminerit ſibi inter ſcorpiones & colubros incedendum, quippe cum ſint in eis deteſtanda plurima, ut eſt illud ſtatim in primo volumine: *Chriſtum Filium Dei non natum eſſe, ſed factum: Deum Patrem per naturam inviſibilem, etiam a Filio non videri; Filium, qui ſit imago inviſibilis Patris, comparatum Patri, non eſſe veritatem; apud nos autem qui Dei omnipotentis non poſſumus recipere veritatem, imaginariam veritatem videri, ut majeſtas ac magnitudo majoris quodammodo circumſcripta ſentiatur in Filio.* Et poſtea: *Duarum ſtatuarum, majoris & parvulæ, unius quæ mundum impleat & magnitudine ſua quodammodo inviſibilis ſit, & alterius quæ ſub oculos cadat, ponit exemplum, priori Patrem, poſteriori Filium comparans. Deum Patrem omnipotentem appellat bonum & perfectæ bonitatis; Filium non eſſe bonum, ſed auram quandam & imaginem bonitatis: ut non dicatur abſolute bonus, ſed cum additamento, Paſtor bonus*, &c. *Tertium dignitate & honore, poſt Patrem & Filium, aſſerit Spiritum ſanctum; de quo cum ignorare ſe dicat, utrum factus ſit, an infectus, in poſterioribus quid de eo ſentiret, expreſſit, nihil abſque ſolo Deo Patre infectum eſſe confirmans. Filium quoque minorem Patre, eo quod ſecundus ab illo ſit, & Spiritum ſanctum inferiorem Filio, in ſanctis quibuſque verſari: atque hoc ordine majorem Patris fortitudinem eſſe, quam Filii, & Spiritus ſancti: & rurſum majorem Patris fortitudinem eſſe, quam Filii, & Spiritus ſancti: & rurſum majorem Filii fortitudinem eſſe, quam Spiritus ſancti; & conſequenter ipſius ſancti Spiritus majorem eſſe virtutem cæteris, quæ ſancta dicuntur.*

Epiphanius.

Hær. 64. & in epiſt. ad Joannem Hieroſ.

Hieronymus.

Epiſt. 59.

Quæ autem Hieronymus tunc Origeni objecit, quæque poſtea Juſtinianus, aliaque ejuſmodi multa, fruſtra quæras in libris, quos habemus; ſi quidem a Rufino interpolati ſunt, & ab hæreſibus contra Nicænam fidem repurgati. Utinam perveniſſet ad noſtra tempora vel textus ipſe Græcus Origenis, vel ſaltem Hieronymi Latina verſio, quam Avito miſit.

Rufinus Aquilegienſis interpolator librorum περὶ ἀρχῶν.

In epiſt. ad Menam.

Rufinus certe Aquilegienſis Origeni contraria profeſſus eſt. *De Trinitate*, inquit, *ita credimus, quod unius naturæ ſit, unius deitatis, unius ejuſdemque virtutis ac ſubſtantiæ* &c.

Catholice ſentit de Trinitate.

In apolog. ad Anaſt.

Eadem fuſiori ſermone proſequitur Rufinus Palæſtinus, imo & alii ejuſdem pene ætatis hæretici, ut nimirum confeſſione ὁμοουσίου, quæ tunc temporis erat quaſi teſſera catholicæ fidei, ſimplicioribus illuderent, ac imprudentes in ſuos errores allicerent.

Sentit & Rufinus Palæſtinus.

In libello fidei.

In vi. anathematiſmum.

QUI *dicunt, quolibet modo, & quolibet ſenſu, Filium Patrem non videre, anathema ſint.*

Adverſus Origenem in libris περὶ ἀρχῶν. Epiphanius. Epiſt. 60. apud Hieron.

NEMO defenſorum Origenis contradicit Catholicis accuſantibus libros περὶ ἀρχῶν dogmatis hic damnati. Unde Epiphanius: *Quis catholicorum poſſit æquo animo ſuſtinere? Quis eorum, qui fidem ſuam bonis operibus exornant, ut audiant Origenis doctrinam atque conſilium, & credant præclaræ illius prædicationi,* NON POTEST FILIUS VIOERE PATREM, NEQUE SPIRITUS SANCTUS VIOERE FILIUM? *Hæc in libris περὶ ἀρχῶν ſcribuntur. His verbis legimus, & ita locutus eſt Origenes.* Sicut enim incongruum eſt dicere, quod poſſit Filius videre Patrem; ſic inconſequens eſt opinari, quod Spiritus ſanctus poſſit videre Filium.

Origeniſtarum defenſio pro Origene. Joannis Hieroſolymitani. Epiſt. 61.

Miris plaoe modis tergiverſati ſunt Origeniſtæ, cum jam non pro magiſtro urgerentur, ſed pro ſe dicere: *An Patrem videret Filius, Filium Spiritus ſanctus.* Unde Hieronymus, oratione ad Joannem Hieroſolymitanum converſa: *Objicitur tibi, quod magiſter tuus, quem catholicum vocas, quem defendis obnixe, dixerit:* Filius non videt Patrem, & Filium oon videt Spiritus ſanctus. *Et tu mihi dicis,* Inviſibilis Pater, inviſibilis Filius, inviſibilis Spiritus ſanctus; *quaſi non & angeli ſecundum naturam ſuam oculis noſtris inviſibiles ſint?* Et paulo poſt: *Quæritur* an Patrem videat Filius; *& tu dicis:* Inviſibilis eſt Pater. *Deliberatur* an Filium videat Spiritus ſanctus; *& tu reſpondes:* Inviſibilis eſt Filius. *Verſatur in cauſa* an ſe invicem Trinitas videat, *humanæ aures tantam blaſphemiam ferre non ſuſtinent; & tu dicis:* Inviſibilis Trinitas. *In laudes cæteras evagaris: peroras in his, quæ nullus inquirit; auditorem aliorſum trahis, ut quod quærimus, non loquaris.*

Rufini Aquilegienſis. Invect. 1. cont. Hieronym.

Rufinus Aquilegienſis invenit aliud hujuſmodi προφυγεῖον: contendit videndi verbum ab Origene uſurpatum pro ſenſu viſus, ſiquidem adverſus Antropomorphitas & Valentinianos diſputaret, Deum incorporantes. Verum, oemo, qui Origenem ipſum conſuluerit, non cootinuo cavillationem hanc, veluti vanam, imo ridiculam, deſpexerit.

IN VII. ANATHEMATISMUM.

Adverſus Origenem.

QUI *dicunt, animas noſtras ex angelorum faſtigiis in hæc corpora corruiſſe, propter quædam antiqua peccata, & in iſto mundo agere pœnitentiam, aſſumentes illa teſtimonia,* Priuſquam humiliarer, ego peccavi, *&*, Educ de carcere animam meam, *& cætera his ſimilia, anathema ſint.*

Epiphanios. In epiſt. ad Joan. Hieroſol. apud Hieronymum.

EPIPHANIUS: *Illud quoque quis Origenem dicentem in libris περὶ ἀρχῶν patiatur, quod animæ angeli fuerint in cœlis, & poſtquam peccaverint in ſupernis, dejectas eſſe in iſtum mundum, & quaſi in tumulos & ſepulcra in corpora iſta relegatas, pœnas antiquorum luere peccatorum, & corpora credentium, non templa Chriſti eſſe, ſed carceres damnatorum?* Ex poſtea: *Quanquam iſtiuſmodi nugas & deliramenta ſoleat ille ſcripturarum interpretatione perverſa, & aliud ſignificante, quam*

Pſal. 118. v. 76. *quod verum eſt, affirmare dicens:* Priuſquam a malitia

Pſal. 114. v. 7. humiliarer, ego deliqui; *& illud:* Revertere, anima

Pſal. 141. v. 8. mea, in requiem tuam; *nec non & aliud:* Educ de

Pſ. 114. v. 9. carcere animam meam. *Et in alio loco:* Coofitebor Domino in regione vivorum, &c.

Epiſt. 61.

Illud ipſum copioſiſſime Hieronymus tractat, & Joannis Epiphanio ſuper ea quæſtione reſpondentis ſtrophas atque præſtigias, ut loquitur, detegit ac diſſolvit. Verum, quia prolixior eſt oratio, omittenda hic videtur, & cootractius quiddam aliunde afferendum. Hieronymus igitur ioducit hæreticos ita

Hieronymus. Epiſt 8. qua eſt ad Demetriad.

differentes: *Si judicia ſunt Domini vera, juſtificata in ſemetipſis, & nihil apud Deum injuſtum eſt; ipſa ratione compellimur, ut credamus animas fuiſſe in cœleſtibus,*

Pſal. 18. v. 10. *& propter antiqua quædam peccata damnatas in corporibus humanis; &, ut ita loquar, ſepultas; noſque in valle lacrymarum pœnas luere veterum peccatorum: unde &*

Pſal. 118. v. 67. *Propheta dicit:* Priuſquam humiliarer, ego deliqui,

Pſal. 141. v. 8. *&*, Educ de carcere animam meam, &c. *Hæc impia & ſcelerata doctrina olim in Ægypto, & Orientis partibus verſabatur, & nunc quaſi abſcondite in foveis viperarum apud pleroſque verſatur, illarumque partium polluit puritatem,* &c.

Reprehenſus per calumniam Hieronymus a Rufino Aquilegienſi. Invect. 1. in Hieronymum.

Sed quia Hieronymus mentionem fecit juſtitiæ divinæ, cujus obtentu ſe clepere tentabat Origenes, noo abs re fuerit aperire, quomodo vir ſanctus eam ob rem paſſus ſit olim calumniam a Rufino Aquilegienſi, quaſi exprobraſſet alteri, quod ipſe peccaſſet. In commentariis enim epiſtolæ ad Epheſios, poſt explicatam divinæ electionis rationem, quæ gratiæ dicitur, alteram, quam vocant juſtitiæ, expoſiturus ſic ait: *Alius vero, qui Deum juſtum conatur oſtendere, quod non ex præjudicio ſcientiæ ſuæ, ſed ex merito electorum unumquemque eligat, dicit, ante viſibiles creaturas fuiſſe alias inviſibiles, in quibus & animas, quæ ob quaſdam cauſas ſoli Deo notas dejectæ ſint deorſum in vallem iſtam lacrymarum,* &c. Sed inepta Rufini abutentis patientia lectorum cavillatio per ſe ſatis refellitur, cum Hieronymus, non quid ipſe ſentiret, ſed quid alius, exponat eo loci, quod ipſe conteſtatus eſt non ſemel, cauſatus legem commentariorum, quæ tunc temporis obtinebat.

De præcipitatione animarum Origenis commentum.

Si quis porro velit curioſius noſſe, quibus gradibus ex angelorum faſtigio ad humana uſque corpora præcipitentur animæ, ſi credimus Origeni, legat lib. 2. περὶ ἀρχῶν cap. 8. & epiſt. 61. Hieronymi, paulo ante medium.

Quo ex præjudicio exortum.

Sed obſerva, lector, quas in abſurditates vir tantus, quantus Origenes, Orientis, ut audiebat, magiſter & Eccleſiæ doctor, inciderit, propter anticipatum illud judicium, quo & ipſe quondam Auguſtinus in tranſverſum actus eſt, ELECTIONEM DEI NON ESSE GRATIÆ, SED JUSTITIÆ. Ut enim diſcretionis cauſas, quas in Deum non putabat refundendas, *ne apud ipſum injuſti aliquid foret,* ex parte hominum poneret, quos videbat io ſortem naſci infinite diſparem ac diverſam: id totum ita diſparibus ſingulorum meritis tribuit, ut in meliorem ſortem eligerentur, quorum potiora eſſent merita; in deteriorem, quorum mala: perinde ac ſi, quod olim aiebat Auguſtinus, NEMO ELIGERETUR PRÆ ALIO, NISI JAM DISTANS. Cum ergo aliunde intelligeret neminem, niſi abſurde, dici poſſe dijudicari ex meritis conſequentibus, antecedentia quædam invenienda ratus eſt.

Lib. 1. ad Simplicianum.

Quomodo excreverit. Animarum προΰπαρξις.

Quare animas primum cenſuit antea extitiſſe, quam laberentur in corpora: deinde, cum anteceſſionis tempus definiri non poſſet, niſi temere, opinatus eſt tota ſaltem ætate mundi præceſſiſſe, atque ita omnes ſimul cooditas, & ſpiritualem quemdam ex animabus mundum ſenſibili priorem extitiſſe: inter eas dicebat, ipſam quoque Chriſti animam fuiſſe, natura quidem aliis parem, ſed virtutum ſtudio longe præſtantiorem, ut quæ tanto ſe affectu conjunxerit Verbo divino, id eſt, ſapientiæ omnium virtutum parenti, ut conjunctionis vinculum indiſſolubile evaſerit, ipſaque proinde anima merito & virtute ſua in Dei vocabulum profecerit.

Anima Chriſti.

Meruit ſuis viribus, ut Verbo uniretur.

Totum hoc meritum voluit ex ſolis liberi arbitrii viribus naſci, ne a Deo, qui communis omnium parens, quique ipſa per ſe bonitas atque juſtitia, aliquid diſcriminis inter æquales fieret. Quare ſingulas animas id potuiſſe ſenſit, quod anima Chriſti; nec proinde quidquam eſſe cauſæ, cur ulla ipſi invideret bonum, quod in ſua quælibet poteſtate poſitum haberet. atque hæc videri poteſt fuiſſe poſtmodum horrenda Theodori Mopſueſteni blaſphemia. *Non invideo Chriſte, quod factus eſt Deus: quod enim ipſe factus eſt, ego fieri poſſum, viribus meæ naturæ.* Fuit hæc certe Pelagianorum hæreſis, ſi fas eſt credere Caſſiano, & epitaphii hæreſis Neſtorianæ ſcriptori, qui forte falluntur.

Lib. 1. de Incarn. cap. 4. Inter opera tributa Proſpero.

Corpora animarum ergaſtula.

Jam vero cum Origenes animas tanto tempore ſine corporibos exiſtere, eaſque natura pares, ſolis meritis differre ſentiret, exinde coofequens putabat, ut corpora cogitari deberent, velut alienum quiddam ab hominibus, quod jam diſcrimen multiplex afferret, hebetaretque animarum vires, atque impediret motus: quamobrem hominem voluit Platonis more definiendum, ANIMAM UTENTEM CORPORE: voluit quoque, animam, cum prius tantum

Mentium in animas converſio.

mens

Digitized by Google

menſ eſſet, nomen animæ tunc primum adipiſci, cum corpus indueret.

Mentes humanæ angelis pares natura.

Sed quoniam mentis, quam contemplabatur Origenes, ſolutam a corporis indumento, & ſpiritualibus per ſe actionibus, per longiſſima temporum intervalla, intentam, aliam non poterat notionem effingere, quam quæ angelorum impreſſa eſt animis noſtris, hos enim definimus, *mentes ſolutas a corporibus, & ſine ipſis perfectas*, mentem humanam angelicæ naturæ fecit.

Univerſum tribus conſtat, Deo, mentibus, & hyle. Ex hyles parte craſſiore, vallis lacrymarum. Ex tenuiore, regnum cœlorum. Quatuor commenta hinc orta.

Imo tribus omnino univerſum quidquid eſt, conſtare decrevit, divinitate, mentibus & hyle; ſi quid præterea diverſitatis cernitur, totum id a meritis voluntatum, & juſtitia Dei ortum duxiſſe: infimam mundi partem, ex craſſiore materia, ab irata Dei manu, compactam in vallem lacrymarum: ſupremam, ex tenuiſſimis materiæ particulis, altera Dei manu benevola, formatam, in beatorum regnum, &c.

Atque hinc profluxerunt commenta quatuor. Primum, de animarum deſcenſu ex angelorum faſtigio in corpora, deque aliarum præcipitatione, rearum ſcilicet; aliarum ſpontanea miſſione, quæ cum virtutibus eſſent præditæ, in reliquis regendis providentiæ divinæ famularentur. Secundum, de commutatione animarum in dæmones, per ſcelera: in angelos, per virtutum quaſi gradus. Tertium, de angelorum quoque & dæmonum reciproca converſione. Quartum, omnia hæc nomina, mentium, animarum, angelorum & dæmonum, non ſignificare naturas, ſed merita, vel potius ortas ex meritis conditiones.

De creaturarum omnium ſpiritalium incorporatione.

Hinc denique ipſi viſa eſt creaturarum omnium rationalium, quæ ſi per ſe ſpectentur, ſunt puræ mentes, unoque ordine cenſentur, orta generalis quædam ἐνσωμάτωσις, poſt quam diſtinguuntur gradibus & nominibus; ita ut diverſitas omnis oriatur ex varietate corporum, ſive tenuiorum, ſive craſſiorum, &c.

In VIII. Anathematismum.

QUI *dicunt, Dominum & Salvatorem noſtrum non in noſtra veniſſe, ſed diverſæ ſublimioriſque fuiſſe ſubſtantiæ, ſive cæleſtis, & non totum ſumpſiſſe, quod de Maria eſt, vel animam hominis non habuiſſe, vel mentem abſque peccato, anathema ſint.*

Adverſus Apollinariſtas, quorum hæreſim Prædeſtinati auctor exponit. *Lib. 1. hær. 55. Joan. 1. v. 14.*

TOTUS hic quantus eſt anathematiſmus perſtringit Apollinariſtarum hæreſim, qui *negant*, inquit Prædeſtinati auctor, *hominem perfectum in Christo, ſed aſſumptionem carnis ita factam, ut intus in homine pro anima divinitas eſſet; carnem autem & Verbum unius ejuſdemque volunt docere ſubſtantiæ, contentioſiſſime aſſerentes.* Verbum caro factum eſt, *volunt docere, aliquid de Verbo in carnem converſum: inſuper etiam de Mariæ carne nihil eſſe ſuſceptum in Incarnatione Domini noſtri* JESU-CHRISTI *confirmant. Egit contra Apollinarem ſynodus in Antiochia.*

De duobus Apollinariis. *Lib. 2. cap. ult.*

Extiterunt Apollinarii duo: *Qui*, ut ait Socrates, *primum dixerunt animam a Deo Verbo in diſpenſatione Incarnationis non aſſumptam: deinde quaſi pœnitentia ducti, Corrigentes ſemetipſos, adjecerunt animam quidem aſſumptam, quæ tamen non haberet mentem, ſed Deum Verbum eſſe pro mente in homine aſſumpto.*

De Apelle Apollinariis majore.

Ante utrumque ſenſerat Apelles, Chriſtum habuiſſe corpus cœleſtis cujuſdam ſubſtantiæ; quem, licet arguere verbo viſus ſit Origenes, re tamen vera ſecutus credi potuit, propter ſuum illud commentum de animarum per myſticam, ut jocatur Hieronymus, Jacobi ſcalam deſcenſu, & pro variis regionibus mundi, quaſi gradibus, varii corporis aſſumptione.

Vide Tertull. cap. 51. de præſcript. De Arianis.

Senſerant & Ariani ante Apollinarem, Verbum fuiſſe Chriſto pro mente humana: quem errorem, etſi aliunde forte didicerant, potuerunt tamen aliquatenus ex Origene accipere, quippe qui affine quiddam commentus ſit, Chriſti nimirum animam ſeu mentem, priuſquam deſcenderet in corpus, in Verbum olim converſam, ut nonnulli interpretantur.

De Origene omnibus iſtis præeunte.

Huic toti hæreticorum generi viam aperuiſſe Origenem, ex eo licet colligere, quod ſuis opinationibus, ſive de induſtria perplexis, ſive pro ingenii qualitate inconſtantibus, cauſam dederit catholicæ fidei ſtudioſis, ea ipſi non improbabiliter objiciendi, quæ creditus Pamphilus diluere conatus eſt, & illud in primis *eum dicere dokein, id eſt, putative tantum, & per allegoriam; non etiam ſecundum ea, quæ juxta hiſtoriam referuntur, geſta eſſe omnia, quæ a Salvatore geſta ſunt.*

In apologia pro Origene.

In IX. Anathematismum.

QUI *dicunt, poſt multa ſæcula & tempora, quæ non poſſumus humana cogitatione comprehendere, reſtitutionem fieri omnium in antiquum ſtatum, & univerſa ad ſua redire principia, anathema ſint.*

Totus adverſus Origenem pugnat.

DOGMA, quod hic perſtringitur, tam proprium eſt atque ſingulare Origenis, ut ad id probandum, ſi mihi foret in confeſſo, exſcribi poſſet maxima pars librorum περὶ ἀρχῶν, ſicubi agitur de mundo, imo & de rationalibus creaturis. Poſſent quoque plurima teſtimonia adhiberi, tum ex epiſtolis Epiphanii ad Joannem Hieroſolymitanum, & Hieronymi ad Avitum, atque Pammachium; tum ex libris, ſive Hieronymi adverſus Rufinum, ſive Rufini adverſus Hieronymum.

Lib. de hæreſ. hær. 43.

Unde Auguſtinus: *Sunt & alia Origenis dogmata, quæ catholica Eccleſia omnino non recepit, in quibus nec ipſe falſo arguitur, nec poteſt ab ejus defenſoribus excuſari, maxime de purgatione & liberatione, ac rurſus poſt longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis univerſæ creaturæ. quis enim catholicus, vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat eam, quam dicit purgationem malorum, id eſt, etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis & facinoribus, & ſacrilegiis atque impietatibus quamlibet maximis finierunt; ipſum etiam poſtremo diabolum, atque angelos ejus, quamvis poſt longiſſima tempora, purgatos atque liberatos regno Dei lucique reſtitui; & rurſus poſt longiſſima tempora omnes, qui liberati ſunt, ad hæc mala denuo relabi ac reverti; & has vices alternantes beatitudinum & miſeriarum rationalis creaturæ ſemper fuiſſe, & ſemper fore, de qua vaniſſima impietate adverſus philoſophos, a quibus iſta didicit Origenes, in libris de civitate Dei, diligentiſſime diſputavi.*

Lib. 21. cap. 17. & ſeqq.

In X. Anathematismum.

QUI *dicunt, poſt reſurrectionem non eadem habere nos corpora, ſed aëria quædam & ſpiritalia, & non ejuſdem naturæ, cujus in ſepulcro conditi ſumus, licet incorrupta atque immortalia, anathema ſint.*

Et hic quoque totus contra Origenem in lib. περὶ ἀρχῶν.

FUIT hoc etiam dogma traditum ab Origene, cum in libris περὶ ἀρχῶν paulo brevius, tum prolixiſſime in libro *de reſurrectione*: Homines non ſurrecturos eodem corpore, quo jacuerunt; neque enim poſt reſurrectionem manſura membra, quæ conficiendis alimentis inſerviunt, aut generandæ proli; imo neque carnes, oſſa & reliqua ejuſmodi, quæ vel aggravant corpus, vel hominem morti obnoxium reddunt, vel nobilitati animæ obſiſtunt. Id copioſiſſime demonſtrat Hieronymus ex ipſiſmet Origenis verbis: *Cum in tantum*, inquit, *profecerimus, ut nequaquam carnes & corpora, forſitan ne animæ quidem fuerimus, ſed mens & ſenſus ad perfectum veniens, nulloque perturbationum nubilo caligans, intuebimur rationabiles intelligibileſque ſubſtantias facie ad faciem.* Hæc ita vertit Hieronymus in epiſtola ad Avitum, quæ Rufinus in codicibus vulgatis depravavit.

Hieronymus. *Epiſt. 61. Lib. 2. περὶ ἀρχῶν ſub fin.*

Notatus Rufinus Aquileg.

Porro autem interiit liber de reſurrectione, totuſque deſideratur præter fragmenta, quæ Hieronymus profert epiſtola 61. quam tu conſule.

In XI. Anathematismum.

QUI *dicunt, poſt reſurrectionis finem, & poſt multa tempora aboleri corpora, & reverti in hylem, ut ſine corporibus tantum animæ ſimus, quod prius fuimus, anathema ſint.*

DOGMA

Totus hic pariter contra Origenem in l. 2. περὶ ἀρχῶν. *Epiſtola* 61.

DOGMA hic damnatum a præcedente parum differt. Traditur autem ab Origene lib. 2. περὶ ἀρχῶν cap. 3. ex quo hæc Hieronymus decerpſit, quæ vitanda ſcriberet ad Avitum. *Si omnia ſine corpore vixerint, conſumetur corporalis univerſa natura, & redigetur in nihilum, quæ aliquando facta eſt de nihilo; eritque tempus, quo uſus ejus iterum neceſſarius ſit.* Et paulo poſt: *Nos erimus ſine corporibus, quando ei* (Chriſto) *ad perfectum ſubjecti fuerimus.* Et in eodem loco: *Cum ſubjecti fuerint omnes Deo, omnes depoſituri ſunt corpora, & tunc corporalium rerum univerſa natura ſolvetur in nihilum.*

Emendatio neceſſaria.

Obſerva omnibus fera in locis, in quibus ponitur NIHILUM, reſtitui debere HYLEM: Origenes enim materiam, ex qua corpora creata ſunt, & in quam ſolvi debent, perpetuam putavit, Deoque, ut aiunt, coævam: quod facile comprobari poteſt, tum veterum, tum ipſiuſmet Origenis teſtimoniis.

An Origenes ſenſerit creaturas abſolute æternas; æternaſque mentium converſiones.

Obſerva etiam, hoc anathematiſmo, quemadmodum & nono, mentionem fieri mirabilis cujuſdam commenti, quo finxit Origenes, univerſa condita fuiſſe a Deo, uno aliquo ſtatu, ex quo ſuis poſtmodum motibus rationales naturæ receſſerint: ſed tamen ita, ut ad eum revocandæ ſint, variis, ſeu ſingularum creaturarum, ſeu mundorum ipſorum ſenſibilium, commutationibus & viciſſitudinibus: cum autem eo redierint, ſtatim poſt tantas temporum diuturnitates, quantæ nobis videntur habere rationem æternitatis, pacem orituram ſempiternam. Unde colligi poteſt, ab Origene revera nunquam dictas creaturas abſolute æternas, nec creaturarum commutationes abſolute perpetuas, ſed ſecundum nos dumtaxat, quibus nimirum incomprehenſibilis ſit inceptionis & deſitionis intercapedo.

IN XII. ANATHEMATISMUM.

QUI *dicunt, animas prius fuiſſe quam natæ ſint, & non cum corpore, ſecundum exemplum primi hominis, a Deo quotidie fieri, anathema ſint.*

Adverſus Origenem.

In apolog. pro Origene.

De origine animarum variæ olim opiniones.

ANIMAS extitiſſe, priuſquam includerentur corporibus, ita conſtanter tradidit, itaque manifeſte Origenes in libris περὶ ἀρχῶν, ut nemo ipſius defenſor auſus fuerit ire inficias, ne ipſe quidem creditus Pamphilus, qui Origenem abunde ſatis ſe defendiſſe hac in parte ratus eſt, poſtquam oſtendit, ipſius ætate nihildum fuiſſe ab Eccleſia definitum ſuper ea quæſtione, atque ita impune cuilibet licuiſſe, quam voluiſſet de tribus, circa originem animarum, opinionibus pervulgatis ſequi, id eſt, ſentire animas, vel præextitiſſe corporibus, vel a Deo quotidie creari, vel a parentibus traduci. Quare in poſteriores duas, præter morem ſuum, pluribus argumentis acriter depugnavit, veluti his everſis, Origenianam ſtabiliturus eſſet.

Quotidie fieri ſenſit Hieronymus. *Epiſt.* 61.

Hieronymus ſententiam de quotidiana creatione eccleſiaſticum dogma dixit, pluribuſque ad ea reſpondit, quæ ſolent objici, quæque creditus Pamphilus jam tum objeciſſet; ſuas tamen in partes nunquam potuit adducere Auguſtinum, imo neque efficere, quin aduſque vitæ finem dubius maneret.

Dubius fuit Auguſtinus. *Lib.* 2. *Retract.*

Dubius quoque Rufinus Aquilegienſis. *In apolog. ad Anaſt.*

Manſit pariter eo uſque ætatis dubius Aquilegienſis Rufinus; quare cum in apologia varias ſuper ea quæſtione opiniones recitaſſet: *Deo*, inquit, *teſte, dico, quia uſque ad præſens certi vel definiti aliquid de ea quæſtione non teneo.* Et paulo poſt: *Adhuc ignorare confiteor, præter hoc, quod manifeſte tradit Eccleſia, Deum & animarum & corporum conditorem.*

Hieronymum ſequitur Rufinus Palæſtinus. *Libel. fid. cap.* 26

Rufinus Palæſtinus: *Sicut ergo, qui ita credunt, animas eſſe particulas Dei; ſic etiam illi, qui animas dicunt ante corpora factas fuiſſe, multum a pietate diſtare videntur: unde impius Origenes gentilium captus errore,* &c.

Et Pelagius. *Libel. fid. num.* 16.

Pelagius: *Animas a Deo dari credimus, quas ab ipſo factas dicimus, anathematizantes eos, qui animas quaſi partem divinæ dicunt eſſe ſubſtantiæ. Eorum quoque condemnamus errorem, qui eas ante peccaſſe, vel in cælis converſatas fuiſſe dicunt, quam in corpora mitterentur.*

Obſervanda quædam, & primum quidem, de librario, qui manuſcriptos codices operis Mercatoris continentes conſcripſit.

Juvabit hoc in loco obſervaſſe quædam. Primum ex contradictione utriuſque Rufini, auctoris ſcilicet anathematiſmorum, & Aquilegienſis, conſtare certo, vel Mercatorem hallucinatum fuiſſe, cum crederet, anathematiſmos ab Aquilegienſi conſcriptos, (quod vix ac ne vix quidem in animum inducam) vel, quod longe opinabilius eſt, factum errore librariorum, ut Anaſtaſii epiſtola huic profeſſioni fidei præponeretur, propter prælatum anathematiſmis nomen Rufini, quem imperiti Aquilegienſem putarunt.

Secundum, de Pelagianis προϋπάρξιν oppugnantibus.

Alterum, Pelagianos ipſos, quos a Maſſilienſibus diſcernere opus eſt, vehementer invectos fuiſſe, tum in opinionem Origenis de προϋπάρξει animarum; tum in eam, quam Occidentalibus multis tribuit Hieronymus, de traduce parentibus; quare ita firmiter in tertia ſententia ſtetiſſe, ut inde viderentur ſibi oppugnare certius peccati originalis fidem, velut ipſa conſiſtere nullatenus poſſet, niſi alterutra opinione niteretur.

Tertium, de tempore, quo conſtans eſſe incœpit opinio Hieronymi.

Quæ temporibus Gregorii Magni adhuc erat incerta. *Lib.* 9. *ep.* 53. *ad Secundin. cap.* 6.

Tertium, ſententiam de quotidiana creatione animarum, nonniſi poſt octavum ſæculum, ita conſtantem fuiſſe ut nunc eſt. Nam ſua ætate Gregorius Magnus incertam adhuc quæſtionem fuiſſe, atque hinc & inde agitari ſolitam teſtatur. ſic enim ait: *Dulciſſima mihi tua caritas ſciat, quia de origine animæ inter ſanctos Patres requiſitio non parva verſata eſt: ſed utrum ipſa ab Adam deſcenderit, an certe ſingulis detur, incertum remanſit; eamque in hac vita inſolubilem faſſi ſunt eſſe quæſtionem: gravis enim eſt, nec valet ab homine comprehendi,* &c.

JOAN-

JOANNIS GARNERII
SOCIETATIS JESU PRESBYTERI
DISSERTATIONUM

AD

HISTORIAM PELAGIANAM

PERTINENTIUM

SYLLOGE.

COMPLECTENS DISSERTATIONES SEPTEM

QUIBUS INTEGRA CONTINETUR HISTORIA PELAGIANA,

MULTÆQUE POPULARES OPINIONES REFELLUNTUR.

Singularum argumentum verſa pagina exhibet.

Digitized by Google

PRÆFATIO

FUIT aliquando animus pro appendice primæ partis operum Mercatoris, hiſtoriam hæreſis Pelagianæ conſcribere, qua complecterer omnia, ſive quæ nunc primum ex auctore meo didiciſſem, ſive quæ ex ſcriptoribus aliis quinti ſæculi ſtudioſe conquiſita præ manibus haberem: retinuit me tamen non hiſtoriæ tantum conditio, quæ dicendi facultatem mea majorem, otiumque a ſcholis vacuum exigit; ſed ipſa quoque rerum tractandarum ratio, quæ propter multiplicitatem poſtulat liberius ſcribendi genus. Neque enim hiſtoriæ leges patiuntur τὰ πάρεργα narrationibus miſceri, quod tamen opus eſſet; neque πάρεργα prætermitti potuerunt, ſine reliquo diſpendio ſuſcepti in accurandis Marii Mercatoris operibus laboris.

Cur diſſertationes potius quam hiſtoria conſcriptæ ſint. Prima ratio.

Placuit igitur diſſertationibus potius, quam hiſtoria comprehendere, quæcumque haberem dicere de rebus ad cauſam Pelagianam ſpectantibus. Placuit, inquam, non ea ſolum de cauſa, quam attuli; ſed idcirco vel maxime, quod totum hoc diſſertandi genus, & majorem habeat cognationem cum ſcholaſticis diſputationibus, in quibus incanui, & alia nolit elegantia ſermonis ornari, quam qua ſuam quiſque ſententiam ſimpliciter ſolet & aperte explicare.

Secunda ratio.

Cum autem propter exponenda Mercatoris dicta, totum id operæ, quod navamus, ſuſceptum ſit; cumque Mercator rerum Pelagianarum nihil tradiderit, quod obitum ſancti Auguſtini, aut ſaltem concilium Epheſinum exceperit, viſæ ſunt eodem annorum curriculo definiendæ diſſertationes, nec aliud quidquam attingendum, niſi quod ab exortu hæreſis, cui factum a Pelagio nomen eſt, ad ejuſdem condemnationem a Patribus Epheſinis, geſtum eſt. Viſum quoque ad quamlibet diſſertationem proponendum, quæ verba Mercatoris occaſionem ſingulis dederint.

Quo annorum curriculo res tractandæ definiantur.

Quoniam vero ad id quod agimus, magni refert intelligere, quæ fuerit hæreſis, qua de potiſſimum quæſtio eſt: quibus aut orta parentibus, aut patronis defenſa: quibus ſynodis ab Eccleſia: quibus ſtatutis ab Imperatoribus: quo modo ab orbe toto damnata ſit: quibus denique vel profeſſionibus ab hæreticis aſſerta, vel libris a defenſoribus fidei catholicæ convicta, ſeptem omnino diſſertationibus opus fuit. Sed ea, qua inquiritur, quem ortum habuerit, quæque incrementa hæreſis, qua parte maxime dicta eſt Cæleſtiana, & a Mercatore impugnatur, differenda fuit in poſtremum locum, ut eſſet aliarum quaſi complementum & fructus. Prima igitur oſtendet, quos nacta ſit parentes hæreſis, quoſque præcipuos defenſores. Secunda, quibus a ſynodis judicata ſit. Tertia, quibus Imperatorum ſanctionibus proſcripta. Quarta, quomodo, ut loquitur Proſper, mundi manu damnata ſit. Quinta, quibus libellis fidem ſuam hæretici non tam exponere quam diſſimulare tentaverint. Sexta, quibus libris a catholicis Patribus fides catholica defenſa ſit. Poſtrema, quam prodigioſum in modum ex tenui radice excreverit hæreſis, cujus hiſtoria prioribus diſſertationibus narratur.

Quot diſſertationes conſcribendæ.

Quid ſingulæ argumenti habeant.

Carm. de Ingrat.

Sep-

Totam hiſtoriæ Pelagianæ materiam complectuntur.

Septem enim, quas dixi, diſſertationibus videor mihi complecti poſſe totam Pelagianam cauſam, prout iſtis temporibus acta eſt, eamque ita manifeſtis inſtrumentis confirmare, ut licet populares opiniones convellendæ ſint non paucæ circa perſonas; (de dogmatibus tractare non eſt in animo) Lector tamen non ſine magna ſui animi voluptate depoſiturus ſit anticipata præjudicia, ubi viderit veritatem e ſuis tenebris, nunc primum producente auctore graviſſimo, ſeſe exerere.

Nulla non eximiam adverſus populares opiniones veritatem probat.

Nulla autem futura eſt diſſertatio, quæ non contineat nova plurima, & in hunc uſque diem ignota; atque ut e multis prælibem aliquid, quod guſtum faciat, poſtrema totius hæreſis Pelagianæ ortum, & in prodigioſam partium multitudinem ex una quæſtiuncula quaſi ſilveſcentiam oſtendet. Convincet aperte prima popularem errorem de Rufino Aquilegienſi Cæleſtii magiſtro. Secunda exhibebit concilia plura viginri quatuor in cauſa Pelagiana, vivente Auguſtino, coacta. Tertia patefaciet, qua induſtria Auguſtinus per amicos, & Imperatores impulerit, & aulam commoverit in defenſionem fidei catholicæ. Quarta complectetur hiſtoriam totam ſubſcriptionis hac in cauſa imperatæ. Quinta nunc primum publicabit libellum fidei a Juliano miſſum Zoſimo ſummo Pontifici. Sexta auctores librorum Hypognoſticon, Quæſtionum novi & veteris Teſtamenti, Commentariorum in epiſtolas Pauli, &c. proferet indubitatis ſuis notis inſignes.

DESER-

DISSERTATIO PRIMA
DE
PRIMIS AUCTORIBUS
ET PRÆCIPUIS DEFENSORIBUS
HÆRESIS PELAGIANÆ.

CAPUT PRIMUM.

Ratio ſuſceptæ diſſertationis, & obiter de Paulo Samoſateno, qui videri poſſet cuipiam primus auctor hæreſis Pelagianæ.

Sæpe latent hæreſum parentes.

ID contingit hæreſibus quod fluviis, inde vulgo videntur naſci, unde habent oomen, cum ſæpe altius ducant originem, profluxotque ex footibus remotis, quorum naturam retinent. Illud in ſectis longe plurimis non obſcure, in ea quæ a Pelagio Cæleſtioque nomen accepit, clare eernitur. Ex iis natam vulgus putat, a quibus oomen accepit; vulgo eruditi vel aperte diſſentiunt, vel dubitanter conſentiunt. Certe Auguſtinus, quod aliquando vehementer mirabar, cum oomine Patrum Milevitanorum ſcriberet de Pelagio, Cæleſtioque ad S. Innocentium, eos non ſimpliciter dixit *hæreſis nefariæ auctores*, ſed adjunxit, *ut perhibent*: quaſi nollet præſtare multitudinis opinionem, nec putaret affirmandum, quod levibus argumentis nixum intelligeret.

Et eas eredontur inveniſſe, qui tantum defenderunt.

Admirationem auxit meam, quod in literis ad Optatum eoſdem ipſe Auguſtinus homines ſcripſerit, *hæreſis novæ vel auctores, vel certe acerrimos notiſſimoſque ſuaſores:* inclinans nimirum eo, ut ipſis ſolom tribueret acceptæ ab aliis auctoribus hæreſis defenſionem, parentes noo faceret, ne vulgi opinionem oon graviſſimam ſequeretur.

Lib. de pecc. orig. cap. 22.

Eadem habet in libro de peccato originali, ut conſtans videatur ipſius fluctuatio. *Hujus*, inquit, *perverſitatis auctores vel perhibentur, vel etiam probantur*; (Pelagius & Cæleſtius) *vel certe ſi auctores non ſunt, ſed hoc ab aliis didicerunt: aſſertores tamen atque doctores, per quos id latius reptaret, & creſceret, & verbis, & literis ſuis, & competentibus indiciis, & fama ex his omnibus ſurgente & crebreſcente jactantur.*

Id contingit in hæreſi quæ a Pelagio nomen accepit, etſi ortum aliunde habeat.

In epiſt. ad Cteſiphontem.

Hæc me caoſa impulit, ut laborioſius tentarem, ſi qua poſſem ratione deprehendere, unde hæc in Auguſtioi mentem dubitatio incideret: neque enim faciebat mihi ſatis, quod apud Hieronymum legeram de Origene, Rufino Aquilegienſi, Evagrio Hyperborita, Joviniano, Palladio, Priſcilliano, Manichæis & Eutychitis, aliiſque, [illegible] præconibus, quos hac io parte prodromos Pelagii oon immerito quiſpiam nominet. Nam in iis Auguſtini locis, unde admiratio mihi ſuborta eſt, de duabus aliis Pelagianorum quæſtionibus, iiſque longe diverſis præcipuiſque agitur, nimirum de gratia Dei, an detur ex meritis; & de peccato Adæ, an ſolum ipſum læſerit; quare quærendum putavi præterea, a quibus ambas ſui, ſuper hac utraque controverſis, erroris partes Pelagius Cæleſtiuſque didicerint, ſi quidem nec auctores extiterint, nec illius veluti parentes.

Nimirum a Paulo Samoſateno, Theodoro Mopſueſteno, & Rufino Syro.

In ſecunda Confeſſione fidei.

In libello fidei editoan. 1650.

In praf. ad lib. Subnotat. &c.

Dumque ardentius inquiro, unde poſſet, in re tam obſcura, ſuboriri lux: ſcrutanti veterum monumenta occurrit, apud Joannem Maxentium, Theodorus Mopſueſtenus: apud Sirmondum in collectaneis, Rufinus Palæſtinæ provinciæ presbyter: uterque apud Marium Mercatorem, quo ſcriptore oemo curioſius res Pelagianorum indagavit, nemo brevius diſtinctiuſque tradidit.

Quorum inventum defenderunt Pelagius, Cæleſtius, Julianus, & Annianus.

De duobus iſtis Pelagianorum parentibus differendum primo, tum de acerrimis dogmatum defenſoribus quatuor, Pelagio, Cæleſtio, Juliano, atque Anniano: quanquam Anniani ignobilior memoria eſt vulgo, propterea quod pauca ſuo nomine, licet forte plura alieno, conſcripſit.

Paulus Samoſatenus.

In prima ſynodo Antiochena correctus. in ſecunda depoſitus.

Chriſtum dixit purum hominem, in quem Verbum Dei prolatitium deſcendiſſet, & qui meritis naturæ id meruiſſet.

Origo, fateor, impietatis Pelagianæ viſa eſt olim mihi altius repetenda, a Paulo ſcilicet, qui aliquando veteribus dictus eſt Samoſatenus a patria, aliquando Antiochenus a ſede nobilis civitatis, quam ex infima forte occupavit. Ea enim ille de Chriſto impie ſenſit, propter quæ ab Epiſcopis in prima ſynodo Antiochena correctus, deinde io ſecunda depoſitus eſt; Chriſtum nempe non eſſe verum Deum, ſed purum hominem, in quem tamen Verbum Dei efficax (prolatitium quiddam noſtroque ſimile & [illegible] delirabat) perinde ac in alios Prophetas deſcendiſſet, licet majori copia, & præſtantiore operatione; hominem vero illum dicebat ſuis operibus tantam gratiam promeruiſſe, non tamen ita, quin alius quiſque hominum poſſit idem præſtare, ſi modo niti velit.

Tertia pars erroris, cum aliæ notiſſimæ ſint probatur teſtimonio.

Dionyſii Alexandrini. Ep. ad Paul. Samoſaten.

Partes duæ priores erroris, quod Chriſtus ſit purus homo, & quod in eum deſcenderit Verbum Dei, notæ ſunt cunctis theologis. De poſtrema paulo ignotiore, quod hanc gratiam operibus promeruerit, ſunt hæc veterum teſtimonia. Dionyſius Alexandrinus Paulo ſcribens: *Audi*, inquit, *& intellige, contra ea quæ a te dicta ſunt, & adverte, quæ a te dicuntur: homo majoribus a Deo gratiis ejus beneplacito honoratus, præſertim cum magis Deo probaretur, vitam ducendo ſtudioſam*, &c.

Syno-

Synodi Arianorum Antiochenæ. *Apud Athan. de ſynod.*

Synodus Arianorum habita Antiochiæ ann. 344. *Quia unum ſolum Deum eſſe Patrem Domini noſtri* Jesu Christi, *unumque unigenitum profitemur, non ideo Chriſtum Deum ante ſæcula eſſe abnegamus, qualia faciunt Pauli Samoſatenſis diſcipuli, qui eum poſt Incarnationem ſuam ex profecta virtute Deum factum eſſe aſſeverant, eo quod merus homo eſſet.*

Athanaſii Alexandrini. *Orat. 4. in Arianos.*

Athanaſius: *Eſtne ille homo Chriſtus, ut alii homines? an Deus carne indutus? Si vulgaris homo, & quales alii homines, eſto, ut homo proficiat. Hæc autem eſt Samoſateni ſententia, quam vos toto animo & ope fovetis, nomine propter homines repudiatis.*

Verum cum hujuſcemodi teſtimonia, nec valde aperta ſint, nec Paulum ita reſpiciant, quin ad diſcipulos detorqueri poſſint, iis non admodum credendum puto, præſertim cum epithaphium hæreſis Pelagianæ, propter quod interpretandum inclinabam in opinionem, quam dixi, alia ratione interpretari liceat, ut in ſecunda parte operum Mercatoris oſtendemus.

CAPUT II.

De Theodoro Mopſueſtiæ Epiſcopo, primo hereſis Cæleſtianæ auctore.

Pauli virus in diſcipulis Antiochiæ manſit.

A Temporibus Pauli Samoſateni fere ſemper Antiochenam Eccleſiam infecit virus illud, quod inſpiraverat impurus Chriſti inimicus: neque enim hæreſis exciſo capite ſimul extincta eſt, ſed pulſo magiſtro, manſerunt diſcipuli tanto pernicioſiores, quanto fallendi doctiores, & viciniores in ſpeciem catholicæ fidei. Illos non admodum latuiſſe credibile eſt, cum, teſte Athanaſio aliiſque ſcriptoribus, vulgo agnoſcerentur, diſcipulique Pauli dicerentur, & ex iis quidam per intervalla Eccleſiæ negotium crearent.

Orat. 4. adverſus Arianos.

Diſcipulorum notiſſimus Theodorus Mopſueſtenus. Ille Neſtorium docuit & Pelagium. *Theod. Raith. tom. 11. magna bibliotheca. In profeſſione fidei tom. 4. biblioth. ejuſdem.*

Reliquis impietate præſtitit Theodorus, quem Antiochenum a patria Photius, Mopſueſtenum alii a civitate, cujus Eccleſiam rexit totos triginta ſex annos, vocarunt. Hic acceptum a Paulo venenum ita in Neſtorium Pelagianoſque transfudit, ut & Neſtorius a Theodoro Raithvenſi Theodori filius, Pauli nepos appellatus ſit: & Theodorum Mopſueſtenum Joannes Maxentius Pelagii Cæleſtiique ac Juliani magiſtrum fuiſſe ſcripſerit.

Cum de hoc homine diſputare nos oporteat ad poſteriorem partem operum Mercatoris, ubi fragmenta librorum ab ipſo conſcriptorum exhibenda ſunt, nunc breviter ad rem quam agimus, inquirenda ſunt tria: I. propter quos errores dici merito potuerit hæreſis Pelagianæ parens: II. a quibus errores iſtos acceperit: III. quibus deinceps tradiderit.

Tres ob errores Pelagianiſmi parens. Docuit Chriſtum promeritum, ut in ipſum deſcenderet Verbum. *In quinta ſynod. coll. 4.* Meritis liberi arbitrii ſolius. *Ibid. Apud Mercat. in excerptis.*

Dicitur habuiſſe tres errores præcipuos, ex quibus alii, vel omni, vel majori ex parte pendebant: docebat ſiquidem Chriſtum fuiſſe purum ſimplicemque hominem, nec a reliquis diverſum, niſi quod in eo Deus Verbum operaretur efficacius quam in cæteris. Aiebat deinde, ut fertur (quod tamen poſtea vocandum erit ad examen) hominem illum meritis operum ſuorum, liberique arbitrii viribus, ad hanc tantam gratiam perveniſſe, ut Filius Dei unicus diceretur. Denique negabat Filium Dei veniſſe ad peccatum originis tollendum, ſiquidem nullum agnoſceret; ſed ut omnibus exemplo & magiſterio prodeſſet.

Nullum eſſe peccatum originale. Primum errorem meminit Facundus, cum nititur amoliri.

Pugnavit Facundus Hermianenſis adverſus quintam ſynodum generalem, totis fere duodecim libris, ut a Theodoro primi erroris crimen amoliretur; ſed vicit ſynodus, victrixque ſuum de Theodoro, Theodorique defenſoribus duobus, Iba & Theodoreto, judicium toti Eccleſiæ probavit.

Secundum Mercator. *In collectaneis ex libris Theodori. Concil. Calched. act. 10.* Quid illis temporibus ſignificaret ea loquendi forma, Possum, si volo.

Secundi teſtis videri poteſt Mercator, cum a Theodoro dictum refert: *Non invideo Chriſto, quod factus eſt Deus; quod enim ipſe factus eſt, ipſe factus ſum, quia meæ naturæ.* Corrigendus enim eſt locus, ex actione decima concilii Calcedonenſis, ubi mentio fit objectæ Ibæ Edeſſeno ſententiæ, quam vulgo jactabat magiſter ipſius Theodorus: *Non invideo Chriſto facto Deo, quoniam & ego, ſi volo, poſſum fieri, ſecundum illum.* Hæc enim loquendi formula, Ego si volo, possum, his temporibus nihil aliud ſignificabat, quam id, quo de agebatur, *fieri poſſe viribus liberi arbitrii.* Unde Hieronymus objecit Pelagio, ut & Oroſius in apologia, Palæſtinique Patres, quod negaſſet divini adjutorii neceſſitatem ad implenda præcepta, propterea quod ſcripſerat in libro Eulogiarum poſſe hominem mandata Dei ſervare, ſi velit. *Id vero*, inquit Auguſtinus, *non approbatum eſt, quomodo ab illo in libro ſuo poſitum videbatur, tanquam hoc in ſola poteſtate eſſet hominis per liberum arbitrium: hoc quippe arguebatur ſenſiſſe dicendo*, ſi velit.

Dialogo primo adverſus Pelagianos. Lib. de geſt. Palæſt. cap. 35.

Tertium Mercator. *In excerptis ex libris Theodori.*

Tertium manifeſte prodit Theodorus ipſe totis quinque libris adverſus S. Auguſtinum conſcriptis, quorum excerpta a Mario Mercatore accepimus cum hoc titulo: *Theodori Mopſueſteni de ſecundo codice, libro quarto, folio decimo, contra S. Auguſtinum defendentem originale peccatum, & Adam per tranſgreſſionem mortalem factum catholice differentem.* Plura diximus in hanc rem in notis ad ejuſmodi excerpta, in quibus oſtendimus factam fuiſſe a Photio librorum iſtorum mentionem. Nonnullum erit operæ pretium Photii locum conſulere, atque ipſas etiam notas.

Errores hauſit a Samoſateno per Diodorum.

Primum a Paulo Samoſateno accepit, quod omnes fatentur, per Diodorum tamen, quem Tarſi docentem audivit, & a quo potuit alios pariter duos accipere: ſecundus enim manifeſte reperitur in fragmentis, quæ ſuperſunt e libris Diodori: tertii ſemina videntur in opere adverſus mathematicos apud Photium. Verum ſatius eſt, utriuſque poſterioris dogmatis auctorem facere ipſum per ſe Theodorum, eoque trahere quod ait Photius, hæreſim Cæleſtianam viguiſſe in Oriente, & inde in Occidentem ſerpſiſſe: Κελεστιανὴ αἵρεσις ἤκμασεν ἐν τῇ ἀνατολῇ. διέβη δὲ καὶ ἐν τῇ δύσει.

Cod. 54.

Eoſque docuit Neſtorium, Rufinum, & Leporium, quanquam diverſo modo.

Jam vero primum tradidit Neſtorio, ut ſcribit Cyrillus in epiſtola ad Succeſſum; ſecundum forte Leporio monacho, ut colligitur partim ex Proſpero, partim ex Caſſiano; tertium Rufino Syro, & per eum Pelagio atque Cæleſtio, teſte Mercatore: tradidit, inquam, primum, ſermone ſimul & ſcriptis; ſecundum, ſcriptis tantum; tertium, ſolo ſermone. Neſtorius enim Theodorum dicentem audivit, & ex ejus libris venenum hauſit. Leporius, ut erat in Galliis natus, ita orientales errores ſcriptis ſolis edoctus eſt. Denique cum Theodorus de peccato originali non ſcripſerit ante ſenectutem, aut ſaltem ante motas palam ſuper ea re quæſtiones, Rufinum non potuit, niſi verbo, erudire.

Luculentum teſtimonium Mercatoris de propagatione hæreſis Cæleſtianæ a Theodoro. *In præfat. Subnot.*

Totam porro hiſtoriam originis, patriæ, parentum, propagationis, & defenſorum hæreſis Cæleſtianæ, contexens breviter Marius Mercator: *Quæſtio*, inquit, *contra catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, & præcipue in Cilicia, a Theodoro quondam Epiſcopo oppidi Mopſueſteni jam dudum mota, nunc aſque penes paucos eorum admodum occulte roditur, nec ea palam profertur, ſed ab ipſis, qui de ea cornicantur, velut catholicis, intra Eccleſias interim retinetur.*

Progenitores videlicet humani generis, Adam & Evam, mortales a Deo creatos: nec quemquam poſterorum ſui prævaricatione tranſgreſſi læſiſſe, ſed ſibi

tantum

tantum nocuiſſe: ſe mandati reos apud Deum feciſſe, alterum penitus nullum.

Hanc ineptam & non minus inimicam rectæ fidei quæſtionem, ſub ſanctæ recordationis Anaſtaſio Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifice, Rufinus quidam natione Syrus, Romam prius invexit; & ut erat argutus, ſe quidem ab ejus invidia muniens, per ſe proferre non auſus, Pelagium gente Britannum monachum tunc decepit, eumque ad prædictam apprime imbuit atque inſtituit impiam vanitatem.

Rom. 5. v. 12.

Quique mox auſus in Apoſtolum Paulum commentarios condere, cum ad illum locum ad Romanos notiſſimum veniſſet epiſtolæ, ubi ita continetur: Propterea ſicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, &c. *ibidem eos tantum reos dixit, atque obnoxios illa prævaricatione teneri, qui hunc in prævaricando Dei mandatis voluerint imitari; non omnes qui ex ejus ſunt per ſucceſſionum ſeriem ſemine generati. Atque hinc latius de ſequentibus locis epiſtolæ hujus diſputat, & pronuntiat,* Nullum hominum prorſus per generationem læſum fuiſſe, nec lædi Adæ peccati tranſgreſſione: ſed imitatione, *inquit*, quia prior ille in genere humano peccavit: & illum reum & obnoxium fieri, qui hunc propria voluntate, non naſcendo, ſed peccando, fuerit imitatus.

Huic Pelagio adhæſit Cæleſtius nobilis natu quidem, & illius temporis auditorialis ſcholaſticus, ſed naturæ vitio eunuchus matris utero editus. Hic a Pelagio prædicto inſtructus ſenſum iſtum impiiſſimum iteratius imbibit, ac multos incredibili loquacitate amentiæ hujus ſuæ participes & complices fecit; auſuſque palam publiceque his verborum ſententiis eundem ſenſum paſſim diſſeminare per populos, id eſt, Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, fuiſſet moriturus. Quoniam peccatum Adæ ipſum ſolum læſit, & non genus humanum. Quoniam infantes, qui naſcuntur, in eo ſtatu ſunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quoniam neque per mortem Adæ omne genus hominum moritur, quia neque per reſurrectionem Chriſti omne genus humanum reſurgit. Quoniam infantes etiam ſi non baptizentur, habeant vitam æternam. *Quæ quinque capitula unam impiiſſimam & nefandam ſententiam generant.*

Adjecit præterea, poſſe eſſe hominem ſine peccato, & facile Dei mandata ſervare: quia & ante Chriſti adventum fuerunt homines ſine peccato, & quoniam lex ſic mittit ad regnum cœlorum, ſicut Evangelium.

Hæc atque alia hujuſmodi ipſi etiam Juliano & cæteris ejus commanipularibus placuere, quæ cum cognita atque detecta, eccleſiaſtica fuiſſent cum præfatis perſonis auctoritate damnata, librorum quoque numeroſitate ab eodem Juliano defenſa ſunt.

Antequam finis dicendi de Theodoro fiat, delineanda eſt ipſius quædam ſpecies, donec imago tota ſuis coloribus pingatur. Lineamenta præbent quintæ ſynodi generalis acta.

Ingenium & mores Theodori.

Habuit a natura ingenium, doctrinæ quidem capax, ſed fraudulentum, commutabile in quamlibet formam, novitatis avidum, & gloriæ impatienter appetens. Facundia, quam nativam rhetorum artibus excoluit, eouſque valuiſſe fertur, ut non plebi tantum, ſed aliis etiam nihil non poſſet perſuadere.

Aliud palam, aliud clam docebat.

Alia vero dicebat palam in concionibus, totis ad placendum factis, alia clam, ſive in cubiculis, ſive in libris, quos non in omnibus ſine diſcrimine credebat, ſed iis ſolis, quos nonnumquam ſacramento adigebat arcani fore celantiſſimos. Interim ſi quid inter dicendum aut excidiſſet, aut de induſtria prolatum eſſet, quod non perinde acciperetur ab audientibus, atque Theodorus vellet, ſed vel invidiam apud eruditos faceret, vel fidelium querelam, dictum continuo retractabat verbis flexiloquis, promptus nimirum fingendi quidlibet, audaxque mentiri, ut opinionem catholici tractatoris retineret, nec amitteret ſpargendi in Eccleſia veneni opportunitatem.

Si quod minus placeret, retractabat continuo, ſed verbis ambiguis.

Celebris fuit dum viveret.

Atque hinc quamdiu vixit, famæ fuit illuſtris, ſaltem non malæ, etiam apud laudatos & ſanctos viros: ſed poſt mortem, dubitari primo cœptum eſt; deinde patefactis peſtilentium librorum impietatibus, quinta ſynodus generalis hominis memoriam proſcripſit, tempore, ut eſt veritatis parens, retegente mendacium, quod ars ſectatorum, fautorum potentia, & metus a poteſtatibus, tenebris quibuſdam quaſi religioſis & ſacris involverat.

Poſt mortem infamia erroris laboravit.

CAPUT III.

De Rufino, quem Cæleſtius pro magiſtro agnovit.

Aliquis Rufinus Cæleſtium docuit negare peccatum originale.

NON poſſumus non recenſere inter parentes hæreſis Pelagianæ Rufinum aliquem preſbyterum: cum ejuſmodi hominem pro magiſtro agnoverit Cæleſtius in concilio Carthaginenſi, & Pelagium Mercator a ſimili quodam ſcripſerit inſtitutum. Sed inquirendum diligentius, quis ille tandem Rufinus preſbyter.

Quod teſtatus eſt ipſemet Cæleſtius. *Apud Aug. de pecc. orig. cap. 4.*

Cæleſtius ipſe a Paulino Diacono accuſatus, coram Aurelio congregatiſque Carthagine Epiſcopis, cum nonnulla verba prius prolata explanaret: *Dixi*, inquit, *de traduce peccati me dubium eſſe, ita tamen, ut cui Deus dedit gratiam peritiæ, conſentiam, quia diverſa ab eis audivi, qui utique in Eccleſia catholica conſtituti ſunt preſbyteri.* Ab interpellante Paulino interrogatus preſbyterorum nomina, reſpondit: *Sanctus preſbyter Rufinus Romæ, qui manſit cum ſancto Pammachio, ego audivi illum dicere, quia tradux peccati non erat.* Hinc orta quæſtio, in quam inquirimus, quis ille Rufinus a Cæleſtio appellatus.

Vulgaris opinio eſt, hunc eſſe Rufinum Aquilegienſem.

Inſedit animis multorum opinio, invaluitque, partim tempore, partim auctoritate, ſive opinantium, qui magni viri, ſive Patrum, quorum teſtimonia proferuntur in ſpeciem manifeſta, Rufinum, quem Cæleſtius dixit ſe audiviſſe, eundem eſſe cum Aquilegienſi preſbytero, qui toti Eccleſiæ notiſſimus extitit, tum propter Melaniæ peregrinantis comitatum, & libros editos, tum ob geſtas cum ſancto Hieronymo inimicitias, obſtinatamque Origenis defenſionem.

Quæ difficilis admodum, ſiva aperte falſa.

Hanc opinionem neque forte facile poſſim ex eruditorum mentibus evellere, propter altas quas jecit radices; neque ſi poſſim, auſim tamen, niſi admodum timide, propter reverentiam, qua, ut par eſt, auctores, auctorumque ſequaces proſequor. Dicam nihilominus ſincere, quod ſentio, & doctioribus dijudicanda proponam argumenta novem, quæ ſin minus contrarium opinioni vulgari aperte demonſtrant, mihi certe difficultatem non levem faciunt, facientque porro omnibus cordate volentibus rem agere.

Propter novem argumenta.

Primum a patria petitum. *In præfat. Subnot.* *In Lauſiacis.*

Marius Mercator Rufinum illum, cujus mentio facta eſt in judicio eccleſiaſtico Aurelii, quique Cæleſtium docuit negare traducem peccati, Syrum dixit. Rufinus Hieronymi æmulus, ſi credimus Palladio, Italus fuit; ſi Hieronymo, oriundus ex Aquilegienſis agri oppido: utrique vero neceſſe eſt credere, cum ambobus oportuerit hominem eſſe notiſſimum; Palladio quidem, propter ſocietatem errorum; Hieronymo, propter contentiones, & pene mutuas inimicitias.

Secundum a nobilitate.

De Rufino Cæleſtii magiſtro loquitur Mercator, quaſi de homine non notiſſimo: *Rufinus quidam*, inquit,

Loco mox citato.

quit, *natione Syrus*, &c. Aquilegienſem totus orbis noverat, ob eruditionis famam, opinionem ſanctitatis, & Melaniæ conſortium.

Tertium ab adventu in urbem.
Lib. 2. adverſ. Ruf.
Loco mox citat.

Aquilegienſis *ann.* 13. *Siricii invexit in urbem navem plenam ſuarum blaſphemiarum*, ut ſcribit Hieronymus. Syrus *ſub Anaſtaſio primus Romam invexit inimicam rectæ fidei quæſtionem de peccato originali*, ut teſtatur Mercator.

Quartum a neceſſitudine cum Pammachio.

Rufinus, quem laudat Cæleſtius, Romæ manſit apud ſanctum Pammachium. at Pammachius, cum addictiſſimus foret Hieronymo, tantum abeſt ut apud ſe Rufinum Aquilegienſem eſſe permiſerit, eoque familiariter uſus ſit, ut Hieronymum accenderit in ipſius accuſationem, & Anaſtaſium impulerit ad condemnationem.

Quintum a tempore habitationis in urbe.
Aug. lib. de pecc. orig. cap. 4.

Rufinus Cæleſtii magiſter Romæ fuit, cum doceret *quia tradux peccati non erat.* Aquilegienſis, ubi primum Roma digreſſus eſt, eo non rediit, ne quidem ad judicium, quantumcunque vocaretur ab Anaſtaſio, ſed Aquilegiam ſeceſſit, unde priuſquam barbari patriam vaſtarent, non receſſit.

Sextum ab errore.
Hieronym. ep. ad Cteſiph.

Rufinus Aquilegienſis accuſatur quidem ab Hieronymo, tanquam præcurſor & magiſter Pelagii, ſed perinde ac Jovinianus, Evagrius Ponticus, cæterique omnes, quorum meminit in epiſtola ad Cteſiphontem; ſed in ea tantum parte, quæ ſpectaret ἀπάθειαν & ἀναμαρτησίαν. De alia quæ pertineret ad traducem peccati, ne vocatus quidem eſt in ſuſpicionem. At Cæleſtii magiſter, traducem peccati non eſſe diſcipulos doeebat.

Aug. loco mox cit.

Et vero cum Aquilegienſis pro Origene ſentiret, nihil admodum caoſæ fuit, cur negati peccati originalis reus perageretur, quandoquidem Origeniſtæ hac in parte, quaſi per exceſſum, peccabant: rati ſcilicet animos in corpora, velut in ergaſtula detrudi, ubi anteactæ vitæ peccata debitis ſuppliciis luerent.

Septimum a facto Paulini Diaconi.

Nihil Paulinus excepit adverſus Rufinum a Cæleſtio appellatum. Poterat ſane plurima adverſus Aquilegienſem, vel hoc unum præſertim, quod propter hæreſes a ſede apoſtolica damnatus fuiſſet, & in damnatione extinctus. Neque vero Paulinus damnationis ſententiam ignorare potuit, cum Venerius Mediolani eodem tempore, quo Anaſtaſius Romæ, Origeniſtas perculerit anathemate, & nondum Paulinus Mediolanio tunc Carthaginem miſſus eſſet.

Octavum a tempore obitus Rufini Aquilegienſis.

Cæleſtius innuere ſatis aperte videtur, Rufinum illum quem laudat, tempore judicii adhuc fuiſſe ſuperſtitem, alioqui ut ſanctum, ita beatæ recordationis dixiſſet. At in Sicilia diem ſuum obierat Aquilegienſis, jam inde ab uno anno, aut etiam altero, ut demonſtrare licet, partim ex libris Hieronymi, partim pluribus aliis argumentis.

Poſtremum ab anathemate, quo Aquilegienſis perculſus fuerat.

Denique Rufinus qui Cæleſtium docuit, preſbyter erat in Eccleſia catholica conſtitutus, tunc cum doceret, id eſt, communione cum ſede apoſtolica conjungebatur. Aquilegienſis ab Anaſtaſio communione privatus fuerat ante ann. 402. quo putat Baronius ab Anaſtaſio ad Joannem Hieroſolymitanum ſcriptam fuiſſe de Rufino epiſtolam.

Rufinus de quo agitur, videtur preſbyter ab Hieronymo miſſus in Occidentem.

Quis ergo Rufinus ille Syrus, qui Romæ exiſtens Cæleſtium docuit Pelagiumque, contra catholicam fidem de peccato originali ſentire? Fatebor lubens, me nihil habere, quod vehementer affirmare velim, propter inveteratum de Aquilegienſi præjudicium. Suſpicor tamen (erit forte, qui ſuſpicionem audacius in ſententiam eamque certam convertat) hunc ipſum eſſe, quem Hieronymus ann. 399. Mediolanum miſit ad Venerium, juſſitque Roma tranſire, ut amicos ſalutaret, quorum præcipuus fuit Pammachius.

Hieron. ep. 66. ad Ruf.

Quidni enim & ille, Mediolano reverſus Romam, commoratus ſit apud ſanctum Pammachium, qui poſtquam perfectiorem vitam, auctore Hieronymo, profeſſus eſt, monachos excipere hoſpitio gaudebat, & eos maxime, quos ſciret Hieronymo amico acceptos? Quidni, inquam, Romæ commoratus ſit, interim dum judicium de Origeniſtis & Rufino præcipue, apparabatur, ut Pammachium erudiret ſimul & urgeret? Nam vehemens incidere poteſt ſuſpicio, miſſum eadem cauſa Mediolanum, ut Venerium impelleret ad condemnandos Origeniſtas, quemadmodum conjicere licet, miſſum Paulinianum Aquilegiam, qui Chromacium in idem conſilium vocaret.

Lib. 2. apolog. adverſ. Ruf.

Certe concordem ſententiam ab Anaſtaſio, Venerio & Chromacio in Origeniſtas latam, ſcribit Hieronymus; neque vero temere quiſpiam judicaverit, Epiſcopos illos tres ab Hieronymo, perfidos homines, ſollicitatos contra totam Origeniſtarum infenſam ſibi factionem. Eo certe pertinere videntur querentis Rufini verba: *Iſtud eſt caput, quod iſti, qui ad inſidiandum mihi ex Oriente tranſmiſſi ſunt, non ſolum perverſa intelligentia, verum etiam adulterio verborum conati ſunt infamare.*

Ruf. in apol. ad Anaſt.

Quos vero tranſmiſſos queritur, procul dubio ſunt Vincentius, Paulinianus, Euſebius & Rufinus, de quibus ita Hieronymus: *Volo tamen ſcire, quæ ſunt iſta jacula venenata, quæ poſt tergum veſtrum nos jeciſſe conquereris. Vincentius, Paulinianus, Euſebius, Rufinus presbyteri; quorum Vincentius multo tempore ante vos Romam venit: Paulinianus & Euſebius poſt annum veſtræ navigationis profecti ſunt: Rufinus in cauſa Claudii poſt biennium miſſus, omnes vel pro re familiari, vel pro periculo capitis alieni*, &c. Verum paulo poſt non diffitetur, hos homines adverſus Rufinum Aquilegienſem ſtrenue rem geſſiſſe. ſic enim ait: *Non fuit, non fuit, inquam, noſtri conſilii, ſed Dei providentiæ, ut miſſi ad aliud, contra naſcentem hæreſim dimicarent, & in morem Joſeph famem futuram fidei ardore ſublevarent.*

Apolog. 2. in Ruf.

Gen. cap. 41.

Imo & Palæſtinæ provinciæ preſbyter, cujus libellum fidei edidit P. Sirmondus Pariſ. an. 1650.

Addam amplius, quandoquidem ſemel facta eſt non ſuſpicandi modo, ſed conjiciendi quoque, & vix non divinandi licentia, hunc ipſum Rufinum auctorem eſſe libelli fidei, quem ex Corbeienſibus codicibus P. Sirmondus edidit: conveniunt enim nomen, patria, dignitas, doctrina, ætas. Uterque Rufinus, uterque Syrus ſeu Palæſtinus, uterque preſbyter, uterque oppugnator peccati originalis, uterque vixit ante Pelagianam hæreſim, uterque Romam ſub Anaſtaſio advenit, uterque infenſus Origeni, uterque de animorum in corporibus creatione affirmate pronuntiavit, cum dubitarent ea de re adhuc viri doctiſſimi, aut ſaltem timidius ſentirent.

Atque etiam auctor 12. anathematiſmorum apud Mercatorem.

Quin & ſuſpicor, ne quid affirmantius dicam, anathematiſmos duodecim, quos primum edidimus in lucem, ab eodem Rufino Hieronymi ſive familiari, ſive diſcipulo, conſcriptos fuiſſe, ut oſtendimus in notis ad ejuſmodi anathematiſmos.

Mores Rufini, qui Cæleſtium docuit.
In præf. Salmt.

Cujus ingenii fuerit, quiſquis ille tandem eſt Rufinus Cæleſtii magiſter, patefacit manifeſte Mercator, cum ait: *Hanc ineptam, & non minus inimicam rectæ fidei quæſtionem, ſub ſanctæ recordationis Anaſtaſio Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifice, Rufinus quidam natione Syrus, Romam primus invexit, & ut erat argutus, ſe quidem ab ejus invidia muniens, per ſe proferre non auſus, Pelagium gente Britannum monachum tunc decepit, eumque ad prædictam apprime imbuit atque inſtituit impiam vanitatem.*

Quo tempore docuerit & ſcripſerit.

Quibus ex verbis conſtat, vixiſſe Rufinum, aut docuiſſe potius, temporibus Anaſtaſii ſummi Pontificis: quando vero ſcripſerit expoſitionem fidei; an priuſquam doceret Pelagium Cæleſtiumque, an poſtea, ut diſcipulos confirmaret, dubitabile cuipiam forte eſt. Dubitabile quoque, an ipſemet Græce primum, Latine poſtea expoſitionem ejuſmodi ediderit:

Libellus Rufini videtur lectus a Juliano, & forte interpretatus.

quamquam mihi vix non certum eſt, ſcriptum a Rufino fidei libellum, antequam veniret Romam, certum vero penitus, hunc a Juliano non tantum viſum, ſed magna ex parte in ſuos libros traductum. Unde vix non opiner Græci operis interpretem Latinum eſſe Julianum.

Ex tribus quæ hactenus allata ſunt, confirmatur primum, & six non demonſtratur.

Porro autem, quæ tria dixi me ſuſpicari, erit forte, qui pro certis confidentius affirmet: & primum quidem, quod Rufinus Cæleſtii magiſter ab Hieronymi diſcipulo ſeparari non debeat, conficiet rationibus in hanc rem allatis, quæ profecto nec facile ſolvuntur, nec contrariis argumentis infirmantur. Cum enim Hieronymus fateatur miſſum a ſe Rufinum quemdam preſbyterum, e Syria ſeu Palæſtina, in Italiam ad Venerium, temporibus Anaſtaſii, juſſumque per

viam

Digitized by Google

viam amicos Romæ ſalutare, quos inter eminebat Pammachius, eundem ſtrenue rem geſſiſſe adverſus Origeniſtas, & Aquilegienſem ipſum Rufinum, &c. cumque nomen, conditio, patria, tempus, locus, hoſpitium Pammachii, aliaque conveniant; accedat quoque teſtimonium, non modo Mercatoris Rufinum aſſerentis e Syria temporibus Anaſtaſii Cæleſtianam hæreſim advexiſſe, Pelagioque & Cæleſtio tradidiſſe, ſed etiam Cæleſtii confitentis ſe a Rufino presbytero Romæ apud ſanctum Pammachium exiſtente ſuum hauſiſſe errorem; nonniſi temere Rufini duo, quorum alter ab Hieronymo miſſus ſit, alter Cæleſtium docuerit, excogitari poſſunt.

Solvitur objectio. At qui fieri potuit, dicet aliquis, ut ſanctiſſimo acerrimoque fidei catholicæ defenſori Hieronymo adhæſerit hæreticus? Fieri potuiſſe id vel maxime oſtendit, quod ſicut Auguſtinus, ita Hieronymus, aliquando conqueſtus ſit, latuiſſe inter ſuos ſub ovina pelle homines non puros erroris. Deinde cum apud Hieronymum Hieronymique diſcipulos conſtans eſſet opinio, traducem animorum non eſſe, facile potuit diſcipulorum aliquis, nec intelligentiſſimus, nec ſatis catholicus, ex eo concludere, non eſſe pariter traducem peccati; ſiquidem Auguſtinus ipſe, ut intelligentia fideque præſtaret, tantam paſſus ſit, quantam ubique paſſim teſtatur, difficultatem in aſſequenda traductione peccati, ſi modo animi non perinde ac corpora propagentur. Et vero Pelagiani omnes alteram traducem cum altera connexam defendebant; nec erat tunc temporis facile ambas dividere, cum peccati originalis fides necdum, ſaltem in Oriente, ſuis exoluta foret tenebris, & nondum Eccleſia contrarium dogma proſcripſiſſet.

Confirmatur ſecundum. Secundum vero, quod auctor libelli fidei, nuper typis excuſi opera P. Sirmondi, non ſit alius a magiſtro Cæleſtii, perinde conficietur ac primum. Ad utrumque enim oſtendendum valet argumentum a nomine, patria, conditione, &c. petitum: & eo quidem validius, quod auctor libelli omnibus Pelagianiſmi, ſeu potius Cæleſtianiſmi ſordibus inquinatus ſit, omnibuſque artibus inſtructus, quibus alii poſtea defenſores uſi ſunt, ut aperte videatur magiſter diſcipulis præiviſſe.

Docebant ſcilicet Cæleſtiani, peccatum originale credi non poſſe, niſi Deo iniquitas tribueretur: quippe cum impiis peccata propria condonet, innocentibus tamen aliena imputaret. Docebant quemque ſibi peccare, neminem alteri. Unumquemque ex ſuis operibus judicandum, nullum ex alienis. Infantes, in quibus nihil eſt præter opus creatoris, damnari non poſſe a juſto Deo, etſi moriantur ſine baptiſmo; eoſdem, cum baptizantur, a peccato quod nullum haberent, non mundari, ſed ex bonis meliores, Chriſtique cohæredes fieri. Traducem animorum non eſſe, ne ſimul ſit & peccatorum. Hominem, & olim, cum primus crearetur, & quotidie, cum ſinguli procreantur in uteris matrum, a Deo fieri ad imaginem ſui, ut peccati macula non ſit naturalis. Chriſtum veniſſe tantum, ut præiret exemplo & magiſterio. Mortem hominum, non a peccato exortam, ſed a conditione naturæ.

Hæc & alia ejuſmodi Rufinus Palæſtinus tradit: *Inſaniunt*, inquit, *qui per unum hominem Adam omnem orbem terrarum iniquitatis flagitiorumque condemnant. Nam qui hæc dicunt, aut injuſtum Deum pronuntiant, aut certe Deo diabolum æſtimant fortiorem, et quod naturam, quam Deus creavit bonam, eam diabolus, per prævaricationem Adam & Evæ, malam potuerit efficere, ſiquidem prævaricatione primi hominis Adam & uxoris ejus Evæ omnes homines peccato obnoxii ſunt*, &c. (Cap. 39.)

Unuſquiſque hominum, cum ſit liberi arbitrii, ex ſuorum qualitate geſtorum aut laudandus nimis, aut vituperandus habebitur. ſimili modo etiam in die judicii aut juſtificandus erit, aut ſupplicio ſubjugandus, ſicut & beatus Paulus docet ita dicens: Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. *Quod autem liberi non pro parentibus puniantur, neque parentes pro liberis, aperte rurſus edocuit Deus, cum ad Moyſem prophetam diceret:* Non morientur patres pro filiis, neque filii pro parentibus, unuſquiſque in ſuo peccato morietur. (Cap. 37. — 1 Cor 5. v. 10. — Deut. 24. v. 16.)

Quidam ſcripturarum inſcientia divinarum in nefariam & injuſtam de Chriſto vocem audent erumpere, aſſerentes eum pueros minime baptizatos æterni ignis pœnæ deputare, quæ ſolet in ſcripturis gehenna nominari. Diſcant ex divinis ſcripturis, quod ignis æterni pœna innocentibus, ac penitus peccatum ignorantibus, præparata non ſit; ſed eis, qui legem Dei prævaricati noſcuntur. Et paulo poſt: *Pueri, ſicut ipſa divina ſcriptura perdocuit, quaſi penitus innoxii, neque malitiam prorſus experti, boni etiam vel mali diſcretionem ignorantes, ignis æterni pœnæ minime mancipantur, quippe cum ignis æternum ſupplicium impiis & peccatoribus præparatum ſit; ſed & iſti quidem cum ſua imperitia dimittantur.* (Cap. 41.)

Baptiſma infantes non propter peccata percipiunt, ſed ut ſpiritalem procreationem habentes, quaſi per baptiſma in Chriſto creentur, & ipſius regni cæleſtis participes fiant, ſicut beatus Apoſtolus docet hoc modo: Si qua in Chriſto nova creatura. *Et iterum:* Sin autem filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Et poſtea: *Infantes qui in peccatis non ſunt, merentur etiam baptiſmatis gratiam, ut in Chriſto nova generatione creati, etiam regni ejus cohæredes efficiantur ſecundum beatum Paulum:* Si qua in Chriſto nova creatura. (Cap. 40. — 2 Cor. 5. v. 17. — Rom. 8. v. 17. — Cap. 48. — 2 Cor. 5. v. 17.)

Nonnulli ſunt, qui dementia capti dicunt, quod ex una anima primi hominis Adam, animæ Evæ mulieris aſſumpta ſit. Nonnulli etiam, quod ex ſolo Adam, cum ſeminis jactu in omnes, qui ex eo nati fuerunt, animæ tranſmiſſæ ſint; & alii, quod ex Eva ſola, &c. (Cap. 28.)

Dominus ſolum hominem ſecundum imaginem ſuam & ſimilitudinem fecit, ſicut Moyſes docet ita dicens: Et dixit Deus: Faciamus hominem ſecundum imaginem & ſimilitudinem noſtram, *&c.* Et paulo poſt: *Quod autem Deus eſt, qui format ea, quæ in uterum ſemina jaciuntur, ſicut etiam diverſis vivificat, quæ ab agricolis ſeruntur in terram, teſtis eſt beatus Job cum ait ad Deum:* Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me. (Cap. 23. — Geneſ. 1. v. 26. — Cap. 28. — Job 10. v. 8.)

Propterea Chriſtus factus eſt homo, ut damnato in carne peccato relinqueret nobis exemplum, quemadmodum quiſque debeat carnalibus ſuperatis vitiis non ultra diaboli fallaciis decipi. (Cap. 27.)

Quod autem mortales ſecundum corpus creati ſunt Adam & Eva, ut dixi, teſtis eſt Moyſes, cum dicit: Et plantavit Deus paradiſum in Edem ad Orientem, & poſuit ibi hominem, quem plaſmavit, & produxit adhuc de terra omne lignum pulcrum ad viſum, & bonum ad edendum, & lignum vitæ in medio paradiſi, & lignum ad cognoſcendum bonum & malum. *Nunquam vero Deus lignum vitæ in paradiſo plantaſſet, ſiquidem Adam immortalis ſecundum carnem creatus fuiſſet*, &c. (Cap. 18. — Geneſ. 2. v. 8.)

Multis igitur teſtibus edocti, quod mors iſta communis mala non ſit, jam longe valere dicamus, qui mortem malam appellant. Dicimus autem quod in bonum Deus præſtitit primo homini Adam ſudores pariter ac labores, quos de terra pateretur. (Cap. 34.)

Quid plura? nulla via eſt Pelagianis poſtmodum trita, nullus adhibitus modus præmuniendi erroris, nulla ratio faciendæ catholicis peccati originalis defenſoribus calumniæ, quam non præformaverit Rufinus, ut in eum mentis oculos Auguſtinus intendiſſe videri poſſit, cum recenſet, quibus artibus Pelagiani ſolerent illudere ſimpliciorum mentes. (Lib. 4. ad Boniſ. cap. 2. & lib. 2. adverſ. Jul. cap. 2. & alibi paſſim.)

Quin & illud auſim addere, quod mea quidem ſententia rem conficit, libellum Juliani, ſi non omni ex parte, ſaltem ea, qua peccatum originale ſpectat, ex Rufiniano pene ad verbum fuiſſe exſcriptum. Eadem certe afferuntur ſcripturæ teſtimonia; eadem argumenta eodem modo tractantur, ut Rufini liber hæreſis Cæleſtianæ fons quidam, & Juliani velut armamentarium dici queat.

Serm. 7. de verbis Apoſt. cap. 6.

Cap. 19. & ſeq.

Adjungo ſingularius quiddam a noonullis Pelagianis dicebat Auguſtinus aſſeri, omnes homines a Deo perinde nunc immortales condi, ac olim Adamum: *Quia pro meritis ſuis omnes moriuntur, nec eſſet mors, niſi veniens de peccato.* Illud, vel affine quidpiam, Marius Mercator refert ſcriptum a Juliano in epiſtola ad ſummum Pontificem, cum vellet fucatis interpretationibus ſuum de Adami mortalitate errorem diſſimulare. Rufinus idipſum, & quod Auguſtinus retulit, & quod Julianus ſcripſit, longe ante motas in Occidente iſtiuſmodi quæſtiones docuit.

His rationibus forte movebitur aliquis in contrarium, dubitabitque, an Rufini liber eo tempore ſit conſcriptus, quo diximus, id eſt, ante ventilatam in Occidente Pelagii hæreſim; an poſtea, cum animis jam longa diſputatione eruditis, potuerit ſcriptor aliquis umnes unius partis verſutias complecti ſermone. Verum indubitatam libri ætatem oſtendere hinc licet, quod ſcriptus ſit, non tautum aote Neſtorii & Eutychetis tempora, alioquin inter euumeranda de Incarnatione Verbi prava dogmata prætermiſſum non fuiſſet utriuſque hæretici nomen, quemadmodum nec Photini errores, uec Apollinarii, nec Arianorum omiſſi ſuot; ſed etiam ante ortas contentiones de gratia Chriſti: ſiquidem tantum argumentum intactum non abiiſſet.

Pertinet igitur ad tempus illud, quo Arianorum atque Origenis quæſtiones agitabantur in Oriente, totus enim io iis verſatur. Fervebant illæ vero maxime temporibus Siricii, ut facile intelligitur ex ſcriptis Patrum tuoc editis, quibus aliud fere nullum argumeotum tractatur. Quid quod Mercator tradit, tunc temporis natas fuiſſe controverſias de mortalitate Adæ, baptiſmo parvulorum, peccato originali, aliiſque dogmatis a Rufino tam curioſe pertractatis?

Confirmatur tertium.

Jam vero, quod tertium conjiciebamus. ab eodem auctore conſcriptos etiam duodecim anathematiſmos, quos ex codice Mercatoris edidimus, vix ille forte dubitaverit, qui paulo attentius conſideraverit, compoſitos fuiſſe, & ab homine Cæleſtiano, & de iiſdem quæſtionibus, & eadem tempeſtate, & a quodam Rufino, eoque apud Hieroſolymam ac Bethleemum verſato, & eadem cum Hieronymo ſive ſapiente de origine animarum, &c. ſive etiam peccante, de peccatoribus fidelibus per ignem ſalvandis, &c. ut ex us conſtat, quæ annotavimus ad anathematiſmos.

CAPUT IV.

De Pelagio, à quo hæreſis Pelagianæ dicta eſt.

Nomen Pelagii unde ortum.

Proſp. in Chron.

Apud Uſſerum de Eccl. Britan. primordiis. c. 8.

PELAGIUS, qui dogma nominis ſui contra gratiam Chriſti, Cæleſtio & Juliano adjutoribus exeruit, a uonnullis rerum Anglicarum ſcriptoribus dicitur patria lingua Morgan appellatus, quaſi maris homo; ſed barbariem nominis, ne læderet Romanas aures, ſuſtuliſſe, commutata gentili voce in Græcam ejuſdem ſignificationis, & jamdudum a Latinis receptam.

Patria Britannia. Scotia an Hibernia incertum.

Epiſt. 106.

In Chron.

In apolog.

Scribit Auguſtinus eum, ut ab alio diſtiogueretur qui Pelagius Tarenti dicebatur, Britonem fuiſſe cognominatum, quo nomine etiam vocatur a Proſpero Chronographo. Verum quia Britonis, Britannique, & Britannici nomen, quo utitur Oroſius, commune fuit pluribus provinciis, factum eſt, ut alii ex minore Britanoia, quæ Aremorica eſt, habetque indigenas Britones; alii ex Anglia, quam olim veteres & Albionem, & Britanniam dixere; alii ex Scotia vel Hibernia, quæ nomine Britanniarum cenſebantur, originem duxiſſe tradiderint. Sed cum tunc temporis Aremorica necdum Britanniæ nomen conſecuta eſſet, & tres alias provincias Romani vulgo non admodum ioter ſe diſcernerent: id unum certo conſtat, ex tranſmarinis Britanois Albinum huoc canem, ut loquitur Hieronymus, Scotorum pultibus prægravatum advectum fuiſſe.

Præf. in 3. lib. comment. in Hieremiam.

Fabulæ Anglicanorum ſcriptorum.

Angl. hiſt. lib. 3.

Cent. 1. ſcrip. Brit. cap. 38.

Hiſt. cot. l. 15.

In Cantabrig. hiſt.

Hiſt. Cantabrig. lib. 5.

Polychro. lib. 4. cap. 32.

Afferuot præterea quædam Polydorus, Balæus, Dempſterus, Cantelupus, Cauſque & Ranulphus Ceſtrenſis cum ſcriptore vitæ S. Albani, de Cambria patria, de eodem cum Auguſtino die natali, de Cantabrigienſi doctoratu, de Bangorenſi præfectura, & plus duorum millium monachorum regimine. Sed hæc nemo eruditus non facile condonabit fabularum amatoribus, ſimulque rejicienda ſentiet ad Merlini commenta.

Grandi & adipoſo corpore depingitur ab Hieronymo.

In præf. lib. 3. in Hierem.

Hominem depingit grandiori corpore Hieronymus. ait enim, cum de Rufino Aquilegienſi loqueretur: *Ipſe mutus latrat per Albinum canem, grandem & corpulentum, qui calcibus magis poſſit ſævire, quam dentibus. Habet enim progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia.* Unde in primo dialogo hunc in modum Pelagium compellat. *Tu ipſe qui Catoniana nobis inflaris ſuperbia, & Milonis humeris intumeſcis*, &c. At alio in loco non grandis tantum, ſed etiam adipoſi corporis facit. *Nuper indoctus calumniator erupit, qui commentarios meos in epiſtolam Pauli ad Epheſios, reprehendendos putavit; nec intelligit nimia ſtertens vecordia leges commentariorum*, &c. *nec recordatur ſtolidiſſimus & Scotorum pultibus prægravatus*, &c.

Et ab Oroſio.

Apolog. cap. 27.

Job 15. v. 25.

Hieronymo conſentit Oroſius, cum Pelagium his verbis alloquitur. *Sed tibi ſpecialis inde portandi oneris fortaſſe fiducia eſt, quod balneis epuliſque nutritus, latos humeros geſtas, robuſtamque cervicem, præferens etiam in fronte pinguedinem, ſicut ſcriptum eſt*: Tetendit enim adverſus Deum manum ſuam, & contra omnipotentem roboratus eſt. Cucurrit adverſus eum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt. Operuit faciem ejus craſſitudo, & de lateribus ejus arvina dependet.

Monaſticam vitam profeſſus.

Apolog. cap. 3.

In epiſt. 2. ad Africanos.

Lib. de geſt. Pelag. cap. 19. & 20.

Præfat. Subnot.

Hæſit in hoc gradu.

Cent. 1. cap. 38.

Elench. hær. lib. 14. cap. 14.

Non is eſt quem notat Iſidorus Peluſiota.

Epiſt. 314.

Senex commentarios ſcripſit in Paulinas epiſtolas.

Monaſticam vitam profeſſus vulgo creditur: ad altiorem vero gradum non adſcendiſſe, certis veterum teſtimoniis conficitur: iis quippe temporibus, ſi quis ex monacho in clerum adoptatus fuiſſet, exinde jam noo monachi, ſed ſui gradus nomine appellabatur. Quare quiſquis vel monachi, vel laici perpetuo retinuit appellationem, eo arguitur remanſiſſe in laicorum ordine. Cum ergo Pelagius dictus ſit laicus, tum ab Oroſio, pauloante concilium Dioſpolitanum, tum a Zoſimo ann. 417. dictus quoque monachus ſive a Patribus Dioſpolitanis ann. 415. ſive ab Auguſtino aon. 417. in libro de geſtis, & hæreſi 88. ann. 426. &c. ſive a Mercatore ann. 432. cumque a nullo veterum vel Epiſcopus, vel presbyter appellatus ſit, credendus eſt profecto inter laicos ſubſtitiſſe. Quare non immerito contemnitur ab eruditis, quod afferunt Balæus & Prateolus de Pelagii epiſcopatu, idque vel eo maxime, quod hæreſim jam ſenex prodiderit: oon quod accommodemus fidem opinantibus nonnullis, Pelagium ab Iſidoro Peluſiota notatum, id enim rationi temporum mirum quantum pugnat; ſed quia ante vaſtationem urbis ann. 408. aut etiam ante ann. 404. commentarios in Paulinas epiſtolas conſcripſit, *ſeneſcente corpore, & viribus laſſeſcentibus*, ut ipſemet loquitur in præfatione.

Quan-

Lib. de geſt. Palæſt. cap. 35. Cur dictus ab Auguſtino quaſi monachus.

Quanquam non abs re futurum puto, aperire candide, quam mihi dubitationem de Pelagii monachatu aliquando injecerint hæc Auguſtini verba: *Poſt veteres hæreſes multas, exorta eſt modo nova, non ab Epiſcopis, ſeu presbyteris, vel quibuſcumque clericis; ſed à quibuſdam veluti monachis, quæ contra Dei gratiam*, &c. Cur enim dixit, *a quibuſdam veluti monachis*, & non ſimpliciter, *a quibuſdam monachis*? An abundat vox iſta, *veluti*, delendaque ut emendetur lectio? at emendationi obſiſtunt manuſcripti codices melioris notæ. An Pelagius Cæleſtiuſque, licet habitu corporis religionem vitæ præferrent, non erant tamen moribus veſti admodum conſonis? at Auguſtinus ipſe tales fuiſſe negat, *qui facile contemnerentur, ſed continenter viventes, atque in bonis operibus laudabiliter verſantes.* An quod cœnobiticam vitam profeſſi, verſarentur tamen extra monaſterium? at neque tunc temporis omnes, qui monachi dicebantur, in cœnobiis manebant; neque, ſi vitioſe vagati eſſent, ab omnibus bonis, Auguſtino, Paulino, Juliana Demetriadis matre, aliiſque, tanto in pretio habiti fuiſſent.

Epiſt. 120.

Vere monachus extitit.

Reſtat igitur opinari, Pelagium vere monachum extitiſſe, non ea tamen notione, qua ſolet uſurpari monachi nomen, ad cœnobitam, vel etiam eremi cultorem ſignificandum; ſed qua monachi dicebantur olim, qui poſtquam aliquandiu in ſeceſſu procul ab hominum turba animum pœnitentiæ, pietatiſque operibus, & rerum divinarum meditatione excoluiſſent, prodirent veſtitu ad pietatem compoſito, mundique contemptum præferente, ut alios arctiore morum, quam ipſi imbiberant, diſciplina informarent.

His temporibus tria fuerunt monachorum genera, cœnobitæ, eremitæ & ſimpliciter monachi.

Et vero his temporibus trium generum homines monachorum nomine cenſebantur, ſi quidem alii in monaſterio, qui cœnobitæ; alii in deſertis locis, qui eremitæ, ſive ſingulares; alii ſuis in ædibus vivebant, qui apud Græcos aliquando philoſophi, apud Latinos vulgo monachi vocabantur. Sic Pammachius, ſic Paulinus, ſic alii longe plurimi in propriis ædibus monaſticam vitam, ex præſcripto evangelicæ perfectionis, agebant: ſic utraque Melania & Demetrias, ſic Teraſia Paulini uxor, ſic aliæ multæ Romanæ feminæ, extra eremum & cœnobia, vitam religioſam profeſſæ ſunt. Videtur ergo Pelagius fuiſſe quidem monachus, non tamen primi aut ſecundi generis, ſed tertii tantum, cujuſmodi ſolebant, vel palliati incedere, vel furva veſte, aut modeſtiore alio corporis habitu, qui virtutis interioris ſæculique contempti ſpeciem daret.

Pelagius tertii generis fuit.

Cujus ingenii. Lib. de nat. & grat. c. 6. & 35.

Ingenium accepit a natura *fortiſſimum, celerrimum, & acutiſſimum*, ut loquitur Auguſtinus, fervidum ſimul & vehemens, ac litigioſum, quodque patriam qualitatem, ne Romanis quidem artibus, honeſtorumque hominum, & nobilium feminarum conſuetudine dedoceri potuerit. Hinc exhortationes ad vitam bonam vehementes, & quodammodo ardentes habuit; ſed in quibus docendi rationem impotentem modi, & dictatoriæ ſuperbiam more gentis teneret. Hinc evangelica conſilia auſus eſt ita interpretari, ut non ſuaderet, quemadmodum par erat, ſed in præcepta perverteret. Hinc chriſtiana perfectio duræ legem neceſſitati ſubjecta. Hinc abhorrentes a communi ſenſu, inſolentesque illæ ſententiæ: *Non debere omnino jurari. Gloriam veſtium & ornamentorum eſſe Deo contrariam. Chriſtianum debere eſſe illius patientiæ, ut ſi quis ſua auferre voluerit, gratanter amittat. Divitem viventem in divitiis ſuis regnum Dei non poſſe ingredi, niſi omnia ſua vendiderit, nec prodeſſe eidem, ſi forte ex ipſis divitiis mandata fecerit.*

Conſilia evangelica pervertit in præcepta, quo videretur ſanctior. Ex Hieron. in dialog. & Aug. paſſim.

Quibus artibus ſparſerit hæreſim. Ex Hier. Ep. ad Creſiph. & Dialog.

Hæ Pelagio erant artes hæreſim diſſeminanti. Nihil de ſuis myſteriis aperte vulgo credere, ſed fidis tantum auribus. Si quid dogmatum emanaſſet in publicum, negare palam, quod in cubiculis doceret. Si aperte proponendus error, alienam inducere perſonam. Si ſuo nomine loqui cogeretur, dubitantis more, timideque afferre, de quo ſimularet ſe velle doceri. Si ex libris argueretur cujuſdam aſſertionis, libros cauſari, vel non eſſe ſuos, vel prius ſubreptos, quam emendarentur. Si ex confeſſis urgeri contingeret, ſententias interpretari verbis perplexis & in ſpeciem catholicis. Si neceſſitas foret, Eccleſiæ nonnulla damnanti conſentire, damnare libenter omnia, ſed, ut aiebat, Eccleſiæ ſenſu, id eſt, eo quem poſtea fingeret ad arbitrium. Si aliquando fidem exponere deberet, copioſe proſequi plurima, de quibus non interrogaretur, de re, vel nihil, vel ambiguum quiddam eloqui; imitari ſerpentes, qui, ut ait Oroſius, *cum tuendi ſolius capitis cauſa reliquum conciſioni atque injuriæ corpus opponunt, nihil damni arbitrantur, eo tantum ſui parte a periculo libera, quæ multimodas venenataſque in ſe obtinet linguas, etiamſi membris omnibus amputentur.*

Atque Aug. paſſim.

Et Paulo Oroſio. Apolog. cap. 1.

Publice non docebat, ut ceteri hæretici, & infantia ſermonis.

Cur autem publice non doceret, ſed in cubiculis tantum & apud amicos, præter cauſas omnibus fere hæreſibus communes, acceſſit iſta ſingularis, quod infantia ſermonis laboraret. Quamvis enim, ſi crederemus libris, qui nomen ejus ferunt, ſed præſertim epiſtolæ ad Demetriadem, videri poſſet non immerito diſertus, imo & eloquens, pene ad invidiam hominum ejuſdem ætatis in meliore ſolo prognatorum: probabilis tamen eſt, ſi non certa opinio, barbariem peregrini hominis, alioquin ingenioſi & rationum feracis, adjutam fuiſſe politiorum hominum latinitate, ut Pelagium Hieronymus miſerum vocaverit, *qui ne ſuis quidem verbis calumniari poſſet.*

Neque enim verbis ſuis ſcripſit.

Præf. in lib. 4. comment. in Hieremiam.

Sed aliorum, præſertim Anniani.

Fuerunt vero politiores illi potiſſimum tres: Cæleſtius, qui *ex diſcipulo verſus eſt in magiſtrum*; Annianus, *qui copioſiſſime paſcebatur, ut alienæ blaſphemiæ verba tinnula, atque emendicata ſubminiſtraret*; & Julianus, cui Beda idcirco tribuit epiſtolam ad Demetriadem.

Epiſt. 24. apud Auguſt. Præf. in Cantic. cap. 5. Apol. cap. 2.

In Annianum intendebat Oroſius cum diceret: *Stat etiam immaniſſimus ſuperbia Goliath, carnali potentia tumidus, omnia ſe per ſe poſſe confidens: caput, manus, totum inſuper corpus plurimo apparatu veſtitus, habens poſt ſe armigerum ſuum, qui etſi ipſe non dimicat, cuncta tamen æris & ferri ſuffragia ſubminiſtrat.*

Intendebat quoque in Julianum, niſi potius in Annianum iterum, cum nonnullas ex epiſtola ad Demetriadem voces reprehendendas putaret: *In tua*, inquit, *epiſtola illa lucubratiſſima, hæc ipſa intelligere vix potuimus. iſta, iſta, inquam, ad Demetriadem puellam, ut audio, ſacram & ſanctam, homo verecundiſſimus ſcribere non erubuiſti, docens, ut credo, reverentiam caſtitatis ſub ſtropha Joſeph luxuriantis dominæ ſuæ*, &c. *inopportunam hiſtoriam obſcœniſſimo ſermone contexens. Quanquam hoc, quod neque apte, neque decore dicitur, tibi imputare non debeamus; cui neque natales dederunt, ut honeſtioribus ſtudiis erudireris; neque naturaliter provenit, ut ſaperes; ſed illis dictatoribus tuis, qui miſerum ſenſum miſerrimo ſermone conſcribunt, & te legendum cachinnis quaſi titulum confuſionis exponunt.*

Ibid. cap. 26.

Intendebat Hieronymus in aliquos indiſcriminatim, cum Pelagio diceret: *Hæc duo capitula, orationis & laudis, ſoles cum tuis jurare diſcipulis non eſſe tua, cum perſpicue in eis ſtyli tui ſplendor eluceat, & tanta ſit venuſtas eloquii tui, ut ſoſtitudineo incedens gradu, quæ ſecreto doces, mittiſque venalia, publice non audeas profiteri. O te felicem, cujus præter diſcipulos nemo conſcribit libros, ut quidquid videris diſplicere, non tuum, ſed alienum eſſe contendas! Et quis ille tanti erit ingenii, ut leporem tui ſermonis poſſit imitari?*

Dialog. 3. adverſ. Pelag.

Quos habuerit magiſtros.

Quos habuerit magiſtros, non una eſt omnium ſententia. nos quidem duos numeravimus, Theodorum Mopſueſtenum, & Rufinum Syrum; alii tamen ex Hieronymo ſolent recenſeri, Rufinus Aquilegienſis, Evagrius Ponticus, Sextus philoſophus, Jovinianus, Priſcillianus, Manichæus, Palladius Galata, Gnoſtici, & Euchitæ, atque Origenes, quem Pelagii ἀρχηγὸν & amaſium Hieronymus vocat. Illi tamen non tam doctores, quam præcurſores dici debent, ſi eundem Hieronymum audimus; imo præiverunt ea ſola parte, qua impeccantiam vel ἀπάθειαν defenderunt, ut argumenta in eos directa merito potuerint in Pelagianorum ἀναμαρτησίαν retorqueri.

Epiſt. ad Creſiph. Dialog. 3. adverſ. Pelag.

Non admodum profecit Janſenius Yprenſis, cum vellet

Notatus Janſenius Yprenſis.

55

Lib. 6. de hær. Pelag. cap. 17.

vellet oſtendere, non ſolam de impaſſibilitate doctrinam ramuſculum eſſe Origenis, ſed partes etiam præcipuas Pelagianiſmi, id eſt, capita quinque, ad quæ promittit ſe omnia illius hæreſis revocaturum, liberum ſcilicet arbitrium, naturalem ejus poſſibilitatem, legem naturæ ac Moyſis, gratiam & meritum, atque prædeſtinationem, in quibus veluti cardinibus hæreſis Pelagiana tota, ut ait, vertitur. Nam quemadmodum præjudicata potius opinione, quam judicio ferebatur in hac tota re; ita non vidit ſe in Origene ea redarguere, quæ apud ipſum Hieronymum obvia ſunt, eaque damnare, quæ intacta prætermiſit oculatiſſimus pariter atque acerrimus Origenis accuſator. Negligenda igitur puto, quæ protulit, ut quæ in alienos ſenſus detorqueantur; nec tamen idcirco Origenis partes tuendas, hominis nempe dubiæ fidei, dum viveret, nec melioris famæ, poſt mortem.

Quos Pelagius habuerit diſcipulos.

Pelagius acceptam a nefariis magiſtris doctrinam tradidit pejoribus diſcipulis, quos inter præſtitere duo propter improbitatem, Cæleſtius & Julianus; ille rebus verſute gerendis aptior, ut erat de foro; iſte quæſtionibus tractandis melior, quippe dialecticis imbutus: uterque dicendi facultate præfidens: uterque timido magiſtro audentior, & ea de cauſa Eccleſiæ pernicioſior.

Notatus Beda occaſione Juliani.
Præf. in Cantic.

Julianum dixi Pelagii diſcipulum, nec tamen aſſentior Bedæ ſcribenti, Julianum, etiam puerulum, a Pelagio inſtitutum. Qui enim potuit, cum primis ſuæ vitæ temporibus cum patre ſancto Memorio Capuæ vixerit? Non diffiteor doceri potuiſſe, cum jam preſbyter foret aut diaconus, duobus illis vel tribus annis, quibus Pelagius in Sicilia ſubſtitit, priuſquam Syracuſis in Africam, & Hippone in Palæſtinam ſolveret: nec enim incredibile eſt, tunc temporis Julianum in Sicilia, tanquam in tuto a Viſigothis, & grato ab amicis ſolo, verſatum fuiſſe.

Quando Pelagius cœperit docere.

Non ſatis convenit inter ſcriptores, qua primum tempeſtate nata ſit hæreſis Pelagio cognominis. Singulorum opiniones recenſet Uſſerius: ſed ſicut levibus argumentis aut etiam nullis nituntur, ita facile deſpici poſſunt, præ quod docet Marius Mercator, natam ſcilicet fuiſſe in Syria, & præſertim in Cilicia ſecunda, parente Theodoro Mopſueſteno, inclinante quarto ſæculo; advectam vero in Occidentem a Rufino Syro, Romæque ſub Anaſtaſio traditam Pelagio, ut quam tardiſſime ann. 400. aut ſequente: tum a Pelagio ad Cæleſtium traductam: eodem ferme tempore ſcriptis conſignatam, a Cæleſtio primum in libris, qui interierunt, deinde a Pelagio in commentariis ad epiſtolas Pauli ante vaſtationem urbis: imo & privatis ſermonibus ſparſam, toto illo diuturno tempore, quo Pelagius & Cæleſtius morati ſunt Romæ, creditique multis, vel ipſi ſummo Pontifici, ſua perſuaſiſſe: poſtea diſſeminatam in Sicilia ann. 409. & 410. indeque deportatam in Africam, ubi primum damnata eſt Carthagine, in concilio Epiſcoporum, ſub Aurelio ann. 412. ante quadrageſimam Paſchæ.

Lib. de Britan. Eccl. prim. cap. 8.
Præf. lib. Subn.
Ortus & progreſſus hæreſis Pelagianæ.

Romam venit longe ante Innocentii Anaſtaſiique tempora.

Sed jam ordine temporum ſingula Pelagii geſta breviter enarranda ſunt. Venit igitur Romam, ut credibile eſt, non ex orientalibus partibus, quod a nonnullis aſſeritur ſine idonea ratione; ſed ex patria, cum teneret ſedem apoſtolicam Damaſus, id eſt, ante ann. 384. quo vita Damaſus exceſſit. Id, quia paradoxum videri poteſt, gravibus argumentis conficiendum eſt. Receſſit certe ab urbe Roma ann. 408. aut 409. ut confectum eſt in notis ad Commonitorium Mercatoris: ibi fuerat, non tantum ann. 405. cum ſcriberet ad ſanctum Paulinum, ſed etiam ſub Anaſtaſio, teſte Mercatore, cum doceretur a Rufino Syro: imo *diutiſſime vixit*, ut loquitur Auguſtinus, quæ vox plus aliquid decennio ſignificat. Verſabatur igitur Pelagius Romæ temporibus Siricii, cum Anaſtaſius non plus fere quatuor annis pontificatum tenuerit, obieritque ann. 402.

Lib. de grat. Chriſti cap. 35.
In Præf. Subn.
Lib. de pecc. orig. cap. 21.

Imo ante ipſa quoque tempora Siricii.

Verum eo veniſſe, priuſquam ipſe quoque Siricius ſederet, ex eo conficitur, quod in urbe uſus ſit familiariter Hieronymo, qui inde tamen in Orientem ſeceſſit ann. 385. ſtatim Damaſo vita functo, ut cleri Romani invidiam in ſe concitatam vitaret. Hanc autem cum Hieronymo Pelagii familiaritatem extitiſſe, teſtatur Hieronymus ipſe, cum de Pelagio ſcriberet, tacito nomine, in hæc verba: *Hæreſis reviviſcere cœpit, & non ſolum in Occidentis, ſed in Orientis partibus ſibilare, & maculare pleroſque, & creſcere per dies ſingulos, dum ſecreto docent, & publice negant, cui reſpondere diu tacens & dolorem ſilentio devorans, crebra fratrum expoſtulatione compulſus ſum.* Et poſtea: *Iſti publicum fugiunt, & ſuſurrant in angulis perditorum, dolentque quaſi pro ſuis, quæ ſua metuunt confiteri; cumque generaliter adverſum vitia quid, & hæreticos dixerimus, ſe peti queruntur, malumque conſcientiæ diſſimulata diu indignatione pronuntiant. Quod ſi cavendum nobis eſt, ne* VETEREM *lædere videamur* NECESSITUDINEM, *ſi ſuperbiſſimam hæreſim ſpirituali mucrone truncemus: ergo ſuſtinendæ erunt nobis cruces proditæ fidei*, &c.

Præf. in 4. lib. Comment. in Hieremiam.

Ubi enim conjuncta eſt Pelagium inter ac Hieronymum vetus neceſſitudo, niſi quo in loco potuit eſſe familiaritas? aut quo alio in loco potuit eſſe familiaritas inter præſentes, quam in urbe? cum Pelagius nunquam in Oriente verſatus ſit ante ann. 412. nec Hieronymus in Occidente poſt ann. 394. & ambo in urbe commorari potuerint, mutuoque aſpectu frui, eo quo diximus tempore, ſiquidem Romæ Pelagius DIUTISSSME VIXERIT.

Auguſt. lib. de pecc. orig. c. 21.
Refellitur popularis err.
Janſen. lib. 1. de hær. Pelag. & alii.

Sunt ſane, qui jactent Pelagium in Oriente manſiſſe, quo tempore Chryſoſtomus exulabat Arabiſſi; & in Ægypti deſertis inviſiſſe monachos, priuſquam laberetur in hæreſim. Sed in hanc opinionem venerunt decepti literis, ſive Chryſoſtomi ad Olympiadem de Pelagii monachi lapſu, ſive Iſidori Peluſiotæ, Pelagio cuidam monacho exprobrantis vagandi libidinem & epularum ambitum: decepti ſunt, inquam, præ incogitantia, nam quo tempore exulabat Chryſoſtomus, eodem Romæ Pelagius integer famæ & purus ſuſpicionis vitam degebat, imo *ſanctus* audiebat, *& non parvo profectu chriſtianus.* Alterius ergo monachi eodem nomine caſum oportet defletum a Chryſoſtomo, alterum quoque cognominem reprehenſum ab Iſidoro: cum ante proditam hæreſim Pelagius, propter pietatis ſpeciem, diligeretur a viris ſanctiſſimis, Hieronymo, Auguſtino, Paulino, &c.

Aug. lib. 3. de peccat. merit. cap. 1. & 3.

Quo tempore ſcripſerit de Trinitate libros tres.
Lib. de ſcript. eccl. cap. 42.

Tunc cum adhuc eſſet integræ, aut fidei, ſi tamen aliquando fuit, aut famæ ſaltem, quam aucupabatur, videtur ſcripſiſſe tres, quos Gennadius commemorat, *de Trinitate* libros, ad oſtendendam, credo, fidem ſuam, quantumque abhorreret ab Arianis. quæ fuit illius temporis præcipua nota τῆς ὀρθοδοξίας.

Sub Anaſtaſio audit Rufinum.
Præf. Subnot.
Scribit libros τῶν ἐκλογῶν.
Dialog. 1. adverſ. Pelag.

Sub Anaſtaſio Rufinum Syrum audivit, Romæ, ut tradit Mercator, ſcripſitque, ut eſt veriſimile, ad aſceticam induſtriam & ſanctitatem morum probandam, librum *Eulogiarum*, ſeu *de converſatione actuali*; in quo tamen ſemina futuræ impietatis Hieronymus, cum accuſatoribus duobus Epiſcopis Erote & Lazaro, deprehendit.

Vehementes habet exhortationes.
Lib. de geſt. Palæſt. cap. 25.
Cæleſtium ſibi adjungit.

Eodem tempore vehementibus ſuis, atque ardentibus exhortationibus, ut ait Auguſtinus, multos quidem, ſed Cæleſtium in primis auditorialem ſcholaſticum e foro ad arctiorem vitam traxit, ſed ſimul infecit errore, quem a Rufino Syro acceperat.

Merc. præfat. Subnot.
Scribit ad S. Paulinum epiſtolam.
Auguſt. lib. de gratia Chriſti cap. 35.

Ann. 405. miſit epiſtolam ad ſanctum Paulinum, apud quem magna doctrinæ & pietatis laude pollebat. Ea, ut jactavit poſtea ſcribens ad S. Innocentium, *trecentis, quibus continebatur, verſibus, nihil aliud quam Dei gratiam, & auxilium confitebatur, noſque nihil omnino boni facere poſſe ſine Deo.* Sed ipſam non caruiſſe veneno Auguſtinus oſtendit.

Commentarios in Paulum.
Merc. præfat. Subnot. & in Commonit.

Eodem tempore, niſi forte ſuperiori, commentarios in epiſtolas Pauli compoſuit, in quibus ſub aliena perſona peccatum originale oppugnabat.

Epiſtolam ad Conſtantium.
Auguſt. lib. de gratia Chriſti cap. 26.

Circa hæc etiam tempora ſcripſit ad Conſtantium Epiſcopum epiſtolam, quam oportuit doctrinæ pleniſſimam atque elucubratiſſimam fuiſſe, ſiquidem hanc, ſcribens ad ſummum Pontificem, laudat, veluti fidei ſuæ teſtem.

Et libros duos ad viduam.

Videtur etiam ſcripſiſſe ad viduam, ut opinor, Juliani

Merc. in Commonit. Aug. de geſt. Palæſt. cap. 6.

liani matrem, & ſancti Memorii conjugem, duos libros ſive conſolatorios, ſive exhortatorios. Hos aliquando mentitus eſt non eſſe ſuos, cum tamen redargui facile poſſet, hominum fide dignorum teſtimonio.

Contendit Romæ cum Epiſcopo occaſione dicti Auguſtiniani. Lib. de bono perſ. cap. 20.

Ad eadem aut vicina tempora pertinet, quod narrat Auguſtinus contigiſſe Romæ, Epiſcopum inter & Pelagium occaſione verborum, quæ ipſe ſuis in confeſſionibus poſuerat Deum orans: *Da quod jubes, & jube quod vis. Hæc enim cum Epiſcopus commemoraſſet, Pelagius ferre non potuit, ſed contradicens aliquanto commotius, pene cum eo, qui illa commemorabat, litigavit.*

Lib. de pecc. cap. 21.

Pertinet quoque id quod habet Auguſtinus de *ſermonibus contentionibuſque* a Pelagio Romæ habitis, ex quibus intelligi poſſent, quæ diſſimulabat in libris, *quæque literis ſuis, quas conſcripſit per orbem catholicum perferendas, Papa Zoſimus legenda attexuit.*

Fugit in Siciliam barbaris urbi imminentibus.

Initio Commonitorii.

Ann. 408. aut 409. Roma cum Cæleſtio in Siciliam ſe recepit, tanquam in locum tutiorem a barbaris Italiam depopulantibus: ſcribit enim Mercator viginti annos plus minus effluxiſſe, cum Commonitorium offerret ann. 429. ex quo Cæleſtius Roma egreſſus fuerat. Cum ergo egreſſus ſit Cæleſtius una cum magiſtro, neque egredi potuerit, Gothis urbem, ſive prima, ſive ſecunda obſidione cingentibus, imo nec intermedio temporis ſpatio, cum ab iiſdem omnia ferro ignique vaſtarentur, qua præſertim parte Italia vergit ad Siciliam; tunc certe Pelagius profugiſſe dicendus eſt, cum facta ingenti trepidatione plurimi Roma exceſſerunt ann. 408.

Ibi moratus ferme per triennium. Epiſt. 88. & 89. & lib. de perſ. juſtitiæ.

Biennium Syracuſis in Sicilia, aut etiam triennium ferme poſuit cum diſcipulo, ſparſitque erroris ſemina, quæ poſtmodum adoleverunt infelici proventu, ut Hilarius monachus opus habuerit conſulere Auguſtinum, qua ratione poſſet extirpari malum tam pertinaciter lateque invaleſcens.

Scribit librum de natura.

Aug. lib. 2. retract. cap. 22. Lib. de geſt. Palæſt. cap. 23. & epiſt. 93.

Crediderim, eo loci ſcriptum fuiſſe librum DE NATURA, *ubi Pelagius hominis naturam contra Dei gratiam, qua juſtificatur impius, & qua chriſtiani ſumus, quanta potuit argumentatione defendit.* Hunc Auguſtinus ad ſe miſſum a Timaſio & Jacobo, religioſis & honeſtis adoleſcentibus, Pelagiique olim diſcipulis, ſed ad rectam fidem converſis, refellit libro, quem inſcripſit, *de natura & gratia.*

Appulit Hipponem Regium. Lib. de geſt. Palæſt. cap. 22.

Ann. 411. veris initio ad portum Hipponenſem appulit cum Cæleſtio; credo equidem, ut ſi qua poſſet ratione, conciliaret ſibi Auguſtinum Hipponis Regii Epiſcopum, ejuſque amicitia poſtmodum abuteretur, ad errorem tutius ſpargendum; ſed tunc forte aberat Auguſtinus, unde Pelagius ſcribendi occaſionem ſumpſit, ut quem verbis non potuerat præſentem, literis abſentem ſalutaret. Reſpondit Auguſtinus, ſed epiſtolam coactus eſt interpretari poſtea, ut doceret, quam inique prolata fuiſſet a Pelagio, coram judicibus Dioſpolitanis, tanquam ſui commendatitia.

Scribit Auguſtino abſenti. Lib. de geſt. Palæſt. cap. 28.

Venit Carthaginem ſub tempus collationis. Ibidem. Spargitque hæreſim.

Hippone Carthaginem uterque profectus eſt, cœpitque hæreſim, jam prius a præmiſſis e Sicilia conſpirantibus hominibus diſſeminatam augere conſuetis artibus, quibus nimirum ſolebat, nihil admodum verbis aſſerere, inſitam animis antiquam fidem aperte non oppugnare, ſed fallacibus & captioſis interrogationibus, vel circumſcribere ſimpliciores, vel callidiores ementito diſcendi ſtudio fallere.

Inde mox in Palæſtinam ſolvit. Lib. de geſt. Palæſt. cap. 22.

Poſt brevem moram, Carthagine ſolvit in Palæſtinam, relicto in Africa diſcipulo. Unde Auguſtinus: *Ut de me ipſe potiſſimum dicam, prius abſentis & Romæ conſtituti Pelagii nomen cum magna ejus laude cognovi. Poſtea cœpit ad nos fama perferre, quod adverſus Dei gratiam diſputaret: quod licet dolerem, & ab eis mihi diceretur, quibus crederem, ab ipſo tamen tale aliquid, vel in ejus aliquo libro, noſſe cupiebam, ut ſi inciperem redarguere, negare non poſſet. Poſtea vero quam in Africam venit, me abſente, noſtro, id eſt, Hipponenſi, litore exceptus eſt, ubi omnino, ſicut noſtris, nihil ab illo hujuſmodi auditum eſt, quia & citius quam putabatur, inde profectus eſt. Poſtmodum ejus faciem Carthagine, quantum recolo, ſemel vel iterum vidi, quando curæ collationis, quam cum hæreticis Donatiſtis habituri eramus, occupatiſſimus fui; ille vero etiam ad tranſmarina properavit: interea per ora eorum, qui ejus diſcipuli ferebantur, dogmata iſta fervebant.*

Hieroſolymis ſibi conciliat Joannem Epiſcopum. Ep. 252. & 95.

Hieron. in ep. ad Cteſiph.

Anno 412. ſuos ſibi facere diſcipulos Hieroſolymis, perinde ac aliis in locis incœpit, imo & Joannis Epiſcopi gratiam aucupari, non aliis adhibitis artibus, quam quibus Romæ ipſum fere reditus eſt decepiſſe ſanctum Innocentium, nimirum mentita ſpecie pietatis, vitæ arctioris profeſſione, ardentibus ad perfectionem exhortationibus, occulta myſteriorum traditione, diſſimulatione perpetua, &c.

Inde ſcripſit ad Demetriadem virginem. Aug. l. de grat. Chriſti cap. 37.

Anno 413. ſcripſit epiſtolam ad Demetriadem virginem Deo ſacram. Hanc etſi velut apertum ſuæ ſinceræ fidei teſtimonium protulerit in literis ad ſanctum Innocentium, Auguſtinus tamen docuit errore plenam; mirum vero quod ipſa non pervenerit in Africam, aut certe in manus Auguſtini, ante ann. 417. quo tempore nimirum Auguſtinus, acceptis Pelagii ad ſanctum Innocentium literis, ſcripſit Julianæ Demetriadis matri, de cavendo veneno ingenioſe in epiſtola abſcondito.

De ipſius dogmate Hieronymus a Cteſiphonte rogatus. Epiſt. ad Cteſiphontem præfixa dialogis tribus. Reſpondet epiſtola plane admirabili.

Eodem anno Cteſiphon, vir illuſtris, & quantum colligere licet ex epiſtola Hieronymi, vix non deceptus a Pelagio, quem opibus juvabat, Hieronymum conſuluit de quæſtione τῆς ἀναμαρτησίας. quæ Eccleſiam Hieroſolymitanam ſcindebat in partes. Reſcripſit ſanctiſſimus fidei defenſor, prolixe quidem pro epiſtolæ modo, ſed breviter pro argumenti qualitate, ut abundantiorem tractationem promittere coactus ſit, quod & poſtea præſtitit tribus dialogorum libris.

Tacito tamen Pelagii nomine.

Sed gravi cum monito ad Cteſiphontem.

In ea vero ad Cteſiphontem epiſtola, etſi non obſcuris indiciis Hieronymus Pelagium indigitaverit, a nomine tamen abſtinendum putavit, ut ne perſonam potius hominis querentis ſibi invideri, quam hæreſim ipſam arguere videretur. Notanda vero, propter ſententiam omnibus ſæculis utilem, poſtrema hæc verba: *Illudque per te ſanctæ & illuſtris domus conciliabulum precor atque commoneo, ne per unum, aut, ut multum, tres homunculos ſuſcipiat tantarum fæces hæreſeon, aut, ut parum dicam, infamiam: ut ubi primum virtus & ſanctitas laudabatur, ibi præſumptionis diabolicæ, & ſordidiſſimæ ſocietatis turpitudo verſetur, ſciantque qui hujuſcemodi hominibus opes ſuggerunt, hæreticorum multitudinem congregare, & Chriſti hoſtes facere, & enutrire adverſarios ejus, fruſtraque aliud lingua prætendere, cum manu ſentire aliud comprobentur.*

Oroſius in Palæſtinam appellit. Aug. epiſt. 28.

Ep. ad Cteſiph. Vocatur ad conventum a Joanne Epiſcopo ex preſbyteris coactum. Apolog. cap. 3. & ſeqq.

Anno 415. verna tempeſtate in Palæſtinam venit Oroſius, quem Auguſtinus ad Hieronymum, ut de origine animorum interrogaret, ex Africa miſerat. Reperit ille Eccleſiam Hieroſolymitanam factionibus diviſam, itaque ferventem jurgiis, ut *alii nomine Pelagii, alii nomine Chriſti appellarentur*, ut ſcribit Hieronymus. Poſteaquam vero aliquandiu Bethleemi apud ſanctum ſenem divertit, vocatus eſt Hieroſolymam ad conventum, quem, contracto preſbyterio, Joannes Epiſcopus in cauſa Pelagii die 30. Julii coëgit. Quid in eo geſtum ſit, prolixe narrat Oroſius in apologia, quæriturque cum alia multa contra morem geſta, tum laicum Pelagium inter preſbyteros conſediſſe, jubente Epiſcopo.

Dioſpoli Pelagius furatur abſolutionem a 14. Epiſcopis. Aug. lib. de geſt. Palæſt. ubique paſſim.

Eodem anno menſe Decembri habita eſt Dioſpoli in urbe Palæſtinæ Cæſarienſis, Eulogio præſide, ſynodus 14. Epiſcoporum, in qua Joannis Hieroſolymitani artibus Pelagio ſtudentis, ipſiuſque Pelagii mendaciis illuſi Patres, hæreſim quidem damnarunt, ſed hæreticum abſolverunt. Abſolvendi cauſa fuit, tum mala fides interpretis, tum Pelagii quidlibet damnantis diſſimulatio, tum plurimæ Epiſcoporum literæ, quas ſuis laudibus refertas fraudulentus hæreticus protulit.

Oroſius in Occidentem defert literas ad Africanos. Synodica PP. Carthag. & Milev. ad S. Innoc. Lib. de geſt. Palæſt. cap. 30. Epiſtolam Pelagius præmiſerat ad amicos.

Anno 416. Oroſius in Occidentem reverſus literas ab Erote & Lazaro Epiſcopis Pelagii accuſatoribus ad Africanos detulit, quibus ad fidem in Oriente, propter hæreticorum dolos, periclitantem defendendam accenderentur. Sparſa quoque in vulgus Pelagianorum artibus epiſtola, quæ Pelagii diceretur ſcribentis ad amicum ſuum preſbyterum, in qua per ſummam impudentiam inſerta ſunt hæc verba: *Quatuordecim Epiſcoporum ſententia definitio noſtra comprobata eſt, qua diximus, poſſe hominem ſine peccato eſſe, & mandata*

mandata Dei facile cuſtodire, ſi velit. Quæ ſententia contradictionis os confuſione perfudit, & omnem in malum conſpirantem ſocietatem ab invicem ſeparavit.

Etiam ad Auguſtinum. *Ibid. cap.* 32. Carthagine & Milevi concilia habentur de Pelagio. *Apud Aug. ep* 90. 92. & 95.

Miſſa pariter ad Auguſtinum a Pelagio, per civem quemdam Hipponenſem orientalem diaconum, chartula defenſionis ſuæ; quæ omnia fuere in cauſa, cur Carthagine Aurelius 68. Epiſcoporum, Milevi Sylvanus 40. concilium habuerit, ex quibus per Julium Epiſcopum ad ſedem apoſtolicam relatum eſt ſynodicis litteris, quibus ſuas quinque Epiſcopi, Aurelius, Alipius, Auguſtinus, Poſſidius & Evodius pleniores addiderunt.

Scribit Pelagius quatuor libros de lib. arbitrio. *Aug. l. de grat. Chriſti cap.* 41.

Eodem anno Pelagius edidit quatuor libros de libero arbitrio, compulſus id facere, ut negatæ Dei gratiæ invidiam declinaret, & verbis in ſpeciem catholicis ſenſum hæreticum diſſimularet. Edidit vero poſt concilium Dioſpolitanum habitum ipſo fine anni 415. & antequam literas ad ſanctum Innocentium daret ann. 417.

Scribit Auguſtinus ad Joannem Hieroſolymitanum de Pelagio. *Epiſt.* 153.

Sub idem tempus, ſcripſit Auguſtinus de Pelagio ad Joannem Hieroſolymorum Epiſcopum, petiitque pro multorum Epiſcoporum voto, mitti in Occidentem, quæ geſta fuiſſent Dioſpoli. In hac epiſtola mentio fit duorum adoleſcentum a Pelagio ſeductorum, & libri de natura ab eodem Pelagio conſcripti, factæque ab Auguſtino reſponſionis, ac illuſi a Pelagio Joannis.

Synodus Romæ a S. Innocentio in cauſa Pelagii & Cæleſtii.

Anno 417. congregata eſt Romæ menſe Januario ſynodus a ſancto Innocentio, in qua lectæ ſunt Africanorum relationes, & viciſſim datæ ad Africanos literæ decretales, quibus condemnatio Pelagii Cæleſtiique contineretur.

Pelagius S. Innocentio mittit libellum fidei, cum ſuis & Praylii literis. *Aug. l. de grat. Chriſti cap.* 41. *Zoſ. epiſt.* 2. *ad Afric.* His commotus Zoſimus adverſus Afros.

Eodem anno Pelagius ſuſpicatus, quod res erat, parari contra ſe Antiochenam ſynodum, qua Dioſpolitana recognoſceretur, libellum ſuæ fidei, literaſque miſit ad ſanctum Innocentium, quem nondum vita functum audierat: miſit & epiſtolam Praylii, qui Joanni ſucceſſerat in ſedem Hieroſolymitanam, totam in ſui commendationem. Hæc cum accepiſſet Zoſimus poſt obitum Innocentii, humani quiddam paſſus videri poteſt, cum in gratiam Pelagii ſubiracundis Afris reſcripſit.

Antiochena ſynodus a Theodoto in Pelagium. *In Commonit. cap.* 3.

Coacta eſt reipſa in Oriente a Theodoro Antiocheno ſynodus, cujus meminit Mercator in hæc verba: *Hieroſolymis conſtitutus Pelagius accuſatus fuit apud ſynodum, & primo quidem tergiverſando ambiguis quibuſdam ſe profeſſionibus tegens, & proſequens dubia, vel reſpondens, illam tunc videtur Epiſcoporum audientiam deluſiſſe. Sed poſtmodum evidenter deprehenſus, inſiſtentibus accuſatoribus, a poſteriore ſynodo, cui ſanctæ memoriæ Theodotus Antiochiæ præſedit Epiſcopus, atque detectus, a ſanctis quoque & venerabilibus Hieroſolymorum locis eſt deturbatus*, &c.

Synodus Romæ, in qua de Pelagio & Cæleſtio damnatis ſcribitur ad orbis Epiſcopos. Conſtitutio Imp. Honorii de pellendis urbe Pelagio & Cæleſtio.

Anno 418. circiter medium Aprilem, concilium Romæ coegit Zoſimus, ex quo, poſt acceptas ab Africanis literas, arteſque hæreticorum patefactas, ad univerſos orbis Epiſcopos epiſtolam miſit, qua ubique recepta, mundique manu ſubſcripta, ut loquitur Proſper, Pelagianus error proſcriptus eſt.

Eodem anno pridie Kal. Maias Imperator Honorius Ravennæ ſanctionem dedit Palladio PP. de Pelagio Cæleſtioque, & aliis ejuſdem erroris participibus Roma pellendis, & toto Imperio interdicendis.

De Pelagio ex Oriente ſcribitur ad Auguſtinum.

Lib. de gratia Chriſti cap. 2. *& ſeqq.*

Dum hæc in Occidente gererentur, ex Oriente Albina, Pinianus & Melania Auguſtino ſcriptis ſignificarunt, ſe cum Pelagio egiſſe, ut quæcumque adverſus eum dicerentur, ſcripto damnaret, eumque dixiſſe, ipſis audientibus: *Anathema, qui vel ſentit, vel dicit, gratiam Dei, qua Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, non ſolum per ſingulas horas, aut per ſingula momenta, ſed etiam per ſingulos actus noſtros, non eſſe neceſſariam, & qui hanc conantur auferre, pœnas ſortiantur æternas.*

Lib. de gr. Chr. cap. 2. *& ſeqq.*

Verum hanc profeſſionem non tantum eſſe ſuſpectam, ſed etiam perfidioſam oſtendit Auguſtinus.

Remiſit Auguſtinus duos libros *de grat. Chriſti & pecc. orig.*

Anno 419. Auguſtinus adverſus Pelagium duos libros edidit; alterum de gratia Chriſti, alterum de peccato originali: utrumque autem Carthagine miſit ad Albinam, Pinianum & Melaniam, cum necdum in Ægyptum, Hieroſolymis relicta Albina, Pinianus & Melania profecti eſſent, & jam tamen in Africam perveniſſet tractoria Zoſimi. Profecti ſunt illi vero ann. 420. & Zoſimi tractoria pervenit in Africam circiter menſem Julium ann. 418.

Cum poſt hæc tempora nullus ſit ſermo de Pelagio, creditur tunc interiiſſe.

Poſt hæc tempora altum de Pelagio ſilentium, idcirco opinor, quia poſt ſententiam Theodoti, deturbatus e ſacris locis ſeceſſit in remotiorem aliquem Palæſtinæ locum, ibique obſcurus vixit, & ſenio confectus interiit. Oportet enim ipſum tunc temporis ſeptuagenario majorem fuiſſe, ſiquidem ſcripſit commentarios in Paulum circiter ann. 404. cum *jam fatiſceret corpore*, atque adeo ſexagenarius ad minimum foret. Deinde vixit Romæ familiariter cum Hieronymo, utique cum æquali, aut non admodum inæquali: receſſit vero urbe Hieronymus ann. 385. & vix non attigerat annum ætatis ſuæ nonageſimum, quo tempore Theodotus Pelagium damnavit. Adde quod ſenes obeſi corporis, & arvina graves, cujuſmodi fuit Pelagius, vix undecimum vitæ ſeptenarium abſolvunt, ſi medicis credimus, præſertim cum rebus adverſis tanguntur graviter, ut ſolent homines ſuperbioris animi, cujuſmodi fuit Pelagius.

In præfat. ad Heliodorum.

Certe non revertit in patriam. *Janſ. Yprenſis lib.* 1. *de hæreſ. Pelag.* *In vita S. Germani Altiſſiodorenſis.* *Ad ann. Chriſti* 429.

Neque enim audiendos puto, qui affirmant, ipſum in patriam revertiſſe; eoque trahunt, quod Conſtantius presbyter ſcriptum reliquit, in concilio Verolamii, hinc Pelagium ſtetiſſe, inde Chriſtum: ſiquidem neque ullum adhibent pro ſe veterum teſtimonium, neque reſpondere valent Proſpero Chronologo teſtanti diſſeminatam fuiſſe in Britannia Pelagianam hæreſim ab Agricola Severiani Pelagiani filio; non tacituro utique, ſi ab ipſomet Pelagio ſparſa eſſet: neque tandem vident, verba Conſtantii non aliter de Pelagio ac de Chriſto intelligi debere, figurate ſcilicet poſito pro partibus eorum nomine, unde partes appellationem ſumpſiſſent.

Hæreſis ipſius notitia ex Auguſtino petenda.

Quæ fuerit hæreſis Pelagii propria, nemo melius Auguſtino intellexit, propter continuam fidei defenſionem; nemo planius breviuſque explicuit, propter intelligentiæ vim: huic enim tribuendos puto, quod nullus inter doctos nunc diffitetur, octo canones vulgo dictos Milevitanos; quippe cum editi ſint in Africano univerſali concilio, *cui mens Aurelius, ingeniumque Auguſtinus erat.* Ex illis vero pertinent duo priores ad peccatum Adæ, & baptiſmum parvulorum; alii tres ad gratiam Dei per Chriſtum; ad impeccantiam reliqui, omnes ad abſolutam fidei catholicæ regulam, ut dolendum ſit, doctores catholicos, hac regula relicta, ſibi invicem aliquando, ubi incaleſcunt animi, vel partium ſtudio, vel diſputandi æſtu, Pelagianiſmi crimen objicere, & in eo ſæpe, in quo ambæ partes traditam ab Auguſtino, & ab Eccleſia receptam [illegible] regulam ſequuntur.

Proſp. carm. de ingr. cap. 2.

Quæ ſcripſit Pelagius.

Scripti ſunt a Pelagio libri plures, pluresque ad diverſos epiſtolæ, quorum indiculus non aliunde melius quam ex Hieronymo, Auguſtino, Oroſio, Mercatore, & Gennadio confici poteſt. Scripti ſunt igitur:

De Trinitate libri tres.

Gennadius, *lib. de ſcript. eccl. cap.* 42.

Testimoniorum seu Eulogiarum. Liber unus.

Hieronymus, *dialog.* 3. *cont. Pelag.* Auguſtinus, *lib. de geſt. Palæſt. cap.* 1. *& ſeqq. & lib.* 4. *ad Bonifacium cap.* 8. *&* 10. Oroſius, *in apologia.* Gennadius, *loco citato.*

Expositionum in omnes epistolas Pauli libri xiii.

Auguſtinus, *lib.* 3. *de pecc. merit. cap.* 1. *&* 12. *lib. de geſt. cap.* 16. Mercator, *in Commonit. cap.* 2. *& in præf. Subnot.* Auctor Prædeſtinati, *hær.* 88. Caſſiodorus, *div. lect. cap.* 8

Epistola ad Paulinum.

Auguſtinus, *lib. d. de gratia Chriſti cap.* 85.

EPISTOLA AD CONSTANTIUM EPISCOPUM.

Auguſtinus, *ibid. cap.* 34. *&* 36.

DE NATURA LIBER UNUS.

Auguſtinus, *lib. de nat. & grat. cap.* 1. *& lib.* 2. *retract. cap.* 4. *lib. de geſt. Palæſt. cap.* 33. *& alibi paſſim.*

AD VIDUAM LIBRI DUO, UNUS CONSOLATORIUS, ALTER EXHORTATORIUS.

Synodus Dioſpolitana, *lib. de geſt. Palæſt. cap.* 6. Hieronymus, *dialog.* 3. Mercator, *in Commom. cap.* 4.

EPISTOLA AD AUGUSTINUM.

Auguſtinus, *lib. de geſt. Palæſt. cap.* 26.

AD DEMETRIADEM DE VIRGINIS INSTITUTIONE LIBER UNUS.

Auguſtinus, *lib. de grat. Chriſti cap.* 22. *& ſeqq. & epiſt.* 141. Oroſius, *in apologia*, &c.

DE LIBERO ARBITRIO LIBRI QUATUOR.

Auguſtinus, *lib. de gratia Chriſti cap.* 3. 4. 5. 13. 29.

DEFENSIO FIDEI SUÆ AD AUGUSTINUM.

Auguſtinus, *lib. de geſt. Palæſt. cap.* 32.

EPISTOLA AD PRESBYTERUM QUEMDAM AMICUM, DE REBUS DIOSPOLITANIS.

Auguſtinus, *lib. de geſt. Palæſt. cap.* 30.

LIBELLUS FIDEI AD INNOCENTIUM CUM LITERIS.

Auguſtinus, *lib. de grat. Chriſti cap.* 30. *& alibi paſſim.*

In annal. ad an. 417. & in diſſ. 5. hujus appendicis. Apud Auguſt. & Hieronym. In appendic. oper. Hieronymi.

Notandum vero ex his omnibus, ſive libris, ſive epiſtolis, integrum nihil haberi, præter libellum fidei, librum de inſtitutione virginis, ſeu epiſtolam ad Demetriadem, & expoſitiones in epiſtolas Apoſtoli, quas tamen nonnullis in locis Caſſiodorus pio conatu interpolavit.

Reliquorum fragmenta non incurioſe collecta, ſub finem rejici debere viſa ſunt, partim ne diſſertatio ſupra modum creſceret, partim quo facilius perſpiciatur mens hominis, cujus verba & per ſe aliquando ambigua ſunt, & tunc maxime difficilius intelliguntur, cum alia ab aliis divulſa, Auguſtinianiſque permixta leguntur, non ſine aliquo labore, & præjudicio mentis in Auguſtinum inclinantis.

CAPUT V.

De Cæleſtio Pelagii diſcipulo.

Cæleſtii nomen aliquando perverſe legitur. *Lib. de ſcript. eccl. cap. 44.*

CÆLESTIUS, qui librariorum vitio Cæleſtinus apud Genadium dicitur, Pelagii quidem diſcipulus fuit, ſed eum, a quo acceperat hæreſis venenum, audacia ita ſuperavit, ut longe latius peſtem immiſerit: imo magiſtri nomen in Oriente pene obſcuraverit, ſuumque Cæleſtianis hæreticis dederit.

Non fuit natus in Scotia.

Ad ann. Chr. 410. num. 61. Notati hiſtoriæ Pelagianæ ſcriptores. *De Brit. Eccl. prim. cap. 8. Lib. de hær. Pelag. initio. Præf. lib. 3. in Hierem.*

Qua ex patria duxerit originem; facilius eſt pervulgatam opinionem convellere, quam verum aliquid certo definire. Primus, quod ſciam, Baronius nonnullo Hieronymi teſtimonio inductus, Scotum fecit, Pelagiique gentilem: Baronio reliqui re indiſcuſſa crediderunt, etiam hiſtoriæ Pelagianæ ſcriptores, Uſſerius, Janſenius, & alii, quos tamen oportuerat diligentius in hoc argumento verſari.

Præſertim Uſſerius abutens Hieronymi teſtimonio.

Hieronymi teſtimonium ſic ſe habet: *Mutus latrat per Albinum canem grandem & corpulentum, & qui calcibus magis poſſit ſævire quam dentibus: habet enim progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia, qui juxta fabulas poetarum inſtar Cerberi ſpirituali percutiendus eſt clava, ut æterno, cum ſuo magiſtro Plutone, ſilentio conticeſcat.* Contendit Uſſerius in eo fieri ſermonem de tribus hominibus: primo, qui mutus per Albinum canem latret: ſecundo, qui Albinus ipſe canis: tertio, qui Pluto nominetur, ut qui ea conditione exceſſerit e vivis, ut apud inferos merito credatur exiſtere. Mutum igitur, qui alieno ore oblatret, vult eſſe Pelagium inter Britannos natum; Albinum canem, Cæleſtium, qui ſit de vicinia Britannorum, id eſt, gentis Scoticæ; Plutonem, Rufinum, qui damnatus a ſummo Pontifice jampridem obierit.

Conjecturam auget objectio Pelagio ſæpe facta ab Hieronymo, quod alieno ore loqueretur, quod epiſtolas biblinas adverſus ipſum mitteret, quod errorem didiciſſet a Rufino magiſtro, quod ex inferis conſepultam hæreſim revocaſſet, &c.

Explicatus Hieronymi locus.

Verum eo loci ſermo eſt de Rufino Aquilegienſi, qui cum tribus fere annis, antequam hæc ſcriberet Hieronymus, in Sicilia obiiſſet, in Pelagio tamen ἀπαθείας & ἀναμαρτησίας defenſore vivere videbatur, ſuiſque adhuc calumniis in Hieronymum debacchari. Mutus ergo mortuuſque Rufinus latrat: per Albinum canem Britannum Pelagium: grandem & corpulentum, quippe Scotorum pultibus prægravatum: qui inſtar Cerberi ſpirituali clava mactandus ſit, ut cum ſuo magiſtro ſileat, id eſt, cum præcurſore Rufino, cui Plutoni nomen factum eſt, ut partim ad Cerberi dominum, partim ad infelicem, ut ipſe quidem Hieronymus interpretatur, Rufini in anathemate extincti mortem alluderetur.

Soluta quoque argumenta popularis credulitatis.

Quod vero additur ad conjecturam juvandam, infirmum profecto eſt: nam primum, etſi alieno ſtylo abuſus ſit Pelagius ad ſcribendum, ſuo tamen ore docuit hæreſim: deinde nec Pelagius ſolus miſit epiſtolas biblinas ad ſeducendos in provinciis animos, nec abſurde per ipſum Rufinus miſiſſe dicitur: denique Plutonis nomine, quod Rufino affinxit Hieronymus, tantum abeſt, ut conjectura firmetur, ut labefiat magis, quemadmodum ex præcedentibus conſtat.

Videtur aut Romæ, aut in Campania natus.

Suſpicor igitur, Cæleſtium aut Romanum fuiſſe, aut ſaltem Campanum, certe oriundum ex provincia Latini nominis. Nam & auditorialis ſcholaſticus, & apud Romanos nobilis, & egregie diſertus fuit, & ad parentes ſcripſit aſceticos libellos, qui vulgo legerentur a Latinis. quæ quatuor vix cadunt in hominem apud barbaros natum.

Illuſtratur. Proſperi locus non bene vulgo intellectus.

Eo pertinere mihi videntur verſus Proſperi, ut perhibent, in obtrectatorem Auguſtini,

Aut hunc fruge ſua æquorei pavere Britanni,
Aut huic Campano gramine corda tument.

Neque enim aſſentiri poſſim iis, quanquam multi ſunt, qui ſecundum verſum de Juliano intelligunt, quippe qui nec Campanus fuerit, ſed Appulus, teſte Auguſtino; nec annumerari Pelagio ſoleat, ut revera ſolet Cæleſtius.

Lib. 6. operis imperf. cap. 18. Ex nobili familia. *In præf. lib. Subnot. num. 4.* Illuſtratus Gennadii locus. *Cap. 44.*

Natu fuiſſe nobilem, & inter ſcholaſticos auditoriales metuiſſe, quamvis ex ſolo Mercatore diſcimus, jure tamen revocari non poteſt in dubium, propter docentis auctoritatem. Unde non temere quiſpiam de eo dubitaverit, quod ſcripſit Gennadius, Cæleſtium adoleſcentem DE MONASTERIO *epiſtolas in modum libellorum, tres omni Deum deſideranti neceſſarias, parentibus*

57

Digitized by Google

rentibus dediſſe, niſi forte voces iſtæ, DE MONASTERIO, non locum, unde epiſtolæ ſcriptæ ſint, ſed argumentum ſignificent. Nam fidem omnem ſuperat, auditorialem ſcholaſticum, vel ex monacho factum fuiſſe, vel ante vigeſimum ſeptimum annum, qua ætate quiſque deſinit dici adoleſcens.

Eunuchus a natura. *In Comm. & præf. Subnot. In notis ad Commonit. & ad præf. Subnot. Commonit. cap. 34.*

Vitio naturæ eunuchum matris utero editum ſolus pariter tradidit Mercator. Quanquam ſuper ea re nonnihil notatu dignum ex Oroſio attulimus. Quem enim Oroſius murilum vocat, & levem in fronte, non alium fuiſſe quam Cæleſtium, confecimus argumentis ſatis probabilibus: quo etiam referri poteſt, quod Vincentius Lirinenſis Cæleſtium prodigioſum vocat. monſtrum enim eſt eunuchus: nam qua alia de cauſa ſic appellaſſet?

Non profeſſus eſt vitam monaſticam. *Ad ann. Chriſti 405.*

Non minus invaluit popularis opinio, auctore Baronio, quod vitam monaſticam profeſſus ſit, quam quod ex Scotia oriundus. Quid autem impulerit Baronium ita ſeotire, nec ipſe aperit, nec etiam alii, qui clauſis oculis ipſius veſtigia preſſerunt. Cogitanti occurrere poſſunt tria. nam & Auguſtinus ait, *non ab Epiſcopis ſeu presbyteris, vel quibuſcumque clericis, ſed a quibuſdam monachis ortam hanc hæreſim*; orta vero eſt a Pelagio & Cæleſtio. Deinde tradit Gennadius a Cæleſtio etiamnum adoleſcente, tres de monaſterio epiſtolas ſcriptas fuiſſe. Denique ſocius fuit Pelagii monachi: frequens apud Pammachium, cujus domus hoſpitium monachorum dicebatur: prædicavit, divitem non poſſe niſi per divitiarum jacturam ſalvari. quæ hominis monachatum profeſſi, ſin minus certum indicium, certe non improbabilem ſuſpicionem faciunt.

Argumenta tria popularis opinionis. *Lib. de geſt. Palæſt. cap. 35. Lib. de ſcript. eccl. cap. 44.*

Argumentum primum in contrarium.

Verum Auguſtinus ipſe aliquando Pelagium dixit monachum, numquam Cæleſtium: imo nec ipſum veteres ulli eo nomine affecerunt, non Oroſius, non Mercator, non conciliorum Patres, non ſummi Pontifices, qui profecto affeciſſent, perinde ac Pelagium, ſi modo res ita ſe habuiſſet.

Secundum.

Deinde, qui potuit Cæleſtius, aut ex adoleſcente monacho fieri auditorialis ſcholaſticus, aut e foro in monaſterium tranſire, & id fieri, aut etiam ignorari a Mercatore, tam curioſo minutiſſimarum quarumcunque rerum ſcrutatore?

Tertium quod continet reſponſionem rationibus popularis opinionis.

Denique, quod ſcripſiſſe dicitur Auguſtinus, ortam hanc hæreſim *a quibuſdam monachis*, non urget admodum, cum meliores & fere omnes codices habeant, *a quibuſdam veluti monachis*, quod interpretati ſumus in elogio Pelagii. Non urget quoque Gennadii ſententia, de qua dictum hactenus ſatis. De familiaritate vero Cæleſtii cum Pammachio, apud quem frequentes erant profeſſi quique ſanctiorem vitam, quid attinet dicere, cum a converſo ad meliora cauſarum patrono, converſum itidem ſenatorem inviſi frequentius, nihil mirum ſit?

Egit Cæleſtius cauſas in foro. *Merc. loco mox citato.*

Priuſquam ſe traderet in nefandam Pelagii diſciplinam, cauſas egit in foro, ut erat auditorialis ſcholaſticus: quare factus ex cauſidico hæreſis patronus, id exemplo comprobavit, quod ſuo quondam Tertullianus aliique, ex advocatorum gente, ad res fidei tractandas aggreſſi, ex ejuſcemodi hominibus, paucos Eccleſiæ profuiſſe, obfuiſſe plures; & eo quidem pernicioſius, quod adjumenta fori, eloquentiam dico, ſagacitatem & diligentiam, in inſtrumenta fallendi affiniaque vitia pervertiſſent.

Mores & ingenium.

Fuit homini a natura acre ingenium, audax animus, indoles verſipellis & factioſa, quibus cum acceſſiſſet experientia fori calliditatis parens, & inſtitutio magiſtri fraudum doctiſſimi, paria quædam his inſtrumentis auſus eſt, & pene perfecit.

Et Auguſtino, Mercatore & Paulino Diacono. Audacior magiſtro in publicanda hæreſi, qua ſermonibus, qua epiſtolis. Tentavit per ſe trium primarum ſedium fidem.

Nam primum ex Pelagii tyrone totius agminis ducatum mox arripuit. Dogmata deinde, quæ barbaro ſermone, fidiſque tantum hominibus quaſi myſteria, metuens damnationis magiſter credebat, palam ipſe diſſeruit, qua libris, qua epiſtolis in provincias miſſis, per homines ad impietatem edoctos, non publicavit tantum apud vulgus, ſed etiam in judiciis epiſcopalibus, & apud ipſam quoque ſedem apoſtolicam defendit. Denique per ſe ipſe, & Africanam, & Conſtantinopolitanam, & Romanam Eccleſiam tentavit, ſi quo modo poſſet, quod tantum non perfecit, primas illas ſedes in erroris partes adducere.

Secutus eſt preſſum dicendi genus.

Secutus eſt dicendi genus preſſum, argutum, breve, totum de dialectica, quo crebris minutiſque interrogatiunculis adverſarios urgere ſolitus erat, ſimplicioreſque ſyllogiſmorum laqueis irretitos in admirationem acuminis ſui ſuſpendere. Hujus characteris aliunde perſpecti indicio ſibi viſus eſt Auguſtinus deprehendiſſe auctorem definitionum, quibus in libro *de perfect. juſt.* reſpondit. eas enim propterea Cæleſtio tribuit, nec incredibiliter, cum Cæleſtius obſcurius quidem in fragmentis libelli fidei, clariſſime vero in epiſtola ad clericos Romanos, eadem ſcribendi forma uſus ſit. Placuit tamen Hieronymo dicere, Cæleſtium non per ſyllogiſmorum, ut ſui jactitabant, ſed per ſolœciſmorum ſpineta decurrere. Verum exemplis, quod tamen oportuerat, opinionem non probavit.

Præf. lib. de perf. juſt.

Epiſt. ad Cteſiphont.

Digeſtæ per annos Cæleſtii res.

Nunc juvat Cæleſtii geſta digerere, velut per annales, ab eo tempore, quo adhæſit Pelagio, ad illud quo videtur ſilentio inſepultus. Opinor enim ignotum, quo Chriſti anno fecerit, ſive initium, ſive finem vivendi: neque vero expreſſa ſit ipſius mentio, vel antequam adhæſit Pelagio, & adverſus traducem peccati ſcripſit, vel poſtquam ab Epheſino concilio damnatus eſt.

Forte natus circiter annum 370.

Credibiliter tamen non nemo, hanc ipſam ob cauſam, conjiciat natum circiter ann. 370. Nam cum inter auditoriales ſcholaſticos mereret, quo tempore adhæſit Pelagio; adhæſerit vero, cum Pelagius a Rufino hæreſim accepit; & Rufinus Romam venerit ante ann. 400. cumque vix aliquis ante trigeſimum annum probabiliter dici poſſit feciſſe ſibi nomen inter cauſidicos, in eum certe, quem dixi, annum, aut etiam in priores referri poteſt Cæleſtii ortus.

Adhæret Pelagio, & vitæ ſanctioris inſtitutum ſequitur, ſaltem habitu.

Anno circiter 400. ſtuduit Pelagio, tuncque videri potuit, induto pallio, monaſticam vitam profiteri: id enim non erat inſolens illis temporibus, cum alii, etiam nobiliſſimi, ut Pammachius, Paulinus, &c. domi ſuæ monachatum profiterentur; neque etiam noſtro ſæculo deſit exemplum hominum, etiam de foro, qui monachorum vitam egerint, etſi monachi reipſa non forent.

Tunc temporis opinor ſcriptas a Cæleſtio ad parentes literas de monaſterio, id eſt, de vitæ ſeverioris diſciplina, quibus cauſas redderet ſui conſilii, imitatus ſcilicet Tertullianum, & ipſum de foro hominem, qui cum pallium induiſſet, rationem voluit dicto ſcriptoque reddere.

Lib. de pallio.

Scripſit primus contra peccati traducem.

Anno circiter 402. adverſus traducem peccati ſcripſit librum, cujus, ut opinor, Vincentius Lirinenſis meminit in hæc verba: *Quis ante prodigioſum diſcipulum Pelagii Cæleſtium, reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum negavit aſtrictum?* Meminit aperte magis auctor Prædeſtinati: *Ipſe autem Pelagius ita in commentario ſuo ad Romanos ſcribit, dum agitat illum locum, quo ait Apoſtolus:* Quoniam per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors; *tangens Cæleſtium, qui contra traducem peccati primus ſcripſit, his verbis ait; Illi qui contra traducem veniunt*, &c. Cum enim Pelagius expoſuerit Pauli epiſtolas longe antequam metu imminentis Alarici fugeret ex urbe, fugeritque ante primam obſidionem, quæ contigit ann. 409. fatendum eſt ſcripſiſſe Cæleſtium circiter tempus, quod diximus: ſiquidem librum adverſus traducem peccati ante expoſitiones Pelagii compoſuerit.

In Commonit. cap. 34.

Lib. 1. hær. 88.

Rom. 5. v. 12.

Comes Pelagii fugientis, Syracuſis in Sicilia fuit fere triennium.

Ann. 408. aut 409. comitatus eſt Pelagium ſe, metu Viſigothorum urbi minantium, recipientem in tutiora Siciliæ loca; in eaque inſula Syracuſis biennium, aut aliquid amplius poſuit, & multis etiam Epiſcopis ſuam hæreſim afflavit. Verum quoniam hæc temporis nota magni momenti eſt ad hiſtoriam Pelagianam, nec tamen hactenus ſatis accepit luminis, ſtabilienda eſt certis argumentis, ut poſtmodum ſupponi poſſit abſque errandi periculo.

Ibi docuit hæreſim. *Præf. lib. 4. in Hierem.*

Multos in Sicilia hæreſi Pelagianæ adhæſiſſe conſtans eſt, atque extra dubium ſententia: id enim teſtantur. Hieronymus: *Hæreſis impaſſibilitatis & impeccantiæ cœpit reviviſcere, & non ſolum in Occidentis, ſed & in Orientis partibus ſibilare, & in quibuſdam inſulis, præ-*

cipue qui

cœpit reviviſcere, & non ſolum in Occidentis, ſed & in Orientis partibus ſibilare, & in quibuſdam inſulis, præcipueque Siciliæ & Rhodi maculare pleroſque, & creſcere per dies ſingulos, dum ſecreto docent & publice negant. Hilarius monachus Syracuſis ad Auguſtinum ſcribens: *Rogo ut digneris imperitiam meam informare de eo, quod quidam chriſtiani apud Syracuſas exponunt, poſſe eſſe hominem ſine peccato, & mandata Dei facile implere, ſi velit: Infantem non baptizatum morte præventum non poſſe perire merito, quoniam ſine peccato naſcitur.* Proſper: *Quaque fide tellus etiam Trinacria fervens, agmen viperæum propriis exegerit oris.* Julianus ipſe, cum nomine Siculorum Epiſcoporum damnationem Pelagii Cæleſtiique ſubſcribere detrectantium, libellum fidei mitteret ad Zoſimum ſummum Pontificem. libelli enim hæc clauſula eſt: EXPLICIT LIBELLUS FIDEI S. I. C.

Apud Auguſt. epiſt. 88.

Carm. de ing. cap. 2.

In libello fidei ad Zoſim.

Deinde Cæleſtium ipſum per ſe in Sicilia hæreſim docuiſſe, manifeſte ſatis loquuntur verba Auguſtini, quibus ad Eutropium & Paulum ſcribit, ſe allatis e Sicilia definitionibus, quæ dicerentur Cæleſtii, reſpondere; ipſumque Cæleſtium, etſi tunc ibi perhiberetur non eſſe, ſuos tamen in Sicilia habere ſectatores, quos per ſe edocuiſſet, & a quibus definitionum allatores nomen auctoris didiciſſent. Accedat, quod tanta Siculorum Epiſcoporum, tamque pertinax erga Cæleſtium Pelagiumque voluntas, quanta libello Juliani ſe prodit, vix aliunde potuit, quam ex conſuetudine & familiaritate oriri.

In præfat. lib. de perf. juſt.

Nemo vero, qui Mercatori crediderit, aſſentietur Janſenio Ypreſi volenti, Cæleſtium, poſtquam anathemate percuſſus eſſet ab Aurelio, fugiſſe in Siciliam; imo ne dubitaverit quidem, quin prius in Siciliam venerit, quam damnaretur, nec eo unquam ex illo tempore redierit. Sic enim Mercator accurate deſcribit hominis inquieti circuitus: *Cæleſtius nullo modo acquieſcens, quin imo reſiſtens actis iiſdem, quibus frequenter auditus eſt, eccleſiaſtica communione privatus eſt, a qua ſententia ad Romani Epiſcopi examen credidit appellandum: qua mox idem ipſe appellatione neglecta, Epheſum Aſiæ urbem contendit, ibique auſus eſt per obreptionem locum presbyterii petere. Inde poſt aliquantos annos ſub ſanctæ memoriæ Attico Epiſcopo urbem Conſtantinopolitanam petiit, ubi in ſimilibus detectus, magno ſtudio ſancti illius viri, ex prædicta alma urbe detruſus eſt, literis ſuper ejus nomine & in Aſiam & Theſſalonicam & Carthaginem ad Epiſcopos miſſis, quarum exemplaria habentes proferre ſumus parati. Prædictus tamen Cæleſtius etiam hinc ejectus ad urbem Romanam ſub ſanctæ memoriæ Zoſimo Epiſcopo, tota feſtinatione perrexit.*

Notatus Janſenius Ypreſis de tempore, quo Cæleſtius fugit in Siciliam.

Commonit. c. 2.

Ex quibus tria colliguntur notatione digniſſima. Unum, quod nunc potiſſimum intendimus, Cæleſtium poſt Carthaginenſe judicium in Sicilia non fuiſſe, atque ita vulgarem ſuper ea re opinionem falſam eſſe: alterum, quod ad lucem apologiæ Oroſii afferendam valet, eundem Cæleſtium non fuiſſe Hieroſolymis, ſive cum Pelagius occulte doceret hæreſim, ſive cum ſynodus Dioſpoli haberetur: poſtremum quo redarguuntur nuperi hiſtoriæ Pelagianæ ſcriptores, eum quem *armigerum* Pelagii appellat Oroſius, differre quidem a Cæleſtio, non tamen ab Anniano Celedenſi diacono, quem ſcribit Hieronymus *alienæ blaſphemiæ verba ſubminiſtraſſe.*

Ex quo probatur id, quod agitur, & lux Oroſio affertur.

Quis dictus ab Oroſio Pelagii armiger.

Epiſt. 24. inter Auguſt.

Duo denique ſuadent, Cæleſtium Syracuſis in Sicilia triennium circiter poſuiſſe. nam plurimos in hac inſula, etiam Epiſcopos, ita ſibi ſuiſque partibus addixit, ut pertinaciter poſtea in eis perſtare maluerint, quam ſuas ſedes, communionemque Eccleſiæ retinere. Id vero peragi potuiſſe brevi tempore quis credat præſertim ab homine peregrino, ſua ſtatim non credente quibuſlibet auribus, ſed iis ſolis, quarum fidem experientia comprobaſſet? Deinde non prius in Africam cum magiſtro pervenit, quam expectaretur celebris illa catholicorum cum Donatiſtis collatio. Cum igitur non alio tempore Pelagius, quam quo diximus, tranſmarinum perfugium petierit, ambos oportet toto intervallo, quod duorum & amplius annorum fuit, in via ſubſtitiſſe: ubi vero gentium, niſi quibus in locis manifeſta ſui veſtigia reliquerunt?

Ratio temporis in Sicilia poſiti.

Anno 411. qui verna tempeſtate, ut probabile eſt, Cæleſtius Hipponem appulit cum Pelagio, unaque ambo Carthaginem profecti, in ea cœperunt hæreſim, jam prius a præmiſſis e Sicilia conſpirantibus hominibus diſſeminatam, conſuetis artibus augere. Verum Pelagio mox in Palæſtinam diſcedente, Cæleſtius remanſit, irrepſitque in amicitiam clericorum, quos vel ſuis doctrinis reperit jam imbutos a prodromis, vel incredibili loquacitate ſuæ amentiæ participes fecit ac complices, lenocinante ſcilicet partim docentis facundia, partim audientium curioſitate, partim novitate quæſtionum, imo & Manichæorum odio, quibus affines eſſe catholicos peccati originalis defenſores, vix non perſuadebat minus intelligentibus.

Hinc venit Hipponem, & inde Carthaginem.

Ubi obrepit in amicitiam clericorum conſuetis artibus.

Merc. in Comm. cap. 1.

Hac clericorum gratia, pietatiſque ſpecie, & fama doctrinæ atque eloquentiæ fretus, auſus eſt presbyterium in Eccleſia totius Africæ principe ſperare, imo & ambire, ſed fruſtra. nam conanti obſtiterunt, qui de clero fidei zelum majorem haberent, impulſi, credo, ab Auguſtino, qua collocutionibus privatis, qua ſermonibus ad populum rem jam tum ſtrenue adverſus novellum errorem agente.

Et ambit presbyterii gradum.

Aug. lib. de geſt.

Merc. in Comm.

Obſiſtunt meliores clerici.

Lib. 2. retract. cap. 33.

Nec obſtiterunt tantum indignis hiſce conatibus fideles clerici, ſed unus, omnium bonorum nomine, Paulinus Eccleſiæ Mediolanenſis olim diaconus, libellum obtulit Aurelio, quo Cæleſtium accuſaret, quinque præſertim dogmatum, de quibus prolixius in diſſertatione de ſynodis. Judicium Aurelius non prius habuit, quam poſt collationem VI. Id. Junias peractam, Auguſtinus Carthagine receſſiſſet; neque enim interfuit judicio epiſcopali: ſed cum poſtea reverti ſſet, quæ acta fuerant, ſe abſente, recognovit, ut ipſe teſtatur.

Quorum nomine Paulinus diaconus hunc accuſat apud Aurelium.

Lib. de geſt. Pelag. cap. 11.

Anno igitur 412. cum de more ante quadrageſimam paſchæ concilium provinciæ proconſularis Aurelius contraxiſſet, Cæleſtius a Paulino coram Epiſcopis accuſatus eſt, damnatuſque, & communione tamdiu privatus, donec objecta dilueret. Ratio temporis conſtat ex diſſert. de ſynodis: quare deceptum eſſe oportuit Janſenium Yprenſem, qui ex Epiſcopis ad collationem congregatis conſtitiſſe hoc judicium ſcribit.

In concilio provinciæ proconſularis, ante quadrageſimam.

Per id tempus Cæleſtius non acquieſcens judicum ſententiæ, ſed appellata, declinandi cauſa, ſede apoſtolica, fugit ex Africa in Aſiam, Epheſumque conceſſit, ubi conſuetis artibus ad presbyterium obrepſit, ordinante, ut veriſimile eſt, Heraclide Memnonis præceſſore.

Appellat Cæleſtius ſedem apoſtolicam.

Merc. in Commonit. cap. 1.

Ordinatur Epheſi ab Heraclide.

Multos in hac urbe docuit hæreſim, quorum ope infecit vicinas inſulas, ſed Rhodum maxime, quod teſtatur Hieronymus. Sed cum Epheſi non ſe continerent Cæleſtianarum partium homines, catholici merito commoti ſunt, & per tumultum ejecerunt, ut ait Proſper,

Ibique docet hæreſim.

Præf. lib. 4. in Hieremiam.

Vaſa iræ, & morbi flatus, & ſemina mortis:

quibus nominibus ſignificatos reor, & eos qui errorem imbiberant, & eos qui veluti contagione inficiebant alios, & ipſum maxime Cæleſtium, primum mali peſtiferi auctorem. Hæc contigerunt quatuor illis annis, qui ab ann. 412. ad 416. effluxerunt.

Carm. de ing. cap. 1.

Sed facto tumultu inde ejicitur.

Utrum aliquando Hieroſolymis moratus ſit cum Pelagio, dubitaverit aliquis propter hæc Oroſii verba: *Stat etiam immaniſſimus ſuperbia Goliath, carnali potentia tumidus, omnia per ſe poſſe confidens, caput, manus, totum inſuper corpus plurimo apparatu veſtitus, habens poſt ſe armigerum ſuum, qui etſi ipſe non dimicat, cuncta tamen æris & ferri ſuffragia ſubminiſtrat.* Multi enim armigeri nomine, Cæleſtium intelligunt.

Numquam Hieroſolymis fuit.

Apolog. cap. 2.

Verum Mercatoris auctoritas in contrarium facit, qui cum Cæleſtii fugam ex Africa, peregrinationemque conſecutam deſcriberet, non meminit Hieroſolymorum, cum tamen maxime alioquin debuiſſet, ſive propter ſocietatem Pelagii, ſive ob res geſtas in concilio Dioſpolitano. Et vero Hieronymus numquam fecit mentionem Cæleſtii, velut hominis a ſe viſi; neque ullus ſive in conventu Hieroſolymitano, ſive in ſynodo Dioſpolitana ſermo habitus eſt de Cæleſtio, tanquam de præſente, aut etiam de eo, qui, cum in

58

provincia conſiſteret, facile poſſet evocari. Atque hinc egregie refellitur cauſa dubitandi mox allata: loquitur enim Oroſius de armigero Pelagii, qui præſens foret; aberat vero Cæleſtius.

Petit Conſtantinopolim. *Commonit. cap. 1.* Unde expellitur ab Attico.

Anno 416. exeunte, aut potius ineunte 417. *ſub ſanctæ memoriæ Attico urbem Conſtantinopolitanam petiit, ubi in ſimilibus detectus ſtudio ſancti illius viri ex prædicta alma urbe detruſus eſt.* Hæc Mercator, ex quibus concluſimus, tunc temporis habitam fuiſſe ſynodum Conſtantinopoli. Cur autem eo Cæleſtius tunc fugeret, duas cauſas extitiſſe reor; alteram, quod pulſus Epheſo, apud majorem ſedem queri voluerit, factam ſibi injuriam; (erat tunc Epheſus in diœceſi Conſtantinopolitana) alteram, quia cum intelligeret, Romæ non probari acta Dioſpolitana, & ſedem apoſtolicam acriter ab Africanis ſollicitari ad ferendam condemnationis ſententiam contra ſe & ſuum magiſtrum, tentare voluit, ſi qua poſſet ratione, novæ Romæ patrocinium adverſus veteris potentiam obtinere, & Orientis favore Occidentis iram aliquatenus declinare.

Romam confugit. *Merc. Commonit. cap. 1.*

Anno 417. circiter mediam æſtatem, pulſus Conſtantinopoli ad urbem Romanam celeriter confugit, ſtatim atque ſcilicet reſcivit, e vivis exceſſiſſe Innocentium, eique Zoſimum ſucceſſiſſe, quem & amicum forte ſenſerat, cum Romæ ageret, & ſuis erroribus ex Oriente hauſtis faventiorem ſperabat, quippe Græcum.

Summoque Pontifici vix non impoſuit.

Quid hoc anno geſſerit cum novo Pontifice, tradunt Mercator, Auguſtinus, Facundus Hermianenſis, & ipſe Zoſimus epiſtola tertia, quæ prima eſt ad Africanos in cauſa Cæleſtii, oblato nimirum libello, quo promitteret ſe in omnibus pariturum ſententiis ſedis apoſtolicæ, ſuffuratus eſt quiddam ſimile fiduciariæ abſolutioni, atque ita illuſit Zoſimo, ut in ipſius gratiam Pontifex acerbiores literas Africanis daret, juberetque Romam ad ſecundum menſem venire, qui palam accuſarent, &c. Vide quæ dicta ſunt in diſſert. de ſynodis, & in notis ad Commonitorium Mercatoris.

A quo tandem damnatur.

Anno 418. quatuor contigere magni ad Pelagianam hiſtoriam momenti: I. poſt multa hinc & inde ſcripta, & ab Africanis detectas fraudes Cæleſtii, lata eſt tandem a ſummo Pontifice veritatem edocto decretorio ſententia, miſſaque in univerſum orbem epiſtola, quæ ab omnibus Epiſcopis ſubſcripta, hæreſim cum ſuis dfeenſoribus funditus profligavit. Synodum, ex qua miſſum eſt Pontificis decretum, retulimus in diſſert. de ſynodis ad menſem Maium. II. Honorius Imperator pridie Kal. Maias Ravennæ ſcripſit Palladio PP. de pellendis urbe totoque Imperio Pelagio & Cæleſtio cum ſuis fautoribus. III. In Africano poſteriore concilio plenario menſe Junio ſanciti ſunt octo canones, quos vulgus Milevitanos vocat. IV. poſt ſententiam ſedis apoſtolicæ, dictumque a Romanis clericis, præeunte Sixto presbytero, Pelagianis anathema, ſcripſit Cæleſtius ſuis Romæ exiſtentibus epiſtolam, qua reliquos clericos prævaricationis accuſaret, quod terrore juſſionis imperialis ab ea ſententia receſſiſſent, quam prioribus geſtis veluti catholicam ſecuti fuiſſent, totique ſimul orbi exemplum feciſſent ſubſcribendi damnationi, non Pelagianorum tantum dogmatum, quæ prius probaſſent, ſed auctorum præſertim, quos ante coluiſſent.

Proſcribiturque edicto Imperatoris.

Et a concilio plenario Africæ.

Atque a clericis Romanis, præeunte Sixto.

Scribit clericis Romanis ſuæ partis.

Anno 419. acceptis Auguſtinus per Alipium a Bonifacio duabus Pelagianorum epiſtolis, reſpondit quatuor libris ad eundem Bonifacium directis, quorum primo refellit epiſtolam ad clericos Romanos, quam opinabatur a Juliano conſcriptam: ſed Julianus poſtea ſuam negavit, nec Auguſtinus neganti admodum repugnavit. Hanc in notis ad libellum Juliani ſuo auctori Cæleſtio reſtituimus.

Iterum ab Imperatore proſcribitur.

Anno 420. Honorius Imperator iterum v. Id Jun. Ravennæ ſcripſit ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum, de Pelagio quidem & Cæleſtio, ſed præſertim de cogendis ad ſubſcribendum eorumdem damnationi Epiſcopis quibuſdam pertinacibus, *qui pravas hæreticorum diſputationes, vel tacito conſenſu aſtruerent, vel publica oppugnatione non deſtruerent*; eos vero juſſit, *& epiſcopatus amiſſione mulctari, & interdicta in perpetuum expulſos civitatibus communione privari.*

A quo jubentur omnes ſubſcribere ipſius damnationi.

Scriptum Imperatoris Aurelius accepit, tunc cum Carthagine haberet illud univerſale concilium, in quo recogniti ſunt octo dogmatici canones, & unde ſcripſit Kal. Aug. Epiſcopis provinciæ Byzacenæ & Arzoguitanæ, miſſiſque conſtitutionis imperatoriæ exemplaribus, ſignificavit a quibus, & qua de cauſa ſubſcriptio exigeretur: ab omnibus ſcilicet, *ſive quorum ſynodalibus geſtis ſubſcriptio jam teneretur, ſive qui non potuiſſent eidem plenario totius Africæ intereſſe concilio. Quo, cum in ſupradictorum hæreticorum damnatione, omnium fuerit integra ſubſcriptio, nihil omnino ſit, unde ullius diſſimulationis, vel negligentiæ, vel occultæ forſitan pravitatis, aliqua videretur merito remanſiſſe ſuſpicio.*

Imperatoris juſſionem exequitur Aurelius.

Anno 421. Conſtantius Imperator, Voluſiano P. U. decretum miſit de pellendis urbe iis *qui Dei inviderent pietati, ita ut ne intra centeſimum quidem lapidem haberent licentiam conſiſtendi: deinde Cæleſtium quoque magis ac magis ex urbe pelli mandamus. conſtat enim, iiſdem e medio ſublatis, gratiam & concordiam tenere veterem firmitatem. Sane deinceps ſi tale quidpiam fuerit nuntiatum, officium præſtantiæ tuæ capitali ſententiæ ſubdendum eſſe cognoſce. Non enim patitur impunitum eſſe, præcepta noſtra executionis negligentia protelari.* Quibus ex verbis concludere eſt, priſtinam Honorii ſanctionem, negligentia Præfecti Urbis, non fuiſſe executioni mandatam; Cæleſtium vero, vel reipſa non profugiſſe urbe, cum ſe judicio Zoſimi ſubduxit, ſed apud potentes, præſertim fœminas, latuiſſe; vel in urbem, poſtquam detonuit tempeſtas, ſecurum rediiſſe, connivente P. U. quippe profanis ſacris addicto: Id etiam concludere licet ex Voluſiani edicto: *Hactenus Cæleſtium divinæ fidei, & quietis publicæ turbatorem judiciis amica reis ſecreta ſubduxerunt. Jam leges, & jam edicta perſequentur abſentem, cui, quod primum eſt, æternæ urbis negatur habitatio, ut, ſi vel in proximis fuerit diverſatus, debitum non evadat exitium*, &c.

Cæleſtius Conſtantii Imperatoris juſſu pellitur Roma.

Quam vel non reliquerat, vel repetierat.

De hoc Conſtantii decreto intelligendus eſt Proſper, cum ſcribit, Bonifacium piiſſimorum Imperatorum catholica devotione gaudentem, contra inimicos gratiæ, non ſolum apoſtolicis, ſed etiam regiis uſum fuiſſe edictis.

Expellitur vero a Bonifacio. *Lib. contra Collat. cap. 41.*

Anno 422. & ſequentibus duobus, credibile eſt, Cæleſtium comitem fuiſſe Juliani in Ciliciam proficiſcentes ad Theodorum Mopſoeſtenum: nam apud hunc Epiſcopum de rebus ſuarum partium tractaturos ſectarios conveniſſe, communicatiſque conſiliis, imo & communi labore conſcriptis octo libris, quos Julianus e Cilicia retulit, & adverſus ſecundum Auguſtini *de nupt. & concup.* edidit, in catholicam Eccleſiam conjuraſſe, vix non certum eſt.

Juliano comitatur in Ciliciam.

Anno 425. Valentianus Cæſar Aquilegiæ VII. Id Jul. conſtitutionem dedit Amacio P. P. Gall. adverſus diverſos Epiſcopos nefarium Pelagiani & Cæleſtiani dogmatis errorem ſequentes, quos per Patroclum Arelatenſem Epiſcopum præcipit conveniri, *& niſi intra vigeſimum a conventione diem errata correxerint, expelli Gallicanis regionibus, ſubrogato fideliore ſacerdotio.*

Ejus fautores in Galliis Valentiniani edicto agitantur.

Anno 426. aut forte præcedente, contigit, quod ſcribit Proſper in hæc verba: *Venerabilis memoriæ Pontifex Cæleſtinus, cui ad catholicæ Eccleſiæ præſidium multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt, ſciens damnatis non examen judicii, ſed ſolum pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum, Cæleſtium quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus juſſit extrudi: adeo & præceſſorum ſuorum ſtatuta, & decreta ſynodalia inviolabiliter ſervanda cenſebat, ut quod ſemel meruerat abſcindi, nequaquam admitteret retractari.*

Poſtulata Cæleſtino retractari ſuam cauſam. *Loco mox citato.*

Accidit illud etiam eodem anno 426. quod Cæleſtinus ipſe Pontifex videtur indicare in epiſtola ad Neſtorium, tentatum ſcilicet a Pelagianis Epiſcopis, quorum agmen ducebat Cæleſtius presbyter, Siſinnium Attici ſuperiore anno vita functi ſucceſſorem, ſed irrito conatu, cum Siſinnius deceſſoris acta religioſe ſervanda cenſuerit.

Tentat Siſinnium Conſtantinopolis Epiſcopum, ſed fruſtra.

Anno 428. Neſtorio in locum Siſinnii ſubſtituto,

Tentat & Ne-

Cæleſtius

ſtorium Siſinnii ſucceſſorem non irrito conatu.

Cæleſtius ſpem concepit reſtituendi rem ſuam in integrum, fretus ope Epiſcopi gratia potentis apud Imperatorem, ſibique multis omnibus devincti. Cœpit igitur cum exulantibus ſecum Epiſcopis, & Juliano præcipue aliorum anteſignano, artibus ſuis in aula efficere, *ut quidam importuna commiſeratione turbarentur, & canonicam indignationem ſedis apoſtolicæ, quæ contra eos pro ſectis religionis probata eſſet, aliud quiddam æſtimarent.*

Neſt. ep. 1. ad S. Cæleſtinum.

Neſtorius adverſus ipſius errorem publice habet ſermones.

Eodem anno, niſi forte conſequente, Neſtorius in Eccleſiæ Conſtantinopolitana, contra Cæleſtii errorem de peccato originali, & de totius naturæ debito per Adamum contracto, & per Chriſtum exſoluto, illos habuit ſermones, quos a Mercatore in Latinum converſos notis ſuo loco illuſtravimus.

Sed tamen pro exulibus Romam ſcribit.

Anno 429. ſcripſit Neſtorius pro Pelagianis Epiſcopis, & proinde pro Cæleſtio, ad Cæleſtinum ſummum Pontificem.

Mercator Commonitorium ſuper nomine Cæleſtii ſcribit Græce.

Marius Mercator Græco ſermone Commonitorium *ſuper nomine Cæleſtii, non ſolum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ obtulit, ſed etiam plurimis religioſiſſimis viris*, quos de cauſa hominum impudenter mentientium, *ſe pro fide catholica perſecutionem pati, temporibus orthodoxis, & pro fide orthodoxa, ex ſubreptione, ac per calumniam periculum ſuſtinere*, edoceret. Obtulit quoque Theodoſio Imperatori, quo ipſius animum artibus Neſtorii in partes Pelagianorum inclinantem, patefacta veritate retineret, imo in contrarium impelleret, quod & reipſa perfecit: ſiquidem *cognito funeſtiſſimo errore, imperiali præcepto, tam Julianus defenſor & ſequax ejus, cum cæteris ſociis & participibus ſuis, quam poſtea idem Cæleſtius, de Conſtantinopolitana urbe detruſi ſunt.*

Et offert Theodoſio Imperatori.

A quo Cæleſtius cum Pelagianis Epiſcopis urbe regia pellitur.

Damnatur Romæ.

Anno 430. Cæleſtius cum aliis pertinacibus Romæ damnatus eſt in concilio, in quo Cæleſtinus totum negotium Neſtorii peregit.

Queritur apud Neſtorium de exilio.

Idem Cæleſtius apud Neſtorium conqueſtus, ut videtur, quod non ſatis ipſius patrocinio defenſus eſſet adverſus imperiale præceptum, quo exulare juſſus eſt, recepit a Neſtorio conſolatorias literas, quas a Mercatore acceptas notis illuſtravimus, ubi certis argumentis ratio temporis ſubducta eſt.

Ab eo literas conſolatorias accipit.

Damnatur Epheſi ab œcumenico concilio.

Anno 431. oblato Patribus apud Epheſum congregatis per Mercatorem Commonitorio, perlectiſque Roma miſſis a Cæleſtino contra Pelagianos actis, ducentorum ſeptuaginta quinque Epiſcoporum ſententia, Cæleſtius cum Juliano, cæteriſque complicibus Epiſcopis damnatus eſt, cum videri potuiſſet abſolutus in conciliabulo ſchiſmaticorum.

Nulla poſt hæc de ipſo memoria.

Poſt tempora concilii Epheſini, nulla fit ab antiquis ſcriptoribus mentio Cæleſtii, ſive mox interierit confectus ægritudine animi, ſua conſilia diſſipata impatienter ferentis; ſive in locum ſecretum, magiſtri exemplo, abdiderit ſeſe, ignotuſque vixerit, & forte pœnitentiam egerit; ſive denique Neſtorium ſecutus ad monaſterium S. Euprepii prope Antiochiam, eandem cum ipſo poſtea fortunam, pace reddita Eccleſiis, expertus ſit.

Notati qui putant reverſiſſe in Britannias.

Fallitur mirum in modum Janſenius Yprenſis, ſive quis alius ab ipſo appellatus, qui vel incertum putat, ubi Cæleſtius poſt Cæleſtini ſententiam, & Valentiani edictum extiterit, aut eum exiſtimat reverſiſſe in Britannias cum Pelagio, & interfuiſſe ſynodo Verolamii habitæ, in eaque cum S. Germano diſputaſſe: nam in Oriente verſatum certo ſcimus anno 429. quo contigit ſynodum Verolamii in Anglia celebrari, & anno conſequente, imo & altero poſtea, ibidem adhuc extitiſſe.

Incertum quando obierit.

Quo tempore vitam finierit, quove modo, a nullis, quod ſciam, veteribus traditum eſt; imo nec ulla ſuppetunt argumenta, quibus vel divinare liceat, vel ſuſpicari non temere, ut magiſtro & diſcipulo, ſuperbiſſimis in Deum hominibus, conveniat dictum illud Moſis de impiis ſacrorum violatoribus: *Deſcenderunt vivi in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.*

Num. 16. v. 33

Quæ ſcripta a Cæleſtio.

Librorum a Cæleſtio editorum duo tantum integri habentur, liber ratiocinationum, & una fidei confeſſio: aliorum ſola fere memoria ſupereſt apud veteres auctores, ſolaque fragmenta alia aliis in operibus Auguſtini ſparſa.

Lib. de ſcript. eccl. cap. 44.

Libri tres de monaſterio.

Si credimus Gennadio, *antequam Pelagianum dogma incurreret, imo adhuc adoleſcens ſcripſit ad parentes ſuos de monaſterio epiſtolas in modum libellorum tres, omnibus Deum deſiderantibus neceſſarias. moralis ſiquidem in eis dictio ſui nihil vitii poſtmodum prodita, ſed totum virtutis incitamentum, tenuit.*

Liber contra peccati traducem.

Scripſit & contra traducem peccati librum, antequam Pelagius ipſe commentarios in epiſtolas Pauli conficeret, ut tradit auctor Prædeſtinati.

Lib. 1. hæreſ. 88.

Liber alius plurium capitulorum.

Librum item, cujus capitula 1. 3. 5. 6. 7. 10. 12. & 13. memorantur in libro de geſtis Palæſtinis cap. 13. 14. & 18. videtur ille a priore diverſus, quæcumque enim ex eo referuntur, pertinent ad *ἀναμάρτητον* & *ἀναμαρτησίαν*, cum alter fuerit adverſus peccatum originale, & admodum credibile ſit, ex eodem libro depromenda fuiſſe, quæ objecta ſunt circa peccatum Adæ, ſi modo diviſus in partes liber, diverſum genus argumenti comprehendiſſet.

Liber ratiocinationum.

Eidem tribuit, licet dubitanter, Auguſtinus definitiones ſive ratiocinationes, quibus e Sicilia ſibi miſſis reſpondet in libro *de perf. juſtitiæ.* ad Paulum & Eutropium. Favere putant nonnulli Hieronymum, cum ait: *Unus diſcipulorum ejus, imo jam magiſter, & totius ductor exercitus, per ſolœciſmorum, & non, ut ſui jactitant, per ſyllogiſmorum ſpineta diſcurrens, ſic philoſophatur*, &c. Quanquam ea quæ mox affert, procul dubio pertinent ad librum, de quo ſermo fit in geſtis, totus porro ratiocinationum liber in reſponſione Auguſtini continetur.

In Epiſt. ad Cteſiph.

Fidei libelli duo.

Duos fidei ſuæ libellos obtulit; alterum, Carthagine, cum accuſaretur a Paulino; alterum, Romæ, cum decipere tentavit ſedem apoſtolicam: utriuſque nihil remanſiſſe præter fragmenta duo alterius apud Auguſtinum, hactenus creditum eſt; ſed diſſertatione quinta unus exhibebitur integer, prout a Zoſimo atque Auguſtino.

Epiſtola ad clericos Romanos.

Scripſit denique epiſtolam ad ſuos Romæ exiſtentes, qua & clericos Eccleſiæ Romanæ prævaricationis reos facit, & audientiam poſtulat, ut habebat in more, utique ſynodi plenariæ. ſic enim ait: *Aut audientia detur, aut iſti ipſi Epiſcopi, qui nunc diſſident, damnent*, &c. Quos porro Epiſcopos nominat, illi profecto fuerunt, qui Zoſimo præſide in ſynodo Romana ſententiam damnationis ann. 418. dixerunt.

Apud Aug. lib. 1. ad Bonifac.

Suppoſititiæ duæ aliæ epiſtolæ.

Sunt qui ipſi quoque tribuant duas epiſtolas: alteram de filio frugi & luxurioſo, cujus initium eſt, *omnium quidem de ſcripturis quæſtionum*, &c. alteram de ſcientia divinæ legis, quæ cum priore inter opera Hieronymi habetur. Utramque ab homine Pelagiano ſcriptam fateri cogunt dogmata; ſed ſtylus & orationis modus vetant, quominus Cæleſtii eſſe dicatur.

Voſſius lib. 1. hæreſ. Pelag.

CAPUT VI.

De Juliano Eclanenſi Epiſcopo.

Julianus natus in Apulia.

IACTANTISSIMUS ille Pelagianæ aut potius Cæleſtianæ hæreſis defenſor Julianus natus eſt in Apulia. hac de cauſa inſoleſcentem, & Auguſtino, quod ex Africa ortus foret, exprobrantem caſtigat ſanctus doctor his verbis: *Noli iſtum Pœnum monentem vel admonentem terrena inflatus propagine ſpernere: non enim quia te Apulia genuit, ideo Pœnos vincendos putas gente, quos non potes mente.*

Lib. 6. oper. imp. cap. 18.

Ex illuſtri genere.

Originem ducebat ex illuſtri familia; ſed ſplendorem generis obſcuraſſe viſus eſt vitæ ratione. Unde Fulgentius apud Vignerium: *Nec illi ſufficiebat* (Juliano terrena propagine inflato) *paternæ nobilitati Æmiliorum faſces admoviſſe, quos hæreſi degenere turpiter maculavit.*

Suppl 2. part. in præf.

Patrs Memorio.

Patrem habuit Memorem ſeu Memorium, qui creditur fuiſſe poſtea Capuanus Epiſcopus. Teſtis eſt Auguſtinus ubique paſſim: teſtis etiam Paulinus, in epithalamio Juliani & Jæ, ubi ſic canit:

Poëmat. 14. quod eſt epithalamium in Julianum Epiſcopi Memoris filium.

Duc, Memor alme, tuos Domino ante altaria natos,
Commendaque precans ſanctificante manu.

Julianus matre. Lib. Sub. c. 4.

Teſtis denique Mercator, qui primus nomen matris docuit: *Tune ſancta ac beatiſſimæ recordationis Memoris Epiſcopi filius? Tu Julianæ primariæ feminæ, & qua nihil honeſtius inter reverentiſſimas matronas invenias, utero editus? Abſit, abſit, ut tibi iſtud credere auſim.*

Creditus parentibus ſuppoſitus. Ibidem.

Rumore ſparſum fuiſſe in vulgus, pro legitima prole nobilium conjugum, ſuppoſitum improbe ab aliquo fuiſſe filium vernularum, tradit Mercator his verbis: *Tune Julianæ primariæ feminæ*, &c. *utero editus? Abſit, abſit, ut tibi iſtud credere auſim; vernularum eorum potius te crediderim filium, ſuppoſitumque illis, ut ſæpe dictum, factum.*

Duas habuit ſorores non caſtiſſimas. Ibidem.

Duas ſorores habuit, quas ſuis diſciplinis, utique non optimis, poſt obitum ſanctiſſimorum parentum erudivit, teſtis ibidem Mercator: *Quorum ſane poſt obitum ſanctorum hominum tu meritis duas ſorores tuas talibus diſciplinis tuis oris erudiſti: novimus, novimus, quid tibi una earum, cum tu nimis ſeverus in ejus ruinam pudoris inſurgeres, objecerit, vel exprobraverit; atque tu mutus illico non auſus alterius cenſuræ tuæ ullas doloris ejus inferre moleſtias.*

Lector duxit uxorem. In epithal.

Lectoris officio in Eccleſia paterna fungebatur, cum matrimonium contraxit. unde Paulinus:

Clericus uxorem Chriſti comente decoram
Diligit, & pulcram lumine cordis amat,
Auxilioque viri divino munere fultam
Lector cæleſtis diſcat ab hiſtoria.

Jam conſularem virginem filiam Æmilii Beneventani Epiſcopi.

Duxit uxorem virginem conſularem Jam Æmilii viri illuſtris, poſtea Epiſcopi Beneventani filiam.

Lib. 3. oper imp. cap. 79. & lib. 3. adverſ. Jul. cap. 14.

De uxore Auguſtinus: *Tu enim qua impudentia pudendam negas,* (concupiſcentiam) *contra quam nunc, quandoquidem illam libenter laudas, miror ſi fideliter dimicas? Quando autem miſcebaris uxori, quamvis nihil timendo uſui conceſſæ voluptatis inhiabas, ſecretum tamen erubeſcendo quærebas.*

De Ja Paulinus, qui poëmati 14. fecit hunc titulum: *Epithalamium in Julianum Epiſcopi Memoris filium, & Jam clariſſimam uxorem ejus.*

De Æmilio ejuſque dignitate conſulari intelligenda ſunt verba Fulgentii prius adducta: *Paternæ nobilitati Æmiliorum faſces admoviſſe*, &c.

Viventibus adhuc parentibus.

Matrimonium iniit viventibus adhuc parentibus, Memorio & Juliana, ſed, ut opinor, poſt Æmilii obitum; nam Memorius benedictionem nuptialem impertiit, ut ex Paulino relatum eſt. Auguſtinus Memorio ſcribens, poſtquam diaconus factus eſſet Julianus, toti familiæ ſimulque matri bene precatur hunc in modum: *Habitetis omnes in æternum in adjutorio Altiſſimi, qui habitatis unanimes in domo, pater materque, fratres filiorum, & cuncti unius patris filii memores noſtri.*

Epiſt. 131. ad Memorium.

Æmilio mortuo.

Quoad Æmilii obitum, diſſentio equidem ab eruditiſſimo Vignerio ſuperſtitem opinante: quos enim Paulini verſus affert ad probandum benedictionem nuptialem ab Æmilio præſente impertitam conjugibus, illi videntur mihi contrarium efficere, cum intelligi non poſſint de præſentia corporis, ſed opis dumtaxat & numinis. ſic enim ſe habent:

In epithal. Julian.

Ipſe pater vobis benedicat Epiſcopus, ipſe
Præcinat hymniſonis cantica ſancta choris.
Duc, Memor alme, tuos Domino ante altaria natos,
Commendaque precans ſanctificante manu.
Sed quis odor nares allabitur æthere manans?
Unde meos ſtrinxit lux inopina oculos?
Quis procul ille hominum placidis ſe paſſibus affert,
Plurima quem Chriſti gratia proſequitur?
Quem benedicta cohors ſuperis circumdat alumnis,
Angelici referens agminis effigiem?
Noſco virum, quem divini comitantur odores,
Et cui ſidereum ſplendet in ore decus.
Hic vir hic eſt Domini, numeroſo munere Chriſti
Dives, vir ſuperi luminis Æmilius.
Surge, Memor, venerare patrem, complectere fratrem,
Uno utrumque tibi nomen in Æmilio eſt.
Junior & ſenior Memor eſt, mirabile magni
Munus opuſque Dei, qui minor, hic pater eſt.

Solvit matrimonium ante obitum Memorii. Incertum qua de cauſa. Epi. 131. ad Memorium.

Quæ cauſa ſolverit hoc matrimonium, an communi conjugum votum, an mors Jæ, incertum mihi eſt, certum tamen, ſolutum ante parentum Juliani mortem. Scripſit enim ad Memorium Auguſtinus, cum jam diaconus foret Julianus, in hæc verba: *Superiores quinque libri vix filio noſtro & condiacono Juliano, quoniam & ipſe jam nobiſcum commilitat, cognitione digni videbuntur*, &c. At tunc temporis diaconis non licebat, aut eſſe in conjugio, aut certe conjugio uti, ut conſtat ex Siricio *epiſt.* 1. *cap.* 7. & Innocentio primo *epiſt.* 2. *cap.* 9. & *epiſt.* 3. *cap.* 1. &c.

Auguſtino cariſſimus.

Fuit Auguſtino cariſſimus, ſaltem eo tempore, quo vir ſanctus ad Memorium ſcribebat. Scribentis enim ſunt hæc verba plena tenerrimi affectus: *Quem quidem* (Julianum) *non audeo dicere, plus amo quam te, quia nec veraciter dico: ſed tamen audeo dicere, plus deſidero quam te; mirum videri poteſt, quemadmodum, quem pariter amo, amplius deſiderem. Sed hoc mihi facit ſpes amplior videndi eum: puto enim quod ſi ad nos, te jubente vel mittente, venerit, & hoc faciet, quod adoleſcentem decet, maxime, quia nondum curis majoribus diſtinetur, & teipſum mihi expeditius apportabit.*

Epiſt. 131. ad Memor.

Cur abeo dictus adoleſcens, etſi jam foret diaconus. Conc. III. Carthag. can. 16.

Verum quomodo adoleſcentem Auguſtinus vocat, quem diaconum fatetur, cum his temporibus vigeret lex eccleſiaſtica, de non ordinandis diaconis ante viceſimum quintum annum expletum? Sed forte cum ſenex Auguſtinus ſeni Memorio ſcriberet, potuit Julianus, qui paulo major eſſet viginti quinque annis, adoleſcens præ utroque dici, eodem jure, quo poſtea jam factus Epiſcopus, imo prætergreſſus trigeſimum quintum annum, appellatus eſt a ſanctiſſimo viro, *confidentiſſimus juvenis.* Eundem compellat quoque in hæc verba: *Libris tuis, juvenis Juliane, apparet te contra libros meos non invenire quid dicas, & quærere calumnias, quas nobis loquaciter & inaniter ingeras.* Sic Patres concilii Reienſis Armentarium ordinatum Epiſcopum, juvenem vocant.

Lib. 2. adverſ. Jul. cap. 8. Lib. 3. cap. 27.

Quouſque olim quiſque diceretur adoleſcens. Cenſorin. lib. de die nat. cap. 14.

Quamquam ſi veterum more æſtimetur ætas, facilior occurrit modus quæſtionis ſolvendæ. Nam unuſquiſque dicebatur olim puer uſque ad viceſimum primum annum; adoleſcens, ad viceſimum octavum, juvenis, ad quadrageſimum annum; vir, ad ſexageſimum tertium, deinde ſenex. Hac autem ratione poterat merito adoleſcens vocari, etiam qui diaconi munere fungebatur.

Illuſtratus canon 16. cod. Afric.

Atque hinc obiter patet ſenſus canonis concilii Carthaginenſis, quo jubetur lector, ubi ad annos pubertatis pervenerit, aut uxorem ducere, aut continentiam vovere: *Item placuit, ut lectores, cum ad annos pubertatis pervenerint, cogantur, aut uxores ducere, aut continentiam vovere.* Nec enim intellexere Patres annum inchoatæ pubertatis, qui decimus quartus vitæ, ſed perfectæ, qui viceſimus primus. nam præterquam quod abſurdum videtur, coactum fuiſſe aliquem eccleſiaſtica lege, vel ad contrahendum matrimonium, vel ad caſtitatem vovendam, ubi primum attigiſſet annum decimum quartum ætatis; certe lector temporibus illis non ordinabatur ante decimum octavum annum, quæ media pubertas eſt, atque ita lex poſita lectoribus conveniebat eis tantum, qui pubertatem mediam prætergreſſi eſſent, & perfectam adepti.

Ibidem.

Julianus ante obitum parentum diaconus. Epiſt. 131

Creatus fuit diaconus ante obitum parentum: nam Auguſtinus ſcribens ad Memorium, Julianum appellat condiaconum, ſimulque facit mentionem matris etiamnum viventis.

Locus Auguſtini vindicatus a correctione Vignerii.

Fruſtra vero eſt eruditus Vignerius, qui opinatur, corruptam Auguſtini epiſtolam, & pro CONDIACONO legendum

In præf. ad op. quod vocat perfectum.

legendum COMMILITONEM: quaſi vero ſcripſerit Auguſtinus anteſolutum matrimonium, & non eo potius tempore, quo Julianus, jam liber a conjugio, operam ſtudiis navabat, ſed ſæcularibus magis quam ſacris, contra officium hominis eccleſiaſticis officiis mancipati.

Fit Epiſcopus a S. Innocentio.
In Commonit. ſuper nom. Cæleſtii cap. 3.
Circiter ann. 416.
In Commonit. cap. 3.

Ab Innocentio ordinatum docet Mercator, ſed neque tempus ordinationis indicat, neque gradum. Ordinationem contigiſſe puto ann. 416. aut etiam ſuperiore; obiit enim Innocentius ann. 417. die 12. Martii: ergo, cum ab ordinatione Julianus *ad obitum Innocentii, perſeveraverit* (Verba ſunt Mercatoris) *in ſincera ſententia, & communicans damnatori Pelagii, atque Cæleſtii, ipſe quoque ſine dubio prædictos damnaverit*, neceſſe eſt tempus aliquod inter ordinationem Juliani & obitum Innocentii fluxiſſe. quis enim perſeverare dicatur in eo, in quo ἀξιόλογον tempus non poſuerit?

Opinor item, hanc ordinationem intelligendam more veterum de epiſcopatu. nam temporibus Zoſimi, qui Innocentio ſucceſſit, & vix ſexdecim menſibus Eccleſiæ præfuit, Julianum inter Epiſcopos extitiſſe conſtat, tum ex Auguſtino, tum ex Mercatore, tum ex epiſtolis duabus, quas ad Zoſimum Julianus ipſe dedit.

Eccleſiæ Eclanenſis in Hirpinis.

Cujus urbis epiſcopatum tenuerit, diſſentire videntur auctores. Gennadius Capuanum affirmat, *lib. de ſcriptoribus eccleſ. cap.* 45. Celanenſem Gelaſius, *in decret. ſanctæ Rom. Eccl.* & Beda, *præf. in cantic.* Eclanenſem Petrus Diaconus, *lib. de gratia.* Heraclenſem vel Atellenſem Voſſius, *lib. de hæreſ. Pelag.* Celanienſem Vignerius, *loco ſæpius citato.*

In præf. ad ſym. Theod.

Mercator, qui nec ignorare potuit epiſcopatus locum, nec minorem quam quilibet alius, meretur fidem, quippe æqualis Juliani & provincialis; & quo nihil curioſius, adverſarius, Eclanenſem Epiſcopum pronuntiat, ſimulque litem dirimit, & partium quidem alter cantium conſenſu. Habet enim conſentientem reipſa Proſperum, cujus in melioribus manuſcriptis legitur Eclanenſis, ut notarunt Pontacus & Scaliger. Habet conſentientem quoque Gelaſium cum Beda: nam apud utrumque notariorum vitio tranſpoſita una literula ex Eclanenſi fecit Celanenſem. Habet denique conſentientem Paulum Diaconum eadem de cauſa, coalitis ſcilicet CL in D.

Innot. ad chron. Proſp.
Emendatus Beda. Paulus diaconus, &c.

Illuſtratus Gennadius.

Neque vero diſſentit Gennadius, quandoquidem in codicibus melioris notæ nulla fit mentio loci, nec legitur iſta vox, *Capuanus*, ſed in aliis, *Julianus, vir acer ingenio*, &c. in aliis, *Julianus Epiſcopus, vir acer ingenio*, &c.

Lib. Subn. c. 5.

Porro hanc opinionem demonſtrant Mercatoris Julianum alloquentis hæc verba: *Te veriſſime Ampſanctinæ ſcaturiginis conregionalis tuæ teterrimus fœtor inflavit.* Nam prope Ampſanctum Eculanum poſitum eſt, quod in Itinerario Antonini Eclanum dicitur: unde Eclanenſis ager in libro de limitibus, & Eclanenſium reipublica inſcriptione 446. apud Grutherum.

Fuit vero Eclanum urbs olim epiſcopalis, apud Hirpinos, inter Campaniam & Apuliam, Benevento urbe metropoli diſtans viginti milliaribus. Frigentum nunc vocatur, uniturque Abellinenſi epiſcopatui.

Natus Julianus ante ann. 386.

Ex his conſtat Julianum natum eſſe ante annum Chriſti 386. Nemo vero poterat tunc temporis, neque Epiſcopus, imo neque presbyter fieri legitime ante trigeſimum annum: ſi ergo Julianus, cum ordinaretur ab Innocentio, utique canonum retinentiſſimo, trigeſimum annum attigerat, natum oportet ante annum 386.

Incertum, quo tempore adhæſerit Pelagio.
Explicatus Bedæ locus.
Lib. 1. in cant. cap. 5.

De tempore quo adhæſit Pelagio vel Cæleſtio, divinare vix aliud licet, quam quod diximus in elogio Pelagii. Ab eo jam inde a prima pueritia inſtitutum, ſignificare videntur hæc Bedæ verba: *Quem potius ipſe* (Hieronymus) *fidem ejus*, (Pelagii) *vel magis perfidiam, in dialogo Attici & Critobuli, quem vivente Pelagio edidit, cum adhuc Julianus ab eo puerulus, quaſi in caverna colubri nutriebatur regulus, divinus expugnaverit ac protriverit eloquiis.*

Iſ. cap. 11. v. 8.

Verum niſi ſententia Bedæ accommodate ad ſenſum Iſaiæ Prophetæ intelligatur, contineatque myſticum quiddam, mirum quantum rationi temporum pugnat, quandoquidem, ſcribente dialogos Hieronymo, Pelagius in Palæſtina, Julianus Romæ vix non Epiſcopus verſabatur. Beda igitur non incommode locutus dici poteſt de Juliano, tanquam de tirone erroris, qui cum a Pelagio per diſcipulos eruditus fuiſſet, clam velut in caverna colubri litere amantis, creverit poſtmodum in magiſtrum impietatis tanto nocentiorem, quanto regulus colubro pejus venenum ſpargit.

Ingenium & ſtudium Juliani.
Lib. de ſcript. eccl. cap. 45.

Fuit acer ingenio, ut tradit Gennadius, operamque diligentem dedit tum ſæcularibus, tum ſacris literis, ſed ſæcularibus magis, imo eo uſque, ut nimius foret in terendis poetis laſcivioribus.

Ibidem.
Epiſt. 131.
Lib. Subn. cap. 4. & 5.

De ſtudio literarum etiam ſacrarum, teſtis Gennadius, de nimio amore ſæcularium teſtis quoque Auguſtinus: de lectione impurorum poëtarum hæc habet Mercator: *Eleganter ſcurra loqueris more tuo, & more, quo theatrum Arbitrii Valeriique detriſti*, &c.

Natus erat ad eloquentiam.
Ibidem.

Nactus erat a natura magnam eloquentiæ indolem, quemadmodum ſcripta ipſius oſtendunt: ideoque poterat non immerito videri eloquio clarus, ut Gennadio dicitur; imo Romanus quidam Demoſthenes, ut ſuis placebat, niſi tanta eloquentiæ vis, jactantiæ ac maledicentiæ vitio, degeneraſſet in loquacitatem, cujus ubique paſſim, non a Mercatore tantum, ſed etiam ab Auguſtino accuſatur.

Ante profeſſam hæreſim claruit inter Eccleſ. doctores.
Ibidem.

Priuſquam *impietatem Pelagii in ſe aperiret, clarus in doctoribus Eccleſiæ fuit*, verba ſunt Gennadii, ex quibus conjicere eſt, longe plura ſcripſiſſe Julianum, quam quæ errorem continerent, ſed eorum ne memoriam quidem ſupereſſe, niſi forte, vel commentarii in cantica, cujus præfatio fuit libellus de amore; vel libri de conſtantia, cujus, ut præcedentis, meminit Beda. Quanquam utrumque opus ſpiritu Pelagiano, non ſcriptum tantum, ſed etiam plenum eſt, primumque a Beda Pelagiani erroris accuſatur, ſecundum nemo qui legerit, abſolvat.

Lib. 1. in cantic.

Duas ſcripſit Zoſimo Papæ literas.
Lib. 1. op. imp. cap. 1.

Duas ſcripſit ad Zoſimum epiſtolas, ut ipſemet fatetur, ſed ſuam negat, quæ ad clericos Romanæ Eccleſiæ miſſa fuerat, quamque Auguſtinus *lib.* 1. *ad Boniſ.* refellit. Ejus verba ſunt: *Facit quoque* Auguſtinus *mentionem epiſtolæ, quam a me ait Romam fuiſſe directam; ſed verba quæ poſuit, nequivimus quo de ſcripto loqueretur, agnoſcere. nam ad Zoſimum quondam illius civitatis Epiſcopum, ſuper his quæſtionibus, duas epiſtolas deſtinavi, verum eo tempore, quo adhuc libros exorſus non eram.*

De quæſtionibus Pelagianorum.
Antequam libros componeret adverſ. lib. 1. Auguſtini *de nuptiis.*

Ad hæc animadverte duo; alterum, quod ſuper quæſtionibus Pelagianorum bis Julianus ad Zoſimum ſcripſerit: alterum quod eo tempore ſcripſerit, quo adhuc libros exorſus non fuerat, eos nempe quatuor, quorum mentio fiebat in epiſtola ipſi tributa, quibuſque adverſus primum Auguſtini librum *de nupt. & concup.* pugnabat.

Lib. 1. ad Boniſ. cap. 1.
Item epiſtolam nomine 18. Epiſcoporum ad Rufum Theſſalonicenſem.
Lib. 2. op. imp. cap.

Scripſit quoque epiſtolam ad Rufum Theſſalonicenſem, non ſuo tantum, ſed octodecim Pelagianorum Epiſcoporum nomine. Id ipſe teſtatur, cum impurus homo ſanctum Auguſtinum his verbis compellat: *Tali argumento præter impietatem tuam nihil aliud indicatur: impietatem, inquam, qua credis, ita eſſe animarum traducem, in Tertulliani olim & Manichæi profanitate damnatam, ſicut etiam corporum: quod tam nefarium eſt, ut cum a nobis in epiſtola, quam ad Orientem miſimus, fuiſſet objectum, his libris, quos nuper ad Boniſacium miſiſti, negando a te propulſare conaris.*

Libros quatuor adverſus primum Auguſtini *de nupt.* &c.
Octo adverſus ſecundum.
Lib. 2. retract. cap. 53.

Scripſerit etiam adverſus duos Auguſtini libros *de nupt. & concup.* duodecim libros pro ſua hæreſi. quatuor nimirum contra primum Auguſtini, octo contra ſecundum: nam cum Auguſtinus Valerio comiti, apud quem Catholicis Pelagiani calumniabantur, quaſi nuptias damnarent, librum miſiſſet, quo calumniam propulſaret, huic libro quatuor Julianus pro reſponſione repoſuit; ex quibus cum excerpta quædam, quæ Valerius comes per Alipium in Africam tranſmiſerat, confutaſſet Auguſtinus *lib. 2. de nupt. & concup.* adverſus hunc ipſum mira loquacitate octo

60

Digitized by Google

illos effudit, quibus reſponder Auguſtinus opere poſtremo, quod Poſſidius imperfectum, *in indiculo*, altercationem Gennadius, *loco ſæpius citato*, perfectum appellavit Vignerius, *in præfatione ejuſdem operis*.

Notatus Gennadius cum Honorio Auguſtodunenſi, & nonnullis recentioribus.

Unde redarguas non tantum Gennadium Honoriumque Auguſtodunenſem, qui opus illud ab altercatione videntur diſtinguere: ſed etiam, vel maxime recentiores nonnullos, qui opinantur ſex libris Auguſtini Julianum octo ſuos rependiſſe, iiſque octo Auguſtinum opere poſtremo reſpondiſſe. Nec enim Julianus videtur unquam legiſſe, ut refert Mercator, ſex libros ab Auguſtino adverſus ſuos quatuor conſcriptos.

In præf. lib. Subnot.

Adhæſit magis Cæleſtii quam Pelagii partibus.

Inclinavit magis in partes Cæleſtii, quam Pelagii; id eſt, minus de gratia Dei, quam de peccato originali, adverſus fidem catholicam diſputavit. Id cum non obſcure conſtet ex libris quatuor recenſitis; tum ex opere poſtremo manifeſte patet, in quo per ſe tantum has quæſtiones movet: *An peccatum Adæ ita nocuerit ſuis omnibus poſteris, ut rei peccati naſcantur? Quomodo peccatum iſtud propagetur? Utrum parvuli etiam fidelium in æternum pereant, ſi non baptizentur? An morbi cæteraque id genus mala, morſque ipſa ex Adami peccato originem duxerit? Unde malum, & qua ratione importatum in opus Dei? Qui diſſentiant ſuper eare, & ſuper origine peccati catholici a Manichæis? Quid concupiſcentia, unde orta, quas habeat vires, an per ſe mala?* &c. De gratia Chriſti vix ac ne vix quidem, etiam trahente per vim Auguſtino, loquitur.

Res Juliani ordine temporum digeſtæ.

Nunc opportunum videtur omnia, quæ præmiſimus, ordine temporum diſponere, ut cætera, quæ ſequuntur, eadem ratione tractentur.

Collecta breviter, quæ hactenus tractata de ortu, matrimonio, ordinatione, &c.

Natus eſt ergo Julianus, ut tardiſſime ann. 386. lector factus ann. 404. matrimonio junctus ann. 407. adeptus diaconatum ann. 411. ad ſacerdotium evectus ann. 416. in profeſſione fidei catholicæ conſtans, ſaltem ſpecie tenus, uſque ad ann. 417. quo contigit defungi fato Innocentium prid. Id. Martias, cujus reverentia retinebatur in officio, ut docet Mercator. Auguſtinus tamen ſcribit monitum ab Innocentio Julianum, ita ut ſi monentem non ſprevisſet, utique in hæreſim non incidiſſet.

In Commonit. cap. 3.

Diſputat Romæ de origine peccati.

Lib. Sub. cap. 8. part. 2.

Ad ann. 417. videntur pertinere, quæ Mercator refert de Juliano Romæ diſputante, his verbis: *Meminimus enim tempore, quo præſens in urbe Roma, cum participibus hujus amentiſſimi erroris tui, in nonnullis ſimplicioribus Eccleſiam ventilabas, qualiter interrogabas, quid eſt peccatum, inquiens, malumne aliquid, an bonum? malum utique reſpondebatur tibi. Ad hæc addebas: Deuſne hujus mali auctor & opifex? Abſit, abſit, exclamabatur*, &c.

Suſcipit patrocinium cauſæ Pelagianæ afflictæ.

Lib. 2. op. imp. cap. 10.

Pertinent etiam procul dubio, quæ Julianus ipſe de cauſa ſuſcepti patrocinii hæreſis Pelagianæ afflictæ gloriatur his verbis: *Nunc poſtquam pro medicamine Manichæorum ſcoria dogmatum impuriſſimorum cœpit offerri, & delectationi acceſſit auctoritas, ut conceſſis pene mundi membripotens regnamentium, expugnatrix honeſtatis, & invicta animorum omnium captivatrix turpitudo bacchraretur: nobis tanto honeſtior, quanto durior tuendæ veritatis cauſa facta eſt, quia contra præcipites populos, & ſuis remediis infenſos, non multum valet veritas, oratioque medicantium. Quid igitur? horumne intuitu receptus canere debebimus, & contumelias noſtras alciſci ſilentio, ac de conſcientiæ portu aliorum ridere naufragia? Verum contradicit huic odio, primo benignitas, quam generi debemus humano: deinde ſpes & fides, quam habemus in Deum, qui extra id quod frequenter deſperatas temporum levavit ruinas, conſtantiam tamen, quam uſque ad mortis horam exercere voluit, etſi nullum in præſentiarum conſequeretur affectum, æterna remuneratione donavit.*

Tres epiſtolas ea de cauſa ſcribit ad Zoſimum, unam ſuo nomine.

Lib. 2. 3. & 4. ad Bonif.

Duas nomine 18. Epiſcoporum Siculorum.

Anno 418. tres ſcripſit epiſtolas, unam ad Zoſimum, cujus fragmenta refert Mercator, *lib. Subn. cap.* 7. *num.* 9. alteram ad eundem, qui libellus fidei, quem primi edimus in lucem *diſſertatione* 5. tertiam ad Rufum Theſſalonicenſem, quam tribus poſterioribus libris ad Bonifacium Auguſtinus refellit. Poſteriores vero duas, non ſuo ſolum nomine, ſed octodecim Epiſcoporum Siculorum, dedit.

Nihil vero obſtat, quominus Epiſcopi iſti, etſi ex Italia ejecti in concilio Epheſino dicantur, Siculi reipſa fuerint, cum Sicilia Italiæ nomine tunc temporis comprehenderetur.

Vide Sirmond. in Advent. cap. 5.

Emendatus locus conc. Epheſ.

Part. 2. conc. Eph. act. 5.

Hac occaſione obiter corrigendus locus ille ſynodicæ relationis Patrum Epheſinorum ad ſanctum Cæleſtinum, ubi ſermo fit de Epiſcopis, qui ſe ad partes Joannis Antiocheni adjunxerant pro Neſtorio, & adverſus Cyrillum & Memnonem depoſitionis ſententiam dixerant: *Cum ipſis etiam erant Pelagiani & Cæleſtiani, ac nonnulli de iis, qui ex Theſſalia ejecti fuerant*: καὶ τῶν ἀπὸ Θετταλίας ἐκβεβλημένων τινές. legendum enim, καὶ τῶν ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, &c.

Quatuor libros adverſus Auguſtinum.

Lib. 1. op. imperf. cap. 16.

Lib. Sub. cap. 7. part. 9.

Anno 419. ineunte, aut ſub præcedentis exitum, elaboravit quatuor libros adverſus primum Auguſtini *de nupt. & concup.* Neque enim, ut ipſe teſtatur, *libros hoſce exorſus fuerat, eo tempore, quo duas epiſtolas deſtinavit Zoſimo*. Deſtinavit vero, ut docet Mercator, *quando conventus, detrectavit cum univerſa Eccleſia per totum orbem Pelagium Cæleſtiumque damnare*. At non prius conventus eſt, quam miſſa fuerit ad omnes orbis Epiſcopos Tractoria Zoſimi, quæ cum miſſa ſit circa finem Maii ann. 418. cumque Zoſimus die 26. Decembris ejuſdem anni obierit, oportet Julianum Zoſimo reſcripſiſſe ann. 418. jam affecto, atque ita non alio, quam quo dictum eſt, tempore, libros quatuor adverſus Auguſtinum elaboraſſe.

Non tamen ſtatim vulgavit, ſed fidis tantum communicavit.

Adde quod eos, licet forte prius elucubratos, non videatur edidiſſe, niſi ſub medium anni 419. nec tamen adhuc palam, ſed Pelagianorum more clanculum, & apud fidos tantum; unde accidit, ut opus integrum haberi non potuerit incontinenti, ſed excerpta dumtaxat, eaque non admodum fidelia, quæ a Valerio comite accepta, Alipius Auguſtino detulit. Libri vero ipſi nonniſi poſt annum, & poſt curioſam inquiſitionem, in manus Claudii Epiſcopi venerunt.

Ep. ad Claud. quæ præfigitur lib. 1. cont. Julian. & alibi paſſim.

Lib. 6. adverſ. Jul. cap. 4.

Verum longe validius argumentum ſuppeditant hæc Auguſtini verba Julianum alloquentis: *Memento ſane quemadmodum de conſtituendo Epiſcopo diſſenſionem populi Romani inſultabundus objectas, & eam vocas ultionem Dei.* Ex his enim intelligimus ſcripſiſſe Julianum, durante diſſenſione, qua poſt Zoſimi mortem, alii Bonifacium, alii Eulalium habere Pontificem contendebant. Ergo cum diſſenſio a die 27. Decembris ann. 418. uſque ad 8. Aprilis anni ſequentis duraverit, neceſſe eſt fateri, libros de quibus agitur, eo tempore, quo dictum eſt, conſcriptos.

Baron. ad ann. 419.

Pulſus Italia fugit in Siciliam, vel potius in Orientem.

Lib. cont. coll. cap. 41.

Anno 421. pulſus ex Italia, vel in Siciliam fugit, vel potius in Orientem. Ad expulſionem pertinent hæc verba Proſperi: *Quando ſanctæ memoriæ Papa Bonifacius piiſſimorum Imperatorum catholica devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei non ſolum apoſtolicis, ſed etiam regiis utebatur edictis.* Quid enim eſt edictis uti, præterquam ea executioni mandare? Aut quæ edicta intelligi poſſunt, præter illa tria, quorum unum prid. Kal. Maias, Honorio XII. & Theodoſio VIII. AA. CC. alterum v. Id. Julias, Monaxio & Plinta Coſſ. Ravennæ; tertium a Conſtantio, Euſtachio & Agricola Coſſ. datum eſt? Aut quid edictis illis, præter expulſionem Pelagii & Cæleſtii, Epiſcoporumque ſubſcribere damnationi recuſantium depoſitionem jubebatur?

Pertinent forte ad locum fugæ verſus ejuſdem Proſperi:

Carm. de ingr. cap. 2.

Præterea, quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Epheſus, non paſſa ſuis conſiſtere tectis
Vaſa iræ, & morbi flatus, & ſemina mortis:
Quaque fide tellus etiam Trinacria fervens
Agmen viperum propriis exegerit oris!

Quanquam ex Italia pulſos, imo ex Occidente toto, credibilius eſt in Orientem ſucceſſiſſe, ut poſtea dicetur.

Denique de fugæ tempore certam faciunt fidem, tum verba Proſperi de Bonifacio, quæ retulimus, tum quæ poſtea conſequentur.

Atque in Ciliciam ad Theodorum Mopſueſtenum.

Anno 422. pulſus ex Occidente, in Ciliciam profectus eſt ad Theodorum Mopſueſtenum, qui primus Cæleſtianæ hæreſis auctor & parens, ut poſt mutuam de ſuis rebus collationem, factamque conjurationem, conjunctis viribus adverſus Auguſtinum pugnarent.

Audi-

Digitized by Google

In præf. ad refut. ſymb. a Theodoro conſcripti.

Audiendum ſuper ea re Mercatoris teſtimonium, qui ſolus hiſtoriam nos docuit. *Simul*, inquit, *admonere volui Julianum, ex Epiſcopo oppidi Eclanenſis hæreticum Pelagianum ſeu Cæleſtianum, hunc ſecutum eſſe Theodorum, ad quem peragratis terris, & exarato mari, atque oriente luſtrato, cum ſociis & participibus ſuis magno niſu, tanquam ad chriſtianorum dogmatum prædicatum magiſtrum, tetendit, ut de hæreſi Pelagiana ſeu Cæleſtiana, quam defendendam & ſequendam ſuſcepit, ab ipſo confirmaretur. Atque inde velut inſtructor octo contra fidem catholicam potius, quam contra ſanctæ memoriæ Auguſtinum, voluminaſlla, ut putat, prudentiſſima conderet.*

Lib. Subn. cap. ult.

Ex in capite ultimo Subnotationum Julianum alloquens: *Aliud in pectore clauſum, aliud promptum in lingua habens, novus atque egregius diſputator, id nunc in iſto opere tuo, poſt tam longum tempus elaborato in Cilicia ingeris: neceſſaria igitur capituli repetitione, quid mari exarato, & oriente luſtrato, novum inauditumque inde attuleris, denuo perſcrutemur.*

Apud quem elucubravit opus poſtremum.

Ex his vero concludo aliquamdiu Julianum ſubſtitiſſe in Cilicia apud Theodorum, ibique poſtremum ſuum opus octo libris comprehenſum elaboraſſe, confectumque inde in Occidentem retuliſſe.

Tunc forte ſcripſit quoque Theodorus contra S. Auguſtinum.

Porro ſcripſiſſe quoque Theodorum adverſus Auguſtinum, demonſtrant, quæ ſunt apud Mercatorem ex quinque libris ab eodem Theodoro conſcriptis adverſus Auguſtinum fragmenta non minima, quibus præfigitur hic titulus: *Cujus perfidiæ ſit præfatus Theodorus, ex ſcriptis ejus quæ de Græcis tranſtulimus, approbemus.* Et paulo poſt: *Theodori Mopſueſteni de ſecundo codice libro quarto folio decimo contra ſanctum Auguſtinum defendentem originale peccatum, & Adam per tranſgreſſionem mortalem factum, catholice diſſerentem*, &c.

Julianus, poſt diſceſſum e Cilicia, damnatus a ſynodo. *In præf. ad refut. ſymb. Theod.*

Anno 423. habita eſt in Cilicia ſynodus, in qua Julianus cum ſua hæreſi damnatus eſt, ipſo quoque Theodoro Mopſueſteno in damnationem, ſaltem verbotenus, conſentiente. Ita Mercator: *Agnoſcat ſupradictus Julianus ex hac tranſlatione, ſi legere non faſtidierit, manente apud memoratum Theodorum illo, qua eum diximus, mala fide ſecum Neſtorium decepiſſe, etiam ſibi magis, ſuoque dogmati, de quo male turgidus & maleſanus libros confecit, eſſe contrarium: ſeque etiam, poſt de Cilicia abſceſſum, ab eo in Epiſcoporum provinciæ ſuæ conventu anathemate eſſe damnatum*, &c.

Et revertit in Italiam.

Anno 424. rediit, ut opinor, Julianus ex Oriente in Italiam: nec alia redeundi cauſa fuit, quam quod hominem, hinc quidem vehemens amiſſi epiſcopatus deſiderium teneret, inde vero vana ſpes retractandæ totius cauſæ mulceret. Nam poſtquam reſcivit, obiiſſe Bonifacium Pontificem, a quo depoſitus fuerat, & Honorium atque Conſtantium Imperatores, quorum edictis exulare coactus fuerat: reſcivit item Bonifacio ſucceſſiſſe Cæleſtinum, virum longe Sixto competitore mitiorem; auſus eſt ſperare nonnullam commutationem rerum. Verum ſpes audentem luſit;

Tentatque epiſcopatum recuperare.

Sed repulſam patitur a Cæleſtino. *Lib. cont. coll. cap. 31.*

nam, ut ait Proſper: *Venerabilis memoriæ Pontifex Cæleſtinus, cui ad catholicæ Eccleſiæ præſidium multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt, ſciens damnatis, non examen judicii, ſed ſolum pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum, Cæleſtium, quaſi non diſcuſſo negocio audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus juſſit extrudi: adeo & prædeceſſorum ſuorum ſtatuta & decreta ſynodalia inviolabiliter ſervanda cenſebat, ut quod ſemel meruerat abſcindi, nequaquam admitteret retractari.*

Imo & ejicitur ex Italia.

Tunc temporis porro non ſolum Cæleſtium, ſed Julianum quoque ex Italia rurſus ejectum a Cæleſtino, fatetur ipſemet Julianus in epiſtola Neſtorii ad Cæleſtinum, quæ ejectorum querelas continet in hæc verba: *Julianus quidam, & Florus, & Orontius, & Fabius dicentes ſe occidentalium partium Epiſcopos, ſæpe & piiſſimum & prædicatiſſimum Imperatorem adierunt, ac ſuas cauſas defleverunt, tanquam orthodoxis temporibus orthodoxis perſecutionem paſſi.* Ex paulo poſt: *Ne canonicam indignationem beatitudinis tuæ, quæ contra eos pro ſectæ religionis forte probata eſt, aliud quiddam quam hoc æſtiment*, &c. Et epiſtola. 2. *Sæpe ſcripſi beatitudini tuæ propter Julianum, Orontium & cæteros, qui ſibi uſurpant epiſcopalem dignitatem, & creberrimam aditionem apud piiſſimum & prædicatiſſimum Imperatorem faciunt, noſque concidunt frequentibus lamentationibus, tanquam temporibus orthodoxis de Occidente projecti.*

1. part. conc. Epheſ. cap. 16.

Ibid. cap. 17.

Atque etiam Conſtantinopoli ab Attico. *Carm. de ing. cap. 2.*

Anno 425. ipſa quoque Conſtantinopoli, ut opinor, ab Attico pulſus eſt cum Cæleſtio, aliiſque Epiſcopis, Orontio, Floro, Perſidio, Marcellino, Fabio, &c. nam de Attico canit Proſper:

Quid loquar & curam magna quam geſſit in urbe
Conſtantinopoli docto bonus ore ſacerdos
Atticus, antiqua legatos hæreticorum
Confutando fide: de qua tunc impia corda,
Quamvis ſe obductæ tegerent velamine formæ
Judicii, tacitæ tulerunt tormenta repulſæ?

1. part. conc. Epheſ. cap. 18.

In eundem ſenſum accipi debent, quæ ſcribit Cæleſtinus ad Neſtorium: *Hos quoque hæreticos*, inquit, *de quibus nos, velut eorum, quæ geſta ſunt, neſcius conſulere voluiſti, ſedibus ſuis injuſta dicentes expulit juſta damnatio, quos illic inveniſſe requiem non putamus eſſe mirandum*, &c. *Cur tamen ea quæ in hoc tunc ſunt acta, quæruntur, cum certum ſit illinc ad nos a catholico tunc Antiſtite Attico geſta directa?*

Ibid. cap. 16. & 17.

Ex his enim conſtat, ab Attico fuiſſe pulſos urbe regia Epiſcopos illos, quorum nomina ſuis in literis Neſtorius poſuerat. Poſuerat vero Juliani, Flori, Orontii, Fabii, &c.

Edit in lucem poſtremum opus in S. Auguſtinum.

Anno 426. ex Italia rurſus Conſtantinopolim fugiens Julianus, publicavit, ut conjicio, libros octo, quæ ex Cilicia aſportatos cum fidis tantum hominibus hactenus communicaverat. Duo conjecturam adjuvant.

In chro. ind. 9. Theodoſ. XII. & Valentin. II. Coſſ.

Primum, quod, Attico VI. Idus Octobris anni præcedentis defuncto, Siſinnius prid. Kal. Mart. hujus anni ſucceſſerat in Conſtantinopolitanam ſedem, *vir*, ut loquitur Marcellinus, *ſanctæ ſimplicitatis, & ſimplicis ſanctitatis*; ideoque viſus Juliano opportunus, qui hæreticorum artibus, hypocriſi & mendacio, deciperetur, deceptuſque Imperatoris animum erga homines, *qui ſe orthodoxos dicebant, & orthodoxis temporibus perſecutionem ex ſubreptione pro fide catholica paſſos*, placaret: quanquam ſua ſpes rurſus hominem fefellit, Siſinnlo conſtanter Attici veſtigiis inſiſtente, ut docet Cæleſtinus.

Ep. 2. Neſtorii ad S. Cæleſtinum.

1. part. conc. Epheſ. cap. 17.

Alterum, quod Auguſtinus, cum ex libris octo Juliaoi quinque priores accepiſſet ab Alipio, reſpondere quarto jam cœperat, quo tempore ſcripſit ad Quodvult deum efflagitantem ut de hæreſibus commentarium elaboraret, ſimulque partitis temporibus, & reſponſioni, quam Alipius urgeret, & retractationi librorum, quam ipſe ardenter abſolutam cuperet, inſtabat. At ſcripſit ad Quod vult deum aon. 427.

In epiſt. quæ præfigitur libro de hæreſibus.

Redit Conſtantinopolim Neſtorio epiſcopatum adepto.

Anno 428. cum Neſtorius Theodori diſcipulus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ regimen accepiſſet, Julianus cum ſociis multa ſpe plenus venit in urbem regiam, ut novi Epiſcopi ope Imperatoris animum ſuis querelis inflecteret.

1. part. conc. Epheſ. c. 15. & 16.

De adventu & querelis teſtimonium fert ipſe Neſtorius, in utraque ad Cæleſtinum pro Pelagianis epiſtola, quarum verba relata ſunt ad ann. 426.

Leg. 18. de hær. cod. Theod.

Pro tempore faciunt, tum prædictæ epiſtolæ, quarum priorem hoc anno ſcriptam, demonſtramus in notis ad Mercatorem; tum edictum Theodoſii datum III. Kal. Julii Conſtantinopoli, Felice & Tauro Coſſ. adverſus hæreticos, quorum omnium nomina præterquam Pelagianorum diligenter recenſentur.

A quo recipitur in amicitiam. *In Commonit. cap. 16.* *Lib. 1. de Incarn. cap. 3.*

Fuit autem Neſtorius Imperatori auctor edicti ferendi, quippe qui, ut ait Vincentius Lirinenſis, *ut uni hæreſi ſuæ aditum patefaceret, cunctarum hæreſeon blaſphemias inſectabatur*: & ut ſcribit Caſſianus, *conſanguineæ ſibi improbitati improbo ſuffragabatur affectu, ſciens ejuſdem ſe eſſe ſenſus, ejuſdem ſpiritus, & ideo dolens cognatam ſibi hæreſim ab Eccleſia eſſe disjunctam.* Imo jam tum cogitabat de ſuis partibus Pelagianorum multitudine augendis, quod & reipſa præſtitit in

concilio

61

In præf. ad tract. Neſtorii adverſ. Pelag.

concilio Epheſino; ideoque ipſos, ut ait Mercator, *interim in amicitiam cenſuit ſuſcipiendos, ſpem abſolutionis promittens*, &c.

A Mercatore accuſatur apud Theodoſium.

1. part. oper. Mercatoris.

Anno 429. obtulit Mercator Imperatori Theodoſio Commonitorium adverſus errorem Cæleſtii & Juliani, aliorumque Epiſcoporum ſequacium: quo accepto, Imperator Julianum Cæleſtiumque, & reliquos Conſtantinopoli ejecit. Id demonſtrat Commonitoru titulus: *Exemplum Commonitorii, quod ſuper nomine Cæleſtii Græco ſermone a Mercatore datum eſt, non ſolum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ſed etiam pluribus religioſiſſimis viris, oblatum quoque piiſſimo principi Theodoſio ſemper Auguſto. Id ipſum ex Græco in Latinum tranſlatum per eundem Marium Mercatorem Chriſti ſervum, in conſulatu Florentii & Dionyſii VV. CC. Per quod Commonitorium cognito funeſtiſſimo errore, imperiali præcepto tam Julianus defenſor, & ſequax ejus, cum cæteris ſociis & participibus ſuis, quam poſtea idem Cæleſtius de Conſtantinopolitana urbe detruſi, in ſynodo quoque Epheſienſi ducentorum ſeptuaginta quinque Epiſcoporum ſententia poſtmodum in præſenti damnati ſunt.*

Cujus præcepto expellitur urbe regia.

Romæ iterum in ſynodo damnatur.

1 part. conc. Epheſ. cap. 17. 2 part. act. 1.

Anno 430. Cæleſtinus de Juliano aliiſque Epiſcopis Cæleſtii fautoribus ſynodum habuit Romæ, ex qua Neſtorio reſpondit datis III. Id. Auguſti literis, quas Neſtorius die dominica VII. Id. Decembris per manus quatuor Epiſcoporum, Theopempti, Danielis, Potamonis & Macarii in Eccleſia accepit. Hæc manifeſte probantur, partim ex diſſertatione noſtra de ſynodis, partim ex literis Cæleſtini, partim ex relatione Epiſcoporum in concilio Epheſino act. 1. partim ex titulo ſermonis ſexta die, poſt acceptas literas, in Eccleſia habiti, qui apud Mercatorem ita legitur: *Neſtorii ſermo in Eccleſia habitus, in qua literas Cæleſtini Romani Epiſcopi & Cyrilli Alexandrini denuntiationis accepit* VII. *Id. Decemb. conſulatu Theodoſii XIII. & Valentiniani III. Auguſtorum, poſt ſextum diem, quam literas ſumpſit.*

Part. 2. oper. Mercat.

Et Epheſi, cum a ſchiſmaticis receptus eſſet.

Anno 431. Julianus cum ſuis damnatus eſt in concilio Epheſino œcumenico, cum prius in conciliabulo ſchiſmaticorum viſus fuiſſet abſolutus.

Lib. 5. regeſti e. 14. & lib. 6. epiſt. 61.

Lib. 7. ep. 48.

Abſolutionis illius meminit Gregorius Magnus, ubi ſcribit a ſchiſmaticis definitum *de Adæ anima, quia in peccato mortua non fuerit, eo quod diabolus in cor hominis non ingrediatur; & ſi quis hoc dixiſſet, anathema eſſet.* At alio in loco hiſtoriam illius prolixius narrat, docetque in multis codicibus permixta fuiſſe acta catholicæ ſynodi cum geſtis ſchiſmaticorum. Verum in ejuſmodi geſtis, qualia nunc habentur, nihil tale continetur.

Part. 2. conc. Epheſ. act. 5. & 7.

Condemnationis mentionem faciunt, præter Mercatorem in titulo Commonitorii, ipſi Patres Epheſini, tum in canonibus, tum in relatione ad ſanctum Cæleſtinum, his verbis: *Perlectis in ſancta ſynodo commentariis actorum in depoſitione impiorum Pelagianorum & Cæleſtianorum, & quæ a pietate tua de ipſis decreta & conſtituta ſunt, judicavimus & nos ea ſolida firmaque permanere debere, & idem omnes tecum ſtatuimus, eos pro depoſitis habentes.*

Iterum agitatur a Cæleſtino.

1 part. conc. Epheſ. cap. 20. 22. & 23.

Anno 432. de damnatis Cæleſtianis reſcripſit Cæleſtinus tribus epiſtolis poſt ſynodum datis, una ſcilicet ad Patres ſynodi, altera ad Maximianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, tertia ad ejuſdem urbis clerum. datæ vero notantur Idib. Martiis, Flavio Aetio & Falerio Coſſ. formamque continent recipiendorum hæreticorum, qui ab hac hæreſi ad Eccleſiam redirent.

Atque etiam a Sixto ſummo Pontifice.

In chro. Theod. XVII. & Feſto Coſſ.

Anno 439. contigere, quæ narrat Proſper chronographus in hunc modum: *Hac tempeſtate Julianus Eclanenſis jactantiſſimus Pelagiani erroris aſſertor, quem dudum amiſſi epiſcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis ſpeciem præferens, molitus eſt in communionem Eccleſiæ irrepere: ſed his inſidiis Sixtus Papa, diaconi Leonis hortatu, vigilanter occurrens, nullum aditum peſtiferis conatibus patere permiſit, & ita omnes catholicos de detectione fallacis beſtiæ gaudere fecit, quaſi tunc primum ſuperbiſſimam hæreſim apoſtolicus gladius detruncaſſet.*

Non ſeceſſit interim Lerinum.

In præf. ad quæ poſtremam.

Anno 440. ſcribit Vignerius, Julianum ad inſulam Lerinenſem appuliſſe, ibique Fauſtum Abbatem, a quo cum exceptus humaniter, & per aliquot menſes fotus fuiſſet, in partes ſui erroris traxiſſe. Sed cogitando aſſequi nondum potui, cujus teſtimonio id ſcribat. An ſui illius myſtici codicis, qui penitus latet? An aliorum auctorum, qui poſſint conſuli? Cujuſcumque tamen teſtimonium illud fuerit, non facile obtinebit a me fidem.

Si enim Lerinum venit Julianus, certe poſt ſecundam ex Italia a Sixto Pontifice ejectionem, quo tempore omnibus Eccleſiæ fulminibus percuſſus, omnibuſque Principum interdictis expulſus, vagabatur tanquam alter Cain. At tunc temporis Fauſtus propter ſanctitatem morum a Maximo viro ſanctiſſimo in ſuum Abbatis locum ſuffectus fuerat. Quomodo igitur per aliquos menſes infamem hominem vir famæ integer foviſſet? Quomodo ſanctus Abbas familiariter, ut erat opus ad ineundam erroris ſocietatem, uſus fuiſſet hæretico? Quomodo id accidere potuiſſet, ſine tot ſanctorum monachorum, Vincentiique, Julianum alioquin execrantis, querela?

Deinde ſi qua Pelagiani erroris fuligo Lirinenſibus adhæſit, ut adhæſit ſane, ea certe non ex Juliani, ſed ex Caſſiani ſocietate, & multis quidem ante annis, ut ex Commonitorio Vincentii colligitur, afflata eſt.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 2.

Denique Fauſtus, cum libros de gratia & libero arbitrio, longe poſt hæc tempora factus Epiſcopus ſcripſerit, ſi ſocietatem erroris cum Juliano feciſſet, quomodo peccati originalis oppugnatores, quorum ducem tunc temporis Julianum ſciebat, inſectatus fuiſſet tam vehementi oratione, quam iſta eſt? *Sed forſitan dicas, cum hæc diſſeris, nuptias damnare deprehenderis? Non ita eſt, ordinatio nuptialis ex benedictione cœpit, generatio corruptionis ex tranſgreſſione cœpit, immaculatos thoros caro maledictioni addicta maculavit, & ſuperbiæ ſpiritus ſimplicem corrupit affectum, & ſicut immortalitatis privilegium, ita donum perdidit puritatis; non in querelam vocatur nuptialis gratia, ſed obſcœnæ paſſionis injuria; non aurum in culpam venit, ſed quidquid auro obrizo adulterinum fraus iniquitatis admiſcuit, ſicut Pelagii ſpiritum, ad meliora ſtudia a Deo conditum, corruptione peſtifera nequitia auctor infecit*, &c.

Poterat forte Vignerius, ut erat in paucis eruditus, has rationes non tantum ſolvere vi ingenii, ſed etiam arguere teſtimonio ſui illius codicis, qui jure deſideratur.

Rejicitur quoque a S. Leone.

Part. 2. cap. 6.

Ad annum 444. referre ſolent hiſtorici id quod habet auctor libri *de promiſſionibus & prædictionibus Dei*, Proſpero tributi: *In Italia quoque nobis apud Campaniam conſtitutis, dum venerabilis & apoſtolico honore nominandus Papa Leo Manichæos ſubverteret, & contereret Pelagianos, & maxime Julianum, &c.*

Qui præſcripſit modum recipiendi eos, qui ab hac hæreſi redirent ad Eccleſiam.

Epiſt. 86.

Anno 447. S. Leo modum præſcripſit, quo recipiendi forent, qui a Pelagiana ſeu Cæleſtiana hæreſi ad fidem catholicam redirent; ſic enim ſcribit ad Nicetam Aquilegienſem: *Damnent apertis profeſſionibus ſuis ſuperbi erroris auctores, & quidquid in doctrina eorum univerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur: omniaque decreta ſynodalia, quæ ad exciſionem hujus hæreſeos apoſtolicæ ſedis auctoritas confirmavit, amplecti ſe, & in omnibus approbare, plenis & apertis ac propria manu ſubſcriptis proteſtationibus eloquantur. nihil in verbis eorum obſcurum, nihil inveniatur ambiguum: quoniam novimus, hanc iſtorum eſſe verſutiam, ut in quacumque particula dogmatis execrandi, qua ſe a damnatorum ſocietate, diſcreverint, nihil ſibi ſenſuum ſuorum exiſtiment eſſe non ſalvum: cumque omnes definitiones ſuas ad ſubrependi facilitatem improbare ſe ſimulent, atque deponere, hoc tibi tota arte fallendi, niſi intelligantur, excipiant*, &c.

Moritur Julianus in ignobili oppido Siciliæ anno 454.

Anno 454. aut præcedente, mortuus eſt Julianus, in ignobili oppido Siciliæ, cum in eo poſt peragratum orbem,

orbem, inſtar fugitivi Cain, conſediſſet, & ex Epiſcopo ludimagiſter pueros aliquandiu docuiſſet. De loco alium non habeo teſtem, quam Vignerium ita ſcribentem: *Vixit ſane ad beata Fulgentii tempora, qui eum alterum Cain, hoc eſt, profugum, & omni loco extorrem appellat. Denique obiit in ignobili Siciliæ vico apud Pelagianos ex Epiſcopo ludimagiſter. Mortuo tumulum poſuerunt cum hac inſcriptione, quæ nono ſæculo adhuc legebatur:* HEIC IN PACE QUIESCIT JULIANUS EPISCOPUS CATHOLICUS.

In præf. ſapius cit.

Lib. de ſcript. eccl. cap. 45.

De tempore, hæc habet Gennadius: *Hic Julianus eleemoſynis tempore famis & anguſtiæ, indigentibus omnibus ſuis prorogatis, multos miſerationis ſpecie, nobilium præcipue religioſorum, illiciens hæreſi ſuæ ſociavit. Moritur Valentiniano Conſtantii filio Imperatore.*

Ex hoc teſtimonio concludere licet, obiiſſe Julianum, non tantum ante ann. 455. quo Valentinianus occiſus eſt, ſed circa 453. Sic enim interpretanda puto Gennadii verba, quaſi ſcripſiſſet, *imperante adhuc Valentiniano*, id eſt, paucis ante annis, quam imperare deſineret.

Defenditur Gennadius adverſus Vignerium.

In præf. cit.

Ad tempora Fulgentii vitam Juliano prorogantem.

Ex codice manuſcripto.

Gennadium accuſat Vignerius immanis erroris, ſiquidem Julianus ad tempora ſancti Fulgentii pervenerit: quod confecturum ſe ſpondet certis probationibus, tam ex Fulgentio quam ex aliis ſcriptoribus, ſimulque plura id generis, quæ multos latent, aſſerturum.

Hunc codicem eſſe mendoſum demonſtrant acta S. Fulgentii.

Intelligit autem vir eruditus nomine Fulgentii, libros, quos ſanctus ille Epiſcopus adverſus Fauſtum ſcripſit, quoſque apud ſe habuit in manuſcripto codice cum viveret. Sed oportuit codicem eſſe mendoſum: nam Fulgentius natus eſt ann. 464. Ruſpenſem Eccleſiam regendam ſuſcepit ann. 504. libros adverſus Fauſtum abſolvit paulo ante mortem Traſamundi, ſuumque ab exilio in Africam reditum, qui contigit ann. 522. fato functus eſt ann. 529. & proinde floruiſſe dici debet medio inter nativitatem & obitum tempore, id eſt, circa annum 480.

Vita S. Fulg. cap. 1. cap. 17. cap. 28. cap. 30.

Hæc cum certo conſtent, quæro ad quæ tempora Fulgentii perveniſſe dicatur Julianus. An ad tempora morientis, aut etiam ſcribentis contra Fauſtum? An ad florentis, aut naſcentis? Si ad tempora morientis: ergo Julianus protraxiſſet vitam ad 143. annum. tot enim anni intercedunt inter ortum Juliani & obitum Fulgentii, cum ille natus ſit ann. 386. aut etiam prius, iſte obierit ann. 529.

Si ad tempora ſcribentis: ergo Julianus vixiſſet ad annum 136. Si ad tempora florentis: ergo Julianus centenario major obierit, ut rationibus annorum conſtat. Si ad tempora naſcentis: ergo non immaniter erravit Gennadius, ſed ad ſummum novem annis. poteſt enim Julianus dici uno ante Valentinianum anno mortuus, id eſt, ann. 455. cum natus ſit Fulgentius ann. 464. Verum in hac parte major Gennadio, quam Fulgentio, aut alteri æqualis ætatis ſcriptori, fides adhibenda eſt, quippe viciniori, & ea ſcribenti, quæ fere haberet ante oculos.

Videtur ergo vixiſſe Julianus ſaltem 68. annos, 38. Eccleſiam turbaviſſe, & tandem miſere periiſſe, homo inquietus ac ſuperbus, indignus ſane, inquit Lirinenſis, *qui inter unitos fide, & exæquatos humilitate, divinitus reſpiceretur, dum viveret, quo malo nullum acerbius cogitari poteſt.* Unde poſt expoſitam Apoſtoli ſententiam: *Si quis ignorat, ignorabitur*; de rerum ſpiritualium magiſtro, qui ſuas opiniones ceteris præferat, & ab univerſorum ſenſibus recedat, id ait: *Juxta apoſtolicam comminationem Pelagiano illi proveniſſe cernimus Juliano, qui ſe collegarum ſenſui aut incorporare neglexit, aut excorporare præſumpſit.*

In Commonit. cap. 40.

1. Cor. 14. v. 38.

De ſcriptis a Juliano dictum eſt antea.

CAPUT VII.

De Anniano diacono Celedenſi.

Cauſa ſuſceptæ tractationis.

Epiſt. 24. inter Auguſtin.

HACTENUS inter defenſores hæreſis Pelagianæ recenſuimus Annianum quemdam, ejuſque tum in præfatione meminimus, tum in elogio Pelagii. Prævivit nobis Hieronymus, dum reſcriberet Alipio & Auguſtino. aiebat enim: *Quæritis utrum reſcripſerim contra libros Anniani pſeudodiaconi Celedenſis, qui copioſiſſime paſcitur, ut alienæ blaſphemiæ verba frivola ſubminiſtret: ſciatis me ipſos libros in ſchedulis miſſos a ſancto fratre Euſebio presbytero ſuſcepiſſe, non ante multum temporis, & exinde, vel ingruentibus morbis, vel dormitione ſanctæ & venerabilis filiæ veſtræ Euſtochii, ita doluiſſe, ut propemodum contemnendos putarem. In eodem enim luto hæſitat, & exceptis verbis tinnulis atque emendicatis, nihil aliud loquitur. Tamen multum egimus, ut dum epiſtolæ meæ reſpondere conatur, apertius ſe proderet, & blaſphemias ſuas omnibus patefaceret. Quidquid enim in illa miſerabili ſynodo Dioſpolitana dixiſſe ſe denegat, in hoc opere profitetur, nec grande eſt ineptiſſimis næniis reſpondere. Si autem Dominus vitam tribuerit, & notariorum habuerimus copiam, paucis lucubratiunculis reſpondebimus, non ut convincamus hæreſim emortuam, ſed ut imperitiam atque blaſphemiam ejus noſtris ſermonibus confutemus. Meliuſque hoc faceret ſanctitas veſtra, ne compellamur contra hæreticum noſtra laudare.*

Ex quo natæ opiniones quatuor.

De ſcript. c. 70.

Hieronymi verba retulimus, prout legi ſolent in vulgatis editionibus, etſi emendari debent: quod poſtea videbitur. Ea vero quæſtionem fecerunt, in qua eruditi, diligentius forte quam felicius, verſati ſunt: Quis, nempe, homo ille, de quo ſermo ſit? An interpres homiliarum quindecim Chryſoſtomi, quem cum Anniano viro illuſtri confudit Sigebertus? An ipſemet Pelagius nomen ementitus, quod viſum Janſenio Yprenſi? An Valerianus quidam Cyrillum conatus in partes Pelagianas adducere, quod putat Baronius? An Julianus ipſe, quod non nemini venit in mentem?

Characteres Anniani ab Hieronymo depicti.

Priuſquam hæ quæſtiones, aliæque affines ſolvantur, accipiendi ſunt characteres, quibus Hieronymus deſignat hominem, de quo ſcribit. Appellat eum Annianum, dicitque diaconum Celedenſem: dicit etiam copioſiſſime paſci, ut alienæ blaſphemiæ verba frivola ſubminiſtret, ſcribere verbis tinnulis & emendicatis, pro Pelagianis partibus, poſt emortuam & ſuffocatam hæreſim, tunc temporis cum Hieronymus ipſe Auguſtinuſque viverent. Videndum cui tandem notæ illæ ſeptem conveniant.

§. I. *De interprete homiliarum quindecim Chryſoſtomi, qualis fuerit, &c.*

Quindecim homiliæ, de quibus agitur.

PLURES habentur homiliæ Chryſoſtomi Latinitate olim donatæ, ex iis quindecim nunc ſpectantur, octo ſcilicet priores in Matthæum, quibus præfigitur epiſtola Anniani ad Orontium Epiſcopum, teſtantis, ſe has homilias in Latinum ſermonem vertiſſe; & ſeptem de laudibus Pauli, quibus pariter præponitur epiſtola Anniani ad Evangelum presbyterum, cui mittit opus a ſe tranſlatum.

Unus omnium interpres videtur.

Unum eſſe, & illarum octo, & iſtarum ſeptem homiliarum interpretem, præterquam quod eruditi confitentur, dilucide oſtendit idem nomen utrique operi præpoſitum, idem utrobique ſtylus, eædem ſententiæ, idem ſtudium erga Pelagianos, idem odium adverſus Auguſtinum, quem Traduciani & Manichæi, nomine apud Pelagianos vulgato, appellat.

Cauſæ, cur ita videatur.

In epiſt. ad Orontium.

De nomine Anniani, renuntiant oculi, de ſtylo judicat quiſquis guſtum habet, conformitatem ſententiarum vel hoc unum ſatis exemplum oſtendit. qui enim ſcribit ad Orontium, cum de Chryſoſtomo loquitur: *Ita*, inquit, *noſtrum concinit per univerſa ſententiis, ut eos pene, quos nunquam vidit, omnino ad omnem ſcripturarum intelligentiam informaſſe credatur.* Qui autem ad Evangelum: *Ut videatur*, ait, *non tam præſentes informaſſe diſcipulos, quam nobis contra veræ fidei oppugnationem auxilia præparaſſe. Quantus enim ille adverſus neceſſitatem! Quantus pro libero ſurgit arbitrio! Quam noſtrorum libris ubique concinens!*

Favet utriuſque modi homiliarum interpres Pelagianis.

Utriuſque modi homiliarum interpretem ſtudii erga Pelagianos, & illius quidem propenſiſſimi, utraque epiſtola accuſat: prior enim eſt ad Orontium, unum de Epiſcopis ob hæreſim Pelagianam ex Italia ejectis; poſterior ad Evangelum, ejuſdem factionis presbyterum. Prioris ſcriptor ſe teſtatur cum Epiſcopo *pro fide perpeti tentationem*: poſterioris auctor ſe cum presbytero conſolationem ex eo percipere, *quod ab erudito & illuſtri Orientis magiſtro videret eam, quam Traducianus in ipſis oppugnat, aſtrui veritatem.*

In epiſt. ad Evangelum.

Catholicos inſectatur.

Quid quod utraque epiſtola non tantum conviтiis in catholicos, & præſertim in Auguſtinum, ſed etiam ſententiis artibuſque Pelagianorum referta eſt, ſcilicet laudibus naturæ humanæ; liberique arbitrii, ac poſſibilitatis mandatorum Dei exaggeratione, &c.

Præſertim Auguſtinum, quem calumniatur.

Ibidem.

Adde quod in epiſtola ad Evangelum, poſt expoſitum argumentum ſingularum Chryſoſtomi homiliarum de laudibus Pauli, hæc habentur: *In quibus ſanctum illum doctorem, vas electionis, pro cunctarum ſpeculo virtutum, variis modis propoſuit, ſolvendo omnes illas quæſtiones, quibus Traducianus obnitens, beatum Paulum vitiorum offuſcatione commaculat, ut ſcilicet fidelibus ſuis apoſtolico exemplo peccata conciliet.* Alludit ſcilicet ad id, quod calumnioſe Pelagiani objicere ſolebant catholicis, & Auguſtino maxime: quaſi dicerent, *Apoſtolum Paulum, vel omnes Apoſtolos ſemper immoderata libidine fuiſſe pollutos.*

Lib. 1. ad Boniſ. cap. 8.

Nec fuit Epiſcopus, neque presbyter.

Porro autem interpres ille, neque Epiſcopus fuit, neque presbyter. Nam Orontium vocat patrem, & Evangelum ſanctum presbyterum: vocaturus utique, illum quidem Coëpiſcopum, ſi fuiſſet ipſe Epiſcopus; iſtum vero compresbyterum, ſi presbyter; utrumque fratrem, ſi in eodem gradu conſtitiſſet, ut ferebat mos illorum temporum.

Scripſit vivente Auguſtino.

Scripſit temporibus Auguſtini, quibus nempe & Orontius vixit, & hæreſis Pelagiana, ſtrenue rem urgente Auguſtino cum ſuis, acrius premebatur, imo jugulabatur, atque etiam emoriebatur. Sic enim alloquitur Orontium: *Me inter eas, quas pro fidei vobiſcum amore perpetimur, tentationum procellas, & a mærore ſimul & a torpore ſubducis, animumque anxietate marcentem ad ſtudium litterarum remittis.* Et paulo poſt: *Hoc maxime tempore, quo per occaſionem quarumdam nimis difficilium quæſtionum, ædificationi morum atque eccleſiaſticæ diſciplinæ ſatis inſolenter obſtrepitur, pro qua certe beatus Joannes, cum in aliis operibus, tum in hoc quoque, tantus fere ubique, tamque alacer inſurgit, ut Evangeliſtæ dicta interpretando, pro evangelica perfectione nobiſcum videatur pugnare. Quid enim ille magis hominibus inculcat, quam naturæ ſuæ nobilitatem, quæ adverſus Manichæi rabiem omnium recta ſapientium conſenſu conventuque laudatur? Laudatur autem vel in admirabilis gloriam conditoris, vel ob concitanda ſtudia virtutis, vel ad caſtiganda vitia voluptatis,* &c.

In præf. ad homil. Chryſoſt. in Matth.

Nota Pelagianorum ſolemnem querelam.

Refellitur Sigebertus aberrans uno fere ſæculo.

Atque inde refellitur manifeſte Sigebertus, qui virum illuſtrem, a quo vel breviatus eſt codex Theodoſianus, vel recognita juſſu Alarici atque approbata breviatio ab alio facta, cum interprete homiliarum in Matthæum confudit. *Annianus*, inquit, *vir ſpectabilis, jubente Athalarico rege*, (Alaricum debuit dicere) *volumen unum de legibus Theodoſii Imperatoris edidit, & monente Orontio Epiſcopo librum Joannis Chryſoſtomi in Matthæum de Græco in Latinum tranſtulit.* Aberrat enim uno fere toto ſæculo: nam interpres homiliarum ſcripſit, vivente Auguſtino, id eſt, ante annum 430. in quem incidit Auguſtini obitus. Vir illuſtris, quod navavit operæ in codice Theodoſiano, id præſtitit ann. 22. Alarici, qui fuit Chriſti 506.

§. II. *De interprete homiliæ Chryſoſtomi ad neophytos.*

De homilia ad neophytos.

Lib. 1. adverſus Auguſtinum.

PRÆTER homilias iſtas quindecim, de quibus dixi, eſt alia ad neophytos, de qua Julianus cum Auguſtino altercatus eſt: inde idem adhibens teſtimonium, quo, cum ſcriberet ad Zoſimum Papam nomine octodecim Epiſcoporum, viſus fuerat peccatum originis tollere. Græcus textus nunc non extat, fuit olim viſus Auguſtino, qui fragmenta duo refert, & hoc præſertim: διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν καίτοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα. quibus ex verbis Auguſtinus fraudis arguit Julianum, vel potius interpretem, qui vertiſſet: *Hac de cauſa etiam baptizamus infantes, cum non ſint coinquinati peccato*; quaſi voluiſſet ſignificare, a Chryſoſtomo negatum, contra fidem Eccleſiæ, peccatum originale.

Lib. 1. adverſ. Jul. cap. 6.

Sed audiendus Auguſtinus: *Comparans ergo eos* (infantes) *Joannes majoribus, quorum propria peccata dimittuntur in baptiſmo, dixit illos* non habere peccata; *non ſicut verba ejus ipſe poſuiſti*, non eſſe coinquinatos peccato, *dum vis utique intelligi*, non eos peccato primi hominis inquinatos. *Verum hoc non tibi tribuerim, ſed interpreti: quanquam in aliis codicibus eamdem interpretationem habentibus*, *non* peccato, *ſed* peccatis *legatur. Unde miror, ſi non aliquis ex numero veſtro ſingularem maluit numerum ſcribere, ut illud acciperetur unum, unde dicit Apoſtolus:* Nam judicium quidem ex uno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in juſtificationem. *Ibi quippe unum, nonniſi unum delictum vult intelligi, quo nolentes credit parvulos inquinatos, non eos* peccata non habere. *quod ait Joannes, ne intelligerentur propria:* vel peccatis, *ſicut habet in aliis codicibus eadem interpretatio, ſed* peccato non inquinatos *dicere maluiſtis, ut unum primi hominis peccatum veniret in mentem. Sed ſuſpicionibus non agamus, & hic vel ſcriptoris error, vel varietas putetur interpretis, ego ipſa verba Græca quæ a Joanne dicta ſunt, ponam*, διὰ τοῦτο, &c.

Ibidem.

Rom. 5. v. 16.

Ex Auguſtini verbis concludo primum, jam inde a temporibus, quibus ſcribebat Auguſtinus, (ſcribebat vero ann. 421.) varias fuiſſe in variis codicibus hujuſce interpretationis lectiones. Quanquam in libello fidei, quem Julianus edidit, periode legitur, atque objectum eſt Auguſtino. Alterum, hunc interpretem fuiſſe de numero Pelagianorum. Tertium, hunc ipſum ſcripſiſſe ante natas Auguſtinum inter & Julianum concertationes; natæ ſunt vero ann. 418. quo primum Julianus, adverſus priorem Auguſtini librum *de nupt. & concup.* quatuor libros elaboravit. Poſtremum, hujuſce homiliæ interpretem non differre ab Anniano, qui alias vertit: nam & idem ſtylus eſt, eademque Latinitas, & uterque labor hominis Pelagiani, & ætas eadem, & alia fere omnia adjuncta.

Quatuor ex Auguſtini Verbis concluduntur.

Inde concludo, & mea quidem ſententia, nec temere, nec obſcure, interpretem homiliæ, qua de agimus, non alium eſſe, quam Annianum illum, cujus duæ ſunt epiſtolæ: altera ad Orontium Epiſcopum, præfixa, ut dictum eſt, homiliis octo prioribus Chryſoſtomi in Matthæum; altera ad Evangelum presbyterum, quæ locum tenet præfationis in ſeptem ejuſdem Chryſoſtomi homilias, de laudibus Pauli Apoſtoli.

§. III. *Quod Annianus diaconus non ſit diverſus ab interprete homiliarum.*

JAM vero id oſtendendum eſt, propter quod maxime inſtituta eſt quæſtio, Annianum ſcilicet, cujus Hieronymus meminit, non alium eſſe ab interprete homiliarum, ſed unum plane ac eumdem. Id autem facile conficitur: nam idem eſt nomen, Annianus; idem in Eccleſia gradus, minor presbytero; idem animi ſtudium, propenſum in Pelagianos, averſum a fidei defenſoribus; eadem ætas, vivente Auguſtino; eadem ſcribendi cauſa, parere Pelagianis; idem ſcribendi tempus, poſt jugulatam emortuamque hæreſim, cum hæretici peſſime odiſſent, per quos putarent, ſe libertatem docendi erroris perdidiſſe, & quos gladio non poterant, voto interficerent, quemadmodum loquitur Hieronymus.

Annianus Diaconus idem cum interprete homiliarum.

Atque hinc diluitur conjectura Janſenii Yprenſis, quam aliis quibuſdam placuiſſe novi, Annianum, cujus meminerunt Hieronymus & Auguſtinus, non alium eſſe quam Pelagium, qui nomen ementitus ſit. Nam ut alia nunc taceam, Pelagius, ſi credimus Augu-

Epiſt. 24. inter Auguſtinian.

Opinio Janſenii Yprenſis de Pelagio.

Lib. 1. de hær. Pelag.

Auguſtino libro de geſtis Palæſtinis, & Oroſio in apologia, Græce adeo nihil ſciebat, ut per interpretem Græcis hominibus reſpondere Dioſpoli coactus ſit; ſciebat autem plurimum Annianus, ut ex verſionibus conſtat.

Orta ex teſtimonio Hieronymi male intellecto.

Objici poteſt in contrarium dictum illud Hieronymi, quo adductus eſt Yprenſis in ſuam conjecturam: *Egimus*, inquit loco mox citato, *ut dum epiſtolæ meæ reſpondere conatur, apertius ſe proderet, & blaſphemias ſuas omnibus patefaceret: quidquid enim in illa miſerabili ſynodo Dioſpolitana ſe dixiſſe denegat, in hoc opere profitetur*. Hinc enim conſequens videtur, ut Celedenſis pſeudodiaconus idem ipſe ſit, qui Dioſpoli denegavit, quod in opere adverſus Hieronymum facto, id eſt, ut quidem conjicit Yprenſis, in libris quatuor *de libero arbitrio*, poſtmodum profeſſus eſt.

Rejicitur ſex ob cauſas.

Verum ſuam habet objectio a præcedentibus verbis ſolutionem. Nam primum pſeudodiaconus dicitur ab Hieronymo copioſiſſime paſci; ut alienæ blaſphemiæ verba ſubminiſtret. Cujus autem fuit aliena illa blaſphemia, niſi Pelagii? Deinde libri, quos Annianus compoſirit adverſus epiſtolam Hieronymi ad Cteſiphontem, ab Euſebio presbytero miſſi ſunt in Orientem ad Hieronymum ann. 419. quo feliciter ad Deum tranſiit ſancta virgo Euſtochium: atqui tunc temporis Euſebius in Occidente verſabatur, in Oriente Pelagius: quomodo igitur qui in Oriente poſitus erat Hieronymus, ubi publicati fuerant a Pelagio libri *de libero arbitrio*, indiguit eos ab Occidente accipere? Deinde libri quatuor *de libero arbitrio* non modicum opus erant: oportet vero non fuiſſe grandes, quos in ſchedis Hieronymus accepit. Diende libris quatuor *de libero arbitrio* reſpondit Auguſtinus ann. 418. ſub finem: at ann. 419. nondum libris Anniani reſponſum erat, quærebantque Alipius & Auguſtinus, an porro reſpondendum eſſet. Deinde non poterat libris Anniani reſponderi, quin Hieronymus ſuis laudibus cumularetur: de Hieronymo ſiluit Auguſtinus in libro *de gratia Chriſti*, non taciturus utique, ſi qua ſe dediſſet occaſio, ut in libro *de natura & gratia*, cum Hieronymi cauſa per ſe amici, tum propter Albinam, Pinianum & Melaniam, ad quos ſcribebat, quique neceſſitudinis communi vinculo utrumque fidei defenſorem complectebantur. Denique Anniani libri prius innotuerunt Alipio & Auguſtino in Africa, quam Hieronymo in Oriente; hos enim non accepit, niſi paulo ante dormitionem Euſtochii, quæ incidit in diem 28. Septembris ann. 419. At Alipius Auguſtinuſque jamdudum de ipſis ad Hieronymum ſcripſerant, per Innocentium presbyterum, qui dicitur a ſynodo Africana ad Cyrillum miſſus, ad conquirendos canones Nicænos, quique proinde ſolverat ex Africa ſub finem menſis Maii ann. 419. Non ergo libri illi ſcripti ſunt a Pelagio, quippe qui ann. 418. in Oriente verſatus ſit, & antea quoque libros de libero arbitrio ediderit.

Auguſt. lib. de gratia Chriſti.

Emendatur locus Hieronymi.

Qua ratione igitur ſolvendus ille nodus, quem Hieronymus dicto ſuo implicat? Suſpicor in vulgatis editionibus epiſtolæ, qua de agitur, deeſſe vocem unam, totumque locum ita emendandum: *In eodem luto hæſitat, & exceptis verbis tinnulis atque emendicatis, nihil aliud loquitur. Tamen multum egimus, ut dum epiſtolæ meæ reſpondere conatur, apertius ſe proderet, & blaſphemias ſuas omnibus patefaceret: quidquid enim in illa miſerabili ſynodo Dioſpolitana dixiſſe ſe* Pelagius *denegat, iſte in hoc opere profitetur*. Sic enim omnia facile conſiſtunt, alioquin *ἀσύστατα*, & plane veris pugnantia, nec aliunde deſit ratio emendationis. nam Hieronymus Annianum cum Pelagio conferre videtur, Annianumque accuſare, quod in eodem ac Pelagius luto hæſitet, quodque nihil aliud loquatur, ſed tantum, quod diſertius atque curioſius.

Rejicitur aliorum pariter conjectura de Valeriano quodam.

Hinc refellitur quoque opinio quorumdam, quibus venit in mentem, Annianum, de quo agimus, non eſſe diverſum a Valeriano, qui ex Italia Alexandriam trajecit, ut Pelagianam hæreſim, ſi qua poſſet, in nobiliſſimam Eccleſiam inveheret, atque in Cyrilli amicitiam ſubrepens, id tentaret in Ægypto, quod Cæleſtius in Africa & Sicilia, quod Pelagius Romæ & Hieroſolymis, quodque Julianus Conſtantinopoli & Theſſalonicæ molitus eſſet: Pelagiani ſiquidem nullam majorem ſedem non conati ſunt, per fraudem, in ſuas partes vel inclinare, vel trahere.

Rejicienda ratio.

Verum, etſi hanc conjecturam non mediocriter adjuvet epiſtola, qua Euſebius, Cremonenſis ut videtur Epiſcopus, Cyrillum monet de cavendo Valeriano: quemadmodum prius, ut ſibi quidem perſuadet Baronius, ſignificarat Hieronymo, ſcriptam ab Anniano diacono ſuæ ad Cteſiphontem literæ reſponſionem; vix tamen adduci poſſum ut credam, *ſervum Valerii comitis*, qualem Euſebius depingit, *ventriloquum & ventri deditum*, cæteriſque vitiis infamem, a veteribus recenſitum in numero eccleſiaſticorum ſcriptorum.

In annalibus ad ann. 417. num. 15.

Conjectura non improbabilis de Valeriano illo.

Quanquam non aberraturus ſit forte procul a vero, qui Valerianum, cujus meminit Euſebius Epiſcopus, ſenſerit Valerio comiti inſinuaſſe calumnias Pelagianorum in defenſores peccati originalis, & excerpta de quatuor Juliani libris contra Auguſtinum, non admodum fidelia confeciſſe.

Valerianum dico, cujus meminit Euſebius Epiſcopus: nam Euſebius alter, a quo Hieronymus Anniani diaconi libros accepit, Epiſcopus certe non fuit, ſed tantum presbyter, ſi quidem ſcribit Hieronymus & ipſe ſolum presbyter, *eos ſe libros a ſancto fratre Euſebio presbytero miſſos ſuſcepiſſe*.

Epiſt. 24. inter Auguſt.

Rejicitur etiam ſuſpicio de Juliano.

Refellitur pariter ſuſpicio non levis, quæ incidere poſſet non neminis animo, Annianum diaconum Celedenſem non eſſe diverſum a Juliano, qui ſuam ipſe Latinitatem commodavit Pelagio; & ſi credimus Mercatori, a Pelagianis conductus eſt ad ſuas partes defendendas. Quidni enim nomen fuerit ementitus, & in Occidente ſcripſerit, quod Euſebius in Orientem mitteret, quodque prius in Africam ad Auguſtinum perveniret ex vicina Sicilia, quam ad Hieronymum Bethleemi poſitum? Julianus certe non mediocriter Græcæ linguæ peritus fuit, ſiquidem dicitur a Gennadio, *Græca & Latina lingua ſcholaſticus*.

Lib. de ſcript. eccleſ. cap. 45.

Verum credibile non eſt Julianum, aut Pelagianis ſe locaſſe, cum per ſe dives eſſet: aut homiliam ad neophytos interpretatum fuiſſe, cum jam ante motas contentiones ſuam haberet interpretatio illa auctoritatem: aut alios libros ſcripſiſſe pro ſua hæreſi, quam quos vel ipſe, vel Mercator, vel Gennadius memoraverit: aut in Sicilia edidiſſe quidquam, quod Auguſtinus propter viciniam non probe ſciret: aut denique diaconi Celedenſis nomen ementiri voluiſſe pugnaturum adverſus Hieronymum, qui gloriæ duceret præſtantiſſimos quoſque Eccleſiæ catholicæ doctores aperto marte aggredi, & ſuperbe deſpicere.

---

§. IV. *Reliqua pertinentia ad Annianum diaconum Celedenſem.*

Annianus Latinæ gentis.

HIs ita conſtitutis de perſona Anniani, inquirendum deinceps de Celedenſi, vel patria, unde originem duxit, vel Eccleſia, cui miniſtravit. Annianus certe Latinæ gentis fuit, quod ipſe teſtatur in epiſtola ad Evangelum: *Juſſiſti*, inquit, *ut ex beati viri Joannis operibus in noſtram linguam aliqua transferrem*, &c.

Epiſt. ad Evangelum.

Unde ortus, & dictus Celedenſis.

Cum ergo Latinus fuerit, Julianique Apuli, Cæleſtii Campani, aliorumque Pelagianorum ejuſdem regionis aut finitimæ amicus, Campanum & ipſum fuiſſe, ex oppido Celenna ſeu Celena, opinari quid vetat? Ut error irrepſerit in Hieronymum, nec ille difficilis, quippe in voce non celeberrima. Certe qui Celedenſis nomen uſurpaverit, præter Hieronymum, ignorare ſe fatetur Ortelius; & nos vidimus non ſemel in MM. SS. codicibus literam N. ſic efformari, ut pronum fuerit mutari in D, a lectore non curioſiſſimo. Verum cum Celena nullam ſcribatur habuiſſe Eccleſiam, Annianum oportet Celenenſem appellatum a loco, non in quo miniſtraverit, ſed ubi natus ſit.

Conjectura non improbabilis de errore illapſo in vulgatas editiones.

In theſauro geograph.

Difficultatem patitur ab Hieronymi teſtimonio.

Quanquam ut huic conjecturæ, etſi non minimam ſimilitudinem veri præferat, non ita libenter aſſentiar, retinet me epiſtola Hieronymi ſcribentis ad Mar-

Epiſt. 77.

63

cum presbyterum Celedenſem. vix enim credidero; & in iſtum quoque locum mendum irrepſiſſe. Sin minus autem irrepſerit, fateri oportet aliquam fuiſſe Eccleſiam Celedenſem: ſi quidem vix ullum apud veteres, ut opinor, reperire eſt exemplum vel Epiſcopi, vel presbyteri, vel diaconi aliunde quam ab Eccleſia, cui addictus ſit, appellationem ſortiti.

Incertum, cujus Eccleſiæ diaconus fuerit Annianus.

Incertum eſt, an Orontii Epiſcopi diaconus fuerit, & ejuſdem cum Evangelo presbytero Eccleſiæ miniſter. Neque enim id definiri poteſt ullo alterutrius epiſtolæ teſtimonio: imo in partem negantem nonnihil præjudicii forſan iode extiterit, quod ſi in Eccleſia Orontii, vel in eadem cum Evangelo, militaſſet, inter afferendas parendi cauſas juſſis Orontii Evangelique, hanc utique non omiſiſſet, quæ unicuique obvia eſt: fas nimirum eſſe, diaconum & Epiſcopo ſuo, & presbytero parere.

Certum vero, dictum eſſe armigerum Pelagii.
Apolog. cap. 2.

Nullus fere dubito, quin is ipſe ſit, quem Paulus Oroſius armigerum Pelagii nominat: *Stat etiam*, inquit, *immaniſſimus ſuperbia Goliath, carnali potentia tumidus, omnia ſe per ſe poſſe confidens, caput, manus, totum inſuper corpus plurimo apparata veſtitus, habens poſt ſe armigerum ſuum, qui, & ſi ipſe non dimicat, cuncta tamen æris & ferri ſuffragia ſubminiſtrat.*

Certum quoque, unum eſſe de dictaturibus ab Oroſio memoratis.
Ibid. cap. 25.

Neque etiam mihi dubium eſt, quin ſit unus ex illis dictatoribus, de quibus loquitur Oroſius, cum, poſt exprobratam Pelagio impudentiam ſententiæ in epiſtola ad Demetriadem contentæ, pergit in hæc verba: *Quanquam hoc quod neque apto, neque decore dicitur, tibi imputare non debeamus, cui neque natales dederunt, ut honeſtioribus ſtudiis erudireris, neque naturaliter provenit ut ſaperes; ſed illis dictatoribus tuis, qui oniſerum ſenſum miſerrimo ſermone conſcribunt, & te legendam cachinnais, quaſi titulum confuſionis, exponunt.* Quare diſertam illam epiſtolam, ſenſu quidem Pelagii, ſed Anniani verbis, ſcriptam fuiſſe, non temere quiſpiam conjecerit.

Certum pariter, fuiſſe interpretem Pelagii in ſynodo Dioſpolitana.

Imo nec ambigo, quominus ſit interpres ille malignus, qui, & in conventu presbyterorum, Joanni; & Dioſpoli, Patribus reſponſa Pelagii Latine loquentis Græce exponeret, nec tamen ſatis fideliter; quod de conventu Oroſius, de concilio Dioſpolitano Auguſtinus queritur. Quanquam Oroſius difficultatem creat, cum interpretem accuſat imperitiæ alterutrius linguæ, cujus nemo Annianum reum jure fecerit. Sic enim ait: *Propter imperitiam ignoti nobis interpretis, quem ſæpiſſime viri primarii & religioſi, Poſſerius & Avitus presbyteri, & Dominus ex duce, vel pravo interpretantem, vel plurima ſupplementem, vel alia ex aliis ſuggerentem, confutarunt.*

Ibid. cap. 3.

Verum, quæ interpreti objiciuntur, minus imperitiæ ſunt, quam improbitatis: quare imperitiam ab Oroſio objectam interpretor ego improbam hominis fallere volentis calliditatem, qui quæ pervertere tentabat, non ſatis intellexiſſe ſe fingeret, affectata, ſi modo argueretur, excuſationis occaſione.

De ſcriptis ab Anniano.

Quæ ſcripſerit, ſive ſuo marte, ſive aliena interpretans, ex dictis fere conſtat; operæ tamen pretium eſt ſingula per ſynopſim exhibere, quorum quæ ſuperſunt, ſub finem cum Pelagianis aliis colligentur.

HOMILIA AD NEOPHYTOS.

Tom. v. operum Chryſoſtomi editionis Latinæ, & tom. 11. editionis Græco-Latinæ.

EPISTOLA SEU LIBER AD DEMETRIADEM VIRGINEM.

Reperitur ubique paſſim, erat olim epiſtola 142. inter Auguſtinianas: ſed nulla ætas paulo doctior non animadvertit, hanc neque eſſe Auguſtini, neque Hieronymi, cujus in appendice tom. 11. invenitur.

LIBRI ADVERSUS EPISTOLAM HIERONYMI AD CTESIPHONTEM.

Nihil eorum ſupereſt, præter memoriam apud Hieronymum, *epiſtola 24. inter Auguſtinianas, & 98. inter Hieronymianas.* Periit etiam epiſtola Alipii & Auguſtini ad Hieronymum, in qua fiebat de ipſis mentio.

EPISTOLA AD EVANGELUM PRESBYTERUM, PRÆFIXA HOMILIIS SEPTEM CHRYSOSTOMI DE LAUDIBUS PAULI.

Tom. v. editionis Græco-Latinæ, & tom. 111. Latinæ, & apud Bedam tom. vi.

EPISTOLA AD ORONTIUM EPISCOPUM, PRÆPOSITA HOMILIIS OCTO PRIORIBUS IN MATTHÆUM.

Tom. 1. editionis Commelinianæ, & tom. 11. editionis Latinæ.

Obſervandum inter homilias Chryſoſtomi, quarum antiquus interpres dicitur ignotus, plures eſſe, ſi non fere omnes, quæ ſine temeritatis vitio poſſint tribui Anniano, duabus præſertim de cauſis; altera, quod ſimili latinitate cum iis, quæ indubitatum habent interpretem Annianum, videantur donatæ; altera, quod ejus pene ſint argumenti, quod licet in bonum ſenſum a catholicis tractaretur, a Pelagianis tamen detorqueri ſolebat in ſuæ hæreſis patrocinium.

CAPUT VIII.

De auctore libri quæſtionum novi ac veteris teſtamenti.

Cauſa ſuſcepti examinis de libro Quæſtionum, &c.
Lib. de hær. Pelag. ubique paſſim.

TOMO quarto operum Auguſtini reperitur liber *de quæſtionibus veteris & novi teſtamenti*, qui vulgo creditur, dicitur certe a Janſenio Yprenſi, plenus erroribus Pelagianis: quare maximi eſt momenti ad rem, quam agimus, imo neceſſarium, explorare diligentius, an res ita ſe habeat. Si enim popularis illa credulitas probabilitate non caret, dici debet hæreſis, quæ poſtmodum a Pelagio nomen accepit, jam inde ab anno circiter 373. Romæ viguiſſe, aliumque parentem habuiſſe, quam Theodorum Mopſueſtenum; atque ita falſo ſcripſerit Mercator, *hanc inimicam rectæ fidei quæſtionem, a Rufino quodam Syro, Romam temporibus Anaſtaſii primum invectam.* Siquidem ſcribit auctor quæſtionum, ea ſe in urbe, longe ante hæc tempora, opus edidiſſe.

Præf. in lib. Subnot.

Variæ doctorum ſententiæ.

Sunt qui tribuant id totum operis Hilario diacono, cujus etiam feruntur eſſe commentarii in epiſtolas Pauli Ambroſio ſuppoſiti: videtur enim utrumque opus, eodem tempore ſcriptum, eodem ſtylo ſimilique doctrina; imo, ſi qua fides danda eſſet Lovanienſibus, Bellarmino, & Yprenſi Janſenio, iidem Pelagiani errores in utroque ſcaterent.

Quæ vocantur ad examen.

Ego quidem non inficior, quin quæſtiones, ipſique commentarii nonnullis erroribus fœdentur, Pelagianis infici vix aſſentiar. Nam quæ ad id probandum afferri ſolent, ea, vel alieno ſenſu accipiuntur, vel per ſe ſunt ambigua, vel ſaltem non procul recedunt a ſententia Patrum, etiam illorum, quos Auguſtinus laudat, velut fidei catholicæ magiſtros. Quæ vero faciunt ad refellendam hanc errorum objectionem, adeo aperta ſunt, adeoque clara, ut ſufficiat pene ſolus oculorum ſenſus ad utriuſque operis auctorem abſolvendum. Eſt igitur operæ pretium, & hunc librum quæſtionum, & præfatos commentarios, diligentiori cura ad examen vocare, ſed quæſtiones primum, deinde commentarios.

Obſervatio prima, de partibus quatuor totius operis.

Habet autem quæſtionum volumen, prout editum eſt a Lovanienſibus in appendice tomi quarti operum Auguſtini, partes omnino quatuor, quarum prima complectitur quadraginta ſeptem quæſtiones ex vetere teſtamento. Secunda, quinquaginta ex novo. Tertia triginta ex utroque mixtim. Quarta ex utroque pariter ſexaginta quinque.

Secunda, de tribus prioribus partibus.

Tres priores partes videri poſſunt eſſe inſtar integri cujuſdam operis. In quarta nihil aliud continetur, quam primæ & ſecundæ interpolata repetitio. Neque vero fuit poſita in editione operum ſancti Auguſtini,

Tertia, de quarta parte.

ſtini, quam Baſileæ accuravit Eraſmus; ſed addita eſt multis poſt annis a Jacobo Hæmereo, ex vetuſtiſſimo, ut ait, codice bibliothecæ Victorinæ Pariſienſis: imo ſcripta videtur ab homine, qui cum plus otii haberet, quam vel eruditionis vel judicii, poſt lectum aliud opus, voluerit forte experiri, quid ipſe poſſet addere: & addidit ſane plurima, ſed neque bona, neque bono ſermone. quare tota hæc pars prætermittenda merito eſt, tanquam res vel nullius, vel parvi pretii; quod miror a Lovanienſibus non fuiſſe animadverſum.

Quarta, de examine priorum trium.

De priore igitur opere veniunt ad examen potiſſimum tria: primum, an id totum, cujuſcuoque tandem ſit, ita ſcateat erroribus Pelagii, ut propterea debuerit auctor dici *perfectus Pelagianus, & fideliſſimus Pelagianorum interpres: adeo ut in tradenda Pelagianiſmi ſinceritate ipſum ſuperaverit Pelagium, omniumque accuratiſſime myſteria Pelagiana explicuerit.* Alterum, an unum ſit opus, quod uno nomine quæſtionum appellatur. Poſtremum, a quo ſit auctore, quo tempore, & ubi ſcriptum.

---

§. I. *An volumen quæſtionum veteris & novi teſtamenti inquinetur erroribus Pelagianorum.*

Inquinari affirmant Lovanienſes, &c. Silet Eraſmus, & ſilentio negat.

SUNT qui affirment, iique nec pauci, nec ignoti, Lovanienſes, Bellarminus, Janſenius Yprenſis, & alii librorum cenſores. Eraſmus tamen in cenſura, cum plurima objiceret auctori hujuſce operis, quibus ei detraheret, ſi quid hactenus obtinuiſſet fidei, de Pelagianiſmo nihil omnino dixit, dicturus utique, ſi quid ejuſmodi videre ſibi viſus fuiſſet. Nam quo validiore argumento efficeret id, quod maxime contendebat, librum quæſtionum non eſſe elaboratum a Pelagii, hæreſiſque Pelagianæ domitore Auguſtino?

Et quidem juſta de cauſa.

Eraſmo aſſentior hac in parte, tum quia quæſtionum auctor aperte convellit omnia hæreſis Pelagianæ fundamenta; tum quod objecta in contrarium, partim ambigua ſint, partim ſuppoſita, partim non ſatis aut fideliter allata, aut erudite intellecta, omnia certe tunc temporis a Patribus communiter dici ſolita.

Nam hæreſis Pelagiana quinque dogmatibus continetur.

Et vero hæreſis Pelagiana, prout a veteribus expoſita eſt, & a Zoſimo Pontifice damnata, quinque dogmatibus continebatur: *Quod Adamus ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet. Quod peccato ſuo ſoli ſibi nocuerit, & non poſteris. Quod poſſit homo per liberum arbitrium, tanquam per ſe ſibi ſufficeret, implere quod velit; vel etiam quod meritis operum a Deo gratia unicuique detur. Quod libido ſit naturale bonum. Et quod parvuli non trahant originale peccatum.* At contra hæc quinque ita ſentit quæſtionum auctor, ut integerrimus quiſque catholicus, ſaltem ſuæ aut vicinæ ætatis, puta Chryſoſtomus, Hieronymus, & alii.

De omnibus catholice ſentit.

Et primo quidem, de mortalitate Adami.

Et contra primum quidem, de mortalitate Adami. QUÆSTIONE VI. *Dictum Adæ & Evæ eſt:* Qua die manducaveritis, morte moriemini; *& utique non ſtatim mortui ſunt, ſed poſt longum temporis intervallum: ſed quia jam ſpem immortalitatis amiſerant, futura mors præſens dicta eſt, quia hæc cœpit in ſpe haberi.*

QUÆSTIONE XIX. *Deus hominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, ut ipſe ſibi auctor eſſet ad vitam, aut ad mortem; ut cuſtodiens ſe a peccato, labore ſuo gauderet, eſſe ſe immortalem; negligens vero factus, ipſe ſibi imputaret, quia cœperat eſſe mortalis.*

QUÆSTIONE XXXIV. *Vita & mors ſic a Deo eſt, quia legem dedit, quæ ſervantibus ſe vitam promittit; contemptoribus vero mortem, ſed illam quæ ſecunda dicitur. Dum enim unumquemque adjudicat, quod mereatur, ab ipſo eſt, ſive abſolutio ad vitam, ſive reatus ad mortem. Non ergo inventor mortis eſt, ſed judex, quia mortis auctor peccatum eſt. Quomodo ergo Deus poterat facere mortem, qui neſcit peccare? Sed cum peccatis retribuit, ab ipſo dicta eſt eſſe mors, cum non ex ipſo ſit, ſed ex hoc qui peccavit.*

QUÆSTIONE CXVI. *Mortis auctor qui eſt diabolus, quoniam peccaſſe in morte Salvatoris inventus eſt, ſanguinem ejus cum omnium noſtrum amiſit: quia ſicut per unum Adam peccantem omnes in morte tenebat, ita per unum non peccantem omnes amiſit.*

Deinde, de humano genere læſo per peccatum Adami.

Contra ſecundum vero, quod peccato ſuo Adamus poſteris non nocuerit. QUÆSTIONE XLVII. *Promiſcue Propheta locutus eſt, ut dono Dei indigere ſignificaret; ut ſive peccatores, ſive juſti, Dei miſericordiam expectaſſe noſcerentur: peccatores propter delicta propria, ut de faucibus mortis eriperentur: juſti vero paterno abſoluti peccato, deleta ſententia data in Adam, per quam cuncti tenebantur.*

QUÆSTIONE XXCIII. *Diabolus ſuperato homine triumphaverit, hic victus genus ſubjecit peccato.*

QUÆSTIONE CXII. *Et ſequitur:* Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum. *Nunc hoc adjecto cauſam infirmitatis humani generis memorat, quia facile eſt homini peccare, ut examen circa ſe judicis mitiget. Primæ enim culpæ facit mentionem, ex qua prævaricando Adam genus humanum obnoxium fecit peccato. Suaſu enim & fallacia inimici iniquitatem concipiendo, omne ſemen ſuum iniquitati ſubjecit, ut ex eo omnes per traducem geniti, peccato eſſent obnoxii. Propterea adjecit:* Et in delictis concepit me mater mea; *ut ab Adam derivatio facta peccati, conceptis & natis impedimento eſſet ad bonam vitam agendam.*

Tertio, de impeccantia.

Contra tertium, quod ſimplex non erat, ſed ſaltem duplex, de impeccantia & gratiæ adjutorio, ita ſenſit, ut primam partem Pelagiani erroris aperte oppugnaret, de altera exquiſite, & pene curioſe, ſententiam diceret cum Patribus ejuſdem ævi. De impeccantia igitur. QUÆSTIONE CIX. *Humana natura, quia perfectionem divinitatis non habet, per exercitium & colluctationem proficit, ut melior fiat, cum plus vincit quam vincitur. Si enim ſic ageret, quod impoſſibile eſt, ut nunquam peccaret, melior Deo fieret. Quod abſit, quia natura quæ poteſt peccare, ſicut & non peccare, ſi ſemper vinceret, illi naturæ præponenda erat, quæ ideo non peccat, quia impaſſibilis eſt.*

QUÆSTIONE CXII. *Cor autem mundum ſic poteſt habere, ſi neque intus, neque foris delinquat: hoc eſt, neque in opere, neque in cogitatione. At quia prope impoſſibile eſt, ut in omnibus ſervetur, vel in Dei cauſa ſervandum eſt, quæ principalis eſt. Etiam mundum cor in ſacramento Dei & Chriſti cuſtodiatur, dum fides inviolata ſervatur: quia & in alio loco dicitur:* Quis gloriabitur mundum ſe habere cor, *aut immunem eſſe a peccatis?*

QUÆSTIONE CXV. *Nemo inveniri poteſt, qui bene faciat ſemper,* &c

Et de gratia habituali.

De gratia divina duæ ſunt quæſtiones: una de habituali, ut aiunt, quæ juſtitia inhærens & pignus adoptionis; altera actualis, qua præſtamus opera pietatis. De priore, quid dici potuit exactius, etiam ad ſcholæ ſenſum, ſi voces excipias?

QUÆSTIONE CXXV. *Hoc eſt ſignum credentium, quod ſint Filii Dei, ut cum hunc* (Spiritum ſanctum) *accipiunt, Dei ſe Filios audeant appellare: niſi enim ſignum divinitatis habuerint, Dei Filii dici non poterunt. Quanquam aliquis verus Dei Filius non eſt, ut ſit totus de toto, ſicut & Chriſtus; per adoptionem autem fiunt Filii Dei, ut accipientes ſpiritum Chriſti, per ipſum Filii Dei dicantur, per id quod de Deo eſt, quem in ſe habent ſpiritum, in Filiis enim quamvis adoptivi ſint, patris tamen ex aliqua parte debet videri ſubſtantia. In mundo enim, quia res imperfectæ ſunt, adoptati ab hominibus filii, nullum pignus, ſed ſolum nomen accipiunt: Deus autem, quia perfectus eſt, plus facit, ut adoptatis ſpiritum ſuum det, per quem aliquam veritatem adoptati ab eo videantur habere, quia vocabula ſine rebus inania ſunt.*

Atque etiam actuali.

De gratia actuali docet Auguſtinus, eam dari a Spiritu ſancto humilibus & de ſe non præſumentibus, merito fidei; quæ & ipſa ſit donum Dei, ad actus omnes pietatis præſtandos, vincendaſque tentationes; quæ det ipſum quoque poſſe agere divina, ſitque cœleſte quoddam lumen, & ſpiritus juſtitiæ. Hæc autem omnia quam manifeſte docet quæſtionum auctor!

QUÆSTIONE CXXIII. *Si perfectus factus eſſet, ut nullius egeret, non fuerat homo, ſed Deus, neque circumventus prævaricaſſet; Spiritum autem ſanctum habere,*

64

bere, ultra naturam & perfectionem hominis eſt, ut poſſit quæ Dei ſunt. Ecce non obſcure expoſitam gratiæ divinæ, & cauſam, *Spiritum ſanctum habere*; & neceſſitatem, *ut nullius egeret*; & ſupernalitatem atque gratuitatem, *ultra naturam & perfectionem hominis*; & vim, qua dat poſſe agere divina, *ut poſſit quæ Dei ſunt.* Postea, de eadem Spiritus ſancti donatione. *Hoc donum etiam per Prophetas promiſſum eſt, ut tunc daretur, quando myſterium Dei declarari deberet in triumpho, devicta morte, ut ſciret creatura Patrem & Fi-*
Joan. 7. v. 39. *lium & Spiritum ſanctam unum eſſe Deum. Unde Evangeliſta:* Spiritus, *inquit*, nondum erat datus, quia Jesus non erat clarificatus. *Clarificatio enim hæc eſt, cum per virtutem ſuam cognoſcitur eſſe, quod teſtificatus eſt de ſe: quia clarificatio hoc donum dedit, quod per Joelem*
Joël. 2. v. 28. *Prophetam fuerat promiſſum. Ait enim Deus:* In noviſſimis diebus effundam de ſpiritu meo ſuper omnem car-
Tit. 3. v. 4. nem, *&c. Et Apoſtolus inter alia:* Cum autem apparuit, *inquit*, benignitas & humanitas Salvatoris Dei noſtri, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam, ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis per Spiritum ſanctum, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem noſtrum, ut juſtificati gratia ipſius, heredes efficeremur ſecundum ſpem vitæ æternæ. *Confirmavit Apoſtolas, quod per Johelem Prophetam fuerat promiſſum, quia hoc, poſtquam clarificatus eſt* Jesus, *implevit Deus, ut Spiritum ſanctum effunderet in illos, qui credunt in Chriſtum.*

Quæstione cxi. *Qui fidem habet in Deum, ſemper ejas quærit auxilium.*

Quæstione cxii. *Semper enim Dominus ad auxilium ſuum vult confugere ſervos ſuos.* Et poſtea: *Corda illorum illuminata ſunt cæleſti coruſco, at viderent Dei providentiam in Chriſto.* Et poſtea: *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum juſtum innova in viſceribus meis: hoc eſt bona mente miſericordiam deprecari. Non ſolum autem de præteritis rogat, ſed etiam de futuris ſollicitus eſt, ut peccator intendens odiſſe peccare, ne peccet, adjuvetur a Deo per ſpiritum juſtitiæ, quem orat dedicari in viſceribus ſuis; id eſt, ut novus ad hoc ponatur in eo, ut cuſtodiat eum a peccatis, ne cogatur facere quod ſcitur nolle: cor autem mundum ſic poteſt habere, ſi neque intus, neque foris delinquat, hoc eſt, neque in opere, neque in cogitatione.*

Quæstione cxv. *Nam ſi timor Dei in animo ſit, nec caro, nec ſanguis, nec principes, nec poteſtates prævalerent, quia Dei adminiculis ſic eos perſequuntur, ut tamen non, cum laborant, vincantur; ſi autem poteſta-*
Matth. 7. v. 7. *tis noſtræ non eſſemus, quomodo diceret Dominus:* Petite, & dabitur vobis? Omnis enim qui petit, accipiet. *Si ergo qui vult petere, accipiet, jam non eſt illud quod ſolet dici:* Non quæ volumus, ſed quæ data ſunt habemus. *Quia* voluntas a Salvatore incitatur, ut petat, et accipiat quod petierit. *Fati autem hæc eſſe dicunt, ut ſive petat, ſive non petat, fato tamen, quod aut malum aut bonum eſt, con-*
Matth. 9. v. 22. *ſequatur. Dominus autem hoc excludens ait:* Filia, fides tua ſalvam te fecit. *Non jam fato fit, quando fides*
Marc. 9. v. 22. *percipit beneficium. Et iterum:* Si credis, *ait*, omnia poſſibilia ſunt credenti. *In voluntate utique poſuit meritum, quia fidei bonum eſt, non naturæ. Fides autem res accedens eſt, quæ excitat ad exercitium voluntatem: ut quia in natura non eſt, voluntas quæ in natura eſt,* Suscepta fide *meritum ei collocet apud Deum.*

Quæstione cxix. *Apoſtolo, ut tentationes ab eo*
2. Cor. 12. v. 9. *ceſſarent, deprecanti Dominus ait:* Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. *Hinc ſubſecutus ait:* Cum infirmor, tunc fortior ſum, & gaudeo, *inquit*, in tribulationibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. *Si neceſſitas ad Dei auxilium nos impellit, quanto magis ſecuritas?*

Quid cætera perſequar? His certe temporibus de gratia tam aperte ſenſiſſe, neque indocti fuit, neque Pelagianiſmum parturientis hominis.

Quarto, de libidine.

Jam vero contra quartum Pelagianorum dogma, quod libido sit naturale bonum, quis Patrum Auguſtino majorum apertius ſenſit?

Pſal. 50. v. 7. Quæstione cxii. *Propterea adjecit:* Et in delictis concepit me mater mea; *ut ab Adam derivatio facta peccati conceptis & natis impedimento eſſet ad bonam vitam agendam, ac per hoc ſupplici non negandam miſericordiam, quia infeſtum habet hoſtem, qui ei ſuadet ut peccet. Per peccatum enim diabolus, ſubjecto ſibi primo homine, poteſtatem accepit carni ejus ſe immiſcere, & delictorum quadam ſubtilitate oblectamenta ſuggerere, per quod captum hominem ſpoliat vita. Quam rem magiſter gentium memorans:* Video autem, *inquit*, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.

Poſtremo adverſus quintum, quod eſt de originali peccato, præter ea quæ allata ſunt adverſus ſecundum dogma. Poſtremo, de peccato originali.

Quæstione cxii. *Ut ab omni peccato liberentur ſperantes in ſalute promiſſa, quia non ſolum a propriis, ſed etiam ab Adæ peccato, quod per traducem in omnes pervenit, liberabuntur per Chriſtum.*

Quæstione cxxvii. *Non accuſat renaſcibilitas nativitatem, ſed reformat: & quod reformatur, bene ab initio inſtitutum probatur. Igitur quod renaſcimur, conſilio mutamur, corporis expiatione ſuſcepta, ut reddamur ad priſtinum ſtatum Adæ. Animæ autem peccato maculatum eſt corpus, quo reparato & meliorato per fidem, conſilio abluimur: ut ſicut per contemptum Dei fuerat pollutum, ita per obedientiam abluatur, ut effugiat ſententiam datam Adæ, & poſſit reſurgere. Itaque ſi ab anima cœpit peccatum, cur non a corpore accuſatur, cum in cauſa peccati Adæ non fuerit deſiderium corporale, ſed ſpe deitatis illecta anima tranſgreſſa ſit Dei præceptum, ut corpus ſuum ſubjugaret peccato,* et nascerentur homines sub Peccato.

Suntne hæc hominis, qui *in tradenda Pelagianiſmi ſinceritate etiam Pelagium plerumque ſuperet?* Cujus opus *Pelagianis dogmatibus a capite ad calcem ſcateat?* Quo *nemo accuratius Pelagiana myſteria explicuerit?* Cujus ſententia de peccato originali *purus putuſque ſit Pelagianiſmus, omniſque illius hæreſis baſis ac fundamentum?* Obſervatio.

Videndum deinceps, quæ auctori quæſtionum ab accuſatoribus objiciantur, ſi tamen prius obſervetur, auctorem hunc impugnare toto fere opere, ſicubi ſe dat occaſio, homines trium generum. Manichæos, delirantes naturam ipſam hominis eſſe malam. Mathematicos, fatali neceſſitati voluntates hominum ſubjicientes. Et eos qui legem æquarent evangelio, paremque aſſererent utriuſque dignitatem, quod Pelagiani poſtea aſſeruerunt. Tria hæc ſi paulo attentius conſideraſſent reprehenſores, quibuſcum agimus, abſtinuiſſent ſe profecto criminatione hominis, quem inter fidei catholicæ defenſores, in eo ipſo cenſendum putaſſent, in quo accuſant. Tranſitus ad ea quæ objiciuntur.

---

§. II. *Objecta Lovanienſium, Bellarmini, & Janſenii, adverſus auctorem quæſtionum, circa peccatum originale.*

Auctori quæſtionum ab iis, quos dixi, objiciuntur duo, circa peccatum originale: alterum ex quæſtione 13. alterum ex quæſtione 80. quo utroque ſit negati peccati originalis reus. Primum Bellarminus ſolus accuſat: *Ut nimis impium facinus Sodomitarum poſſit adverti, peccatum eorum pervenit uſque ad necem filiorum ipſorum, ne de origine illorum ſignum aliquod remaneret. Nonne proviſum eſt illis, ne diu viventes exempla ſequerentur patrum? A gehenna enim liberi ſunt, in aliena cauſa occiſi.* Secundum tres ſimul: *Neque Filii Dei ſunt, qui naſcuntur, neque filii diaboli.* Ex his vero teſtimoniis argumentum accuſandi ſumunt; aiunt enim a nemine catholico dici, parvulos, qui ante adeptum rationis uſum, ſine ullo fidei ſacramento pereunt, a gehenna liberos eſſe; a nemine pariter negari, nos naſci filios iræ, atque adeo, ut ipſis quidem videtur, filios diaboli.

Duo objiciuntur.

Primum a Bellarmino.

Alterum ab aliis quoque.

Sed nullus plane video, qui poſſit inde auctor vocari in crimen negati peccati originalis. Nam quoad primum, loquitur generatim de parvulis, quotquot nondum adepti erant rationis uſum, tunc cum abſumpti ſunt communi cum patribus incendio; horum vero multi, ſi non omnes, aut fere omnes, ſacramento antiquiſſimæ legis purgati erant a peccato originali: Refellitur primum.

li: quandoquidem Pentapoleos indigenæ, quantumvis infandis moribus viverent, colebant tamen verum Deum. Deinde etſi loquitur, de parvulis adhuc obligatis ejuſmodi peccato, certe non quamlibet gehennam, id eſt, pœnam memorat; ſed eam tantum, quæ abominandis parentum ſceleribus debebatur; ipſam vero infantes procul dubio non patiuntur, ſed mitiſſimam aliam, quæ quamvis æterna ſit, non ea tamen eſt, quæ propter parentum peccata infligatur, ſed ob culpam primi hominis, quam auctor manifeſte docet in poſteros tranſiiſſe. Quid enim aliud ſignificant hæc verba: *Primæ culpæ mentionem facis, ex qua prævaricando Adam genus humanum obnoxium fecit peccato?* Et illa: *Juſti paterno abſoluti peccato, deleta ſententia data in Adam, per quam cuncti tenebantur,* &c.

Refellitur ſecundum.

Quoad ſecundum, vix opiner, accuſatores attentius perlegiſſe locum, ex quo teſtimonium ſumpſerunt: totus enim eſt adverſus Manichæos, qui cum naturam hominum malam putarent, ideoque a malo principio exortam, dicebant deinceps naſci nos filios diaboli. Auctor igitur cum idipſum neget, quod Manichæi affirmabant, homines nempe naſci filios diaboli, a fide catholica non aberrat; exponit enim, quem

Quæſt. 13.

vocet filium diaboli: *Qui natus, malis moribus imbuitur, ut his ſtudeat, quæ inimica ſunt creatori, multos aſſerens deos, & his immolandum, quaſi mundi rectoribus.* Quare non impugnat catholicum dogma, quod

Epheſ. 2. v. 3.

ſimus natura filii iræ; ſed Manichæum ſolum, quod *hominis natura eo uſque mala ſit, ut neque virtutem capere poſſit.*

Et explicatur auctoris dictum.

Et vero, nemo Patrum, quod meminerim, dixit, poſteros Adæ, per peccatum originale, fieri filios diaboli, ſed captivos tantum, ſervos, obnoxios, in poteſtate poſitos, & ſi quæ ſunt alia ejuſmodi, neceſſitatem magis quam voluntatem ſignificantia. Quam ſententiam ſecutus auctor quæſtionum, ſubtilior tamen aliis in eo fuit, quod diſtinctis rationibus filii & ſervi, poſteros Adami negaverit naſci filios diaboli, ſervos naſci aperte confeſſus ſit: cavit enim hoc pacto, ne alterutram impietatem incurreret, Manichæi dico, malam eſſe naturam dicentis; & Pelagii negantis, ullum eſſe originis peccatum: ſed mediam viam ingreſſus, catholicæ fidei inhæreret. Subtilioris porro diſtinctionis rationem miror a Bellarmino non cogitatam; nam filius nemo cujuſquam dicitur, niſi illius, vel a quo procreatus ſit, vel a quo ſponte aſcitus: ſiquidem omnis filietas vel naturalis eſt, quæ neceſſitate fit; vel adoptiva, quæ voluntate. Homines a diabolo procreari, Manichæa blaſphemia eſt; ab eodem adoptari, aperta inſania. dicitur quidem diabolus *impiorum pater*; ſed ea notione, qua Abraham *fidelium*, volun-

Epiſt. 89.

taria imitatione. Sic enim Auguſtinus: *Dicitur pater impiorum, ſicut noſter dicitur pater Abraham, propter imitationem fidei, non propter originem carnis. Nam*

Sap. 2. v. 25.

ideo de ipſo diabolo dictum eſt: Imitantur autem illum, qui ſunt ex parte ipſius.

§. III. *Objecta Lovanienſium & Janſenii Yprenſis circa gratiæ divinæ auxilium.*

Multa verbo Lovanienſes obiiciunt auctori quæſtionum.

MULTA criminationis capita complexi ſunt Lovanienſes uno fere verbo: aiunt enim auctorem *ſub finem quæſtionis* 115. *Pelagianiſare more Juliani, ut videre eſt apud Bedam cap.* 6. *in Cantica.* (Eo loci Beda, ratus epiſtolam de inſtitutione virginis ad Demetriadem eſſe Juliani, ex ea deſumpſit duodecim capita, quæ Juliano obiiceret) Verum, mea quidem ſententia, quanto brevior eſt ac generalior accuſatio,

Quæ refelluntur ipſiuſmet verbis.

tanto minus æqua exiſtit magiſque ſuſpecta: nam auctor quæſtionum fatetur quidem, liberum eſſe humanæ voluntatis arbitrium; ſed præterquam quod id omnes fateri debent, adverſus Mathematicorum fatum, quod ea quæſtione impugnat, voluntatem ait *Dei adminiculo* vincere ipſas etiam aeris poteſtates. Fatetur pariter, nos noſtræ eſſe poteſtatis, & quæ volumus habere; ſed ſimul docet, voluntatem hanc *a Salvatore incitari ut petat, & accipiat* quod petierit. Fatetur quoque, merito fidei nos fieri ſalvos, fidemque beneficium, quod petierit, accipere. Sed *fidem illam* monet *ſuſcipi*, utique tanquam donum aliunde collatum, id eſt, deſcendens a Patre luminum. Fatetur denique, hominem habere in natura ſua ſemen fidei, ſed quod nihil aliud eſſe aſſerat, quam quod creatura creatorem, ex iis quæ facta ſunt, intelligat & pene conſpiciat.

Objectio Janſenii de ſeminibus legis & virtutum.

Sed quoniam incidit ſermo de ſemine fidei, reſpondendum eſt pro auctore quæſtionum Janſenio Yprenſi, de ſeminibus virtutum legiſque naturaliter inditis, litem moventi. Nam quid faciet Baſilio docente, *omnium mandatorum, quæ a Deo accepimus, virtutes in nobis inſitas nos gerere?* Quid Chryſoſtomo in hæc verba ſcribente: *Vides quod ad virtutem ſemina habeamus a natura; & unuſquiſque noſtrum in natura ſua habeat inſitam ſcientiam virtutis?* Quid Hieronymo aſſerente, *neminem non habere ſemina in ſe ſapientiæ & juſtitiæ, reliquarumque virtutum?* Quid Auguſtino ſancte apud Deum confitente, *legem Dei eſſe ſcriptam in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem deleat iniquitas?* Quid eodem negante, *uſque adeo in anima humana imaginem Dei, terrenorum affectuum labe detritam eſſe, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint?*

Infringitur auctoritate Baſilii. In regulis, &c.
Chryſoſtomi. In cap. 2. ep. ad Epheſ.
Hieronymi. In cap. 2. ad Galat.
Auguſtini. Lib. 2. Conf. c. 4.
Lib. de ſpir. & lit.

Refellitur ratione.

At iſta, dixerit aliquis, cum ſcribuntur a ſanctis Patribus, probabilem ingerunt ſententiam benignis lectoribus, propter præjudicatam ſcribentium auctoritatem. Sit ita ſane.

Prima.

Verum cur præjudicata eſt hac in parte Patrum auctoritas? Quia ſuam, opinor, de gratia divina ſententiam apertis alias catholiciſque verbis dixerunt. At ſuam auctor quæſtionum de gratia divina ſententiam, perinde ac Patres, verbis apertis catholiciſque dixit, ut oſtenſum eſt: cur ergo præjudicata eſt illorum auctoritas, iſtius non eſt? Cur par utrinque non eſt pondus ac momentum? Maxime cum quæſtionum auctor quatuor memoratos Patres ætate vincat, & ille ipſe ſit, quem Auguſtinus ſanctum appellat, vocatque in teſtem fidei catholicæ adverſus Pelagianos.

Lib. 4. ad Boniſ. cap. 4.

Secunda.

Quid quod ille ſuam de ſeminibus virtutum fideique ſententiam non aliter exponit quam Auguſtinus? id enim collatis utriuſque locis nemo non facile intelliget. Nam quod ait Auguſtinus, *poſſe habere fidem eſſe naturæ hominum*, dixit auctor, *fidem eſſe tantum*

Tertia.

potentia in hominum natura. Denique quantumvis Pelagiani ſenſerint eſſe in hominum natura fidei juſtitiæque ſemen, non continuo Pelagianus audire debet, qui cum Patribus eadem verba protulerit: quandoquidem verbis ſubeſſe poteſt ſenſus non reprobatus ab Eccleſia, & accipi non debent in ſequiorem ſenſum verba dubia, quoties ab auctore, cæteroquin catholico, qualis demonſtratus eſt ſcriptor quæſtionum, proferuntur. Quis Pelagianum dicat, qui animas negaverit eſſe ex traduce, laudaverit ſanctos veteris teſtamenti, nuptias defenderit, improbaverit Mathematicorum fatum, Manichæos inſectatus ſit, &c. propterea quod Pelagiani id fecerunt in ſuæ hæreſis patrocinium? Quis damnet Patres, quos Auguſtinus excuſat, liberius olim ita locutos, ante natas hæreſes, ut ipſorum verbis poſtmodum abuſi ſint in alienum ſenſum hæretici? abuſi ſunt certe Pelagiani, ut aliorum, ſic iſtius quoque ſcriptoris verbis. Atque hæc cauſa fuit popularis opinionis, quaſi Pelagiane ſenſerit, cujus verbis Pelagiani locuti ſunt.

§. IV. *Objecta quatuor de ſtatu primorum parentum.*

Primum, de juſtitia Adami. Lib. 2. de hær. Pelag. cap. 7.

DE ſtatu primorum parentum ante lapſum, quatuor in crimen Yprenſis vocat. Primum, quod *quæſtione* 23. Adamus dicatur conditus terrenus, ſine Spiritu ſancto, ſine adoptione in Filium Dei, ſine juſtitia, atque adeo, ut ipſe quidem Janſenius interpretatur, ſine gratia habituali. Secundum, quod *eadem quæſtione* Adamus pariter dicatur expers fuiſſe & intellectus & omnis ſcientiæ, cum crearetur. Tertium, quod mulierem auctor quæſtionum voluerit *modicum doloris in partu fuiſſe habituram, ſi non peccaſſet, amplificatum vero id fuiſſe peccato*; Adamum pariter, poſtquam peccavit, non damnatum ſimpliciter

Cap. 8. Secundum, de ſcientia.
Cap. 14. Tertium, de pœna peccati.

ad

65

Digitized by Google

ad laborem, *ſed ad id revocatum ad quod fuerat factus, & ad inſtitutum priſtinum, cum laboris diſpendio, ut terra ei ſecundum laborem minime reſponderet.* Quartum, quod naturalem juſtitiam agnoverit, poenitentiamque definiverit eſſe regreſſum ad hanc ipſam juſtitiam.

Quartum, de juſtitia naturali.
Lib. 4. de hær. Pelag. cap. 12.
Diluitur primum.

Verum, ut a primo incipiam, poſſet ſtatim aliquis, & merito quidem, conqueri, auctorem quæſtionum in en invidiam Pelagianiſmi ſuſtinere, in quo naſcituram hæreſim præfocavit: nam eo loci, unde objectio ſumitur, gratiam adoptionis propriam Novi Teſtamenti defendit acriter adverſus eos, qui Vetus Teſtamentum Novo coæquabant; & gratiæ, qua operamur, quæ Dei ſunt, naturam, proprietates, cauſaſque adverſus liberi arbitrii ſuperbos laudatores ſubtiliter exponit: utrumque vero iſtud flagitium cum Pelagianorum fuerit, mirum eſt profecto potuiſſe a cordato viro auctorem, de quo nuoa ſermo eſt, accuſari ſocietatis cum hoſtibus in eo in quo eos vehementius oppugnat, & vincit.

Hic igitur contra eos, qui non plus doni conceſſum hominibus fuiſſe dicebant adventu Chriſti, quam quod majoribus olim, & ipſi præ cæteris Adamo, ita diſputat, ut hac in parte eamdem faciat cauſam Adami, quæ reliquorum majorum; utroſque vero a fidelibus diſcernat, quorum vult eſſe longe diſparem rationem. Unde cum quæſtionem propoſuiſſet his verbis: *Utrum Adamus factus ſanctum acceperit Spiritum, ſicut nunc datur fidelibus*, concludit illis verbis: *Ac per hoc in veteribus ſanctis non ita fuit Spiritus ſanctus, ſicut nunc eſt in fidelibus.* Et poſtea: *Ii ergo, qui putant Adam, vel cæteros, habuiſſe Spiritum ſanctum, neſciunt quale donum habeant Dei*, &c.

Quare fatetur, Spiritum ſanctum olim fuiſſe cum hominibus. ait enim: *Cum Prophetis ergo & juſtis viris ſanctum fuiſſe Spiritum, non eſt ambiguum; cum Prophetis, propter diſpenſationem; cum juſtis vero, cauſa ſanctitatis.* ſed negat tantum in ipſis fuiſſe, ſicut in fidelibus, poſt Chriſtum glorificatum. Quæſtionem ergo movet, de modo præſentiæ, quo diverſo diverſis temporibus Spiritus ſanctus adfuit: non movet de ipſa præſentia, quam omnibus temporibus fuiſſe, velut indubitatum ſupponit. Unde quæſtioni reſpondet, ſubtili quadam adhibita diſtinctione, ſanctum ſcilicet Spiritum fuiſſe olim cum juſtis, nunc eſſe in juſtis, qua loquendi forma aliud nihil ſignificat, quam quod Auguſtinus ait, *Spiritum ſanctum fidelibus ſuis, non jam per gratiam viſitationis & operationis, ſed per ipſam præſentiam majeſtatis adeſſe.* Sequitur nempe Patrum ſententiam, qua Spiritus ſanctus dicitur olim fuiſſe in juſtis κατ' ἐνέργειαν dumtaxat, operatione tenus; nunc autem οὐσιωδῶς, id eſt, per ſuam ſubſtantiam: olim juſtos effeciſſe ſanctos, ſed ſervos; nunc ſanctos efficere, ſed filios Dei adoptivos: olim conſecraſſe ſibi corda hominum, velut domos; nunc eadem ſibi conſecrare, ut templa. Quæ ſententia, etſi non facile intelligitur vulgo, communiter tamen defenditur ab Athanaſio, Gregorio Nazianzeno, Chryſoſtomo, Cyrillo Alexandrino, Auguſtino, & aliis pene omnibus, qui interpretantur dictum illud a Joanne: *Hoc autem dixit de Spiritu ſancto, quem accepturi erant credentes in eum: Nondum enim erat ſpiritus datus, quia* JESUS *nondum fuerat glorificatus.*

Serm. 185. de tempore.
Greg. Naz. Orat. 44.
Lib. 2. adverſ. Arianos orat. 44.
Homil. 4. in acta, & alias paſſim.
L. 34. theſauri.
Serm. 185.
Joan. 7. v. 39.

At quæſtionum auctor Adamum dixit factum eſſe terrenum, quæ vox naturam puram ſignificat. Dixerit ſane verbo tenus, non dixit tamen abſolute, ſed comparate tantum ad cœleſtem Adamum, qui Chriſtus eſt; atque ad ſpirituales illos cœleſteſque homines, qui Chriſti ſpiritum conſecuti, hæredes inſtituti ſunt Dei, cohæredes autem Chriſti. quod admirabiliter exponit auctor: *Poſtquam clarificatus eſt* JESUS, *implevit Deus promiſſum, ut Spiritum ſanctum effunderet in illos, qui credunt in Chriſtum; & hoc eſt hæredem fieri vitæ æternæ, Spiritum ſanctum accipere; ut quia ſpiritus æternus eſt, æternam habeat vitam, qui accipit eum: pignus eſt enim immortalitatis. Qui enim accipit eum, & manet in ejus dilectione, tranſacta hac vita, pergit in cælos ad eum, cujus ſpiritum habet: incongruum eſt enim, ut qui hinc exit habens Spiritum ſanctum, apud inferos teneatur. Signum eſt enim in homine victoriæ Chriſti, qua vicit mortem ſpiritus ejus, ut in quo fuerit ſpiritus ejus, ab inferis teneri non poſſit: ac per hoc in veteribus ſanctis non ita fuit Spiritus ſanctus, ſicut nunc eſt in fidelibus, quia exeuntes de ſæculo apud inferos erant*, &c.

Quæſt. 123.

Quod ſi cum Adamo fuit Spiritus ſanctus, ut re vera fuit, ſi credimus auctori, Adamus certe neque juſtitia caruit, neque gratia habituali: utramque enim in eo Spiritus ſanctus operatus eſt: non eſt tamen operatus adoptionem in filium Dei, de qua loquuntur Patres. (ſi forte Athanaſium excipias) nam ratione quadam diſtinxerunt hæc duo, quæ ſolent confundi, eſſe hominem gratum Deo, & eſſe filium adoptivum Dei: imo inter filium Dei, quod ſpecialem quamdam dilectionem ſignificat, & inter filium adoptivum, quod præter dilectionem ejus illud dicit, ab auctore quæſtionum mox expoſitum. Curioſe ſiquidem illi adverterunt, ante Chriſtum neminem, juſtum, aut filium Dei adoptivum in ſcriptura dictum, aut Dei templum, ne ipſum quidem Adamum, cum innocens foret: ſed vel filium dumtaxat, ut cum *Iſrael* dicitur *filius primogenitus*; vel ſervum, licet juſtum & ſanctum. Quod de excellente quadam filietate intelligendum eſt, eaque ad ſingulas perſonas pertinente, non item ad gentem totam, ne Patres videantur ſcholaſticis temere locuti, & ipſi quoque Apoſtolo pugnaſſe *adoptionem filiorum* Iſraelitis tribuenti. Excellenti, inquam, filietate, qua Spiritus ſanctus, jam non κατ' ἐνέργειαν, ſed οὐσιωδῶς communicetur, ut ait Nazianzenus; qua non jam odor balſami in vaſa ſancta, ſed ipſa ſubſtantia ſacri defluat unguenti, ut loquitur Auguſtinus; qua homo jam non carus tantum gratuſque Deo, qui ſtatus divinæ gratiæ, ſed filius adoptivus, in Chriſto naturali filio, conſtituatur; quam ob excellentiam ipſe etiam Joannes Baptiſta, quo major non ſurrexit inter natos mulierum, minor ſit minimo in regno cœlorum, ſi credimus Cyrillo; qua tandem tribuatur ſanctis, jam non pignus, ſed arrha paternæ fraternæque gloriæ, ſpiritus nimirum vitæ & immortalitatis; qua denique non accipiatur *ſpiritus ſervitutis iterum in timore, ſed ſpiritus adoptionis, in quo clamamus: Abba Pater.*

Exod. 4. v. 22.
Rom. 9. v. 4.
Orat. 44.
Serm 185.
Lib. 12. theſauri.
Rom. 8. v. 15.

Diluitur ſecundum objectionis caput.

Secundum criminationis caput longe facilius quam præcedens diluitur: nec enim ad id præſtandum opus eſt, niſi videre tantum, quis fuerit auctoris ſcopus, & quibuſcum pugnaret: pugnabat vero cum iis, qui *putabant perfectionem Adæ inſtaurari credentibus, ut hæc inſtauratio nihil ultra doni habeat, quam fuerat conſecutus Adam.* Putabant igitur ſpiritu adoptionis donatum primum hominem, cum a Deo fieret: opinionemque ex eo probatum ibant, quod Adamus conditus ſit perfectus, quodque ſanctificatio noſtra nihil aliud ſit, quam reditus ad *priſtinum* Adami ſtatum. Adverſus eos ſic diſputat: primum, ut aliquis appelletur perfectus, non eſſe opus, ut *nullius egeat*, alias *perfectus foret ut Deus.* Deinde Adamum poſſe dici perfectum *in ſuo genere*, ut alia quæcumque, etſi nihil habeat *ultra naturam & perfectionem hominis*, cujuſmodi eſt, *habere Spiritum ſanctum*, nihilque aliud ſciat, quam quod diſcendo cognoſcit. Poſtea ſanctificatione fideles non *inſtaurari* modo, verum & *meliorari*, quod pluribus proſequitur. Denique Deum *nova dona dediſſe hominibus, cum regnum Filii ſui dedicavit in nobis.* Poſtremo nova hæc dona aliud nihil eſſe, quam quod ait Evangeliſta: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* *Joan. 1. v. 12.*

Diluitur tertium.

Quod ad tertium caput pertinet, non eſt operæ pretium accuratius reſpondere. Quod enim ab auctore dictum, ſive de Eva, quoad partus dolorem; ſive de Adamo, quoad agricolationis laborem peccato auctum, illud acceptum eſt, partim ex vocibus Hebræis, quarum una non modo ſignificat *multiplicare*, ſed & *augere*; altera pertinere dicitur ab eruditis tum ad conceptus, tum ad dolores: augetur vero id tantum, quod aliquantum, aut jam eſt, aut futurum alias eſſet, partim ex communi quadam veterum ſententia, quam ſcripto tradidit Chryſoſtomus. Cum enim mandatam dixiſſet Adamo cuſtodiam & cultionem paradiſi, cauſam ſubdidit: *Si enim laboris omnis fuiſſet expers, protinus* *Homil. 24. in Geneſ.*

Digitized by Google

Lib. 8. de Geneſ. ad lit. cap. 9.

protinus ex multo otio in ignaviam prolapſus eſſet, &c. Coo-ſentit Auguſtinus: *Quid abhorret*, ait, *ſi credamus hominem, ita in paradiſo conſtitutum, ut operaretur agriculturam, non labore ſervili, ſed honeſta animi voluptate?*

Diluitur quartum.

Quartum caput merito contemni poteſt, atque etiam debet; nam duobus ex locis aſſumptum eſt, quorum alter eſt in ea parte quæſtionum, quam ſuppoſititiam probavimus; alter ſupponitur auctori, cum ſit adverſariorum, quos impugnat. Et ut ſua conſtaret utrique loco auctoritas, nihil niſi per iniquum præjudicium concludi poſſet, *cum naturalis juſtitiæ* vox catholicum poſſit pati ſenſum, quo nimirum Auguſtinus dixit, vitia quoque ipſa *bonitatis* perhibere teſtimonium *naturalis*, id eſt, quæ ſecundum naturam eſt; & auctor appendicis ad epiſtolam Cæleſtini pro Auguſtino, in prævaricatione Adæ omnes homines *naturalem poſſibilitatem*, & innocentiam perdidiſſe, id eſt, in origine acceptam. Et certe auctor *quæſtione* 80. ex qua otioſus ille, quem diximus, interpolator ſua fere omnia deſcripſit, hæc habet verba: *Hic ſi reſipiſcat, & juxta naturam ſuam ſentiat, ad creatorem ſe conferens, Filius Dei erit*; quaſi diceret: Si idololatriam deteſtetur, *& credat in Deum, qui fecit cælum & terram, a quo & ſe factum naturaliter ſentit*, Filius Dei erit, &c.

Lib. 4. cont. Jul. cap. 3.

Aug. lib. de nat. & grat. cap. 2.

---

§. V. *An unus ſit totius operis quæſtionum auctor, & cujus ætatis.*

An unus ſit auctor totius operis quæſtionum.

REJECIMUS ſtatim initio, velut ſuppoſititiam, partem illam, quæ vulgo ſecunda dicitur, quæque a Jacobo Hemeræo adjecta eſt: de ſola igitur priore inquirimus, quæ & ipſa triplex eſt, ut oſtendimus initio, an unum eumdemque habeat auctorem; an vero primæ duæ, quæ veræ quæſtiones ſunt, ab alio quam tertia, quæ concionibus tractatibuſque magis continetur, auctore ſcriptæ ſint.

Prima ratio cur videatur non eſſe unus.

Auctorem unum non eſſe, hinc confici poſſe crediderit forte quiſpiam, quod primæ partis auctor ſcripſiſſe ſe dicat, trecentis circiter annis poſt excidium Hieroſolymorum a Veſpaſiano; auctor vero tertiæ teſtetur ſcribere ſe, ſexto, ut quidem legitur in vulgatis codicibus, mundi milleſimo. Cum ergo excidium Hieroſolymorum contigerit ann. Chriſti 70. & ſextus milleſimus mundi annus, ſecundum computationem vulgarem Græcorum, ſit annus Chriſti 459. neceſſe eſt inter utriuſque operis ætatem annos 89. interfluxiſſe.

Secunda.

Quid quod in priore opere vix quidquam reperitur reprehenſione dignum, præterquam quod dicitur de Jephte: (quis enim inculpate accuſet eum tanquam facinoroſum atque ſceleratum, quem Paulus laudat?) in poſteriore multa ſunt, & omnino falſa, ut quæ pertinent ad Melchiſedechum; & importuna, ut conciones; & temeraria, ut definitio futuræ ætatis mundi, reprehenſioque canonis miſſæ, &c. & barbara, ut *diffamia, deterioratur, ſaxonitia veſtis, ſanctimonium*, &c. & inerudita, ut quod paſcha dictum ſit a paſſione.

In contrarium auctoritas Hieronymi.

At facit in contrarium auctoritas Hieronymi, ſiquidem de Hilario Diacono ſcribit ad Evagrium: nam poſterius opus, quod eſt de quæſtionibus veteris & novi Teſtamenti mixtim, indicat his verbis: *Miſiſti volumen* ἀνώνυμον, καὶ ἀδέσποτον, *& neſcio utrum tu de titulo nomen ſubtraxeris: an ille qui ſcripſit, ut periculum fugeret diſputandi, auctorem noluerit confiteri. Quod cum legiſſem, intellexi, famoſiſſimam quæſtionem ſuper Pontifice Melchiſedech illuc plurimis argumentis eſſe perductam, ut docere conatus ſit, eum qui benedixerit tanto Patriarchæ, divinioris naturæ fuiſſe, nec de hominibus æſtimandum. Et ad extremum auſus eſt dicere, Spiritum ſanctum occurriſſe Abrahæ, & ipſum eſſe, qui ſub hominis figura viſus ſit. Quomodo autem Spiritus ſanctus panem vinumque protulerit, & decimas prædæ, quas Abraham, victis quatuor regibus, reportarat, acceperit, omnino tangere noluit; petiſque, ut quid mihi, vel de ſcriptore, vel de quæſtione videatur reſpondeam.* Et poſtea: *Tuum certe ſpiritualem illum interpretem non recipies, qui imperitus ſermone & ſcientia, tanto ſupercilio & auctoritate Melchiſedech Spiritum ſanctum pronuntiavit, ut illud veriſſimum comprobarit, quod apud Græcos canitur. Imperitia confidentiam, eruditio timorem creat.*

Epiſt. 126.

Quæſt. 109.

Augetur difficultas.

Tota hæc igitur quæſtio videri poteſt obſcurior, tum ex rationum conflictu, tum ex eo inſuper, quod in tertia parte eædem quæſtiones, iiſdemque verbis ac in prioribus tractentur, quodque nec eadem in utroque orationis gravitas puritaſque doctrinæ eluceat: quæ vix conveniant uni homini, niſi qui, vel ſui oblivìſcatur identidem, vel a ſe ipſo diverſus videri amet.

Unicus eſt totius operis auctor. idque ipſe teſtatur.

Nihilominus retinenda eſt opinio, quæ jampridem invaluit, unique & eidem auctori utrumque opus tribuendum: illud ipſe ſibi vendicat non obſcure, cum ait quæſtione 125. *Hic finis eſt, jam enim in libello adverſus Arianam impietatem digeſto, reliqua plenius tractata ſunt, quæ Trinitatis complexa ſunt indiſcretam unitatem.* Et quæſtione 106. *Quid ſit autem ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quamvis alibi dixerimus, hic tamen locus & cauſa poſtulat, ut iterum dicamus.* Dixerat vero quæſtione 21. in eamdem ſententiam, & iiſdem verbis.

Quæſt. 97.

Diluuntur rationes in contrarium.

Quæ autem oppoſita ſunt, nihil admodum habent momenti: nam ratio temporis per errorem adducitur, quod poſtea demonſtrabitur; & fatendum eſt ingenue, aliquos in iſtis quæſtionibus ineſſe nævos, & latinitatem non eſſe optimam. Quamquam argumentum inde petitum facit ad probandam unitatem auctoris, ut cuique legenti facile conſtabit. Jam vero quod pertinet ad ætatem operis, ea non obſcure cognoſcitur ex variis indiciis: ſcribit enim auctor ſe elaborare id operis, trecentis circiter annis poſt excidium Hieroſolymorum a Veſpaſiano. Cum ergo Veſpaſianus ano. Chriſti 70. Hieroſolyma expugnarit, auctorem oportet edidiſſe opus ſuum circiter ann. 370. Neque obſtat quod ſcripſiſſe ſexto anni milleſimo dicatur in vulgatis codicibus; irrepſit enim error, & pro VI reſtituendum eſt IV. ut ſequenti capite oſtendetur.

De ætate auctoris ſive operis.

Deinde diſputat adverſus Judæos, & Manichæos *tota fere prima parte*; contra Novatianos de pœnitentia, *quæſt.* 102. Euſebium Emeſenum de Melchiſedecho, *quæſt.* 109. paganos de apologia chriſtianorum, *quæſt.* 114. Mathematicos de fato, *quæſt.* 115. Euſebium Cæſarienſem de Spiritu ſancto, *quæſt.* 125. differentes baptiſmum, *quæſt.* 126. damnatores nuptiarum, *quæſt.* 127. quæ quarto ſæculo inclinante quæſtiones acerrime movebantur.

Deinde valide ſimul & ſubtiliter refellit argumenta Photini, quem adhuc tanquam viventem alloquitur. obiit vero Photinus exul in Galatia ann. 376. cum prius damnatus fuiſſet Sirmii ann. 350.

Deinde adverſus Apollinarem, alioſque dominicæ incarnationis hoſtes diſputat, utique non minus vehementer, quam contra hæreticos alios, quippe divinitatis Chriſti acerrimus defenſor: ſcripſit ergo prius quam hæreſis ejuſcemodi, vel nota eſſet, vel damnata in Occidente; damnata vero eſt a Damaſo Romæ ann. 373.

Deinde meminit vaſtatæ Pannoniæ, quaſi recentis cladis: *Sic*, inquit, *eraſa eſt Pannonia, ut remedium habere non poſſit*, &c. Contigit vero hæc vaſtatio ann. 351. concurrentibus in ſeſe totius imperii viribus.

Deinde mentionem facit inſignis cujuſdam calamitatis, non ita pridem toleratæ. *Ecce ſcimus*, ait, *laboraſſe fame Italiam & Africam, Siciliam & Sardiniam.* Fames illa ſævìit ann. 363. meminit porro Sardiniæ tanquam patriæ: Sardus igitur credi poteſt.

Denique ad ea reſpondet, diſputans cum paganis, quæ Julianus apoſtata exprobabat chriſtianis; & viciſſim, quæ Julianus impie agebat in ſuis infandis cœtibus, tacito nomine perſtringit, ut videatur ſervire tempori. Licet ergo conjicere, paulo poſt mortem Juliani ſcripſiſſe, id eſt, circiter ann. 365. cum nondum eſſent pacata ſatis tempora, nec omnino afflictæ res gentilium.

Ex his colligere licet a Sardo quodam, circiter ann. 370. ſedente Damaſo, opus quæſtionum ex vetere & novo Teſtamento editum eſſe.

66

CAPUT IX.

De auctore commentariorum in Epiſtolas Pauli, qui olim Ambroſio tribuebantur.

Commentarii Ambroſio jam inde ab. ann. 550. ſuppoſiti.

AETATE noſtra nemo eruditus neſcit, commentarios, de quibus agitur, ſuppoſitos eſſe ſancto Ambroſio; ſed non item quiſque novit, id factum jam inde ab ann. 550. etiam a magnis viris, atque ita ſuppoſitionis crimen non pertinere ad poſteriorem ætatem.

§. I. *De auctoris nomine & perſona.*

Auctor ab Auguſtino vocatur Hilarius.

INQUISITUM eſt diligenter in verum hujuſce operis auctorem, quem, donec innoteſceret, ſi tamen id fuit in cauſa, placuit nonnullis Ambroſiaſtrum dicere; ſed id miror tentatum ab iis, qui ſe jactant ſtudioſe verſatos in perlegendis operibus Auguſtini, cum ipſe uno eodemque loco bis Hilarium nominet: *Sic ſanctus*, inquit, *Hilarius intellexit, quod ſcriptum eſt*, IN QUO OMNES PECCAVERUNT. *ait enim*, in quo, id eſt, in Adam, omnes peccaverunt. *Deinde addit*, manifeſtum in Adam omnes peccaſſe, quaſi in maſſa. ipſe enim per peccatum corruptus eſt, & omnes quos genuit, nati ſunt ſub peccato, *hæc ſcribens Hilarius*, &c. quæ totidem verbis leguntur in commentariis quinti capitis ad Romanos parte 7.

Lib. 4. ad Boniſ. cap. 4.

Vixit temporibus Damaſi Papæ.

Hilarium vero, quem Auguſtinus laudat, oportet non fuiſſe, aut ignobilem aliquem, aut recentem ſcriptorem; ſiquidem ipſius commentarii ætate Auguſtini erant communiter in omnium manibus, ejuſque auctoritatem Pelagiani, nec elevare poterant, propter ætatem ſcribentis ante motas quæſtiones; nec declinare, propter celebritatem nominis. ſcripſit vero, quod ipſemet expreſſis verbis teſtatur, ſedente Damaſo, ait enim: *Cum totus mundus Dei ſit, Eccleſia tamen domus ejus dicitur, cujus hodie rector eſt Damaſus.* Damaſus porro deſiit vivere ann. 384. die 11. Decembris.

In cap. 3. epiſt. 1. ad Timoth.

Notatus ſcriptor hæreſis Pelagianæ. *Lib. 7. de hær. Pelag. cap. 4.*

Satis autem mirari non poſſum, quid cauſæ habuerit Janſenius Yprenſis, cur aſſereret, eodem circiter tempore ſcripſiſſe Hilarium commentarios, quo Hieronymus dialogos in Pelagianos: nam ab obitu Damaſi ad editos dialogos interfluxerunt anni non minus triginta; & tamen Hilarius ante obitum Damaſi annis non paucis commentarios edidit. Deinde quomodo Auguſtinus ann. 419. laudaſſet libros tanquam ſua jam auctoritate pollentes, qui ante quatuor annos, aut circiter, in lucem prodiiſſent? Denique ſi commentariorum auctor ſit idem, qui quæſtionum, quod poſtea demonſtrabitur, fieri non poteſt, ut commentarii eodem circiter tempore, quo dialogi, compoſiti ſint, cum quæſtiones circiter ann. 365. elaboratæ fuerint.

Eandem forte ob cauſam ratus eſt Yprenſis, auctorem commentariorum, quem Ambroſiaſtrum vocat, ex commentariis Pelagii adhibuiſſe aliquid, quo exponeret Apoſtoli celebrem ſententiam, *Igitur non volentis*, &c. Nam Pelagius expoſitiones ſuas breves in Paulum non compoſuit ante ann. 400. ſed quo fere tempore ſedere cœpit Innocentius primus.

Non fuit auctor ille unus de quatuor Hilariis Auguſtino notis.

Hæc cum ita ſe habeant, inquirendum deinceps, quis ille Hilarius commentariorum auctor. Non fuit certe Syracuſanus ille monachus, qui Auguſtinum de quæſtionibus Pelagianorum conſuluit ann. 413. neque Epiſcopus ejuſdem nominis, ad quem literas dedit Auguſtinus ann. 416. poſt damnatam a conciliis duobus in Africa hæreſim Pelagianam: neque vel Arelatenſis præſul, vel laicus ſcriptor epiſtolæ ad Auguſtinum de reliquiis Pelagii. omnes enim illi longe poſt Damaſum vixerunt.

Nec magnus ille Pictavienſis.

Sed neque fuit invictus ille domitor Arianorum Hilarius Pictavienſis, qui licet ſub Damaſo vixerit, quemadmodum plerique cenſent, vix tamen probabiliter dici poteſt, extrema ſenectute tam prolixum opus elucubraſſe. Quanquam, ut hoc argumentum deficeret, ſatis diverſitas, tum ſtyli, tum verſionis ſcripturæ, atque etiam doctrinæ, opus iſtud magno Hilario abjudicaret.

Sed diaconus Luciferianus. *Lib. de ſcript. eccleſ. in Amb.*

Nihil ergo credibilius afferi poteſt, quam quod Bellarminus ait, commentariorum ſcriptorem non eſſe alium ab Hilario diacono, qui cum Euſebio Vercelenſi, aliiſque Athanaſii defenſoribus, e concilio Mediolanenſi Arianorum ejectus in exilium ann. 355. dicitur incidiſſe in hæreſim rebaptizantium, a qua, ut opinor, reſipuit ante obitum. Videtur enim ſedi apoſtolicæ reconciliatus, unde honorifice de Damaſo loquitur, & quieviſſe in pace: quam ob rem ſanctus ab Auguſtino dici potuit.

§. II. *De doctrina commentariis contenta.*

Pelagiana hæreſi non fuit infectus.

QUI ſpreta auctoritate Auguſtini Hilarium laudantis, ipſum fictitio nomine traducunt, *veluti multarum hæreſum ſeminatorem, perfectumque Pelagianum, & Pelagianis erroribus refertiſſimum*; viderint illi, qua reverentia Auguſtini, quove argumento id efferant. Certe Pelagiana dogmata, ſi credimus Auguſtino, quatuor maxime quæſtionibus continebantur: *An peccato Adams obnoxium teneatur totum genus humanum. An gratia ſit poſita in lege tantum & doctrina. An fides ſit donum Dei. An moriantur homines, non merito culpæ, ſed neceſſitate naturæ.* De ſingulis catholice ſenſit Hilarius.

Senſit enim catholice de peccato originali.

Et de peccato quidem originali a primo parente in poſteros traducto, id eſt, omnibus in Adamo peccantibus, Auguſtini teſtimonium mox relatum ſufficit, quo vel uno, & res conſici, & quiſquis ſe Auguſtini diſcipulum jactat, egregie refelli debet. *Hæc enim ſcribens Hilarius ſine ambiguitate commonuit, quomodo intelligendum eſſet*, IN QUO OMNES PECCAVERUNT. Ex ea vero intelligentia pendet Auguſtiniana tota demonſtratio adverſus peccati originalis oppugnatores. Cum enim laborioſe diſputaſſet vir ſanctus de loco Apoſtoli: *Reſtat*, inquit, *ut in illo primo homine peccaſſe omnes intelligantur, quia in illo fuerunt omnes, quando ille peccavit: unde peccatum naſcendo trahitur, quod niſi renaſcendo non ſolvitur; nam & ſic ſanctus Hilarius intellexit*, &c.

Et de gratia. *2. Timoth. 1.*

De gratia vero eximium illud eſt præ aliis plurimis: *Ut neque merito ſuo, qui ſalvantur, neque horum per quos vocantur, ſed Dei gratia iſtud donum præſtari videatur per fidem Chriſti.*

Atque etiam de dono fidei. *1 Timoth. 2.*

De fide, quod ſit donum Dei: *Fides eſt enim quæ dat ſalutem, quam niſi mens tota* SUSCEPERIT *voluntate, non ſolum nihil proderit, ſed & oberit.* FIDEI *etenim* GRATIA *hanc habet poteſtatem, ut devotis ſibi divinam infundat medelam; indevotis vero conferat morbum, per quem totus homo intereat.*

Ac de mortalitate per peccatum contracta. *Ad cap. 5. epiſt. ad Rom. parte 7.*

Denique quod moriantur homines propter peccatum primi hominis, aſſerit verbis conſequentibus ſententiam ab Auguſtino relatam: *Hic enim beneficium Dei perdidit, dum prævaricavit, indignus factus edere de arbore vitæ, ut moreretur. Mors autem diſſolutio corporis eſt, cum anima a corpore ſeparatur.*

Objecta in contrarium ſeptem. *In cap. 5. ad Rom. cap. 1. cap. 6. Cap. 2. ad Philipp. Cap. 9. ad Rom. Ibidem. 1. Timoth. c. 2.*

Scio reprehendi quædam, ut, quod mors ſecunda, quæ gehenna eſt, non redundarit in poſteros ex Adami peccato; ſed ſola mors prima, quæ animi ſolutio a corpore. Quod duce natura gentes in Chriſtum crediderint, viderintque ſuæ naturæ eſſe quod credant. Quod bonos conatus adjuvet Deus, ut noſtrum ſit velle, Dei perficere. Quod per juſtitiam Deus unum e duobus paribus accipiat, alterum reſpuat. Quod prædeſtinatio ex præſcientia fidei pendeat. Quod Deus velit omnes homines ſalvos fieri, ſi & ipſi velint.

Quibus ſatisfit.

Sed cum hæc fere omnia a Patribus aliis, præſertim a Chryſoſtomo, iiſdem pene verbis, & ad eoſdem Apoſtoli

ſtoli locos, prolata ſint, quid cauſæ eſt, cur non perinde in Hilario, atque in aliis, benigna interpretatione molliantur? Quanquam nec admodum egent hujuſmodi benignitate, ſi modo, ut par eſt, communi potius probatorum auctorum ſententiæ, quam præjudicato alicujus ſenſui credatur.

Quoad peccatum originale.

In c. 7. ad Rom. ad hæc verba: Occaſione autem, *&c.*

Nam Hilarium catholice de peccato originali ſenſiſſe, præterquam quod Auguſtinus teſtis eſt, demonſtrat etiam iſta ſententia: *Diabolus hominem tam propter Adæ, quam propter ipſius peccatum, in conditione ſe habere gratulatur*, &c. Cum igitur negat mortem ſecundam, quæ eſt in gehenna, ex primo parente in poſteros traduci, id eſt, rependi a Deo pœnam ſenſus, ut aiunt, peccato originali, repugnat equidem nonnullis: habet tamen aſſentientes plurimos, tum e Patribus, tum ex Theologis antiquæ ſcholæ, ipſumque angelicum Doctorem.

Quoad legem naturalem ducem gentium ad Chriſtum.

Gentes ait duce natura crediditſſe, ait & Chryſoſtomus, uterque vero catholice, cum neuter naturam adjutorio Dei oppoſuerit, ſed legi Moſaicæ, atque id ambo communiter docuerint, quod acceperant ab Apoſtolo, naturam ſcilicet perinde gentibus, atque legem Judæis, pædagogum fuiſſe ad Chriſtum.

Conatuſque bonos, & velle noſtrum.

Deinde cum docet conatus bonos adjuvari a Deo, docet ſimul eoſdem excitari a Deo, qui dat fidem. Cum velle dicit eſſe noſtrum, non excludit gratiæ adjutorium, ſed neceſſitatem, quæ voluntatibus imponatur.

Cæteraque alia.

Juſtitia porro Deum operari, vel, quod idem eſt, judicio, etiam cum ex hominibus unum eligit præ alio, Auguſtinianum eſt. Prædeſtinationem ad gloriam, quam aiunt abſolutam, ex prævisis eſſe operibus, Ambroſianum. Deum velle omnes ſalvos fieri, ſi velint, id eſt, ſi gratiæ prævenienti conſentiant, catholicum.

§. III. *An ſit unus quæſtionum & commentariorum auctor.*

Unus eſt quæſtionum & commentariorum auctor.

UNUM eſſe docti quique communiter dicunt. Communis opinionis tria ſunt certiſſima argumenta, ſiquidem eodem tempore, in eamdem ſententiam, iiſdem verbis utriuſque operis auctor ſcripſit.

Quod probatur ratione temporis.

Ratio temporis inde clara eſt. Tertia pars quæſtionum ſcripta eſt ante ann. 363. prior poſt annum 367. ann. 370. commentarii, ſedente Damaſo, ut oſtenſum eſt. Cum ergo Damaſus obierit ann. 384. ſedere cœperit ann. 367. eodem fere tempore, & liber primus quæſtionum, & commentarii breves ſcribi potuerunt, ſaltem eadem ſcriptoris ætate.

Sententiarum communitate.

Jam vero tam multa continent quæſtiones & commentarii in eamdem ſententiam, ut ſingula referre infinitum ſit, exempla proferre promptiſſimum: duo impræſentiarum ſufficiunt.

Quæſt. 24.

Quæſt. *Quid eſt, ut cum vir & mulier una ſint caro, vir imago Dei ſit, & non femina? unius ſubſtantiæ quidem ſunt vir & mulier, & in anima & in carne; ſed gradu major eſt vir, quia ex eo eſt femina, ſicut dicit Apoſtolus:* Caput mulieris vir. *Cauſa enim majorem fecit virum, non ſubſtantia.*

1. *Cor.* 11. *v.* 3.

In c. 11. 1. *Cor.*

Comment. *Quamvis una ſubſtantia ſit & vir & mulier, tamen quia vir caput eſt mulieris, anteponendus traditur, ut per cauſam & rationem major ſit, non per ſubſtantiam. Inferior ergo mulier viro eſt, portio enim ejus eſt, quia origo mulieris vir eſt: ex eo enim eſt, ac per hoc obnoxia videtur mulier viro.*

Quæſt. 102.

2. *Tim.* 2. *v.* 20.

Quæſt. *Hinc eſt unde Paulus Apoſtolus:* In magna autem, *inquit*, domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia. *Iſtud propter Hymenæum & Philetum poſuit, qui cum eſſent ex Eccleſia, perverſe de reſurrectione ſentiebant, ſicut aliqui de Corinthiorum Eccleſia reſurrectionem negabant. Sed hanc domum magnam Novatianus mundum ſignificat intelligendum, non Eccleſiam; ne in una Eccleſia, malos cum bonis, mundos cum immundis, cogatur aſſerere, quod facile puto convelli. In una enim domo omnes ſub uno ſunt nomine: quamvis enim moribus diverſi ſunt, uno tamen domini ſui nomine cenſentur, & profeſſione. Mundus autem hic diverſæ profeſſionis continet homines, ita ut diſpares profiteantur ſe habere & deos & dominos. Vides ergo non hoc potuiſſe dici de mundo, ſed de Eccleſia, in qua ſub uno degentes nomine diverſi ſunt actu*, &c.

In cap. 2. 2. *ad Timoth.*

Comment. *Significavit in Eccleſia diverſos eſſe homines, quoſdam bonos & ſummos viros, quos in auro intelligi vult; quoſdam bonos tantum, quos in argento deſignat; alios vero non bonos, quos vaſa lignea & fictilia appellat: quod nulli ambiguum puto. Nam in Corinthiorum hoc Eccleſia probat frequens ſermo objurgantis Apoſtoli: nunc autem in Eccleſia noſtra palam eſt, & in templo Hieroſolymis, in quo typus erat Eccleſiæ, manifeſtis lectionibus approbatur. Erant enim ibi Sadducæi, ex quorum radice erat Hymenæus & Philetus, de quorum prava ſententia cum Apoſtolus eſſet locutus, ſtatim hoc ſubjecit, ut non eſſet mirabile in Eccleſia videri homines diſſentientes; nam & in Corinthiorum Eccleſia, de qua dixi, quidam erant qui diſſentientes reſurrectionem negabant. Inſanus tamen Novatianus, ut errori ſuo blandiatur, aliter hoc intelligendum tradit, ut domus magna totus mundus ſignificare credatur, quia habet hominum diverſitatem; cum conſtet Apoſtolum exemplo uſum domus divitis & opulenti, quæ quamvis copioſa ſit, habet tamen vaſa lignea & fictilia. Hoc modo & Eccleſia, quanquam ſancta dicatur, habet tamen & vitioſos & prava ſentientes, ſicut ſuperius memoravi. Quos contumelia dignos oſtendit, non tamen perituros, ſed purgandos per ignem, quia domui ex aliqua parte neceſſarii ſunt.*

Et vocum uſu.

Iiſdem ſæpe verbis uſus eſt in utroque opere, quod cum in exemplo priore de muliere apertum ſit, fruſtra referantur alia, quæ legenti occurrent, ſi modo animum vel leviter advertat. Utrobique certe *diffidentia* pro incredulitate ponitur; verbum *prævaricandi* activa terminatione barbare uſurpatur; verbum quoque *meliorandi*, & alia plurima, quæ etſi inſolentia, videntur tamen vel familiaria, vel affectata ab auctore.

Objecta duo diluuntur.

Sentio, opponi poſſe duo: alterum adverſus rationem temporis conſtitutam; alterum, quo diverſitas ſententiæ probetur. Nam auctor tertiæ partis quæſtionum ſcribere ſe ait, anno mundi ſexto milleſimo, qui Chriſti 459. ſecundum Græcos: diſtat igitur annis octoginta & amplius ab ætate auctoris commentariorum, vivente Damaſo, ſcribentis. Deinde quæſtione 109. Melchiſedech dicitur non eſſe homo, *aſſeritur in commentariis ad cap.* 11. *epiſt. ad Hebræos.*

Et primum quidem a tempore.

Verum, quod pertinet ad tempus, facile fuit errorem in numero irrepere, tranſpoſitis literis, poteſtque ſuſpecta videri computatio annorum mundi more Græcorum facta ab homine Latino. Quidni ergo pro VI. milleſimo ſcriptum fuerit IV. milleſimo, & milleſimus pro millenario poſitus? Sic enim omnia conciliantur facili negotio, cum quarto mundi millenario ſecundum Latinos ſcriberentur quæſtiones. Ea conjectura tanto probabilior eſt, quanto plura adjuncta, quæ proſecuti ſumus antea, ipſam confirmant.

Tum ſecundum a doctrina.

Quæſt. 109.

In comment. ad c. 47. *ad Hebr.*

Diverſitas ſententiæ, qua auctor quæſtionum Melchiſedechum negat fuiſſe hominem, affirmat Hilarius, majorem crearet difficultatem, niſi conſtaret, Hilarium in epiſtolam ad Hebræos nihil ſcripſiſſe, quemadmodum nec Hieronymum, nec Pelagium, nec ullum alium Latinorum ejuſdem ætatis. (rei cauſa eruditos non latet) Supplevit igitur aliquis commentaria, quibus decem priora epiſtolæ capita exponuntur, partim ex Chryſoſtomo, partim ex Hieronymo; ut mirum nemini videri debeat, ſi de Melchiſedecho hoc in opere legantur pugnantia quæſtionibus, quas Hieronymus ea ipſa epiſtola refellit, unde additor mutuatus eſt ipſa etiam verba.

Conſectaria ex dictis hoc & præcedente capite.

Ex his, quæ diſputata ſunt hactenus utroque poſteriore capite, concludo, Hilarium, qui ex Sardinia oriundus, ſolet nominari diaconus, quique Luciferianus vulgo audit, ſcripſiſſe duo hæc opera, quorum examen tum hoc, tum præcedente capite inſtitutum eſt. Deinde ipſum immerito traductum alieno nomine, qui ſuum habet ab Auguſtino ſemel atque iterum appellatum. Deinde immerito quoque poſtulatum ſive Pelagianæ, ſive Cæleſtianæ hæreſis, cum utrique manifeſte pugnet, & teſtis catholicæ fidei quoad peccatum originale ab Auguſtino laudetur. Deinde neque Pelagii, neque Cæleſtii interpretem dici poſſe, cum utrumque ætate multum præceſſerit, ſenſeritque cum ſuæ ætatis Patribus apprime catholicis. Deinde tantæ auctoritatis eſſe ad res ſui temporis, id eſt, quarti ſæculi inclinantis, teſtandas, quantæ quilibet alius apud Latinos, ſi forte Ambroſium excipias. Poſtremum, vere dixiſſe Mercatorem a Theodoro Mopſueſtiæ Epiſcopo ortam eſſe hæreſim, cui factum eſt poſtea, vel a Pelagio, vel a Cæleſtio nomen, quod fuit hoc utroque capite demonſtrandum.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

DE

SYNODIS HABITIS

IN CAUSA PELAGIANORUM

VIVENTE SANCTO AUGUSTINO.

Commonit. cap. 3.

In hæc verba Marii Mercatoris : *Non ſolum imperialibus legibus, ſed etiam ſacerdotalibus ſtatutis depoſiti atque exauctorati ſunt*, &c.

Ratio & modus diſſertationis.

ETSI Mercator propoſitis Commonitorii verbis de una Zoſimi tractoria, vel etiam de Innocentii decreto, ſermonem fecerit, non erit tamen alienum a ratione, nec parum, credo, condueibile ad hiſtoriam Pelagianam, recenſere breviter viginti quatuor ſynodos, quæ a veteribus habitæ dicuntur in cauſa Pelagianorum, donec moreretur Auguſtinus, aut concilium Epheſinum cogeretur. Fuit vero temporis illius ſpatium non amplius, quam oovemdecim annorum ; quibus hæreſis Pelagii Cæleſtiique viſa eſt aliquid virium aut exerere, aut retinere.

Cauſa tot ſynodorum, pertinacia hæreſis Pelagianæ.

Mirabitur forte quiſpiam, toties conveniſſe tantam multitudinem Epiſcopotum, tam exiguo tempore, & ad unius ſectæ exeiſionem, nec potuiſſe tamen infelix germen tanto molimine radicitus evelli. Sed ut impietas illa fuit omnium fere hæreſum pernicioſiſſima, ut quæ fundamentum chriſtianæ pietatis convellere tentaverit, hominum ſcilicet ſub Deo humilitatem : ita nulla obſtinatius reſtitit Eccleſiæ, ſiquidem naturæ ipſius, libertatiſque humanæ arce occupata, ex ea ſe pertinaciter defenderet.

I. SYNODUS

AB AURELIO ADVERSUS CÆLESTIUM

HABITA CARTHAGINE

HONORIO IX. ET THEODOSIO V. AA. CC.

menſe Februario, anno Chriſti CCCCXII.

Prima ſynodus in cauſa Cæleſtii.

Carthagine ab Aurelio.

POST deprehenſam in Africa Pelagianam hæreſim, habita eſt ſynodus Carthagine ab Aurelio Epiſcopo, in cauſa Cæleſtii, qui ad presbyteratum, partim doctrinæ fama, partim ſpecie pietatis, ſed potiſſimum ſuorum artibus, ſubrepere tentabat. Hæc omnium prima fuit, videturque Eccleſiæ, de infando errore triuophare addiſcentis, quaſi rudimentum.

Auguſt. lib. de pecc. orig. cap. 2. & ſeqq.

Habita anno Chriſti 412.

Temporis ratio facile eonſtat duobus veterum teſtimoniis inter ſe collatis, Patrum Carthaginenſium & Auguſtini.

Epiſt. 90. apud Auguſt.

Scripſerunt illi ann. 416. ad ſanctum Innocentium in hæe verba : *Cum ex more ad Carthaginenſem Eccleſiam ſolemniter veniremus, atque ex diverſis cauſis congregata ex nobis ſynodus haberetur, compresbyter noſter Oroſius nobis literas ſanctorum fratrum & conſacerdotum noſtrorum dedit Erotis & Lazari, quarum formam his conſtituimus eſſe ſubdendam. His ergo lectis Pelagium & Cæleſtium auctores nefarii prorſus & ab omnibus nobis anathematizandi erroris advertimus : unde factum eſt, ut recenſendum peteremus *, quid ante ferme quinquennium ſuper Cæleſtii nomine hic, apud Eccleſiam Carthaginenſem, fuerit agitatum*, &c.

* putaremus

Scripſit & iſte *lib. de geſt. Palæſt. cap.* 11. alloquens Aurelium : *Hæc ita objecta ſunt, ut etiam apud Carthaginem a ſanctitate tua, & ab aliis tecum Epiſcopis dicerentur audita atque damnata ; ubi quidem, ut recolis, ipſe non fui, ſed poſtea, cum veniſſem Carthaginem, eadem geſta recenſui.*

Ex quibus manifeſta ſunt tria. I. Duas in eadem cauſa congregatas fuiſſe Carthagine ſynodos ; & poſteriorem quidem, ex qua datæ ſuot ad ſummum Pontificem literæ, coiviſſe eirciter menſem Septembrem : tunc enim temporis cogendam præcipiebat canon Nicænus. coacta vero fuit *de more & ſolemniter*, id eſt, ex canonis præſcripto. II. Inter duas iſtas Carthaginenſes ſynodos non effluxiſſe quinquennium, ſed *ferme quinquennium*. III. Priori ſynodo oon ioterfuiſſe Auguſtinum.

Habita eſt igitur prior illa ſynodus, noo quidem ſtatim poſt collationem cum Donatiſtis peractam VI. Idus Junii, quod quibuſdam viſum, alioquin interfuiſſet Auguſtinus, qui magna pars collationis fuit ; ſed poſt menſem Septembrem, oe ſi collocetur prope collationis tempus, & ante Septembrem, jam non ferme quinquennium, ſed pluſquam quinquennium inter ambas ſynodos effluxiſſe fatendum ſit. Si autem referatur ad ipſum menſem Septembrem, fatendum pariter interceſſiſſe quinquennium totum, inter ſynodum hanc priorem, & literas a poſteriore ſcriptas.

Reſtat igitur, ut poſt reliquos ano. 411. menſes, & ad initium ſequeotis 412. rejiciatur, ut dicatur collecta de more, hoc eſt, ſecundum canonem Nicænum,

Ante quadrageſimam.

cænum, ante quadrageſimam: ſic enim liquet, quomodo & Auguſtinus non interfuerit: cum poſt collationem ad ſuos profectus Carthaginem non redierit, niſi poſt feſta paſchalia, & ferme quinquennium ambas inter ſynodos fluxerit, ſiquidem tres aut quatuor menſes implendo quinquennio defuerint.

Plurimis Epiſcopis convenientibus. *Lib. de geſt. cap. 11. & cap. 35.*

Quot Epiſcopi convenerint, incertum eſt; conveniſſe plures ſcribit Auguſtinus, non tantum verbis mox relatis, ſed his quoque: *Iſta hæreſis cum plurimos decepiſſet, & fratres, quos non deceperat, conturbaret, Cæleſtius quidam talia ſentiens ad judicium Carthaginenſis Eccleſiæ perductus,* EPISCOPORUM *ſententia condemnatus eſt.*

Cap. 3. apolog.

Oroſius: *Expoſui coronæ veſtræ, ut potui, Cæleſtium jam ad honorem presbyteratus ſubrepentem apud Carthaginem,* PLURIMIS EPISCOPIS JUDICANTIBUS, *proditum, auditum, convictum, confeſſum, deteſtatumque ab Eccleſia, ex Africa profugiſſe.* Et paulo poſt: *Ego illico profectus ſum. Hoc in Cæleſtio* AFRICANA SYNODUS *deteſtata eſt.*

In commonit. cap. 1.

Marius Mercator: *De quibus omnibus capitulis ſupraſcriptis exemplaribus ſynodalium geſtorum* PATRES ET EPISCOPI *regionis illius reſtiterunt Cæleſtio, & juſſerunt, ut eadem condemnaret, quia eſſent hæretici ſenſus.*

Hæreſi 88.

Prædeſtinati auctor: *Reſtitit ei quidam Paulinus diaconus defenſor & procurator Eccleſiæ Mediolanenſis, eique* IN CONVENTU SACERDOTUM *multa capitula objecit contra fidem catholicam, quæ Cæleſtius damnare neglexit.*

Ex his quatuor teſtimoniis, & præſertim ex poſterioribus tribus, poſſet aliquis ſuſpicari, non mediocrem fuiſſe hancce ſynodum, imo nec Carthaginenſem tantum, ſed, ut ait Oroſius, Africanam, id eſt, vel ex tota diœceſi Africæ, vel ex pluribus provinciis, ſiquidem ad eam, quod ſcribit Mercator, Patres & Epiſcopi convenerint: Patrum enim nomine primates provinciarum, ſive ſenes appellari, etſi dubium forte eſſet, intelligi poſſet ex actione prima collatione Carthaginenſis *num.* 46. Ubi Aurelius meminit PATRUM ET FRATRUM SUORUM, cum de univerſali concilio Eccleſiæ catholicæ ſeptem legatos, qui collationi interſint, eligente loquitur. Hinc autem adjuvaretur utcumque opinio credentium, a Patribus propter collationem coactis Carthaginem, habitum de Cæleſtio judicium, niſi evidens in contrarium ratio faceret.

Accuſante Paulino diacono.

Accuſavit Cæleſtium Paulinus, quem diaconum ſimpliciter Auguſtinus; Mercator diaconum ſanctæ memoriæ Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi; Prædeſtinati auctor diaconum defenſorem & procuratorem Eccleſiæ Mediolanenſis nominat.

Sex capitibus objectis. *Lib. de geſt. cap. 11. & lib. de pecc. orig. c. 11. Cap. 1. Common. hæreſi 88.*

Objecta ſunt capitula illa ſex, quæ recenſet cum Auguſtino, & Mario Mercatore Prædeſtinati auctor in hæc verba: *Obtulerunt ei libros ſuos, ubi dicebat ipſam ſibi hominis naturam ad perfectionem poſſe ſufficere; hoc eſt, tantam poteſt homo exercere juſtitiam, ut etiam ſine peccato poſſit eſſe, ſi velit. Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, eſſet moriturus. Sic lex miſit ad regnum ſicut evangelia. Infantes in remiſſionem peccatorum baptizandos eſſe. Ideo confitemur propter regulam univerſalis Eccleſiæ, nihil obfuiſſe generi humano peccatum Adæ. Omnia hæc oppoſitionum genera ad damnandum objiciebantur Cæleſtio.*

Non interfuit Auguſtinus.

Non interfuit Auguſtinus, ſed ubi primum Carthaginem venit, recognovit acta, quorum nihil ad nos tranſmiſit, præter fragmentum & partem libelli a Cæleſtio Romæ editi, geſtiſque eccleſiaſticis allegati.

Recogno…it tamen …ta

Quorum fragmentum …fert.

Quod ſupereſt actorum apud Auguſtinum ita ſe habet: *De geſtis eccleſiaſticis Carthaginenſibus hæc ejus,* Cæleſtii, *verba deſcripſimus.*

Lib. de pecc. orig. c. 3. & 4.

Aurelius Epiſcopus dixit: *Sequentia recitentur.* Et recitatum eſt: *Quod peccatum Adæ ipſi ſoli obfuit, & non generi humano.* Et cum recitatum eſſet, Cæleſtius dixit: *Dixi de traduce peccati me dubium eſſe, ita tamen, ut cui donavit Deus gratiam peritiæ, conſentiam, quia diverſa ab eis audivi, qui utique in Eccleſia catholica conſtituti ſunt presbyteri.*

Paulinus diaconus dixit: *Dic nobis nomina ipſorum.* Cæleſtius dixit: *Sanctus presbyter Rufinus Romæ, qui manſit cum ſancto Pammachio. Ego audivi illum dicentem, quia tradux peccati non ſit.*

Paulinus diaconus dixit: *Eſt aliquis alius.* Cæleſtius dixit: *Audivi & plures dicere.* Paulinus diaconus dixit: *Dic nomina ipſorum.* Cæleſtius dixit: *Non tibi ſufficit unus ſacerdos?*

Et poſt aliqua alia, Aurelius Epiſcopus dixit: *Reliqua libelli legantur.* Et recitatum eſt: *Quod infantes qui naſcuntur, in eo ſtatu ſint, in quo fuit Adam ante tranſgreſſionem*; uſque in finem libelli minoris ſuperius inſerti.

Aurelius Epiſcopus dixit: *Docuiſti, Cæleſti, aliquando, ut dixit diaconus Paulinus,* quod infantes qui naſcuntur, in eo ſtatu ſint, in quo fuit Adam ante tranſgreſſionem. Cæleſtius dixit: *Exponat quid dixit, ante tranſgreſſionem.*

Paulinus diaconus dixit: *Tu nega hoc te docuiſſe. Unum eſt ex duobus, aut neget ſe docuiſſe, aut jam damnet iſtud.* Cæleſtius dixit: *Jam dixi, exponat quomodo dixit, ante trangreſſionem.*

Paulinus diaconus dixit: *Nega te illa docuiſſe.* Aurelius Epiſcopus dixit: *Rogo, quid collegerim ego ex hujaſmodi objectione, dico: Adam conſtitutus in paradiſo, quod ante dicatur inexterminabilis factus, poſtea per tranſgreſſionem præcepti factus ſit corruptibilis. Hoc dicis, frater Pauline?*

Paulinus diaconus dixit: *Hoc, domine.* Aurelius Epiſcopus dixit: *Status certe infantium hodie baptizandorum, utrum talis ſit, qualis fuit ante tranſgreſſionem Adæ, an certe de eadem origine peccati, de qua naſcitur, tranſgreſſionis culpam trahat? Hoc vult diaconus Paulinus audire.*

Paulinus diaconus dixit: *Utrum docuit hoc, an non, neget.* Cæleſtius dixit: *Jam de traduce peccati dixi, quia intra catholicam conſtitutos plures audivi deſtruere, nec non & alios aſtruere, licet quæſtionis res ſit iſta, non hæreſis: infantes ſemper dixi egere baptiſmo, ac debere baptizari. Quid quærit aliud?*

Cæleſtius excommunicatus donec objecta damnaret. *Epiſt. ſynod. ad Innoc. apud Aug. epiſt. 91.*

Quis fuerit exitus, docent quatuor laudati auctores locis prolatis, quibus adde Patres Carthaginenſis concilii: *Proditus,* inquiunt, *audituſque eſt frequenter Cæleſtius, imo convictus, confeſſaſque, & deteſtatas ab Eccleſia, id eſt, anathemate percuſſas, ac communione privatus, donec aperte objecta anathematizaret.*

Sententiam declinavit, appellata ſede apoſtolica.

Huic ſententiæ non acquievit pertinax hæreticus, ſed ſedem apoſtolicam ad declinandum judicium appellavit. Epheſum tamen Aſiæ urbem, neglecta appellatione, profugit, ubi per obreptionem presbyter ordinatus eſt, quemadmodum tradit Mercator Commonitorii cap. 1.

II. SYNODUS
A JOANNE EPISCOPO
HIEROSOLYMIS IN CAUSA PELAGII CONTRACTA
HONORIO X. ET THEODOSIO VI. AA. CC.
die xxx. Julii, anno Chriſti ccccxv.

Secunda ſynodus.

Cap. 3. apolog.

Cujus meminit Auguſt. *Lib. de geſt. Palæſt. cap. 14.*

SECUNDÆ ſynodi, quæ coacta eſt Hieroſolymis, in cauſa Pelagii, a Joanne Epiſcopo ann. 415. acta refert Oroſius. Meminit vero Auguſtinus his verbis: *Uſus eſt hoc teſtimonio S. Joannes Hieroſolymitanæ antiſtes Eccleſiæ, ſicut interrogatus, quæ* APUD ILLUM ANTE JUDICIUM *geſta fuerint, coepiſcopis noſtris, qui ſimul in illo judicio præſidebant, ipſemet narravit. Ait enim, tunc quibuſdam ſuſurrantibus, & dicentibus, quod ſine Dei gratia diceret Pelagius poſſe hoc perfici, id eſt, quod ſuperius dixerat, eſſe poſſe hominem ſine peccato: culpam*, inquit, *ſuper hoc etiam intulit, quia & Apoſtolus multum laborans, ſed non ſecundum ſuam virtutem, ſed ſecundum gratiam Dei dixit:* Amplius omnibus illis laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum. *Et iterum:* Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. *Et illud:* Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. *Et alia multa ſimilia diximus*, inquit, *de ſcripturis ſanctis. illis autem non ſuſcipientibus quæ dicebantur a nobis de ſanctis ſcripturis, ſed adhuc ſuſurrantibus; dixit Pelagius: Et ego ſic credo: anathema ſit qui dicit, abſque adjutorio Dei poſſe hominem ad profectum omnium venire virtutum.*

1. Cor. 15. v. 10.

Rom 9. v. 16.

Pſal. 126. v. 1.

Hieroſolymis a Joanne coacta.

De loco & præſide aperta ſunt utriuſque laudati auctoris teſtimonia.

Ann. 415.

Ratio temporis inde conficitur. & primo quidem neceſſe eſt hanc ſynodum coiviſſe eo temporis intervallo, quod a verna tempeſtate ann. 415. ad menſem Decembrem ejuſdem anni effluxit. Nam & hujus ſynodi magna pars fuit Oroſius, & ejuſdem mentio facta eſt in concilio Dioſpolitano. At Oroſius in Palæſtinam appulit verno tempore ann. 415. & concilium Dioſpolitanum celebratum eſt menſe Decembri ejuſdem anni.

Die 30. Julii.

Deinde, cum primo die encæniorum veniſſet, ut erat ſolitus, Oroſius ad Joannis obſequium, repulſam paſſus eſt ab eo, quaſi per blaſphemiam in ſynodo dixiſſet, *hominem nequidem cum adjutorio Dei poſſe eſſe ſine peccato.* Cum igitur primus ille encæniorum dies fuerit decimus quartus Septembris, ut tradit Nicephorus, & quadrageſimus ſeptimus poſt habitam ſynodum, ut ſcribit Oroſius, neceſſe eſt habitam fuiſſe ſynodum die 30. Julii.

Lib. 8. hiſt. cap. 50.

In apolog. c. 4.

A ſolis per ſe presbyteris.

Fuit illa presbyterorum dumtaxat, non item Epiſcoporum, qui ſaltem jure coacti forent; ſed ad ſummum qui amice convocati. Neque enim cogendorum tunc temporis ulla fuit auctoritas penes Joannem, cum neque diœceſim haberet, imo neque provinciam: ſed in Antiochena diœceſi cenſeretur, & Cæſarienſi Epiſcopo totius Palæſtinæ metropolitano ſubeſſet. Fuit igitur conventus ille, vel ſolius presbyterii, quod potius opinor; vel etiam vicinorum Epiſcoporum, cujuſmodi duos, Eleutherium Sebaſtenum, & Eutonium Hierichuntinum, ad effodiendas ſancti Stephani reliquias, & in urbem ſanctam transferendas, Joannes aſſumpſiſſe dicitur a Luciano.

In epiſt. de revel. S. Steph.

In cauſa Pelagii.

Cogendæ occaſionem dedit Pelagius, qui cum toto fere jam triennio Hieroſolymis verſatus eſſet, ſolitis artibus ſuas in partes traxerat nonnullos de clero, & ipſum in primis Epiſcopum Joannem, cujus, ut mentem non infecerit errore, animum certe ita devinxerat ſibi, ut homini jam per ſe infenſo erga Hieronymum, propter Origenis cauſam, perſuaderet facile, ſanctum ſenem, non fidei ſtudio, ſed invidia ſibi obſiſtere. Hinc presbyteros inter orta diſſenſio, aliis Pelagio faventibus, Epiſcopi ſui exemplo: aliis contra pugnantibus, duce Hieronymo, qui verſipellis hæretici ſenſum diligentius indagaverat, pervidendumque catholicis prodiderat. Inde graves animorum utrinque commotiones, quas ut Joannes, non ſedaret quidem, ſed Pelagio nocere prohiberet, conventu presbyterorum contracto, tentavit, ſi qua poſſet ratione, partibus ſilentium imponere.

Cui Joannes favebat.

Hieronymus obſiſtebat.

Interfuit Oroſius presbyter ab Auguſtino miſſus ad Hieronymum.

Oroſius presbyter Hiſpanus, quem Auguſtinus ad Hieronymum miſerat, ut de origine animarum doceretur ab orientis magiſtro, evocatus e Bethleemi ſeceſſu, ſedit inter presbyteros, a quibus rogatus quid Carthagine cum Cæleſtio actum eſſet, narravit palam, quid Auguſtinus, vel quæſtionibus Hilarii Syracuſani, vel libro Pelagii de natura reſpondiſſet. Incertum an ipſa quoque prælegerit concilii Carthaginenſis acta. Legit certe epiſtolam Auguſtini ad Hilarium, duoque dixit ſe a Pelagio audiviſſe; alterum, *hominem poſſe eſſe ſine peccato, ſi velit*; alterum, *mandata Dei facile cuſtodire*; utrumque ab Africanis damnatum.

Adfuit Pelagius, & licet laicus, inter presbyteros ſedit.

Egit pro Pelagio Joannes.

Pelagius, quem Joannes admitti juſſerat, & inter presbyteros, licet laicum, conſidere, excepit, non dicere ſe *id poſſe fieri ſine adjutorio Dei.* Exceptionem accepit libenter Epiſcopus, eamque teſtimoniis ſcripturæ cum confirmaſſet, tentavit Oroſium cogere, ut, ſe judice, accuſaret. Sed altercatione facta, multiſque cauſantibus, eundem non poſſe unius hæretici advocatum eſſe ac judicem, cauſamque ortam inter Latinos a Latinis judicibus diſceptari debere, hæc tandem ſententia prolata eſt: *Ut ad beatum Innocentium Papam Romanum partes & epiſtolæ mitterentur, univerſis, quod ille decerneret, ſecuturis; ſed ita ut hæreticus impoſito ſibi ſilentio eatenus conticeſceret, & ut noſtri ab inſultatione convicii hominis, confuſique temperarent.*

Cauſamque ad Innocentium Papam remiſit.

Apolog. cap. 3.

Sed præſtat ipſum audire loquentem ſuis verbis Oroſium. Quæ enim dicit, habere poſſunt rationem actorum conventus.

Acta conventus Hieroſolymitani ex Oroſio.

Apolog. cap. 3. & 4.

Latebam in Bethleem, traditus a Patre Auguſtino, ut timorem Domini diſcerem, ſedens ad pedes Hieronymi: inde Hieruſalem, vobis accerſentibus, vocatus adveni. Dehinc in conventum veſtrum una vobiſcum, Joanne Epiſcopo præcipiente, conſedi: illico a puſillitate mea poſtulaſtis univerſi, ut ſi quid ſuper hac hæreſi, quam Pelagius & Cæleſtius ſeminarunt, in Africa geſtum eſſet, cognoſcerem, fideliter ac ſimpliciter indicarem.

Expoſui coronæ veſtræ breviter, ut potui, Cæleſtium jam ad honorem presbyterii ſubrepentem, apud Carthaginem, plurimis Epiſcopis judicantibus, proditum, auditum, convictum, confeſſum deteſtatumque ab Eccleſia, ex Africa profugiſſe: contra librum vero Pelagii beatum Auguſtinum, diſcipulis

ipſius

Digitized by Google

ipſius Pelagii prodentibus, ac petentibus, pleniſſime reſpondere. extare etiam in manibus meis epiſtolam ſupra memorati Epiſcopi, quam nuper ad Siciliam ordinaſſet, in qua multas quæſtiones hæreticorum retulit; quam etiam ibidem ut legerem, præcepiſtis, & legi.

Epiſt. 89. ad Hilarium.

Ad hæc Joannes Epiſcopus, ut Pelagius coram intromitteretur, expetiit: cui & propter paternitatis ipſius reverentiam, & propter actionis utilitatem, dum præſentem ab Epiſcopo rectius crederetis confutandum, intromittendi conniventia præbita eſt.

Intromiſſum Pelagium unanimiter omnes interrogaſtis, an hæc, quibus Auguſtinus Epiſcopus reſpondiſſet, ſe docuiſſe cognoſceret. Illico ille reſpondit: *Et quis eſt mihi Auguſtinus?* Cumque univerſi acclamarent blaſphemantem in Epiſcopum, ex cujus ore Dominus univerſæ Africæ unitatis indulſerit ſanitatem, non ſolum a conventu illo, verum ab omni Eccleſia pellendum, Epiſcopus Joannes illico eum, hominem videlicet laicum, in conſeſſu presbyterorum reum hæreſeos manifeſtæ, in medio catholicorum ſedere præcepit, & deinde ait: *Auguſtinus ego ſum*; ut ſcilicet, perſona quaſi præſentis aſſumpta, liberius ex auctoritate ejus, qui lædebatur, ignoſceret, & dolentium animos temperaret. cui mox a nobis dictum eſt: *Si Auguſtini perſonam ſumis, Auguſtini ſententiam ſequere.*

Tunc idem Epiſcopus nobis omnibus ait: *Hæc, quæ leguntur, in alios dicta ſunt, aut de Pelagio ſuggerendum putatis? Si in ipſum autem Pelagium, quid dicatis expromite.* Ego autem, vobis annuentibus, dixi: Pelagius mihi dixit, docere ſe *hominem poſſe eſſe ſine peccato, & mandata Dei facile cuſtodire, ſi velit.* Reſpondit Pelagius, audientibus vobis: *Hoc & dixiſſe me, & dicere negare non poſſum.* Ego illico proſecutus ſum: *Hoc in Cæleſtio Africana ſynodus deteſtata eſt: hoc Auguſtinus ſcriptis ſuis, ſicut audiſtis, exhorruit: hoc in ipſius nunc Pelagii ſcriptis ſua reſponſione condemnat: hoc & beatus Hieronymus, cujus eloquium univerſus Occidens, ſicut rorem vellus, expectat, (multi enim jam hæretici cum dogmatibus ſuis, ipſo oppugnante, ſupploſi ſunt) & in epiſtola ſua, quam nuper ad Cteſiphontem edidit, condemnavit. Similiter & in libro, quem nunc ſcribit, collata in modum dialogi altercatione, confutat. Hoc eſt enim lubricum in anchiſtro draconem tenere, ne poſſit effugere.*

Lib. Eulog. cit. 100.

Job 40. v. 19.

Porro autem Epiſcopus Joannes nihil horum audiens, a nobis exigere conabatur, ut accuſatores nos, ipſo judice, fateremur. Reſponſum eſt ſæpiſſime ab univerſis: *Nos accuſatores hujus non ſumus; ſed quid fratres tui, patres noſtri, ſenſerint & decreverint ſuper hac hæreſi, quam nunc laicus vulgo prædicat, intimamus, ne Eccleſiam tuam præſertim, ad cujus ſinum convolavimus, te ignorante, conturbet.* At ille cum ſæpe nos docendi ſimulatione in aliquam profeſſionis ſpeciem tentaret inducere, dicebat quia ad Abraham dictum eſſet a Domino: *Ambula coram me, & eſto ſine macula*; & Zachariam & Elizabeth pronuntiatos eſſe juſtos ambos ante Dominum, incedentes in omnibus juſtificationibus Domini ſine querela. quod quidem ab Origene dictum, ab eo proferri compluribus nobis notum erat.

Geneſ. 17. v. 1.
Luc. 1. v. 6.

Cui reſponſum per me eſt: *Nos filii Eccleſiæ catholicæ ſumus. Non exigas a nobis, Pater, ut doctores ſuper doctores eſſe audeamus, aut judices ſuper judices. Patres, quos univerſa per orbem Eccleſia probat, quorum communioni * nos adhærere gaudetis, damnabilia hæc eſſe dogmata decreverunt. Illis probantibus nos obedire dignum eſt. Cur interrogas filios, quid ſentiant, cum Patres audias, quid decernant?*

* vos

Ad quod ille diu diſputans, & noſtris, (propter imperitiam ignoti nobis interpretis, quem ſæpiſſime viri primarii, & religioſi Poſſerius & Avitus preſbyteri, & * Dominus ex duce, vel prave interpretantem, vel plurima ſupprimentem, vel alia ex aliis ſuggerentem, confutarunt) noſtris, ut dixi, actionibus vel interpolatis plerumque, vel tacitis, Epiſcopus Joannes ait: *Si ſine adjutorio Dei hoc hominem poſſe diceret, peſſimum & damnabile erat. nunc autem cum adjiciat, poſſe hominem eſſe ſine peccato, non ſine adjutorio Dei; vos quid dicitis? An forte vos Dei adjutorium denegatis?* cui reſpondi ego: *Teſtibus & teſtificantibus etiam nunc vobis, & ſupra memoratis viris, anathema ei, qui negat adjutorium Dei. Ego certe non nego, præcipue cum e contrario in * hæreticos confutarim.*

* Domninus.

* hæreticum.

Deinde cum intellecto judice, & interprete prodito, clamaremus, Latinum eſſe hæreticum, nos Latinos, hæreſim Latinis magis partibus notam, Latinis judicibus diſſerendam, ac ſe pene impudenter ad judicandum, cum quidem nos accuſatores non eſſemus, & unus & ſuſpectus ingereret, dici a pluribus neceſſarium fuit: Non poteſt quiſquam idem eſſe hæretici & advocatus & judex. Multiſque aliis actitatis, Joannes Epiſcopus noviſſimam ſententiam protulit, confirmans tandem poſtulationem intentionemque noſtram, ut ad beatum Innocentium Papam Romanum partes & epiſtolæ mitterentur, univerſis, quod ille decerneret, ſecuturis: ſed ut hæreticus Pelagius impoſito ſibi eatenus ſilentio conticeſceret, & ut noſtri ab inſultatione convicti hominis, confuſique temperarent. Univerſi in hanc ſententiam conſenſimus, gratiarum actione celebrata, pace facta, & conſummata ad pacis teſtimonium oratione, diſceſſimus.

Nunc autem, poſt dies quadraginta & ſeptem, cum primo encæniorum die, ut ſolitus eram, quando aderam, ad obſequium Joannis Epiſcopi cucurriſſem, ſtatim ab eo notam falſi criminis pro gratia ſalutationis accepi. Ait enim mihi: Quare ad me venis homo, qui blaſphemaſti? volens, ut credo, intelligi: *Noli me tangere, quia mundus ſum & abſque peccato.* At ego nihil conſcius, interrogavi, quando, aut quo audiente, aut cujuſmodi illud eſt dictum, quod blaſphemiæ poſſit adſcribi. Epiſcopus reſpondit: Ego te audivi dixiſſe: *Quia nec cum Dei adjutorio poſſit eſſe homo ſine peccato.* Hactenus acta.

Iſai. 65. v. 5.

Scio nonnullis placitum, cujuſmodi Janſenius Yprenſis, & Waſtellus, fidem apologiæ in ſuſpicionem vocare, quaſi peccet in hiſtoriam, ut Yprenſis putat, & in catholicam fidem, ut Waſtellus. Verum nemo nunc inter eruditos ipſis aſſentitur, cum ille non ſatis conventum Hieroſolymitanum a Dioſpolitana ſynodo diſcreverit, quod erat tamen facile audienti teſtimonium Auguſtini mox prolatum; iſte vix ſerio accuſaſſe Novatianiſmi atque Neſtorianiſmi auctorem apologiæ videatur; uterque, non ratione, ſed affectu, communem ſenſum ſpreverit, quia eximius hic libellus auctoritate ſua, id eſt, tanta, quanta poteſt eſſe viri ab utroque fidei magiſtro, Hieronymo & Auguſtino, de catholicis dogmatibus edocti, rebus ſuis incommodabat.

Lib. 1. de hæreſ. Pelag. lib. 2. Vindiciarum.

III. SYNODUS

AB EULOGIO CÆSARIENSI ADVERSUS PELAGIUM DIOSPOLI COLLECTA HONORIO X. ET THEODOSIO VI. AA. CC.

die xx. Decembris, anno Chriſti cccc xv.

Cauſa cogendæ ſynodi. CUm metueret Joannes, ne ſi cauſa Pelagii, ut erat ſtatutum in presbyterii coovento, Romæ apud ſedem apoſtolicam ageretur, Carthaginenſis Eccleſiæ judicium de Cæleſtio probaretur, & artes Pelagii paterent, ferretque vafer homo dignam ſuis erroribus ſententiam, præjudicium facere voluit, quo ſummi Pontificis animum occuparet; coactiſque per Eulogium Cæſareæ Epiſcopum & provinciæ primatem Epiſcopis aliquot, quibus facile, propter ioſcitiam Latioi ſermonis, illudi poſſet ab interprete maligno, ſynodum habendam fecit.

Locus, præſes & Epiſcopi. Liddæ igitur, quæ eſt Dioſpolis, in urbe Palæſtioæ Cæſarienſis, quatuordecim Epiſcopi, Eulogius Cæſarienſis, Joanoes Hieroſolymitanus, Ammonianus, Porphyrius Gazeoſis, * Eutonius Hierichuntinus, Porpbyrius alter, Fidus, Zoſimus, Zoboœous Eleutheropolitanus, Nymphidius, Chromacius, Jovinus, Eleutherius * Sebaſtenus, & Clemacius coovenerunt.

** In epiſtola Luciani appellatur Eleutherius.*

** Ex epiſtola Luciani.*

Annus, menſis & dies. Habita eſt ſynodus ann. Chriſti 415. Innocentii ſummi Pontificis 13. Honorio X. & Theodoſio VI. AA. CC. die 20. menſis Decembris, ut coocluditur ex epiſtola Luciani presbyteri, de revelatione beati Stephani, hunc io modum.

In appendice 10. tomi operum Auguſtini. Die paraſceve, inquit Lucianus, hoc eſt, feria ſexta, III. Nonas Decembris, conſulatu Honorii decies, & Theodoſii ſexies Auguſtorum, hora tertia noctis, quaſi in ecſtaſi effectus, vidi virum, &c. Ad aliam paraſcevem Dominus Gamaliel eadem ſimilitudine apparuit mihi, &c. In tertia igitur ſeptimana, eadem die & hora, venit ſupradictus vir, &c. Expergefactus perrexi ad civitatem, ad ſanctum Joannem Epiſcopum, & cum illi omnia, quæ videram, renunciaſſem, cum audiſſet, lacrymatus eſt præ gaudio, & dixit, &c. Vade, fode in acervo, qui eſt in ipſo agro, & ſi ioveneris, renuotia mihi; & ita me dimiſit, &c. Convertimus ad monumentum, & fodientes invenimus tres thecas, &c. Statim ergo renuntiavi Epiſcopo, cum eſſet in Lidda, quæ eſt Dioſpolis, ſynodum agens: qui aſſumpſit ſecum duos alios Epiſcopos, Eleutherium de Sebaſte, & Eleutherium de Hiericho, & venerunt ad locum, &c. Cum pſalmis & hymnis portaverunt reliquias beati Stephani in ſanctam Eccleſiam Sion, &c. Tranſlatæ ſunt reliquiæ Martyris VIII. Kal. Januarii. Hactenus Lucianus.

Ex his tempus concilii, imo fere dies deprehenditur. nam prima revelatio facta eſt die 3. Decembris; poſterior die 10. tertia denique die 17. Joanoes Hieroſolymis erat die 18. cum eum Lucianus adiit. Die 19. aut 20. fodit Lucianus, ioventiſque reliquiis Liddam perrexit, ubi erat Joannes ſyoodum agens, & unde rediit ante diem 25. neceſſe eſt igitur, ut concilium ſit habitum a die 20. ad 23.

Auguſtinus cum acta hujus coocilii dio expetita accepiſſet, librum conſcripſit de geſtis Palæſtinis ad Aurelium Carthaginenſem, ex quo ſumpta ſunt, quæ, reciſis Auguſtioi commentariis, ſubjiciuntur.

Acta concilii Dioſpolitani. Cum ſynodus Dioſpolim conveniſſet, Pelagio in conſeſſum inducto, inter ea, quæ libello ſunt recitata, objectum Pelagio illud fuit primum, quod in libro ſuo quodam ſcribit, ooo poſſe eſſe ſine peccato, niſi qui legis ſcientiam habuerit. Quo recitato ſynodus dixit: *Tu hoc edidiſti, Pelagi?* At ille reſpondit: *Ego quidem dixi, ſed non ſicut illi intelligunt; non dixi non poſſe peccare, qui ſcientiam legis habuerit, ſed adjuvari per legis ſcientiam ad non peccandum, ſicut ſcriptum eſt:* Legem in adjutorium dedit. *Iſaiæ 8. v. 20. ſecundum LXX.* Synodus dixit: *Plane aliena non ſunt, quæ reſpondit.*

Synodus dixit: *Legatur aliud capitulum.* Et lectum eſt in eodem libro, dixiſſe Pelagium, omnes voluntate propria regi. Quo lecto Pelagius reſpondit: *Et hoc dixi propter liberum arbitrium, cui Deus adjutor eſt eligenti bona; homo vero peccans, ipſe in culpa eſt quaſi liberi arbitrii.* Epiſcopi dixerunt: *Neque hoc alienum eſt ab eccleſiaſtica doctrina.*

Item recitatum eſt, quod in libro ſuo Pelagius poſuit, in die judicii iniquis & peccatoribus ooo eſſe parcendum, ſed æternis eos ignibus exurendos. Reſpondit Pelagius: *Hoc ſecundum evangelium dixi, ubi dicitur de peccatoribus:* Iſti ibunt io ſupplicium æternum, justi autem in vitam æternam. *Matth. 25. v. 64.* *& ſi quis aliter credit, Origeniſta eſt.* Quo audito, catholica ſententia Epiſcopis placuit.

Deinde objectum eſt & illud Pelagio, tanquam in ſuo libro ſcripſerit, malum nec in cogitationem venire. Pelagius reſpondit: *Hoc non ita poſuimus, ſed diximus debere ſtudere chriſtianum, ne male cogitet.* Quam reſponſionem Epiſcopi approbarunt.

Recitatum eſt & aliud, quod in ſun libello ſcripſit, regnum cœlorum etiam in veteri Teſtamento promiſſum. Reſpondit Pelagius, *hoc & per ſcripturas probari poſſibile eſſe; hæretici autem in injuriam veteris Teſtamenti hoc negant. Ego vero ſcripturarum auctoritatem ſecutus dixi, quoniam in propheta Daniele ſcriptum eſt:* Et accipient ſancti regnum altiſſimi. *Dan. 7. v. 18.* Qua accepta reſponſione, ſynodus dixit: *Neque hoc alienum eſt a fide catholica.*

Poſt hæc objectum eſt, quod Pelagius dixit in eodem libro ſuo, poſſe hominem, ſi velit, eſſe ſine peccato; & quod ſcribeos ad viduam adulatorie dixit: Inveniat apud te pietas, quæ ouſquam invenit locum: inveniat ubique peregrioa in te locum juſtitia: veritas quam jam nemo cognoſcit, domeſtica tibi & amica fiat: & lex Dei, quæ ab omnibus prope hominibus contemnitur, a te ſola honoretur. Et iterum ad ipſam: O te felicem & beatam, ſi juſtitia, quæ in cœlo tantum eſſe credenda eſt, apud te ſolam inveniatur in terris! Et io alio ad ipſam libro, poſt orationem Domini & Salvatoris noſtri, docens quemadmodum debeant ſancti orare, ait: Ille ad Deum digne elevat manus, ille orationem bona conſcientia effundit, qui poteſt dicere: Tu ooſti, Domine, quam ſanctæ & innocentes & mundæ ſint ab omni malitia & iniquitate & rapina, quas ad te extendo manus: quemadmodum juſta & munda labia, & ab omni mendacio libera, quibus offero tibi deprecationem, ut mihi miſerearis. Ad hoc reſpondens Pelagius ait: *Poſſe quidem hominem ſine peccato eſſe, & Dei mandata cuſtodire, ſi velit, diximus. hanc enim poſſibilitatem Deus illi dedit. Non autem diximus, quod inveniatur aliquis ab infantia uſque ad ſenectutem, qui nunquam peccaverit: ſed quoniam a peccatis converſus proprio labore & Dei gratia poſſit eſſe ſine peccato, nec tamen per hoc in poſterum inconvertibilis. Reliqua vero quæ ſubjecerunt, neque in libris noſtris ſunt, neque talia unquam diximus.* His autem ſynodus dixit: *Quoniam negas talia ſcripſiſſe, anathematizas illos, qui ſic tenent?* Pelagius reſpondit: *Anathematizo quaſi ſtultos, non quaſi hæreticos, ſiquidem non eſt dogma.* Epiſcopi

pi dixerunt: *Nunc quoniam anathematizavit Pelagius inſertum ſtultiloquium, recte reſpondens, hominem cum adjutorio Dei & gratia poſſe eſſe ſine peccato, reſpondeat & ad alia capitula.*

Deinde objecta ſunt Pelagio, quæ in doctrina Cæleſtii diſcipuli ejus referuntur inventa: Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, mortuus eſſet: quoniam peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum: quoniam lex ſic mittat ad regnum, quemadmodum evangelium: quoniam ante adventum Chriſti fuerint homines ſine peccato: quoniam infantes nuper nati in illo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem: quoniam neque per reſurrectionem Chriſti omne genus humanum reſurgat. Hæc ita objecta ſunt, ut etiam apud Carthaginem ab Aurelio, & aliis Coepiſcopis dicerentur audita, atque damnata. Deinde objecta ſunt & alia quædam capitula, commemoratione domini Auguſtini interpoſita, quæ ei de Sicilia miſſa fuerant, cum ibi fratres catholici hujuſmodi quæſtionibus turbarentur. Iſta autem ſunt: poſſe hominem ſine peccato, ſi velit, eſſe: infantes, etſi non baptizantur, habere vitam æternam: divites baptizatos, niſi omnibus abrenuntient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non reputari illis, neque regnum Dei poſſe eos habere. Ad hæc ſibi objecta Pelagius ita reſpondit: *Poſſe quidem hominem ſine peccato eſſe dictum eſt ſuperius. De eo autem quod fuerint ante adventum Domini homines ſine peccato, dicimus & nos, quoniam ante adventum Chriſti vixerunt quidam ſancte & juſte ſecundum ſcripturarum ſanctarum traditionem. Reliqua vero & ſecundum ipſorum teſtimonium a me dicta non ſunt; pro quibus ego ſatisfacere non debeo; ſed tamen ad ſatisfactionem ſanctæ ſynodi, anathematizo illos, qui ſic tenent, aut aliquando tenuerunt.* Synodus dixit: *Ad hæc prædicta capitula ſufficienter & recte ſatisfacit præſens Pelagius, anathematizans ea, quæ non erant ejus.*

Deinceps objectum eſt Pelagio, quod diceret, Eccleſiam hic eſſe ſine macula & ruga. Reſpondit Pelagius: *Dictum eſt a nobis ſcilicet ita, quoniam lavacro ab omni macula & ruga purgatur Eccleſia, quam velit ita Dominus permanere.* Ad quod ſynodus dixit: *Hoc & nobis placet.*

Deinde objecta ſunt de libro Cæleſtii, quid in unoquoque capitulo contineatur, magis ſecundum ſenſum, quam ſecundum verba, quæ quidem ille latius exequitur; ſed tunc ſubjicere omnia, qui libellum adverſus Pelagium dederant, ſe non potuiſſe dixerunt. Ergo in primo capitulo libri Cæleſtii hoc ſcriptum eſſe, quoniam plus facimus, quam in lege & evangelio juſſum eſt. Ad quod Pelagius reſpondit: *Hoc quaſi noſtrum poſuerunt; dictum eſt vero a nobis ſecundum Apoſtolum de virginitate, de qua Paulus dicit: Præceptum Dei non habeo.* Synodus dixit: *Hoc & Eccleſia recipit.*

1.Cor.7.v.25.

Deinde objiciuntur Pelagio alia Cæleſtii capitula capitalia. In tertio capitulo ſcripſiſſe Cæleſtium, gratiam Dei & adjutorium non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege ac doctrina. Et iterum, Dei gratiam ſecundum merita noſtra dari, quia ſi peccatoribus illam det, videtur eſſe iniquus. Et his verbis intuliſſe: Propterea ipſa gratia in mea voluntate poſita eſt, ſive dignus fierem, ſive indignus. Si enim per gratiam omnia facimus, quando vincimur a peccato, non nos vincimur, ſed Dei gratia, quæ voluit nos adjuvare omnimodo, & non potuit. Et iterum ait: Si gratia Dei eſt, quando vincimus peccata; ergo ipſa eſt in culpa, quando a peccato vincimur: quia omnino cuſtodire nos, aut non potuit, aut noluit. Ad iſta Pelagius reſpondit: *Hæc utrum Cæleſtii ſint, ipſi viderint, qui dicunt ea Cæleſtii eſſe. ego vero nunquam ſic tenui: ſed anathematizo qui ſic tenet.* Synodus dixit: *Recipit te ſancta ſynodus ita verba reproba condemnantem.*

Deinde de quinto capitulo Cæleſtii Pelagio fuit objectum, quod affirmet, unumquemque hominum omnes virtutes poſſe habere & gratias, & auferat diverſitatem gratiarum, quam Apoſtolus docet. Pelagius reſpondit: *Dictum eſt a nobis, ſed maligne & imperite reprehenderunt. non enim auferimus gratiarum diverſitatem: ſed dicimus donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere, omnes gratias, ſicut Paulo Apoſtolo donavit.* Synodus dixit: *Conſequenter & eccleſiaſtico ſenſu & ipſe ſenſiſti de dono gratiarum, quæ in ſancto Apoſtolo continentur.*

Poſt hæc in ſexto capitulo libri Cæleſtii poſitum objectum eſt, Filios Dei non poſſe vocari, niſi omni modo abſque peccato fuerint effecti. In ſeptimo, oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem. In decimo capitulo, non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indigeat auxilio, quoniam in propria voluntate habet unuſquiſque aut facere aliquid, aut non facere. In duodecimo capitulo, victoriam noſtram non ex Dei eſſe adjutorio, ſed ex libero arbitrio. Quod inferre dictus eſt his verbis: *Noſtra eſt victoria, quoniam propria voluntate arma ſuſcepimus; ſicut e contrario, noſtrum eſt, quando vincimur, quoniam armari propria voluntate contempſimus.* Et de Apoſtolo Petro poſuit teſtimonium, divinæ nos eſſe conſortes naturæ, & ſyllogiſmum facere eum: quoniam ſi anima non poteſt eſſe ſine peccato; ergo & Deus ſubjacet peccato, cujus pars, hoc eſt, anima, peccato obnoxia eſt. In decimo tertio capitulo dicit, quoniam pœnitentibus venia non datur ſecundum gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundum merita & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordia. His recitatis ſynodus dixit: *Quid ad hæc, quæ lecta ſunt capitula, dicit præſens Pelagius monachus? Hoc enim reprobat ſancta ſynodus, & ſancta Dei catholica Eccleſia.* Pelagius reſpondit. *Iterum dico, quia hæc etiam ſecundum ipſorum teſtimonium non ſunt mea, pro quibus, ut dixi, ſatisfactionem non debeo. Quæ vero mea eſſe confeſſus ſum, hæc recta eſſe affirmo. Quæ autem dixi non eſſe mea, ſecundum judicium ſanctæ Eccleſiæ reprobo, anathema dicens omni contravenienti, & contradicenti ſanctæ catholicæ Eccleſiæ doctrinæ: ego enim in unius ſubſtantiæ Trinitatem credo, & omnia ſecundum doctrinam ſanctæ catholicæ Eccleſiæ. Si quis vero aliena ab hac ſapit, anathema ſit.*

Synodus dixit: *Nunc quoniam ſatisfactum eſt nobis, proſecutionibus præſentis Pelagii monachi, qui quidem piis doctrinis conſenſit, contraria vero Eccleſiæ fidei reprobat & anathematizat, communionis eccleſiaſticæ eum eſſe & catholicæ confitemur.* Hactenus acta.

Accuſarunt Gallicani duo Epiſcopi, Eros & Lazarus, non per ſe quidem & verbo, cum unius ægritudo utrumque adeſſe vetuerit, ſed miſſo libello, quo duo continebantur objectionum capita, unum adverſus Pelagium, alterum contra Cæleſtium. Excerptum illud eſt de duobus tantum Pelagii libris, Teſtimoniorum, & ad viduam: mirum quod neque ex commentariis in Paulum. iſtud partim ex libris Cæleſtii, partim ex epiſtola Hilarii ad Auguſtinum. Omnia per compendium recenſuit ita Auguſtinus.

Accuſarunt Gallicani Epiſcopi Eros & Lazarus. *Lib. de geſt. cap.* 35. Unde excerpta quæ objecta ſunt.

In hoc, inquit, tota hæreſis iſta conſiſtit.

Lib. de geſt. Palaſt. cap. 35. Objectorum compendium.

I. Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet.

II. Quod peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum.

III. Quod lex ſic mittat ad regnum, quemadmodum & Evangelium.

IV. Quod infantes nuper nati in illo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.

V. Quod neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgat.

VI. Quod infantes, etſi non baptizentur, habeant vitam æternam.

VII. Quod divites baptizati, niſi omnibus abrenuntient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non eis reputetur, neque regnum Dei poſſint habere.

VIII. Quod gratia Dei & adjutorium non ad ſingulos actus detur, ſed in libero arbitrio ſit, & in lege atque doctrina.

IX. Quod Dei gratia ſecundum merita noſtra detur, & propterea ipſa gratia in hominis ſit poſita voluntate, ſive dignus fiat, ſive indignus.

X. Quod Filii Dei non poſſint vocari, niſi omnino abſque peccato fuerint effecti.

XI. Quod oblivio, & ignorantia non ſubjaceat peccato, quoniam non evenit ſecundum voluntatem, ſed ſecundum neceſſitatem.

XII. Quod non ſit liberum arbitrium, ſi indigeat auxilio Dei, quoniam propriam voluntatem habet unuſquiſque aut facere aliquid, aut non facere.

XIII. Quod victoria noſtra ex Dei non ſit adjutorio, ſed ex libero arbitrio.

XIV. Quod ex illo, quod ait Petrus, divinæ nos eſſe conſortes naturæ, conſequens ſit, ut ita poſſit eſſe anima ſine peccato, quemadmodum Deus.

XV. Quod pœnitentibus venia non detur ſecundum gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundum meritum & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordia.

Hæc omnia, & ſi quæ argumentationes ad ea confirmanda interpoſitæ ſunt, ſua negantem & anathematizantem Pelagium judices approbaverunt, & ideo pronuntiaverunt, eum contraria eccleſiaſticæ fidei, reprobando & anathematizando damnaſſe.

Lib. de geſt. & lib. de gratia Chriſti, &c. Pelagius igitur ſubdole abſolutionem ſuffuratus eſt ab hominibus Græcis, quibus per interpretem non fideliſſimum verbis ambiguis reſpondebat, quod identidem ipſi, Pelagianiſque aliis objicit Auguſtinus.

Etſi vero ſynodus hæc ab Auguſtino mirifice laudata ſit, & ab omnibus vulgo celebretur, veluti prima de Pelagiano errore Eccleſiæ victoria: Hieronymus tamen miſerabilem vocat, partim quia Patribus illuſit Pelagius, per crebra mendacia avertens a ſe meritam damnationem; partim quia, miſſis in provincias epiſtolis, ſua dogmata approbata fuiſſe credulis non paucis perſuaſit; partim denique, quod inſoleſcentes Pelagii ſequaces eo proruperint audaciæ, ut *facto perditorum cuneo ab eis Dei ſervi & ancillæ ad curam ſancti Hieronymi presbyteri pertinentes, ſceleratiſſima cæde afficerentur, diaconus occideretur, ædificia monaſteriorum incenderentur, vix ipſum ab hoc impetu atque incurſu impiorum in Dei miſericordia turris munitior tueretur.* Hieronymus judicium de Dioſpolitana ſynodo. *Epiſt. 24. apud Auguſt.* *Auguſt. lib. de geſt. cap. 35.*

Ad hanc forte ſynodum, niſi potius ad conventum presbyterorum, reſpiciebat ſanctus ſenex, cum indignatus imponi ſilentium defenſoribus fidei, nihil non audentibus interim hoſtibus, dignam ſe ſententiam, aut votum potius emiſit: *Quod bellum ſervavit, pax ficta non auferat.* *In præf. dialog. adverſ. Pelag.*

IV. SYNODUS

AB AURELIO COACTA CARTHAGINE

ADVERSUS PELAGIUM ET CÆLESTIUM ABSENTES

THEODOSIO AUG. VII.

ET JUNIO QUARTO PALLADIO COSS.

circa tempus autumni anno Chriſti CCCCXVI.

Quarta ſynodus Carthagine. QUARTA ſynodus, quæ ſecunda Carthaginenſis, in cauſa Pelagianorum, convocata eſt ab Aurelio, ann. 416. circa tempus autumni.

Ab Epiſcopis 68. provinciæ proconſularis. Adfuerunt ſexaginta & octo Epiſcopi provinciæ proconſularis, quorum nomina recenſentur in ſynodica ad Innocentium mox referenda.

Ratio temporis. Conſtat ratio temporis partim ex reſponſione Innocentii ad ſynodicam data VI. Kal. Februar. Honorio Aug. XI. & Conſtantio II. coſſ. partim ex 73. canone codicis Africani, ſi modo legitur prout in Græco eſt: *Placuit, ut dies concilii idem ſervetur, qui in Hipponenſi concilio conſtitutus eſt, id eſt, X. Kal. Septemb. & ſcribendum ad ſingularum provinciarum primates, ut quando apud ſe concilium congregant, hunc diem ſervent.* Annus enim ex Innocentii literis, menſis & dies ex canone facile innoteſcit. Siquidem Pontifex initio conſequentis anni reſpondit, & Patres ſcribunt ſe ex more ad Carthaginenſem Eccleſiam conveniſſe, id eſt, eo tempore, quo ab ipſomet Aurelio ſtatutum fuerat ante annos 14.

Explicatio can. 73. cod. Eccleſiæ Africanæ. Quanquam difficultatem creavit mihi ſemper iſte canon, nam etſi in Græco eſt, ὀφείλει γὰρ τῇ [illegible] πρὸς τοὺς πρωτεύοντας ἑκάστης τῶν ἐπαρχιῶν, ἵνα, ὅτε τὰς ἑαυτῶν συνόδους προσκαλοῦνται, ταύτην τὴν ἡμέραν φυλάττωσιν. Quibus verbis ſignificari videtur in ſpeciem ſuas a primatibus ſynodos ad diem memoratum convocari debere. Latinus tamen textus, qui profecto primigenius eſt, majorique fide dignus, alium omnino facit, contrariumque ſenſum: hunc nempe, ut ne primates ſuis habendis provincialibus ſynodis impediant præſtitutum diem concilii plenarii, quo ſcilicet Epiſcopi ad ipſum libere veniant X. Kal. Septemb. Cum ergo textus Græcus jubeat in ſpeciem convocari ſynodos provinciales ad X. Kal. Septemb. vetet Latinus, oportet, verbum hoc φυλάττωσιν, unde pugna eſt, ita interpretari, ut ſignificet, diem X. Kal. Septemb. ſervandum immunem ab impedimentis: qui ſenſus, cum ſit omnino facilis, continuo videri poteſt infirmare vim argumenti allati. Hoc tamen potius confirmat, ſi modo ad ipſum primum fontem provocemus, id eſt, V. canonem Nicænum, quem conſequentia ſæcula pro inconcuſſa quadam regula convocandarum ſynodorum habuerunt. Sic autem ſe habet: *Placuit annis ſingulis, per unamquamque provinciam, bis in anno concilia celebrari, ut communiter, omnibus ſimul Epiſcopis congregatis provinciæ, diſcutiantur ejuſmodi quæſtiones; (de abjectis ſcilicet, ſive excommunicatis ab Epiſcopo) concilia vero celebrentur: unum quidem ante quadrageſimam Paſchæ, ut omni diſſenſione ſublata munus offeratur Deo puriſſimum; ſecundum vero circa tempus autumni.* *Et canon 5. conc. Nicæni de tempore cogendi ſynodos provinciales.*

Quem canonem intelligi non poſſe de univerſalibus totius unius diœceſis conciliis, probat veterum auctoritas, & illa inſuper ratio, quod cum a civitate majoris ſedis, ut puta Antiochenæ, Alexandrinæ, &c. civitates minorum ſedium diſtarent ſæpe longiſſimo locorum ſpatio, totus fere annus in eundo ac redeundo, habendaque ſynodo bis in anno, ponendus fuiſſet. Pertinet igitur ad ſolas provinciales, quas ubique terrarum ſtatis illis temporibus, & olim eſſe contractas hiſtoria, & etiamnum contrahi, conſuetudo demonſtrat.

Certo conditur. Opinor igitur ex canone codicis Africani in argumentum adducto recte colligi, circa X. Kal. Septemb. cogi ſolitas olim a primatibus nonnullis provinciales ſynodos: alioquin Patres ſine cauſa tuliſſent legem, ne privatis conventibus univerſalium tempus impediretur. Ab aliis circa tempus autumni, id eſt, verſus finem Septembris, ut cum legati redirent ab univerſali concilio, de negotiis communiter tranſactis ad Coëpiſcopos ſuæ provinciæ referrent. Horum morem probatum, illorum rejectum.

Et occurritur objectioni. At vero, inquies, provinciales ſynodos oportuit, non ſub finem Septembris, ſed X. Kalend. Septembris, id eſt, uno prius menſe convocari: quandoquidem ex ſynodis provincialibus ad univerſalem mittebantur legati, ut pluribus ex canonibus Africanis colligere eſt. Verum aliter res ſe habet: nam in priore ſynodo, quæ quadrageſimam Paſchæ anteibat, eligebantur legati, qui ita ſe compararent, ut cum primum a primate totius Africæ tractoria veniret, ad condictum locum ſe conferrent,

rent, & ex univerſali concilio reverſi, ad poſteriorem ſynodum autumnalem renuntiarent, quæ geſta eſſent.

[Monitum hiſtoriæ Africanæ neceſſarium.] Sed quoniam ſemel digreſſi ſumus, monendus eſt obiter lector, ut animadvertat, a Patribus Nicænis atque Africanis tempus habendis ſynodis conſtitutum fuiſſe, intra illud ſpatium, quod a Pentecoſte ad Chriſti natalitia, & ab his ad quadrageſimam intercedit: voluerunt enim Epiſcopos frequentes adeſſe ſyodis, nec tamen a ſua quemque Eccleſia abeſſe ſolemnioribus feſtis, quibus vel baptiſmus celebrabatur, ut in reſurrectione Chriſti ac Pentecoſte; vel futurum paſcha indicebatur, ut in Natalitiis. Valet autem animadverſio illa ad indagandum ſynodorum tempus, ſi quando conſignatur notis non admodum inſignitis; neque enim fallit unquam, niſi aliqua urgeat extraordinaria neceſſitas.

[Cauſa habendæ ſynodi, ſcandalum Eccleſiæ propter Pelagii abſolutionem.] Diverſas quidem conveniendi cauſas habuerunt Epiſcopi, ſed eam maxime, quod cum ex relatione Oroſii, literiſque Erotis & Lazari intellexiſſent, quantum Pelagius feciſſet fucum Patribus Dioſpolitanis, quantumque detrimenti ex hac ſpecie abſolutionis res Eccleſiæ catholicæ caperet, occurrendum malo putaverint, & ſedis apoſtolicæ auctoritatem invocandam.

[Recenſita ſunt geſta ante ferme quinquennium cum Cæleſtio.] Recenſita ſunt, quæ ante ferme quinquennium cum Cæleſtio ibidem geſta fuerant, ut viderentur Patres, non quidem aperte contra prohibitionem canonum de abſentibus judicare, ſed ea tantum, quæ olim acta eſſent cum præſente, totius provinciæ ſeotentia, & ſuprema ſedis apoſtolicæ auctoritate confirmare.

[Scripta ſynodica ad ſedem apoſtolicam ad implorandam auctoritatem.] Synodicam igitur ſcripſerunt ad ſummum Pontificem, in qua duo tantum Pelagiani erroris dogmata expoſuerunt. Alterum de neceſſitate gratiæ divinæ ad opera pietatis, alterum de baptiſmo parvulorum, propter peccatum originale tollendum. Hæc enim duo ſunt omnium fere capita, quæ in priore concilio Paulinus diaconus Cæleſtio objecerat.

SYNODICA CONCILII CARTHAGINENSIS
ad ſanctum Innocentium.

DOMINO *beatiſſimo & honorandiſſimo fratri ſancto Innocentio Papæ Aurelius, Numidius, Ruſticanus, Fidentius, Evangelus, Antonius, Palatinus, Adeodatus, Vincentius, Publianus, Theaſius, Tutus, Panthonius, Victor, Reſtitutus, Reſticus, Fortunatianus, alius Reſtitutus, Ampelius, Animus, Felix, Donatianus, Adeodatus, Octavius, Serotinus, Majorinus, Poſthumianus, Criſpulus, Victor, alius Victor, Lucius, Marianus, Fructuoſus, Fauſtinianus, Quodvultdeus, Candorius, Maximus, Megarius, Ruſticus, Ruſianus, Proculianus, Thomas, Januarius, Octavianus, Prætextatus, Sixtus, Quodvultdeus, Penthadius, Quodvultdeus, Cyprianus, Servilius, Pelagius, Marcellus, Venantius, Didymus, Saturninus, Thiazacenus, Germanus, Germanianus, Juventius, Majorinus, Juventius, Candidus, Cyprianus & Æmilianus, Romanus, Aphricanus & Marcellinus, qui in concilio Eccleſiæ Carthaginenſis adfuimus.*

CUM ex more ad Carthaginenſem Eccleſiam ſolemniter veniremus, atque ex diverſis cauſis congregata ex nobis ſynodus haberetur, compresbyter noſter Oroſius nobis literas ſanctorum fratrum & conſacerdotum noſtrorum dedit Erotis & Lazari, quarum formam his conſtituimus eſſe ſubdendam.

His ergo lectis, Pelagium & Cæleſtium auctores nefarii prorſus, & ab omnibus nobis anathematizandi erroris advertimus: unde factum eſt, ut recenſendum putaremus, quid ante ferme quinquennium ſuper Cæleſtii nomine hic apud Eccleſiam Carthaginenſem fuerit agitatum: quo recitato, ſicut ex ſubſequentibus advertere poterit ſanctitas tua, quamvis indicatio manifeſta conſtaret, atque illo tempore, epiſcopali judicio, exciſum hoc vulnus tantum ab Eccleſia videretur; nihilominus tamen id communi deliberatione cenſuimus, hujuſmodi perſuaſionis auctores, quamvis ad presbyterium idem Cæleſtius poſtea perveniſſe dicatur, niſi hæc apertiſſime anathematizaverint, ipſos anathematizari oportere; ut ſi ipſorum non potuerit, ſaltem eorum, qui ab eis decepti ſunt, vel decipi poſſunt, cognita ſententia, quæ in eos facta eſt, ſanitas procuretur.

Hoc itaque geſtum, domine Frater ſancte, caritati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda ſalute multorum, & quorumdam perverſitate etiam corrigenda

Id enim agunt iſti damnabilibus diſputationibus ſuis, ut non defendendo, ſed potius in ſuperbiam ſacrilegam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei, qua chriſtiani ſumus, & qua ipſum noſtræ voluntatis arbitrium vere fit liberum, dum a carnalium concupiſcentiarum damnatione liberatur, dicente Domino: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* [Joan. 8. v. 36.] quod auxilium fides impetrat, quæ eſt in CHRISTO JESU Domino noſtro.

Iſti autem aſſerunt, ſicut a fratribus qui etiam eorum libros legerunt, cognovimus, in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis inſtitunt creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem Dei legem poſſit implere, ſive naturaliter in corde conſcriptam, ſive in literis datam. Eandem quoque legem ad gratiam pertinere, quod illam *Deus in adjutorium hominibus dedit.* [Iſai. 8. v. 20. ſecund. 70.]

Illam vero gratiam qua, ut dictum eſt, chriſtiani ſumus, cujus Apoſtolus prædicator eſt dicens; *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per* JESUM CHRISTUM *Dominum noſtrum.* [Rom. 7. v. 22.] Nolunt omnino cognoſcere, ſed nec aperte quidem oppugnare audent. Sed quid aliud agunt, cum *hominibus animalibus non percipientibus quæ ſunt ſpiritus Dei,* [1. Cor. 2. v. 14.] perſuadere non ceſſant, ad operandam perficiendamque

Digitized by Google

juſtitiam, & Dei mandata complenda, ſolam ſibi humanam ſufficere poſſe naturam? non
Rom. 8. v. 26. attendentes quod ſcriptum eſt: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.* &, *Non volentis eſt,*
Ibid. 9. v. 16. *neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* &, *Quod unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli*
Ibid. 12. v. 5. & 6. *autem alter alterius membra, habentes dona diverſa ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis.*
1. Cor. 15. v. 10. &, *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed plus omnibus illis*
laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum. &, *Gratias Deo qui nobis dedit victoriam*
Ibid. v. 57. *per Dominum noſtrum* JESUM CHRISTUM. &, *Quia non idonei ſumus cogitare aliquid*
2. Cor. 3. v. 5. *quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* &, *Habemus theſaurum iſtum in*
& 4. v. 7. *vaſis fictilibus, ut eminentia virtutis ſit Dei, & non ex nobis;* & innumerabilia, quæ de
ſcripturis omnibus, ſi colligere velimus, tempus non ſufficiet, & veremur, ne apud te iſta
commemorando, quæ majore gratia de ſede apoſtolica prædicas, inconvenienter facere videamur: ſed ideo facimus, quia, eo quod infirmiores ſumus, quaqua verſum quiſque noſtrum
verbo Dei prædicando putatur attentior, crebriuſque eos patimur & audacius inſurgentes.

Si ergo Pelagius epiſcopalibus geſtis, quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ venerationi juſte viſus fuerit abſolutus, error tamen ipſe & impietas, quæ tam multos aſſertores habet per diverſa diſperſos, etiam auctoritate apoſtolicæ ſedis anathematizanda eſt.

Conſideret ergo ſanctitas tua, & paſtoralibus nobis compatiatur viſceribus, quam ſit peſtiferum & exitiale ovibus Chriſti, quod iſtorum ſacrilegas diſputationes neceſſario ſequitur,
Matth. 6. v. 13. ut nec orare debeamus, *ne intremus in tentationem*, quod Dominus, & diſcipulos monuit,
Luc. 22. v. 32. & poſuit in oratione quam docuit, aut *ne deficiat fides noſtra*, quod pro Apoſtolo Petro ſe
rogaſſe ipſe teſtatus eſt.

Si enim hæc, quæ poſſibilitate naturæ, & arbitrio voluntatis præſtantur, in poteſtate ſunt conſtituta, quis non ea videat a Domino inaniter peti, & fallaciter orari, cum orando poſcuntur, quæ naturæ noſtræ, jam ita conditæ, ſufficientibus viribus obtinentur? Nec de-
Matth. 26. v. 41. buiſſe dicere Dominum JESUM: *Vigilate & orate;* ſed tantummodo: *Vigilate ne intretis*
in tentationem. nec beatiſſimo Petro primo Apoſtolorum: *Rogavi pro te*, ſed, moneo te,
Luc. 22. v. 32. vel impero, ac præcipio, *ne deficiat fides tua.*

Contradicitur etiam iſtorum contentione benedictionibus noſtris, ut incaſſum ſuper populum dicere videamur, quidquid eis a Domino precamur, ut recte ac pie vivendo illi pla-
Epheſ. 3. v. 14. ceant: & illa quæ pro fidelibus precatur Apoſtolus dicens: *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri* JESU CHRISTI, *ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, ut det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per ſpiritum ejus.* Si ergo voluerimus benedicendo ſuper populum dicere: *Da illis, Domine, virtute corroborari per ſpiritum tuum*, iſtorum nobis diſputatio contradicit, affirmans negari liberum arbitrium, ſi hoc a Deo poſcitur, quod in noſtra eſt poteſtate: *Virtute enim corroborari, ſi volumus*, inquiunt, *poſſumus ea poſſibilitate naturæ, quam nunc non accipimus; ſed cum crearemur, accepimus.*

Parvulos etiam propter ſalutem, quæ per ſalvatorem Chriſtum datur, baptizandos negant, ac ſic eos mortifera iſta doctrina in æternum necant; promittentes, etiamſi non baptizentur,
Luc. 19. v. 10. habituros vitam æternam, nec pertinere ad eos, de quibus Dominus ait: *Venit enim filius hominis quærere, & ſalvare quod perierat; quia iſti*, inquiunt, *non perierant, nec eſt quod in eis ſalvetur, vel tanto pretio redimatur; quia nihil eſt in eis vitiatum; nihil tenetur ſub diaboli poteſtate captivum; nec pro eis fuſus eſt ſanguis, qui fuſus eſſe in remiſſionem legitur peccatorum.* Quanquam per baptiſmum Chriſti etiam parvulorum fieri redemptionem, libello ſuo Cæleſtius in Carthaginenſi Eccleſia jam confeſſus eſt: ſed multi, qui eorum perhibentur eſſe vel fuiſſe diſcipuli, hæc mala, quibus fundamenta chriſtianæ fidei conantur evertere, quantumcumque poſſunt, affirmare non ceſſant.

Unde, etiamſi Pelagius Cæleſtiuſque correcti ſunt, vel ſe iſta nunquam ſenſiſſe dicunt, & quæcunque ſcripta contra eos prolata fuerint, ſua eſſe negabunt, nec eſt quemadmodum de mendacio convincantur; generaliter tamen quicunque dogmatizat & affirmat, humanam ſibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda, ſufficere poſſe naturam; & eo modo gratiæ Dei, quæ ſanctorum evidentius orationibus declaratur, adverſarius invenitur. & quicunque negat, parvulos per baptiſmum Chriſti a perditione liberari, & ſalutem percipere ſempiternam, anathema ſit.

Quæcunque autem alia eis objiciuntur, non dubitamus venerationem tuam, cum geſta epiſcopalia perſpexerit, quæ in Oriente in eadem cauſa confecta dicuntur, id judicaturam, unde omnes in Dei miſericordia gaudeamus. Ora pro nobis, domine beatiſſime Papa.

CUM EX MORE AD CARTHAGINENSEM ECCLESIAM, &c.] Hinc annum, menſem & fere diem, locumque & cauſam habitæ ſynodi collegimus.

LITERAS SANCTORUM FRATRUM, &c.] Ut Palæſtini, ita Carthaginenſes, ex ſolo ſcripto Lazari & Erotis judicium de Pelagio & Cæleſtio exercuerunt, quod non incurioſe obſervandum. Fuit cum literis, opinor, tranſmiſſus libellus a Gallicanis Epiſcopis Dioſpoli oblatus: fuit quoque ad Innocentium tranſmiſſum, quidquid ab Erote & Lazaro Oroſius Africanis detulerat in Africam, ut nempe ſummus Pontifex intelligeret, quo merito Carthaginenſis ſynodus, non tantum dogmata, ſed etiam dogmatum aſſertores Pelagium & Cæleſtium anathemate perculiſſet.

SICUT EX SUBSEQUENTIBUS, &c.] Inde conſtat, delata fuiſſe tunc primum ad ſedem apoſtolicam a Julio acta concilii ante ferme quinquennium de nomine Cæleſtii ab Aurelio contracti; quæ mora fuit culpabilis.

QUAMVIS AD PRESBYTERIUM, &c.] Occupant Patres objectionem, quod vitio judicium de Cæleſtio viderentur feciſſe. Presbyter enim debuit a ſuo ordinatio-

nationis Epiſcopo judicari, ut more eccleſiaſtico, & canone xx. codic. Eccleſ. Afric. conſtitutum fuit. Aiunt enim ſe, recenſitis quæ cum Cæleſtio condum presbytero acta eſſent, ferre ſententiam de crimine, quod Cæleſtius, & ante presbyteratum, & Carthagine, commiſiſſet.

Id enim agunt isti damnabilibus disputationibus suis, &c.] Duas tantum quæſtiones tangunt, de gratia Chriſti, & peccato originali; ſed primam maxime, cum ſecunda aliis in locis contentioſius agitaretur. Id vero inobſervatum prætermitti non debet, cum ad hiſtoriam non parum conferat.

Nullum relinquant locum gratiæ Dei, qua christiani sumus, &c.] Locus plane admirabilis, quo velut oraculo multa paucis Patres effantur. Siquidem de gratia Dei loquuntur, quam ſoli chriſtiani norunt, quia ſola fide cognoſcitur: quam ſoli chriſtiani accipiunt, id eſt, membra Chriſti: qua chriſtiani ſumus, & chriſtiane vivimus, accepto ſpiritu Chriſti: quæ nulla eſſet, ſi Chriſtus non veniſſet, quia juſtitiæ originalis non ſupplementum modo eſt, ſed incrementum quoque: qua denique Chriſtus vivit in nobis, vincitque mundum, carnem & diabolum, & tanquam vitis in palmites, totam quantam habent, vim ferendi fructus infundit. Methodus porro, teſtimonia ſcripturæ, verba quaſi flammantia, ſpiritum Auguſtini produnt, aperteque oſtendunt ſynodicæ ſcriptorem.

Tam multos assertores habet per diversa dispersos, &c.] Agnoſcunt univerſalem ſedis apoſtolicæ auctoritatem in docendo, quam confitentur etiam poſtremis iſtis verbis: *Non dubitamus venerationem tuam, cum geſta epiſcopalia perſpexerit, quæ in Oriente in eadem cauſa confecta dicuntur, adjudicaturam, unde omnes in Dei miſericordia gaudeamus.* Quid enim aliud eſt, judicare de epiſcopalibus geſtis?

Gesta episcopalia in Oriente in eadem causa confecta dicuntur, &c.] Miretur forte quiſpiam, cur Oroſius profectus e Palæſtina, poſt aliquot menſes ab habita Dioſpolitana ſynodo, ejus acta cum literis Gallicanorum Epiſcoporum non detulerit. Verum id factum artibus Pelagianorum, & potentia Joannis Hieroſolymitani, nemo non dixerit, qui modo caput trigeſimum libri de geſtis Palæſtinis paulo attentius legerit. eo enim loci detegitur tota fraus Pelagii ſatagentis ſollicite, ut ne acta vulgarentur, priuſquam ſuæ, quibus ſe purgatum, ſuaque dogmata approbata, mentiebatur, literæ in Occidentem perveniſſent: imo & chartula, in qua geſtorum breviatio quædam, ſed neque ſincera, neque
Lib. de geſt. Palæſt. cap. 30. integra continetur. Unde Auguſtinus: *Epiſtola carnalis ventoſitatis & elationis volat, & geſtorum tarditate procurata, celeritate præcedens, in manus hominum prævolat; ut quatuordecim Epiſcopis Orientalibus placuiſſe dicatur,* posse esse hominem sine peccato, et Dei mandata custodire, si ve-
Cap. 33. lit, &c. Et poſtea: *Quis non credat id fuiſſe procuratum, ut tanquam pro geſtorum illorum breviatione iſta charta uſquequaque diſcurreret,* &c.

Viſum eſt porro, nonnullum futurum operæ pretium, nonnullamque poſſe ab eruditis lectoribus iniri gratiam, ſi Epiſcoporum, qui ſynodo interfuerunt, ita recenſerentur nomina, ut, quod hactenus tentavit nemo, ſuæ ſingulis, quantum licet, aſſignarentur Eccleſiæ. Collectæ ſunt illæ vero, ſed non ſine cura & labore, ex diverſis veterum libris inter ſe collatis, & potiſſimum tribus, codice canonum Eccleſiæ Africanæ, parte prima collationis Carthaginenſis, & Notitia provinciarum Africæ edita a Patre Sir-
Pariſ. ann. 1619. mondo: quamquam Itinerarium Antonini, tabulæque Ptolemaicæ, & Orteliana Africæ propriæ deſcriptio, non mediocriter adjuverunt. Qua vero ratione, tres libri, quos dixi, aliique juverint, ex his conſtat.

Habita eſt collatio ann. 411. Kalendis Juniis; habitum hocce concilium Carthaginenſe ann. 416. ſub finem menſis Septembris: non plus igitur quam quinque anni, & quatuor fere menſes, inter collationem & concilium intercesserunt. Potuerunt igitur utrique intereſſe iidem Epiſcopi, imo interfuiſſe vix non certum eſt, qui ejuſdem nominis, ejuſdemque provinciæ fuerint. Deinde ad collationem confluxerunt Carthaginem Epiſcopi catholici, de omnibus provinciis Africanis, id eſt, de Proconſulari, Burcenſi ſeu Byſacena, Numidia, Mauritaniis duabus, Sitifenſi & Cæſarienſi, atque de provincia Tripolitana. Oportet igitur multos proconſulares Epiſcopos eoſdem utrique conventui, collationi dico, & Carthaginenſi concilio, interfuiſſe, cum eadem in utroque nomina appellentur. Poſtea, etſi prima collationis parte curioſe cenſentur nomina & Eccleſiæ ſingulorum Epiſcoporum, qui Carthaginem undique convenerant, ut ſeptem de ſuis eligerent cum totidem Donatiſtis diſputaturos; (quam tamen ad provinciam Eccleſiæ pertineant, omnino reticetur) debuit igitur id aliunde ſciri, atque ita oportuit conſuli notitiam ſingularum provinciarum, ut intelligeretur, quæ in qua provincia Eccleſiæ exiſterent. Denique cum Notitia non complectatur Eccleſiarum nomina, ſed earum tantum, quarum Epiſcopi ab Hunerico ſunt in exilium ejecti, rurſus alio confugiendum fuit, ut hujuſce Notitiæ defectus suppleretur. Poſtremo tandem divinandum aliquando fuit; nam & nihil vitioſius exſcribi ſolet a librariis, quam propria nomina; & apud Afros literæ multæ in ſe invicem commutantur, v. g. D & G in Z, B in V, & P O in V, C in G, &c. faciuntque ſua reciproca commutatione ancipites conjecturas. & variis in provinciis civitates fuerunt ejuſdem nominis, nec veteris Africæ ulla eſt tabula, quæ non plurimis civitatibus careat: adde quod infinitus prope fuerit olim Epiſcoporum in Africa numerus. Collationis certe tempore conſtat fuiſſe catholicas *Collat. 1. parte*
Eccleſias epiſcopales ſaltem quingentas & ſeptuaginta. *ſub finem.*
in tantis difficultatibus non fuit facile conjicere.

Aurelius Carthaginensis.] Fuit ille primus provinciæ proconſularis, non ætatis cauſa, ſed ſedis; (quod proprium jus provinciæ proconſularis) fuit & plurimorum ſynodorum præſes, canonumque toti orbi venerabilium conditor, imo & codicis Africanæ Eccleſiæ auctor, &c. Succeſſit Genethlio ſeu Genedio, ut conſtat ex Auguſtini epiſtola 163. ſcripta ann. 412. in qua tamen Genethlius dicitur *beatæ memoriæ*, cum tamen Aurelius ſederet adhuc, imo tredecim poſt annis ſynodo Africanæ præſederit ann. 425. Baronius igitur audiri non poteſt, Genedium Aurelio ſubſtituens, id eſt, hominem ann. 390. vita functum homini, qui poſt ann. 425. ad ſuperos obiit: tenuit enim Aurelius Carthaginenſem ſedem 36. annos.

Numidus Maxulitanus.] In omnibus impreſſis codicibus Mundius legitur, ſed vitioſe. neque enim Mundii nomen alicubi occurrit; neque ſecundus ille ab Aurelio Epiſcopus alius eſſe poteſt, quam qui ſecundus ab eodem legitur in conciliis Africanis ann. 403. & 419. quique ano 411. ſubſcripſit mandato, quo ad habendam cum Donatiſtis collationem legati eligebantur. Hunc oportet diu Maxulitanam Eccleſiam rexiſſe, quippe cum jam inde ab ann. 403. ſecundo loco ſederit, nec tamen adhuc ann. 419. diem obiiſſet. Civitas porro Maxula, quæ nunc Maſſa dicitur, non multum diſtat ab antiqua Carthagine, verſus ortum.

Rusticianus Tabracensis.] Hujus mentio fit quidem in prima parte collationis cum Donatiſtis, nuſquam vero alias, quod ſciam. Fuit autem Tabraca nobilis olim colonia Hipponem inter & Uticam, ſuumque habuit celebrem portum, & ſuam epiſcopalem ſedem.

Fidentius Cefalensis.] Mentio fit in prima parte collationis. incertum, quæ fuerit civitas, cujus Eccleſiam rexit.

Evangelus Assuritanus.] In excuſis codicibus legitur Evagrius; ſed mendum ineſſe ex eo conſtat, tum quod Evagrii nomen vulgare non fuerit Afris, fuerit autem Evangeli; tum quod Evangeli Aſſuritani fit mentio in collatione. Meminit vero Ptolemæus Aſſuri civitatis inter Siccam Veneris & Suffetulam poſitæ. Meminit Notitia Sirmondi, inter recenſendos Epiſcopos ab Hunerico e provincia proconſulari pulſos, *Peregrini Aſſuritani.*

Antonius Carpitanus.] Sermo fit de ipſo in collatione ann. 411. ſubſcripſit epiſtolæ quam de appel-

72

lationibus & cauſa Apiarii Africana ſynodus ad ſanctum Cæleſtinum ſcripſit ann. 424. ſit mentio in Notitia provinciæ proconſularis *Felicis Carpitani*. Et vero Carpis eſt maritima civitas prope Carthaginem.

PALATINUS BOSSETENSIS.] Palatini mentio fit in epiſtola ſynodi Africanæ ad ſanctum Cæleſtinum, Boſſetenſis ſedis in collatione. incertum vero, ubi illa civitas poſita fuerit.

ADEODATUS BENCENNENSIS.] Memoratur in collatione. ubi vero ſita fuerit Bencenna, ignotum eſt; notum tamen, in Notitia Epiſcoporum ex provincia proconſulari ejectorum, *Guloſi Beneventenſis* (lege Bencennenſis) in Corſicam relegati mentionem fieri.

VINCENTIUS CULUSITANUS.] Hunc oportuit fuiſſe ſtrenuum in rebus agendis, & acrem in fide defendenda. nullum enim magni momenti negotium geſtum eſt, cujus pars non fuerit. Ann. 407. legationem cum Fortunatio, eamque liberam, quod magnæ cujuſdam exiſtimationis iodicium eſt, obivit ad Imperatores, nomine provinciarum omnium, pro petenda facultate defenſores conſtituendi ſcholaſticos, quam revera obtinuit. Ann. 412. unus fuit ex ſeptem electis a catholica ſynodo ad ſuſcipiendam collationem cum Donatiſtis. Ann. 419. interfuit Africanæ ſynodo ducentorum quatuordecim Patrum, qui cum tædio afficerentur longioris moræ, elegerunt tredecim Epiſcopos, atque inter eos Vincentium, qui cum Aurelio & Donatiano primatibus res finirent. Ann.
Cod. Afric. Eccl. can. 127. 419. legatus iterum provinciæ proconſularis adfuit concilio univerſali; iterumque electus cum Fortunatiano, aliiſque ſeptem ſuæ provinciæ, recognovit præcedentium conciliorum canones, eiſque ſubſcri-
Ibid. can 133. pſit. Ann. 425. nomen ſuum ſubſignaſſe legitur in epiſtola ſynodi Africanæ ad ſanctum Cæleſtinum. Culuſitanæ porro Eccleſiæ fit mentio, non tantum in collatione & locis, quæ dixi, ſed etiam in Notitia Sirmondiana, ubi *Æmilianus Culſitanus* (lege Culuſitanus) Epiſcopus provinciæ proconſularis Corſicam in exilium actus legitur.

Meminit victor Uticenſis Culuſitanæ civitatis, in qua narrat factum a Victoria nobili femina illuſtre martyrium; ſed ſilet quam ad provinciam Africæ iſthæc civitas attineat. Ipſam lexicographi geographici dicunt eſſe Cullu, id eſt, Colopem ſive parvum, ſive magnum, cujus Ptolemæus mentionem facit. Sed qui iſtud verum eſſe queat, non facile intelligitur, cum Culuſitana Eccleſia conſtanter ab omnibus in proconſulari provincia ponatur; ſit vero uterque Collops in ea Numidiæ parte, quæ vergit ad Mauritaniam Cæſarienſem, ſiquidem parum diſtat ab oſtiis Ampſagæ fluvii, qui Numidiam a Mauritania dividit. Scio in Itinerario Antonini, ubi deſcribitur via litoraria ab oſtiis Ampſagæ Hipponem uſque Regium, recenſeri Paratianas Culuſitanas, Tacutuam, Sullucu & Hipponem, nec aliud intelligi poſſe Culuſitanarum nomine, quam utrumque Collopem, vel ſaltem minorem, quandoquidem recenſitæ urbes illæ ſunt omnes ad mare. Verum hinc augetur difficultas: ſiquidem ejuſmodi mare Numidicum eſt, qua parte maxime recedit ab oſtiis Rubricati fluminis, ubi Numidia dividitur a proconſulari provincia. Quid ergo? An corrigendæ veteres tabulæ, & Culuſitana urbs alio in loco conſtituenda? At vetat Itinerarium, & nova geographia portum Col, ſive Alkol, ibi ponens, ubi olim Ptolemæus Collopem. An emendanda lectio codicum, & pro Culuſitano, ſeu Coloſitano Epiſcopo reſtituendus Curobitanus ab urbe Curobi prope Neapolim in provincia proconſulari ſita? Verum tam varios codices tam variorum auctorum, ut ſunt codex Eccleſiæ Africanæ, Notitia provinciarum Africæ, acta collationis cum Donatiſtis, Victor Uticenſis, in eumdem errorem conveniſſe, incredibile eſt. An Culuſitana Eccleſia, etſi ad Numidiam pertineret ratione loci, alio tamen jure ad Carthaginenſem primatum ſpectabat? Id ſi diceretur, tolleretur quidem difficultas, ſed dictum ſola divinatione niteretur. Satius eſt igitur fateri, banc & alias plures provinciæ proconſularis Eccleſias ignotum habuiſſe ſitum: ſiquidem vix illius provinciæ plures quam ſexaginta octo Eccleſias novimus, nec illas noti ſitus, cum tamen fuerint
centum ſexaginta quatuor, ſi qua fides Victori Uti- *Lib. 2. de perſec. Vandalica.*
cenſi, prout edita eſt hiſtoria.

PUBLIANUS BAZARIDIDACENUS.] Ita quidem legitur in collatione: ſed quia nullibi, quod ſciam, hujuſcemodi civitatis mentio fit, ſuſpicari poſſet aliquis ineſſe mendum, reponendumque Mazaranacenum; eſt enim Mazarana civitas in provincia proconſulari, inter Bagradam fluvium & fontem Catadæ, quo alluitur Carthago, prope montem Jovis, quanquam nec illa ſuſpicio admodum gravis eſt, ſiquidem inter Byſacenos Epiſcopos expulſos in Notitia nominatur Vindicianus Marazianenſis, quæ vox in tanta corruptione ſumi poſſet pro Mazarianenſi.

THEASIUS MEMBRESITANUS.] Fuit & iſte admodum celebris; nam ann. 401. miſſus eſt ab Africana ſynodo cum Alipio, Auguſtino, Evodio, & ſexdecim aliis ad cauſam Eccleſiæ Hipponis Diarrytorum coguoſcendam. Ann. 404. cum Evodio legatione ſynodi Africanæ ad Imperatores contra Donatiſtas functus eſt. Ann. 407. fuit unus e judicibus a Maurentio Tuburſicenſi in cauſa ſua poſtulatus, cum Auguſtino & quinque aliis, conceſſuſque ab Africano concilio. Ann. 408. male habitus eſt a paganis & hæreticis, cum Evodio & Victore. Ano. 411. interfuit collationi. Ann. 416. pars fuit concilii, quo de nunc agitur. Ann. denique 425. ſubſcripſit literis ſynodi Africanæ ad ſanctum Cæleſtinum. Quod Membreſa porro fuerit epiſcopalis civitas, dubium eſſe non poteſt. nam Lucii Membreſitani mentio eſt in concilio
Carthaginenſi de rebaptizandis hæreticis: Salvii Mem- *Num. 68.*
breſitani apud Auguſtioum: Bonifacii Membreſitani *Lib. 3. contra*
fuga lapſi, in Notitia ſæpe citata. Membreſæ civita- *epiſt. Parmen.*
tis meminit Antonius in Itinerario bis verbis: *Hip-* *cap. 6.*
pone Regio Carthaginem M.P. CCX. *ſic. Tagaſte*, *Maraggara*, *Siccam Veneriam*, *Muſti*, *Membreſſam*, *Sicilibbam*, *Unucam*, *Pertuſam*, *Carthaginem*; quibus ſatis conſtat, civitatem hanc inter Muſtitanam & Sicilibbam fuiſſe, & ad provinciam proconſularem pertinuiſſe, quamquam non reperitur in Tabulis Ptolemaicis.

TUTUS MELOITANUS.] Scribitur in collatione Melzitanus, ſed vitioſe, ut opinor: neque enim ab ullo fit mentio Melzitæ civitatis in provincia proconſulari; fit autem ab omnibus Melditæ ad Hipponitidem paludem poſitæ, cujus ſitus a Ptolemæo deſcribitur. Legitur Tuti nomen in epiſtola ſynodi Africanæ ad ſanctum Cæleſtinum; cave autem, eum eſſe putes, de quo ſermo eſt in ſynodo Africana ann. 307. Fuit enim iſte Migirpenſis Eccleſiæ Epiſcopus, cujus tamen ſedem ann. 416. obtinebat Victor, de quo poſtea dicetur.

PANTHONIUS PUPPUTANUS.] In collationis parte prima legitur Pannonius Puppitanus, ſed gemino vitio, cum Pannonii nomen inſolens ſit apud Afros, Panthonii familiare; & civitas, cujus ſedem tenuit, dicatur Pupput in Itinerario Antonini, ponaturque in provincia proconſulari.

VICTOR VINENSIS.] Legitur ipſius nomen in collationis prima parte, eſt autem Vina civitas prope Pupputanam, cujus mentio eſt in Itinerario Antonini, cum deſcribitur via Carthagine Suffetulam per Adrumetum.

RESTITUTUS MUZULENSIS.] Legitur in collatione Muzucenſis, ſed Auguſtinus lib. 7. contra Donatiſtas cap. 41. meminit Epiſcopi Muzulenſis, quem fuiſſe proconſularis provinciæ colligo ex Notitia ſæpius laudata, in qua numeratur inter ejectos ex ea provincia Epiſcopos Felix Muzulenſis. Unde rejicitur conjectura Pamelii, tam de Miſulanis populis a Plinio & Ptolemæo memoratis, ſunt enim illi extra proconſularem provinciam; quam de Muthul, quam Saluſtius Jugurthæ opibus refertam ſcribit, ſiquidem fuit in confiniis Numidiæ & Mauritaniæ.

RUSTICUS ſeu potius RUSTICIANUS TABRACENSIS.] Sic enim legitur in collatione. Fuit autem Tabraca colonia in ipſo confinio provinciæ proconſularis & Numidiæ, unde factum, ut pars auctorum in Numidia, alii in provincia collocarent. Tabracenſis Epiſcopi meminit concilium Carthaginenſe de rebap-

Digitized by Google

rebaptizandis, &c. Tabracæ civitatis, omnes geographi.

FORTUNATIANUS NEAPOLITANUS VEL SICCENSIS.] Fortunatiani duo celebres extiterunt tunc temporis: Neapolitanæ unus, alter Siccenſis Eccleſiæ Epiſcopus, uterque proconſularis provinciæ. nam Siccam Veneris ad proconſularem pertinuiſſe ſcripſit Ptolemæus, cui magis credendum, quam Plinio attribuenti Numidiæ, forte quia in parte illa provinciæ fuit, quæ a Romanis Numidarum Regi Maſaniſſæ conceſſa eſt. Ptolemæo favet Notitia provinciarum Africæ, in qua recenſetur inter proconſulares Epiſcopos Creſcens Cicſitanus, ſcribendum enim Siccitanus. Uterque porro collationi ann. 411. interfuit, ſed Siccenſis unus fuit ex ſeptem delegatis collatoribus. Uterque ſine dubio interfuit Africano concilio ann. 418. Incertum uter electus ad finiendas cauſas cum aliis provinciarum legatis. Incertum quoque, uter cum Vincentio Culuſitano miſſus ſit ann. 407. ab Africana ſynodo ad Imperatores pro petenda poteſtate conſtituendi defenſores. Uterque pariter interfuit concilio univerſali ann. 419. Verum Neapolitanus electus eſt cum aliis provinciarum legatis ad recognoſcendos canones. Incertum utrius nomen præferatur in epiſtola Afrorum ad ſanctum Cæleſtinum; Auguſtinus certe Siccenſi ſcripſit epiſtolam 111.

RESTITUTUS CINCARITENSIS.] Legitur in collatione Epiſcopus hujuſce nominis & ſedis. credibile admodum eſt hunc ipſum eſſe, qui de agitur, quanquam ignoratur ſitus hujus Eccleſiæ.

AMPELIUS.] Incertæ ſedis. nam Ampelius, cujus fit mentio can. 78. cod. Afric. cujuſque ſedes in collatione dicitur fuiſſe Vaga, vel potius Vada, quique interlocutus legitur cap. 176. videtur fuiſſe Numidarum unus. Quanquam tota hæc quæſtio valde implicata eſt, nec magni per ſe momenti: corrigendi tamen obiter lexicographi geographici, Vagam opinantes eſſe eamdem, quæ Bagai. nam ex collationis cap. 177. conſtat duas eſſe diverſas civitates, ſimul enim recenſentur, Donatianus Bagaienſis, & Januarianus Vagenſis: unde ulterius corrigendus quoque collationis textus cap. 215. ubi duo appellantur Epiſcopi Vagenſis catholici, Ampelius & Primulus. legi enim debet Vadenſis, cujus Eccleſiæ duo tunc erant Epiſcopi, & illi quidem pacifici. Unde animadvertas conſuetudinem Eccleſiæ Africanæ ſuam Epiſcopis Donatiſtis dignitatem ſervantis, ſi quando ad catholicam converterentur. Ea ſunt interloquentis Ampelii verba: *Ampelius Epiſcopus Eccleſiæ catholicæ dixit, perfectam unitatem ex converſione ſua cognoſcens: Rectiſſimam fidem mecum frater meus Primulus loquitur Epiſcopus. Epiſcopus enim tunc fuit partis Donati, nunc converſus demonſtrat cum plebe integra fidem ex ſua converſione; unitas illic perfecta eſt, non ſolum in ipſa civitate, verum etiam in omnibus diœceſibus.* Nota diœceſes dici pro vicis & locis minoribus.

ANIMUS.] Sin minus vitioſa ſit lectio, quod non temere tamen quiſpiam conjiciat, propter inſolentiam vocis, ignota dici debet hujuſce Epiſcopi Eccleſia. Quod ſi vitium irrepſit, ſuſpicari poſſit non nemo reponi debere pro Animo Timianum, qui, ut eſt in collatione, rexit Eccleſiam Utinæ civitatis a Ptolemæo ſub Carthagine ad Bagradam fluvium repoſitæ.

FELIX UZITENSIS.] Legitur in collatione Vizicenſis, ſed in Notitia Epiſcoporum provinciæ proconſularis mentio fit Caii Uzitenſis, qui periiſſe ſcribitur antequam veniret ad exilii locum; & Uzitha civitas ponitur in Ptolemaicis tabulis prope Adrumetum & Ruſpinam.

DONATIANUS ZEGGENSIS, SIVE ZELLENSIS.] Recenſetur in collatione Donatianus Zellenſis. In Notitia provinciæ proconſularis fit mentio Vincentii Zeggenſis in exilium ejecti.

DONATUS SIMIDICUS.] Interfuit collationi ann. 411. unuſque fuit ann. 419. e decem legatis provinciæ proconſularis, qui cum legatis aliarum provinciarum canones Eccleſiæ Africanæ recognovit, & ſubſcripſit.

OCTAVIUS UTHINENSIS.] Interfuit collationi, eſt autem Uthina civitas in provincia proconſulari ad Bagradam fluvium, ut habent tabulæ Ptolemaicæ. In concilio Carthaginenſi de rebaptizandis, &c. dixit vigeſimo ſeptimo loco ſententiam Felix ab Uthina, & Lampadius Uthinus concilio Arelatenſi II. ſubſcripſiſſe legitur.

SAROTINUS THURZITENSIS.] Interfuit collationi. Ponitur autem a Ptolemæo Thurſa prope Vinam coloniam, non longe a Tunizza, atque adeo, nec admodum procul a Carthagine.

MAJORINUS ZEMPTENSIS.] Ita legitur in collatione, melius Zamenſis. nam in provincia proconſulari fuit Zama civitas, ſi Plinio, Ptolemæo, & Straboni credimus. Certe in concilio Carthaginenſi rebaptizantium dixit ſententiam quinquageſimo & tertio loco Marcellus a Zama.

POSTHUMIANUS.] Ignotæ ſedis; nam qui dicitur in collatione Tagorenſis, diverſus eſt ab iſto, ſiquidem Tagora civitas, ſeu Tagura, eſt in Numidia, non item in proconſulari; & inter Epiſcopos e Numidia in exilium actos recenſetur Timotheus Tagurenſis.

CRISPULUS VOLITENSIS.] In vulgaris codicibus legitur Triſpulus, ſed vitium per ſe manifeſtat inſolentia nominis, quare emendari debet ex collatione: eſt autem Volitana civitas, ſeu Vol, prope Carthaginem, ad fluvium Cinadam.

VICTOR UTICENSIS.] Non ille quidem ſcriptor librorum de perſecutione Vandalica, ann. 484. excitata adverſus catholicos ab Hunerico; ſed alius ejuſdem nominis & ſedis, qui fuit Carthagine, cum collatio haberetur. Uticam porro civitatem ad proconſularem provinciam pertinuiſſe, nemo neſcit, quia nemo ſcriptorum non docet. Victorem autem iſtum mortuum eſſe oportet ante ann. 419. nam inter electos ab Africana ſynodo ad recognoſcendos canones legitur Gallonius Uticenſis.

VICTOR MIGIRPENSIS.] Ita legitur in collatione. Migirpæ civitatis mentio eſt apud Auguſtinum & Victorem Uticenſem. In concilio Carthaginenſi rebaptizantium ſecundo loco ponitur Primus a Migirpa. In concilio Africano ann. 397. recenſetur Tutus Migirpenſis. Ubi vero ſita fuerit Migirpa, non memini me legere apud ullum auctorem. Fuiſſe tamen in provincia conſulari traditur in Notitia Epiſcoporum ex ea expulſorum: inter ipſos enim numeratur Paſchaſius Migirpenſis.

LUCIUS TAGARATENSIS.] Recenſetur ejus nomen in collatione. Tagaratenſis Epiſcopi meminit Notitia Epiſcoporum provinciæ proconſularis: refertur enim Honoratus Tagaratenſis pulſus in exilium.

MARIANUS UZIPPARENSIS.] Nominatur in collatione. Meminit Notitia Epiſcoporum provinciæ proconſularis Augentii Uzippartani in exilium expulſi. Noſter hic Marianus fuit unus de legatis provinciæ proconſularis, qui ann. 419. canones Eccleſiæ Africanæ recognoverunt.

FRUCTUOSUS ABZIRITENSIS.] Ita legitur in collatione, legendum tamen forte eſt Abdiritenſis, vel Abbiritenſis: eſt enim apud Ptolemæum Abderæ mentio in Africa propria, ſeu provincia proconſulari, ſiquidem ponitur ſub Carthagine, & in Notitia provinciæ proconſularis fit mentio Felicis Abaritani Epiſcopi. Hunc vero Fructuoſum oportet non diu fuiſſe ſuperſtitem, nam ann. 419. Candidus Abbiritanus recenſetur inter legatos provinciæ proconſularis, qui tamen in ſubſcriptionibus dicitur Germaniæ, ſed mendoſe: nam Germania, ſive vetus, ſive nova, pertinet ad Numidiam, ſi qua fides Notitiæ ſæpius citatæ; in qua fit mentio Felicis Abaritani Epiſcopi.

FAUSTINIANUS.] Ignota eſt ipſius ſedes.

QUODVULTDEUS VERENSIS.] Fuit unus ex decem legatis provinciæ proconſularis, qui cum aliarum provinciarum legatis ann. 419. nomine totius Africanæ ſynodi, canones recognoverunt.

CAN-

Candorius Mullitensis.] Numeratur inter Epiſcopos, qui Carthagine fuerunt tempore collationis. Inter proconſulares ejectos Notitia habet *Liberatum Mulitanum.*

Maximus.] Ignotæ ſedis, niſi forte pro Maximo legatur Maximianus, qui in collatione dicitur Epiſcopus Aquenſium regiorum. nam in quibuſdam codicibus Eccleſiæ Africanæ pro Maximiano legitur Maximus. Fit autem quintum mentio Aquarum regiarum in Itinerario Antonini, ponunturque inter Vicum Auguſti & Maſclianas; verum cum Maximianus ille fuerit unus legatorum provinciæ Byſacenæ ad recognoſcendos canones, oportet hanc conjecturam eſſe vanam.

Megarius.] Ignotæ ſedis.

Rufinis Drusilianensus.] Quanquam ita legitur in collatione, legendum tamen puto Dinifianenſis, vel potius Dioniſianenſis: ejuſce enim nominis Epiſcopus ponitur in concilio Carthaginenſi rebaptizantium numero 48. Annon illa ſedes, quæ in Notitia provinciæ proconſularis corrupte legitur Duaſſendelmai?

Rufianus Maxensis.] Dicitur in collatione Muzucenſis; unus fuit e decem delegatis e provincia proconſulari ann. 419. ad recognoſcendos canones, quibus ſubſcripſiſſe legitur in codice Eccleſiæ Africanæ, ubi Græce ſcribitur Ῥουφιανὸς Μαξεντιανός. quod favet lectioni collationis.

Proculianus.] Vel ignotæ ſedis, vel, quod magis reor, legi debet Proculus Gineſitenſis Salariæ, cujus nomen ponitur in collatione. Nam in Notitia Epiſcoporum provinciæ proconſularis legitur *Cariſſimus Giſipenſis* ejectus in exilium: nullus vero dubito, quin idem Gineſitenſis, qui Giſipenſis.

Thomas.] Mirum ubique hujus nominis ſilentium, niſi quod Leo magnus ſcripſit ad Thomam Africanum Epiſcopum. ſed incredibile eſt, huncce Thomam noſtrum tamdiu vixiſſe.

Januarius Timidensis.] In collatione legitur Tunudenſis, ſed legendum omnino videtur Timidenſis; nam in provincia proconſulari nulla fuit Tunuda civitas, ſed Timida, quæ Regia aliquando dicitur. Certe inter Epiſcopos proconſulares ejectos ab Hunerico numeratur *Benenatus Timidenſis.*

Octavianus Ressianensis.] Ita legitur in collatione.

Prætextatus Sicillibensis.] Unus fuit ex decem legatis provinciæ proconſularis, qui cum aliis aliarum provinciarum recognovit canones ann. 419. nomine totius Africanæ ſynodi.

Sextus.] Ignotæ ſedis.

Quodvultdeus Givirtensis.] Legi forte ita debet: fit enim mentio Epiſcopi ejuſdem nominis & ſedis in collatione. nec tamen in aliis a proconſulari provinciis reperitur ſedes Givirtenſis: quare ſuſpicari licet ipſam ad proconſularem pertinuiſſe, conſentiente præſertim Epiſcopi nomine.

Pentnadius Carpitanus.] Fuit unus e decem electis ex provincia proconſulari ad recognoſcendos canones, ann. 419.

Qodvultdeus.] Ignotæ ſedis, niſi forte duo alii Quodvultdei ſedem illius occuparint.

Cyprianus Tuburbitanus.] Ita legitur in collatione; eſt autem Tuburbus ſeu Tuburbo civitas in provincia proconſulari, fuitque olim colonia Plinio & Ptolemæo nota. Meminit ejuſdem Antoninus in itinere Hippone Regio Carthaginem, eamque ponit inter Cluacariam & Cigiſam. In Notitia Epiſcoporum provinciæ proconſularis legitur nomen *Benenati Tuburbitenſis.*

Servilius.] Ignotæ ſedis, quemadmodum Pelagius, Marcellus, Venantius, Didymus, Saturninus, Thiazacenus, Germanus, Germanianus, Juventius, Majurinus, Juventius.

Candidus Abiritanus.] Fuit unus e decem legatis provinciæ proconſularis ad recognoſcendos canones, ann. 419.

Cyprianus.] Ignotæ ſedis, ſi modo alteri ejuſdem nominis, de quo mox dictum eſt, Tuburbitana Eccleſia tribuatur; alteruter enim Tuburbitanus Epiſcopus.

Æmilianus.] Incertæ ſedis.

Romanus Megalopolitanus.] Recenſetur in collatione. Fit mentio in Notitia Epiſcoporum provinciæ proconſularis *Coronii Megalopolitani* in exilium ejecti; qua vero in parte provinciæ proconſularis ſita fuerit Megalopolis, ignotum mihi eſt.

Africanus et Marcellinus.) Incertæ ſedis.

V. SYNODUS

A SILVANO SENIORE SEU PRIMATE PROVINCIÆ NUMIDIÆ ADVERSUS EOSDEM HÆRETICOS MILEVI CONGREGATA,

iiſdem conſulibus, circa finem Octobris anno Chriſti CCCCXVI.

Quinta ſynodus, quæ Milevitana provincialis.

Eodem fere tempore, eademque de cauſa, Pelagii nimirum & Cæleſtii, celebrata eſt quinta ſynodus a ſexaginta & uno Patribus provinciæ Numidiæ, in urbe Milevitana. Præfuit Silvanus provinciæ ſenior, eoque jure primas, & concilii præſes. Verum hæc ſigillatim evidentius explicanda.

Ratio temporis.

Habita eſt, ut dixi, eodem fere tempore, quo Carthaginenſis; nonnihil enim interceſſiſſe, ſignificant Patres, cum in ſynodica ſcribunt, ſe imitatos provinciæ Carthaginenſis Epiſcopos, quos comperiſſent ad ſedem apoſtolicam de hac cauſa ſcripſiſſe. Vide epiſtolam 94. quæ eſt Auguſtini ad Hilarium Epiſcopum.

Eadem de causa, quam explicuere verbis, quibus hæreſis totius duo capita fecerunt: *Hæc duo*, inquiunt, *quibus omnino totum, quod chriſtiani ſumus, nituntur evertere, quæ fidelia corda ſuſtinent, non eſſe rogandum Deum, ut contra peccati malum, atque ad operandam juſtitiam ſit noſter adjutor; & non opitulari parvulis ad conſequendam vitam æternam, chri*[illegible] *gratiæ ſacramentum.* Cauſa conveniendi.

Adverſus Pelagium & Cæleſtium.

Pelagii nimirum et Cælestii, quorum nomina

nomina detulerunt in hunc modum: *Hujus autem perniciosiſſimi erroris auctores eſſe perhibentur Pelagius & Cæleſtius, quos quidem in Eccleſia ſanari malumus, quam deſperata ſalute ab Eccleſia reſecari, ſi neceſſitas nulla compellat: quorum unus, id eſt, Cæleſtius, etiam ad presbyterium in Aſia dicitur perveniſſe. De quo ante paucos annos quid geſtum fuerit, ſanctitas tua de Carthaginenſi Eccleſia melius inſtruetur. Pelagius vero, ſicut a quibuſdam fratribus noſtris miſſæ loquuntur epiſtolæ, Hieroſolymis conſtitutus, nonnullos fallere aſſeritur.*

Qui tamen a Milevitanis Patribus non excommunicantur. Nota vero ad hæc verba, *quos quidem in Eccleſia*, &c. ab hoc concilio, cujus mens eſſet Auguſtinus, hæreſis auctores non fuiſſe communione privatos. neque enim jure poterant, non tantum propterea quod uterque abeſſet judicio, reique dicerentur ſolis accuſatorum ſcriptis; ſed etiam, & maxime quidem, quia cum ad ſupremum judicem referretur de re tota, ejus ſententia expectanda fuit.

Numerus Patrum. A SEXAGINTA ET UNO PATRIBUS: tot enim nomina memorantur in ſynodica, quos inter eximii tres, Auguſtinus, Alipius & Poſſidius extitere.

Locus ſynodi. *Collat.* 8. IN URBE MILEVITANA. Non quod Silvanus totius provinciæ ſenior, ideoque jure primas, in ſuam civitatem, per tractoriam convocaſſet Epiſcopos. neque enim Milevitanæ Eccleſiæ præfuit, ſed Summenſi ſeu Zamenſi, ut videre eſt in ſubſcriptionibus mandati lecti in prima actione collationis Carthaginenſis. Sed quod Milevis opportunior foret cogendis Patribus, quod in media fere Numidia poſita eſſet, ut conjicere licet: nam civitas tam celebris, ſive conciliis habitis, etiam plenariis, ſive Optato ſuo Epiſcopo, non reperitur, neque in deſcriptionibus antiquæ Africæ, neque in itinerario Aotonini, neque in veteribus hiſtoriis, quod ſciam, niſi quod appellatur de nomine, ubi ſermo fit de conciliis & Optato.

Sunt qui exiſtiment Milevum eſſe idem quod Mileum, cujus meminit Antoninus in itinerario, cujuſque ſitum exhibent tabulæ Ptolemaicæ, corrupto tamen aliquatenus nomine, inter Cyrtam Juliam & Sitifim. Opinionem probant ex eo quod in quinta ſynodo Reſtitutus Epiſcopus Mileioo dicatur eſſe provinciæ Numidiæ, quodque magna cognatio Mileum inter & Milevum ſit. Ita ſentit Ferrarius in lexico geographico, aitque urbem, nunc quidem dici MELA; olim vero fuiſſe epiſcopalem ſedem ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi. Verum ſuam habent iſta difficultatem; nam Milevitana Eccleſia fuit in provincia Numidiæ, quæ ſuum habebat olim primatem, non item in proconſulari, cujus caput Carthago. Deinde in Notitia Africanarum provinciarum, quam edidit Pater Sirmondus, recenſetur Benenatus Milevitanus inter Epiſcopos Numidiæ, & Patera Milianenſis inter Epiſcopos Mauritaniæ Cæſarienſis; videtur autem Milianum idem ac Mileum. Deinde potuit error irrepere in ſubſcriptinnem Reſtituti in octava collatione V. ſynodi, quandoquidem in aliis omnibus collationibus dicitur tantum Africanæ provinciæ. Denique Ortelius peritus in primis geographus, Milevum & Mileum diſtinguit; nec rationem affert Ferrarius, cur ab Ortelio diſcedat.

Nihilominus Ferrario, aut Balduino potius aſſentiri me duo cogunt. Alterum, quod vix ac ne vix quidem opiner, civitatem adeo celebrem prætermiſſam fuiſſe a geographis, maxime cum ſuam habuerit cognominem regionem, ut conſtat ex epiſt. 129. Auguſtini. Alterum, quod tanta cognatio nominis, quanta eſt, inter Milevum & Mileum ſeu Mireum, ut habet Ptolemæus, dobitare oon ſinat, quin una ſit eademque civitas. quare malim ego accuſare Ortelium, quod Mileum reponat in Mauritania Cæſarienſi, arctioribuſque finibus, quam Ampſaga fluvio a Numidia Mauritaniam ſecernat, (facit enim id invito Ptolemæo,) quam civitatem hanc conciliis tantiſque Epiſcopis nobilem ſine loco & ſitu relinquere. Non diffiteor tamen Notitiam Africanarum provinciarum negotium creare, quemadmodum & quod alias etiam reperitur mentio Milianenſis Epiſcopi: ſed forte Manlianenſis dici debuit, eſt autem Manliana civitas apud Ptolemæum, in Mauritania Cæſarienſi propre Garaphios montes, non procul a Savo fluvio.

Sed ut eo revertamur, unde digreſſi ſumus, ex ſynodo Milevitana ſcripta eſt ad Innocentium Papam epiſtola in eumdem fere modum, imo & eodem ſtylo, quo ex Carthaginenſi: unde eruditi, non vana conjectura, utriuſque auctorem Auguſtinum nec temere, nec leviter opinantur. Ipſe enim ſtatim a ſynodo, Carthagine convenit Aurelium Evodiumque, comitantibus Alipio & Poſſidio, priuſquam Julius ſynodicarum literarum perlator ad Romanum Pontificem proficiſceretur, ad quem communes aliaſque, quas familiares vocant, dederuot quinque illi Epiſcopi præfati. Verum de his poſtmodum dicturi ſumus. Synodica Milevitana ſic ſe habet. Scripta ad S. Innocent. ſynodica ab Auguſtino, ut & præcedens.

DOMINO *beatiſſimo, meritoque venerabili, & in Chriſto honorando Papæ Innocentio, Silvanus, Valentinus, Aurelius, Donatus, Reſtitutus, Lucianus, Alipius, Auguſtinus, Placentius, Severus, Fortunatus, Poſſidius, Novatus, Secundus, Maurentius, Leo, Fauſtinianus, Creſconius, Malcus, Littorius, Fortunatus, Donatus, Ponticanus, Saturnius, Chriſtonius, Honorius, Lucius, Adeodatus, Proceſſus, Creſconius, Secundus, Felix, Aſiaticus, Rufinianus, Fauſtinus, Servus, Terentius, Creſconius, Sperantius, Quadratus, Lucillus, Sabinus, Fauſtinus, Creſconius, Victor, Gignantius, Poſidonius, Antonius, Innocentius, Præſidius, Creſcentius, Felix, Antonius, Victor, Honoratus, Donatus, Petrus, Præſidius, Creſconius, Lampadius, Delphinus ex concilio Milevitano, in Domino S.*

QUIA te Dominus, gratiæ ſuæ præcipuæ munere, in ſede apoſtolica collocavit, talemque noſtris temporibus præſtitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem, quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſunt, tacuerimus, quam ea tu poſſis vel faſtidioſe, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti paſtoralem diligentiam, quæſumus, adhibere digneris.

Nova quippe hæreſis, & nimium pernicioſa tempeſtas ſurgere inimicorum gratiæ Chriſti cœpit, qui nobis etiam dominicam orationem impiis diſputationibus conantur auferre. Cum enim Dominus docuerit, ut dicamus: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*; iſti dicunt poſſe hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem juſtitiæ, ſine adjutorio gratiæ Salvatoris, per ſolum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei non ſit jam neceſſarium dicere: *Dimitte nobis debita noſtra*. Illud vero quod ſequitur: *Ne nos inferas in tentationem*; non ita intelligendum, tanquam divinum adjutorium poſcere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus; ſed hoc in noſtra eſſe poſitum poteſtate, & ad hoc implendum ſolam ſufficere voluntatem hominis, tanquam fruſtra Apoſtolus dixerit: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*; &, *Fidelis Deus qui non permittet vos tentari ſuper id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam exitum, ut poteſtis ſuſtinere.* Fruſtra etiam Dominus dixerit Apoſtolo Petro:

Matth. 6. v. 12. Rom. 9. v. 16. 1. Cor. 10. v. 13.

Luc. 22. v. 32. Matth. 26. v. 40. *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua*; & omnibus ſuis: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem*; ſi hoc totum eſt poteſtatis humanæ.

Pueros quoque parvulos, ſi nullis innoventur chriſtianæ gratiæ ſacramentis, habituros vitam æternam, nequam præſumptione contendunt, evacuantes quod dicit Apoſtolus:
Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes*
1 Cor. 15. v. 22. *homines pertranſit, in quo omnes peccaverunt*. Et alio loco: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes vivificabuntur*.

Ut ergo alia omittamus, quæ contra ſanctas ſcripturas plurima diſſerunt, hæc interim duo (quibus omnino totum, quod chriſtiani ſumus, nituntur evertere) fidelia corda non ſuſtinent: non eſſe rogandum Deum, ut contra peccati malum, atque ad operandam juſtitiam, ſit noſter adjutor; & non opitulari parvulis, ad conſequendam vitam æternam, chriſtianæ gratiæ ſacramentum.

Hæc inſinuantes apoſtolico pectori tuo, non opus habemus multa dicere, & tantam impietatem verbis exaggerare, cum procul dubio te ita permoveant, ut ab eis corrigendis, ne latius ſerpant, multoſque contaminent, vel potius interimant, dum ſub nomine Chriſti, a gratia Chriſti penitus alienant, omnino diſſimulare non poſſis.

Hujus autem pernicioſiſſimi erroris auctores eſſe perhibentur, Pelagius & Cæleſtius, quos quidem in Eccleſia ſanari malumus, quam deſperata ſalute ab Eccleſia reſecari, ſi neceſſitas nulla compellat: quorum unus, id eſt, Cæleſtius, etiam ad presbyterium in Aſia dicitur perveniſſe: de quo ante paucos annos quid geſtum fuerit, ſanctitas tua de Carthaginenſi Eccleſia melius inſtruetur. Pelagius vero, ſicut a quibuſdam fratribus noſtris miſſæ loquuntur epiſtolæ, Hieroſolymis conſtitutus nonnullos fallere aſſeritur: verumtamen multo plures, qui ejus ſenſus diligentius indagare potuerunt, adverſus eum, pro gratia Chriſti & catholicæ fidei veritate, confligunt, præcipue ſanctus filius tuus, frater & compresbyter noſter Hieronymus.

Sed arbitramur, adjuvante miſericordia Domini Dei noſtri JESU CHRISTI, qui te & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati ſanctitatis tuæ, de ſanctarum ſcripturarum auctoritate depromptæ, facilius eos, qui tam perverſa & pernicioſa ſentiunt, eſſe ceſſuros; ut de correctione potius eorum congratulemur, quam contriſtemur interitu. Quodlibet autem ipſi eligant, certe vel aliis, quos plurimos poſſunt, ſi ab eis diſſimuletur, ſuis laqueis implicare, cernit venerabilitas tua inſtanter & celeriter providendum.

Hæc ad ſanctitatem tuam de concilio Numidiæ ſcripta direximus, imitantes Carthaginenſis Eccleſiæ coëpiſcopos noſtros, quos ad ſedem apoſtolicam, quam beatus illuſtras, de hac cauſa ſcripſiſſe comperimus.

Et alia manu, memor noſtri in Deum gratia augearis, Domine beatiſſime, meritoque venerabilis, & in Chriſto honorande ſancte Pater.

De canonibus octo, qui vulgo Milevitani dicuntur.

Præter hanc epiſtolam nihil ſynodi remanet, quamvis enim fuerint olim, ſintque etiamnum, qui celeberrimos octo Eccleſiæ Africanæ canones, adverſus hæreſim Pelagianam, Milevitanos vocent; id faciunt tamen nunc temporis pauciſſimi ex ſententia; reliqui, ut veterem atque popularem appellationem retineant. Scitum enim eſt ab eruditis, canones iſtos eo primum nomine vocatos fuiſſe, propter ſolam veteris collectoris præjudicatam auctoritatem; nec ulla ratione dici poſſe ſancitos in uno ex duobus Milevitanis conciliis. Neque enim in primo univerſali, ſiquidem coactum fit ann. 402. cum nondum orta fuiſſet hæreſis Pelagiana, certe nondum Africanis innotuiſſet: neque etiam in ſecundo provinciali, cum Auguſtinus *in plenario totius Africæ concilio, conditos teſtetur*; codex canonum ab Adriano primo miſſus ad Carolum Magnum, in Carthaginenſi ſynodo.

CIRCA hanc epiſtolam præter Epiſcoporum Eccleſias obſervanda ſeptem. Primum, ipſam, etſi præferat nomina ſexaginta & duorum Patrum, fuiſſe tamen ab Auguſtino ſcriptam, atque ita poſſe ex ea intelligi certo mentem Auguſtini de toto negotio, quod agebatur, deque totius negotii adjunctis non incurioſe obſervandis.

Secundum, tunc temporis ad duas potiſſimum quæſtiones, alteram de gratia, alteram de peccato originali, revocatas fuiſſe controverſias, quæ movebantur Eccleſiæ a Pelagianis, ambaſque ita perſtringi, ut tamen ſcripturæ teſtimoniis, iiſque decretoriis, ſolverentur.

Tertium, nullum anathema dici a Milevitanis Pelagio Cæleſtioque, nullam ſententiam in eos ferri, ſed puram fieri relationem ad ſedem apoſtolicam: neque enim jure potuit aliud præſtari, cum neque auditi fuiſſent præſentes illi duo rei, neque præjudicari quidquam debeat ab iis, qui cauſam deferunt ſedi apoſtolicæ. Sciebat Auguſtinus canonibus & prohiberi, ne abſentes damnarentur, & jus apoſtolicæ ſedis ſanciri.

Quartum, a Patribus Milevitanis ſummum Pontificem non compellari FRATRIS CO-EPISCOPIQUE nomine, ſed DOMINI BEATISSIMI, MERITOQUE VENERABILIS, ET IN CHRISTO HONORANDI PAPÆ ſive PATRIS. qua eadem compellatione uſus eſt Auguſtinus in literis ad ſanctum Cæleſtinum in cauſa Antonii Fuſſalenſis. Inde vero conſtat qua reverentia ſummum Pontificem provincia illa, cujus erat quaſi mens Auguſtinus, proſecuta ſit. Epiſt. 262.

Quintum, conveniſſe ſexaginta & unum Epiſcopos, cum tamen forent ea tempeſtate in Numidia catholicæ Eccleſiæ centum viginti & quinque, quemadmodum Carthaginem diſcimus confluxiſſe tantum ſexaginta & octo Patres, etſi proconſularis provincia centum ſexaginta & quatuor haberet. Unde diſcimus, ad ſolemnes ſingulorum annorum ſynodos provinciales ita coiviſſe Epiſcopos per partes, ut altera cogeretur ad ſynodum ante quadrageſimam; altera ad autumnalem, exceptis tamen primatibus, qui ſemper aderant, & aliis nonnullis, quibus fas erat, etſi nulla neceſſitas, conveniendi. Id vero niſi ita ſe habuiſſe dicatur, explicari nón poteſt, quomodo tanta exiſtente, tamque religioſa canonum obſervantia, quanta certe exiſtebat ea tempeſtate, abfuiſſet media pars Epiſcoporum a ſynodis, ſiquidem lege cautum eſſet, ne quis abeſſet. Id vero quod dixi, de diviſa multitudine Epiſcoporum

rum duas in partes, indicatur non admodum obſcure in canone 76. codicis Eccleſiæ Africanæ, quo præcipitur, *ut de univerſis ſingularum provinciarum Epiſcopis, vel duæ vel tres turmæ fiant, ac de ſingulis turmis viciſſim quotquot electi fuerint, ad diem concilii (plenarii) inſtantiſſime occurrant.* Quid enim turmæ illæ, quid vices aliud ſignificant, quam quod dictum eſt?

Sextum, nullam Auguſtinum feciſſe, vel ſaltem non expreſſam mentionem judicii, ſive quod de Cæleſtio habitum eſt Carthagine ab Aurelio, ſive quod de Pelagio Dioſpoli ab Eulogio Cæſareæ Epiſcopo. An quia intelligebat, utrumque factum in concilio tantum provinciali, ideoque nullam obtinere vim in aliis provinciis, niſi generalior accederet ſedis apoſtolicæ auctoritas, quæ momentum afferret ac cauſam finiret? An quia in utroque videri poterat peccatum aliquatenus contra canones; nam in Carthaginenſi, appellata ſede apoſtolica, neque dati fuerant apoſtoli, quod oportebat, neque miſſa Romam acta, quod exigebat ratio; & in Dioſpolitano accuſaverant homines, & abſentes & forte inteſtabiles, propter excommunicationem. An quia, dum referretur ad ſummum Pontificem de cauſa majore, id eſt, de ſanciendo dogmate, nullus fieri debuit ſermo de conciliis provincialibus, quibus fas eſſet de perſonis ſolis hac in re judicare? An denique quod a concilio Carthaginenſi abunde id omne præſtitum videretur, quod eo pertineret? Nam & una cum ſynodicis literis miſſa ſunt geſta cum Cæleſtio ante ferme quinquennium; & ſummus Pontifex admonitus eſt de geſtis orientalibus, ne quid inde præjudicii creari ſibi pateretur.

Cod. Eccl. Afric. can. 128.

Septimum & poſtremum, ſcripſiſſe Auguſtinum, Pelagianos *ſub nomine Chriſti a gratia Chriſti alienaſſe aliorum mentes*; idcirco forte, quod affectarent, dici, nomine quaſi proprio, chriſtiani, ac ſi puram ſoli religionem Chriſti ſectarentur. Id colligi poteſt, primum ex epiſtola Hilarii monachi ad Auguſtinum: *Quidam chriſtiani apud Syracuſas exponunt dicentes, poſſe eſſe hominem ſine peccato*, &c. Deinde ex eo quod non ſine cauſa ab Auguſtino, & forte per quamdam alluſionem, dictus ſit Pelagius, *Non parvo provectu & egregie chriſtianus eſſe.* Denique ex Juliani jactantia, pluribus quidem in locis, ſed præſertim in opere imperfecto, glorianti ſuæ partis homines eſſe ſolos Eccleſiæ Chriſti defenſores, ſoloſque morum vere chriſtianorum magiſtros. Sed jam Epiſcoporum nomina, cum ſuis ſingulorum, quantum fas eſt, Eccleſiis cenſenda.

Epiſt. 88. inter Auguſtinianas.

Lib. 3. de pecc. meritis cap. 1. & 3.

Silvanus Summensis vel Zumensis.] Utroque modo in collatione ſcribitur nomen ſedis, quæ prima tunc erat in provincia Numidiæ: fuit vero Silvanus poſt Xantippum primas ſeu ſenior, non multum ante collationem; ſiquidem Xantippi ſenis fit adhuc mentio in concilio ano. 407. nec tenuit primatum valde diu. Nam ann. 419. Valentinus primæ ſedis Numidiæ Epiſcopus, concilio Africano interfuit. de Silvano iſta novimus. Ann. 411. præſens fuit concilio ante collationem habito, ſubſcripſitque cum Aurelio catholicorum notoriam, ac mandatum. Ann. 412. coegit concilium Cirtam die 14. Junii, ex quo miſſa Donatiſtis ſynodica. Ann. 416. Milevi ſynodum habuit, qua de nunc agitur. Anno conſequente reſponſum accepit ab Innocentio Papa. Ubi vero ſita fuerit Summa ſeu Zuma, incertum eſt, niſi forte dicatur eſſe Zama, quam Plinius & Ptolemæus in Africa, ſeu potius Numidia reponunt.

1 parte cap. 99. & 114.

Apud Auguſt. epiſt. 152.

Valentinus Vajenensis.] Ita legitur in collatione. Incerta ſedes eſt; fuit tamen prope Vegeſelam, nam in collatione pro Vegeſelitano Epiſcopo ſubſcripſiſſe dicitur mandato. Fuit vero Valentinus Silvani ſucceſſor, eoque nomine cum Aurelio præfuit concilio univerſali ann. 419. cujus, quod obſervandum, geſtis ſubſcripſit, ante Fauſtinum Romanæ Eccleſiæ legatum.

Cap. 99.

Aurelius Macomadiensis.] Ita legitur nomen Eccleſiæ in Notitia Epiſcoporum Numidiæ; ſed in collatione modo Magomazienſis, modo Macomadienſis ſcribitur. Bis Antoninus meminit civitatis Macomadum in Itinerario, ſemel dum deſcribit viam, quæ ducit Cittam Carthagine; iterum in itinere Aſſuris Tænas. Illic non procul a Citta, iſtic prope Tænas ponitur; quare neceſſe eſt falli lexicographos, qui legi debere putant Macodamam, eamque collocant prope Sirtim minorem. Aurelium porro hunc oportet fuiſſe ſtrenuum & induſtrium, ſiquidem in collatione ſæpius legitur, velut quidam agens in rebus provinciæ Numidiæ interlocutus. Unde cap. 197. Proficentium Donatiſtam ſe Macomadienſem Epiſcopum dicentem interrogavit, qua de Macomadia loqueretur. Quo ex loco iterum geographicorum lexicographorum error deprehenditur: gemina enim fuit Macomadia apud Numidas; una cujus Eccleſiam regeret Aurelius, haberetque adverſarium Salluſtium Donatiſtam; altera Reſticiana, cui pro parte Donati Proficentius præeſſet.

Donatus Amporensis, vel Anburensis.] Dicitur quidem in collatione Auburenſis, ſed in Notitia fit mentio Creſconii Amporenſis ejecti in exilium cum aliis. De Donato nihil aliud novimus, quam quod interfuit concilio, & Carthaginenſi ante collationem, & Cirtenſi poſt collationem habito, & huic Milevitano.

Restitutus Novasinus.] Ita in collatione. In Notitia Epiſcoporum Numidiæ recenſetur inter expulſos Candidus Novaſinenſis. Quam ignota eſt Eccleſia Novaſina, tam nobilis Reſtitutus, ut qui ann. 408. legatione totius Africanæ Eccleſiæ ad Imperatores contra paganos & hæreticos cum Florentio functus eſt. Interfuit concilio, tum Carthaginenſi ante collationem ann. 411. tum Milevitano ann. 416. tum Africano univerſali ann. 418. in quo tertius fuit legatorum provinciæ Numidiæ, quibus cura finiendi negotia, recedentibus aliis Patribus, commiſſa eſt.

Cod. Eccl. Afric. can. 127.

Lucianus Guirensis.] Recenſetur inter Epiſcopos, qui Carthagine ſynodum habuerunt ante collationem. Quod vero pertinuerit Eccleſia Guirenſis ad provinciam Numidiæ, conſtat ex Notitia Epiſcoporum Numidarum, quos inter legitur Martialis Girenſis. An vero & hic & illic corrupte legatur Eccleſiæ nomen, reponique debeat pro Guirenſi vel Girenſi, Gitbenſis, cujus Epiſcopus decimo loco ſententiam dixit in concilio rebaptizantium, dubitaverit forte aliquis, nec, meo judicio, valde temere.

Alypius Tagastensis.] Nobilior ille eſt, cum ſcriptis Auguſtini, Hieronymi, ac Paulini, & aliorum, tum maxime rebus geſtis, faſtiſque Eccleſiæ, quibus adſcriptus eſt inter Sanctos die 15. Auguſti: nobilior quoque civitas Tagaſtenſis Auguſtini patria, quam ut egeat aut ille, aut iſta illuſtrari. Alipius enim omnium fere conciliorum, quæ in Africa celebrata ſunt ab ann. 394. quo Epiſcopus creatus eſt, magna pars fuit. Unus extitit de ſeptem catholicis Epiſcopis, qui cum Donatiſtis collationem ſuſceperunt. Unus fere ſemper legatorum, quos Numidia miſit ad concilia Africana. Sæpius ad Imperatores ab Africana Eccleſia venit, regiiſque edictis hæreticos, præſertim Pelagianos, compeſcendos curavit. Videtur autem produxiſſe vitam aduſque obitum Auguſtini, ei namque ann. 428. in Italia poſitus, miſit libros quinque operis poſtremi a Juliano conſcripti. Videtur quoque primatum ſuæ provinciæ tenuiſſe, etiam vivente Auguſtino, ſi modo epiſtola, quæ eſt inter Auguſtinianas ſexageſima ſeptima, ſuppoſititia non ſit: inſcribitur enim *Auguſtinus Alypio ſeni.* Verum hujuſmodi titulos vehementem mihi ſuſpicionem creat: neque enim Auguſtinus, aut primati ſuo, aut Alipio ipſi, ea forma ſcribere ſolitus eſt. Xantippo certe epiſtolam ſic inſcripſit: *Domino beatiſſimo & venerabiliter ſuſpiciendo Patri & conſacerdoti ſeni Xantippo Auguſtinus, in Domino ſalutem.* Alipio vero: *Domino beatiſſimo & venerabiliter cariſſimo fratri & conſacerdoti Alipio Auguſtinus, in Domino ſalutem.*

Epiſt. 234.

Epiſt. 226.

Augustinus Hipponensis.] Nulla hic nota opus eſt.

O 2 Pla-

Y 5

Can. 100.

Placentius Madaurensis.] Legitur quidem in collatione Placentinus; imo & in codice Latino Eccleſiæ Africanæ; verum in Græco babetur Πλακέντιος, quæ vox communior apud Afros. Interfuit concilio Africano ann. 408. perſonamque geſſit legati Numidiæ, ac in cauſa Maurentii Tuburſicenſis contra ſeniores novæ Germaniæ interlocutus eſt. Madaurum porro civitatem ad Numidiam pertinuiſſe nemo geographorum ſilet, &, ut ſilerent; ſtudia Auguſtini Madauris in urbe vicina patriæ, ortus Apulei Madaurenſis, & Notitia Epiſcoporum Numidiæ, in qua legitur *Pudentius Madaurenſis*, ſatis id demonſtrarent.

Severus Milevitanus.] Severi Eccleſiam ſilet collatio, prout edita eſt, quamvis de Severo loquitur ſerius Carthaginem appulſo, cum novemdecim aliis catholicis, quorum Eccleſiæ appellantur. Lacunam eſſe oportet, cum Severus cenſetur. Silentium collationis ſupplet Auguſtini ſermo quinquageſimus de diverſis, his verbis: *Ipſe frater ejus Deo ſervit, & ſubdiaconus eſt, ſub ſancto fratre meo & coepiſcopo Severo in Milevitana Eccleſia.* Epiſcopatum ſuſcepit eo fere tempore, quo Auguſtinus, ut docet Paulinus ad Romanianum ſcribens. Paulo ante Auguſtinum obiit, nam ann. 426. ſucceſſorem in Eccleſia Milevitana ipſe Auguſtinus ordinavit, ut conſtat ex epiſt. 110. qua continentur acta eccleſiaſtica in electione Eradii. Quanta fuerit Severum inter & Auguſtinum neceſſitudo atque familiaritas, loquuntur literæ mutuæ. Harum occaſione literarum caſtigandus eſt obiter inſcriptor epiſtolarum Auguſtini. Nam primam, quæ Severi, ſuſpicatur eſſe Sulpitii Severi, cum ſit hominis in Africa commorantis. Poſteriorem, quæ Auguſtini, ſcriptam judicat Severo Abbati, cum Severum tamen Auguſtinus conſacerdotem appellet, qua compellatione neminem niſi coëpiſcopum ſalutare ſolitus eſt, inferiores clericos contentus dicere, aut fratres, aut condiaconos, aut compresbyteros. Animadvertenda quoque perturbatio ordinis, confuſioque epiſtolarum Auguſtini. nam poſterior illa, quam dixi, eum centeſimum trigeſimum quintum locum teneat, reſpondet tamen priori, quæ trigeſima ſeptima eſt. Præter iſtam Auguſtini epiſtolam ſunt aliæ duæ ad eundem Severum, 238. & 239.

Epiſt. 36. apud Auguſtinum.

Epiſt. 37. & 135.

Fortunatus Constantiniensis.] Fuit unus e ſeptem catholicis Epiſcopis, qui collationem contra Donatiſtas ſuſceperunt: ſitne autem Eccleſia Conſtantinienſis eadem quæ Cirtenſis, diſputant eruditi. Henricus Gravius, Lovanienſis Theologus, in annotationibus ad librum primum Auguſtini contra Creſconium, quatuor argumentis pugnat Cirtam non differre a Conſtantina, unamque civitatem, cum duo nomina geſtaret, modo uno, modo altero ſine diſcrimine appellatam fuiſſe. Primum argumentum ex eo ſumit, quod Fortunatus catholicus Petiliani Donatiſtæ adverſarius nunc Conſtantinienſis dicatur lib. 1. contra Petilianum cap. 1. & lib. 3. cap. 38. nunc Cirtenſis lib. de unico baptiſmo cap. 16. Secundum vero conficit, quod Silvanus quidam, cujus in cathedram, interjectis quibuſdam, Petilianus ſucceſſit, in civitate Conſtantinienſi tradiderit ſacra, lib. 1. contra Petilianum cap. 22. Factum vero iſtud dicatur Cirtæ, lib. 3. contra Petilianum cap. 58. & lib. 3. contra Creſconium cap. 27. & ſeqq. Tertium, Petilianus dicitur ab Auguſtino Conſtantinienſis, lib. 2. retractationum cap. 34. at idem ipſe citato libro 1. contra Creſconium Cirtenſis vocatur, nec duo tamen Petiliani fingi poſſunt. Poſtremum, Felix, qui Silvanum ad traditionem adegit, fuit curator Conſtantinienſis civitatis, epiſt. 165. at civitas illa dicitur Cirtenſis colonia, ſeu reſpublica lib. 3. contra Creſconium cap. 29. & lib. 4. cap. 56.

Quintum illud addi poteſt, quod in collatione nulla fiat mentio Cirtenſis Epiſcopi, ſed tantum Conſtantinienſis: contra vero in Notitia Epiſcoporum Numidiæ Conſtantinienſis nullus appellatur, ſed Cirtenſis ſolum. Cum ergo nec in illa nec in iſta prætermiſſus videatur civitatis tam celebris Epiſcopus, conſequens eſt ut una eademque civitas modo Conſtantina dicta ſit, modo Cirta.

Accedit quod Aurelius Victor in lib. de Cæſaribus Cirtam in Africa de nomine Conſtantini Conſtantiniam appellatam ſcribit, quodque etiamnum Conſtantina vocetur civitas, quæ eo loci eſt, quo olim Cirta.

Cogit me, licet reluctantem, tanta vis argumentorum aſſentiri Gravio, Pameliοque, quem ducem ſecutus eſt. Quanquam prima ratio qua utitur, omnino infirma eſt, ſiquidem Fortunatus ille Cirtenſis, quem memorat Auguſtinus lib. de unico baptiſmo cap. 16. diverſus eſt procul dubio a Fortunato, quem lib. 1. contra Petilianum cap. 1. & lib. 3. cap. 38. Conſtantinienſem vocat: ille enim Poſſidium dignitate epiſcopali præceſſit, iſte ſecutus eſt; Cirtenſis ſiquidem pauciſſimis annis, antequam Auguſtinus librum de unico baptiſmo ſcriberet, (ſcribebat vero ann. 407.) ſucceſſit Profuturo, cum tamen Poſſidius ante ann. 394. Epiſcopus eſſet. At Conſtantinienſis præcedebat Poſſidium, ut ex omnibus ſubſcriptionibus conſtat.

Possidius Calamensis.] Fuit & ipſe collatorum unus, imo individuus fere, quemadmodum & Alipius, Auguſtini in rebus Eccleſiæ agendis ſocius. Nam ann. 403. cum utroque interfuit concilio univerſali. Ann. 407. cum Auguſtino conſtitutus eſt ab Africana ſynodo judex in cauſa Maurentii Tuburſicenſis. Ann. 410. cum iiſdem venit ad Africanam ſynodum, cujus libera legatione contra Donatiſtas functus eſt cum Florentio, Præſidio, & Benenato. Ann. 411. cum iiſdem collationem ſuſcepit contra Donatiſtas. Ann. 419. fuit cum Alipio & Auguſtino provinciæ Numidiæ legatus, ad recognoſcendos canones, & ſubſcripſit ſynodicæ ad Bonifacium Papam. Vixit familiariter cum Auguſtino totos ferme quadraginta annos, ut ipſe ſcribit, adfuitque morienti ann. 430. Vitam demortui paulo poſt edidit, operumque indicem, qui varius variis in editionibus reperitur. Quantum temporis Auguſtino ſuperſtes vixerit, incompertum eſt. Calama porro civitas Conſtantinam inter & Hipponem ſita eſt, quamvis Hipponi vicinior, quemadmodum docet Auguſtinus.

In vita S. Auguſtini cap. 31.

Lib. 1. contra Petil. cap. 1.

Novatus Sinitensis.] Ita legitur in collatione. Sinitenſis autem Eccleſiæ meminit Auguſtinus epiſt. 128. quæ eſt ad Donatum: meminit pariter Notitia Epiſcoporum Numidiæ, in qua ſcribitur *Stephanus Sinitenſis* in exilium pulſus. Quæ porro fuerit, & ubi poſita civitas illa, incertum eſt, niſi quod ex Auguſtino colligi poteſt non procul ab urbe Hipponenſi abfuiſſe. An non idcirco putari poteſt eſſe Siniſtu colonia, cujus mentio fit apud Antoninum in itinere ab Hippone Carthaginem, diciturque Hippone diſtare III M. LXXX MM.

Secundus Ruspitensis.] Ita legitur in collatione. Pertinuiſſe vero Secundum cum ſua Eccleſia ad provinciam Numidiæ conſtat ex can. 100. cod. Africanæ Eccleſiæ, ubi dicitur electus a Maurentio pro uno judicum ſua in cauſa, apud primatem Numidiæ Xantippum. Nam alii omnes epiſcopi Numidæ ſunt, & judicium illud provinciale fuit.

Maurentius Tubursicensis.] Ita legitur in collatione. Ponitur vero Tuburſica colonia a Ptolemæo in Numidia, frequenſque eſt ipſius mentio apud Auguſtinum & alios rerum Africanarum ſcriptores. Can. 100. codicis Eccleſiæ Africanæ agitur de cauſa Maurentii Tuburſicenſis calumniam paſſi a Novogermanienſibus; quæ cauſa cum a Xantippo ſeniore provinciæ delata eſſet ad univerſale concilium, non comparentibus ad diem Novogermanienſibus, ſtatutum eſt a concilio, ut a delegatis judicibus Tuburſicæ cauſa finiretur. Cujuſmodi autem fuerit illa calumnia, incertum eſt: ſuſpicor litem fuiſſe de cura paſtorali, quam neglectam erga ſe Novogermanienſes quererentur, ex eoque tempore, id eſt, ab ann. 407. quo habitum eſt concilium hoc univerſale, aut non multo poſt, civitati Novogermanienſi ſuum fuiſſe ordinatum Epiſcopum, cum antea Tuburſicenſi ſubeſſet. Nam in Notitia Epiſcoporum Numidiæ recenſentur *Frumentius Tuburſicenſis*, & *Florentius Novogermanienſis*.

Leo Municipii Moptensis.] Ita legitur in collatio-

collatione. Eſt autem ſermo de Epiſcopo Municipienſi in Notitia Epiſcoporum Numidiæ, ubi ſcribitur *Victor Municipenſis* cum aliis auctus in exilium. Cavendum porro, ne quis propter cognationem nominum, Leonem hunc confundat cum alio, qui Moctenſem Eccleſiam rexit, adfuitque concilio plenario ann. 419. illa enim Eccleſia, quæ Moptenſis dicitur, ad Numidiam provinciam; iſta, quæ Moctenſis, ad Mauritaniam Sitifenſem pertinebat.

Faustinianus Tamugadensis.] Ita in collatione. Eſt autem, prope Theveſtam coloniam in Numidia, Thamugade civitas nota Auguſtino, Antonino, Plinio, Ptolemæo, & aliis: fit etiam mentio in Notitia Epiſcoporum Numidiæ de *Secundo Tamogadienſi*, qui periit priuſquam in locum exilii perveniret.

Cresconius Cuiculitanus.] Ita in collatione, ſcribendum forte Culcuitanus; eſt enim cognita non tantum Antonino, ſed etiam Ptolemæo Culcua colonia, media fere inter Cirtam, Simitu coloniam, Lares & Gauſaphnam. Certe in Notitia Epiſcoporum Numidiæ fit mentio *Victoris Cuiculitani*, & in concilio rebaptizantium ſeptuageſimo primo loco *Pudentianus a Cuiculi* ſententiam dicit. Quare vanas eſſe oportet eruditiſſimi Pamelii conjecturas in notis ad concilium rebaptizantium, quaſi idem fuerit Culuſitanus Epiſcopus, qui Cuiculitanus. nam in Notitia Epiſcoporum Africæ inter proconſulares Culuſitanus, inter Numidas Cuiculitanus recenſetur.

Malcnus Masculitanus.] Ita in collatione. Nota vero eſt Antonino Maſcula MM. M. LX. P. a Thebeſte diſtans euntibus ad Sitifenſem coloniam. Recenſetur etiam inter Epiſcopos Numidiæ *Januarianus Maſculitanus*, & meminit Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium cap. 27. Donati Maſculitani, qui in concilio Cirtenſi Donatiſtarum ann. 303. cui præfuit Secundus Tigiſitanus Numidiæ primas, confeſſus eſt ſe traditorem. Pertinet igitur Maſcula ad Numidiam: quare falli oportet ſua opinione Pamelium, ſive cum confeſſorem Clarum a Maſcula, qui in concilio rebaptizantium ſententiam dixit ſeptuageſimo nono loco, recenſet inter proconſulares Epiſcopos; ſive cum putat pro Maſcula reponendam Maxulam, quæ gemina eſt prope Carthaginem, vetus, & nova.

Littorius Suanensis.] Ita quidem in collatione, ſed forte legendum Sugunenſis. Ponitur enim ab Antonino in Numidia prope Cirtam Sugus: quanquam in Notitia Epiſcoporum Numidiæ fit mentio *Felicis Suabenſis* in exilium pulſi.

Fortunatus Casensicalanensis.] Ita in collatione: ſed cum plures ejuſdem nominis cenſeantur, dubium an Fortunatus noſter ſit hujuſce Eccleſiæ Epiſcopus. Certe in Numidia epiſcopatum geſſiſſe demonſtrat Notitia Epiſcoporum Numidiæ, cum meminit *Optantis Caſenſicalanenſis* in exilium pulſi.

Donatus Tieilitanus.] Legitur in collatione Tigilitanus, ſed procul dubio mendoſe; neque enim uſpiam mentio reperitur civitatis Tigilis. Reperitur quidem Tigis ſeu Tigiſi: ſed colonia fuit in Mauritania Cæſarienſi, non procul a mari, & prope Roſecurrum, ut eſt apud Antoninum. Reperitur & Tigiba ſeu Tigiſa colonia in Numidia, cujus Eccleſiam regebat famoſus ille Secundus Tigiſitanus Numidiæ primas, & ſchiſmatis in Africa auctor, cujuſque Epiſcopus *Solemnius* in collatione memoratur. Verum longe notior eſt Tibilitana civitas, ſive Aquæ Tibilitanæ, non procul Hippone, ubi fuiſſe Epiſcopum, & Auguſtinus teſtatur, & Notitia Epiſcoporum Numidiæ, cum illic *Projecti* meminit, iſta *Simplicis Tibilitani*.

Ponticanus.] Ignota ſedes, imo & ipſum forte corruptum nomen, videturque pro Ponticano, voce inſolente apud Afros, reſtitui debere Pontianus, quo nihil ibidem frequentius.

Saturnius.] Ignotæ ſedis, quemadmodum & Christonius, Honorius, & Lucius.

Adeodatus Bellalitensis.] Ita quidem in collatione appellatur Eccleſia, ſed in Notitia Numidiæ legitur Belliſalenſis. Ubi vero Numidiæ ſita fuerit ejuſmodi civitas, incompertum mihi eſt.

Processus.] Ignotæ ſedis.

Cresconius Centenariensis.] Ita legitur in collatione. Et vero in Notitia Epiſcoporum Numidiæ numeratur inter ejectos inde Epiſcopos *Florentius Centenarienſis*.

Secundus Magarmelitanus ſeu Aquensis.] Quem Magarmelitanum collatio dicit, Aquenſem præterea vocat Auguſtinus. Subſcripſit libello Leporii. Notitia Epiſcoporum Numidiæ *Julium Vagarmelitanum* habet, ſed apertum eſt primam literam corruptam eſſe.

Felix Villaregensis.] Etſi certum eſt, ex duobus ejuſdem nominis Epiſcopis Numidiæ, alterum fuiſſe Villaregenſem, alterum Tubienſem; dubium tamen uter utram Eccleſiam rexerit. Villaregenſis civitas nota eſt, tum ex Auguſtino, tum ex codice Africanæ Eccleſiæ, tum denique ex Notitia Epiſcoporum Numidiæ: nam iſta mentionem facit *Donati Villaregenſis*; canon 48. continet cauſam *Creſconii Villaregenſis*, qui cum Tubienſem Eccleſiam violenter invaſiſſet, relicta Villaregenſi, ſæpiuſque admonitus fuiſſet, contumaciter parere detrectaverat. Verum cum expoſtulatio facta fuerit ab Honorato & Urbano Mauritaniæ Sitifenſis legatis, conjicere poſſet aliquis, nec temere, utramque præfatam Eccleſiam ad hancce Mauritaniam pertinere. Sed cum Notitiæ auctor in contrarium ſentiat, vix ego poſſim conjecturam probare. quis enim Victore Uticenſi melius ſitum civitatum Africæ, Eccleſiarumque a ſuis rectorum ſociis diſtinctius noverit? Quare donec lux aliunde major affulgeat, Notitiæ adhærendum puto.

Asiaticus.] Incertæ ſedis, quemadmodum & Rufinianus.

Faustinus Sillitensis.] Ita in collatione: fit autem in Notitia Epiſcoporum Numidiæ mentio *Maximi Sillitani*, qui periit antequam ad locum exilii perveniſſet.

Servus dei burensis.] Ita pariter in collatione, niſi quod additur Tuburſicenſis Buræ. Verum in Notitia Epiſcoporum Numidiæ dicitur ſimpliciter *Leontius Burenſis*.

Terentius Seleuctanensis.] Ita in collatione: fit autem in Notitia Epiſcoporum Numidiæ mentio *Proficii Seleuctanenſis*, qui periit in via ad exilium. Periiſſe vero dicuntur in via ad locum exilii, id eſt, ad deſerta Maurorum loca, qui a Mauris, cum per ſe deficerentur viribus, pedibus tracti per aſpera ſaxorum vepriumque, miſere dilacerabantur, *Lib. 2. de perſec. Vandalica.*
ut eſt apud Victorem Uticenſem.

Cresconius de Castello Tituliano.] Legitur in collatione *Plebis Tituli*: ſed Notitia meminit *Victorini de Caſtello Tituliano* Epiſcopi Numidiæ. Monendum porro nunc, quoniam memini, vehementer eſſe probabile, Notitiam Epiſcoporum, qua tam ſæpe uſi ſumus, ſcriptam fuiſſe ab ipſomet Victore Uticenſi, qui tres libros de perſecutione Vandalica compoſuit. Nam utriuſque operis auctor de ſe loquitur, ut præſente; & Notitiæ quidem, cum recenſet Epiſcopos, qui ad deſerta pervenerunt: *Hic*, inquit, *relegati numero* CCCII. librorum vero, cum narrat periiſſe multos, qui a Mauris velut cadavera animalium mortuorum pedibus traherentur: *Numerum*, inquit, *non valuimus colligere, multitudine arctante*, &c. Et vero inter confeſſores proconſulares Victor Uticenſis memoratur: neque mirum, cum inter præſtantiſſimos Eccleſiæ Africanæ doctores ea tempeſtate eminuerit. Atque hinc quiſque ſatis perſpicit utrumque opus conjungendum, ſi quando Victoris hiſtoria edatur, tanquam alterum alterius ſupplementum & lumen. Meam porro conjecturam comperi poſtea comprobatam teſtimonio manuſcriptorum codicum, præferentium Victoris Uticenſis nomen Notitiæ inſcriptum.

Sperantius, vel, ut eſt in collatione, Speratus Ammadærensis.] Dubium mihi fuit, debeatne Eccleſia Ammadærenſis in Numidia cenſeri, an in provincia proconſulari, quamvis certum ſit ad

alterutram pertinere, etſi in neutrius Notitia iovenia-tur: verum cum prope abſit a Thebeſte colonia, ut eſt apud Antonium, Thebeſte vero, ut conſtat ex Notitia Epiſcoporum Numidiæ, civitas ſit Numidiæ; Ammadæra videtur Numidiæ quoque tribui debere, quantumvis repugnent vulgares tabulæ, profecto non exactiſſimæ. In concilio rebaptizantium *Eugenius ab Ammadæra* trigeſimo ſecundo loco ſententiam dixit, quem ad locum Pamelius nihil attulit in notis, alioquin eruditis, quod optatam lucem afferret. Affert aliquam Antonini Itinerarium, cum via, quæ Carthagine Cirtam ducit, ita deſcribitur: Unucam M. P. XXII. Sicillibram M. P. VII. Vallos M. P. XV. Coreva M. P. XV. Muſti M. P. XXVIII. Laribum coloniam M. P. XXX. Attieuros M. P. XVI. Ammadæram coloniam M. P. XXXII. Theveſte coloniam M. P. XXV. Altabam M. P. XVIII. Juſti M. P. XVIII. Mercimeri M. P. XXIV. Macomades M. P. XXIV. Sugus M. P. XXVIII. Cirtam coloniam M. P. XXV. Hinc enim patet Ammadæram tribuendam eſſe Numidiæ, ſiquidem media eſt inter Attieuros & Thebeſtem, quæ duæ civitates in iſta provincia exiſtunt.

QUAORATUS.] Incertæ ſedis: nam qui Gigitenſis dicitur in collatione, pertinet ad Mauritaniam Sitifenſem, ſi qua fides Notitiæ Mauritaniæ Sitifenſis, in qua cenſetur *Conſtantius Gegitanus*. Verom Victor Uticenſis meminit *Vincentii Gigitani*, qui fuit onus ex tribus Epiſcopis reliquis per provinciam proconſularem, & Zeugitanam, in qua tamen centum ſexaginta & quatuor oumerabantur ante Vandalorum irruptionem. *Lib. 1. de perſec. Vandalica.*

LUCILLUS.] Incertæ pariter ſedis, oiſi forte legi debeat Lucianus Guirenſis: nam bujus nominis aliquis in concilio, quod collationem præceſſit, ſubſcripſiſſe legitur. Fuit vero in provincia Numidiæ Guirenſis Epiſcopus; meminit enim Notitia *Martialis Guirenſis*.

SABINUS TUCCENSIS.] Tucca gemina eſt in Africa; altera in Mauritania Sitifenſi, ad Serpetem fluvium; altera in Numidia pene media, ut habent Ptolemaicæ tabulæ. De Numidiæ Epiſcopo intelligi debet collatio, quemadmodum per ſe apertum eſt, quantumvis in Notitia Epiſcoporum Africæ ſolius Sitifenſis fiat mentio. In concilio certe rebaptizantium utriuſque Tuccæ Epiſcopi ſententiam dixeruot; alter qui *confeſſor Saturninus* quinquageſimo ſecundo loco; alter qui *Honoratus* ſeptuageſimo ſeptimo.

FAUSTINUS SILLITANUS.] Ita in collatione legitur; in Notitia vero Numidiæ fit mentio *Maximi Sillitani*, qui periit in itinere ad exilium.

FAUSTINUS alter.] Vel bic, vel iſte, Sillitanus fuit; alteruter ignotæ ſedis.

CRESCONIUS TUBINIENSIS.] Com quinque Creſcooiorum nomina ſint inſcripta ſynodicæ, ſcire quidem poſſumus, quæ ab iis indefinite Eccleſiæ in Numidia rectæ fuerint; definire non poſſumus, quæ a ſingulis. Creſconius Tubinienſis aliquis appellatur in collatione, ponitur vero in Notitia Numidiæ *Reparatus Tubunenſis*.

VICTOR, GIGNANTIUS, ET POSSIDONIUS.] Incertæ ſedis.

ANTONIUS, forte ANTONIANUS LAMFORTENSIS, cujus mentio eſt in collatione.] Lamfortenſem porro Eccleſiam pertinuiſſe ad Numidiam, probat Notitia Epiſcoporum Numidiæ, cum recenſet inter confeſſores *Felicem Lamfortenſem*. Putat Ortelius, Lamfortenſe oppidum ab Ammiano reponi in Mauritania: verum repugnat Notitiæ quam dixi, niſi forte Ammianus Mauritaniæ nomine complexus eſt partes Numidiæ vicinas, quod non eſt admodum inſolens Romanis ſcriptoribus. Eo loci meminit Ortelius Carthaginenſis concilii, non alterius certe, quam quod ante collationem habitum eſt: meminit ibidem, ut alibi ſæpe, fragmenti Victoris Uticenſis, in quo fit mentio Lamfortenſis Epiſcopi. Hoc oportet non eſſe diverſum a Notitia, quam ſæpe laudavimus: quippe cum verbo NOVA ſeu ad NOVAS Ortelius plura referat propria Epiſcoporum nomina, quæ in Notitia leguntur. hoc fragmentum ait a Ludovico quodam Hallero ab Hallerſtein, & Victoris Uticenſis oomen prætuliſſe. *In theſauro geograp.*

INNOCENTIUS GERMANIENSIS.] Ita legitur in collatione. Eſt autem Germanienſis civitas in Numidia, ut conſtat ex Notitia: cenſetur enim inter confeſſores Numidas Epiſcopos *Creſcentianus Germanienſis*.

PRÆSIDIUS ET CRESCENTIUS.] Iocertæ ſedis.

FELIX TUBIENSIS.] Ita legitur io collatione. Tubienſem vero Eccleſiam non procul a Villaregenſi poſitam, atque adeo in Numidia collocandam, colligi poteſt ex can. 48. cod. Africanæ Eccleſiæ.

ANTONIUS FUSSALENSIS.] Ita quidem mihi videtur, quamvis nulla ipſius mentio in collatione fiat, forte quia nondum ordinatus fuerat. Fuſſalam non procul fuiſſe ab Hippone, diſcimus ex Auguſtino, qui prolixam bujuſce Antonii hiſtoriam narrat in epiſtola ad ſanctum Cæleſtinum. *Epiſt. 261.*

VICTOR.] Ignotæ perinde ſedis atque alter mox appellatus.

HONORATUS THABENNENSIS.] Non fit ipſius mentio in collatione, ſed neque aliorum plurium, quos ſcimus ea tempeſtate epiſcopatum geſſiſſe; nec id mirum, cum ne quarta quidem pars præſulum Carthagine congregatorum venerit a Numidia. Sed Thabennenſis Honorati meminit Poſſidius, imo & Auguſtinus: ille cum Auguſtinum ſcribit ab Honorato Thabennenſi conſultum, an liceret fugere Eccleſiarum paſtoribus, cum barbari irruerent: iſte in epiſtola, qua conſuleoti reſpondit, quæque eſt velut cygnea vox morientis inter Eccleſiarum totiuſque Africæ ruinas ſancti viri. Suſpicatur Ortelius Thabennam eamdem eſſe cum Thabba, quæ nota fuit Ptolemæo. Suſpicionem oon opinor levem. Cur autem Honoratum, qui Milevitano buicce concilio interfuit, Thabennenſem potius putem, quam *Mactarienſem* ſeu *Matarienſem*, qui recenſetur inter Epiſcopos in collatione, licet ipſe quoque ad Numidiam pertineat, perinde ac Thabennenſis, facit Thabennenſis ſanctitas, familiaritaſque cum Auguſtino, cujus impulſu ſynodus coacta eſt, & a quo, velut res ſua, propter fidei ſtudium, procurata, amicis, reor, non ſine invitatione prætermiſſis. *Vita Auguſt. cap. 30.*

DONATUS BURITANUS, ſeu BURCENSIS.] Ita in collatione. Ubi vero poſita fuerit Burca illa civitas, cujus Eccleſiam Donatus rexit, incertum eſt: nam Burca alia, quæ memoratur a Ptolemæo, ad Mauritaniam Cæſarienſem ſpectat; in Notitia tamen Epiſcoporum Numidiæ fit mentio *Leontii Burcenſis*.

PETRUS, PRÆSIDIUS ET CRESCONIUS.] Ignotæ ſedis.

LAMPAOTUS TISEOTTENSIS.] Ita quidem io collatione: at Tididitanus potius dici debet. Nam Notitia Numidarum Epiſcoporum meminit *Abundii Tididitani* qui periit in via ad exilium.

DELPHINUS.] Incerti nominis Eccleſiam rexit; vicinam tamen Conſtantinæ, ut colligitur ex capite 65. collationis, ubi Petilianus Donatiſta interlocutus: *In plebe mea*, inquit, *id eſt, in civitate Conſtantinenſi, adverſarium habeo Fortunatum; in medio autem diœceſis meæ nunc inſtitutum habeo, imo ipſi habent, nomine Delphinum*, &c. Meminit bujuſce Delphioi Auguſtinus, cum Marcellino ſcriberet his verbis: *Commendo etiam ego excellentiæ tuæ Eccleſiam in Numidia conſtitutam, propter cujus neceſſitates ſanctus frater & coepiſcopus meus Delphinus a fratribus & coepiſcopis meis ibi collaborantibus & compericlitantibus miſſus eſt. Nec de hac re plura ſcribo, cum ipſe a præſente ſis auditurus.* *Epiſt. 158.*

VI. SYNODUS

CARTHAGINE A QUINQUE EPISCOPIS, IISDEM CONSULIBUS,

eademque de cauſa, ſub finem ejuſdem anni habita.

Sexta ſynodus qui & conventus quinque Epiſcoporum Carthagine.

Commonit. cap. 13. num.

COGIT nos auctoritate ſua Marius Mercator ſextæ ſynodi loco ponere quinque Epiſcoporum, Aurelii, Alipii, Auguſtini, Evodii & Poſſidii, conventum Carthagine, de quo ſic loquitur: *Ut autem a ſanctæ recordationis Innocentio damnarentur,* (Pelagius & Cæleſtius) *talis extitit cauſa. Poſt Romanæ urbis vaſtationem, in Palæſtina degebat Pelagius. Inventi ſunt a quibuſdam ſtudioſis Epiſcopis libri ejus, in quibus multa & varia adverſus fidem catholicam conſcripta eſſe videntur. Hi cum literis in Africam Patribus & Epiſcopis miſſi ſunt, ubi tribus conciliis congregatis memorati lecti ſunt libri. Exinde relationibus Romam miſſis, ipſis quoque libris pariter deſtinatis, apoſtolica ſententia reſcribentis ad prædicta concilia emanavit, quæ eoſdem ipſos* (Cæleſtium Pelagiumque) *eccleſiaſtica communione privavit: quorum ſcriptorum exemplaria habemus in manibus.*

Explicatur mens Marii Mercatoris.

Nam cum nullum concilium, præter Carthaginenſe & Milevitanum, in aliis Africæ provinciis contractum legamus; vel in quo legi potuerint libri Pelagii, cum literis Erotis & Lazari ex Oriente ad Patres & Epiſcopos Africæ per Oroſium delati; vel cujus relationi Romam cum libris miſſæ reſpondens Innocentius Pelagium Cæleſtiumque eccleſiaſtica communione privaverit: fatendum eſt omnino unum de tribus conciliis a Mercatore memoratis fuiſſe conventum quinque Epiſcoporum, quippe cui apprime omnia conveniant, quæ nulli alteri. Nam & a quinque Epiſcopis lecti ſunt hæreticorum libri; & auditus Oroſius, qui geſta Dioſpoli narraret; & acceptæ a Gallicanis Epiſcopis ex Oriente literæ; & miſſi Romam libri, ſive qui Pelagii, *de natura*; ſive qui Auguſtini reſpondentis, *de natura & gratia*; & ad Innocentium ſcripta epiſtola; & ab eodem acceptum reſponſum, quo Pelagius damnaretur: quæ omnia conſtant, partim ex epiſtola Epiſcoporum ad Innocentium, partim ex Innocentii ad Epiſcopos reſponſione.

Cui favet Auguſtinus. Epiſt. 47.

Quid quod Auguſtinus Mario videtur favere, cum Valentino ejuſque monachis legendum præſcribit, *quod ſcriptum eſt ad Papam Innocentium Romanæ urbis Epiſcopum de concilio provinciæ Carthaginenſis, & de concilio Numidiæ, & aliquanto diligentius a quinque Epiſcopis, & quid ipſe ad tria iſta reſcripſit*, &c.

Et ratio aſtipulatur.

Neque vero hunc conventum Marius immerito donavit nomine concilii, quando conſtabat præſtantiſſimis totius Africæ, imo & Eccleſiæ occidentalis Patribus, Aurelio præſertim atque Auguſtino, quorum ille dux, iſte ingenium conciliorum a Proſpero dictus eſt. Certe Honorius Imperator cum ad Spoletinum concilium ex Africa ſanctiſſimos octo doctiſſimoſque Epiſcopos vocaret, ad omnes iſtos ſcripſit præterquam ad Poſſidium, quem forte noverat Auguſtini individuum comitem.

Carm. de ingrat. cap. 2. Baron. annal. ad ann. Chriſti 419. num. 22.

Cauſa conveniendi & ſcribendi ad S. Innocentium.

Cauſa vero, cur illi quinque convenerint, ſynodiciſque duarum provinciarum literis non contenti, alias præterea dederint ad ſummum Pontificem, eaſque longe prolixiores, quibus tota cauſa explanaretur, hæc, opinor, fuit. Jactabant Pelagianarum partium homines, non perinde Romæ atque in Africa de ſuis rebus judicari: ſuam doctrinam Innocentio perſuaſam fuiſſe: favere ſibi, cum præſtantiſſimis quibuſque clericis, Sixtum presbyterum magni nominis, clariſſimumque Eccleſiæ Romanæ lumen. Hæc & alia dicebant per mendacium quidem, ſed tamen ita artificioſe, atque audacter, ut apud ipſos quoque bonos, ſin minus certam fidem, ſaltem ſuſpicionem facerent non levem. Quare monendus viſus eſt ſummus Pontifex de calumnia improbe mentientium, imo & inſtruendus de re plenius, ne quid forte humanitus ſuper ea re pateretur, neve, quod multis contigerat, etiam præſtantibus, ut Paulino, & Severo Sulpitio, nimiam credulitatem hominibus in ſpeciem iis adhiberet, atque ita non ſatis animoſe paſtor bonus latentes ovium veſtimento lupos ab ovili Chriſti arceret.

DOMINO *beatiſſimo meritoque honorandiſſimo fratri Innocentio Papæ, Aurelius, Alipius, Auguſtinus, Evodius & Poſſidius ſalutem.*

De conciliis duobus provinciæ Carthaginenſis atque Numidiæ, ad tuam ſanctitatem a non parvo Epiſcoporum numero ſubſcriptas literas miſimus, contra inimicos gratiæ Chriſti, qui confidunt in virtute ſua, & creatori noſtro quodammodo dicunt; *Tu nos feciſti homines; juſtos autem ipſi nos fecimus.* qui naturam humanam ideo dicunt liberam, ne quærant liberatorem; ideo ſalvam, ut ſuperfluum judicent ſalvatorem. Tantum enim dicunt valentem, ut ſuis viribus in origine ſuæ creationis acceptis, poſſit per liberum arbitrium, nihil ulterius adjuvante illius gratia qui creavit, domare & extinguere omnes cupiditates tentationeſque
Pſal. 3. v. 3. ſuperare; multique eorum inſurgunt adverſum nos, & dicunt animæ noſtræ: *Non eſt ſalus*
2. Cor. 12. v. 10. *illi in Deo ejus.* Familia Chriſti quæ dicit: *Cum infirmor, tunc potens ſum*; & cui dicit
Pſal. 34. v. 3. Dominus ejus: *Salus tua ego ſum*; ſuſpenſo corde, cum timore & tremore, adjutorium Domini, etiam per caritatem tuæ venerationis, expectat.

Audivimus enim eſſe in urbe Roma, ubi ille diu vixit, nonnullos qui diverſis cauſis ei faveant; quidam ſcilicet, quia vos talia perſuaſiſſe perhibent; plures vero, qui eum talia ſentire non credunt, præſertim quia in Oriente ubi degit, geſta eccleſiaſtica facta eſſe jactantur, quibus putatur eſſe purgatus: ubi quidem ſi Epiſcopi eum catholicum pronuntiarunt, non ob aliud factum eſſe credendum eſt, niſi quia ſe dixit Dei gratiam confiteri, & ait poſſe hominem ſuo labore ac voluntate juſte vivere, ut ad hoc adjuvari Dei gratia non negaret. His enim auditis verbis, catholici antiſtites nullam Dei gratiam intelligere potuerunt, niſi quam in libris Dei legere, & populis Dei prædicare conſueverunt, eam utique de qua dicit
Gal. 2. v. 21. Apoſtolus: *Non irritam facio gratiam Dei.* Nam ſi per legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis

mor-

Digitized by Google

mortuus eſt; ſine dubio gratiam, qua juſtificamur ab iniquitate, & qua ſalvamur ab infirmitate, non qua creati ſumus cum propria voluntate. Nam ſi intellexiſſent Epiſcopi, eam illum dicere gratiam, quam etiam cum impiis habeamus, cum quibus homines ſumus, negare vero eam, qua chriſtiani & filii Dei ſumus, quis eum patienter catholicorum ſacerdotum, non dicimus, audiret, ſed ante oculos ſuos ferret? Quapropter non culpandi ſunt judices, quia eccleſiaſtica conſuetudine nomen gratiæ audierunt, neſcientes quod hujuſmodi homines, vel in ſuæ doctrinæ libris, vel in ſuorum ſolent auribus ſpargere.

Non agitur de uno Pelagio, qui jam fortaſſe correctus eſt, quod utinam ita ſit; ſed de tam multis, quibus loquaciter contendentibus, & infirmas atque ineruditas animas velut convictas trahentibus, firmas autem & in fide ſtabiles ipſa contentione fatigantibus, uſquequaque jam plena ſunt omnia. Aut ergo a tua veneratione acciendus eſt Romam, & diligenter interrogandus, quam dicat gratiam, qua fateatur, ſi tamen jam fateatur, ad non peccandum juſteque vivendum homines adjuvari. Aut hoc ipſum cum eo per literas agendum, & cum inventus fuerit hanc dicere, quam docet eccleſiaſtica & apoſtolica veritas, tunc ſine ullo ſcrupulo Eccleſiæ, ſine latibulo ambiguitatis ullius, abſolvendus eſt, tunc eſt revera de ejus purgatione gaudendum.

Sive enim gratiam dixerit eſſe liberum arbitrium, ſive gratiam eſſe remiſſionem peccatorum, ſive gratiam eſſe legis præceptum, nihil eorum dicit, quæ per ſubminiſtrationem
Tit. 3. v. 6. Spiritus ſancti pertinent ad concupiſcentias tentationeſque vincendas, quam *ditiſſime effu-*
Epheſ. 4. v. 8. *dit in nos, qui aſcendit in cœlum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus.* Hinc enim
oramus, ut peccatorum tentationem ſuperare poſſimus, ut ſpiritus Dei, unde pignus acce-
Matth. 6. v. 13. pimus, adjuvet infirmitatem noſtram. Qui autem orat & dicit: *Ne nos inferas in tentatio-*
nem; non utique id orat, ut homo ſit, quod eſt natura; neque id orat, ut habeat liberum arbitrium, quod jam accepit, cum crearetur ipſa natura; neque orat remiſſionem peccatorum, quia hoc ſuperius dicitur: *Dimitte nobis debita noſtra;* neque orat, ut accipiat mandatum. ſi enim in tentationem inductus fuerit, hoc eſt, in tentatione defecerit, facit utique peccatum, quod eſt contra mandatum. Orat ergo ut non peccet, hoc eſt, *ne quid*
2. Cor. 13. v. 7. *faciat mali*; quod pro Corinthiis orat Apoſtolus Paulus dicens: *Oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali.* Unde ſatis apparet quod ad non peccandum, id eſt, ad non male faciendum, quamvis eſſe non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus poteſtas non ſufficiat, niſi adjuvetur infirmitas. Ipſa igitur oratio clariſſima eſt gratiæ teſtificatio. Hanc ille confiteatur, & eum gaudebimus, ſive rectum, ſive correctum.

Diſtinguenda eſt lex & gratia. Lex jubere novit, gratia juvare. Nec lex juberet, niſi eſſet voluntas: nec gratia juvaret, ſi ſat eſſet voluntas. Jubetur, ut habeamus intellectum, ubi
Pſal. 31. v. 9. dicitur: *Nolite eſſe ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus.* Et tamen oramus, ut
Pſal. 118. v. 34. habeamus intellectum, ubi dicitur: *Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua.* Jube-
Jacob. 1. v. 5. tur, ut habeamus ſapientiam, ubi dicitur: *Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtu-*
let a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Jubetur, ut habea-
Sap. 8. v. 21. mus continentiam, ubi dicitur: *Cum ſcirem quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det, &*
hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire, cujus eſſet hoc donum, adii Dominum, & deprecatus ſum
eum. Poſtremo ne nimium longum ſit cuncta percurrere, jubetur, ut non faciamus malum,
Pſal. 36. v. 27. ubi dicitur: *Declina a malo.* Et tamen oratur, ut non faciamus malum, ubi dicitur: *Ora-*
mus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali. Jubetur, ut faciamus bonum, ubi dicitur:
Col. 1. v. 3. *Et fac bonum.* Et tamen oramus, ut faciamus bonum, ubi dicitur: *Non ceſſamus pro vobis orantes & poſtulantes.* Atque inter cætera pro illis orans dicit: *Ut ambuletis digne Deo in omne placitum, in omni opere & ſermone bono.* Sicut ergo agnoſcimus voluntatem, cum hæc præcipiuntur: ſic & ipſe agnoſcat gratiam, cum petuntur.

Miſimus reverentiæ tuæ librum, quem dederunt quidam religioſi & honeſti adoleſcentes ſervi Dei, quorum etiam nomina non tacemus, nam Timaſius & Jacobus vocantur: qui, ſicut audivimus, & jam noſſe dignaris, ipſius Pelagii exhortatione ſpem, quam habebant in ſæculo, reliquerunt, & nunc continenter Deo ſerviunt. Qui cum eodem errore tandem aliquando per qualemcunque operam noſtram, Domino inſpirante, caruiſſent, protulerunt eundem librum, Pelagii eſſe dicentes, & ut ei reſponderetur, impendio rogaverunt. Factum eſt, ad eoſdem reſcripta eſt ipſa reſponſio, agentes gratias reſcripſerunt. Utrumque miſimus, & cui reſponſum eſt, & quod reſponſum eſt. & ne nimium eſſemus oneroſi, ſigna fecimus his locis, ubi, petimus, inſpicere non graveris, quemadmodum ſibi objecta quæſtione, quod gratiam Dei negaret, ita reſpondit, ut eam eſſe non diceret niſi naturam, in qua nos condidit Deus.

Si autem hunc eſſe ſuum librum negat, aut eadem in libro loca, non contendimus: anathematizet illa, & illam confiteatur apertiſſime gratiam, quam doctrina chriſtiana demonſtrat, & prædicat eſſe propriam chriſtianorum: quæ non eſt natura, ſed qua ſanatur natura: non auribus ſonante doctrina, vel aliquo adjumento viſibili, ſicut plantatur quodammodo & irrigatur extrinſecus, ſed ſubminiſtratione ſpiritus, & occulta miſericordia, ſicut facit ille, qui dat incrementum, Deus.

Etſi enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati ſumus, ut non nihil eſſemus, (nec ita eſſemus aliquid, ut cadaver, quod non vivit, & arbor quæ non ſentit,

& pe-

& pecus quod non intelligit; ſed homines, qui & eſſemus, & viveremus, & ſentiremus,
& intelligeremus) & de hoc tanto beneficio creatori noſtro gratias agere debeamus: unde
merito & iſta gratia dici poteſt, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, ſed gratuita
Dei bonitate donata eſt; alia eſt tamen, qua prædeſtinati vocamur, juſtificamur, glorificamur,
ut dicere poſſimus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui filio ſuo proprio non pepercit,* Rom. 8. v. 31.
ſed pro nobis omnibus tradidit eum.

De hac gratia quæſtio vertebatur, quando ab iis, quos Pelagius graviter offendebat at-
que turbabat, dicebatur ei, quod eam ſuis diſputationibus oppugnaret, quibus aſſereret,
non ſolum ad facienda, verum etiam ad perficienda mandata divina per liberum arbitrium,
humanam ſibi ſufficere naturam. Hanc apoſtolica doctrina gratiam iſto nomine appellat,
qua ſalvamur & juſtificamur ex fide Chriſti. De hac ſcriptum eſt: *Non irritam facio gra-* Gal. 2. v. 21.
tiam Dei; nam ſi per legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. De hac ſcriptum eſt:
Evacuati eſtis in Chriſto, qui in lege juſtificamini, a gratia excidiſtis. De hac ſcriptum eſt: Ibid. 5. v. 4.
Si autem gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia non eſt gratia. De hac ſcriptum eſt: Rom. 11. v. 6.
Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum; Ibid. 4. v. 4.
ei autem, qui non operatur, credenti autem in eum qui juſtificat impium, reputatur fides &c.
ejus ad juſtitiam; & multa alia, quæ melius potes ipſe meminiſſe, & intelligere prudentius,
& illuſtrius prædicare. Illam vero gratiam, qua creati ſumus homines, etiamſi ita appel-
landam non immerito intelligimus, mirum eſt tamen, ſi ita appellatam in ullis legitimis
propheticis, evangelicis, apoſtoliciſque literis legimus.

Cum itaque de hac gratia chriſtianis fidelibus catholiciſque notiſſima, illi objiceretur quæſ-
tio, ut eam oppugnare deſineret, quid eſt, quod cum hæc ſibi in libro ſuo, velut adver-
ſante perſona, idem ipſe objeciſſet, ut ſe reſpondendo purgaret, nihil aliud reſpondit,
niſi naturam creati hominis referri gratiam creatoris, atque ita ſe dicere ſine peccato imple-
re poſſe juſtitiam per liberum arbitrium, cum adjutorio divinæ gratiæ, quod Deus hoc de-
derit homini ipſa poſſibilitate naturæ? Cui merito reſpondetur: *Ergo evacuatum eſt ſcan-* Gal. 5. v. 11.
dalum crucis, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Non enim ſi non moreretur propter delicta Ibid. 2. v. 21.
noſtra, & reſurgeret propter juſtificationem noſtram, nec aſcendens in altum captivans Pſal. 67. v. 19.
captivitatem daret dona hominibus, iſta naturæ poſſibilitas, quam defendit, in homini-
bus non eſſet.

An forte Dei mandatum deerat, & ideo Chriſtus mortuus eſt: imo jam & hoc erat ſan-
ctum & juſtum & bonum. Jam dictum fuerat: *Non concupiſces.* Jam dictum fuerat: *Di-* Exod. 20. v. 17.
liges proximum tuum tanquam te ipſum; in quo ſermone Apoſtolus omnem legem dicit Matth. 22. v. 39.
impleri. Et quoniam niſi diligat Deum, nemo diligit ſe ipſum, ideo Dominus in iis duo-
bus præceptis, totam legem prophetaſque dicit pendere. quæ duo præcepta jam erant ho-
minibus divinitùs data. An æternum præmium juſtitiæ promiſſum nondum erat? Hoc ip-
ſe non dicit, qui in ſuis literis poſuit, etiam in vetere teſtamento regnum cœlorum eſſe
promiſſum.

Si ergo, ad faciendam perficiendamque juſtitiam, jam erat naturæ poſſibilitas per libe-
rum arbitrium, jam erat legis Dei ſanctum & juſtum bonumque mandatum, jam erat pro-
miſſum præmium ſempiternum: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt: ergo neque per legem juſ-
titia, neque per naturæ poſſibilitatem, ſed ex fide & dono Dei, per JESUM CHRIS-
TUM Dominum noſtrum, unum mediatorem Dei & hominum: qui niſi in plenitudine
temporis mortuus eſſet propter delicta noſtra, & reſurrexiſſet propter juſtificationem noſ-
tram, profecto & antiquorum fides evacuaretur & noſtra: fide vero evacuata, quæ homi-
ni juſtitia remaneat, cum juſtus ex fide vivat.

Ex quo enim *per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors,* Rom. 5. v. 12.
& ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt, procul dubio a corpore mor-
tis hujus, ubi alia lex repugnat legi mentis, neminem liberavit, aut liberat ſua poſſibili-
tas, quæ perdita redemptore indiget, ſaucia ſalvatore; ſed gratia Dei per fidem unius me-
diatoris Dei & hominum, hominis CHRISTI JESU, qui & Deus cum eſſet, hominem
ſe fecit, & manens Deus homo factus, refecit ipſe quod fecit.

Puto autem quod non lateat, fidem Chriſti, quæ poſtea in revelationem venit, in oc-
culto fuiſſe temporibus Patrum noſtrorum, per quam tamen etiam ipſi Dei gratia liberati
ſunt, quicunque omnibus generis temporibus liberari potuerunt, occulto judicio Dei,
non tamen vituperabili. Unde dicit Apoſtolus: *Habentes autem ſpiritum fidei*, utique 2 Cor. 4. v. 13.
eundem quem & illi, *ſecundum quod ſcriptum eſt: Credidi, propter quod locutus ſum, & nos cre-*
dimus propter quod & loquimur. Inde eſt quod ait ipſe mediator: *Abraham pater veſter* Joan. 8. v. 56.
concupivit videre diem meum, & vidit, & gaviſus eſt. Inde Melchiſedech, prolato ſa- Gen. 14. v. 18.
cramento menſæ dominicæ, novit æternum ejus ſacerdotium figurare.

Jam vero data in literis lege, quam dicit Apoſtolus *ſubintraſſe ut abundaret delictum*, & Rom. 5. v. 20.
de qua dicit: *Si ergo ex lege hæreditas, jam non ex promiſſione. Abrahæ autem per repro-* Gal. 3. v. 18.
miſſionem donavit Deus. Quid autem lex? Tranſgreſſionis gratia propoſita eſt, donec veniret ſe- & ſeqq.
men, cui promiſſum eſt, diſpoſitum per angelos in manu mediatoris: mediator autem unius non
eſt, Deus autem unus eſt. Lex ergo adverſus promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex, quæ
poſſet vivificare, omnino ex lege eſſet juſtitia. Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut pro-
miſſio ex fide JESU CHRISTI *daretur credentibus.* Nonne ſatis oſtenditur, hoc actum eſſe

Rom. 4. v. 15. per legem, ut peccatum agnoſceretur, & prævaricatione augeretur; (*ubi enim lex non eſt,
nec prævaricatio*) & ſic adverſus victoriam peccati ad divinam gratiam, quæ in promiſſio-
nibus eſt, confugeretur? Atque ita lex non eſſet adverſus promiſſa Dei, quia ideo per illam
ſit cognitio peccati, & ex prævaricatione legis abundantia peccati, ut ad liberationem quæ-
rantur promiſſiones Dei, quod eſt gratia Dei, & incipiat eſſe in homine juſtitia, non ſua,
ſed Dei, hoc eſt, data dono Dei.

Rom. 10. v. 3. Quam etiam nunc quidam, ſicut tunc de Judæis dictum eſt: *Ignorantes Dei juſtitiam,
& ſuam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.* Per legem quippe & illi juſti-
ficari ſe arbitrantur, ſufficiente ſibi, ad eam cuſtodiendam, libero arbitrio, hoc eſt, juſtitia
ſua, prolata ex natura humana, non donata ex gratia divina, propter quod juſtitia Dei di-
Rom. 3. v. 21. citur. Unde item ſcriptum eſt: *Per legem enim cognitio peccati; nunc autem ſine lege ju-
ſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata per legem & prophetas.* Cum dicit, manifeſtata eſt,
oſtendit quia tunc erat: ſed tanquam illa pluvia, quam Gedeon impetravit, tunc velut in
vellere occulta, nunc autem velut in area manifeſtata. Cum ergo lex ſine gratia, non mors
1. Cor. 15. v. 56. peccati potuiſſet eſſe, ſed virtus, ſicut dictum eſt: *Aculeus mortis peccatum, virtus autem
peccati lex.* Sicut confugiunt multi a facie regnantis peccati ad gratiam, velut aream nunc
patentem; ita pauci ad eam confugiebant, velut in vellere tunc latentem. Hæc vero tem-
porum diſtributio refertur ad altitudinem divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, de qua dictum
Rom. 11. v. 33. eſt: *Quam inſcrutabilia judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Quapropter ſic & ante tem-
pus legis, & tempore ipſo legis, juſtos patres & ex fide viventes, non poſſibilitas naturæ in-
firmæ, & indignæ, ac vitiatæ, & ſub peccato venundatæ, ſed Dei gratia per fidem juſtificat,
& nunc eadem, in apertum jam veniens, revelata juſtificat.

Anathematizet ergo Pelagius ſcripta ſua, ubi contra eam, etſi non per contumaciam, tamen per ignorantiam diſputat, poſſibilitatem defendendo naturæ ad vincenda peccata, & implenda mandata; aut ſi ſua eſſe negat, aut ſcriptis ſuis ab inimicis ſuis dicit immiſſa, quæ ſua negat, anathematizet ea tamen & damnet, paterna exhortatione & auctoritate ſanctimoniæ tuæ, ſi vult oneroſum ſibi, & pernicioſum Eccleſiæ Dei, ſcandalum auferre: quod ſcandalum auditores, & in perverſum dilectores ejus uſquequaque ſpargere non quieſcunt. Si enim cognoverint eumdem librum, quem illius vel putant eſſe, vel norunt, Epiſcoporum catholicorum auctoritate, & maxime ſanctitatis tuæ, quam apud eum eſſe majoris ponderis minime dubitamus, ab eodem ipſo anathematizatum atque damnatum, non eos ulterius exiſtimamus auſuros, loquendo contra gratiam Dei, quæ revelara eſt per paſſionem & reſurrectionem Chriſti, pectora fidelia & ſimpliciter chriſtiana turbare: ſed potius, adjuvante miſericordia Domini, concertantibus nobiſcum caritate ac pietate flagrantibus orationibus tuis, non ſolum ut in æternum beati, verum etiam juſti & ſancti ſint, non in ſua virtute, ſed in eadem gratia confiſuros.

Unde & ad ipſum ſcriptam ab uno noſtrum epiſtolam, ad quem, per quemdam orientalem diaconum, civem autem Hipponenſem, tanquam purgationis ſuæ quædam ſcripta tranſmiſit, tuæ beatitudini potius credimus dirigendam, melius judicantes & petentes, ut eam ei mittere ipſe digneris. Sic enim eam legete potius non dedignabitur, magis in illa eum qui miſit, quam qui ſcripſit, attendens.

Illud vero quod dicunt, poſſe hominem eſſe ſine peccato, & mandata Dei facile cuſto-
dire, ſi velit, quamvis, cum hoc per adjutorium gratiæ, quæ tamen per incarnationem
unigeniti ejus revelata atque donata eſt, dicitur, tolerabilius dici videatur: tamen quo-
niam non immerito moveri poteſt, ubi & quando per eandem gratiam id efficiatur in
nobis, ut ſine ullo prorſus peccato ſimus; utrum in hac vita, quando caro concupiſcit ad-
1. Cor. 15. v. 55. verſus ſpiritum; an illa, cum fiet ſermo qui ſcriptus eſt: *Ubi eſt, mors, victoria tua? ubi
eſt, mors, aculeus tuus? Aculeus enim mortis eſt peccatum*; diligentius pertractandum
propter alios quoſdam, qui ſenſerunt, atque in ſuis literis memoriæ mandaverunt, etiam
in hac vita eſſe poſſe homines ſine peccato, non ab initio nativitatis ſuæ, ſed converſione a
peccatis ad juſtitiam, & vita reproba ad bonam vitam. Sic enim intellexerunt, quod de
Luc. 1. v. 6. Zacharia & Elizabeth ſcriptum eſt, ambulaſſe eos in omnibus juſtificationibus Domini ſine
querela. Hoc quod dictum eſt, ſine querela, ſine peccato dictum acceperunt: non
quidem negantes, imo etiam, quod aliis locis in literis eorum invenitur, pie confi-
tentes adjutorium gratiæ Domini noſtri, non per naturalem ſpiritum hominis, ſed
per principalem ſpiritum Dei, qui parum videntur conſideraſſe ipſum Zachariam fuiſſe
utique ſacerdotem. Omnes autem tunc ſacerdotes neceſſe habebant ex lege Dei primi-
tus pro peccatis ſuis offerre ſacrificium, deinde pro populo. Sicut nunc per orationis ſa-
crificium convincimur non eſſe ſine peccato, quoniam juſſi ſumus dicere :, *Dimitte nobis
debita noſtra*; ita & tunc per ſacrificia victimarum animalium convincebantur ſacerdotes
ſiue peccato non eſſe, qui pro ſuis peccatis jubebantur offerre. Quod ſi res ita ſe ha-
bet, ut per gratiam ſalvatoris proficiamus quidem in hac vita, deficiente cupiditate, creſ-
cente caritate; perficiamur autem in illa vita, cupiditate extincta, caritate completa:
1. Joan. 5. v. 18. profecto illud quod ſcriptum eſt: *Qui natus eſt ex Deo non peccat*; ſecundum ipſam
caritatem dictum eſt, quæ ſola non peccat. ad nativitatem quippe, quæ ex Deo eſt,
augenda & perficienda pertinet caritas, non ea, quæ minuenda eſt & conſumenda,
cupiditas: quæ tamen quandiu eſt in membris noſtris, lege quadam ſua repugnat legi
men-

mentis, ſed natus ex Deo, nec obediens deſideriis ejus, nec exhibens membra ſua arma iniquitatis peccato, poteſt dicere: *Jam non ego operor illud, ſed illud, quod habitat in me, peccatum.* *Rom. 7. v. 20.*

Sed quoquo modo ſe habeat iſta quæſtio, quia etſi non invenitur homo in hac vita ſine peccato, id tamen dicitur poſſe fieri per adjutorium gratiæ, & ſpiritus Dei. Quod ut fiat, conandum atque poſcendum eſt: tolerabiliter in id quiſque fallitur; nec diabolica impietas, ſed error humanus eſt, elaboranda & optanda affirmare, etiamſi quod affirmat, non poſſit oſtendere. Id enim credit fieri poſſe, quod certe laudabile eſt velle; nobis autem ſufficit quod nullus in Eccleſia Dei fidelium reperitur in quolibet profectu, excellentia, atque juſtitia, qui ſibi audeat dicere non neceſſariam precationem orationis dominicæ: *Dimitte nobis debita noſtra*; & dicat, ſe non habere peccatum: ne ſeipſum decipiat, & veritas in eo non ſit, quamvis jam ſine querela vivat; non enim qualecumque etiam tentationis humanæ, ſed grave peccatum eſt, quod in querelam venit.

Cætera, quæ illi objecta ſunt, ſicut geſtis defenſa perviderit, ita de his procul dubio tua beatitudo judicabit. Dabit ſane nobis veniam ſuavitas mitiſſima cordis tui, quod prolixiorem epiſtolam fortaſſis quam velles, tuæ miſimus ſanctitati. Non enim rivulum noſtrum tuo largo fonti augendo refundimus, ſed in hac non parva tentatione temporis, unde nos liberet, cui dicimus: *Ne nos inferas in tentationem*, utrum etiam noſter, licet exiguus, ex eodem, quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus, tuiſque reſcriptis de communi participatione unius gratiæ conſolari.

EPISTOLA, &c.] Obſervandum I. hujuſce epiſtolæ meminiſſe Poſſidium in Indiculo, ipſumque Auguſtinum lib. de peccato originali cap. 9. & epiſt. 47. ubi ita ſcribit: *Vobis dirigenda eſſe credidimus, quibus cognoſcatis, quemadmodum catholica Eccleſia in Dei miſericordia Pelagianæ hæreſis venena repulerit. quod nempe ſcriptum eſt ad Papam Innocentium Romanæ urbis Epiſcopum, de concilio provinciæ Carthaginenſis, & de concilio Numidiæ, & aliquanto diligentius a quinque Epiſcopis, & quæ ipſe ad tria iſta reſcripſit.* II. Eo conſilio quinque Epiſcopos ad ſummum Pontificem ſcripſiſſe, ut ſi quid præter veritatem perſuaſum haberet de Pelagii ſive perſona, ſive doctrina, id doceretur, quod e re catholica eſſet, ab eo perviderí. III. Hoc ſcripto contineri nonnulla primum hiſtorica, eaque non parvi momenti, deinde formam judicii de Pelagio a ſede apoſtolica inſtituendi, denique dogmatis diligentem tractationem. IV. Unum per ſe dogma differi, nimirum de gratiæ chriſtianæ differentia a natura ſeu libero arbitrio, & a lege atque remiſſione peccatorum: movebatur enim quæſtio de gratia, quæ interna ſit voluntati, eamque ad pie operandum, ac cupiditates vincendas inſtruat. V. Totam hanc epiſtolæ partem, qua dogma diſputatur, nihil aliud revera eſſe, quam compendium, aut ſuccum potius vel medullam libri ab Auguſtino compoſiti *de natura & gratia*, adverſus librum Pelagii *de natura.* (hæc duo opera ſimul ad Innocentium tranſmiſſa ſunt) VI. Sub finem attingi quæſtionem de impeccantia; & Ambroſium, cujus teſtimonio abuſus erat Pelagius, partim exponi, partim tacito nomine perſtringi, ne videlicet tanti nominis auctoritas apud incautos præjudicaret veritati.

HONORANDISSIMO FRATRI, &c.] Animadverte ſummum Pontificem hac in epiſtola, quemadmodum in ſynodica Carthaginenſi, aliiſque Africanis FRATREM dici, cum tamen in Milevitana vocetur PATER, ſicut & in aliis ab Auguſtino ad ſummos Pontifices ſcriptis ſive libris, ſive literis: cauſa eſt quod in prioribus ſynodicis ſubſcriptum eſſet nomen Aurelii Epiſcopi magnæ civitatis, id eſt, qui toti diœceſi Africæ præerat. Epiſcopi enim magnarum ejuſmodi civitatum Fratrum ſe nomine compellabant, cum ab aliis Patres nominarentur.

AURELIUS, ALIPIUS, &c.] Tres e Numidia numerantur, Alipius, Auguſtinus & Poſſidius; duo de provincia proconſulari, Aurelius & Evodius: de priorum trium, Aureliique Eccleſia ſeu civitate, dictum eſt antea: Evodius Uzalenſem Eccleſiam rexit. Ille nec collationi interfuiſſe legitur, neque concilio Carthaginenſi adverſus Pelagium & Cæleſtium, cum tamen foret eximiæ inter Africanos doctrinæ. Cauſa, cur collationi non interfuerit, non alia forte fuit, quam quod Donatiſtis implacabile ſui odium feciſſet, nolletque ipſe ſua præſentia furentium animos ita accendere, ut paci optatæ moram obicemque poneret. Cur autem abfuerit a provinciali concilio, pronum eſt cauſari, quod in illa turma, quæ circa tempus autumni ad ſolemnem ſynodum conventura eſſet, non cenſeretur. Quantus porro extiterit, quantæque famæ, partim ex Auguſtini ſcriptis, ubi frequens Evodii mentio: partim ex codice canonum Africanorum, in quo canone quidem 58. datur ipſi poteſtas providendi, cum aliis novemdecim Epiſcopis, Eccleſiæ Hipponis Diarryti; can. autem 93. decernitur legatio una cum Theaſio ad Imperatores contra Donatiſtas; canone tandem 108. injuriæ, quam paſſus eſſet a Donatiſtis, querela, per Reſtitutum & Florentium ad Imperatorem totius concilii Africani nomine delata eſt: partim denique ex libris quos conſcripſit, ſive de ſancti Stephani miraculis, quanquam ipſius magis ſtudio quam opere ſcriptos reor; ſive de fide contra Manichæos, quod opus, poſtquam diu Auguſtino tributum eſt, Sirmondus Evodio reſtituit; ſive de libero arbitrio ad monachos Adrumetinos, ut refert idem Sirmondus ex codice Trevirenſi. *Lib. de hæreſ. prædeſt. cap. 1.*

SE DIXIT GRATIAM DEI CONFITERI, &c.] Quæ Patres illi quinque proſequuntur paulo expreſſius, oportet ut didicerint vel ex Oroſio palam referente, quæ acta eſſent Dioſpoli, vel ex literis quas plures, cum ab Hieronymo, tum maxime a Gallicanis Epiſcopis acceperant. necdum enim geſta Dioſpolitanæ ſynodi in Africam venerant.

TIMASIUS ET JACOBUS DICUNTUR, &c.] Tota hæc adoleſcentum duorum, traditique ab iis Auguſtino libri, quem Pelagius de natura ſcripſerat, ejuſdemque ab Auguſtino refutati hiſtoria fuſius traditur in lib. de geſt. Palæſt. cap. 23. & ſeqq. atque etiam in epiſtola Auguſtini ad Joannem Hieroſolymitanum. *Epiſt. 252.* Fuerunt illi porro duo, adoleſcentes quidam laici ac monachi Siculi, quos Pelagius, cum Syracuſis verſaretur, a ſæculo quidem ad arctiorem vitam ſuis concionibus, ſed ſimul fraudibus in ſuam hæreſim traduxerat. Quod adoleſcentes fuerint, probat Auguſtini Julianique crebra compellatio; quod laici, indicat nomen filiorum, quo illos Auguſtinus vocat; quod monachi, demonſtrat convitium Juliani, *diſſolutos ex monachis adoleſcentes* dicentis; quod Siculi, inde apertum eſſe debet, quod a Pelagio præſente ſeducti ſint, olimque, ut aiunt, (ſcribebant ann. 416.) ab Auguſtino edocti. *Lib. 2. Auguſtini contra Julianum.* At ſeduci non potuerunt jam olim a Pelagio, niſi cum in Sicilia moraretur, cumque haberet ardentes illas exhortationes, quarum Auguſtinus meminit, librumque componeret *de natura*: nam hoc utrumque in Sicilia contigit.

SCRIPTAM AB UNO NOSTRUM EPISTOLAM,

&c.] Ab Auguſtino ſcilicet reſpondente literis, quas a Pelagio acceperat de purgatione ſua a Patribus Dioſpolitanis. Vide lib. de geſtis Palæſt. cap. 32. Hæc Auguſtini epiſtola interiit quidem, non magno tamen rei catholicæ damno, ſiquidem probabile eſt aliud nihil continuiſſe, quam quod hæc ſynodica; neque etiam Pelagio miſſa videtur, ſicut optabat Auguſtinus, propter obitum Innocentii Papæ, qui menſe Martio accidit, priuſquam mare aperiretur.

VII. SYNODUS
HABITA ROMÆ
ADVERSUS PELAGIUM ET CÆLESTIUM
AB INNOCENTIO I. HONORIO XI. ET CONSTANTIO II, COSS.
VI. Kal. Februarias, anno CCCCXVII.

Septima ſynodus quæ prima Romana.

Ex qua datæ tres epiſtolæ decretales quas immerito Eraſmus reprehendit.

TRIBUS acceptis ex Africa epiſtolis, ſynodum coegit Romæ ſanctus Innocentius, unde ad ſingulas Africæ ſynodos reſpondit ſingulis epiſtolis, quas decretales ipſe vocat. Omnes certe tanto Pontifice dignæ ſunt, quidquid effutierit Eraſmus; omnes plenæ apoſtolici ſpiritus, quo & jura ſedis Romanæ defenſa ſunt, & vera fides expoſita, & hæretici communione eccleſiaſtica privati, & redeuntibus ab errore paterna brachia expanſa, & impertiendæ abſolutionis, non tantum facta poteſtas Africanis Pontificibus, ſed etiam additum jubentis mandatum.

Anno Chriſti 417. die 27. Januarii.

Tempus ſynodi, quæ prima eſt Romana in cauſa Pelagianorum, aperte loquuntur epiſtolæ, ſiquidem conſignantur VI. Kal. Februarii, Honorio & Conſtantio coſſ. id eſt, die 27. Januarii, anno. Chriſti 417.

Probatur Innocentium ex ſynodo reſcripſiſſe

Lib. de ſcript. eccl. cap. 44.

Emendatus Gennadii locus.

Quod autem ex ſynodo Innocentius reſcripſerit, non videtur mihi dubium; id vero qui voluerit conficere ex his Gennadii verbis: *Innocentius urbis Romæ Epiſcopus ſcripſit decretum occidentalium Eccleſiarum & orientalium adverſus Pelagianos datum*; fruſtra profecto fuerit. Neque enim hæ voces, *occidentalium Eccleſiarum*, &c. ſignificant, quod tamen oporteret, ab occidentalibus Eccleſiis profectum decretum: alioquin collectum dici deberet univerſale Occidentis & Orientis concilium; quod prorſus alienum eſt ab omni fide. Deinde locus Gennadii aperto vitio laborat, caret enim hac voce, *Epiſcopis*, qua opus eſt: quaſi diceretur Innocentius ſcripſiſſe decretum occidentalium Eccleſiarum, & orientalium Epiſcopis datum.

Explicatus liber pontificalis.

De quo procul dubio in libro Pontificali legitur: *Hic conſtitutum fecit de omni Eccleſia*, id eſt, in omni Eccleſia obſervandum.

Conſuetudo ſummorum Pontificum religioſe obſervata in ſcribendis decretis ex ſynodo.

Satius eſt igitur ex eo probare, habitam fuiſſe ſynodum, quod Innocentius, ut erat obſervantiſſimus eccleſiaſtici moris, non aliam tenuerit in mittendo decreto regulam, quam qua hoc ſæculo ſummi Pontifices, ſive præceſſores, ſive ſucceſſores uſi ſunt: quibus nimirum ſolemne fuit, & vix non religioſum, decretales epiſtolas, de dogmatibus præſertim, nonniſi in concilio ſcribere, & inde in univerſum orbem mittere. Ita Siricius Himmerio Tarraconenſi, de non rebaptizandis Arianis; Mediolanenſi Eccleſiæ, adverſus Jovinianum; Africanis, de recipiendis Novatianis atque Montenſibus. Ita Anaſtaſius Joanni Hieroſolymitano, de Origenis erroribus, ac Rufino Aquilegienſi. Ita Zoſimus univerſis Epiſcopis, de condemnatione Pelagii & Cæleſtii. Ita Cæleſtinus Cyrillo & aliis, de Neſtorii impietate. Ita Sixtus Joanni Antiocheno & Orientalibus, de pace Eccleſiæ. Ita Leo Magnus Flaviano, adverſus Eutychen. Ita Hilarius Epiſcopis Tarraconenſis provinciæ, de illicitis ordinationibus. Ita denique Felix tertius Petro Fulloni Alexandrino, quem ob hæreſim depoſuit, & Zenoni Imperatori, cujus Henoticon improbavit.

Imo & in recipiendis Epiſcopis legatis. *In notis ad ſynod. Rom. ſub Bonifacio II.*

Quid quod Romani Pontifices, quod Lucas Holſtenius erudite monuit, in more poſitum habebant, Epiſcopos de rebus magni momenti ad ſe venientes e provinciis, & præſertim e conciliis, audire in cœtu, non tantum Urbici cleri, ſed etiam Epiſcoporum, ſive qui forent in urbe, ſive qui e vicinis locis evocarentur. Venerat autem Julius Epiſcopus ab Africanis conciliis, cum ſynodicis literis, de cauſa maxima, eaque dogmatica, ad Pontificem relaturus.

Damnati duo capitales errores Pelagianæ hæreſis.

Quid in hac ſynodo geſtum ſit, conſtat ex epiſtolis Innocentii. Damnati ſunt nimirum duo Pelagianorum errores, duoque catholica dogmata defenſa; alterum de neceſſitate gratiæ; alterum de infantium baptiſmo propter peccatum originale. Dictum anathema in errorum auctores ac ſequaces, niſi reſipiſcerent; oblata reſipiſcentibus indulgentia, præſcriptuſque indulgentiæ impertiendæ modus.

Damnationis ſententia ab omnibus recepta, ſumma cum reverentia.

Proſp. cont. coll. cap. 10.

Quis eventus fuerit, quamque ſanctum extiterit apud omnes Innocentii decretum, notum eſt, cum ex Auguſtino, qui pluribus in locis, ubi amat adhibere Innocentii verba ad convincendos Pelagianos, ipſumque in primis Julianum; quippe ab Innocentio ordinatum; tum ex Patribus Africanis *conſtituentibus in Pelagium & Cæleſtium, per venerabilem Epiſcopum Innocentium, de beatiſſimi Petri Apoſtoli ſede prolatam manere ſententiam*, &c. imo & ex ipſo Cæleſtio damnante, ut ſe catholicum probaret, omnia quæ ſibi objicerentur, ſecundum ſententiam ſancti Innocentii. & tandem ex Zoſimo Pontifice vehementer urgente Cæleſtium, ut conſentiret literis Innocentii, tanquam certæ fidei regulæ. Et vero Zoſimus ita religioſe deceſſoris veſtigia ſequutus eſt, ut quam ſcripſit ad univerſos orbis Epiſcopos epiſtolam, de condemnatione Pelagii & Cæleſtii, banc Gennadius videatur puram dicere Innocentiani decreti promulgationem.

Lib. de ſcript. cap. 43.

Præſertim ab Auguſtino.

Serm. 2. de verb. Apoſt.

Non ſine operæpretio animadvertes, lector, Auguſtinum poſt decretales Innocentii epiſtolas in Africam delatas, ſermonem, qui ſecundus dicitur *de verbis Apoſtoli*, habuiſſe magna ex parte adverſus Pelagianos, quos nonnulli verebantur ad eccleſiaſticum judicium trahere, eumque ita concluſiſſe, ut ſuam ſententiam ſincere aperiret de auctoritate ſedis apoſtolicæ: *Ubi tales inveneritis*, inquit, *occultare nolite. non ſit in vobis perverſa miſericordia. Prorſus ubi tales inveneritis, occultare nolite, redarguite contradicentes, & reſiſtentes ad nos perducite. Jam enim de hac cauſa duo concilia * miſſa ſunt ad ſedem apoſtolicam. inde etiam reſcripta venerunt.* CAUSA FINITA EST, UTINAM ALIQUANDO FINIATUR ERROR, &c.

* *forte miſerunt.*

Monitum magni momenti.

Animadvertes etiam, non ſine aliqua admiratione, vix

vix ullum reperiri ſummi Pontificis decretum, in quo jura ſedis apoſtolicæ in cauſis fidei, majoribuſque aliis tractandis, magnificentius extollantur; nec ullum tamen, non dicam majoribus, ſed neque paribus laudibus, parique religione ab Africanis acceptum: ut vel hoc uno ſatis Eccleſiæ Africanæ ſanctæ fidei arguat homines, qui ab ipſa ſibi ſubminiſtrari jactant artus, quibus ſedem apoſtolicam petant.

Sed jam repræſentandæ ſunt nobiles illæ decretales epiſtolæ puræ a mendis; quibus hactenus ita ſcatebant, ut legentibus vel faſtidium, vel ſui contemptum crearent. In his repurgandis uſi ſumus pluribus MM. SS. codicibus, ſed uno præſertim antiquiſſimo ſancti Germani de Pratis, cujus uſuram nobis conceſſit religioſiſſimus pariter ac eruditiſſimus Domnus Lucas Dacherius.

INNOCENTIUS *Aurelio, & omnibus ſanctis Epiſcopis, qui in concilio Carthaginenſis adfuerunt Eccleſiæ, dilectiſſimis fratribus in Domino S.*

IN requirendo his de rebus, quas omni cum ſollicitudine decet a ſacerdotibus, maxime vero a juſto & catholico tractari concilio, antiquæ traditionis exempla ſervaſtis, & eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, veſtræ religionis vigorem, non minus nunc in conſulendo, quam antea, cum pronunciaretis, vera ratione firmaſtis, ut qui de cauſa ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes, quid debeatur apoſtolicæ ſedi: nam omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideramus Apoſtolum, a quo ipſe epiſcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emerſit. *Laus Afrorum ob ſervatas antiquas traditiones.* *De referendis cauſis fidei ad ſedem apoſtolicam.*

Hunc ſequentes, tam mala condemnare novimus, quam probare laudanda; vel id vero, quod Patrum inſtituta ſacerdotali cuſtodientes officio, non cenſetis eſſe calcanda, quæ illi, non humana, ſed divina decrevere ſententia: ut quidquid in disjunctis remotiſque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad hujus ſedis notitiam perveniret, ubi tota hujus auctoritate, juſta quæ fuerit, pronuntiatio firmaretur. unde aquas ſumerent cæteræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte, a quo cunctæ procedunt, & per diverſas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manant; unde perciperet, quos abluere, quos veluti cœno inemundabili ſordidatos, mundis digna corporibus unda vitaret. *Unde in Eccleſias totius mundi procedit pura doctrina.*

Gratulor igitur, fratres cariſſimi, quod per fratrem & coëpiſcopum noſtrum Julium literas ad nos deſtinaſtis; &, cum pro illis curam geritis, quibus præſidetis Eccleſiis, ſollicitudinem veſtram pro omnium utilitate monſtratis, & per cunctas totius terrarum orbis Eccleſias, omnibus una quod proſit, decernendum eſſe depoſcitis; ut ſuis conſtabilita regulis Eccleſia, & pronuntiationis juſtæ firmata decretalibus, illos pavere non poſſit, qui perverſis inſtructi verborum argutiis, ſub imagine catholicæ fidei diſputant, ac velut peſtiferum exhalantes virus, ut hominum recte ſentientium in deteriorem partem corda corrumpant, totam veri dogmatis quærunt evertere diſciplinam. *Et decreta quibus hæretici comprimantur.*

Sanandum ergo celerius, ne longius excerandus animis morbus inſerpat: ſicut medicus, cum viderit, hujus terreni corporis aliquem eſſe languorem, magnum ſuæ artis æſtimat documentum, ſi cito quis, illius interventu, deſperatus non evadat. Sed cum putre vulnus aſpexerit, adhibet fomenta, vel cætera, quibus illud poſſit, quod natum fuerat, vulnus obduci; at ſi id manens, ſanari non potuerit, ne corpus reliquum ſua tabe corrumpat, ferro amputat, quod nocebat, ut quod reliquum integrum eſt, ſervet intactum. *Qui præcidendi a corpore Eccleſiæ, & quidem celerius.*

Præcidendum id ergo eſt, quod velut puro ſanoque nimium corpori vulnus, obrepſit; ne cum tardius abſtergitur, in ipſis pene viſceribus, hujus mali non exhaurienda poſt ſentina conſidat. *Ne poſtea vix poſſint.*

Nam quid nos de his poſthac rectum amentibus exiſtimemus, qui ſibi ſe putant debere, quod boni ſunt, nec illum conſiderant, cujus quotidie gratiam conſequuntur? Sed juſte iſti, qui tales ſunt; nullam Dei gratiam conſequentur, qui ſine illo tantum ſe aſſequi poſſe confidunt, quantum vix alii, qui ab illo poſtulant, & accipere promerentur. *Deſperari qui tollunt gratiam, qua ſanentur.*

Quid enim tam iniquum poteſt eſſe, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam religioſis mentibus inimicum, quam huic te negare debere, quidquid in quotidiana gratia conſequeris, cui te ipſe confiteris debere, quod natus es? Ergo eris tibi in providendo præſtantior, quam poteſt in te eſſe, qui te, ut eſſes, effecit: ſi huic putes debere, quod vivis, quomodo te non putas debere, quod, quotidianam ejus conſequendo gratiam, taliter vivis? Tu, qui nos adjutorio negas indigere divino, quaſi ex noſtra in totum poſſibilitate perfecti ſimus, dic quomodo vere adjutorium ejus in nos, cum tales a nobis etiam eſſe poſſimus, provocemus. *Refelluntur ſex argumentis.* *I. Quia inde homo habet, ut bonus ſit, unde habet, ut ſit.*

Eum qui adjutorium Dei negat, vellem rurſus interrogare, cur dicat nos id non promereri: an illum hoc non poſſe præſtare: an nihil eſſe, propter quod unuſquiſque hoc debeat poſtulare. Poſſe hoc Deum, opera ipſa teſtantur; & adjutorio quotidiano nos egere, negare non poſſumus. Hoc enim, ſi bene vivimus, precamur, ut melius ſanctiuſque vivamus: ſi prava ſentientes a bonis avertimur, ut ad rectam redeamus viam, ejus auxilio plus egemus. *II. Quia preces ſunt teſtes indigentiæ.*

Nam quid tam mortiferum, tam præceps videatur ad caſum, tam expoſitum ad omnia pericula, ſi hoc ſolum nobis putantes poſſe ſufficere, quod liberum arbitrium, cum naſceremur, accepimus, ultra jam a Domino nihil quæramus; id eſt, auctoris noſtri obliti, ejus potentiam, ut nos oſtendamus liberos, abjuremus: quaſi jam amplius, quod poſſit dare non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit; neſcienteſque, quod niſi magnis preci- *III. Quia ſenſus religionis ſuperbiæ adverſantium pugnat.*

80

bus gratia Dei in nos implorata deſcendat, nequicquam terrenæ labis & mundani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad reſiſtendum, non liberum arbitrium, ſed Dei ſolum facere poſſit auxilium?

IV. Idipſum docet auctoritas & exemplum prophetæ. Pſal. 16. v. 9.

David inclamat, adjutorio ſibi opus eſſe divino, qui digne hoc non quæreret, ſi liberum arbitrium plus prodeſſet, quippe cum vir beatus, & jam electus a Domino, nihil egeret; tamen ita Deum deprecatur poſtulans: *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me, Deus ſalutaris meus.* Nos nobis liberum arbitrium; ille Deum poſtulat adjutorem: quod nati ſumus, poſſe ſufficere nos dicimus; ille Deum, ne derelinquatur, exorat: nos dicimus manifeſte, ut quid oremus Deum? ille tantopere beatus, ut ſupra diximus, vir, ne deſpiciatur, exorat. Illi enim neceſſe eſt ita arguant, qui iſta confirmant.

David ergo orationis ignarus, & ſuæ naturæ neſcius accuſetur: qui cum ſciat, tantum in ſua ineſſe natura, adjutorem ſibi Deum, & aſſiduum adjutorem invocat. nec illi ſufficit aſſiduum invocare, ſed ne aliquando illum deſpiciat, orationibus pronus exoptat, & per corpus omne pſalterii, hoc & prædicat & clamat.

V. Imo & omnium ſanctorum.

Si ergo hoc illi tam magnum viſum ſit, ut aſſidue diceret: ita neceſſarium confeſſus ſit, ut nos doceret, quemadmodum Pelagius Cæleſtiuſque, ſepoſita omni reſponſione pſalmorum, talique abdicata doctrina, ſuaſuros ſe aliquibus eſſe confidunt, nos adjutorium Dei, nec debere quærere, nec egere, cum omnes ſancti, nihil ſe ſine boc agere poſſe, teſtentur.

VI. Docet pariter primi hominis lapſus.

Liberum enim arbitrium olim ille perpeſſus, dum ſuis inconſultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demerſus eſt, & nihil, quemadmodum exinde ſurgere poſſet, invenit; ſuaque in æternum libertate deceptus, hujus ruina jacuiſſet oppreſſus, niſi eum poſtea Chriſti per ſuam gratiam relevaſſet adventus: qui per novæ regenerationis purificationem, omne præteritum vitium ſui baptiſmatis lavacro purgavit; & ejus firmans ſtatum, quo rectius ſtabiliuſque procederet, tamen ſuam gratiam in poſterum non negavit.

Et reparatio per incarnationem.

Cujus fructus gratiæ adjutorium.

Nam quamvis redemiſſet hominem a præteritis ille peccatis, tamen ſciens iterum poſſe peccare, ad reparationem ſibi, quemadmodum poſſet illum, & poſt iſta, corrigere, multa ſervavit; atque quotidiana præſtat remedia, quibus niſi freti confiſique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Neceſſe eſt enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur. Sed poſſem plura dicere, niſi vos conſtaret cuncta dixiſſe.

Sententia Afrorum in hæreticos approbatur. * deeſt aliquid, hic nempe aut ſimile quiddam: Pelagium igitur & Cæleſtium, quos auctores nefarii prorſus, & ab omnibus anathematizandi erroris advertiſtis, juſta ſententia damnaſtis: nec illi, &c. Executioni mandanda.

Quiſquis ergo huic aſſentiens videtur eſſe ſententiæ, qua dicat, adjutorio nobis non opus eſſe divino, inimicum ſe catholicæ fidei, & Dei beneficiis profitetur ingratum *: nec illi noſtra communione ſunt digni, quam prædicando taliter polluerunt. ipſi enim ſua ſponte, dum ſequuntur illa quæ dicuntur, longius a vera religione refugerunt. Cum enim hoc totum in noſtra profeſſione conſiſtat, quotidianiſque precibus nihil agamus, niſi quemadmodum Dei miſeridiam conſequimur, quemadmodum ferre poſſimus iſta jactantes?

Quis, rogo, tantus illorum pectora error obcæcat, ut ſi ipſi nullam gratiam ſentiunt, (quia nec digni ſunt, nec merentur) nec de aliis conſiderent, quid quotidie ſingulis gratia divina largiatur? Sunt quidem iſti omni cæcitate digniſſimi, qui nec hoc ſibi reliquerunt, ut ſe auxilio credant revocari ab erroribus poſſe divino: negantes enim adjutorium, non aliis, ſed ſibi, hoc penitus abſtulerunt.

Quare avellendi ſunt longius, & ab Eccleſiæ procul removendi viſceribus, ne diutius multa occupans, inſanabilis poſt error increſcat. Si enim diu fuerint in hac impunitate verſati, neceſſe eſt, multos in hanc ſuæ pravitatem mentis inducant, decipiantque innocentes, vel potius imprudentes, qui fidem catholicam nunc ſequuntur. putabunt enim eos recte ſentire, quos adhuc viderint in Eccleſia perdurare.

Ejectis ex Eccleſia hominibus noxiis.

Separetur ergo a ſano corpore vulnus inſanum, remotoque morbi ſævientis afflatu, cautius, quæ ſunt ſincera, perdurent, & grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur. Sit totius corporis illibata perfectio, quam vos ſequi & tenere, hac in illos pronuntiatione cognovimus, & una vobiſcum pari aſſenſione ſervamus.

Qui tamen recipiendi, ſi reſipiſcant.

Qui ſi tamen aliquod in ſe Dei adjutorium, quod hucuſque negaverunt, provocaverint, & opus ſibi ejus auxilium eſſe cognoverint, ut de hac labe, in qua ſui cordis incurvatione corruerant, liberentur, quaſi in lucem de fœda tracti caligine, remotis abdicatiſque omnibus, quibus totus, ne verum aſpiceret, fœdabatur & caligabat aſpectus, damnent hæc, quæ hucuſque ſenſerunt; & aliquando animum rectis diſputationibus commodantes, ab hac aliquantulum labe correcti, veris ſe ſanandos conciliis tribuant, atque ſubmittant.

Facta Epiſcopis poteſtate ſolvendi a cenſura apoſtolica.

Quod ſi fecerint, erit in poteſtate Pontificum, iſtis aliquatenus ſubvenire, & talibus aliquam curam præſtare vulneribus, quam ſolet lapſis, cum reſipuerint, Eccleſia non negare: ut a ſuis revocati præcipitiis, intra ovile Domini reducantur, & ne foris poſiti, & tanto præſidio fidæ munitionis excluſi, periculis omnibus exponantur, devorandi utique luporum dentibus atque vexandi, quibus obſiſtere hac, qua illos in ſe irritaverunt, doctrinæ perverſitate non poſſunt.

Epilogus quo Afrorum doctrina commendatur.

Sed ſatis veſtris monitis, & ſic ſatis abundantibus noſtræ legis exemplis probatur eſſe reſponſum; nec quicquam ſupereſſe duximus, quod dicamus, cum nihil prætermiſſum a vobis, nihil conſtet eſſe ſuppreſſum, quo illi refutati & penitus cognoſcantur eſſe convicti; ideoque a nobis teſtimonia nulla ponuntur, quia & his plena relatio eſt, & ſatis conſtat, tot doctiſſimos ſacerdotes cuncta dixiſſe, nec decet credere, vos aliquid, quod ad cauſam poſſit proficere, præteriiſſe.

Et

Et alia manu. Bene valete, fratres. VI. Kal. Februarii, poſt Theodoſii VII. & Junii Quarti Palladii conſulatum; *vel ut habent alii codices*, Honorio XI. & Conſtantio II. coſſ.

INNOCENTIUS *Silvano ſeni, Valentino, & cæteris, qui in Milevitana ſynodo interfuerunt, dilectiſſimis fratribus in Domino ſalutem.*

INTER cæteras Romanæ Eccleſiæ curas, & apoſtolicæ ſedis occupationes, quibus diverſorum conſulta fideli ac non modica diſceptatione tractamus, frater & coëpiſcopus noſter Julius, dilectionis veſtræ literas, quas ex Milevitano concilio, cura fidei propenſiore, miſiſtis, mihi peroptanter ingeſſit, Carthaginenſis etiam ſynodi querelæ parilis ſcripta ſubjungens.

Exordium aliteris per Julium a Milevitana ſynodo miſſis.

Nimirum exultat Eccleſia, tantam ſollicitudinem commiſſis gregibus exhibere paſtores, ut non ſolum ex his non patiantur errare; ſed ſi quas ovium obſcœnæ delectationis herba ſeduxit, aut ſegregare penitus velint, ſi in errore permanſerint; aut illicenter dudum petita vitantes, cuſtodiæ priſtinæ circumſpectione tutari. in utraque parte videlicet conſulentes, ne vel ſuſcipiendo tales, ſimili cæteræ ducantur exemplo; vel ſpernendo redeuntes, luporum morſibus videantur ingeſtæ.

Et a laude Patrum propter paſtoralem curam.

Prudens admodum & catholicæ fidei plena conſolatio! Quis enim aut tolerare poſſit errantem, aut non recipere corrigentem? Nam ut durum arbitror, conniventiam præbere peccantibus, ita impium judico, manum negare converſis.

Diligenter ergo, & congrue apoſtolico conſulitis honori, (honori, inquam, illius, quem præter illa quæ ſunt extrinſecus, ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum) ſuper anxiis rebus, quæ ſit tenenda ſententia, requirentes, antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper ab orbe mecum noſtis eſſe ſervatam. Verum hæc miſſa facio, neque enim hoc veſtram credo latere prudentiam. Cur id enim actione firmaſtis, niſi ſcientes, quod per omnes provincias de apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent?

Et obſervantiam erga ſedem apoſtolicam, ad quam referunt de cauſa fidei.

Præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres & coëpiſcopos noſtros, nonniſi ad Petrum, id eſt, ad ſui nominis & honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſet omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe: fiant enim neceſſe eſt cautiores inventores malorum, cum ad duplicis relationem ſynodi, ſententiæ noſtræ ſtatutis viderint ſe ab eccleſiaſtica communione ſejunctos.

Secuti omnium Epiſcoporum ſententiam.

Gemino igitur bono caritas veſtra fruetur: nam & canonum potiemini gratia ſervatorum, & beneficio veſtro totus orbis utetur. Quis enim catholicorum virorum cum adverſariis Chriſti velit ulterius miſcere ſermonem? quis ſaltem ipſam lucem vitæ communione partiri?

Geminum inde bonum in relatores redundans.

Novæ hæreſeos nimirum fugiantur auctores. quid enim acerbius in Deum fingere potuerunt, quam cum adjutoria divina caſſarent, cauſamque divinæ, id eſt, quotidianæ precationis auferrent, hoc etiam dicerent: Quid mihi opus Deo? Merito in hos dicat hymnidicus: *Ecce homines qui non poſuerunt Deum adjutorem ſibi.* Negantes ergo auxilium Dei inquiunt, hominem ſibi poſſe ſufficere, nec gratia hunc egere divina, qua privatus, neceſſe eſt diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mandata, ſola tantummodo libertate contendit.

Refelluntur hæretici, quia preces auferunt.
Pſal. 51. v. 9.

O praviſſimarum mentium perverſa doctrina! Adverte tandem, quod primum hominem ita libertas ipſa decepit, ut dum indulgentius frænis ejus utitur, in prævaricationem præſumptione conciderit; nec ex hac potuerit erui, niſi ei, providentia regenerationis, ſtatum priſtinæ libertatis Chriſti Domini reformaſſet adventus. Audi David dicentem: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*; &: *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me, Deus ſalutaris meus.* Quæ incaſſum dixit, ſi totum in ejus erat poſitum voluntate, quod a Domino flebili ſermone poſcebat.

Atque incarnationis fructum.
Pſal. 123. v. 8. & 26. v. 9.

Quæ cum ita ſint, cumque in omnibus divinis paginis voluntati liberæ, nihil niſi adjutorium Dei, legamus eſſe nectendum, eamque nihil poſſe cœleſtibus auxiliis deſtitutam; quonam modo huic ſoli poſſibilitatem hanc pertinaciter, ut aſſeritis, defendentes, ſibimet, imo, quod eſt dignius dolore, communiter plurimis, Pelagius Cæleſtiuſque perſuadent?

Sacriſque paginis pugnant.

Multifariis equidem, ad deſtruendum tale magiſterium, uti poſſemus exemplis, niſi ſciremus ſanctitatem veſtram ad plenum ſcripturas omnes callere divinas: præſertim cum veſtra relatio tantis ac talibus teſtimoniis ſit referta, ut his ſolis valeat præſens dogma reſcindi: opuſque non eſſe reconditis, cum ex iis, quæ facile vobis occurrentia poſuiſtis, nec audeant obviare, nec poſſint. Ergone Dei gratiam conantur auferre, quam neceſſe eſt, etiam reſtituta nobis ſtatus priſtini libertate, quæramus? quippe nefarias diaboli machinas nonniſi eadem poſſumus juvante vitare.

Laus Numidarum propter doctrinam.

Illud vero, quod eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam ſine baptiſmatis gratia, poſſe donari, perfatuum eſt: *Niſi enim manducaverint carnem Filii hominis, & biberint ſanguinem ejus, non habebunt vitam in ſemetipſis.* Qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum baptiſmum velle caſſare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur nonniſi baptiſmate conferendum. Si ergo nihil volunt officere, non renaſci fateantur neceſſe eſt, nec regenerationis ſacra fluenta prodeſ-

Refutantur hæretici, quod baptiſmum parvulorum.
Joan. 6. v. 53.

Luc. 18. v. 16.

prodeſſe. Verum ut ſuperfluorum hominum prava doctrina celeri veritatis poſſit ratione diſcindi, proclamat hoc Dominus in evangelio, dicens: *Sinite infantes venire ad me, & nolite eos prohibere, talium eſt enim regnum cælorum.*

Excommunicantur hæretici donec reſipiſcant.
2 Tim. 2. v. 25.
Ibid. v. 26.
Gal. 5. v. 12.

Quare Pelagium Cæleſtiumque, id eſt, inventores vocum novarum, quæ, ſicut dixit Apoſtolus, *ædificationis nihilum, ſed magis vaniſſimas conſueverunt parere quæſtiones*, eccleſiaſtica communione privari, apoſtolici vigoris auctoritate cenſemus, *donec reſipiſcant de diaboli laqueis, a quo captivi tenentur, ſecundum ipſius voluntatem*; eoſque interim dominico ovili non recipi, quod ipſi, perverſæ viæ ſecuti tramitem, deſerere voluerunt: *Abſcindendi ſunt enim qui vos conturbant, & volunt convertere evangelium Chriſti.*

Recipiendi, ſi reſipiſcant.
Rom. 1. v. 32.

Simul autem præcipimus, ut quicunque id pertinacia ſimili defenſare nituntur, par eos vindicta conſtringat: *Non ſolum enim digni ſunt morte qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*; quia non multum intereſſe arbirror inter committentis animum, & conſentientis favorem. Addo amplius, plerumque dediſcit errare, cui nemo conſentit.

Iterata ſententia excommunicationis.

Hæc igitur, fratres cariſſimi, in ſupradictos maneat fixa ſententia. Abſint atriis Domini: caveat cuſtodia paſtoralis, ne duarum ovium dira contagia ſerpant forſitan per vulgus incautum, rapacique lupus corde lætetur, intra ovile dominicum tantas ovium fuſas catervas, dum a cuſtodibus diſſimulanter habetur vulnus duarum. Proſpiciendum eſt ergo, ne permittendo lupos, mercenarii magis videamur eſſe quam paſtores.

Iteratum recipiendi pœnitentes præceptum.
Ezech. 33. v. 11.
2. Petri 3. v. 9.

Jubemus tamen, quoniam Chriſtus Dominus propria voluntate ſignificavit, *nolle ſe mortem morientis, tantum ut revertatur & vivat*; ſi unquam ſani, depoſito pravi dogmatis errore, reſipuerint, damnarintque ea, quorum ſeipſi prævaricatione damnarunt, eis medicinam ſolitam, id eſt, receptaculum ſuum ab Eccleſia non negari: ne dum eos redeuntes forſitan prohibemus, oves extra ovile remanentes, expectantis hoſtis faucibus glutiantur, quas in ſemetipſas ſpiculis malæ diſputationis armavit. Bene valete. Datum VI. Kal. Febr. Honorio XI. & Conſtantio II. coſſ.

INNOCENTIUS *Aurelio, Alipio, Auguſtino, Evodio, Poſſidio Epiſcopis ſalutem.*

Exordium a literis quæ gratæ acciderunt.

FRATERNITATIS veſtræ literas plenas fidei, totoque religionis catholicæ vigore firmatas, & alias a duobus miſſas conciliis, per fratrem & coëpiſcopum noſtrum Julium, pergrato ſuſcepimus animo, quod earum tenor omniſque contextio eſt in conſideratione quotidianæ gratiæ Dei, & in eorum correctione, qui contra ſentiunt, integra relatio ita conſiſtit, ut & illis omnem tollere poſſit errorem, & idoneum cuivis; dato noſtræ legis exemplo, quem ſequi debeat, dignum poſſit præbere doctorem.

Satis hactenus diſputatum cum hæreticis.

Sed de his jam ſatis, ut opinor, ſupra diximus, cum veſtris relationibus reſpondentes reſcripſimus, quid vel de illorum perfidia, vel de veſtra ſententia ſentiremus. Sed ſubinde contra eos ſubvenit, & ſuppeditat quod dicatur; nec poteſt aliquando deeſſe, quod vincat, cum tam miſerum impiumque ſit, quod noſtræ fidei virtute, & ipſa plenius veritate vincatur: qui enim omnem vitæ ſpem reſpuit, atque contempſit, inimica damnabilique cor ſuum diſputatione confundit, cum credit nihil eſſe, quod a Deo accipiat, nec aliquid ſupereſſe, quod petat: ad ſanandum ſe, qui ſibi hoc abſtulit, ulterius quid relinquit?

Conſulendum iis, quos deceperint.

Si ergo ſunt aliqui, quos in ſui defenſionem perverſitas tanta devinxerit, quique huic ſe dogmati dedant, atque conjungant, ſperantes hoc ad catholicam pertinere doctrinam, quod abhorrens longius & penitus approbatur adverſum: illi infecti iſtorum monitis, & verbis, ut laberentur, inducti, quatenus ad rectum viæ tramitem redeant, feſtinabunt; nec diutius mentem obſidens, velut eorum ſenſibus paſtus, error invadet.

Quique audita Pelagii damnatione facile corrigentur.

Nam ſi Pelagius, quocunque reſtitit loco, eorum animos, qui facile vel ſimpliciter crediderunt diſputanti, hac affirmatione decepit: ſeu hac illi in urbe ſint, (quod neſcientes, nec manifeſtare poſſumus, nec negare: cum etſi ſunt, lateant; nec aliquando audeant, vel illum prædicantem iſta defendere, vel talia, aliquo noſtrorum præſente, jactare; & in tanta populi multitudine, nec deprehendi aliquis facile, nec ubi lateat, poſſit agnoſci) ſive in quovis terrarum loco degant, Dei noſtri miſericordia gratiaque credimus, quod facile corrigantur, audita ejus damnatione, qui fuerit pertinax, & reſiſtens hujus dogmatis auctor inventus: nec intereſt ubi iſti fuerint, cum, ubicunque inveniri potuerint, ſint ſanandi.

Pelagius vero non videtur purgatus ut oportet in Oriente.

Nobis tamen vix perſuaderi poteſt, eum eſſe purgatum, quamvis ad nos a noſtris quibuſdam laicis ſint geſta perlata, quibus ille auditum ſe crederet & abſolutum: quæ utrum vera ſint, dubitamus, quod ſub nulla illius proſecutione innotuerint, nec eorum aliquas acceperimus de hac re literas, apud quos iſtius rei iſte præſtitit cauſas. Quod ſi de ſua ille potuiſſet purgatione confidere, hoc magis, credimus, egiſſet, quod multo melius eſſe potuerat, ut illos cogeret epiſtolis ſuis, quod judicaverant, more eccleſiaſtico indicare. Verum cum ſint aliqua in ipſis poſita geſtis, quæ objecta, partim ille vitando ſuppreſſit, partim, multa in ſe verba retorquendo, tota obſcuritate confudit, aliqua, magis falſis argumentis quam vera ratione purgavit negando, alia falſa interpretatione vertendo, ne ad tempus quidem potuerit videri abſolutus.

Cum de veritate geſtorum non conſtet.

Sed utinam, quod optandum magis eſt, etiam ſe ille ad veram fidei viam ab illo ſui tramitis errore convertat, & cupiat velitque purgari, conſiderans quotidianam Dei gratiam, adju-

adjutoriumque cognoſcens, ut videatur vere, & approbetur ab omnibus manifeſta ratione correctus, non geſtorum indicio, ſed ad catholicam fidem corde converſo.

Unde non poſſumus illorum, nec culpare, nec approbare judicium, cum neſciamus, utrum vera ſint geſta; aut ſi vera ſunt, illum conſtet magis ſubterfugiſſe, quam ſe tota veritate purgaſſe.

Quod ſi vere converſus ſit, non eſt, cur Romam advocetur.

Quod ſi confidit, novitque, non noſtra dignum ſe eſſe damnatione, quod dicat, jam totum hoc ſe refutare, quod dixerat; non a nobis acceſſiri, ſed ipſe debet potius feſtinare, ut poſſit abſolvi. Nam ſi adhuc taliter ſentit, quomodo ſe noſtro judicio, quibuſvis acceptis literis, cum ſe ſciat damnandum eſſe, committet? Quod ſi accerſendus eſſet, ab iis melius fieret, qui magis proximi & non longo terrarum ſpatio videntur eſſe disjuncti. Sed non deerit cura, ſi medicinæ præbeat ille materiam. Poteſt enim damnare quæ ſenſerat, ac datis literis, erroris ſui, ut regreſſum ad nos decet, veniam poſtulare.

Cum literis poſſit veniam petere.

Liber Pelagii *de natura* damnatur.

Librum ſane, qui ejus eſſe diceretur, nobis a veſtra caritate tranſmiſſum evolvimus: in quo multa blaſphema, nihil quod placeret, nihil quod non penitus diſpliceret, & a quovis damnandum atque calcandum non eſſet: cui ſimilia, niſi qui iſta ſcripſerat, nemo alter in mentem reciperet, atque ſentiret.

Epilogus a laude Epiſcoporum propter doctrinam.

Nam hoc loco latius de lege diſputare, velut coram poſito repugnanteque Pelagio, neceſſarium eſſe non duximus, cum vobiſcum totum ſcientibus, parique nobiſcum aſſenſione gaudentibus colloquamur. Tunc enim melius hæc exempla ponuntur, quando cum iis, quos harum conſtat rerum imprudentes eſſe, tractamus: nam de naturæ poſſibilitate, de libero arbitrio, & de omni Dei & quotidiana gratia, cui non ſit recte ſentienti, uberrimum diſputare?

Præſcribitur modus agendi cum iis quos Pelagius decepit.

Anathematizet ergo iſte, quæ ſenſit, ut illi, qui ejus ſermonibus fuerant, præceptiſque collapſi, quid tandem habeat fides vera, cognoſcant. Facilius enim revocari poterunt, cum iſta a ſuo ſenſerint auctore damnari. Quod ſi ille pertinaciter in hac voluerit impietate perſiſtere, agendum eſt qualiter vel iis poſſit ſubveniri, quos non ſcelus huc, ſed magis error induxit: ne & illis hæc medicina pereat, cujus iſte talem non admittit, nec poſtulat curam. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi. Datum VI. Kal. Febr. Honorio XI. & Conſtantio II. coſſ.

VIII. SYNODUS

AB ATTICO CONSTANTINOPOLI CONGREGATA

ADVERSUS CÆLESTIUM

iiſdem conſulibus, anno CCCCXVII.

Octava ſynodus quæ prima Conſtantinopolitana in cauſa Pelagianorum.

SUPER ſolius Cæleſtii nomine, ut loquebantur veteres, habita eſt ab Attico ſynodus octava, quæ prima Conſtantinopolitana in cauſa hæreſis Pelagianæ. De hac breviter Auguſtinus: *Ubique*, inquit, *diffuſus Chriſti exercitus debellavit apud Carthaginem Cæleſtium, quando ipſe non eram. & rurſus Conſtantinopolitani longe a regionibus Africanis*, &c.

Hujus meminit Auguſtin. *Lib. 3. cont. Julian. cap. 1.*

Et Mar. Mercator. *Cap. 1. Commonit. num. 4.*

Fuſius Mercator: *Inde poſt aliquantos annos ſub ſanctæ memoriæ Attico Epiſcopo urbem Conſtantinopolitanam petiit: ubi in ſimilibus detectus, magno ſtudio ſancti illius viri, ex prædicta alma urbe detruſus eſt, literis ſuper ejus nomine, & in Aſiam, & Theſſalonicam, & Carthaginem ad Epiſcopos miſſis, quarum exemplaria habentes proferre ſumus parati. Prædictus tamen Cæleſtius etiam hinc ejectus ad urbem Romanam, ſub ſanctæ memoriæ Zoſimo Epiſcopo, tota feſtinatione perrexit*, &c.

Verum tria vocari poſſunt in quæſtionem. Primum, an Atticus revera ſynodum habuerit, aut ſolummodo privatum judicium. Alterum, quo tempore habuerit. Poſtremum, an hujus ſynodi mentionem fecerit, vel Proſper in carmine de Ingratis, vel ſanctus Cæleſtinus in epiſtola ad Neſtorium.

Sed poſtremum iſtud opportunius poſtea ſolvetur in partem negativam.

Temporis ratio.

Ad ſecundum manifeſte ſatis, ut opinor, reſpondet Mercator: *Prædictus tamen Cæleſtius hinc* (Conſtantinopoli) *ejectus, ad urbem Romanam tota feſtinatione perrexit*. Ex his enim liquido patet, Cæleſtinum Conſtantinopoli Romam, ineunte pontificatum Zoſimo, confugiſſe. Inivit autem pontificatum Zoſimus ann. 417. menſe Martio, ut demonſtravimus in notis ad Commonitorium, poſuitque non exiguum tempus in examinanda Cæleſtii cauſa, quam tandem abſolvit ann. 418. circiter Maium. Si qua igitur ſynodus celebrata ſit Conſtantinopoli, unde fugiens Cæleſtius tota feſtinatione perrexit Romam, cum jam teneret ſedem apoſtolicam Zoſimus, celebratam oportet anno 1. pontificatus Zoſimi, id eſt, ann. Chriſti 417.

Vere ſynodus fuit, & non tantum privatum judicium.

Non minus aperte ſolvit primum dubium idem auctor, ubi tradit, ſuper Cæleſtii nomine literas ab Attico miſſas, & in Aſiam, & Theſſalonicam, & Carthaginem ad Epiſcopos. Neque enim ea tempeſtate moris erat, mitti denunciatorias tractorias ab ullo Epiſcopo, ad majores ſedes, integraſque diœceſes, cujuſmodi erat vel Aſia, vel Macedonia, vel Africa, niſi ex concilio, in quo juxta canones quiſpiam damnatus eſſet, damnationiſque ſententia toti, quatenus intererat, Eccleſiæ nuntiaretur.

Neceſſaria in hanc rem animadverſio.

Moris illius, imo legis, admodum neceſſaria eſt animadverſio: neque enim mediocriter conducit ad hiſtoriam eccleſiaſticam illuſtrandam, ponendumque, ſicubi oportet, inter privatas, & ſynodicas epiſtolas diſcrimen. Exempla vero, quibus hæc conſuetudo aſſeritur, videre licet apud Lucam Holſtenium in notis ad Romanam ſynodum paulo antea memoratis.

Periit ſynodica ad majores ſedes directa.

Synodicas literas majoribus ſedibus miſſas, quibus vel acta continebantur, vel ſaltem actorum breviatio, habuit præ manibus Mercator, tunc cum ſuum Commonitorium offerret: utinam ad nos cum actis tranſmiſiſſet, ut alia tanſmiſit bene multa, quæ non majori operæ pretio congeſſit! magna procul dubio hiſtoriæ Pelagianæ lux hinc fieret.

IX. SYNODUS

ROMÆ A ZOSIMO CELEBRATA

IN CAUSA CÆLESTII

HONORIO XI. ET CONSTANTIO II. COSS.

circiter menſem Septembrem, anno Chriſti CCCCXVII.

Nona ſynodus quæ ſecunda Romana.

NONAM ſynodum, quæ fuit altera Romana, Zoſimus in baſilica Clementis, flagitante Cæleſtio, celebravit anno ſui pontificatus primo, Chriſti 417. circa initium Septembris, ut quam tardiſſime. Hæc omnia, partim ex literis Zoſimi ad Africanos conſtant, partim ex Auguſtino Marioque Mercatore, & aliis ejuſdem ævi ſcriptoribus: ſunt tamen enucleatius explicanda.

Lib. 7. de concord. ſacerdotii & imperii cap. 6. num. 5.

Quod cœtum Epiſcoporum habuerit ſummus Pontifex, & non tantum privatum judicium, facile conficeretur, ſi verum eſſet, quod ſcriptum reliquit illuſtriſſimus Marca, Archiepiſcopus Pariſienſis, appellationem ſcilicet in cauſa fidei, non tam ad ſedem apoſtolicam, quam ad ſynodum Romanam, factam olim fuiſſe: cauſa enim Cæleſtii, cum ſpectaret ad fidem, debuiſſet ab eo judicio, quod appellatum fuerat, diſceptari. Sed ut ſuam de Eutychete ſententiam idoneis teſtimoniis vir doctiſſimus comprobaverit, de Cæleſtio tamen Pelagioque, imo & Theodoreto, vix ulli fidem faciat, niſi admodum credulo, cum antiqui ſcriptores tale quiddam ne indicaverint quidem.

Non fuit tantum privatum judicium, ſed vere ſynodus, ut probat Paulinus diaconus.
In libell. ad Zoſim. apud Bar. in annal. ad ann. 418.
Lib. 2. ad Boniſ. cap. 3.
Commonit. cap. 1. num. 5. Marius Mercator.
Ibidem.

Satius eſt igitur aliunde argumenta conquirere, quæ probent quod contendimus. Probant vero primum verba hæc Paulini diaconi: *Contra quæ etiam magiſter ſuus litigat Pelagius, qui illa ipſa damnavit in judicio orientali, quæ ipſe* IN SEDIS APOSTOLICÆ COETU *conatur aſtruere.* Iſta enim de priore, quod Zoſimus inſtituerit, judicio intelligi debere, ex eo patet, quod poſteriori Cæleſtius non interfuerit, ſed deſperata cauſa *ſubduxerit ſe & negaverit examini*, ut loquitur Auguſtinus; vel, ut ait Mercator, *non ſolum non adfuerit, ſed etiam ex urbe Romana profugerit.* Probant deinde, quæ ſcribit Mercator omnino pertinentia ad poſterius judicium: *Vocatus ad audientiam pleniorem, ut quæ promiſerat* (in priore) *feſtinaret implere*, &c. Quid enim eſt audientia plenior, quam cœtus priore aliquo frequentior? Quamquam priorem frequentem fuiſſe, multorumque Epiſcoporum, indicat non obſcure Zoſimus, cum ait, *ſe non Cæleſtium tantum, ſed etiam quoſcumque, qui eo tempore ex diverſis regionibus aderant, ſacerdotes admonuiſſe*, &c. probat etiam locus habiti cœtus, baſilica nimirum ſancti Clementis. neque enim aliis negotiis, quam ſacris, id eſt, conciliis, inſerviebant templa. Vide Holſtenii notas ad ſynodum Romanam ſub Bonifacio II. Probant denique voces ACTORUM GESTORUMQUE, quibus non tantum Zoſimus, ſed etiam Auguſtinus utitur, cum de hoc ipſo judicio loquitur.

Zoſimus Pontifex.
Epiſt. 1. ad Africanos.
Locus in quo conſeſſum eſt.
Voces actorum, geſtorum, &c.
Lib. 2. ad Boniſ. cap. 3.

Qui convenerint.
Loco mox citato.

Ex verbis autem Auguſtini manifeſte conficitur, hunc cœtum fuiſſe, non tantum aliquot Epiſcoporum, ut indicat Zoſimus, ſed etiam totius cleri Romani. Sic enim ait: *Quin etiam Romanos clericos arguunt, ſcribentes eos juſſionis terrore percuſſos, non erubuiſſe prævaricationis crimen admittere, ut contra* PRIOREM SENTENTIAM, *qua geſtis catholico dogmati affuerant, poſtea pronuntiarent, malam hominum eſſe naturam*, &c. Et paulo poſt: *Tot enim & tantis inter apoſtolicam ſedem & Afros Epiſcopos currentibus & recurrentibus ſcriptis eccleſiaſticis, etiam geſtis de hac cauſa apud illam ſedem Cæleſtio præſente & reſpondente confectis*, &c.

Quis locus & quæ cauſa conveniendi.
Epiſt. cit.

De loco & cauſa aperte loquitur Zoſimus: *Cæleſtius presbyter noſtro ſe ingeſſit examini, expetens ea, quæ de ſe apoſtolicæ ſedi, aliter quam oportuit, eſſent inculcata, purgari*, &c. *Die cognitionis reſedimus in ſancti Clementis baſilica*, &c.

Quæ ratio temporis.

Quod pertinet ad tempus, annus quidem ex prioribus Zoſimi literis ad Africanos, menſis vero ex poſterioribus cognoſcitur. Illæ enim conſignatæ ſunt Honorio XI. & Flavio Conſtantio coſſ. qui fuit annus Chriſti 417. & primus Zoſimi: iſtæ XI. Kal. Octob. Nam cum ſecutæ ſint primas ex ſynodo miſſas, nec tamen ſtatim, ſiquidem interjectæ fuerint *crebræ Cæleſtii profeſſiones*; par eſt credere primas circa finem Auguſti aut initium Septembris ſcriptas fuiſſe, atque ita tunc temporis habitam ſynodum.

De alio conſeſſu, in quo lecta Pelagii confeſſio.

Jam vero ſcribit Pontifex, epiſtolam libellumque Pelagii, & literas a Praylio ad Innocentium miſſas in gratiam Pelagii, recitatas fuiſſe publice in alio conſeſſu, *auditaſque tanto omnium gaudio, ut lacrymæ nonnullis præ affectu effluerent, plures admiratio teneret, tales etiam abſolutæ fidei infamari potuiſſe.* Tum addit ea, ex quibus poſtmodum, moroſioribus quibuſdam non ſatis optimi Pontificis humaniorem *oikonomian* probantibus, viſus eſt & accuſari merito potuiſſe, & vix ab Auguſtino idonee defendi. Vide quæ annotavimus ad caput primum Commonitorii Marii Mercatoris.

Ad ann. Chriſti 417. num. 19. & ſeqq.

Verum cum id fere totum, quod hactenus retulimus, depromptum ſit ex literis Zoſimi ad Africanos, quas, etſi Baronius ex Vaticanis monumentis acceptas retulit, vir tamen eruditus Marcus Antonius Capellus e Franciſcana familia rejicit, perinde ac ſi a Pelagianis fictæ eſſent, ad faciendam ſancto Pontifici & Africanis Patribus invidiam; cum ipſo diſputare ſuper ea re, locus & tempus jubet: ſed literæ prius afferendæ pro actis ſynodi, & illæ quidem longe emendatiores, quam in annalibus legantur.

ZOSIMUS *Aurelio & univerſis Epiſcopis per Africam conſtitutis, dilectiſſimis fratribus in Domino ſalutem.*

Sedis apoſtolicæ auctoritas, & pacis ſtudium, atque caritas.

MAGNUM pondus examinis magna deſiderant, ut non ſit rebus ipſis, quæ geruntur, inferior libra judicii. His accedit apoſtolicæ ſedis auctoritas, cui in honorem beatiſſimi Petri Patrum decreta peculiarem quamdam ſanxere reverentiam. Orandum igitur, & inceſſanter orandum, ut continua gratia, perennique adjutorio Dei, ex hoc fonte in totum

totum orbem pax fidei & catholicæ ſocietatis, nullis nubibus interfuſcata, mittatur: *Caritas enim, quæ*, ſicut ſcriptum eſt, *Deus eſt*, perfecta plenitudinis abundantia gratulatur, ſi, cum aliquid ſuſpicionis habuerit, vel fidei intentio ſollicita, vel in longum producta contentio, id vera emendatione corrigitur.

1. Joan. 4. v. 8.

Cæleſtius presbyter noſtro ſe ingeſſit examini, expetens ea, quæ de ſe apoſtolicæ ſedi aliter quam oportuit, eſſent inculcata, purgari. Et licet multæ occupationes majoribus vinculis eccleſiaſticorum negotiorum curam noſtram, ſollicitudinemque diſtraherent: tamen ne fraternitatis veſtræ de adventu ac diſcuſſione prædicti diutius penderet expectatio, poſthabitis omnibus, die cognitionis reſedimus in ſancti Clementis baſilica, (quippe qui imbutus beati Petri Apoſtoli diſciplinis, tali magiſterio veteres emendaſſet errores, tantoſque profectus habuiſſet, ut fidem, quam didicerat & docuerat, etiam martyrio conſecraret,) ſcilicet ut ad ſalutiferam caſtigationem, tanti ſacerdotis auctoritas præſenti cognitioni eſſet exemplo.

Cæleſtius ſiſtit ſe ſedis apoſtolicæ judicio.

Quod habetur in baſilica S. Clementis.

Omnia igitur, quæ prius fuerant acta, diſcuſſimus, ſicut geſtorum huic epiſtolæ cohærentium inſtructione diſcetis. Intromiſſo Cæleſtio, libellum ejus, quem dederat, fecimus recitari: nec hoc contenti, utrum hæc quæ ſcripſiſſet, corde loqueretur, an labiis, ſæpenumero exploravimus. (cum de occultis animorum rebus Dei noſtri poſſit eſſe judicium, cui non tantum cogitata, ſed cogitanda etiam præſto ſunt) Quid voces ejus contineant, compendioſius duximus, a ſanctitate veſtra legendo cognoſci.

Acta priſtina diſcutiuntur.

Unum ſane movet nos, ut cum in præſenti ibi Cæleſtium habueritis, nihil liquido actum ſit. Ad literas Erotis & Lazari, priori relatione deſtinatas, equidem ob fervorem fidei, præfeſtinatum eſſe, promptiſſimum eſt. Sed cum de his interrogaretur, aſſeruit nullum ſibi de talibus contentionibus unquam cum antedictis fuiſſe ſermonem; nec ante ſibi, quam de ſe ſcriberent, viſu fuiſſe compertos; Lazarum ſane in tranſitu cognitum, Erotem vero, etiam ſatisfactione interpoſita, quod ſecus de ignoto & abſente ſenſiſſet, cum gratia receſſiſſe. Tam caduca, ac nulla fundamina accuſationis ignotæ cum eſſent, procul dubio iræ fuit, ut de perſona talium, quæ tam ventoſa & levis ex ſe erat, non quæreretur, ſi ſaltem illis loci ſui ratio vitæque conſtaret, ut fides abſentibus in abſentes debuerit adhiberi, tantumque pondus in literis eſſet, ut auctoritatem teſtimonii mererentur.

Legitur Cæleſtii libellus.

Et ipſe reſpondere cogitur.

Afri nimiæ credulitatis arguuntur erga Erotem & Lazarum.

Patuit hos inobſervatis ordinationibus, plebe cleroque contradicente, ignotos, alienigenas, intra Gallias ſacerdotia vendicaſſe, quibus ſeipſi propria abdicavere ſententia; noſque, licet & alia, tamen eorum de ſe pœnitudinem ſecuti, ſacerdotali eos loco & omni communione ſubmovimus. Satis urget cauſam, a talibus proceſſiſſe, per literas & abſentes ejus accuſationem, qui ſe præſens tuetur, qui exponit fidem, qui provocat accuſantem.

Homines ignotos & communione privatos.

Nunquam piguit in melius retorſiſſe judicium. Adoleſcens & ſancti Spiritus executor, Suſannam ſeniorum falſitate damnatam invenit innocentem: reducitur a ſuppliciis caſta per puerum, quæ per grandævos fingitur impudica. Non ergo omni, ſicut cautum eſt, ſpiritui credendum: ſed diu attentius examinandum eſt, præſertim de fide hominis, ubi ſtatus ejus & vita perpetua eſt. Nec Salomonem fefellit, in puerperii rixa, mentis indago: non enim ſtatim, duabus feminis inter ſe jurgantibus, unum pignus induxit, ſed ibi arbiter fidem cunctabundus invenit, ubi veræ pietatis intellexit affectum; perquam rarum ſit, ut longa & caſtigata cunctatio non ad veri cubile perveniat. Optimæ mentis indicium eſt, prava difficilius credere: nam plerique, quorum de ſe bonæ confeſſioni pigrius adhibetur fides, in illius erroris abruptum neceſſitate coguntur, & irremediabile vulnus efficitur, quod deſperatur ſanari.

Non præcipitandum Romæ judicium, ut factum in Africa.

Unde in præſenti cauſa nihil præcox immaturumque cenſuimus, ſed voluimus innoteſcere ſanctitati veſtræ, ſuper abſoluta Cæleſtii fide, noſtrum examen: cui etiam prior libellus, ab eo intra Africam datus, teſtimonio apud vos eſſe debuiſſet, ne inexploratis famaque jactatis tam facile crederetur. Quare intra ſecundum menſem aut veniant, qui præſentem redarguant aliter ſentire, quam libellis & confeſſione contexuit; aut nihil, poſt hæc tam aperta & manifeſta quæ protulit, dubii ſanctitas veſtra reſediſſe cognoſcat.

Sed differendum poſt ſecundum menſem.

Quo tempore niſi veniant qui præſentes accuſent, abſolvendus Cæleſtius.

Ipſum ſane Cæleſtium, & quoſcumque qui eo tempore ex diverſis regionibus aderant ſacerdotes, admonui, has tendiculas quæſtionum & inepta certamina, quæ non ædificant, ſed magis deſtruunt, ex illa curioſitatis contagione profluere, qua unuſquiſque ingenio ſuo, & intemperanti eloquentia, ſeu ſcriptura abutitur; cum in hæc etiam magnorum virorum nonnunquam, cum ipſis auctoribus, ſcripta periclitentur, poſt permultam temporum ſeriem, interpretantis arbitrio, ut divine prædictum ſit, *ex multiloquio non vitari peccatum*; & ſanctus David poſtularet *circumſtantiam labiis ſuis, orique cuſtodiam.*

Qui admonitus de cavendis curioſis quæſtionibus.

Prov. 10. v. 19. Pſal. 40. v. 3.

Caritatem veſtram tam apoſtolicæ ſedis auctoritate, quam mutua amoris affectione commoneo, ut jam ingenia veſtra ſanctarum ſe omnium ſcripturarum, quæ ſecundum traditionem Patrum atque majorum præſcriptæ ſunt, præceptis obſervationibuſque ſubjiciant. Quid illic non abundans? Quid non Dei ſpiritu & vocibus plenum ſit? niſi libet unumquemque plus ſibi credere, ſuoque de ſe uti judicio. Data . . . . Honorio Auguſto XI. & Flavio Conſtantio II. conſulibus.

Epilogus quo moventur Afri de eadem re.

ZOSIMUS *Epiſcopus Aurelio & univerſis Epiſcopis per Africam conſtitutis dilectiſſimis fratribus, in Domino ſalutem.*

Literæ commend. titiæ Pelagii.

POSTQUAM nobis Cæleſtius presbyter auditus eſt, & quid de fide ſentiret, evidenter expreſſit, eademque, quæ in libello contulerat, repetitis crebro profeſſionibus roboravit, de ejus nomine plenius ad dilectionem veſtram ſcripta dereximus. Ecce epiſtolam Hieroſolymitani Epiſcopi Praylii, qui in locum quondam ſancti Joannis Epiſcopus eſt ordinatus, accepimus, qua cauſæ Pelagii enixius adſtipulator intervenit. Literas quoque ſuas idem Pelagius purgationem continentes abundantiſſime miſit, quibus & profeſſionis ſuæ fidem, quid ſequeretur, quidve damnaret, ſine aliquo fuco, ut ceſſarent totius interpretationis inſidiæ, cumulavit.

Ejuſdem libellus & literæ.

Iis publice lectis magna gratulatio.

Harum recitatio publica fuit: omnia quidem paria, & eodem ſenſu ſententiiſque formata, quæ Cæleſtius ante protulerat, continebant. Utinam ullus veſtrum, dilectiſſimi fratres, recitationi literarum intereſſe potuiſſet. Quod ſanctorum virorum, qui aderant, gaudium fuit! Quæ admiratio ſingulorum, (vix fletu quidam ſe & lacrymis temperabant) tales etiam abſolutæ fidei infamari potuiſſe! Eſtne unus locus, in quo Dei gratia vel adjutorium prætermiſſum ſit? Quid quiſquis poteſt præterea dicere, vel mente concipere? Nec illi ſupernæ ſententiæ ſubjectus eſſe, quæ a ſancto Spiritu lata eſt, quod neque hic, neque in futuro venia vel remiſſione donetur?

Arguuntur Eros & Lazarus calumniæ in Pelagium.

Video etiam hunc Pelagium, Erote & Lazaro ſcribentibus, infamari. Itane, fratres dilectiſſimi, ad aures veſtras, qui ſint iſti turbines Eccleſiæ vel procellæ, nec opinione pervenit? Itane vos latuit vita horum atque damnatio? Sed quanquam ſpecialis illos apoſtolicæ ſedis auctoritas omni communione ſubmoverit, diſcite & in hac epiſtola, licet ſtrictim, hominum mores.

Lazari mores & flagitia.

Vetus Lazaro conſuetudo eſt innocentiam criminandi. Per multa concilia in ſanctum Britium coëpiſcopum noſtrum Turonicæ civitatis diabolicus accuſator inventus eſt. A Proculo Maſſilienſi in ſynodo Taurini oppidi ſententiam calumniatoris excepit. Ab eodem Proculo fit poſt multos annos ſacerdos, tyrannici judicii defenſor, civitatis Aquenſium; cumque contrairet afflicta civitas, in ipſum penetrale, & ſacerdotale ſolium ſanguine innocentis pene reſperſum irrupit: ſtetitque in eo hactenus, umbra ſacerdotii, donec in tyranno imago ſtaret imperii. quo loco poſt internecionem patroni ſponte ſe exuit, & propria ceſſione damnavit.

Eros Lazaro ſimilis.

De Erote vero omnia ſimilia, idem tyrannus, patronus cædis, turbæ presbyterorum contradicentium, vincula & cuſtodiæ, & totius civitatis afflictio, ſimilis pœnitentia de abdicatione ſacerdotii.

Uterque Pelagii calumniator.

Mirum eſt ſi iſti laicum virum ad bonam frugem longa erga Deum ſervitute nitentem falſis literis percellere noluerunt, qui in fratres & coëpiſcopos tanta machinati ſunt, qui tot tempeſtates Eccleſiæ reddiderunt. Non decet epiſcopalem auctoritatem, & præcipue prudentiam veſtram, ad levium ſuſurronum ſcripta pendere.

Pelagius & Cæleſtius præſentes in libellis, abſentes accuſatores.

Ecce Pelagius, Cæleſtiuſque apoſtolicæ ſedi in literis ſuis & confeſſionibus ſuis præſto ſunt. Ubi Eros? Ubi Lazarus? Erubeſcenda factis & damnationibus nomina. Ubi illi adoleſcentes Timaſius & Jacobus, qui ſcripta quædam, ut aſſerebatur, protulerunt? Vos conjicite, ſi qui talia in ſede apoſtolica confitentur, illa quæ de iiſdem a pravis ac levibus auctoribus, ac dubio rumore jactata ſunt, oporteat credi.

Reprehenſio Alrorum quaſi peccaverint in judicio.

Matth. 12. v. 31.

Amate pacem, diligite caritatem, ſtudete concordiæ; nam ſcriptum eſt: *Diliges proximum tuum tanquam teipſum.* qui magis alter alteri proximi ſumus, quam omnes, qui in Chriſto unum eſſe debemus. Non omnis qui aures veſtras ventus ingreditur, nuntius eſt veri: ideoque animo præſule & in excubiis conſtituto ſemper opus eſt, ne totum famæ, totum teſtibus liceat. Recenſete ſacras literas & divina tabularia: magnam partem falſi teſtes occupavere, ubi ſanctorum aut accuſationem, aut pericula reperimus; maximam dico, imo totam, cum in ipſum Dominum noſtrum ſalvatorem, totius mundi hoſtiam & Pontificem ſalutarem, falſi teſtes inſurrexerint. Æſtimate quid jam poſſit præterire fallacia, quæ in Deum fidei, imo in ipſam fidem, ac veritatem perjuriis impetum fecit.

Admonitio, ne tale quiddam impoſterum peccent.

Pſal. 118 v. 105. Joan. 7 v. 51.

Exod. 23. v. 1.

Ibidem.

Eccleſ. 11. v. 7.

Actor. 25. v. 16.

Hæc ideo ſcripſimus, ut de cætero, ſi qui abſentes, minuſque noti de quolibet talia ex libidine mentientur, fixi ſint pedes veſtri adverſus arietem fraudulentiæ. Unde & *lucernam pedibus ſuis ac lumen ſemitis ſuis* vir ſanctus exorat, ſcilicet ne inter fallaces tenebras ſint cæca nobis & errabunda veſtigia. Et in Evangelio: *Nunquid lex noſtra judicat hominem, niſi ab ipſo audierit prius & cogitaverit?* Etiam in veteri Teſtamento: *Non credas auditui vano, & non conſenſeris cum iniquo fieri teſtis injuſtus.* Et ne forte multitudini detrahentium ante examinationem judicii crederetur, addit dicens: *Non eris cum pluribus in malitia; & non accipies per eos peccatum.* Et iterum alibi: *Priuſquam interroges, ne vituperes quemquam; & cum interrogaveris, corripe juſte.* Et iterum: *Quæ viderint oculi tui, loquere.* Et in Actibus Apoſtolorum adverſus principes ſacerdotum, & ſeniores Judæorum poſtulantes abſentis Pauli Apoſtoli damnationem, juſtiſſimam ſententiam gentilis Feſtus tribunus protulit, quam convenit etiam nos in faciem credentium objicere ad verecundiam, dicens: *Non eſt conſuetudo Romanis, damnare aliquem hominem, priuſquam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores,*

ſatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda crimina. Si hanc igitur moderationem extra ſeptum fidei noſtræ poſitus tenuit contra ſacerdotalem pudorem, indigna omnino credulitas eſt abſentibus in abſentes. Quotus quiſque immunis invenietur a vulnere, ſi ad omnem ferientis ictum credulum pectus aperitur.

Gravis eorumdem objurgatio per comparationem.

Doceat nos terrena moderatio. Quæ ſæcularibus arbitriis & cauſis primum de ipſis judicibus eligendis repudiandiſque juſſit, & quanta cunctatio? Quot interpoſitæ dilationes? Quoties adhibita comperendinatio, etiam ſub ipſo fine certaminis, ampliare judicia conceſſit innocenti reo? Confugitur ad mare, & extramarina documenta, ut fides, quæ in præſenti plerumque arctioribus ſtrangulatur anguſtiis, ſaltem eminus veniat. Hæc omnia mentior, niſi in patrocinium tuendæ innocentiæ reperta ſint. Tolerabilius eſt enim innocentem quemlibet tardius inveniri, quam cito pro nocente damnari.

Iterata Erotis & Lazari reprehenſio.

Grave fuit Lazaro & Eroti, literarum ſuarum pediſſequos eſſe. An neſciebant dilectionem veſtram ad ſedem apoſtolicam relaturam? Huc certo calumniæ compendio navigaſſent. Ubi de epiſcopatu abdicando agitur, maria terraſque luſtrant, nec ulla ſuffragia prætermittunt. Ubi vero innocentium fama percellitur, otioſi & delicati, ſive accuſatores, ſive teſtes, (in utroque enim fallentibus nomen infame eſt) in cubilibus & lectulis ſuis literis abutuntur, & totam Africam, univerſumque tranquillum catholicæ ſerenitatis innubilant ad libidines ſuas duæ peſtes. Ante tribunal Chriſti omnes ſtabimus, nemo illic abeſſe poterit, nec Domini, cujus immenſitas omnibus locis ac rebus intervenit, declinare judicium.

Exhortatio ad Afros, ad gaudendum de fide Pelagii & Cæleſtii.

Si Deo noſtro cordi fuit, propter oves perditas, Verbum carnem fieri, & ex domino formam ſervientis induere, ut diu interceptam redderet libertatem, ſit vobis gaudium, eos quos falſi judices criminabantur, agnoſcere a noſtro corpore & catholica veritate nunquam fuiſſe divulſos. Certe hoc, quod noſtra expectatio deſiderabat, eluxit, ut damnanda damnarent, & obſequerentur. Si paterfamilias reditu filii gratulabatur, qui *mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus eſt*; & jubebat in uſum ejus ſtolam mundam, hoc eſt, inſigne candidæ mentis afferri, & vitulum ſaginatum: quantum hæc uberior exultatio eſt fidei, non mortuos eſſe, nec periiſſe, de quibus falſa vulgata ſunt? Miſimus igitur ad dilectionem veſtram exemplaria ſcripturarum, quas Pelagius miſit: quarum lectionem non ambigimus parituram eſſe vobis in Domino de abſoluta ejus fide lætitiam. Data XI. Kal. Octobris.

Luc. 15. v. 32.

Harum meminit M. Mercator.

SED jam tempus eſt tractare quæſtionem his de literis motam ab erudito Cappello adulterinas putante. Ea vero neque talis eſt, quæ non poſſit teſtimonio veterum finiri; neque difficilis, cum nihil afferatur a Cappello quod vehementer urgeat, imo quod per ſeipſum non corruat. Nam ut a teſtimonio veterum ducam initium, Marius Mercator meminit priorum literarum, quarum etiam mentio fit in poſterioribus: *Ob hoc ipſum*, inquit, *nonnulla Cæleſtius illius ſancti ſacerdotis humanitate dignus eſt habitus; & ſic epiſtolam quandam benignitatis plenam ad Afros Epiſcopos meruit, qua ille abuſus eſt, vel adhuc abutitur, ad multorum ignorantium deceptionem.*

Commonit. cap. 1. num. 5.

Facundus Hermianenſis.

Lib. 7. cap. 3.

Facundus Hermianenſis, non unius tantum, ut Mercator, ſed duas memorat, ſingulas in gratiam ſingulorum hæreticorum datas. ſic enim ait: *Invenient poſtremo beatum quoque Zoſimum, apoſtolicæ ſedis antiſtitem, contra ſancti Innocentii deceſſoris ſui ſententiam, qui primus Pelagianam hæreſim condemnavit, fidem ipſius Pelagii, ejuſque complicis Cæleſtii, quem in Eccleſia Carthaginenſi convictum, atque appellantem apoſtolicum ſedem, & ipſe geſtis diſcuſſerat, tanquam veram & catholicam laudantem, inſuper etiam Africanos culpantem Epiſcopos, quod ab illis hæretici crederentur: cum, necdum ipſis Africanis Epiſcopis dolos eorum multo manifeſtius detegentibus, memoratos Pelagium & Cæleſtium putaret orthodoxos.*

Julianus ipſe Pelagianus.

Tam claris tamque gravibus teſtimoniis duobus tertium addi poteſt Juliani ipſius Eclanenſis Epiſcopi: obſcurius illud quidem, ſi per ſe ſolum ſpectetur; ſed quod ex aliorum conſortio clariſſimam lucem habeat.

Julianus igitur in libello, quem ſcripſit ad Zoſimum ſummum Pontificem, nomine octodecim Epiſcoporum damnationi Pelagii & Cæleſtii ſubſcribere detrectantium, eas affert detrectandi cauſas, eaſque exceptiones adverſus judicium in ſede apoſtolica factum, quas ſummus Pontifex in ſecundis literis, in quibus priorum fit mentio, adhibuerat contra Africanos: nec affert tantum, ſed iiſdem quoque verbis, ad majorem ſedis apoſtolicæ ſive exprobrationem, ſive contumeliam. Sic enim habet:

Libell. fidei part. 4.

Illud autem ſanctitatem veſtram ſpecialiter admonemus, ne ad veſtram reprehenſionem factum putetis, quod ſic abſentum damnationem, ob Dei timorem, ſubſcribere non audemus, docti per ſcripturas, humanam voluntatem præceptis Dei non debere præferri dicentis: Non credes auditui vano, nec conſenties cum iniquo fieri teſtis injuſtus. *Et ne multitudini quis credendum putaret, adjunxit:* Non eris cum pluribus in malitia. *Et iterum:* Priuſquam interroges, ne vituperes quemquam. *Et iterum:* Quod viderunt oculi tui, loquere. *Item in Evangelio:* Nolite judicare, ut non judicemini: nolite condemnare, ut non condemnemini. in quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis, & qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. *Item in alio Evangeliſta etiam Judæi fatentur,* quod lex noſtra non judicet hominem, niſi ab ipſo audierit & cognoverit, quid faciat. *Et in Actibus Apoſtolorum per gentiles Feſti ſimiles prolata eſt ſententia,* quod non ſit conſuetudo Romanis damnare aliquem, priuſquam, qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat, ad abluendum crimina.

Exod. 23. v. 1. juxta Septuag.

Ibidem.

Eccleſ. 11. v. 7.

Matth. 7. v. 1.

Joan. 7. v. 51.

Actor. 25. v. 16.

Reſpondetur argumentis Cappelli.

Hac triplici tanta, tamque manifeſta auctoritate etſi obrui poſſe videatur Cappellus, cum proferre nihil poſſit, niſi infirmum & debile; non eſt tamen ſine reſponſione dimittendus, quantumvis miratus ſim non mediocriter aliquando, virum tam eruditum eouſque, ſive hæreticorum odio, in quos diſſertabat, ſive quo alio animi motu, impeditum fuiſſe, ut non animadverteret, inde fidem literis Zoſimiaſtrui, unde tolli putaret. Quatuor argumentis utitur ad ſuppoſitionem literarum probandam: & primo quidem, quaſi literæ pugnantia hiſtoriæ, atque Auguſtini teſtimonio contineant. Sic enim ait:

Et primo quidem, ex ipſomet Auguſtino, quem laudat.

Magnæ, ſi literis credimus, Zoſimum inter & Africanos diſſenſiones animorum extiterunt, Zoſimo Africanos acerbius perſtringente, Africanis viciſſim Zoſimum invidioſa querelarum mole onerantibus: cum tamen re ipſa mutua utriuſque partis conſenſione tota Cæleſtii Pelagiique cauſa peracta ſit, idque Auguſtinus teſtetur lib. 2. ad Bonifacium, cap. 3. &c.

At contrarium teſtatur Auguſtinus, & eo quidem ipſo loco qui profertur. Cum enim Zoſimum excuſare niteretur, propter reverentiam ſedis apoſtolicæ, cogente nihilominus veritate, ea dixit quæ Cappellum arguant, & penitus convincant. Quid enim volunt hæ voces? *Aliquanto lenius hæc ingenia, quam ſeverior poſtulabat Eccleſiæ diſciplina, tractata ſunt.*

Quid iſtæ? *Tot & tantis inter apoſtolicam ſedem & Afros Epiſcopos currentibus & recurrentibus ſcriptis eccleſiaſticis, etiam geſtis de hac cauſa apud illam ſedem, Cæleſtio præſente & reſpondente confectis, quænam tandem epiſtola venerandæ memoriæ Papæ Zoſimi? quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere ſine ullo vitio peccati originalis hominem naſci? Nuſquam prorſus hoc dixit, nuſquam omnino conſcripſit*, &c. *Libellus ejus catholicus dictus eſt, quia & hoc catholicæ mentis eſt*, &c. Quid tandem aliæ? *Ex Africa Romam literæ poſteaquam venerunt, id continentes, non ſufficere hominibus tardioribus & ſollicitioribus, quod ſe generaliter Innocentii Epiſcopi literis conſentire fatebatur; ſed aperte eum debere anathematizare, quæ in ſuo libello prava poſuerat: ne, ſi id non feciſſet, multi parum intelligentes, magis in libello ejus illa fidei venena a ſede apoſtolica crederent approbata, propterea quod ab illa dictum erat, eum libellum eſſe catholicum, quam emendata, propter illud, quod ſe Papæ Innocentii literis conſentire ipſe reſponderat*. Et ſub finem: *Quidquid interea lenius actum eſt cum Cæleſtio, ſervata dumtaxat antiquiſſimæ & robuſtiſſimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementiſſima ſuaſio, non approbatio exitioſiſſima pravitatis*, &c. Potuitne Auguſtinus manifeſtius indicare literas, quarum præcipua capita perſtringit?

Secundo, ex eodem Auguſtini loco quem adhibet.

Pergit Cappellus, ſed ſecundum, quod adhibet, argumentum, non validius primo eſt, cum eandem patiatur ſolutionem. *Pelagius*, ait, *non potuit fallere Eccleſiam Romanam, ut ſcribit Auguſtinus lib. de pecc. orig. cap.* 8. *Fefellit vero, ſi quæ fides ſecundis litteris. Quid enim aliud ſignificant verba hæc Zoſimi*: Sit vobis gaudium, eos, quos falſi teſtes criminabantur, agnoſcere a noſtro corpore & catholica veritate nunquam fuiſſe divulſos. *Quid iſta?* Quantum hæc exultatio fidei non mortuos eſſe, nec periiſſe, de quibus falſa vulgata ſunt.

Afferendus iterum ſolus pro reſponſione Auguſtini locus: *Pelagius fefellit judicium Palæſtinum, proptereaque ibi videtur eſſe purgatus. Romanam vero Eccleſiam, ubi eum eſſe notiſſimum ſcitis, fallere* USQUEQUAQUE *non potuit, quamvis & hoc fuerit utcunque conatus, ſed, ut dixi, minime valuit.* RECOLUIT *enim beatiſſimus Papa Zoſimus, quid imitandus præceſſor ejus de ipſis ſenſerit geſtis.* ATTENDIT *etiam quid de illo ſentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum adverſus ejus errorem pro veritate catholica ſtudia conſonantia concorditer flagrare cernebat.* Quam ingenioſe enim poſita eſt vox, vel illa, *fallere uſquequaque non potuit*; vel iſta, *recoluit*; imo & hæc, *attendit*. quibus tacite Auguſtinus intelligentibus innuit, & Pelagium aliquando fefelliſſe Papam Romanum, ſed non uſquequaque; & Zoſimum memoriam revocaſſe, quæ parumper abierat; & ſummum Pontificem Innocentii conſtitutum paulo diligentius attendiſſe, quam prius, cum deciperetur ab hominibus malæ fidei.

Tertio, ex eodem item, quo utitur, Auguſtini teſtimonio.

Addit Cappellus, tertium argumentum, conſtare ſcilicet ex Auguſtini teſtimonio, *nec Cæleſtium fuiſſe receptum a Zoſimo, nec ejus fidem probatam; nec negatos ab ipſo errores, de quibus accuſabatur; nec evocatum ex Africa Paulinum; nec Erotem & Lazarum ex Gallia ad proſequendam cauſam; nec vocatis præfinitum terminum duorum menſium, ſed id temporis aſſignatum ſoli Cæleſtio ad errores, ex formula præſcribenda, de qua in Africam ſcriptum fuerat, ejurandos. his tamen omnibus pugnantia contineri literis Zoſimo tributis; ipſas igitur eſſe falſas, aut mentitam Auguſtinum.*

Contineri fateor literis, quæ dicta ſunt, nimirum Zoſimo probatam aliquatenus fuiſſe fidem Cæleſtii; (ſive hoc nomine libellus intelligatur, ſive perſonæ ſenſus) abnegatos a Cæleſtio errores qui objicerentur; evocatum Romam ex Africa Paulinum, qui præſens accuſaret ad conſtitutum diem, datum Cæleſtio duorum menſium ſpatium ad reſipiſcendum, quod nempe ad tempus judicium differebatur. Sed contineri nego, evocatos etiam ex Gallia Erotem & Lazarum: fefellit enim in eo Cappellum memoria, cum Epiſcopi illi duo nunquam Gallias ex Palæſtina, imo neque in Africam revenerint, nec verba illa Zoſimi: *Ubi Eros? ubi Lazarus? Erubeſcenda factis & damnationibus nomina*; evocationem contineant, ſed potius exprobrationem: alioquin ipſos quoque Jacobum & Timaſium evocaſſe Pontifex credi deberet. ſequitur enim: *Ubi adoleſcentes Jacobus & Timaſius*, &c.

Verum, quæ quatuor contineri fateor literis, ea tam certis auctoribus vera comprobantur, ut hic quoque ſuo ſe argumento vir eruditus refellerit. Nam, ut a primo incipiam, quid Auguſtinus aliud docet, quam probatam fuiſſe Cæleſtii fidem, cum ait, *libellum ejus catholicum fuiſſe dictum a ſede apoſtolica?* Quam aperte ſecundum docet! damnatos ſcilicet a Cæleſtio ſuos errores, urgente Zoſimo, his verbis: *Huic* (Innocentio) *ipſe Cæleſtius conſentire profeſſus eſt, quando cum illi a ſancto præceſſore ſuo dictum eſſet*: Illa omnia damnas, quæ jactata ſunt de nomine tuo? *Ipſe reſpondit*: DAMNO SECUNDUM SENTENTIAM BEATÆ MEMORIÆ PRÆCESSORIS TUI INNOCENTII, &c. Quam manifeſte tertium! *Atque ita velut phreneticus ut requieſceret tanquam leviter fotus, a vinculis tamen excommunicationis nondum eſt creditus eſſe ſolvendus; ſed interpoſito* DUORUM MENSIUM *tempore, donec reſcriberetur ex Africa, reſipiſcendi ei locus, ſub quadam medicinali ſententiæ lenitate, conceſſus eſt.* Jam vero quartum, quod Paulino condictum ſit ad ſecundum menſem, fatetur ipſe Paulinus: *Libellum idcirco direxi, quia me licet ſermone Baſiliſcus ſubdiaconus a tua beatitudine, cum geſtis ſedis apoſtolicæ directus, Carthagine convenit quarto Non. Novemb. die, ut adeſſem ad apoſtolicam ſedem, & tuæ judicio ſanctitatis*, &c.

Lib. 2. ad Boniſ. cap. 3.

Lib. de peccat. orig. cap. 6.

In libello apud Baronium ad annum 418. num. 25.

Quarto denique, ex libello Paulini quem affert, ut ſuis armis Baronium feriat.

Adhibet tandem Cappellus, velut quartum argumentum, quod alia firmaret, auctoritatem ipſius quoque Paulini diaconi, ut inſtrumentum ex Vaticanis monumentis erutum inſtrumento indidem accepto refellat: *Paulinus*, inquit, *in libello gratias agit Zoſimo, quod apoſtolica auctoritate damnaſſet Cæleſtium* RECUSANTEM DAMNARE ERRORES, *quos ipſe illi ut accuſator objecerat*, SE QUOQUE NON VOCATO. Tum verba profert, quibus Paulinus meminit quidem Zoſimi vehementer inſtantis Cæleſtio, ut objecta damnaret: nec tamen meminit abſolutionis illius quaſi fiduciariæ, quæ in literis memoratur, non prætermiſſurus utique, ſi qua fuiſſet per obreptionem obtenta, & ſedes apoſtolica decreviſſet aliquando, id quod poſtmodum, cauſa plenius cognita, correxiſſet. Ex his vero infert tres iſtas epiſtolas, quæ nomine Zoſimi circumferuntur, felle potius quam atramento ſcriptæ, confictas fuiſſe a Pelagianis, ut indulgerent, tum ſuæ indoli quæ ad calumniandum facta; tum iræ erga ſummum Pontificem, a quo ſe damnatos impatienter ferrent; tum odio in Africanos, quorum ſtudio urgeri ſe ita ſentirent, ut neque reſpirare poſſent unquam, propter Eccleſiæ fulmina, neque uſpiam conſiſtere, propter imperatoriam proſcriptionem. Infert quoque, aut ſaltem ſuſpicatur, ab iiſdem artificibus elaboratas poſtea duas ad Bonifacium & Cæleſtinum de appellationibus epiſtolas Africanorum, quibus par pari referrent, imo cum uſura redderent, quidquid exprobrationis ex urbe Roma prius accepiſſent.

Inquiritur in libellum Paulini, qua de cauſa ſcriptus ſit.

Ita quidem vir eruditus, ſed quem Baronius, quemadmodum & alios oppido non paucos, incautum abduxit in ſuam opinionem, qua credidit, libellum a Paulino oblatum fuiſſe Zoſimo, in gratiarum actionem, poſt damnatos apoſtolica auctoritate Pelagium atque Cæleſtium; cum tamen pluribus ante menſibus oblatus ſit, nec aliud ſit revera, præter artificioſam quandam excuſationem, cur ad conſtitutum diem non adfuerit, imo nec adeſſe debuerit judicio ſedis apoſtolicæ.

Vulgaris opinio refellitur ipſiuſmet Paulini teſtimonio.

Non equidem diffiteor, ſummo Pontifici gratias aliquas a Paulino referri; referri nego ob ſupremam ſententiam in Cæleſtium latam: quod maxime oporteret, ſi audiendus foret Baronius; ſed hac una de cauſa, quia Zoſimus, inter agendum cum Cæleſtio, Paulini mentionem feciſſet, eamque tanto honorificentiorem, quanto vehementius inſtiterat, ut Cæleſtius, quæcunque diaconus in libello objecerat, ſine circuitu damnaret, ſi modo catholicus audire vellet. Tantam enim Pontificis inſtantiam interpretatus eſt Paulinus, velut honeſtam vadimonii remiſſionem. Quid enim ſupereſſet cauſæ, cur judicio ſe ſiſteret, cum jam & ejus fides probata foret, & libellus olim Aurelio Carthagine oblatus pro indubitato litis inſtrumento acceptus eſſet?

Verum,

Verum, ut res tota, quæ viros etiam diligentes præterfugit, evidentius pateſcat, exſcribenda videtur pars ultima libelli, qua negotium fere integrum continetur. Sic autem ſe habet: *Unde oro apoſtolatum tuum, ut hunc meum libellum ſuſcipi jubeas, quo gratias referam tantæ ſedi, & ſententiis juſtiſſimis pro parte mea latis: quem idcirco direxi, quia me, ſicut ſermone, Baſiliſcus ſubdiaconus a tua beatitudine, cum geſtis ſedis apoſtolicæ directus, Carthagine convenit quarto Nonarum Novembrium die, ut adeſſem ad apoſtolicam ſedem, & tuæ judicio ſanctitatis. Ad quod fuiſe ſuggeſtum eſt, me promittere non defuturum fore, ſi adverſum me, & non pro me, fuiſſet lata ſententia. Ibi tunc igitur nihil agere potui, quia is, qui ad ſedem apoſtolicam provocaverat, defuit, quem oportuerat utique merita ſuæ appellationis aſtruere, maxime cum nihil agente appellatore, ſecundum etiam humanas leges, ſuperior ſemper eſt ille qui vicit. Quid enim jam mea intererat, ſic mea per apoſtolicæ ſedis judicium roborari, ut etiam apud veſtram reverentiam pravæ ejus doctrinæ adſtipulator exſtiterem? de quo congaudere poſſem, ſi damnatis his, quæ a me illi objecta fuerant, meruiſſet abſolvi, nec prius ſe ordinari, quam purgari pateretur.* Et poſtea: *Hunc autem libellum direxi beatitudini tuæ, per Marcellinum ſubdiaconum Eccleſiæ Carthaginenſis, datum* VI. *Idus Novembris.*

Confectaria ſex ex teſtimonio Paulini.

Ex his conſtat Paulinum I. vocatum fuiſſe a Zoſimo: *Baſiliſcus me convenit, ut adeſſem ad ſedem apoſtolicam*, &c. II. Reſcripſiſſe ſexto poſt conventionem die: *Convenit me quarto Nonarum Novembrium die*, &c. III. Dediſſe libellum ſuum VI. Idus Novembris perferendum Marcellino ſubdiacono, qui ſimul detulit literas Carthaginenſis concilii ad Zoſimum; quibus ratio inſtituendi cum Cæleſtio judicii continebatur, quarumque meminit Auguſtinus, imo & ipſe Paulinus his verbis: *Cui jam non mecum, ſed cum univerſa Dei Eccleſia cauſa eſt, ſicut data ad beatitudinem tuam ſcripta teſtantur.* IV. Scripſiſſe ante fugam Cæleſtii ex urbe Roma, de eo enim loquitur veluti de præſente: *Cum contra apoſtolicam ſententiam venire nititur*, &c. *In ſedis apoſtolicæ cœtu conatur aſtruere*, &c. V. Tres attuliſſe cauſas irriti vadimonii, nempe quod appellatio priſtina neglecta fuiſſet a reo: *Defuit, quem oportuerat merita ſuæ appellationis aſtruere.* quod condictio intra ſecundum menſem, non prius ſignificata fuerit, quam totum tempus effloxiſſet: *Convenit* IV. *Nonarum Novembrium.* quod ſignificatio facta fuerit, non ſcripto, ut lege cautum eſt, ſed verbo tantum, quod nullius momenti: *Quia me licet ſermone*, &c. VI. Denique non egiſſe gratias de ſententia condemnationis ultima, quæ lata non eſt ante menſem Maium ann. 418. ſed de his ſolum quæ acta fuerant ante diem 8. Novembris ann. 417. Nam Marcellinus libelli delator Romam appulit ante tertias Zoſimi literas ad Afros: in ipſis enim ſit appulſi Marcellini mentio. Illæ vero literæ datæ ſunt ante latam a Zoſimo ſupremam in Cæleſtium ſeotentiam, ut ex ipſis aperte conſtat.

Lib. 2. ad Bonif. cap. 3. In libello.

Ibidem.

His omnibus animadverſis reſpondeo tandem Cappello, neque hoc ultimo argumento, neque prioribus aliis tribus, ſatis confici, ſuppoſitas fuiſſe a Pelagianis literas, quas illuſtriſſimus annalium ſcriptor ex Vaticanis monumentis in lucem edidit, quibuſque fidem Mercatoris & Facundi auctoritas tantam facit, quanta poteſt eſſe maxima, in rebus procul tempore diſtantibus.

X. SYNODUS

A THEODOTO ANTIOCHENO EPISCOPO ADVERSUS PELAGIUM HABITA, ut videtur, ANTIOCHIÆ

iiſdem conſulibus, menſe Octobri, anno Chriſti CCCCXVII.

Prima ſynodus Antiochena, cujus meminit apertiſſime Marius Mercator.
In Commonit. cap. 3.

DECIMAM ſynodum habuit Theodotus Antiochiæ Epiſcopus, ut ſcribit Mercator in hæc verba: *Adhuc etiam Hieroſolymis conſtitutus Pelagius accuſatus fuit apud ſynodum; & primo quidem tergiverſando ambiguis quibuſdam ſe profeſſionibus tegens, & proſequens dubia, vel reſpondens, illam tunc videtur Epiſcoporum audientiam deluſiſſe: ſed poſtmodum evidenter deprehenſus, inſiſtentibus accuſatoribus, a poſteriore ſynodo, cui ſanctæ memoriæ Theodotus Antiochiæ præſedit Epiſcopus, atque detectus, a ſanctis quoque & venerabilibus Hieroſolymorum locis eſt deturbatus: quod ejuſdem ſancti Theodoti ad reverendiſſimum urbis Romæ Epiſcopum, & ſanctæ recordationis Praylis Hieroſolymitani Epiſcopi miſſa ſcripta teſtantur, quorum exemplaria ad documentum habemus in manibus.*

Hæc ſynodus ignota fuit Auguſtino: qui enim tantum præjudicium tacuiſſet ſcribens adverſus Julianum, cum curioſe ſingula cauſæ catholicæ momenta conquireret, & iis uteretur, quoties occaſio ſe daret?

Obſcure Marianus Victorius.
In præfat. epiſt. Hieron. ad Cteſiphontem.

Qui præter Mercatorem mentionem fecerit, ſaltem apertam, neminem memini, præter Marianum Victorium, niſi forte Antiochenum concilium pro Dioſpolitano dixit. *Hæc*, inquit, *& alia quædam evomens Pelagius, cum a multis admoneretur, damnationem timens, recantavit primo; mox rurſus ad eadem prioraque relapſus, ab Antiochena ſynodo, item Innocentio primo Zoſimoque ſummis Pontificibus damnatus eſt*, &c.

Dixi, ſaltem apertam, &c. quia locus eſt apud Photium, qui ſi emendetur, ut profecto debet, Mercatoris dictum certo probet. Sic enim habet: *Porro hæc quidem Pelagiana ſeu Cæleſtiana hæreſis, non in Oriente dumtaxat viguit, ſed etiam Occidentem pervaſit, & Carthagine in Africa ab Aurelio atque Auguſtino deprehenſa & convicta, variiſque publice conciliis damnata eſt; ejecti vero, qui cum his ſentirent, tamquam hæretici, extra Eccleſiam, temporibus Epiſcoporum* THEOPHILI ALEXANDRIÆ, *& Innocentii urbis Romæ, tam a Romanis quam Africanis, cæteriſque Occidentis Epiſcopis.* Nam ubi in Græco habetur, ἐν τοῖς χρόνοις τοῦ Θεοφίλου τοῦ Ἀλεξανδρείας, legendum eſt ἐν τοῖς χρόνοις τοῦ Θεοδότου τοῦ Ἀντιοχείας. Neque enim fieri potuit, ut ejicerentur ex Eccleſia in Ægypto, Theophili temporibus, Pelagiani, qui vix innotuerant in Occidente ann. 412. quo Cyrillus Theophilo ſucceſſit: cum tamen admirabiliter iſta, quæ dicuntur, Theodoto Antiocheno conveniant, quippe qui memoratam a Mercatore ſynodum non longo poſt tempore habuit, quam vel Carthagine & Milevo ad Innocentium Africani ſcriberent de Pelagio & Cæleſtio, vel Innocentius eoſdem damnaret, ut mox oſtendetur.

Clarius emendatus Photius. *Cod. 54.*

Præfuit igitur ſynodo, qua de agimus, Theodotus, celebris ille toto Oriente Epiſcopus, qui ann. 411. in ſedem Antiochenam Alexandro ſucceſſit; *vir manſuetudine inſignis, margarita continentiæ, accurata vitæ inſtitutione egregie exornatus*, ut loquitur Theodoretus. Ille Apollinariſtas reduxit ad Eccleſiam, ex qua Meſſalianos ejecit ſine ſpe reditus, in

Præfuit Theodotus Antiochiæ Epiſcopus inter orientales nobilis.
Lib. 5. hiſt. cap. 37.

in concilio Conſtantinopolitano. Obiit ann. 417. teſte Theodoreto poſt 16. annum epiſcopatus. unde redarguas Nicephorum quatuor dumtaxat annos ipſi tribuentem.

In fine hiſtoria totius.

De ſynodo adverſus Meſſalianos, emendatus Binius cum aliis conciliorum editoribus.

Occaſione Theodoti & Meſſalianorum, animadverte concilium a Siſinnio & Theodoto celebratum contra Meſſalianos, a Binio non ſatis accurate dici; *habitum quidem in Oriente, ſed incerto loco, anno Chriſti 427. Cæleſtini 5. Theodoſii 20.* Nam partim ex Photio, partim ex Socrate conſtat, habitum Conſtantinopoli menſe Martio, ann. 426. Cæleſtini 4. Theodoſii 19. Theodoſio XII. & Valentiniano minore II. aug. coſſ.

Codic. 52.

Sic enim ſcribit Photius: *Siſinnius item Conſtantinopolitanus, & Theodotus Antiochenus communem epiſtolam ad Berinianum & Amphilochium, cæteroſque in Pamphilia Epiſcopos ſcripſere, cujus epiſtolæ hæc inſcriptio eſt: Deo cariſſimis ſacrorum collegis Beriniano & Amphilochio, omnibuſque adeo in Pamphilia Epiſcopis, Siſinnius atque Theodotus, & univerſa ſancta ſynodus, quæ Dei gratia in magna urbe Conſtantinopoli coacta eſt, conſecrandi gratia Deo amantiſſimi Epiſcopi Siſinnii, juſſu & auctoritate pientiſſimi & Chriſto cari Imperatoris noſtri Theodoſii, ſalutem in Domino,* & cætera quæ apud Binium.

Lib. 7. cap. 28.

Sunt autem Socratis hæc verba: *Siſinnius ordinatus pridie Kal. Mart. Theodoſio XII. & Valentiniano minore II. aug. coſſ.* Hic annus eſt Chriſti 426. Cæleſtini 4. & Theodoſii 19.

Praylius Hieroſolymitanus interfuit.

Ratio temporis.

Non eſt perinde facile invenire tempus ſynodi Antiochenæ, de qua nunc agitur; conandum tamen, ſi qua id ratione poſſimus. Et certe cum Marius in ea ſynodo tradat Pelagium ab ipſomet Praylio damnatum, literaſque damnationis ad ſedem apoſtolicam a Praylio miſſas; cumque Praylius ſucceſſerit in ſedem Hieroſolymitanam Joanni vita functo die 10. Janu. ann. 417. ſynodus profecto non potuit cogi ante hunc ipſum annum, imo neque ante anni finem. Nam Praylius ad Romanum Epiſcopum epiſtolam ſcripſit, qua, ut ait Zoſimus in epiſtola ad Africanos data XI. Kal. Octobris *cauſæ Pelagii enixius adſtipulator intervenit, cum jam in locum quondam ſancti Joannis Epiſcopus eſſet ordinatus.* Oportuit igitur inter primam hanc epiſtolam commendatoriam, ſcriptam utique poſt diem 10. Janu. & aliam condemnatoriam, cujus meminit Mercator, intercedere tempus aliquod, atque ita ſynodum non ante finem anni 417. coactam fuiſſe.

Epiſt. 4. quæ 2. in cauſa Pelagii.

Nec enim potuit cogi, vel ante paſcha, ne, cum apertum foret verna tempeſtate mare, pugnantes ſimul Romam literæ venirent; vel ſtatim poſt paſcha, eandem ob cauſam. imo neque ante finem Septembris, tum quia literæ a ſynodo veniſſent Romam hoc anno, antequam Zoſimus tertias Africanis literas dediſſet XII. Kal. April. ann. 418. tum quia Septembri Praylius abeſſe non debuit ab Eccleſia Hieroſolymitana, in qua celebrarentur encænia die 14. Septemb. teſte Nicephoro, convenientibus ex orbe toto populis. Reſtat igitur ut, quam citiſſime, menſe Octobri Theodotus Antiochiæ ſynodum habuerit; quam tardiſſime, Novembri: nam hoc anno, id eſt, 417. conveniſſe Antiochiam Epiſcopos, ſatis aperte loquuntur verba Mercatoris & Photii. Neque enim ille de utraque ſynodo Dioſpolitana & Antiochena eum in modum ſcripſiſſet, quo re vera ſcripſit, ſi altera non conſecuta fuiſſet alteram, quam primum potuit, hoc eſt, poſt mortem Joannis Hieroſolymitani: neque hic apte conjunxiſſet Innocentium & Theodotum, ſi uterque eodem anno Pelagianos non damnaſſet.

Lib. 8. hiſt. cap. 50.

Et vero utrique auctori ratio aſtipulatur. Cum enim ægre ferrent Eros & Lazarus abſolutum a Dioſpolitanis, gratia & potentia Joannis, Pelagium; ſeque proinde inſimulatos vel calumniæ, vel inſcitiæ, qui hominem accuſaſſent ex libris, quos damnaret ipſe, aut ſuis aut alienis, quos male intellexiſſent, inſtiterunt, quo primum tempore licuit, apud totius Orientis primatem, ut cauſa retractaretur, poſt obitum Joannis ann. 417. vita functi.

Adde quod credibile eſt, neque a Gallicanis Epiſcopis accuſatoribus, neque a Theodoto accuſationem excipiente anteverſum tempus ſolemne habendæ circa tempus autumni ſynodi, ne præſules novo labore fatigarentur.

Cauſa cur Praylius adfuerit.

Veniſſe porro ad concilium Praylium, licet moris non eſſet, niſi tota diœceſis convocaretur, idcirco puto, quod a Gallicanis Epiſcopis, imo forte & ab Hieronymo edoctus de Pelagii mala fide Pelagianorumque jactantia, per epiſtolas in orbem univerſum miſſas, quaſi non perſona ſola, ſed etiam dogmata a Palæſtinis Patribus abſoluta forent, ſua intereſſe duxerit penitius cauſam recognoſci, ne quas dederat in commendationem Pelagii, præ reverentia præceſſoris, literas, orbi ſcandalum facere, & hæreſi patrocinari permitteret.

Cur item Pelagius libellum fidei ſuæ Romam miſerit.

Ex his porro pervidere eſt, quo conſilio Pelagius literas commendatitias a Praylio ad ſedem apoſtolicam expreſſerit, Romamque cum ſuis miſerit, ſimulque geſta Dioſpolitanæ ſynodi, & libellum ſuæ fidei: volebat ſiquidem verſipellis hæreticus, & ſuis rebus implicatum tenere Praylium Hieroſolymis, & Romæ animum Innocentii, quem nondum ſciebat defunctum, occupare; ne, ſi quid in concilio tentaretur, quod a Gallicanis Epiſcopis urgeri apud Theodotum ſentiebat, Romæ retractaretur factum Dioſpoli de perſona judicium.

Perierunt acta ſynodi.

Perierunt acta literæque ex ſynodo ad Urbis Epiſcopum miſſæ, magno utique eccleſiaſticæ hiſtoriæ damno: patuiſſent enim retectæ infandi monachi artes, & forte, in exemplum conſequentium ſæculorum, ratio haberetur hæreticorum malæ fidei convincendæ, cogendique homines convictos, exemplo Pelagii, ſe ſuumque pudorem tenebris ſolitudinis ignotæ occulere.

XI. SYNODUS

COACTA CARTHAGINE AB AURELIO, HONORIO XII. ET THEODOSIO VIII. AA. C.C.

ante quadrageſimam, anno CCCCXVIII.

Undecima ſynodus, quæ tertia Carthaginenſis.

ADMODUM obſcura eſt undecima ſynodus, quæ tertia Carthaginenſis in cauſa Pelagiana; ejus tamen cognitio non mediocriter ad hiſtoriam conducit: quare paulo curioſius in eam inquirere oportet, ne cum aliquid præter doctorum ſententiam dicturi ſimus, illud ſine gravi ratione aſſerere videamur.

Verum, quia ſolis fere ex tertiis Zoſimi literis ad Africanos inquiſitio agenda eſt, has ego ſtatim initio exſcribendas putavi, tum ut fidem dicendorum faciant, tum ut correctiores legantur.

ZOSIMUS *Aurelio ac cæteris, qui in concilio Carthaginenſi adfuerunt, dilectiſſimis fratribus in Domino ſalutem.*

Quanta ſedis apoſtolicæ auctoritas in judiciis eccleſiaſticis.

QUAMVIS Patrum traditio apoſtolicæ ſedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio diſceptare nullus auderet; idque per canones ſemper regulaſque ſervaverit, & currens adhuc ſuis legibus eccleſiaſtica diſciplina Petri nomini, a quo ipſa quoque deſcendit, reverentiam exſolvat: (tantam enim huic Apoſtolo canonica antiquitas ſuper ſententias omnium voluit eſſe potentiam, & ipſa quoque Chriſti Dei noſtri promiſſio, ut & ligata ſolveret, & ſoluta vinciret) par poteſtatis data conditio in eos, qui ſedis hæreditatem, ipſo annuente, meruiſſent. habet enim cum omnium Eccleſiarum, tum hujus maxime, ubi ſedit, curam, nec patitur aliquid amittere privilegii, aut aliqua titubare aura ſententiæ, cui vi ipſa ſui nominis firma & nullis hactenus acta motibus conſtituit fundamenta, & quæ ſine ſuo periculo temere nullus inceſſet.

Matth. 16. v. 19. *Collata Petro & ſucceſſoribus.*

Hactenus inconcuſſa.

Cum ergo tantæ auctoritatis Petrus caput ſit, & ſequentia omnium majorum ſtudia ſervaverint, ut tam humanis diviniſque legibus & diſciplinis omnibus firmetur Romana Eccleſia, cujus locum nos regere, & poteſtatem nominis obtinere non latet vos, ſed noſtis, fratres cariſſimi, & quemadmodum ſacerdotes, ſcire debetis: tamen cum tantum nobis eſſet auctoritatis, ut nullus de noſtra poſſit retractare ſententia, nihil egimus, quod non ad veſtram notitiam noſtris ULTRO LITERIS REFERREMUS, dantes hæc fraternitati, ut in commune conſulentes: (non quia quid deberet fieri neſciremus, aut faceremus aliquid, quod contra utilitatem Eccleſiæ veniens diſpliceret) ſed pariter vobiſcum voluimus habere tractatum de illo, qui apud nos, SICUT IPSI PER LITERAS DICITIS, fuerit accuſatus, & ad noſtram, qui ſe aſſereret innocentem, non refugiens judicium ex appellatione priſtina, venerit ſedem, accuſatores ſuos ultro depoſcens, & quæ in ſe crimina per rumorem falſo dicebat illata, condemnans. Omnem ejus petitionem PRIORIBUS LITERIS, QUAS VOBIS MISIMUS, putavimus, ac novimus explicatam: ſatiſque illis ſcriptis, QUÆ AD ILLAS RESCRIPSERATIS, credimus eſſe reſponſum.

Sine ejus diſpendio confert Zoſimus cum Afris de negotio Cæleſtii.

Cui non omni ex parte crediderat, ut ferebatur.

Sed poſtea MISSÆ PER MARCELLINUM SUBDIACONUM VESTRUM EPISTOLÆ OMNE VOLUMEN VOLVIMUS: QUO ALIQUANDO PERLECTO, ita totum literarum comprehendiſtis textum, quaſi nos Cæleſtio commodaverimus in omnibus fidem, verbiſque ejus non diſcuſſis, ad omnem, ut ita dicam, ſyllabam, præbuerimus aſſenſum. Nunquam temere, quæ ſunt diu tractanda, finiuntur; nec ſine magna deliberatione ſtatuendum eſt, quod SUMMO debet diſceptari JUDICIO.

Sed judicium diſtulerat, donec reſcriberetur ex Africa.

Idcirco noverit veſtra fraternitas, nihil nos poſt illas, quas vel ſuperius, vel nunc LITERAS VESTRAS ACCEPIMUS, immutaſſe, ſed in eodem cuncta reliquiſſe ſtatu, in quo dudum fuerant, cum hoc noſtris literis veſtræ indicavimus ſanctitati, ut illa, quæ a vobis ad nos MISSA ERAT, OBTESTATIO remaneret. Subſcripſi. bene valete.

Dat. XII. Kal. April. Honorio Aug. XII. conſule. accept. III. Kal. Maias.

Quinque conſectaria ex Zoſimi epiſtola.

EX his conſtat primum, binas a Zoſimo literas ad Aurelium & univerſos per Africam Epiſcopos ſcriptas fuiſſe; unas de Cæleſtio, quæ licet careant diei & menſis nota, conſignantur tamen conſulatu Honorii XI. & Flavii Conſtantii II. alteras de Pelagio, ſtatim a prioribus, ſine nota quidem conſulum, ſed cum die & menſe, XI. Kal. Octob.

Conſtat deinde, literis Zoſimi reſponſum fuiſſe ex Africa, miſſamque obteſtationem, ut ne Pontifex de re tanta judicaret ſine Africanis inſtrumentis, quæ cum obteſtatione miſſa ſunt, quæque, partim geſta præcedentium ſynodorum, partim libellum Paulini, literaſque Gallicanorum Epiſcoporum, ac librum de natura Pelagii, & reſponſionem Auguſtini, aliaque plura continerent.

Conſtat tertio, non prius ſanctum Pontificem obteſtationi Afrorum reſpondiſſe, quam accepiſſet per Marcellinum ſubdiaconum ſynodicam, eamque prolixam, cum ſcribat aliqua tædii teſtificatione ſe omne volumen epiſtolæ volviſſe, eoque aliquando perlecto, intellexiſſe priores ſuas literas, non ſuo ſenſu acceptas.

Conſtat quarto, nihil ſuprema ſententia definitum fuiſſe de cauſa Cæleſtii, ante XII. Kal. April. quo tempore tertias literas Zoſimus dedit, jam non ut priores, *univerſis per Africam conſtitutis Epiſcopis; ſed Aurelio & cæteris, qui in concilio Carthaginenſi adfuiſſent.* Quod diligenter animadvertendum eſt.

Conſtat quinto, aliquod fuiſſe, imo geminum Carthaginenſis provinciæ concilium, ante Africanum plenarium Kal. Maiis inchoatum; & a priore quidem, poſt acceptas ſaltem primas Zoſimi de Cæleſtio literas, miſſam fuiſſe obteſtatioοem cum inſtrumentis cauſæ, quæ prius diximus; ad poſterioris vero ſynodicam datum a Zoſimo reſponſum illud, quod III. Kal. Maias Carthagine acceptum eſt, duobus nimirum diebus ante inchoatum generale concilium.

Duo extitere quidem concilia proconſularis provinciæ, ſed de uno tantum tractatur.

His quinque ita conſtitutis, contendo, ex duobus modo memoratis Carthaginenſis provinciæ conciliis, alterum, cujus literis Zoſimus οοο reſpondit, habitum fuiſſe menſe Octobri, vel etiam Novembri ann. 417. alterum, cujus Patribus Zoſimus epiſtolam dedit antea relatam, coactum ante quadrageſimam ann. 418. quamquam non eſt viſum operæ pretium, tractatione alterum ab altero diſtinguere, cum unius nihil omnino ſuperſit, præter obſcuriſſimam memoriam; alterius paulo ſit explicatior ratio.

Incertum quot Epiſcopi convenerint, quia periit ſynodica.

Convenerunt ex ſola proconſulari provincia.

Quot Epiſcopi convenerint, incertum eſt: plures conveniſſe, id eſt, unam ſaltem de turmis, de quibus dictum eſt ad Milevitanam ſynodum, ex eo conficitur, quod conventum ſummus Pontifex concilii Carthaginenſis nomine appellet. qua ex appellatione amplius illud infertur, ex ſola proconſulari provincia Patres conveniſſe. Verum id totum illuſtrari poſtulat nonnulla rerum Africanarum notitia, quæ conſequentibus etiam ſynodis lucem allatura ſit: implicatiſſimis enim ſæpe tenebris, ad eruditorum etiam tædium, res Africanarum ſynodorum obvolvuntur. Placet igitur hoc in argumentum parumper digredi.

DIGRESSIO DE CONCILIIS AFRICANÆ ECCLESIÆ.

Concilia Eccleſiæ Africanæ quatuor generum fuerunt.
Primam, civitatis unius.
Apud Cypr. epiſt. 46.
Aug. epiſt. 112.
Ibidem.
Secundum, unius provinciæ.

EX veterum monumentis colligitur, in Africa quatuor generum ſynodos habitas fuiſſe; nam & aliquando unius civitatis Epiſcopus, vel cum ſuis tantum presbyteris & diaconibus cooveniebat, quod contrahere presbyterium dicebatur; vel etiam plebem advocabat, quod erat geſta eccleſiaſtica conficere; vel in conſilium quoque adhibebat e vicinia Epiſcopos.

Sed aliquando primas unius integræ provinciæ Epiſcopos per tractoriam vocabat, qua ratione præſcribitur canon 76. cod. Africani: *Placuit, ut quotieſcumque concilium congregandum eſt, Epiſcopi, qui neque ætate, neque ægritudine, neque aliqua graviori neceſſitate impediuntur, competenter occurrant; primatibus ſuarum quarumque provinciarum intimetur, ut de univerſis Epiſcopis, vel duæ, vel tres turmæ fiant, ac de ſingulis turmis viciſſim, quotquot electi fuerint, ad diem concilii inſtantiſſime occurrant. Quod ſi non potuerint occurrere, excuſationes ſuas in tractoria conſcribant; vel ſi poſt adventum tractoriæ aliquæ neceſſitates repente forſitan ortæ fuerint, niſi rationem impedimenti ſui apud ſuum primatem reddiderint, Eccleſiæ ſuæ communione debere eſſe contentos.*

Tertium, duarum aut plurium provinciarum.
Cod. Eccleſ. Africana ad ann. 394.

Ex pluribus aliquando provinciis conveniebant Epiſcopi propter commune negotium, non tamen ex omnibus, cujuſmodi fuit Byſacenum, ad quod ex provincia proconſulari miſſi ſunt Epiſcopi legati.

Quartum, omnium provinciarum, ſeu totius diœceſis Africæ.

Denique aliquando ex tota Africæ diœceſi, id eſt, ex omnibus Africanis provinciis, accitu Carthaginenſis Epiſcopi, conventus celebrabatur. quamquam fuit aliis temporibus alia convocandi forma. Singulis enim annis primum convenerunt. Deiode tempus ea arbitrio Carthaginenſis Epiſcopi, aut potius e negotiorum neceſſitate pependit.

Primum genus, quod diœceſanis noſtrorum temporum ſynodis reſpondet, conventus magis ſeu compresbyterium, quam concilium dicebatur. Secuodum, nomen accipiebat vel a provincia, vel ab urbe, ad quam Epiſcopi a primate evocati confluebant. Tertium, Africanum quidem, ſed particulare nominabatur, ut a quarto diſcerneretur, quod univerſale vocatum eſt, ad quod nempe omnibus ex provinciis Africæ, vel Epiſcopi quilibet, vel delegati cooveniebant.

Quot provinciæ continerentur diœceſi Africæ.

Africana porro diœceſis prioribus temporibus habuit provincias quinque, Proconſularem ſeu Carthaginenſem, Byſacenam, Numidiam, Mauritaniam & Tripolitanam. Deinde Mauritaniæ duæ factæ ſunt, Sitifenſis & Cæſarienſis. (ſunt qui Numidiam quoque in duas diviſam putent, ſed non magna ratione) Acceſſit denique Hiſpania transfretana, ſeu Mauritania Tingitana, ſi modo vera ſit inſcriptio concilii plenarii ann. 418. habiti, prout legitur in manuſcripto codice monaſterii ſancti Bavonis Gandavenſis: quanquam & aliunde id probari poteſt, ut oſtendemus in diſſertatione de conſtitutionibus imperatorum.

Quæ ſynodi Africanæ, quæ provinciæ alicujus.

Ex his cognoſce, lector, quæ ſynodi Africanæ dicendæ ſint, quæ vel Carthaginenſes tantum, vel alterius cujuſcumque provinciæ. Africanæ ſunt, ad quas ex pluribus provinciis Epiſcopi conveniebant. Carthaginenſes, vel alterius provinciæ, quas unius ſolius, aut proconſularis, aut cujuſcunque alterius provinciæ Epiſcopi celebrabant. Illarum cogendarum auctoritas penes Epiſcopum Carthaginenſem erat; iſtarum penes ſingulos primates. In illis decernebantur, quæ totius dioceſis intererant: in iſtis, quæ unius provinciæ. Ad Africanas appellabatur a provincialibus; ad provinciales a judicio ſingulorum Epiſcoporum.

Africanæ primum ſingulis annis cogebantur.

Africanæ ſingulis annis cogendæ fuerunt ex præſcripto concilii Hipponenſis, ut patet ex can. 18. cod. Africani: *Secundum Nicæna ſtatuta, propter cauſas eccleſiaſticas, quæ ad perniciem plebium ſæpe veteraſcunt, ſingulis quibuſque annis concilium convocetur, ad quod omnes provinciæ, quæ primas ſedes habent, de conciliis ſuis binos, aut quantos delegerint, Epiſcopos legatos mittant, ut congregato conventu plena poſſit eſſe auctoritas.*

x. Kal. Septembris.

Cogendarum tempus, imo diem ſanciebat canon 73. *Placuit, ut dies venerabilis paſchæ formatarum ſubſcriptione omnibus intimetur, dies vero concilii idem ſervetur, qui in Hipponenſi concilio conſtitutus eſt, id eſt, x. Kal. Septemb.* &c.

Deinde pro neceſſitate.

At quia moleſtum erat, tot Epiſcopos tam ſæpe ſuis e ſedibus emovere, abrogati ſunt canones prædicti duo, canone 95. *Quoniam conſtitutum fuerat in concilio Hipponenſi, ut ſingulis annis contraheretur concilium Africæ plenarium, non tantum hic apud Carthaginem, verum etiam per diverſas provincias ſuo ordine; & hoc ita ſervatum eſt, ut indiceremus aliquando in Numidia, aliquando in Byſacio. At quia hoc laborioſum omnibus fratribus viſum eſt, placuit, ut non ſit ultra fatigandis fratribus anniverſaria neceſſitas, ſed quoties exegerit cauſa communis, id eſt, totius Africæ, undecumque ad hanc ſedem de hac re datæ literæ fuerint, congregandam eſſe ſynodum, in ea provincia, ubi opportunitas perſuaſerit: cauſæ autem, quæ communes non ſunt, in ſuis provinciis judicentur.*

Provinciales bis in anno ante quadrageſimam & circa tempus autumni.

Provinciales ex præſcripto Nicæni concilii bis in anno habebantur; ſemel ante quadrageſimam paſchæ; iterum circa tempus autumni. Vide canonem v. Nicænum relatum in Notis ad quartam ſynodum, & inde cognoſce, quo tempore plura concilia provincialia coacta ſint, utroque ſcilicet legitimo, nec alio, niſi neceſſitas urgeret. Unde quoties præter ſolemne tempus habita leguntur, inveſtiganda eſt homini ſtudioſo cauſa: fuit enim aliqua ſemper, quam ſciri ad hiſtoriam confert.

Africanæ per diverſas provincias ordine ſervato.

Africanæ modo in una, modo in altera provincia, ordine ſervato, congregabantur, ut antea dictum eſt ex can. 95. quamquam nullæ ſunt habitæ extra Numidiam, Proconſularem, & Byſacenam: quia reliquæ provinciæ minus erant opportunæ propter diſtantiam, quam prædictæ, in media Africa ſitæ. Provinciales non habebantur in civitatibus, ubi erant ſeniores ſeu primates, ut quibuſdam viſum eſt, propter canonem 73. *Scribendum ad ſingularum quarumque provinciarum primates, ut quando apud ſe concilium congregant, iſtam diem non impediant.* ſed in opportunioribus provinciæ locis, quod conſtat ex Milevitana ſynodo, quemadmodum & Citenſi, quam coëgit Silvanus Numidiæ primas, cum tamen Summenſi vel Zumenſi Eccleſiæ præeſſet.

Provinciales in civitate primæ ſedis.

Quæ plenaria ſynodus diceretur.

Notandum vero, nomine concilii plenarii appellaviſſe veteres, ſynodum ad quam omnes Epiſcopi conveniebant; unde factum, ut nomen hoc alio alias ſenſu uſurparent. Dixerunt enim plenaria concilia, non ea tantum, quæ totius Africæ, ſed ipſa quoque provincialia, prout nimirum Epiſcopi, vel omnes unius provinciæ apud ſeniorem ſuum, vel ex omnibus provinciis ad locum a Carthaginenſi Epiſcopo conſtitutum, congregabantur. Interceſſit igitur diſcrimen aliquod inter concilium plenarium & univerſale: illud enim potuit eſſe unius tantum provinciæ; iſtud fuit totius diœceſis, quanquam univerſale adhuc a plenario totius Africæ diverſum aliquando fuit. Ad illud enim omnes provinciæ per legatos tantum vocabantur: ad iſtud omnes unius turmæ, quibuſcumque placeret venire. Similiter ad provinciæ unius concilium non plenarium una ſola turma vocabatur, ad plenarium ambæ. Unde intelligere eſt, quam ob cauſam nulla catholicorum ſynodus Africana legatur plures Epiſcopos habuiſſe quam ducentos & viginti ad ſummum, cum tamen in Africa forent plures quingentis Eccleſiæ epiſcopales catholicæ: ſcilicet conveniebat ex ſingulis provinciis una tantum turma, id eſt, media fere pars, ex qua tamen aliqui juſtas haberent abſentiæ cauſas, de quibus eſt canon 76. Id vero ſapienter inſtitutum fuit, ne paſtoribus ſuis orbatæ Eccleſiæ damni quidquam paterentur: ſuam enim vicino Epiſcopo remanenti profecturus commendabat. Ea porro diſciplina viguit apud catholicos, ſed aliis moribus vivebant Donatiſtæ. Verum iſta diligentius aliquando, ſi

Quæ univerſalis.

Deus

Undecima ſynodus, provincialis, an Africana, &c.

Deus voluerit, in hiſtoria Eccleſiæ Africanæ, quam meditamur.

His porro animadverſis, concludendum illud eſt propter quod digreſſi ſumus, undecimam ſcilicet ſynodum, aut provincialem fuiſſe, quod magis reor; aut Africanam particularem tantum, quod non improbabile: alterutrum enim ſequitur ex inſcriptione literarum Zoſimi ſummi Pontificis. Quid autem in ea geſtum ſit, ex præcedentibus conſtat: quot Epiſcopi adfuerint, incertum: certus tamen locus, cum tempore, præſide, & occaſione.

XII. SYNODUS

CARTHAGINE AB AURELIO

EX OMNIBUS AFRICÆ PROVINCIIS COLLECTA,

HONORIO XII. ET THEODOSIO VIII. AA. CC.

Kalendis Maiis, anno CCCCXVIII.

Duodecima ſynodus, quæ prima Africana.

Epiſt. 47.

CARTHAGINE habita eſt duodecima ſynodus, ad quam ex omnibus Africæ provinciis Epiſcopi ab Aurelio vocati convenerunt. Quare, licet a loco Carthaginenſis vulgo dicatur, ab Auguſtino tamen Africana nominatur, eſtque prima totius Africæ in cauſa Pelagianæ hæreſis.

Coacta eſt anno 418. Non veris initio, ſed Kal. Maiis.

Coacta eſt Honorio XII. & Theodoſio VIII. AA. CC. ut habent acta, id eſt, ann. Chriſti 418. non initio veris, quod voluit Binius Baronium ſecutus; ſed Kal. tantum Maiis, quam notam acta præferunt. Et vero quomodo vigente eccleſiaſtica diſciplina, 214. Epiſcopi, tot enim congregati dicuntur, quos inter Aurelius, Auguſtinus, Alipius, Poſſidius, Evodius, aliique ſanctiſſimi antiſtites, ſuis ab Eccleſiis abfuiſſent ſolemni tempore paſchatis, quod anno illo incidit in diem ſeptimum Aprilis, & cujus proinde feſti conſummatio fuit XVIII. Kal. Majas.

Obſervatio de tempore conciliorum Africæ.

Qua occaſione prætermittere non poſſum, quod inter legendum codicem Africanæ Eccleſiæ, pauloque diligentius verſanda concilia generalia ejuſdem Eccleſiæ, obſervavi, nullum, præter duo, habitum, alio tempore, quam poſt integrum ſaltem a feſtis paſchalibus menſem; plura vero conſignari menſe Auguſto & Septembri. Duorum autem, quæ excepta volui, poſterius, omnium celeberrimum propter graviſſimorum negotiorum neceſſitatem coactum eſt Kal. Maiis ann. 418. cum paſcha incideret in diem 7. Aprilis: prius, quod valde obſcurum eſt, celebratum legitur V. Kal. Maias, ann. 399. paſcha incidente in diem 10. Aprilis. Sed errorem irrepſiſſe oportet hunc in locum, & poſitas vel Kalendas pro Idibus, vel Maias pro Juniis, ne quid enormiter factum dicatur, & contra canones in aliis conciliis ſancte obſervatos dicatur.

Ex omnibus provinciis Africæ. Unde convenerunt 214. Epiſcopi.

Inter univerſales ſynodos iſta cenſeri debet, quippe cui præfuerit Aurelius, cum Donatiano Telepténſi primæ ſedis Epiſcopo provinciæ Byſacenæ, & aliis 212. tam ex provincia Byſacena, quam Mauritania Sitifenſi, Tripolitana, Numidia, Mauritania Cæſarienſi, & Hiſpania, id eſt, Mauritania Tingitana, quæ Hiſpania trans Gades dicta eſt, propterea quod vicario Hiſpaniarum ſubeſſet.

A quibus ſcripta eſt ad Zoſimum Papam ſynodica.

Lib. cont. coll. cap. 10. idem habet in reſp. ad 8. cap. Gall.

Ex ea data eſt ſynodica ad Zoſimum Papam, de qua Proſper Caſſianum alloquens: *Secundum tuam cenſuram, qua ſanctarum & fidelium voluntatum aſſeris non in omnibus hominibus ex Deo principium . . . . erraverunt ducenti quatuordecim ſacerdotes, qui in epiſtola, quam ſuis conſtitutionibus prætulerunt, ita apoſtolicæ ſedis antiſtitem beatum Zoſimum ſunt allocuti: Conſtituimus in Pelagium atque Cæleſtium per venerabilem Epiſcopum Innocentium, de beatiſſimi Apoſtoli Petri ſede prolatam manere ſententiam, donec apertiſſima confeſſione fateantur, gratia Dei per* JESUM CHRISTUM *Dominum noſtrum, non ſolum ad cognoſcendam, verum etiam ad faciendam juſtitiam nos per actus ſingulos adjuvari, ita ut ſine illa nihil veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.*

Septem quæſtiones ſolvendæ.

Sed hic oriuntur difficiles quæſtiones ſeptem, quatuor ex Auguſtini variis locis, tres ex Proſperi teſtimonio mox allato, alioque chronici loco.

Prima. Lib. de peccato orig. c. 7. & 8.

Prima, quæ ſit illa ſynodus Africana, quæ revocaviſſe dicitur in memoriam venerabili Papæ Zoſimo, quid ejus præceſſor Innocentius de geſtis Palæſtinæ ſynodi judicaſſet, & poſt cujus reſcripta, in Cæleſtium juſtiſſima prolata eſt ſententia.

Secunda. Ibidem.

Secunda, quod item Africanum concilium, ex quo reſcriptum eſt Zoſimo, antequam ad univerſos Epiſcopos totius orbis tractoriam mitteret.

Tertia. Lib. 2. ad Bonif. cap. 3.

Tertia, ex quo pariter Africæ conventu, *Romam literæ venerint, id continentes non ſufficere hominibus tardioribus & ſollicitioribus, quod ſe generaliter Innocentii Epiſcopi literis conſentire Cæleſtius fatebatur, ſed aperte eum debere anathematizare, quæ in ſuo libello prava poſuerat*, &c.

Quarta. Epiſt. 47. ad Valent.

Quarta, quod denique concilium poſterius plenarium totius Africæ, in quo breviter contra errorem Pelagianum aliquid conſtitutum eſt.

Quinta. Lib. cont. coll. cap. 10.

Pſal. 93. v. 10. 1 Joan. 4. v. 7.

Atque has quæſtiones facit Auguſtinus, alias Proſper. Quinta igitur, quæ ſint illa *Africana Epiſcoporum concilia, quæ decretis ſuis conſtituerunt, utrumque Dei donum eſſe, & ſcire quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus: ut ædificante caritate ſcientia non poſſit inflare, quia ſicut de Deo ſcriptum eſt:* Ille eſt qui docet hominem ſcientiam; *ita ſcriptum eſt:* Caritas ex Deo eſt.

Sexta. In chron. ad conſulat. Hon. XII. & Theod. VIII.

Sexta, qua ex ſynodo *Africani Epiſcopi ad Papam Zoſimum reſcribentes, eumque in ſententiæ hujus ſalubritate laudantes, aiunt: Illud vero, quod in literis tuis, quas ad univerſos curaſti eſſe mittendas, poſuiſti dicens:* Nos tamen inſtinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem ſuum referenda ſunt, unde naſcuntur) ad fratrum & coëpiſcorum noſtrorum conſcientiam univerſa retulimus. *Sic accepimus dictum*, &c.

Septima.

Septima, quo *concilio apud Carthaginem habito* 207. *Epiſcoporum ad Pontificem Zoſimum ſynodalia decreta perlata ſunt, quibus probatis, per totum orbem hæreſis Pelagiana damnata eſt.*

Solvuntur quæſtiones certis quinque principiis poſitis.

Ut explicentur tot quæſtiones, pateatque veritas, qua via poteſt, ex tantis tamque antiquis tenebris, certa quædam ſtatuenda ſunt tanquam principia.

Inter ſedem apoſtolicam & Africanos Epiſcopos cucurrerunt & recurrerunt ſcripta.

Lib. 2. ad Bonif. cap. 3.

Conſtat igitur primo, ſæpius ab Africanis ad Zoſimum, & a Zoſimo ad Africanos reſcriptum eſſe in cauſa Cæleſtii & Pelagii. id enim ſignificant Auguſtini verba: *Tot & tantis inter apoſtolicam ſedem & Afros Epiſcopos currentibus & recurrentibus ſcriptis eccleſiaſticis, etiam geſtis de hac cauſa apud illam ſedem, Cæleſtio præſente & reſpondente, confectis*, &c.

87

Digitized by Google

Quæ Proſper tribuit Africanis Epiſcoporum conciliis, ea leguntur in univerſali habito Kal. Maiis an. 418.

Conſtat deinde, ea, quæ tribuit Proſper Africanis Epiſcoporum conciliis, legi totidem verbis can. 4. concilii Africani univerſalis habiti Carthagine Kal. Maiis, Honorio XII. & Theodoſio VIII. coſſ. Unde dubium eſſe non poteſt, quin nomine Africanorum conciliorum, univerſale quod diximus, intelligere voluerit. Cur ergo uſus eſt plurali numero? An vitioſa eſt lectio, legendumque potius, vel: *Erravit Africæ Epiſcoporum concilium*, &c. vel: *Erraverunt Africæ Epiſcopi?* Tale quiddam ſuadere videntur variantes editiones. An ſatius eſt, retenta antiqua lectione, dicere Proſperum, cum hæc ſcriberet poſt ann. 432. reſpexiſſe ad duo concilia Africana, quorum in uno conſtituti ſunt canones ann. 418. in altero recogniti & approbati ann. 419.

Poſterius concilium Africanum, cujus meminit Auguſtinus, non eſt diverſum ab univerſali prædicto.
Epiſt. 47.

Conſtat etiam, plenarium illud poſterius totius Africæ concilium, *in quo breviter contra errorem Pelagianum conſtitutum eſt* id, quod Auguſtinus Valentino inter alia legendum jubet, *ad cognoſcendum quemadmodum catholica Eccleſia in Dei miſericordia Pelagianæ hæreſis venena repulerit*; non eſſe diverſum ab univerſali Carthagine habito Kal. Maiis: in eo enim breviter octo canonibus comprehenſa eſt tota Eccleſiæ fides, adverſus Pelagianum errorem, & emergentes in Adrumetino monaſterio contentiones. Quorſum vero, inquies, & cujus reſpectu Auguſtinus hoc concilium poſterius dicit? En ſcopulus, ad quem, opinor, eruditos hærere neceſſe eſt: nec aliter evadere, quam admiſſis duobus cum Voſſio Africanis conciliis, poſteriore uno, in quo ſanciti ſunt octo canones; altero priore, unde ſcripta, quæ habet, tum Proſper in hæc verba: *Erraverunt ducenti quatuordecim Epiſcopi*, &c. tum Auguſtinus cum ait: *Hoc ut plenius & manifeſtius in illo fieret*, &c. At quando, inſtabis, prius illud haberi contigit, ſi poſterius Kal. Maiis convenit? Novus iterum ſcopulus, ad quem tantiſper hærendum, donec affulgeat ex conſequentibus nova lux.

Lib. 1. *de hær. Pelag. cap.* 44.

Verba illa Proſperi: *Erraverunt Africani Epiſcopi*, &c. pertinent ad tempus longe remotum a Kal. Maiis.

Conſtat quarto, hæc verba Proſperi: *Erraverunt Africani Epiſcopi ad Papam Zoſimum reſcribentes, eumque in ſententiæ hujus ſalubritate laudantes*, &c. pertinere ad aliud tempus, quam quo habitum eſt univerſale concilium, quo de nunc agitur: nam procul dubio id reſcripſere Africani poſt acceptam Zoſimi tractoriam ad univerſos orbis Epiſcopos. Cum ergo tractoria illa in Africam non pervenerit, niſi longe poſt Kalendas Maias, quarum III. acceptæ ſunt tertiæ literæ continentes, *nihil adhuc immutatum, ſed omnia in eo ſtatu relicta, in quo dudum fuerant*; neceſſe eſt reſcriptum illud, cujus meminit Proſper, pertinere ad menſem circiter Auguſtum; atque ita, vel coactum novum concilium tunc temporis; vel, quod opinabilius videtur, idem euſque permanſiſſe, delapſis tamen interdum Patribus, ad ſuas, ut neceſſitas poſtulabat, inviſendas Eccleſias.

Epiſt. 3. *Zoſimi ad Afric.*

Tres fuerunt unius concilii confeſſus intervallo temporis diſtincti, qui nomine conciliorum ab Aug. ſinguli donantur.

Conſtat quinto, tres priores quæſtiones ex verbis Auguſtini ortas, non difficili negotio poſſe diſſolvi, ſi modo ea, quæ in ipſis continentur, pertinere dicantur ad prius concilium Africanum, ſeu potius ad priorem concilii Africani univerſalis confeſſum. Duos enim aut tres potius unius concilii confeſſus vel conventus fuiſſe puto, quos tamen ſingulos nomine concilii Auguſtinus appellaverit, propterea quod diverſis menſibus celebrati fuerint, nec modicum inter ipſos temporis ſpatium interceſſerit, redeuntibus ad diem conſtitutum ex ſua ſingulis Eccleſia Epiſcopis, ſaltem delegatis.

Reſponſio ad ſingulas quæſtiones.

Priorem igitur conventum, ſive potius prius concilium habitum pono Kalend. Maiis, quibus conſignatur concilium 214. Epiſcoporum: poſteriorem conventum, ſeu poſterius concilium, habitum puto circiter medium Junium: poſtremum, circiter medium Auguſtum. In priore reſcripta ſunt ad Zoſimum ea, quæ continentur partim prioribus tribus ex Auguſtino quæſtionibus, partim ſeptima ex Proſpero. In poſteriore ſanciti canones, de quibus eſt quarta ex Auguſtino, & quinta ex Proſpero quæſtio. In poſtremo denique poſt acceptam Zoſimi tractoriam univerſalem, & particularem ad Africanos epiſtolam, actæ gratiæ ſummo Pontifici, & illud laudatum tractoriæ, quod ex Proſpero quæſtione ſexta relatum eſt.

Ratio temporis ſingulis confeſſibus aſſignati.

Ratio temporis ita conſtituendi aperta hæc eſt: totum negotium, de quo agitur in quæſtionibus, abſolvi oportuit intervallo temporis, quod a feſtis paſchalibus abſolutis, ad XII. Cal. Octob. elapſum eſt, id eſt, a die 15. April. ad 21. Septembris. nam & ſanctiſſimi Epiſcopi 214. feſta paſchalia procul dubio ſuis in Eccleſiis peregerunt, & Auguſtinus, qui omnibus conventibus interfuit, XII. Kal. Octob. in Mauritania fungebatur legatione ſedis apoſtolicæ, ut conſtat ex epiſtola 157. ad Optatum, & ex geſtis cum Emerito.

Quid geſtum in primo.

Tres igitur conventus ponendi, ſi Auguſtinum & Proſperum audire voluerimus. Primus, ex quo, poſt tertias literas Zoſimi acceptas III. Kal. Maias, reſcriptum eſt ſummo Pontifici, de modo judicii cum Cæleſtio exercendi. Neque vero prius haberi potuit, ſiquidem ſoli 15. dies conceſſi fuerint Patribus ad conveniendum ex ſuis provinciis. Cum ergo monita concilii, & reliqua ſimul inſtrumenta litis, Romam prius perventura crederentur ab Africanis, quam judicium inſtitueretur a Zoſimo, nec tamen perventura, niſi poſt menſem; dimiſſi videntur Patres, ut feſtum Pentecoſtes ſolemnemque baptiſmum de more cum ſua plebe celebrarent, reverſuri ſtatim peractis feſtis, ut præſto eſſent, ad excipiendum in communi, & deliberandum, ſi quid reſponſi vel a Marcellino ſubdiacono agente in rebus Africanæ Eccleſiæ, vel a ſummo Pontifice afferretur.

Quid in ſecundo.

Secundus haberi commode potuit circiter XV. Kal. Julias, id eſt, die 17. Junii, aut etiam citius circa Idus Junias, tuncque ſanciti canones 19. quorum octo pertinent ad fidem, reliqui ad diſciplinam.

Ultimus canon, quia facit ad rem noſtram, hic memorandus: *Placuit, ne diutius univerſi Epiſcopi, qui ad concilium congregati ſunt, tenerentur, ab univerſo concilio judices ternos de ſingulis provinciis eligi: & electi ſunt de provincia Carthaginenſi Vincentius, Fortunatianus & Clarus. de provincia Numidiæ Aliypius, Auguſtinus, & Reſtitutus. de provincia Byſacena cum ſancto ſene Donatiano primate Creſconius, Jocundus, & Æmilianus. de Mauritania Sitifenſi Severianus, Aſiaticus & Donatus. de provincia Tripolitana Plautius, qui ex more legatus unus miſſus eſt. qui omnes cum ſancto ſene Aurelio univerſa cognoſcant: & petiit univerſum concilium, ut cunctis, ſive geſtis, quæ confecta jam ſunt, ſive epiſtolis ipſe ſubſcribat. & ſubſcripſerunt*, &c.

Canonis cauſa fuit, ut opinor, quod cum Roma expectaretur reſponſum, nec illud tamen, vel propter tempeſtuoſum mare, aut reflantes ventos, brevi adfuturum ſperari poſſet: viſum eſt paulo durius, & vix non inhumanum, retinere tot Patres ad incertum diem, æſtuoſa præſertim tempeſtate, extra ſua loca, vitæ commodis non abunde ſufficientibus.

Quid in poſtremo.
Aug. epiſt. 110

Allatum eſt tamen reſponſum, non longo poſt tempore, non quidem a tribus Zoſimi legatis, Fauſtino Potentinæ Eccleſiæ Epiſcopo, Philippo & Aſello presbyteris, quod mihi aliquando viſum; ſed a Leone, tunc acolytho, poſtmodum Romano Pontifice, qui videtur attuliſſe ſimul mandatum ad Auguſtinum, ut in Mauritania legatione ſedis apoſtolicæ fungeretur. De Cæleſtii vero Pelagiique condemnatione duæ fuerunt epiſtolæ: una univerſalis, quam tractoriam vocat Mercator: altera ſpecialis ad Afros, qui gratias egerunt ſummis laudibus cumulatas.

Aug. epiſt. 157

XIII. SYNODUS.

QUÆ SECUNDA AFRICANA

IBIDEM HABITA,

eodem anno circſter medium Junium.

Decima tertia ſynodus, quæ Auguſtino poſterius Africanum concilium.

EX his quæ hactenus pertractata ſunt, conſequens videtur, ut, ſi voluerimus cum Auguſtino loqui, numeranda ſit decimo tertio loco ſynodus, quam ille poſterius plenarium Africanum concilium nominavit, & in qua celebres illi canones octo ad fidem pertinentes conditi ſunt.

I. Quod mortalitas hominis per peccatum contracta ſit.

PLACUIT omnibus Epiſcopis, qui fuerunt in hac ſancta ſynodo, ut quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt, de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ; anathema ſit.

II. Quod baptizentur parvuli propter peccatum originale expiandum.

ITEM placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde fit conſequens, ut in eis forma baptiſmatis, in remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur; anathema ſit. Quoniam non aliter intelligendum eſt, quod ait Apoſtolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*; niſi quemadmodum Eccleſia catholica, ubique diffuſa, ſemper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remiſſionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

Rom. 5. v. 12.

III. Quod gratia Christi non ſit ſola remiſſio peccatorum, ſed adjutorium quoque ad non peccandum.

ITEM placuit, ut quicumque dixerit gratiam Dei, in qua juſtificamur per JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur; anathema ſit.

IV. Quod gratiæ Christi adjutorium non ſit ſola revelatio veritatis, ſed etiam infuſio caritatis.

ITEM quiſquis dixerit, eandem gratiam Dei per JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum, propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus; anathema ſit. Cum enim dicat Apoſtolus: *Scientia inflat, caritas vero ædificat*; valde impium eſt, ut credamus, ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi: ad eam, quæ ædificat, non habere; cum ſit utrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus, ut ædificante caritate, ſcientia non poſſit inflare. Sicut autem de Deo ſcriptum eſt: *Qui docet hominem ſcientiam*; ita etiam ſcriptum eſt: *Caritas ex Deo eſt.*

1 Cor. 8. v. 1. Pſal. 93. v. 10. 1 Joan. 4. v. 7.

V. Quod gratia Christi non tantum adjuvet, ut facile præſtentur opera pietatis ſed ut præſtari poſſint.

ITEM placuit, ut quinque dixerit, ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius poſſimus implere per gratiam, tanquam etſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa, implere divina mandata; anathema ſit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: *Sine me difficilius poteſtis facere*; ſed ait: *Sine me nihil poteſtis facere.*

Joan. 15. v. 5.

VI. Quod nemo non veraciter dicat, ſe habere peccatum.

ITEM placuit, ut quod ait ſanctus Joannes Apoſtolus: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*; quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem non oportere dici, nos non habere peccatum, non quia veritas eſt; anathema ſit. Sequitur enim Apoſtolus, & adjungit: *Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Ubi ſatis apparet, hoc non tantum humiliter, ſed etiam veraciter dici. Poterat enim Apoſtolus dicere: Si dixerimus quia non habemus peccatum, nos ipſos extollimus, & humilitas in nobis non eſt. Satis oſtendit, eum qui ſe dixerit non habere peccatum, non verum loqui, ſed falſum.

1 Joan. 1. v. 8. Ibidem.

VII. Quod pro ſe quiſque dicat in oratione dominica: *Dimitte nobis debita noſtra.*

ITEM placuit, ut quicumque dixerit, in oratione dominica ideo dicere ſanctos: *Dimitte nobis debita noſtra*; ut non pro ſe ipſis hoc dicant, quia non eſt eis jam neceſſaria iſta petitio, ſed pro aliis qui ſunt in ſuo populo peccatores; & ideo non dicere unumquemque ſanctorum: Dimitte mihi debita mea; ſed: Dimitte nobis debita noſtra; ut hoc pro aliis potius, quam pro ſe juſtus petere intelligatur; anathema ſit. Sanctus enim & juſtus erat Apoſtolus Jacobus, cum dicebat: *In multis enim offendimus omnes.* Nam quare additum eſt, omnes, niſi ut iſta ſententia conveniret & pſalmo, ubi legitur: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens?* & in oratione ſapientiſſimi Salomonis: *Non eſt homo qui non peccet.* & in libro Job: *In manu omnis hominis ſignat, ut ſciat omnis homo infirmitatem ſuam.* Unde etiam Daniel

Matth. 6. v. 12. Jacob. 3. v. 2. Pſal. 142. v. 2. Eccleſ. 7. v. 21. Job 37. v. 7.

ſanctus & juſtus, cum in oratione pluraliter diceret: *Peccavimus, iniquitatem fecimus*, &c. quæ ubi veraciter & humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam ſentiunt, hæc non de ſuis, ſed de populi ſui potius dixiſſe peccatis; poſtea dixit: *Cum orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo noſtro.* Noluit dicere, peccata noſtra, ſed, populi ſui, dixit, & ſua, quia futuros iſtos, qui tam male intelligunt, tanquam propheta providit.

Dan. 9. v. 5.

Ibid. v. 20.

VIII.

Quod veniam quiſque petat, non humiliter tantum, ſed etiam veraciter.

Matth. 6. v. 12.

ITEM placuit, ut quicumque verba ipſa dominicæ orationis, ubi dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra*; ita volunt a ſanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur; anathema ſit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem, qui labiis ſibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ ſibi dimittantur, debita non habere.

Cur in aliis conciliis nulli canones editi.

DIGNUM vero notatu eſt in omnibus aliis Africanæ Eccleſiæ conciliis, nihil, quod ad fidem pertineret, decretum eſſe, ſed actum de ſola diſciplina, cauſiſque perſonarum. An quia provincialium conciliorum nulla erat de dogmatibus definiendi auctoritas, cum fides ſit communis cauſa, cujuſmodi nulla, niſi in concilio totius Africæ agebatur? Sed cur nec in primo concilio univerſali? An intelligebant ſancti viri quorum dux Aurelius, & velut ingenium Auguſtinus erat, *quoties fidei ratio ventilatur, omnes Epiſcopos, nonniſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris auctorem, referre debere, eamque eſſe antiquam traditionem, Patrumque inſtituta ſacerdotali officio cuſtodienda?*

Innoc. in epiſt. ad Milevit. & Carthag. concil.

Cur ergo nunc conditi canones? Id factum reor, quia jam ad Patres pervenerat exemplar tractoriæ, ſed privatis tantum literis, nondum per legatos. Quare ut abeuntibus Epiſcopis traderetur jam aliqua in anteceſſum pars tractoriæ, ex ea puto extractos canones, ſaltem duos priores, (quid, ſi, deeſſe tractoriæ cum dolerent partem, quæ gratiam Dei ſpectaret, eam ſuis canonibus ſupplendam crediderunt?) quos ab omnibus ferri majoris fuit ponderis, quam ſi a ſolis delegatis, quorum forte poteſtas euſque non pertinebat.

Cur in iſto conditi.

Quot Epiſcopi convenerint, dictum antea; ducenti nimirum & quatuordecim, ſi tamen omnes qui prius convenerant, revenerint poſt pentecoſtem ex ſuis Eccleſiis, quas inviſerant: quare irrepſit error in librum chronographi Proſperi, qui numerat 217. Fuit vero facile notariis pro CCXIV. ponere CCXVII. quanquam hic error non in omnibus codicibus MM. SS. SS. reperitur.

De numero Epiſcoporum emendatus Proſperi chronographi locus.

Hinc etiam poetæ Proſperi caſtiganda hyperbole, qui ter cententis procerum editos linguis canones dixit: ſolent enim poetæ numerum, qui ducentos prætergreſſus fuerit, trecentorum nomine appellare.

Et caſtigata poetæ hyperbole.

Dictum etiam ſatis, quo tempore ſanctiſſimi illi defenſores fidei convenerint, circiter nempe medium Junium. par eſt enim credere poſt feſta pentecoſtes peracta, ſolemnemque baptiſmum reverſos. Quare ſi ſe dederint in viam poſt octavum a baptiſmo diem, quo abſolvebantur feſta, dieſque in conficienda via quindecim poſuerint, quæ breviſſima mora: fatendum eſt non conveniſſe ante diem 17. Junii; nam ann. 418. litera dominicalis erat F, & paſcha contigerat die 7. April. atque ita pentecoſte inciderat in diem 26. Maii, abſolutio feſtorum in 2. Junii.

XIV. SYNODUS

ROMÆ IISDEM COSS. A ZOSIMO PAPA

ADVERSUS PELAGIUM ET CÆLESTIUM,

die XV. Aprilis celebrata.

Decima quarta ſynodus, quæ tertia Romana.

DECIMA quarta ſynodus, quæ tertia Romana, habita a Zoſimo Papa, ea ipſa eſt, quam M. Mercator AUDIENTIAM PLENIOREM vocat, *Commonit. cap.* 1. Auguſtinus, APOSTOLICÆ SEDIS EXAMEN ET JUDICIUM, *lib.* 2. *ad Bonif. cap.* 3. *& epiſt.* 105. Poſſidius, ECCLESIÆ CATHOLICÆ JUDICIUM, *in vita ſancti Auguſt. cap.* 18. Honorius imperator, BEATISSIMÆ ECCLESIÆ ACTA, *in edict. ad Pallad.* Proſper, CONCILIUM CUNCTORUM SACERDOTUM MUNDIQUE MANU SUBSCRIPTUM, *lib. cont. coll. cap.* 41. *& in carm. de Ingratis.*

Hinc miſſa ad omnes orbis Epiſcopos tractoria.

Lib. cont. coll. cap. 41.

Hanc habuit Zoſimus poſt patefactas hæreticorum artes, Cæleſtiique perſpectam malam fidem: inde miſit in univerſum orbem nobilem illam epiſtolam, *quæ*, ut ait Proſper, *ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit antiſtitum.*

Commonit. cap. 3.

Sed præſtat audire Mercatorem: *Quæ omnia ſuprascripta capitula, ut jam ſuperius dictum eſt, continet illa beatæ memoriæ Epiſcopi Zoſimi epiſtola, quæ tractoria dicitur; qua Cæleſtius Pelagiuſque damnati ſunt; quæ & Conſtantinopolim, & per totum orbem miſſa, ſubſcriptionibus ſanctorum Patrum eſt roborata*, &c.

Dixerat ſuperius poſt factam epiſtolæ per ſubreptionem a Cæleſtio obtentæ mentionem: *Epiſcopis vero ex Africa reſcribentibus, omnemque cauſam, quæ apud eos facta fuerat, exponentibus, miſſis etiam geſtis exinde, quæ fuerant tunc cum illo, vel de illo confecta, vocatus ad audientiam pleniorem, ut quæ promiſerat, feſtinaret implere, id eſt, ut damnatis prædictis capitulis, ſententia Afrorum Pontificum, qua fuerat communione privatus, abſolveretur, non ſolum non adfuit, ſed etiam ex memorata Romana urbe profugit, atque ob hoc a beatæ memoriæ prædicto Zoſimo Epiſcopo, ſcriptis ampliſſimis & longiſſimis perdamnatus eſt: in quibus & ipſa capitula, de quibus accuſatus fuerat, continentur; & omnis cauſa, tam de Cæleſtio ſupraſcripto, quam de Pelagio magiſtro ejus praviore, videtur eſſe narrata: quorum ſcriptorum & nos hic habemus exemplaria, & ad orientales Eccleſias, Ægypti diœceſim, & Conſtantinopolim, & Theſſalonicam, & Hieroſolyma, ſimilia eademque ſcripta ad Epiſcopos tranſmiſſa eſſe ſuggerimus.*

Ea continebat totam Pelagii Cæleſtiique cauſam.

De tractoria pluribus egimus in notis ad Commonitorium, agemus & in diſſertatione de ſubſcriptionibus imperatis in cauſa Pelagianorum: ubi hanc ab auctore appendicis ad epiſtolam Cæleſtini, nominatam oſtendimus CANONICAM AUCTORITATEM, id eſt fidei regulam, eique perinde in cauſa

Ab omnibus ſubſcribenda fuit tanquam regula fidei.

Pelagia-

Pelagianorum ſubſcribendum fuiſſe, atque in cauſa Eutychianæ hæreſis ſancti Leonis epiſtolæ ad Flavianum.

Plores Epiſcopi convenere cum urbico clero, imo & plebe.
Epiſt. 105.

Quot Epiſcopi convenerint, prorſus ignotum eſt: plures conveniſſe, ex eo colligitur, quod a Mercatore *plenior audientia* dicatur. Interfuiſſe clerum urbicum, imo & frequentiſſimum populum, tradit Auguſtinus, ſive ubi narrat Sixtum presbyterum, *quem fama jactaret faviſſe inimicis gratiæ, priorem eis, in frequentiſſimo populo, anathema dixiſſe*; ſive cum refert querelas Pelagianorum, aut calumnias potius, adverſus clericos Romanos, perinde quaſi *juſſionis terrore perculſi, non erubuiſſent prævaricationis crimen admittere, ut contra priorem ſententiam ſuam, qua geſtis catholico dogmati adfuerunt, poſtea pronuntiarent malam hominum eſſe naturam.*

Lib. 2. ad Boniſ. cap. 3.

Ratio temporis.

De tempore diſputatum eſt, ſaltem ex parte, inter inquirendum in Africana concilia: cum enim e conſeſſu habito Kal. Maiis reſcriptum ſit tertiis Zoſimi literis datis XII. Kal. Aprilis, quibus ſignificabat Pontifex, nihil adhuc definitum ſummo judicio; cumque prius ſententiam tulerit, quam Honorius, judicium ipſius ſequens, conſtitutionem daret ad Palladium pridie Kal. Maias, neceſſe eſt ſynodum conveniſſe intermedio tempore: at temporis hujus maximam partem tenuit quadrageſima cum feſtis paſchalibus, quæ contingerunt die 7. Aprilis. Par eſt credere ſtatim poſt abſolutos dies feſtos habitam ſynodum, id eſt, die 15. Aprilis, geſtiſque ad Honorium delatis, editam pridie Kal. Maias ſanctionem.

Huic temporum rationi belle omnia conveniunt, ſive quæ Auguſtinus ad Optatum ſcribit de epiſtola Zoſimi; ſive quæ Hieronymus ad Alipium & Auguſtinum, de jugulata, ipſis cooperatoribus & auctoribus, Cæleſtiana hæreſi; ſive quæ alii auctores, de toto Zoſimi cum Pelagianis negotio.

Epiſt. apud Auguſt. 24.

Quæ ſuperſunt tractoriæ fragmenta.

Tractoriæ Zoſimi nihil ſupereſt, niſi fragmenta quædam, partim apud Auguſtinum, partim in appendice epiſtolæ Cæleſtini ad Epiſcopos Galliæ, ſed ea vix idonea, quæ tantam jacturam conſolentur.

Ex epiſtola Auguſtini CLVII. *ad Optatum.*

Joan. 8. v. 38.

Nam ut jam verbis utar, quæ in ipſa epiſtola beatiſſimi antiſtitis Zoſimi leguntur: *Fidelis Dominus in verbis ſuis, ejuſque baptiſmus re ac verbis, id eſt, opere, confeſſione & remiſſione vera peccatorum, in omni ſexu, ætate, conditione generis humani eandem plenitudinem tenet. Nullus enim, niſi qui peccati ſervus eſt, liber efficitur: nec redemptus dici poteſt, niſi qui vere per peccatum fuerit ante captivus, ſicut ſcriptum eſt:* Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis. *Per ipſum enim renaſcimur ſpiritualiter, per ipſum crucifigimur mundo: ipſius morte mortis ab Adam omnibus nobis introductæ atque tranſmiſſæ univerſæ animæ, illud propagatione contractum chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum, antequam per baptiſmum liberetur, non tenetur obnoxius.* In his verbis apoſtolicæ ſedis, tam antiqua atque fundata certa & clara eſt catholica fides, ut nefas ſit de illa dubitare chriſtianos.

Ex prætentorum ſedis apoſtolicæ Pontificum auctoritatibus ſive ſententiis, epiſtolæ Cæleſtini Papæ ad Epiſcopos Galliarum ſubjici ſolitis.

Cap. VIII. Quod omnia ſtudia, & omnia opera, ac merita Sanctorum ad Dei gloriam, laudemque referenda ſint; quia nemo aliunde ei placeat, niſi ex eo, quod ipſe donaverit. in quam nos ſententiam dirigit beatæ recordationis Papæ Zoſimi regularis auctoritas, cum ſcribens ad totius orbis Epiſcopos ait: *Nos autem inſtinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem ſuum referenda ſunt, unde naſcuntur) ad fratrum & coepiſcoporum noſtrorum conſcientiam univerſa retulimus.* Hunc autem ſermonem ſinceriſſimæ veritatis luce radiantem tanto Afri Epiſcopi honore venerati ſunt, ut ita ad eundem virum ſcriberent: *Illud vero, quod in literis, quas in univerſas provincias curaſti eſſe mittendas, poſuiſti dicens: Nos tamen inſtinctu Dei, &c. ſic accepimus dictum, ut illos, qui contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, diſtricto gladio veritatis, velut curſim tranſiens, amputares. Quid enim tam libero feciſti arbitrio, quam quod univerſa in noſtræ humilitatis conſcientiam retuliſti? Et tamen inſtinctu Dei factum eſſe fideliter, ſapienterque vidiſti, veraciter, fidenterque dixiſti. Ideo utique, quia præparatur voluntas a Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda filiorum.* Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt; *ut* *Rom. 8. v.* 14. *nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.*

Cap. IX. Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operetur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit, quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus. Ad hanc enim nos profeſſionem idem doctor inſtituit, qui cum ad totius orbis Epiſcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur: *Quod ergo*, ait, *tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, cauſiſque, cogitationibus, motibus adjutor & protector orandus eſt. ſuperbum eſt enim, ut quicquam ſibi humana natura præſumat, clamante Apoſtolo:* Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed contra principes, & poteſtates aeris hujus, contra ſpiritalia nequitiæ in coeleſtibus. *Et ſicut ipſe iterum dicit:* Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum. *Et iterum:* Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit; ſed plus illis omnibus laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum.

Epheſ. 6. v. 12
Rom. 7. v. 24.
1 Cor. 15. v. 10.

Quis exitus concilii, & qui fructus tractoriæ.

Quis fuerit exitus, quiſve fructus, ſive concilii, ſive tractoriæ, intelligere licet ex omnibus ejuſdem ævi ſcriptoribus, præſertim Auguſtino, Proſpero, Mercatore, aliiſque cum Poſſidio, cujus ſunt hæc verba: *Et quoniam iidem* (Pelagianiſtæ) *perverſi, ſedi apoſtolicæ per ſuam ambitionem eandem perfidiam perſuadere conabantur, inſtantiſſime etiam conciliis Africanis ſanctorum Epiſcoporum, geſtum eſt, ut ſancto Papæ urbis Romæ, & prius venerabili Innocentio, & poſtea ſancto Zoſimo ejus ſucceſſori perſuaderetur, quod illa ſecta catholica fide & abominanda & damnanda fuiſſet. At illi tantæ ſedis antiſtites ſuis diverſis temporibus eoſdem notantes, atque a membris Eccleſiæ præcidentes, datis literis ad Africanas, Orientiſque & Occidentis Eccleſias, eos anathematizandos & devitandos ab omnibus catholicis cenſuerunt. Et hoc tale illis Eccleſiæ Dei catholicæ prolatum judicium, etiam piiſſimus imperator Honorius audiens ac ſequens, ſuis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere conſtituit. Unde nonnulli ex eis ad ſanctæ matris Eccleſiæ gremium, unde reſilierant, redierunt, &c.*

In vita S. Aug. cap. 18.

XV. SYNODUS

CARTHAGINE AB AURELIO CONGREGATA EX TOTA DIOECESI AFRICÆ,

eodem anno, menſe Auguſto.

Decima quinta ſynodus, quæ tertia plenaria Africana. Carthagine celebrata menſe Auguſto.

DECIMA quinta ſynodus, quam ſi cum Auguſtino loqui velimus, tertium dicere debemus in cauſa Pelagiana concilium univerſale Africanum, celebrata eſt, ut dictum antea, Carthagine circiter medium Auguſtum: neque enim tardius potuit, cum interfuerit Auguſtinus, qui XII. Kalend. Octobris Cæſareæ verſabatur in Mauritania.

A quindecim Epiſcopis.

Conſederunt Epiſcopi quindecim de ſingulis provinciis electi, ut eſt in canone ultimo præcedentis concilii. *Item placuit, ne diutius univerſi Epiſcopi, qui ad concilium congregati ſunt, tenerentur, ab univerſo concilio judices ternos de ſingulis provinciis eligi: & electi ſunt de provincia Carthaginenſi Vincentius, Fortunatianus, & Clarus. de provincia Numidiæ Alipius, Auguſtinus, & Reſtitutus. de provincia Byzacena, cum ſancto ſene Donatiano primate, Creſconius, Jocundus & Æmilianus. de Mauritania Sitifenſi Severianus, Aſiaticus, & Donatus. de provincia Tripolitana, Plautius, qui ex more legatus unus eſt miſſus: qui omnes cum ſancto ſene Aurelio univerſa cognoſcant, a quo petiit univerſum concilium, ut cuncta ſive geſta, quæ confecta jam ſunt, ſeu epiſtolis ipſe ſubſcribat. & ſubſcripſerunt. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginenſis huic decreto conſenſi, & prælecto ſubſcripſi. ſimiliter & cæteri ſubſcripſerunt.* Præfuit de more Aurelius, cum Donatiano ſene provinciæ Byzacenæ: qua occaſione obſerva, primates ſemper ſupra numerum legatorum adfuiſſe.

Interfuere duo primates, Aurelius & Donatianus.

Nota vero in canone citato numerari tantum quindecim electos, deſiderari vero nomina electorum ex Mauritania tum Cæſarienſi, tum Tingitana: ex qua tamen utraque conveniſſe Patres conſtat ex præcedentis concilii Africani præfatione. Hi autem ſi adeſſent, cum primatibus duobus, augerent quidem numerum, non tamen ita, ut parem efficerent ei, qui reperitur in vulgatis conciliis, ubi concilium dicitur habitum a XXXVIII. Epiſcopis. An non forte remanſerunt aliquot ſua ſponte Patres? An puduit librarium tantilli numeri, & XV. additis hinc & inde notis auxit? Cauſa porro, cur ex Mauritaniis duabus maritimis nulli remanſerint legati, hæc mihi videtur non improbabilis, quod nempe tunc, cum electio facta eſt, imo cum canon conditus, jam receſſerant utriuſque prædictæ provinciæ Epiſcopi, propter bellum a Wiſigothis illatum Vandalis, Silingis & Alanis, in vicina parte Hiſpaniæ conſiſtentibus.

Quid geſtum ſit in ſynodo, ſatis ſuperque patet ex ſuperioribus. Lectæ nimirum Zoſimi epiſtolæ duæ, altera ad omnes orbis Epiſcopos communis, altera ad Afros ſingularis. Actæ gratiæ ſcriptis literis, quarum fragmentum hoc habetur apud Proſperum: *Erraverunt Africani Epiſcopi ad eundem Papam Zoſimum reſcribentes, eumque in ſententiæ hujus celebritate laudantes, cum aiunt: Illud vero, quod in literis tuis, quas ad univerſos curaſti eſſe mittendas, poſuiſti dicens: Nos tamen inſtinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem ſuum referenda ſunt, unde naſcuntur) ad fratrum & coepiſcoporum noſtrorum conſcientiam univerſa retulimus; ſic accepimus dictum, ut illos qui contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, diſtricto gladio veritatis, velut curſim tranſiens, amputares. Quid enim tam libero feciſti arbitrio, quam quod univerſa in noſtræ humilitatis conſcientiam retuliſti? Et tamen inſtinctu Dei factum eſſe, fideliter, ſapienterque vidiſti, veraciter fidenterque dixiſti. Ideo utique, quoniam præparatur voluntas a Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda filiorum.* Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei; *ut nec noſtrum ſentiamus deeſſe arbitrium, & in bonis quibuſque, ac voluntatis humanæ ſingulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.*

Lib. cont. Coll. cap. 10.

Rom. 8. v. 14.

XVI. SYNODUS

CARTHAGINE AB AURELIO CONVOCATA MONAXIO ET PLINTA COSS.

III. Kalendas Julias, anno CCCCXIX.

Decima ſexta ſynodus, quæ quarta Africana. Tempus & locus. In ea recogniti canones octo dogmatici.

IN hunc locum referri poteſt, imo debet, univerſale aliud Africanum concilium, quod celebratum reperitur poſt conſulatum Honorii XII. & Theodoſii VIII. III. Kal. Julii, Carthagine, in ſecretario baſilicæ reſtitutæ, id eſt, ano. 419. die 29. Junii: in ea enim recogniti ſunt, atque iterum approbati canones octo adverſus hæreſim Pelagianam.

Imperialis epiſtola de ſubſcriptionibus accepta.

Accepta eſt etiam, niſi fallor, imperialis epiſtola ad Aurelium Ravennæ data V. Idus Junias, de exigendis ſubſcriptionibus condemnationi Cæleſtii & Pelagii ab omnibus Epiſcopis.

Hinc Aurelii epiſtola in provincias miſſa.

Imo & inde ab Aurelio miſſa Kal. Auguſti in provincias Byzacenam & Arzeguitanam denuntiatio imperialis decreti. Utraque refertur in diſſertatione ſequente, imo & notis illuſtratur, quæ non mediocrem lucem præſentibus afferunt.

Adfuere legati ex omnibus provinciis & legati ſedis apoſtolicæ.

Adfuere 22. Epiſcopi, quorum nomina in actis recenſentur. Adfuit & Fauſtinus Potentinæ civitatis Epiſcopus, cum duobus aliis apoſtolicæ ſedis legatis, Philippo & Aſello, presbyteris.

Quod autem conveniſſe leguntur 217. Epiſcopi, id ita intelligendum eſt, ut totidem ſubſcripſiſſe dicantur, quot legatos communi nomine rem acturos, aliis ad ſuas Eccleſias redeuntibus, elegerunt.

Recognita quoque præcedentia concilia omnia, & confectus codex Eccl. Africanæ.

Jam vero delegatos judices concilium tenuiſſe diu, poſtquam reliqui ad ſuas Eccleſias reverterunt, non tantum acta teſtantur, ſed hæc etiam ratio evincit, quod *recitata ſint in hac ſynodo diverſa concilia univerſæ provinciæ Africæ, tranſactis temporibus Aurelii Carthaginenſis Epiſcopi celebrata*; neque modo recitata, ſed breviata, ut opinor: quod præſtari non potuit, niſi juſto temporis ſpatio. Breviationem

nem enim factam a Patribus, non item temere ab aliquo, ut quibuſdam viſum eſt, conſarcinatore, ita ſentio, ut aſſerendis tamen argumentis abſtinendum putem, quia tractari quæſtionem viden paulo commotius, quam forte modeſtia ſeverior permittat.

XVII. SYNODUS

EPISCOPORUM SECUNDÆ CILICIÆ ANAZARBI A MAXIMIANO HABITA ADVERSUS JULIANUM, ASCLEPIODOTO ET RUFO COSS.

anno CCCCXXII.

Decima ſeptima ſynodus in ſecunda Cilicia, cujus meminit Mercator.
In præfat. ad ſymb. Theodori Mopſueſt.

DECIMÆ ſeptimæ ſynodi habitæ ab Epiſcopis ſecundæ Ciliciæ in cauſa Juliani, unus, quod ſciam, Mercator meminit: *Agnoſcat*, inquit, *ſupradictus Julianus ex hac tranſlatione, ſi legere non faſtidierit, manente apud memoratum Theodorum illa, quæ eum diximus mala fide ſectum Neſtorium decepiſſe, etiam ſibi magis ſuoque dogmati, de quo male turgidus & maleſanus libros confecit, eſſe contrarium, ſeque etiam poſt de Cilicia abſceſſum, ab eo in Epiſcoporum provinciæ ſuæ conventu anathemate eſſe damnatum.*

Ex bis verbis, licet admodum paucis, nec parum obſcuris, tempus, cauſam, locum, & Patrum nomina conati ſumus conjiciendo aſſequi in notis ad præfationem citatam: ſic enim argumentati ſumus, & primo quidem ad inquirendum tempus.

Ratio temporis.
In fine hiſt. eccleſ.
Cap. 5.

Cum ſynodus habita ſit poſt abſceſſum Juliani ex Cilicia, & ante mortem Theodori Mopſueſteni, cumque Theodorus obierit ann. 428. ut tradit Theodoretus, & Julianus ex Cilicia io Italiam reverterit ann. 423. ut confecimos in diſſertatione præcedente; neceſſe eſt ſynodum referre ad ſpatium temporis interjectum, quod eſt quinque annorum. Sed ad quem annum? Ad eum, opinor, quo Julianus e Cilicia diſceſſit, id eſt, ad 423. tumultuantibus nimirum ſtatim corruptis a Juliano clericis, quos antea præſentia continuerat, auctoritaſque magiſtri caventis, oe infanda myſteria proderentur in publicum; nam ſimile quiddam aliis in locis contigiſſe teſtatur ſanctus Cæleſtinus in epiſtola ad Maximianum Conſtantinopolitanum data poſt concilium Epheſinum.

Cauſa cogendæ ſynodi.

Cauſam igitur vocandæ ſyoodi non aliam fuiſſe reor, quam quæ mox dicta eſt, audaciam ſcilicet erumpentis in apertum hæreſis, quæ a Juliano, ipſiuſque ſociis (quos inter extitiſſe Cæleſtium nullus dubito) occulte tantum tradita fuerat. Hanc enim comprimendam rati ſecundæ Ciliciæ Epiſcopi, anathema dixerunt in hæreſim, quam facile intellexerant jamdudum damnatam: & Antiochiæ, ad cujus diœceſim pertinebant: & in Palæſtina, Rhodoque inſula, atque Conſtantinopoli, quibuſcum commeatu frequentiſſimo jungebantur.

Convenere novem Epiſcopi ſecundæ Ciliciæ.

Cum ille porro conventus a Mercatore dicatur fuiſſe Epiſcoporum provinciæ, in qua erat Mopſueſtia, par eſt opinari a metropolita Ciliciæ ſecundæ convocatum, id eſt, ab Epiſcopo Anazarbi, quæ Juſtinianopolis poſtmodum vocata eſt, in eoque conſediſſe Epiſcopos Mopſueſtiæ, Ægeæ, Caſtabalorum, Epiphaniæ, Flaviados, Irenopolis, Alexandri, & Roſſi: bos enim ſub metropolita Anazarbeno fuiſſe conſtat ex concilio Mopſueſteno anni 550. Porro tunc temporis Maximianus vel Maximus Anazarbi, Heſychius Caſtabalorum, Polycbronius Epiphaniæ, Aurelius Irenopolis, Theodorus Mopſueſtiæ epiſcopatum gerebat: omnes enim iſti, præter Theodorum, ſubſcripti reperiuntur in conciliabulo Epheſino, octo abhinc annis coacto. Subſcripſit quoque Maximianus in relatione Neſtorii ad Imperatores, ubi Maximus appellatur. credibile vero eſt eoſdem Epiſcopos ante octo annos ſediſſe in locis ante me moratis.

Præfuit Maximus, ſeu Maximianus Anazarbenus.
Tom. 3. conc. editionis Labbeana pag. 598.
Part. 2. conc. Epheſini act. 22 pag. 567.

Dictum anathema Juliano ab ipſo quoque Theodoto. Epiſcopiſque Neſtorio faventibus.

Dictum eſt in concilio anathema Juliano a cunctis Epiſcopis, etiam a Theodoro bis ſtrophis aſſueto: quid præterea geſtum, penitus ignoratur.

Mirum vero, potuiſſe anathema Juliano dici ab hominibus, qui Neſtorio poſtmodum faverunt, & jam tum errores Theodori, qui Neſtorium ſeduxit, imbiberant, cum Julianus & Neſtorius cognatione hæreſis ſociati ſint. Verum meminiſſe oportet, dogma Juliani, quod hoc in concilio damnatum eſt, non aliud extitiſſe, quam quod ad mortalitatem Adami, & peccatum originis attineret, cujus erroris ut auctorem fateamur Theodorum, non immunem tantum, ſed etiam oppugnatorem fuiſſe Neſtorium conſtat, ex ſermonibus io Eccleſia habitis, quos edidimus a Mercatore latinitate donatos, quorumque meotionem Cæleſtinus facit.

In epiſt. ad Neſtorium, 1. pars conc. Epheſ. cap. 18.

Cur Epheſi ſchiſmaticis catholici, & illi viciſſim iſtis ſocietatem Cæleſtiani erroris objicerent.

Ex his colligere licet, quam ob cauſam, non modo Patres, qui œcumenicam ſynodum Epheſi conſtituebant, ſed etiam ſchiſmatici, qui cum Joanne Antiocheno coiverant, ſuis quique adverſariis objicerent crimen ſocietatis cum Cæleſtianis. Stabant enim ab utraque parte Epiſcopi ex his provinciis, in quibus hæreſis Cæleſtiana eo uſque invaluerat, ut multos de plebe & clero, non paucos inter Eccleſiarum antiſtites infeciſſet, & judiciis eccleſiaſticis, etiam quibus Epiſcopi deponerentur, damnari meruiſſet. Sic Epheſi, ſic in Palæſtina, ſic Antiochiæ, & in Cilicia, aliiſque locis, uode Epiſcopi Epheſum convenerant, peſtis illa & bacchata fuerat, & compreſſa.

Cur hoc crimen a ſe Cyrillus & Memnon depulerint.

Licet etiam intelligere, cur in libello, quem ſanctus Cyrillus Alexandriæ, & Memnon Epheſi Epiſcopi obtulere ſynodo, poſt factam ſibi a ſchiſmaticis depoſitionis injuriam, inter diluendum diverſarum hæreſeon crimen ſibi objectum, Cæleſtianorum quoque dogmatum mentionem fecerint in hæc verba: *Etenim nos nullo unquam tempore Apollinaris, aut Arii, aut Eunomii doctrinam probavimus; ſed ab ineunte ætate, ſacras literas didicimus, & in ſanctorum & orthodoxorum Patrum manibus educati ſumus. Anathematizamus autem & Apollinarium, & Arium, & Eunomium, & Macedonium, Sabellium, Photinum, Paulum, & Manichæos, & quamcumque aliam hæreſim, & præter hos inſuper novarum blaſphemiarum inventorem Neſtorium, & qui ei communicant & conſentiunt, & eos qui Cæleſtii vel Pelagii placita ſequuntur, quorum dogmata nunquam ſuſcepimus: neque nunc per pœnitentiam mutata voluntate nos recipimus ad recte ſentiendum, ſed, ut dictum eſt, in rectis & apoſtolicis Eccleſiæ dogmatibus enutriti ſumus.*

2 part conc. Epheſ. act. 5.

Poterat enim Memnon, imo forte & Cyrillus, venire in ſuſpicionem favoris Cæleſtio præſtiti, quippe qui Epheſinæ Eccleſiæ presbyter foret, & Valerianum Alexandriam ad tentandam Cyrilli fidem miſiſſet: quaoquam, opinor, dictum illud videri poteſt habere

ſpeciem rejecti in ſchiſmaticos criminis, quod Photini, Samoſateni, Manichæorum, Pelagiique & Cæleſtii fautorem Neſtorium ſequerentur. magna enim fuit ſocietas erroris de Chriſto ſuis meritis divinitatem promerito, inter Samoſatenum & Pelagium, ut oſtendimus in diſſertatione de Pelagianæ hæreſis auctoribus & defenſoribus.

XVIII. SYNODUS

CONSTANTINOPOLI AB ATTICO COLLECTA

IN CAUSA

EJECTORUM EX OCCIDENTE EPISCOPORUM,

anno CCCCXXIV. vel CCCCXXV.

Decima octava ſynodus, quæ ſecunda Conſtantinopolitana. Hujus meminit Proſper *Carm. de Ing. cap. 2.*

DECIMA octava ſynodus, quæ ſecunda Conſtantinopolitana in cauſa Pelagianorum, contracta eſt ab Attico ann. 424. vel initio conſequentis.

Hujus meminit Proſper his verſibus:

Quid loquar, & magna curam quam geſſit in urbe
Conſtantinopoli doctis bonus ore ſacerdos
Atticus, antiquis legatos hæreticorum
Confutando fide, de qua tunc impia corda,
Quamvis ſe obducto tegerent velamine formæ
*Judicis, * tacitæ tulerunt tormenta repulſæ.*

* meritæ Et S. Cæleſtinus.

1 part. conc. *Epheſ. cap. 18.*

Meminit & Cæleſtinus Pontifex Neſtorio reſcribens de Pelagianis in hæc verba: *Aliquantis diebus vitæ noſtræ, poſt nefandum, & ſæpe damnatum dogma Pelagii atque Cæleſtii, catholica fides quietem habuit, quando eos, cum ſuæ opinionis ſequacibus, telis unitæ ſententiæ Oriens Occidenſque percuſſit; idemque ſanctæ recordationis Atticus, catholicæ magiſter fidei, & vere beati Joannis etiam ad iſta ſucceſſor, eos ita perſecutus eſt pro rege communi, ut nec ſtandi quidem illic copia præſtaretur.* Et paulo poſt: *Hos quoque hæreticos, de quibus nos, velut eorum, quæ geſta ſunt, neſcius conſulere voluiſti, ſedibus ſuis injuſta dicentes expulit juſta damnatio, quos illic inveniſſe requiem non putamus eſſe mirandum.* Et poſtea: *Legimus, quam bene teneas originale peccatum.* Et poſtea: *Quid tecum faciunt, qui ſunt hæc negando damnati?* Et poſtea: *Cur tamen ea, quæ in hos tunc ſunt acta, quæruntur, cum certum ſit illinc ad nos a catholico tunc antiſtite Attico geſta directa? Cur non ſanctæ memoriæ Siſinnius iſta quæſivit? quia utique ſub deceſſore ſuo probaverat eos jure damnatos.*

Differt a prima quæ ann. 417. convenit.

Ex his autem duobus teſtibus non obſcure conſtat, hanc, de qua uterque loquitur, ſynodum a priore, quam octavo loco poſuimus, differre: prior enim habita eſt temporibus Zoſimi; iſta Cæleſtini. In priore acta eſt ſolius Cæleſtii cauſa; in poſteriore Epiſcoporum ex Occidente expulſorum. In priore non traditur Mercator diſputatum cum Cæleſtio, ſed eum dumtaxat in ſimilibus, quæ Carthagine ſparſerat, deprehenſum; in poſteriore confutatos ait Proſper antiqua fide hæreticos. Priori ſolus Cæleſtius interfuit; poſteriori, legati hæreticorum. Poſt priorem *detruſus eſt alma ex urbe Cæleſtius*; poſt ſecundam, illi *quos telis unitæ ſententiæ Oriens Occidenſque percuſſerat.* E priore miſſæ ſunt literæ in Aſiam, Theſſalonicam, & Carthaginem ad Epiſcopos; e poſteriore ad ſedem apoſtolicam. Atque inde certum eſt, falli eos, non ſolum qui duas ſynodos in unam confundunt; ſed etiam qui nomine legatorum ab hæreticis miſſorum, Cæleſtium unum intelligunt. Ratio temporis.

Tempus ſynodi non difficili negotio cognoſcitur ex iis, quæ mox dicta ſunt. Cum enim Atticus obierit die 10. Octobris ann. 425. & Cæleſtinus in ſede apoſtolica ſedere cœperit die 3. Novembris ann. 423. Quis exitus. neceſſe eſt Atticum habuiſſe Conſtantinopoli ſynodum ann. 424. vel initio ann. 425. ſiquidem Cæleſtino Pontifici geſta tranſmiſerit. quod Cæleſtinus ipſe teſtatur.

Quis fuerit exitus, conſtat, tum ex verſibus Proſperi, tum ex literis Cæleſtini ad Neſtorium: ejecti ſunt ſcilicet urbe Regia Pelagiani Epiſcopi, & Atticus *catholicæ fidei magiſter, vereque in eo beati Joannis ſucceſſor*, glorioſum vitæ, varias inter converſiones rerum tranſactæ, finem impoſuit, ſuis poſt victos Chriſti hoſtes, quaſi triumphis immoriens. Acta non exſtant.

Perierunt acta, magno rei catholicæ damno: nam ſi licet augurari ex verbis Proſperi, continebant argumenta a traditione Patrum petita, quibus hæreticorum legati confutati ſunt, ſuper iis quæſtionibus, propter quas ſe immerito damnatos querebantur; hoc eſt, de peccato originali, & gratia Dei per Chriſtum, quæ pro ſua, qua pollebat, eximia tractandi ſcientia Atticus, valide ſuo more preſſit, atque omnibus perſpicienda expoſuit: nihil enim hoc Patre fuit, vel fortius ad urgendum, vel clarius ad explicandum, quod tractaret.

XIX. SYNODUS
ROMÆ A CÆLESTINO HABITA
IN CAUSA EPISCOPORUM
PELAGIO PERTINACITER FAVENTIUM;
VICTORE ET CASTINO COSS.

anno CCCCXXIV. vel Theodoſio Auguſto XI. & Valentiniano Cæſare coſſ. anno CCCCXXV.

Synodus decima nona, quæ quarta Romana.

SYNODUS decima nona, quæ quarta Romana, coacta eſt a Cæleſtioo Romæ in cauſa Epiſcoporum, qui pertinaciter formulæ fidei a Zoſimo præſcriptæ ſubſcribere detrectabant.

Meminit Neſtorius ſynodi a Cæleſtino contractæ. Epiſt. 1. ad Cæleſt. 1. part. conc. Epheſ. cap. 16.

Mentionem ſynodi, hac in cauſa cootractæ a Cæleſtino, meminit ſubobſcure Neſtorius pro Pelagianis ſcribens ad eundem Cæleſtinum: *Dignare nobis notitiam de his largiri, ne vel quidam, ignorando juſtitiam veritatis, importuna commiſeratione conturbentur,* VEL CANONICAM INDIGNATIONEM *beatitudinis tuæ, quæ contra eos pro ſectis religionis forte probata eſt, aliud quiddam quam hoc æſtiment.* Quid enim eſt canonica indignatio pro ſectis religionis prolata, præter ſyoodalem ſententiam? Canonibus enim ſancitum erat, ſaltem more Eccleſiæ receptum, de dogmatibus judicium non ferre, niſi io ſynodo.

Meminit Proſper. Lib. cont. Coll. cap. 41.

Paulo clarius loquitur Proſper: *Venerabilis memoriæ Pontifex Cæleſtinus, cui ad catholicæ Eccleſiæ præſidium multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt, ſciens damnatis non examen judicii, ſed ſolum pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum, Cæleſtium, quaſi non diſcuſſo negotio, audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus juſſit extrudi: adeo & præceſſorum ſuorum ſtatuta, & decreta ſynodalia inviolabiliter ſervanda cenſebat, ut quod ſemel meruerat abſcindi, nequaquam admitteret retractari.*

Atque etiam Patres Epheſini. 2 part. conc. Epheſ. act. 5.

Aperte Patres Epheſini: *Perlectis in ſancta ſynodo commentariis actorum in depoſitione impiorum Pelagianorum & Cæleſtianorum, & quæ a pietate tua de ipſis decreta & conſtituta ſunt, judicavimus & nos, ea ſolida firmaque permanere debere.*

Dubium, qua de ſynodo intelligi debeant allata teſtimonia.

Verum dubitabile nonnihil occurrit ſuper his teſtimoniis: nimirum an de uno tantum concilio intelligenda ſiot: an de duobus, quorum alterum anteceſſerit Neſtorii literas, alterum conſecutum ſit.

Certum enim eſt, poſt acceptas Neſtorii literas, Cæleſtinum Romæ celebraſſe coocilium, in quo non ipſius tantum cauſa, ſed etiam Pelagianorum Epiſcoporum acta ſit; ex eoque dediſſe ad Neſtorium, clerum Conſtaotinopolitanum, Cyrillum Alexandrinum, Joannem Antiocbenum, & Juvenalem Hieroſolymitanum literas, quibus condemnatio Neſtorii, imo & aliorum, contineretur.

Certum quoque, hujus coocilii acta, vel cum literis mandatiſque ad Cyrillum miſſa fuiſſe, vel, quod magis opinor, per legatos ſedis apoſtolicæ, Arcadium, Projectum & Pbilippum, ad Patres Epheſi congregatos delata, eaque lecta, & a ſancta ſynodo comprobata. Igitur a Cæleſtino, vel nullus ante literas Neſtorii, vel diverſus ab iſto, quem memoravimus, cooventus babitus eſt. At habitum aliquem ſignificant, cum bæc verba priorum Neſtorii literarum, *canonicam indignationem beatitudinis tuæ*; tum iſta maxime poſteriorum, *ideo de occidentalibus partibus projectos eſſe.* ſignificant enim depoſitos a Cæleſtino in concilio Epiſcopos: ſiquidem inauditum erat illis temporibus, imo cenſebatur aperta canonum violatio, Epiſcopum deponi, vel etiam a ſummo Pontifice, ſine concilii congregatiooe. Collecta ſuot igitur duo concilia diverſis temporibus in cauſa Epiſcoporum ſubſcribere detrectantium.

Duæ enim habitæ.

At quando primum? Poſterius enim ſua ſatis nota conſignatur ex literis a Cæleſtino ad Cyrillum datis III. Idus Auguſti, Theodoſio XIII. & Valentiniano III. AA. CC. id eſt, die 11. Auguſti, ann. 430. Non alibi melius ipſum collocari poſſe puto, quam vel in ſecundo, vel in tertio Cæleſtini anno, id eſt, vel ann. Chriſti 424, quo perlata ſunt Romam Attici geſta adverſus legatos bæreticorum, vel ann. 425. quo Atticus ad meliorem vitam tranſiit.

Quo tempore utraque.

Loco prius citato.

Caſſianus idipſum antea indicaverat, atque etiam magnificentius ſcripſerat, eum epiſtolam diceret catholicorum omnium fidem: *Hanc ejus confeſſionem, id eſt,* CATHOLICORUM OMNIUM FIDEM, *& omnes Africani Epiſcopi, unde ſcribebat, & omnes Gallicani, ad quos ſcribebat, comprobaverunt.*

In epiſt. ad Avien.

Manifeſtius Joannes Secundus in epiſtola ad Avienum: *Leporius in epiſtola, quam Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis, & beatus Auguſtinus, & ſynodus Africana firmavit.*

Nec obſcure ipſe Leporius ſubſcribens libello: *Ego Leporius libellum meo ſenſu dictatum, in quo fidem meam, quam, Deo volente, in finem uſque tenebo, medullitus exprimere volens, coram ſanctis Epiſcopis in Eccleſia Carthaginenſi, relectum ſubſcripſi.* Nota locum habiti concilii, IN ECCLESIA CARTHAGINENSI.

Et addiderunt literas ad Gallicanos Epiſcopos teſtes veritatis.

Nec tantum Africani Patres ſubſcripſerunt libello, ſed literas quoque dederunt ad Gallicanos Epiſcopos, quarum finis ſic ſe habet: *Sicut per ſuam præſentiam ſuſceptus eſt a nobis, ſic per ſuam epiſtolam ſuſcipiatur a vobis; cui quidem epiſtolæ noſtra etiam manus ſubſcribendum putavimus, ipſius eſſe teſtantes. Hanc ejus correctionem dilectionem veſtram minime dubitamus & gratanter accipere, & eis notam facere, quibus ejus error ſcandalum fuit: quia & illi, qui cum eo venerunt ad nos, cum illo correcti atque ſanati ſunt, ſicut eorum ſubſcriptionibus, quæ coram nobis factæ ſunt, tenetur expreſſum,* &c.

Ratio temporis.

In annal. ad ann. 420. num. 13.

Supplem. p. 20. Tom. 1. conc. Gall. in notis.

Quo tempore libellus, vel oblatus ſit Africanæ ſynodo, vel ad Galliarum Epiſcopos miſſus, etſi incertum putat Baronius, alii tamen definire conati ſunt. Auctor Supplementi conciliorum Galliæ id contigiſſe credit, ann. 418. P. Sirmondus rejicit ad annum 425. P. Labbeus etiam ad ſequentem 426.

Tom. 2. conc. gener. p. 1684.

Rejicitur opinio auctoris Supplementi.

Auctor Supplementi conciliorum opinionem ſuam infirmo argumento probat: ipſi enim videtur Africana ſynodus, cujus meminit Joannes Secundus, eſſe eadem, quæ celebris illa ann. 418. habita, Zoſimi temporibus. Sed id tam facile rejicitur, quam aperte oſtenditur, duo ſaltem, poſt hæc tempora, congregata fuiſſe Africana concilia: alterum circa annum 423. ut ex ſchedis Lucæ Holſtenii a P. Labbeo colligitur: alterum ann. 424. ſedente Cæleſtino. Potuit igitur libellus alterutri a Leporio offerri.

Tom. 2. conc. gener. p. 1605.

Opiniones aliæ duæ examinantur.

De aliis duabus ſententiis, ita nonnullus aliquando mecum diſſerebat: Leporius adhuc erat monachus, cum libellum offerret, fuit vero presbyter, cum de eo ſcriberet Caſſianus ann. 429. oblatus eſt igitur libellus ante ann. 429. Deinde Leporii error non modo exortus eſt, ſed & a ſuo auctore damnatus, antequam Neſtorius eundem doceret, ut tradit idem Caſſianus; docuit vero Neſtorius ann. 428. oblatus eſt igitur libellus ſaltem ann. 427. Tertio colligi poteſt, aut ſaltem videtur poſſe, ex Caſſiano, Leporium, cujus mentio habetur in actis eccleſiaſticis ab Auguſtino confectis, cum ſibi Eradium ſucceſſorem deſignaret, hunc ipſum eſſe, quem ex monacho presbyterum Auguſtinus in Hipponenſi Eccleſia ordinavit. Iſte autem Leporius ann. 426. quo conſignantur acta, numerabatur inter presbyteros Hipponenſes. Cum igitur datus ſit libellus a monacho, dari certe debuit ann. ſaltem 425. aut etiam 424. quo nimirum tempore univerſale concilium Carthaginenſe, poſt finitam Apiarii cauſam, literas dedit ad Cæleſtinum Bonifacii ſucceſſorem.

Epiſt. 110.

In hanc ego viri alioquin eruditi ſententiam ire nequeo, duabus de cauſis. Nam veluti certum ſumit, quod dubium merito videri poteſt, ſi non omnino falſum, Leporium nempe, quem acta recenſent inter presbyteros Hipponenſes, eum eſſe, de quo nunc agitur. Diverſum vero ex eo demonſtro, quod inter ejuſmodi presbyteros Leporius numeretur ſecundus ante Barnabam, Lazarum, & Eradium, veteres Auguſtini miniſtros, ut conſtat ex ſermone 50. de diverſis: numerandus utique inter poſtremos, ſi recens ex monacho presbyter creatus eſſet.

Quid quod inde amplius apertum eſt, Leporium, cujus mentio eſt in actis, jam tum fuiſſe presbyterum, cum adhuc Eradius & juvenis foret, & tantum diaconus, qui jamdudum tamen inter presbyteros merebat, cum ann. 426. acta fierent, quæ inter epiſtolas Auguſtini num. 110. cenſentur. Adde quod Leporius, de cujus libello agitur, necdum presbyter erat, ſed monachus tantum, quo tempore libellum ſuum obtulit Africanæ ſynodo, & in Gallias miſit. Nam Patres Africani in epiſtola ad Gallicanos filium vocant, & Caſſianus prius correctum indicat quam ordinatum. Et vero qui Auguſtinus male ſentientem de fide incarnationis, ideoque ex Eccleſia ejectum, creaſſet presbyterum? Quis ergo Leporius in actis memoratus? Ille, opinor, quem Auguſtinus in ſermone laudato, *ſæculi natalibus clarum, & apud ſuos honeſtiſſimo loco natum, ſed cunctis quæ habebat, relictis, inopem propter Chriſtum ſe ſuſcepiſſe tradit.*

Jam vero cum Auguſtinus ſubſcripſerit epiſtolæ Leporii ad Gallicanos Epiſcopos, nec tamen recenſeatur inter Patres ex Africano concilio ad Cæleſtinum ſcribentes, non imprudenter quiſpiam dubitaverit, an concilium illud univerſale ann. 424. ſit ipſa ſynodus Africana, cujus meminit Joannes Secundus, cum Leporii teſtimonium adducit. Non diffiteor, quin hujus rationis momentum minui poſſit ex eo, quod, cum epiſtola Patrum Africanorum paulo ſit durior in Cæleſtinum, cujus tamen tunc temporis Auguſtinus in cauſa Antonii Epiſcopi Fuſſalenſis, literis humillimis atque urgentiſſimis opem imploraret, a ſubſcribendo abſtinuiſſe dici queat, ne animum ſummi Pontificis, ſuo nomine appoſito, commoveret.

Fertur ſententia de anno oblati libelli.

1 part. conc. Epheſ. cap. 30.

Dum inter hæc dubius ancipiti conjectura fluctuaret animus, incidi forte in ſupplicationem Baſilii diaconi, & archimandritæ, aliorumque monachorum apud Theodoſium imperatorem expoſtulantium de Neſtorio: in qua non tantum mentio ſit Leporii, & univerſæ in Africa ſynodi, ſed etiam Leporius recenſetur *inter ſanctos fidei catholicæ doctores, adverſus impietatem Samoſateni, Photinique, defendentes, quod Chriſtus verus ſit Deus, catholiceque myſterium incarnationis exponentes.* At nulla fuit in hunc uſque diem nota ſynodus Africæ, nullus inter doctores Leporius, qui divinitatem Chriſti defenderit, fidelibuſque expoſuerit, præter hunc monachum, de quo Caſſianus, Gennadius, & Joannes Secundus, quique ad meliorem mentem ab Africanis Patribus converſus, divinitatem Chriſti admirabiliter expoſuit in libello, quem, veluti catholicæ fidei confeſſionem, Africanæ ſynodi teſtimonio roboratam, edidit.

Quamobrem utcunque Leporius ex monacho preſbyter diverſus ſit a Leporio Auguſtini presbytero, contemptis opibus nobili; videtur tamen monachi confeſſio ad hanc, quam diximus, anni 424. ſynodum pertinere. Baſilius ſiquidem in ſupplicatione, quam obtulit Imperatori ſub finem anni 429. vel initio ſequentis, mentionem Leporii ſynodique fecit, tanquam memoriæ non ita recentis.

Quid quod eodem anno Atticus & Aurelius, par nobile defenſorum fidei, videntur ad ſuperos tranſiviſſe: illius enim obitus conſignatur a Socrate die 10. Octobris, Theodoſio Auguſto XI. & Valentiniano Cæſare coſſ. iſtius poſt hæc tempora nulla eſt memoria, futura utique, ſi tam eximius Eccleſiæ antiſtes ſupervixiſſet. Cum ergo in ſupplicatione præfata Attici una & ſynodi, cui Aurelius interfuit, mentio habeatur, credibile eſt ſynodum, de qua nunc ſermo eſt, Attici temporibus celebratam fuiſſe.

Lib. 7. cap. 25.

Nova poſſet hic nobis oriri pugna cum Cappello, totum iſtud Africanum concilium rejiciente cum literis ex eo ad Cæleſtinum datis, veluti commentitium quiddam ab inimicis ſedis apoſtolicæ confictum. Sed præterquam quod difficile creditu eſt, tantum commentum eruditos omnes, etiam antiquos, in hunc uſque diem latuiſſe; longioris eſt negotii inquiſitio in hanc rem, quam, ut aliquando ſuſcepturi ſumus in hiſtoria Eccleſiæ Africanæ, ita nunc omittimus, ne diſſertationis modum excedamus.

Sed jam pro actis concilii pertinentibus ad cauſam Pelagianam, cujus nunc ſatagimus, exhibendus eſt Leporii libellus, ſimul cum epiſtola Patrum Africanorum ad Epiſcopos Galliarum. Edita ſunt illa quidem ambo ex codice Herivallenſi, a Patre Sirmondo primum, deinde ab auctore Supplementi conciliorum

Gallicorum. Non eſt tamen inutile utrumque hic exſcribere, tum quia locus id videtur poſtulare, tum quia repurgata ſunt ambo mendis plurimis, quæ diligentiam Sirmondi fatigatam, opinor, codicis manuſcripti inexhauſtis erratis, fugerunt; nec tamen ita ſunt levia, quin ſæpe lectorem a proprio auctoris ſenſu ad falſum avertant. adde quod in libellum Leporii obſervavimus nonnulla, quæ nec ſine operæ pretio legi, nec etiam in alium locum commodius referri poſſunt.

LEPORII MONACHI
LIBELLUS
AD EPISCOPOS GALLIÆ.

DOMINIS BEATISSIMIS ET VENERANDISSIMIS *Dei ſacerdotibus Proculo & Cilinio*, LEPORIUS EXIGUUS.

I. Confeſſio priſtini erroris orti ex ignorantia.

QUID in me primum, o domini mei venerandi & beatiſſimi ſacerdotes, accuſem, neſcio; quid in me excuſem, non invenio. Sic imperitiæ ſuperbia, ſic ſtulta ſimplicitas cum perſuaſione noxia, ſic fervor cum intemperantia, ſic, ut verius dicam, cum ſui diminutione debilis fides, ſimul in me omnia recepta viguerunt, ut tot & tantis ſimul ſit obediſſe confuſio, & hæc eadem ab animo potuiſſe rejicere, mihi ſtupenda ſit gratulatio. Agnoſco igitur delictum meum, & ipſe mei accuſator libenter exiſto: ſed ſpero miſericordiam, quia ignorans feci. Inexcuſabilis mihi namque cauſa peccati, ſi perfecte ſciens ſtudio aliquid intentionis egiſſem. Teſtem Deum invoco in animam meam. Veritatem credidi errorem meum, & obſcuras tenebras lucem ſinceriſſimam computavi. Æmulatio Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, me fefellit incautum.

II. Et ſui præſidentia. Luc. 3. v. 5. & Iſa. 40. v. 4

At nunc, quod beatitudini veſtræ fore credidimus gratum, miſericordia ejus deviantem in aſpera, & per dumoſa gradientem, ad viam rectam revocavit: *prava* facta ſunt ergo mihi *in directa, & aſpera in vias planas*; atque a Patribus meis, conſacerdotibus & fratribus veſtris, jam abſterſa caligine inſtructus, intelligo in qua, & qua ex parte, fuerim cæcitate, & idcirco ſupplicem me veritatis ipſius reddit agnitio. Fateor, ignoranter erravi, & regulam veritatis in quibuſdam, dum mihi ad integrum tenere videbar, exceſſi. Palam facta eſt imperitia mea, & hoc mihi oneroſior, quia cum multorum ſcandalo tueri conatus ſum, quod, ſicut nunc luce clarius manifeſtatur, errore humani ſenſus magis, quam ratione fidei, præſumpſeram defendendum. Sed quid aliud fieri poterat, niſi ut propria ſtultitia in me viveret, quando ego mihi diſcipulus habueram me magiſtrum? & utinam præſumtionem meam, quam animaverat inſcientia, fregiſſet humilitas. Sed heu mihi! Quia in utraque inventus ſum, & temerarius, & ſuperbus.

III. Retractatio epiſtolæ, qua continebatur error.

At jam iſta, venia veſtra, prætervolo, & quod nunc inſtat, agere non morabor. Feſtinabo vulnerata curare, qui ſana transfodi. Non erit in ſuſcipienda medicina confuſio, quia in cuſtodienda valetudine non fuit cauta proviſio. Unde nata eſt diſcordia, pax inde gignatur. Epiſtola itaque, auctor ſcandali & offendiculum caritatis, a me quondam ſimpliciter ſcripta quidem, ſed in quibuſdam, ut agnoſco, infideliter ordinara, quæſo, ſecundum hujus epiſtolæ profeſſionem, & ſanctimoniæ veſtræ auctoritatem, ut in ea paginæ parte inducatur, in qua contra veritatem per ignorantiam edita comprobatur; ut cunctis innoteſcat & pateat, juſto judicio illud, quod erat æmulum fidei, contrarium veritati, de corpore ejuſdem epiſtolæ cum damnatione eſſe deciſum. Reclamaverunt, fateor, o domini mei, quidam fratres, melius interiora cernentes: ſed nos multo exteriora palpavimus, & in propria caligine conſtituti, illis, qui propius intuebantur, reputavimus cæcitatem.

IV. Deus vere natus ex Maria Virgine.

At nunc favente Domino, apertis quandoque oculis, cum illis verum lumen aſpicimus. Atque in eadem lucis gratia, poſito nobis a vero medico ſanitatis luto ſuper oculos, revocamus aſpectum, & JESUM CHRISTUM Dominum, non ut antea fallebamur, ſed, ſicut eſt veritas, ſinceriſſimo intuemur obtutu, atque juxta ſymboli veritatem, id quod ſecundum priorem definitionem noſtram, ubi non impietate aliqua, ſed ſeducebamur errore, dicere verebamur, de Maria Deum natum, nunc conſtantiſſime confitemur: tametſi Chriſtum Filium Dei tunc etiam natum de ſancta Maria non negaremus, ſicut ipſi recordamini. Sed minime attendentes ad myſterium fidei, non ipſum Deum hominem natum, ſed perfectum cum Deo natum hominem dicebamus: pertimeſcentes ſcilicet, ne divinitati conditionem aſſignaremus humanam.

V. Neque id indignum Deo.

O ſtulta ſapientia! quaſi ſi cum homine Deus naſci non aſpernaretur, ipſe præjudicio ſtatus ſui naſci homo dedignaretur. Aut illud poterat, ſed hoc forte non poterat? Credo plane Deum hoc unum non poſſe, quod non vult. Si naſci voluit, quod Deus voluit, certiſſime credo, quia potuit: quoniam ſtatus Dei nullum poteſt periculum ſuſtinere; nec homo propter

pter nos factus, ut ederetur ex homine, indignum habuit: quia nec ipſam hominem facere, de qua homo naſceretur, duxit indignum.

VI. *Aliter ſentire eſt inducere quartam perſonam in Trinitate.* Si ergo, minime percipientes hanc potentiam Dei, ſenſuque noſtro & propria ratione ſapientes, ne quaſi inferiora ſe Deus agere videatur, ita hominem cum Deo natum eſſe dicamus, ut ſeorſum, quæ Dei ſunt, ſoli Deo demus; & ſeorſum, quæ ſunt hominis, ſoli homini reputemus; quartam manifeſtiſſime inducimus in Trinitate perſonam, & de uno Filio Dei non unum, ſed facere incipimus duos Chriſtos, quod a nobis ipſe jam Dominus & Deus Chriſtus avertat.

VII. *Qua ratione Verbum factum eſt caro.* Ergo confitemur, Dominum ac Deum noſtrum JESUM CHRISTUM, unicum Filium Dei, qui ante ſæcula natus ex Patre eſt, noviſſimo tempore, de Spiritu ſancto & Maria ſemper virgine, factum hominem, Deum natum, & confitentes utramque ſubſtantiam, carnis & Verbi, unum eundemque Deum atque hominem inſeparabilem pia fidei credulitate ſuſcipimus; & ex tempore ſuſceptæ carnis, ſic omnia dicimus, quæ erant Dei, tranſiſſe in hominem, ut omnia, quæ erant hominis, in Deum venirent: ut hac intelligentia Verbum factum ſit caro, non ut converſione aut mutabilitate aliqua cœperit eſſe, quod non erat; ſed ut potentia divinæ diſpenſationis Verbum Patris, numquam a Patre diſcedens, homo proprie fieri dignaretur, incarnatuſque ſit unigenitus, ſecreto illo myſterio quod ipſe novit. noſtrum namque eſt credere, illius noſſe. Ac ſic ut ipſe Deus Verbum totum ſuſcipiens, quod eſt hominis; homo ſit, & aſſumptus homo, totum accipiendo, quod eſt Dei, aliud quam Deus eſſe non poſſit: non tamen, quia incarnatus dicitur & immixtus, diminutio ejus eſt accipienda ſubſtantiæ. *Nec tamen corruptum, aut perfectum.* Novit enim Deus ſine ſui corruptione miſceri, & tamen in veritate miſceri. Novit in ſe iſta ſuſcipere, ut nihil ei creſcat augmenti, qui ipſe totum novit infundere, ut nihil accidat detrimenti.

VIII. *Imo nec confuſum.* Non ergo ad intelligentiam imbecillitatis noſtræ, ſecundum experimentorum viſibilia documenta, facientes conjecturam de æqualibus ſe invicem ingredientibus creaturis, putemus Deum hominemque commixtum, & tali confuſione carnis & Verbi, quaſi aliquod corpus effectum. Abſit ita credere, ut conflatili quodam genere duas naturas in unam arbitremur redactas eſſe ſubſtantiam: hujuſmodi enim commixtio, partis utriuſque corruptio eſt. Deus autem, qui capax eſt, non capabilis; penetrans, non penetrabilis; implens, non implebilis; qui ubique ſimul totus, & ubique diffuſus eſt; per infuſionem potentiæ ſuæ, miſericorditer naturæ mixtus eſt humanæ, non humana natura naturæ eſt mixta divinæ. Caro igitur profecit in Verbum, non Verbum profecit in carnem; & tamen veriſſime: *Verbum caro factum eſt.* *Joan. 4. v. 11.*

IX. *Solum, inquam, Verbum, non Pater, aut Spiritus ſanctus.* Sed, ut diximus, ſolum proprie perſonaliter, non cum Patre, aut cum Spiritu ſancto naturaliter: quia unigenitus Deus, Deus verus, qui cum Patre & Spiritu ſancto unus eſt in natura, alter eſt in perſona. Non enim ipſum Patrem dicimus eſſe, quem Filium; nec iterum eumdem Filium dicimus eſſe, quem Patrem; aut rurſus Spiritum ſanctum Patrem vel Filium nuncupamus: ſed diſtinguentes perſonas in ſuis proprietatibus, Patrem Deum, Patrem proprie nominamus; & Filium Deum, Filium proprie dicimus; & Spiritum ſanctum Deum, Spiritum ſanctum proprie confitemur. Et cum ter numero dicimus, Deum, & Deum, & Deum, non tres credimus Deos, ſed unum omnipotentiæ ſuæ Trinitate perfectum.

X. *Factum vero caro in ipſo Virginis utero, una exiſtente perſona in duabus naturis incorruptis & inconfuſis.* Naſcitur ergo nobis proprie de Spiritu ſancto, & Maria ſemper virgine, Deus, homo JESUS CHRISTUS, Filius Dei: ac ſic in alterutrum unum fit Verbum & caro, ut manente in ſua perfectione naturaliter utraque ſubſtantia, ſine ſui præjudicio, & humanitati divina communicent, & divinitati humana participent. Nec alter Deus, alter homo, ſed idem ipſe Deus, qui & homo; & viciſſim idem ipſe homo, qui & Deus, JESUS CHRISTUS, unus Dei Filius, & nuncupetur, & vere ſit. Et ideo agendum nobis ſemper eſt, & credendum, ut Dominum JESUM CHRISTUM, Filium Dei, Deum verum, quem cum Patre ſemper & æqualem Patri ante ſæcula confitemur, eumdem a tempore ſuſceptæ carnis, factum Deum hominem non negemus; nec quaſi per gradus & tempora proficientem in Deum, alterius ſtatus ante reſurrectionem, alterius poſt reſurrectionem, eum fuiſſe credamus, ſed ejuſdem ſemper plenitudinis, atque virtutis.

XI. *Suſcepit autem jam inde infirmitates noſtras.* Et quia omnes infirmitates noſtras, id eſt, naturæ noſtræ portavit, & vere ſecundum carnem ſuſcepit in ſe affectus noſtros, ad probationem veri hominis; currente in eodem nihilominus curſu noſtræ mortalitatis, poteſtate ſcilicet, non neceſſitate, *ætate & ſapientia*, Evangeliſta dicente, *profecit*. *Luc. 2. v. 52.* Eſurivit, ſitivit, fatigatus eſt, flagellatus eſt, crucifixus eſt, mortuus eſt, reſurrexit; non ideo a divinitatis natura mutatus eſt: inconvertibilem enim, & incommutabilem, & impaſſibilem naturam divinitatis jam ſuperius profeſſi ſumus. Sed quia Verbum Deus in hominem dignanter, hominem ſuſcipiendo, deſcendit, & per ſuſceptionem Dei, homo aſcendit in Deum Verbum, totus Deus Verbum factus eſt totus homo. Non enim Deus Pater homo factus eſt, nec Spiritus ſanctus, ſed unigenitus Patris: ideoque una perſona accipienda eſt carnis & Verbi; & fideliter, ſine aliqua dubitatione credamus, unum eumdemque Dei Filium inſeparabilem ſemper, geminæ ſubſtantiæ etiam gigantem nominatum, in diebus carnis ſuæ, & vere ſemper geſſiſſe omnia, quæ ſunt hominis, & vere ſemper poſſediſſe, quæ Dei ſunt: *Quoniam etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei.* *2 Cor. 13. v. 4.*

Qua-

XII. *Atque ita vere Deus eſt natus, paſſus, &c. ſecundum hominem.* *Rom. 1. v. 16.* *1 Cor. 1. v. 23.* *Ibid. v. 21.* *Philip. 2. v. 6.*

Quapropter jam non pertimeſcimus dicere, ex homine natum Deum, & ſecundum hominem, Deum paſſum, Deum mortuum, &c. Sed gloriamur dicere, Deum natum eumdemque ſecundum hominem, Deum paſſum; *Non enim erubeſco Evangelium*, Apoſtolus dicit; *virtus enim Dei eſt in ſalute omni credenti*. Utique omni credenti Dei virtus eſt in ſalute, ſecundum hominem credere Deum paſſum: non credenti autem, Dei exiſtimatur infirmitas in perditione, Deum ſecundum carnem non credere crucifixum. Unde iterum idem Apoſtolus: *Nos autem prædicamus Chriſtum, & hunc crucifixum, utique Dei virtutem & Dei ſapientiam: quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.* Quid enim tam ſtultum & tam infirmum videtur hominibus incredulis, quam cum audiunt, Deum Dei Filium crucifixum? Sed *placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes*: quia in hoc maxime fides noſtra conſiſtit, ut credamus unicum Filium Dei, non adoptivum, ſed proprium; non phantaſticum, ſed verum; non temporarium, ſed æternum; pro nobis omnia ſecundum carnem fuiſſe perpeſſum; & non ſibi agonizaſſe, ſed nobis; nec propter ſe, ſed propter nos, quia jacebamus, illum ab excelſis miſericorditer ad ima veniſſe: quia, ſicut Apoſtolus dicit, *cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens.* Et reliqua.

XIII. *Vere exinanitus propter homines.* *Coloſſ. 1. v. 18.* *Rom. 11. v. 33.* *Philip. 2. v. 10.*

Quid tam apertum, quam ex hoc teſtimonio myſterium tantæ diſpenſationis agnoſcere? In forma enim Dei quis niſi Deus eſt? Et quomodo, videamus, fons plenitudinis exinanivit ſemetipſum? Nonne dum forma Dei formam accipit ſervi? dum principaliter Dominus ea, quæ ſunt famuli, dignanter aſſumit? dumque pro indulgentia & miſeratione noſtri, gerendo inferiora ſe videlicet vel agendo, Verbum caro factum evacuat in perſona, quod poſſidet in natura. Et in vero humanitatis habitu factus obediens in homine, illud in ſe per humilitatem & obedientiam naturæ noſtræ reſtituit, quod per inobedientiam perierat in Adam: & in carne mortuus ſemper vivit, in ſpiritu vivificans cum Patre omnia, jam nunquam de cætero moriturus, eadem a Patre ſuſcitatus in carne: & fit nobis *primogenitus ex mortuis*, qui eſt unigenitus Dei vivi, ac vivens ante ſæcula. Propter nos pauper in tempore, & indigens in homine; nobis accepit, quod abundans ſemper habet in Patre. *O altitudo divitiarum ſapientiæ Dei! quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Donatur illi propter nos, largitur autem omnibus, quia largitor omnium Deus; Deum ſe in donando cognoſcit, hominem in accipiendo ſe novit; propter nos nomen accepit, *ut in nomine* JESU *omne genu flectatur cæleſtium, & terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus* JESUS *in gloria eſt Dei Patris.*

XIV. *Gratiarum actio pro converſione ab errore.* *Epheſ. 2. v. 8.* *Ibid. v. 10.*

Hæc fides noſtra, & hæc mutatio dexteræ excelſi, in emendatione meliori. Sic credimus, ſic tenemus: *Et hoc non ex nobis, Dei enim donum eſt.* Non ex merito propriæ ſapientiæ, ut non gloriemur in nobis: *Ipſius enim factura ſumus*, jam pridem quidem *creati in Chriſto*, & nunc iterum parturientibus nos in luce apoſtolicis viris, in eodem reparati: ipſi ergo honor ſemper & gloria.

XV. *Et retractatio epiſtolæ, in qua ſex alii errores.* *1. Quod Chriſtus ſuam dignitatem meritus ſit, ut alii homines.* *Epheſ. 5. v. 23.* *Joan. 3. v. 33.*

De eo autem, quod ſtultiſſime in epiſtola illa propoſuimus, ſed ignoranter, quodque nunc execrabile confitemur, id eſt, aptantes ad Chriſtum laborem, devotionem, meritum, fidem, in tantum inconvenientia hæc Dei filio judicamus, ut reminiſcentes dictum a nobis, ſummam cæcitatem noſtræ inſipientiæ reputemus; & ex aperto cernamus, quam vera quidam ſint adverſum nos ratione commoti: tamquam qui unicuique ſanctorum (licet hoc nunquam habuerimus in corde) pene Chriſtum ſimilem fecerimus; & illi, qui ſuper omnes eſt Deus, hæc, quæ habet ſimplex & nuda mortalitas, aſſignantes, inter cæteros quodammodo eum poſuerimus in numero: licet enim dicatur, & vere ſit *Eccleſiæ corporis caput*, atque ex eadem maſſa, qua omne genus hominum deſcendit, ſecundum carnem, abſque peccato venire noſcatur; non tamen, qui ſingularis eſt, inter cæteros computandus eſt; nec illa ad ipſum referenda ſunt, quæ poſſunt habere menſuram, quia ad ipſum dictum eſt: *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum.* Ubi enim plenitudo deitatis eſt, illic nec menſura, nec modus eſt. Neſcit labore, devotione, fide, merito finem apprehendere meritorum, qui infinitus, & ſine terminis, agit omnia poteſtate.

XVI. *2. Quod perinde ac alii obnoxius fuerit neceſſitati moriendi.* *Joan. 10. v. 18.*

Fit equidem homo, & vere ſecundum carnem homo naſcitur, ſed Deus eſſe non deſinit: nutritur, proficit, creſcit, adoleſcit, & ſicut agnus coram tondente mutus convitia ſuſtinet, & flagellatur, & maledictam mortem auctor vitæ veniens in carnem non reſpuit. Sed hæc omnia, non ut unus ex nobis, neceſſitate conſummat, ſed *poteſtatem habens animam ſuam ponere, & poteſtatem habens iterum ſumere illam*, dignanter ſuſcepit voluntate.

XVII. *3. Quod dignitatem naturæ viribus ſit adeptus.*

Illud etiam minime reticendum cenſeo, quod in eadem epiſtola, ſimili devians errore ſubjunxi, Chriſtum Dominum noſtrum ſic omnia, quæ erant paſſionum, impleſſe, ut in nullo, quaſi perfectus homo, a divinitatis auxilio juvaretur: volens ſcilicet ita in Chriſto hominem aſſignare perfectum, quo, & alienum ab his paſſionibus Verbum Patris aſſererem, & ſolum per ſe hominem egiſſe hæc omnia, poſſibilitate naturæ mortalis, ſine aliquo deitatis adjutorio, probare conarer. Vere cæcus, qui ſuſceptum in Deo hominem confitebar, & quæ erant ipſius hominis, nolebam a Deo eſſe ſuſcepta: in hoc utique haud dubie in ſe ſuſceperat totum hominem Deus ut hæc, quæ nos tanquam Deo putamus indigna, non

per ſe ſolus homo ageret, judicio naturali; ſed Deus per hominem, atque in homine, ipſe homo nobis factus, poteſtate & myſterio divinæ diſpenſationis impleret.

Dehinc, ne quid inſipientiæ deeſſet meæ, indoctiſſimus ſcriba de non intellectis non intellecta confirmans, hoc ita debere intelligi, quod ſupra poſuimus, arbitrabar, ut teſtimonio illo, quo ſcriptum eſt: *Deus Deus meus, quare me dereliquiſti?* idipſum eniterer aſſignare: & idcirco Dominum gloriæ in cruce hunc clamoris emiſiſſe ſermonem, quod perfecta hominis patientia, minime adjuvante deitate, in tantis doloribus probaretur. Ergo ſi cauſa probandæ humanæ patientiæ hanc vocem in doloribus conſtitutus emiſit, debuit etiam & tunc, ad probationem ejuſdem patientiæ, eiſdem ſermonibus hoc clamare, cum cæſus eſt; debuit & tunc eadem verba proferre, cum illa multiplici vulnerum corona, ubi tot fuere pœnæ, quot ſpinas illuſus accepit. Aut forſitan Chriſto fuerunt iſta leviora, illa graviora? Arbitror, quod qui unam ad ſuſcipienda hæc omnia habere dignatus eſt voluntatem, unam eamdemque habuit ad hæc omnia patienda virtutem. Clamavit ergo, ſicut ſcriptum eſt, & in ligno crucis pendens hanc vocem primo morti emiſit, non ut humanam perfectamque in ſe patientiam demonſtraret, quæ ſine teſtimonio vocis, cauſis ipſis & rebus evidentibus probaretur; ſed ut vere manifeſteque Filius Dei ſecundum carnem ſe oſtenderet moriturum. Et velut carnis ipſius voce utens, ponens præteritum pro futuro, quia per mortem crucis neceſſario terrenum corpus erat a Deo pro tempore relinquendum, non ſolum a Deo, verum etiam ab anima ſua, quæ erat unita cum Deo, hoc ipſum, priuſquam fieret, nobis moriens teſtaretur. Non enim, tradito ſpiritu, caro mortua poterat hoc clamare: alioqui mortuum Chriſtum in veritate quis crederet? Deus non in paſſionibus hominem, qui in homine ſecundum carnem dignatus eſt pati; ſed corpus in morte, & juxta legem exceſſus humani, divinitas cum unita ſibi anima reliquit: non crucifixum hominem reliquit in pœnam, ſed exanimem carnem deſeruit ad tempus: & tam Chriſtus Filius Dei tunc mortuus jacuit in ſepulcro, quam idem Chriſtus Filius Dei ad inferna deſcendit, ſicut beatus Apoſtolus dicit: *Quod autem aſcendit quid eſt, niſi etiam quod deſcendit primum in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes cælos.* Ipſe utique Dominus ac Deus noſter JESUS CHRISTUS, unicus Dei Filius, qui cum anima ad inferna deſcendit, ipſe cum anima & corpore aſcendit ad cœlum, quo & hic & in futuro, Deum hominemque perfectum, eumdemque Filium Dei Deum verum, in æterna ſæcula veneremur.

> XVIII. 4. Quod verba illa, *Deus Deus meus*, &c. id oſtendant. *Pſal.* 21. v. 1.
> *Epheſ.* 4. v. 9.

Hunc igitur Dominum Deum meum, ſecundum magnum pietatis ſacramentum, ſicut in carne natum, in carne paſſum, in carne mortuum, in carne ſuſcitatum, in carne elevatum, in carne glorificatum credo atque confiteor; ita ipſum proprie in eadem carne credo eſſe venturum, ad faciendum judicium in vivos & mortuos; atque ab eodem pro merito proprio unumquemque ſempiternum habere præmium.

> XIX. 5. Quod Chriſtus non ſit venturus ad judicandum in ea carne, in qua paſſus eſt.

Ut autem & hinc nihil cuiquam in ſuſpicione derelinquam, tunc dixi, immo ad objecta reſpondi, Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM ſecundum hominem diem judicii ignorare. Sed nunc non ſolum dicere non præſumo, verum etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte ſententiam: quia dici non licet, etiam ſecundum hominem, ignoraſſe Dominum prophetarum.

> 6. Quod ignoraverit diem judicii.

Cauſarum vero cæterarum quæſtiones, aut in lectione, aut in exhortatione, aut in fraterna collatione protulimus. Ubi ſi forte ſenſu magis quam fide diſcrepavimus, quia longum eſt ire per ſingula, ſecundum hujus epiſtolæ fidem, ita nos illas omnes, ſicut ordo Eccleſiæ catholicæ tenet, aut ſuſcipere, aut reprobare, teſtantes Dominum Chriſtum, nec aliud profitentes, & aliud habentes in corde, ſinceriſſime confitemur. ſane ad condemnandam a nobis totius hæreſis infamiam, quia catholicos nos ex catholicis ſemper, ſecundum puram conſcientiam, novimus, anathema omnibus hæreticis dicimus, Photino, Ario, Sabellio, Eunomio, Valentino, Apolinari, Manichæo, & univerſis contra ſanam doctrinam venientibus; quia etſi lapſi ſumus lingua, vel ſenſu, non tamen voluntate, vel corde, ſicut ſcriptum eſt: *Qui labitur lingua, ſed non ex corde. quis eſt enim, qui non delinquat in lingua ſua?*

> XXI. Sincera fidei profeſſio, & hæreticorum damnatio.
> *Eccl.* 19. v. 16. & 17.

Equidem, domini mei reverendiſſimi & beatiſſimi ſacerdotes, prout potui, filius pacis, ſecundum Apoſtolum dicentem: *Qui obſervaverit totam legem, offendet autem in unum, factus eſt omnium reus;* non in paucis, ſed in grandibus oſtendens, feci me ex toto corde in omnibus reum. Sed in hoc perfectam probavi caritatem eorum, qui me perſecuti ſunt, non tamen gratis, quod tam velociter pleno amore ſuſceptus ſim emendatus, quam intentione perfecta & æmulatione inſecuti ſunt aberrantem. Mihi autem, teſte Deo loquor, deſiderabilis omnium & optabilis pax eſt. quod ſupereſt, nunc iterum iterumque deprecamur, date veniam ignoſcendo nobis, & impetrate orando pro nobis. Opto vos, Patres, in Deum vivere.

> XXII. Veniæ de errore priſtino deprecatio. *Jac.* 2. v. 10.

Ego Leporius libellum meo ſenſu dictatum, in quo fidem meam, quam, Deo volente, in finem uſque teneo, medullitus exprimere volui, coram ſanctis Epiſcopis in Eccleſia Carthaginenſi relectum ſubſcripſi.

Ego Domninus hanc fidem teneo, confiteor, huicque ſubſcripſi.

Ego Bonus hanc fidem teneo, confiteor, huicque ſubſcripſi.

Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginenſis, oblato a Leporio libello ac relecto ſubſcripſi.

94

Auguſtinus Epiſcopus Hipponerceienſis regionis, oblato a nobis Leporio libello ſubſcripſi.
Florentius Epiſcopus Hipponienſium Diarrytorum; oblato nobis a Leporio libello ſubſcripſi.
Secundus Epiſcopus Eccleſiæ Aquenſis ſive Megarmitanæ, oblato nobis a Leporio libello ſubſcripſi.

EPISTOLA

EPISCOPORUM AFRICÆ

QUAM CUM SUPRA SCRIPTO LEPORII LIBELLO MISERUNT ad Epiſcopos Galliæ.

DILECTISSIMIS ET HONORABILIBUS FRATRIBUS, & conſacerdotibus, Proculo & Cilinio, AURELIUS, AUGUSTINUS, FLORENTIUS, & SECUNDUS, *in Domino ſalutem.*

I. Correptus in Galliis Leporius, in Africa correctus. 1 *Theſſ.* 5. v. 14.

FILIUM noſtrum Leporium, apud veſtram ſanctitatem, pro ſui erroris præſumptione, merito idoneeque correptum, cum ad nos, poſteaquam inde exturbatus eſt, veniſſet, ſalubriter perturbatum, corrigendum, ſanandumque ſuſcepimus. Nam ſicut vos obediſtis Apoſtolo, ut corriperetis inquietos, ita & nos, ut conſolaremur puſillanimes, ac ſuſciperemus infirmos.

II. In quo lapſus, & quando correptus. *Joan.* 1. v. 1. *Ibid.* v. 14.

Cum enim præoccupatus eſſet, ſicut homo, in aliquo delicto, eodemque non parvo, ut de unigenito Filio Dei, quod *erat in principio Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: cum autem venit plenitudo temporis, *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*; non recta quædam ſaperet, nec vera ſentiret, negans Deum hominem factum: ne videlicet ſubſtantiæ divinæ, qua æqualis eſt Patri, indigna mutatio vel corruptio ſequeretur: nec videns, quartam ſe ſubintroducere in Trinitate perſonam, quod a ſanitate ſymboli catholicæque veritatis prorſus alienum eſt; tum ſicuti potuimus, adjuvante Domino, inſtruximus in ſpiritu lenitatis, præſertim quia cum hoc admoneret vas electionis, adjecit: *Intendens te ipſum, ne & tu tenteris*; ne ita ſe quidam ad provectum ſpiritalem perveniſſe gauderent, ut ſe jam non poſſe tentari tanquam homines putarent: addiditque ſalubrem pacificamque ſententiam, *ut alter alterius onera portemus, quoniam ſic adimplebimus legem Chriſti. qui enim putat ſe eſſe aliquid, cum ſit nihil, ſe ipſum ſeducit*; dilectiſſimi & honorabiles fratres.

Gal. 6. v. 1. *Ibid.* v. 2.

III. Id operante gratia Dei per miniſterium Gallorum & Afrorum. *Deut.* 32. v. 39.

Quam tamen ejus emendationem nequaquam forte implere poſſemus, niſi vos ante, quæ in eo mendoſa fuerant, damnaretis. Idem igitur & Dominus & medicus noſter utens vaſis ac miniſtris ſuis, qui dixit: *Ego percutiam, & ego ſanabo*; per vos percuſſit tumentem, per nos ſanavit dolentem. Idem ſuæ domus adminiſtrator atque proviſor, per vos deſtruxit mala conſtructa, per nos bene compoſita reſtauravit. Idem diligens agricola, poſſeſſionis ſuæ ſterilia per vos eradicavit & noxia; utilia per nos & fœcunda plantavit. Non itaque nobis, ſed ejus miſericordiæ demus gloriam, in cujus manu ſumus, & nos, & ſermones noſtri. Et ſicut in ſupradicto illo noſtro miniſterium veſtrum humilitas noſtra laudavit, ſic etiam ſanctitas veſtra noſtro miniſterio gratuletur.

IV. Dignus poſt correctionem, qui recipiatur per epiſtolam. 1 *Johan.* 4. v. 8. Ab Africanis Epiſcopis ſubſcriptam.

Paterno igitur & fraterno corde ſuſcipite a nobis miſericordi ſeveritate correctum. Etſi enim aliud per nos, aliud per vos; utrumque tamen fraternæ ſaluti neceſſarium una caritas fecit: unus ergo Deus fecit, *quoniam Deus caritas eſt*. Proinde ſicut per ſuam præſentiam ſuſceptus eſt a nobis, ſic per ſuam epiſtolam ſuſcipiatur a vobis: cui quidem epiſtolæ noſtra etiam manu ſubſcribendum putavimus, ipſius eſſe teſtantes.

V. Una cum aliis ſimul correctis.

Hanc ejus correctionem dilectionem veſtram minime dubitamus, & gratanter accipere, & eis notam facere, quibus ejus error ſcandalum fuit: quia & illi, qui cum eo venerunt ad nos, cum illo correcti atque ſanati ſunt, ſicut eorum ſubſcriptionibus, quæ coram nobis factæ ſunt, tenetur expreſſum. Supereſt, ut de fraterna ſalute lætati, reſcriptis beatitudinis veſtræ nos viciſſim lætificari dignemini. Optamus vos, dilectiſſimi & honorabiles fratres, in Domino bene valere memores noſtri.

LE-

LEPORII MONACHI.] Inſcripſit Sirmondus, LEPORII PRESBYTERI, reclamante Caſſiano, & merito: ſiquidem tunc erat tantum monachus, necdum presbyter, cum libellum & offerret ſynodo Africanæ, & mitteret in Gallias: atque ita non debuit eam ſibi arrogare appellationem. Sed cur Exiguom ſe ſcripſit? An quia id agnominis gerebat, ut Dionyſius Exiguus, aliique plures? An fuit iſta vox hominis, propter pœnitentiæ ſenſum, de ſe loquentis demiſſe? An oſtendere voluit ſe tunc fuiſſe monachum, nulloque clericorum gradu claruiſſe?

LIBELLUS.] Sin minus ab Auguſtino ſcriptus eſt, quod non improbabiliter videri poteſt, propter ſtylum, ſententiaſque & formulas loquendi, ſcriptor ſaltem Auguſtini ſententiam exprimere voluit, tum *epiſtola tertia*, tum aliis paſſim in locis expoſitam: nam quod a negantibus, Deum eſſe natum, quarta introducatur divina perſona, Auguſtini eſt iiſdem fere verbis *tract.* 78. *in Joannem*. Quod homo ſit aſſumptus a Verbo, quæ paulo durior locutio, dixit Auguſtinus, *lib. de agone chriſtiano*, *cap.* 11. *& ſerm.* 8. *de verbis Domini*. Quod propter duas in Chriſto naturas ineffabiliter conjunctas Chriſtus appellatur gigas, ex Auguſtino deſcriptum eſt, *Pſalm.* 18. *&* 87. atque etiam *tract.* 59. *in Joannem*. Quod ineffabilis illa naturarum conjunctio permixtionis nomine dicta ſit, deſcriptum quoque ex Auguſtino *epiſt.* 3. *ad Voluſianum*. Quid plura proferam, cum nemo non poſſit inter legendum id quod dixi per ſe obſervare? Verbo dicam, totus hic libellus aliud fere nihil eſt, quam epiſtola 57. Auguſtini ad Dardanum, & epiſtola 3. ad Voluſianum. Tantæ porro fuit auctoritatis olim, ut propterea Leporius inter doctores catholicos cenſeretur in Oriente, & Auguſtinus, qui ſolus e quatuor ſubſcriptoribus ſuperſtes fuit ann. 430. ad concilium Epheſinum vocaretur: quamquam Voluſianus cum ea tempeſtate in aula Theodoſii verſaretur, non ſine cauſa dici poteſt impulſor, ut Auguſtinus præ cæteris Afris nominatim accerſeretur.

AD EPISCOPOS GALLIÆ.] Etſi ad duos ſolos nominatim ſcripſerit, libellum tamen, & ipſe petiit ad omnes Galliarum Epiſcopos mitti & univerſi approbavetunt acceptum; quod tradit Caſſianus.

PROCULO.] Maſſilienſi Epiſcopo, cujus in civitate fuit Caſſianus Leporii monitor. Obſerva autem, quam procul abeſſet Caſſianus a Pelagiano errore, de perficienda naturæ viribus juſtitia, etſi de neceſſitate divinæ gratiæ prævenientis liberum arbitrium non catholice ſentiret. Proculus porro ſatis notus eſt, tum ſuis factis, cum alienæ Eccleſiæ jura involaret, tum Zoſimi literis, quibus arguitur.

CILINIO,] Aquenſi Epiſcopo, ut ex Notitia veterum Galliæ Epiſcoporum conſtat. Scripſerat Sirmondus, Cyllenium & Quillenium: emendari neceſſe fuit, quia neutrum nomen in Gallis uſitatum erat, frequens vero Cilinii: nam & Cilinia mater ſancti Remigii, & Cilinia virgo Meldenſis in Martyrologii notis memoratur.

QUID IN ME PRIMUM.] Totus hic locus ad iſta uſque verba: *Stupenda ſit gratulatio*; refertur a Caſſiano, *lib.* 1. *de incarnatione Verbi*, *cap.* 4. ubi nota poſtremorum verborum variantem lectionem: *Et hæc eadem ab animo potuiſſe rejicere, mihi ſtupenda gratulatio.*

ATQUE A PATRIBUS MEIS, CONSACERDOTIBUS VESTRIS, &c.] Herivallenſis codex mendoſe habebat: *Atque ab omnibus meis conſacerdotibus & fratribus veſtris.* Obvia fuit correctio, cum monachus Epiſcopos alloqueretur, & de Epiſcopis itidem ſermonem faceret.

A ME QUONDAM SIMPLICITER SCRIPTA, &c.] Eo nempe tempore, quo exortus paulo ante in maxima Belgarum urbe Treveri error adverſus divinitatem Chriſti ad monachos Maſſiliæ & Aquis vicinos pervenerat: tunc enim ſciſſis animis in partes, ſegniorem ſecutus eſt, aut etiam duxit Leporius; ſparſitque epiſtolam, quæ offenſionem piis, aliis audaciam, omnibus diſſidium, auctori ſuo tandem, cum pertinaciter tueretur quod temere ſcripſerat, anathematis ſententiam afferret. Hujus epiſtolæ ſingulæ partes in libello retractantur, unde ipſius jactura facile ſarcitur.

RECLAMAVERUNT, FATEOR, QUIDAM FRATRES, &c.] Mendoſe legebatur: *Clamo verum, fateor, quidam fratres.* Correctionem oſtendit mendi qualitas, imperavit ſyntaxis vocum, ut apertum eſt. Fratres illi fuerunt procul dubio monachi ſub Caſſiano viventes, ipſeque Caſſianus, qui errantem admonuit.

SI ERGO MINIME PERCIPIENTES, &c.] Locum hunc exſcripſit Caſſianus ad iſta uſque verba: *Miſericorditer naturæ mixtus eſt humanæ.* Ubi nota variantes lectiones: *quaſi in inferiora ſe Deus agere videatur*, & *pro uno Filio Deo, & qui ſibi ante ſæcula natus ex Patre eſt, nobis a tempore*, &c. *ſemper pro fides*, &c. *ſicut ſeipſum totum novit infundere*, &c. *conflatili quodammodo genere.* *Lib.* 1. *de Inc. cap.* 4.

NASCITUR ERGO NOBIS.] Hunc locum laudarunt Caſſianus, Joannes Secundus *in epiſt. ad Avienum*, Facundus Hermianenſis, *lib.* 1. *cap.* 4. non tamen omnes æque prolixe. Primam tantum ſententiam Joannes Secundus. Caſſianus ad hæc verba, *plenitudinis atque virtutis.* Facundus ad iſta tantum, *nuncupetur, & vere ſit.* Ubi obſerva hanc vocem *proprie* argumentari Facundum adverſus nonnullos ſui temporis, qui etſi faterentur, natum ex Maria Deum, id tamen non proprie dici, ſed nuncupative ſolum contendebant.

SED QUIA VERBUM DEUS, &c.] Et hic etiam locus a Caſſiano prolatus eſt ad iſta uſque verba, *ex virtute Dei.*

FIT EQUIDEM HOMO, &c.] Corrupte legebatur, quod miror non fuiſſe obſervatum: *Fide quidem homo*, &c. Neque enim ullus probabilis ſenſus extundi poterat.

ILLUD ETIAM MINIME RETICENDUM, &c.] Propter hanc ſententiam, atque præcedentem aliam, Leporius accuſatus eſt gratiæ divinæ negatæ, nimiæque liberi arbitrii laudis, atque ſocietatis cum Pelagianis.

CORPUS ERAT A DEO PRO TEMPORE RELINQUENDUM, &c.] Caute legendus hic locus, quamquam nonnulli Patres, & tres quidem magni nominis, relictum a divinitate corpus, triduo quo jacuit in ſepulcro, opinati ſint, Epiphanius *hæreſ.* 20. *&* 69. Hilarius *can.* 33. *in Matthæum*, Ambroſius *in tractatu de ſymbolo cap.* 13.

XXI. SYNODUS

QUÆ PRIMA GALLICANA,

AB HONORATO EPISCOPO ARELATENSI

COACTA, ut conjectura eſt, ARELATE,

HIERIO ET ARDABURIO COSS.

anno CCCCXXVII.

Vigeſima prima ſynodus, quæ prima Gallicana in cauſa Pelagianorum. Proſp. in chron. ad conſul. Florentii & Dionyſii.

VIGESIMA prima cenſenda eſt numeroſa illa ſynodus Gallicanorum Patrum, qui auxilium rogati ab Anglicana Eccleſia adverſus Pelagianam hæreſim, auctore Agricola Severiani Epiſcopi Pelagiani filio, ſparſam, & mirum in modum invaleſcentem, ſanctiſſimos duos Epiſcopos, Germanum Antiſiodorenſem, & Lupum Trecenſem miſerunt, ad catholicam fidem in Anglia defendendam.

Dicuntur acta haberi & propediem edenda.

Numeroſæ iſtius ſynodi acta dicuntur haberi integra, cum nominibus & Epiſcoporum & præſidis: dicitur etiam haberi commonitorium a Patribus datum legatis duobus, Germano & Lupo; nec dubito, quin locus & tempus pariter contineantur in actis iſtis, ſi modo extent. Sed donec ea edantur in lucem, quod opto fieri propediem, conjicere nonnihil licebat, quanquam timidius, & aliquid ex auctoribus vulgatis proferre, quod a ratione non videatur alienum.

Tom. 2. concil. pag. 1686. & tom. 3. pag. 1464. & 1676.

Obſervavit quidem ſuper ea re nonnulla lectu digna P. Labbeus, ſed quibus teſtetur, ſe Bedæ atque Sigeberto adhærere, de quibus poſtea ferendum erit judicium.

Quid ſenſerit Sirmondus de loco & tempore. Tom. 1. concil Gal. in notis ad pag. 86.

Quare tutius eſt initium ducere ab erudito Sirmondo: *Ut ſynodi hujus*, inquit, *de loco non conſtat, ita tempus quoque incertum eſt. Sigebertus enim ad ann. Chriſti* 456. *Britannicam Germani cum Lupo legationem manifeſte refert, & Sigeberto videntur favere, quæ Beda narrat lib. 4. hiſt. Anglic. At Proſper in chron. Germanum a Cæleſtino Papa in Britanniam miſſum tradit ann.* 429. *cui adhærens Baronius ſynodum hanc illo anno habitam cenſuit.*

De tempore magis Proſpero, quam Bedæ & Sigeberto credendum.

Ita vir prudentiſſimus, relatis ſententiis diverſis, nullam præſtare voluit. Opinor tamen ego ſynodi tempus non ita eſſe incertum, quam videbatur Sirmondo, quamvis illud dici non poſſe putem, quod ex ſuis illis duobus auctoribus aſſeruit Labbeus: majorem enim fidem Proſpero chronographo, Conſtantioque ſcriptori vitæ ſancti Germani, & auctori etiam vitæ ſancti Lupi tribuendam puto, quam vel Bedæ, vel Sigeberto, cum illi de rebus ſcripſerint, quas pene haberent ante oculos, certe quæ omnibus tunc notæ forent; Beda vero trecentis fere poſt annis, Sigebertus ſeptingentis.

Ratio inquirendi temporis.

Ex Proſpero.

Ut ergo manifeſta temporis ratio ineatur, quatuor veluti principia aſſumo. Primum, Proſper legationem Germani ad Britannos ponit ſub conſulatu Florentii & Dionyſii, id eſt, ann. 429. Sic enim habet: *Agricola Pelagianus Severiani Pelagiani filius, Eccleſias Hiberniæ dogmatis ſui inſinuatione corrupit; ſed actione Palladii diaconi Papa Cæleſtinus Germanum Antiſiodorenſem Epiſcopum vice ſua mittit, ut, deturbatis hæreticis, Britannos ad catholicam fidem dirigat.*

Atque Conſtantino. In vit. S. Germ. c. 14. apud Surium 31. Julii.

Secundum, Conſtantius miſſum ſcribit Germanum cum Lupo Trecenſi a numeroſa Gallicanorum Epiſcoporum ſynodo.

Auctor vitæ S. Lupi apud Surium 30. Julii.

Tertium, ſcribit etiam auctor vitæ ſancti Lupi, veniſſe ipſum in inſulam Lerinenſem, vitæ religioſæ cauſa, *Honorato adhuc Abbate; cumque annum unum illic egiſſet, ad Trecenſem epiſcopatum raptum eſſe, exinde biennio exacto Germanum comitatum in expeditione Britannica.*

Legatio Germani a ſummo Pontifice non alia, quam ejuſdem miſſio a ſynodo.

Poſtremum, nemini erudito dubitare licet, quin legatio Germani a ſummo Pontifice in Britanniam ſit eadem, quæ ipſius á ſynodo Gallicana miſſio. Electio namque Germani a ſynodo ad munus apoſtolicum, poſtquam a ſancto Cæleſtino comprobata eſt, atque etiam collatæ auctoritatis incremento aucta, vere dici potuit, & apoſtolica legatio, & ſynodica ſimul miſſio.

Synodus non eſt habita poſt ann. 429.

Ex his autem conſtat manifeſte, ſynodum, de qua nunc agimus, celebratam non fuiſſe poſt annum 429. cum præceſſerit profectionem Germani in Britannias, quæ hoc ipſo anno contigit. An vero ante coacta ſit, vel eodem ipſo anno, inquirendum eſt.

Sed ann. 427. vel 428. In Annal. ad ann. 429.

Cum igitur Honoratus Patroclo in ſedem Arelatenſem ſucceſſerit ann. 426. eæque voces, *Honorato adhuc Abbate*, finem præfecturæ ſignificent, & proinde annum 425. certe ſi annum unum exercitationis Lerinenſis, quem Lupus egit, vel ſub Honorato magiſtro, quod magis reor, vel ſub Hilario Honorati ſucceſſore, quod nonnullis viſum, ad duos addideris in epiſcopatu tranſactos, ante legationem a Proſpero poſitam ann. 429. efficies annum vel 427. vel 428. quo, mea ſententia, haberi debuit ſynodus; non item 429. ad quem ſenſit Baronius, ipſam referendam.

Refellitur opinio Sigeberti rejicientis ad ann. 446.

Conſtantius lib. 2. vita S. Germ. cap. 13. & 14.

Ibid. cap. 20.

Iſta vero confirmantur, vel eo maxime, quod ſtare nullatenus poſſit opinio eorum, qui cum Sigeberto magnam ſynodum, de qua ſermo eſt, rejiciunt ad annum 446. Nam conſtat, tunc temporis, neque Cæleſtinum, a quo miſſus eſt Germanus; neque Germanum ipſum ſuperfuiſſe. Ille enim ann. 432. obiit; iſte 443. De obitu Cæleſtini unanimis eſt omnium ſententia; tempus quo Germani mors contigit, hunc fere in modum demonſtratur. Quo tempore Germanus pro pace Galliarum Ravennam ad Imperatorem venit, *Petrus tunc Pontifex Chriſti Eccleſiam apoſtolica inſtitutione retinebat: regebat autem Romanum imperium Placidia regina cum Valentiniano juvene.* Hæc autem verba, *Valentiniano jam juvene*, 24. annum principis ad ſummum indicant: hac enim ætate unuſquiſque proprie juvenis jam vocatur. Cum ergo Valentinianus tertius natus ſit ann. 419. die 2. aut 3. Julii Ravennæ, atque ita annus Chriſti 443. fuerit Valentiniani 24. neceſſe eſt anno 443. vita functum fuiſſe Germanum: eodem enim anno, & Ravennam acceſſit, & ibidem poſt ſeptimum morbi diem feliciter inter Epiſcoporum complexus obdormivit, pridie Kal. Auguſti.

De loco & præſide ſynodo.

Atque his de tempore ſynodi conſtitutis, de loco aliquid conandum eſt, ſin minus certa ratione, ſaltem non improbabili conjectura dicere.

Sirmondus tom. 1. conc. Galliæ.

Valentinianus tertius VII. Idus Julias, Theodoſio Aug. XII. & Valentiniano Cæſ. coſſ. id eſt ann. 425. die 9. Julii ſanctionem dedit Amacio Galliarum præfecto, *de conveniendis per Patroclum Arelatenſem diverſis Epiſcopis, nefarium errorem Pelagiani & Cæleſtiani dogmatis ſequentibus*, verba ſunt Cæſaris: *& niſi intra vigeſimum a conventione diem ſe catholicæ fidei reddiderint, deponendis de ſede, atque ex finibus Galliarum expellendis.* Nullus dubito, quin Amacius edictum propoſuerit, in civitate Arelatenſi, in qua Præfectus Galliarum verſari ſolitus erat. Non dubito pariter, quin Patroclo executioni mandandum dederit, qua parte pontificale officium ſpectabat. Dubito vero, an Patroclus aliquid egerit, turbulentis temporibus, & barbarico

barico exercitu Arelatem premente. Sed ut reipſa Epiſcopos convenerit literis, quod admodum credibile eſt, illi certe ſecuti ſuot exemplum pertinacium aliorum ex Italia ejectorum: quare debuit ſynodus ad ipſos deponendos more majorum congregari, eaque numeroſa pro mulitudine reorum; nec ab alio quam Arelatenſi Epiſcopo, cui & ſuas vices ſedes apoſtolica jamdudum commiſerat, & jus erat antiquum congregandi ſynodos in Gallia; nec potuit a Patroclo, quem Tribunus barbarus juſſu Felicis magiſtri militum, vel ſub finem anni 425. vel initio ſequentis interfecit: ſi quidem occiſo ſucceſſerit Honoratus, qui cum biennium tenuiſſet ſedem Arelatenſem, obiit die 16. Januarii ann. 429. ut habet Martyrologium Romanum.

Can. 18. conc. Arelat. II. Conſtit. Honorii & Theodo. Vide Sirmon. dum in notis ad Sidonium.

Synodus igitur habita videtur ab Honorato ann. 428. in civitate Arelatenſi, præſente, imo negotium urgente, Palladio diacono ſancti Cæleſtini legato.

Ad eam porro venit, ut par eſt credere, numeroſa Epiſcoporum ex ſeptem provinciis frequentia, tum ob rei gerendæ momentum, de pluribus enim Epiſcopis inſtituendum erat judicium; tum ut Honorato teſtarentur, nihil ſibi ſupereſſe priſtinæ adverſus Patroclum indignationis, qui omnes fere ambitionis ſuæ potentia offenderat; tum denique, ut ſervarent jus antiquum canonis mox citati, & exemplum ſequerentur ſæcularis concilii ſingulis annis ex novem provinciis Arelate congregari ſoliti a Præfecto Galliarum.

Ad eam quoque Anglicanæ Eccleſiæ conveniſſe legatos credibile eſt, ſive propter cauſæ affinitatem, ſive quod ex tanta ſynodo ſperarent, facile ſe impetraturos auxilia, quæ poſtulatum venerant.

Verum ut hæc conjectura plus valeat, aut fidei, aut ſaltem credulitatis obtinere, juvanda eſt reſponſionibus ad nonnulla, quæ venire poſſunt in mentem eruditis.

Et primum illud quidem creare difficultatem poteſt, quod ſynodus a nobis ad annum 428. referatur, cum tamen a Proſpero miſſio ſancti Germani in Britanniam, a ſynodo decreta, & a Cæleſtino confirmata collocetur ſub conſulatu Florentii, & Dionyſii, qui contigit ann. 429. Verum Proſperi locus ſuam ſecum ſolutionem affert. Sic enim ſe habet: *Felice ad patriciam dignitatem provecto, Aetius magiſter militum factus eſt, Agricola Pelagianus Severiani Pelagiani Epiſcopi filius, Eccleſias Hiberniæ dogmatis ſui inſinuatione corrupit; ſed actione Palladii diaconi Papa Cæleſtinus Germanum Antiſiodorenſem Epiſcopum vice ſua mittit, ut deturbatis hæreticis, Britannos ad catholicam fidem dirigat.* Cum enim ſimul conjungat, & hæreſis inſinuationem ab Agricola, & ſancti Germani legationem a Cæleſtino, & Britannorum ad fidem catholicam reductionem a ſancto Germano: quæ tria profecto non perinde ſimul contigere, ac ſimul ſcripta ſunt, ſed omnia, ut fit, ad poſtremi tempus Proſper revocavit; quidni ergo pariter revocaſſe dicatur ſynodum, vel ad converſionem Britannorum, quæ ſynodum conſecuta eſt, vel ad profectionem ſancti Germani, quæ uno vel altero anno præceſſerit, donec omnia appararentur, & Roma, poſt ſynodi electionem, confirmatio adveniret?

Dubii primi ex Proſperi verbis orti ſolutio.

Hoc etiam ſecundum dubitabile non immerito videri poteſt, quod ab auctore vitæ ſuæ Lupus dicatur, biennio, poſt epiſcopatum adeptum, comitatus Germanum in expeditione Britannica. Cum enim epiſcopatum ſit adeptus poſt annum exercitationis Lerini exactum, & Germanus anno 429. profectus ſit e Galliis, teſte Proſpero; quomodo fieri potuit, ut Lupus, & tyrocinium vitæ ſpiritualis poſuerit ſub Honorato Abbate, qui anno 426. ineunte, vel exeunte 425. creatus eſt Arelatenſis Epiſcopus, & nihilominus poſt duos epiſcopatus annos peregrinationem ſuſceperit? Verum eadem eſt hujus atque præcedentis dubii ſolutio: nam Lupus a ſynodo primum datus eſt Germano comes peregrinationis apoſtolicæ ann. 427. Deinde ſuo tempore cum primum navigare licuit, omnibus rite comparatis in viam ſe dedit, forte ann. 428. Denique coacto Verolamii concilio Britannos ad fidem convertit ann. 429.

Dubii ſecundi orti ex verbis auctoris vitæ S. Lupi ſolutio.

Tertium difficultatem faciunt verba hæc Conſtantii: *Eodem tempore ex Britanniis directa legatio Gallicanis Epiſcopis nuntiavit, Pelagianam perverſitatem in locis ſuis late populos occupaſſe, & quamprimum fidei catholicæ debere ſuccurri. Ob quam cauſam ſynodus numeroſa collecta eſt, omniumque judicio duo præclara religionis lumina univerſorum precibus ambiuntur, Germanus ac Lupus, apoſtolici ſacerdotes, terram corporibus, cælum meritis poſſidentes. Et quanto laborioſior neceſſitas apparebat, tanto eam promptius heroës devotiſſimi ſuſceperunt, celeritatem negotii fidei ſtimulis maturantes.* Nam propter audiendam Anglorum legationem coacta dicitur ſynodus: dicuntur & ſancti celeritatem negotii maturaſſe, id eſt, ſtatim a delegatione, in viam ſe dediſſe: cum tamen aliam cogendæ ſynodi cauſam attulerimus, & prope annum, in comparanda via, poſuiſſe ſanctos viros dixerimus.

Dubii tertii nati ex verbis Conſtantii ſolutio.

Lib. 1. vita S. Germ. cap. 19.

Gravis eſt profecto hæc difficultas, meque diu meditatum coegit tandem, in notis ad decretum Valentiniani tertii ad Amacium P. Galliarum, ſuſpicari Epiſcopos, de quibus loquitur Imperator in decreto, Gallicanos fuiſſe dictos, quia eſſent ſub præfectura Galliarum; fuiſſe autem reipſa Britannos, quos Patroclus convenire deberet, Epiſcopus nempe urbis metropolis, in qua præfectus verſaretur, & ex qua mitti poſſent, cum legati, qui errantes docerent; tum ſynodalia decreta, quæ eccleſiaſticas minas intentarent rebellibus; tum etiam edictum Præfecti cum mandato ad Vicarium, quo pertinaces pœnis cohiberet. Et vero, poſt concilium habitum, qui obſtinate perſtiterunt in errore a magiſtratu damnatos, ſunt qui ſcribant; ſed non magnæ auctoritatis hac in parte homines. Ut ut ſit, non me deterret ab opinione Conſtantius ſuis illis verbis, imo confirmat magis: quæro enim, ad quem directa ſit Britannorum legatio. An ad ſingulos Galliarum Epiſcopos in ſuis ſedibus commorantes? at neque id moris fuit, neque ad cogendam ſynodum, mittendaque auxilia valuiſſet. An ad primas ſedes, quod conſuetum erat? Ita ſane: at primatum tenebat Arelatenſis, ſuoque jure convocare poterat ſynodum, ex omnibus Galliarum provinciis. Quidni ergo dicatur Arelatenſis præſul Patroclus, & legationem Britannorum excepiſſe, & Imperatorem monuiſſe de toto negotio, & ab eo obtinuiſſe reſcriptum ad Amacium, a quo ipſemet, auctoritate aucta, juberetur, Epiſcopos convenire: nec ſynodum cogere potuiſſe propter cauſas, quas antea protulimus; ſed id curæ ſucceſſori reliquiſſe, qui etiam a Cæleſtino, interim certiore facto de re tota, per Palladium diaconum impulſus, ex numeroſa ſynodo, quam collegiſſet, legatos miſerit in Britanniam cum mandatis, ſeu commonitorio, atque auctoritate, ſive ſua imperialibus præceptis aucta, ſive potius ſedis apoſtolicæ, cujus legatione Cæleſtinus Papa ſanctiſſimos viros Germanum & Lupum fungi voluiſſet?

Hector Boetius Scot. hist. lib. 8.

Quartum denique dubium movet Proſper in Collatorem ſcribens, ubi poſt narrata, quæ Cæleſtinus egiſſet animoſe cum Cæleſtio audientiam poſtulante poſt tot Eccleſiæ judicia: *Nec ſegniore,* inquit, *cura ab hoc eodem morbo Britannias liberavit, quando quoſdam inimicos gratiæ ſolum ſuæ originis occupantes, etiam ab illo ſecreto excluſit oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſervare catholicam, fecit etiam barbaram chriſtianam.* Quomodo enim Proſper Germani non fecit mentionem, cum Epiſcopi meminerit Scotis dati, ſi modo utrumque miſit idem Pontifex? Verum licet hic me locus adducat facile, ſicut & alii non pauci, ut credam, non ita conſtantem eſſe opinionem, quod idem ſit chronologus Proſper, qui Auguſtini diſcipulus, ut illa non poſſit, vel omnino convelli, vel ſaltem labefactari, quod poſtea tentabitur: nihilominus communi credulitati inſiſtens, videor mihi hinc quoque poſſe conjecturæ momentum afferre, unde crederetur elevari. Si enim Pontifex inimicos gratiæ excluſit e Britanniis, excluſit utique auctoritate tanta, quantæ pondus hæretici eluctari non poſſent. Oportet igitur eodem non ſolum miſſos fuiſſe apoſtolicæ ſedis legatos, qui eccleſiaſtica pollerent poteſtate, ad deponendos Epiſcopos; ſed etiam directa Imperatorum juſſa, quibus depoſiti exulare cogerentur e patria. neque enim aut Epiſcopi poterant deponi ſine Pontifice, aut ejici homines patriis finibus ſine Imperatore.

Lib. in Coll. cap. 4.

Dubii quarti orti ex Proſperi verbis ſolutio.

XXII. SYNODUS
VEROLAMII IN ANGLIA
A GERMANO ET LUPO SEDIS APOSTOLICÆ LEGATIS, ADVERSUS EPISCOPOS PELAGIANOS HABITA,
FLORENTIO ET DIONYSIO COSS.

anno CCCCXXIX.

Vigeſima ſecunda in Anglia habita.

Non anno 446. ut vult Beda.

VIGESIMA ſecunda cenſeri debet, in qua Verolamii in Anglia ſancti Germanus & Lupus ſedis apoſtolicæ legati Pelagianos Epiſcopos convicerunt. De hac ſcripſit quidem Beda, ſed quæ ex Conſtantio accepit, quibuſque de ſuo nihil quicquam addidit, præter errorem temporis, quo tradidit habitam anno 446. id eſt, tertio poſt Germani obitum.

Lib. 1. eccl. hiſt. gentis Anglorum cap. 17.

Sed anno 429.

Longe probabilius refertur ad annum 429. quo Proſper deturbatis hæreticis Britannos labore ſancti Germani ad catholicam fidem reductos ſcribit. Nam congregata eſt tempore primæ profectionis Germani, ut habet Conſtantius, & in ea *compreſſa perverſitate damnabili, ejuſque auctoribus confutatis, animi omnium fides puritate compoſiti ſunt*. Prima vero profectio Germani contigit ann. 429.

In vita S. Germ. lib. 1. cap. 23. & 25.

Unde non levis me admiratio cepit aliquando, cur eruditi conciliorum editores maluerint audire Bedam, quam vel Proſperum, vel certam, ſicut eſt magna ex parte a Baronio ſubducta, temporum rationem.

Hiſtoria ſynodi ex Conſtantio.

Ibid. cap. 23.

Pro geſtis, quæ perierunt, exſcribenda mihi videntur, quæ habet Conſtantius de ſynodo. *Latebant abditi ſiniſtræ perſuaſionis auctores, & more maligni ſpiritus, gemebant perire ſibi populos evadentes. Ad extremum, diuturna meditatione concepta, præſumunt inire conflictum, procedunt conſpicui divitiis, veſte fulgentes, circumdati aſſentatione multorum, contentionisque ſubire aleam maluerunt, quam in populo, quem ſubverterant, pudorem taciturnitatis incurrere, ne viderentur ſe ipſi ſilentio damnaviſſe. Illic plane immenſæ multitudinis numeroſitas, etiam cum conjugibus ac liberis excita convenerat. Aderat populus, ſpectator futurus & judex: adſtabant partes, diſpari conditione diſſimiles. Hinc divina auctoritas, inde humana præſumptio; hinc fides, inde perfidia; hinc Chriſtus, inde Pelagius auctor. Primo in loco beatiſſimi ſacerdotes præbuerunt adverſariis copiam diſputandi, quæ ſola verborum ruditate, diu inaniter & aures occupavit, & tempora. Deinde antiſtites venerandi torrentes eloquii ſui cum apoſtolicis & evangelicis tonitruis profuderunt. Miſcebatur ſermo proprius cum divino, & aſſertiones violentiſſimas lectionum teſtimonia ſequebantur. Convincitur vanitas, perfidia confutatur, ita ut ad ſingulas verborum objectiones reos ſe, dum reſpondere nequeunt, faterentur. Populus arbiter vix manus continet: judicium cum clamore teſtatur.*

XXIII. SYNODUS
ROMÆ A CÆLESTINO
IN CAUSA EPISCOPORUM PELAGIANORUM
NESTORIO ADHÆRENTIUM,
THEODOSIO XIII. ET VALENTINIANO III. AA. CC.

IV. Idus Auguſti, anno Chriſti CCCCXXX.

Vigeſima tertia ſynodus, quæ V. Romana.

VIGESIMAM tertiam ſynodum, quæ & quinta Romana, coegit Cæleſtinus Romæ in cauſa Neſtorii ſimul & Epiſcoporum, quorum in gratiam Neſtorius ſcripſerat.

Cujus meminit Cyrillus.

1 part. con. Eph. cap. 2.

Hujus meminit Cyrillus Alexandrinus, ſcribens Joanni Antiocheno. *Miſit Neſtorius Romam exegeſeon ſuarum quaterniones, quos cum piiſſimi Epiſcopi, qui in magna Romanorum urbe commorati ſunt, legiſſent, multiſque conſeſſibus conſultationibuſque habitis examinaſſent, illorum auctorem non abſque indignatione exſibilarunt, palam aſſerentes, novam illum, eamque pernicioſiſſimam, & a nullo veterum hæreticorum antea unquam excogitatam hæreſim eſſe molitum.*

Quia ergo Neſtorius hæc illuc perſcripſerat, compulſus ſum & ego quoque ea omnia, quæ inter me & illum interceſſerant, aperire, earumque litterarum, quas ad illum dederam, exempla per Poſſidonium dilectum Eccleſiæ Alexandrinæ diaconum mittere. Porro autem lectis in concilio expoſitionibus illius, epiſtoliſque lectis, & iis præcipue, in quibus, quod apertam ipſius ſubſcriptionem præ ſe ferrent, nullus tergiverſandi locus reliquus erat, SANCTA ROMANA SYNODUS *diſertam ſtatim in illum ſententiam tulit: qua de re & ad tuam quoque pietatem perſcripſit. Horum proinde decreto modis omnibus parendum eſt illis, qui a totius Occidentis communione excidere noluerint: ſcripſerunt namque expoſitæ ſententiæ exempla, cum ad Rufum piiſſimum Theſſalonicæ Epiſcopum, tum ad alios quoque nonnullos religioſiſſimos Macedoniæ Epiſcopos, qui ab illius ſententia nunquam decedere ſolent. Scripſerunt nihilo ſecius & ad Juvenalem quoque piiſſimum Hieroſolymorum Epiſcopum.* Et in literis ad Neſtorium: *Ecce igitur una cum* SANCTA SYNODO, *quæ in magna Romanorum civitate, ſanctiſſimo & reverendiſſimo Epiſcopo fratre ac comminiſtro noſtro Cæleſtino præſidente, convenit, jam tertio his literis conteſtamur.* *Ibid. cap. 26.* Et poſtea: *Ad epiſtolas porro quod attinet, quas Alexandrina Eccleſia ad te miſit, eas a* SACRA ROMANA SYNODO

SYNODO *ab omni errore & vitio immunes judicatas eſſe ſcias.*

Meminit etiam Neſtorius. *1 part. operum. M. Mercatoris.*

Meminit ipſe quoque Neſtorius in epiſtola ad Cæleſtinum hæreticum, quem exemplo ſanctorum ſuoque ad conſtantiam in adverſis hortatur: *Siquidem*, inquit, *epiſtolæ miſſæ ab Epiſcopis* CONCILII OCCIDENTIS, *& ab Alexandrino, cum multis reſcriptis, manifeſtam nobis noſtram fecere ſententiam*, &c.

Cæleſtinus ea ipſa dedit plures epiſtolas, nempe ad clerum Conſtantinopolitanum, Joannem Antiochenum, Juvenalem Hieroſolymitanum, Rufum Theſſalonicenſem, & Cyrillum Alexandrinum; ſed eam in primis ad Neſtorium, quam Juvenalis in concilio Epheſino vocat περὶ τῆς πίστεως, nunc aiunt conſtitutionem in cauſa fidei. *2 part. conc. Eph. act. 3.* Iis vero, cum maximam partem de Neſtorio ſit, de Pelagianis tamen continet, quæ multum faciunt ad illuſtrandam ſynodum de qua nunc agitur. Reciſis igitur, quæ alterius ſunt negotii, ea quæ Pelagianorum cauſam attinent, ſic ſe habent. *1 part. conc. Eph. cap. 18.* *Aliquantis diebus vitæ noſtræ, poſt nefandum & ſæpe damnatum dogma Pelagii atque Cæleſtii, catholica fides quietem habuit, quando eos cum ſuæ opinionis ſequacibus, telis unitæ ſententiæ Oriens Occidenſque percuſſit. Denique ſanctæ recordationis Atticus, catholicæ magiſter fidei, & vere beati Joannis etiam ad iſta ſucceſſor, eos ita perſecutus eſt pro rege communi, ut nec ſtandi quidem illic copia præſtaretur.* Et poſtea: *Hos quoque hæreticos, de quibus nos, velut eorum, quæ geſta ſunt, neſcius conſulere voluiſti, ſedibus ſuis, injuſta dicentes, expulit juſta damnatio. Quos illic inveniſſe requiem, non putamus eſſe mirandum: invenerunt enim impiam prædicationem, cujus comparatione ſe æſtiment innocentes. Hoc loco, quia opportunitas ſermonis expoſcit, tacere non poſſumus, quod ſtupemus. Legimus, quam bene teneas originale peccatum, qualiter ipſam naturam aſſeras debitricem, & eum debitum merito reddere, qui deſcendit de genere debitoris. Quid tecum faciunt qui ſunt hæc negando damnati? Numquam ſine ſuſpicione, ea quæ ſibi ſunt adverſa, conveniunt. Ejiciantur denique, ſi tibi quoque ſimiliter diſplicerent. Cur tamen ea quæ in his tunc ſunt acta, quæruntur, cum certum ſit, illinc ad nos a catholico tunc antiſtite Attico geſta directa? Cur non ſanctæ memoriæ Siſinnius iſta quæſivit? quia utique ſub deceſſore ſuo probaverat eos jure damnatos. Defleant infelices, ſpe ſe hominum fuiſſe deceptos; quibus jam potuit propter communionem ſola pœnitentia ſubvenire. Ecce ſcire de his incipis, ſi qua ante neſcivisti. Data III. Idus Auguſti, Theodoſio XIII. & Valentiniano III. AA. CC.*

Ex his, temporis ratio; ex litteris Cyrilli, locus; eventus, ex relatione Patrum Epheſinorum ad ſanctum Cæleſtinum conſtat. *2 part. conc. Epheſ. act. 5.* *Perlectis in ſancta ſynodo commentariis actorum in condemnatione impiorum Pelagianorum & Cæleſtianorum, Cæleſtii, Pelagii, Juliani, Perſidii, Flori, Marcellini, Orontii, & eadem cum ipſis ſentientium, quæ a pietate tua de ipſis decreta & conſtituta ſunt, & idem omnes tecum ſtatuimus, eos pro damnatis habentes.*

Quibus ea verbis intelligere eſt, ſynodum Romanam de Pelagianis quoque fuiſſe, ut qui ſocietate erroris cum Neſtorio jungerentur, eadem ſententia percellerentur.

Mirum vero, nec ſine obſervatione prætereundum, hanc a Patribus Epheſinis ſynodum dici occidentalem, *Part. 2. conc. Epheſ. act. 3. in relat. ad Imp.* perinde quaſi totius occidentalis Eccleſiæ cenſeri debuerit, cui ſummus Pontifex Romæ præſederit. Nec enim legimus a Cæleſtino ex toto Occidentis diœceſi convocatos ad concilium Epiſcopos; ſed eos tantum congregatos, qui tum Romæ verſarentur, ut ſcribit Cyrillus. *In epiſt. ad Joan. Antioch.*

XXIV. SYNODUS,

QUÆ TOTIUS ORBIS EPHESI CONGREGATA

ANTIOCHO ET BASSO COSS.

die XXIII. Junii, anno Chriſti CCCCXXXI.

Quarta ſynodus, quæ tertia œcumenica ſeu Epheſina.

VIGESIMO quarto ultimoque loco a nobis collocatur Epheſina ſynodus; (quæ tertia œcumenica) non quod revera ultima fuerit adverſus Pelagianos, cum aliæ ſubſecutæ ſint, illæque numero plures: ſed quod eo temporis intervallo diſſertationem noſtram definierimus, quo divina providentia vitam indulſit Auguſtino, *cujus ductu contra inimicos gratiæ Dei catholica acies pugnavit & vicit.* *Proſp. lib. in Coll. cap. 1.*

Cenſetur præſens Auguſtinus.

Etſi vero ad meliorem vitam tranſiit egregius fidei defenſor ann. 430. v. Kalend. Septembris, conciliumque Epheſinum non habuerit initium ante XI. Kalend. Jul. ſequentis anni, cum ad illud tamen ab Imperatore vocatus fuerit ſingularibus litteris, magna utique pars ſacri conventus futurus, ſi Deus voluiſſet: non abs re putandum eſt, ejus ſpiritu, imo & libris a Baſſula diacono Carthaginenſis Eccleſiæ delatis, animatos Patres nefariam hæreſim proſcripſiſſe.

In literis Imperatoris.

Imperator certe in literis ad ſynodum datis per Joannem Sacrarum comitem, ipſius quoque Auguſtini meminit velut præſentis, quemadmodum & Cæleſtini atque Rufi: licet hos abeſſe ſciret, illum fato functum. quia nimirum omnes, ut ab Imperatore convocati fuerant, ita concilio, vel numine, ut e cœlo Auguſtinus; vel auctoritate, ut per legatos Cæleſtinus; vel conſenſu, ut Rufus, cum Macedoniæ Epiſcopis.

Emendatus textus concilii Epheſini vulgati.

Porro nomen Auguſtini non legitur, ſed Auguſtiani in editione Romana concilii, aliiſque poſt Græca Commelini; ſed contra fidem antiquiorum codicum MM. SS. & ut opinor, ex incogitantia cauſæ, cur ita ſcripſerit Imperator, maxime cum in toto concilio Epheſino nulla fiat Auguſtini mentio, nec vox illa forte uſpiam reperiatur; ſed vel ex notariorum *Interfuere 274. Epiſcopi.* inſcitia, vel nimia edituum ſcientia, originem ſumpſerit.

Ducenti ergo ſeptuaginta quatuor Patres (tot enim recenſet Mercator) hæreticos Epiſcopos cum Pelagio & Cæleſtio, quibus favebant, damnaverunt, ut eſt in ſynodicis ad Cæleſtinum: *In præf. ad ſymb. Theod. 2 part. conc. Epheſ. act. 5.* *Perlectis in ſancta ſynodo commentariis actorum in condemnatione impiorum Pelagianorum & Cæleſtianorum, & quæ a pietate tua de ipſis decreta & conſtituta ſunt, judicavimus & nos ea ſolida firmaque permanere debere, & idem omnes tecum ſtatuimus, eos pro condemnatis habentes.*

Emendatur verſio Latina.

Notandum vero, interpretem concilii Epheſini, ſive Romanum, ſive priorem alium pro voce *condemnationis & damnatorum*, qua uſi ſumus, *depoſitionem & depoſitos* dixiſſe, repugnante ratione: vox enim Græca καθαίρεσις, etſi depoſitionem ſignificet & condemnationem, ad ſignificandam nihilominus depoſitionem adhiberi non potuit hoc in loco, cum Pelagius monachus inter laicos conſtiterit, laicus vero deponi non poſſit de ſede, vel gradu, quem nullum habet in Eccleſia; ſed condemnari tantum, & a cœtu fidelium ſeparari.

Actione VII. in præfatione canonum habentur iſta de Neſtorianis & Cæleſtianis manifeſto ſigno deprehendendis: *1 part. conc. Epheſ. act. 7. in præf. can.* *Hi nullam omnino eccleſiaſticæ communionis facultatem habentes, ut ex auctoritate ſacerdotali cuiquam nocere vel prodeſſe poſſint; propterea quod etiam quidam ex ipſis ſunt depoſiti, cumprimis Neſtorii & Cæleſtii ſequi ſententias manifeſte ex eo ſunt deprehenſi, quod Neſtorium nobiſcum condemnare noluerunt: quos ſancta ſynodus communi decreto ab omni eccleſiaſtica communione alienos eſſe ſtatuit, &c.*

Sequuntur deinde canones omnino ſex, qui licet omnes adverſus Neſtorianarum partium & Cæleſtia- *Canones concilii adverſus*

Neſtorianos & Cæleſtianos.

narum homines conditi ſint, in primo tamen & quarto ſolum mentio ſit expreſſa Cæleſtii. Ita vero ſe habent.

I. SI quiſpiam metropolita provinciæ, derelicta ſancta & œcumenica ſynodo; aut acceſſit ad illorum defectionis conſeſſum, aut accedet in poſterum, ſive cum Cæleſtio ſenſit, aut ſentiet; ipſe nihil amplius poterit agere adverſus provinciæ Epiſcopos, ut qui jam inde a ſynodo totius eccleſiaſticæ communionis expers ſit factus, & prorſus inutilis: ſed & ipſis Epiſcopis illius provinciæ, circumque vicinis metropolitis recta ſentientibus ſubjacebit, ut omnino dejectus ſit a ſede epiſcopatus.

II. SI qui autem provinciales Epiſcopi a ſancta ſynodo abfuerunt, & deficientibus adhæſerunt, aut adhærere tentaverunt, vel etiam poſtquam ſubſcripſerunt Neſtorii depoſitioni, rurſus ad defectionis conſeſſum recurrerunt; iſtos placuit ſanctæ ſynodo, penitus alienos eſſe ſacerdotio, & a gradu cecidiſſe.

III. SI qui vero clerici in ſingulis urbibus, aut regionibus, a Neſtorio & cum eo conſpirantibus, ſacerdotio prohibiti ſunt, quod recte ſentirent, juſtum putavimus, hos quoque proprium gradum recipere. In ſumma autem clericos orthodoxæ & œcumenicæ ſynodo conſentientes jubemus, eis qui defecerunt aut defecturi ſunt, Epiſcopis nullo pacto aut ratione ſubjectos eſſe debere.

IV. SI qui autem clericorum defecerint, & auſi fuerint, vel privatim, vel publice, quæ ſunt Neſtorii aut Cæleſtii ſapere, ſancitum eſt a ſancta ſynodo, iſtos quoque depoſitos eſſe.

V. QUICUNQUE autem ob turpia geſta ſunt a ſynodo condemnati, vel a propriis eorum Epiſcopis, quibus præter canones Neſtorius, qui nullum rerum diſcrimen habebat, & qui cum illo eadem ſentiunt, reſtituere conati ſunt gradum vel communionem, aut conabuntur; iſtos cenſuimus nihil profeciſſe, & manere & eſſe nihilominus depoſitos.

VI. SIMILITER autem & ſi qui velint, ea, quæ de ſingulis per ſanctam ſynodum Epheſinam geſta ſunt, quocunque modo movere; ſancta ſynodus ipſa decrevit, ſiquidem Epiſcopi aut clerici fuerint, eos omnino a proprio cadere gradu; ſi vero laici, excommunicatos eſſe.

In conciliabulo ſchiſmaticorum, quorum agmen ducebat Joannes Antiochiæ Epiſcopus, Julianus cum ſuis participibus abſolutus vulgo dicitur, eaque opinio auctore Gregorio Magno nata eſt, ut multis placet. Scribit enim a quodam concilio, quod Epheſinum ſchiſmaticum putant, definitum de Adæ anima: *Quia in peccato mortua non fuerit, eo quod diabolus in cor hominis non ingrediatur; & ſi quis hoc dixiſſet, anathema eſſet.*

Abſolutus a ſchiſmaticis Julianus dicitur.

Lib. 5. regeſti epiſt. 14. & lib. 6. epiſt. 61.

Hiſtoriam rei illius prolixius alio in loco narrat, docetque, in multis codicibus Conſtantinopolitanis & Iſauris, permixta fuiſſe acta catholicæ ſynodi cum geſtis concilii alterius: verum in hiſce geſtis, cujuſmodi nunc habemus, nihil tale invenitur; neque vero inveniebatur olim in primarum ſedium codicibus.

Canon ſchiſmaticorum de anima Adæ.

Lib. 7. epiſt. 31.

Contra hanc definitionem diſputat ſanctus Pontifex citatis in locis duobus; ſed ita, ut mortem peccato contractam ab Adamo interpretetur in primo de ſola ſpirituali; in ſecundo de corporali quoque, ubi conſentientem habet Auguſtinum, qui primæ interpretationi pugnare ſolet.

Verum hic oritur difficultas non levis, quid nempe ad rem Pelagianorum faceret iſte canon; cum illi animam Adami mortuam Deo per peccatum, nec negarent, nec in eo diſſentirent a catholicis. Deinde, quomodo ex eo, quod diabolus illabi non poſſit in cor hominis, conficiat vel in ſpeciem quiſpiam, animam Adami peccato non eſſe mortuam. An eo uſque deſipuiſſe putandum eſt orientales ſchiſmaticos, ut non adverterent, hac ratione tolli omne peccatum, quod inſtinctu diaboli fieret? Hunc nodum attigerunt aliqui, nemo hactenus explicavit. An verſipelles hæretici credi poſſunt definitum voluiſſe a ſuis patronis, quod catholicum per ſe foret, ſed ex quo conficerent apud vulgus, nullum eſſe peccatum originale? Si enim peccato mortua eſt Adami anima: nec tamen idcirco mortua eſt, quia mortem ipſi intulit diabolus illabens cordi. Certe nullius anima mori poteſt, niſi ſua voluntate peccet, quo modo peccare parvuli nequeunt: animæ enim inferre mortem nemo poteſt, niſi qui in eam ingrediatur; nec ingredi cuiquam licet, præterquam Deo, qui mortem animæ procul dubio non facit.

Tota hæc hiſtoria canonis atque concilii, in altera parte operum Marii Mercatoris tractabitur, ita ut popularis opinio ſin minus certis, ſaltem probabilibus rationibus refellatur. qui enim creditus eſt canon ab Orientalibus ſancitus, oſtendetur a Neſtorii concilio quodam fabricatus; cum, inſtigantibus Pelagianis, catholicis regiæ urbis clericis Manichæi impietatem, per nefandam calumniam, affingeret. Sed hac de re prolixe in notis ad epiſtolam ſecundam Neſtorii ad Cyrillum.

SY-

SYNODI OCTO

HABITÆ QUINTO SÆCULO

IN EADEM CAUSA PELAGIANORUM

variis temporibus.

Synodi quatuor ante Epheſinam.

PRÆTER ſynodos hactenus recenſitas, quatuor alias ante concilium Epheſinum in cauſa Pelagianorum reipſa coactas fuiſſe ſentio: eas tamen omittendas putavi, quia ſententiam meam, neque certa veterum teſtificatione, neque valida ratione, ſed tantum non improbabili conjectura, confirmare poſſum.

Epheſina particularis ann. 417.

Habita eſt prima Epheſi in Aſia ann. 417. de qua, niſi fallor, loquebatur Proſper cum ſcriberet:

In carm. cap. 2.

Prætereo quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Epheſos, non paſſa ſuis conſiſtere tectis
Vaſa iræ, & morbi flatus, & ſemina mortis.

Nam verſus Proſperi intelligi non poſſe de ſynodo œcumenica, videor mihi manifeſte demonſtraſſe, in notis ad Commonit. Mercatoris.

cap. 1.
Syracuſana anno eodem vel ſequente.

Secunda Syracuſis in Sicilia, de qua ejuſdem verſus interpretor:

Quaque fide tellus etiam Trinacria fervens
Agmen vipereum propriis exegerit oris.

Nam, ut ſæpe dictum eſt, ſine auctoritate ſynodi, de ſua ſede nullus olim Epiſcopus dejiciebatur: dejectos vero plures in Sicilia oſtendemus in diſſertatione quinta ad libellum fidei a Juliano editum.

Romana ann. 419.
Lib. cont. Coll. cap. 41.

Tertia Romæ, ſub Bonifacio, de qua idem auctor: *Quando ſanctæ memoriæ Papa Bonifacius piiſſimorum Imperatorum catholica devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei, non ſolum apoſtolicis, ſed etiam regiis utebatur edictis.*

Alexandrina anno 430.

Quartam Alexandriæ ann. 430. Cyrillus, per ſe quidem in cauſa Neſtorii, ea occaſione tamen propter Pelagianos coëgit, ſive quod accepiſſet acta concilii Romani a Cæleſtino ad ſe miſſa, iiſque conſentanea, cum de Neſtorio, tum de Pelagianis ſancire vellet; ſive quia noverat, aliquos adhuc latere in Eccleſia ſua diſcipulos Valeriani Pelagiani, de quo cavendo monitus fuerat, jam inde a temporibus Innocentii, a quodam Euſebio, quem Cremonenſem Epiſcopum opinatus eſt Baronius.

In annal. ad an. 417. num. 15.
Quatuor habitæ poſt Epheſinam.

Poſt Epheſinum concilium quatuor pariter ſynodi celebratæ ſunt quinto ſæculo adverſus Pelagii, ſive errores, ſive reliquias: quinto, inquam, ſæculo, nec enim ultra excurrere eſt animus.

Præter Sardinenſem.

Quare prætermitto concilium Sardinienſe, quod Patres Africani in Sardinia exules fecere ann. 521. cujuſque mens fuit Fulgentius.

Arauſicanam ſecundam.

Omitto pariter celebre illud Arauſicanum ſecundum, quod 14. Epiſcopi, quibus præfuit Cæſarius, Arauſicæ habuerunt v. Non. Jul. Decio juniore conſule, id eſt, ann. Chriſti 529. Felicis quarti 3. Athalarici regis Italiæ 3.

Severinus Binius in notis ad 3. canonem concilii Reienſis, temporibus Sixti ſummi Pontificis, ann. 439. ab Epiſcopis provinciæ Narbonenſis, Hilario præſide, celebrati, ſecutus Baronium, opinatus eſt canone dicto agi de Epiſcopis, qui, cum Pelagio adhæſiſſent, ſimulabant pœnitentiam, quo recuperarent ſedes merito ſibi ademptas. Id ſi vere probabiliterque diceretur, deberet utique hoc concilium in eorum numero cenſeri, quæ poſt Epheſinum in cauſa Pelagiana coacta ſunt: imo ex eo conſequens foret, ante tempora concilii Epheſini in eadem provincia Narbonenſi ſynodum contractam fuiſſe, in qua depoſitionis ſententia adverſus Epiſcopos, qui reſtitui flagitabant, lata eſſet.

Reienſem.
Ad ann. 439. num. 45.

Sed in eam Baronii Biniique ſententiam concedere non poſſum, cum ſui auctores, neque hanc ulla, ſive teſtificatione veterum, ſive ratione confirment, neque conſentientem habeant Patrem Sirmondum in notis ad Reienſe concilium, neque ullum de Octo canonibus, ne tertium quidem, argumentari poſſint, ad ſimile aliquid vel leviter probandum: imo cum apertum ſit, in tertio agi de ſolo Armentario, ſuiſque ordinatoribus, & qui eadem vel ſimilia auderent, nimirum Epiſcopum ordinare, ſine legitimo trium Epiſcorum numero; quam ob cauſam ſchiſmaticorum potius quam hæreticorum numero haberentur.

Leo Magnus ann. 447. Nicetæ Epiſcopo Aquilegiæ habendam ſynodum graviter præcepit, ad exigendas ſubſcriptiones puras ab eis, qui ex hæreſi Pelagiana vellent ad Eccleſiam redire.

Aquilegienſis.
Epiſt. 64. & 85.

Romæ celebravit aliam Gelaſius ann. 494. in qua libri Pelagianorum proſcripti ſunt, cum propter ſuam impietatem, tum maxime ob hæreſim in Dalmatia, Picenique provincia reviviſcere conantem: quæ cauſa fuit, ut Gelaſius, Albino conſule, id eſt, ann. 493. Honorio Dalmatiæ Epiſcopo bis ſcriberet, ſemel v. Kal Aug. iterum ſine nota temporis: imo ad omnes per Picenum Epiſcopos, Kal. Novemb. literas daret eruditionis catholicæ adverſus Pelagianiſmum pleniſſimas.

Romana.

Habita fuerat ann. 475. Arelate ſynodus a Gallicanis Epiſcopis, ubi ſubſcriptum eſt epiſtolæ Fauſti ad Lucidum, dictumque ſimul anathema illi, *qui inter reliquas Pelagii impietates, hominem ſine peccato naſci, & per ſolum laborem poſſe ſalvari, damnanda præſumptione contenderit, & qui eum ſine gratia Dei liberari poſſe crediderit.*

Arelatenſis.

Eodem fere tempore congregata eſt alia Lugduni, quæ Arelatenſis decreta comprobavit.

Digitized by Google

DISSERTATIO TERTIA
DE
CONSTITUTIONIBUS IMPERATORUM
IN CAUSA PELAGIANÆ HÆRESIS
AB ANNO CCCCXVIII. AD CCCCXX.

In Commonit. cap. 3.

In eadem verba Marii Mercatoris: *Non ſolum imperialibus legibus*, &c.

Eccleſiæ catholicæ judicium ſecuti ſunt Imperatores ſuis decretis.
In vita S. Aug. cap. 18.

POSTQUAM de ſynodis in cauſa Pelagianorum habitis diſſertatum eſt, ſequitur deinceps, ut ad Principum decreta veniatur, *quæ*, ut ait Poſſidius, *Eccleſiæ Dei catholicæ judicium ſecuta ſunt*. Fuerunt illa vero quinque aut ſex omnino, quæ licet condita ſint variis temporibus, & a variis Imperatoribus, imo & ab Auguſta Valentiniani matre, eundem nihilominus fidei catholicæ amorem, idemque Eccleſiæ fovendæ ſtudium oſtendunt; ut non temere quiſpiam ſenſerit, etiam tunc impletum vaticinium Iſaiæ de Chriſti Eccleſia: *Erunt reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ.*

Iſaia cap. 49. v. 23.
Ratio tractandi de ſingulis.

De ſingulis ita tractandum puto, ut ipſa primum exbibeaotur pura ab omnibus mendis, quibus hactenus ſcatebant; tum variæ lectiones proferantur, quæ cum in hunc uſque diem pluribus in locis ſenſum oon impedierint tantum, ſed etiam perverterint, a nobis non ſine laborioſo ſtudio, collatis pluribus codicibus, correcta ſunt; deinde narretur uniuſcujuſque decreti velut hiſtoria, ſolutis, ſicubi occurrent, quæſtionibus eodem pertinentibus; denique notis, ubi opus fuerit, & Imperatorum decreta, & Præfectorum edicta, & ejuſmodi reliqua illuſtrentur.

Querela quorumdam adverſus Imperatores, quaſi rebus eccleſiaſticis ſe præter jus immiſcuerint.

Verum priuſquam id agatur, occurrendum eſt religioſæ in ſpeciem quorumdam indignationi, velut Imperatores in ea parte modum ſuæ poteſtatis noo tenuerint; ſed id pene affectaverint in Eccleſia, quod olim inter gentiles, cum ethnicæ impietatis pootificatum gererent. Quid enim eſt, inquiunt, uſurpare, quæ ſacerdotii ſunt, etiam in cauſa fidei, niſi hoc eſt? Proponere, quæ credi oporteat; hæreticos declarare, qui ſecus ſenſerint; Epiſcopis imperare ſubſcriptionem, ſive dogmatibus, ſive perſonis damnatis, interminata depoſitionis, imo & excommunicationis pœna, ni pareant; primatibus præſcribere, quæ ſui ſint muneris, &c. Id vero Imperatores videntur præſtitiſſe, ipſeque in primis Honorius, quantumvis religioſus prædicetur, cum decretum mitteret, ſive Palladio PP. ſive Aurelio Africæ primati.

Huic jamdudum a Patribus reſponſum eſt.
Gelaſ. epiſt. ad Anaſt. imp.
Concil. ad Theodoſium vel lam.
Juſtinian. Novell. 6.

Vetus fuit hæc querela, & pene orta cum fide Imperatorum. Huic factum olim ſatis a ſanctis Patribus reſponſum, cum ſanxerunt, *duobus principaliter mundum regi, auctoritate ſacra Pontificum, & regali poteſtate: utrumque, cum in Chriſto junctum eſſet, in Pontificibus & Regibus tanquam Dei miniſtris partitum.* Duos inde ſupremos principatus extitiſſe, & *ſuum cuique poteſtatis modum attributum.* Inter ambos principatus ſacrum quoddam fœdus initum, ſequeſtro & conciliatore Chriſto. Pro ſua ſingulos parte ſervire communi Domino, ejuſque ſponſam tueri, & hoſtes junctis viribus profligare. Nam, ut Archiepiſcopus ille ſcribit ad Principem: *Rex regum, idemque Sacerdos ſacerdotum, qui ſolus Eccleſiam regere potuit, quam redemit; poſtquam tamen humanitatem ſuam in cælum evexit, ſemper cum ſua futurus divinitate, poteſtatem ſuam ad eamdem gubernandam Eccleſiam in ſacerdotes diviſit & Reges; ut quod ſancti docerent Pontifices, & ipſi implerent, & impleri facerent devotiſſimi Reges.*

Bernard. epiſt. ad Conradum regem.
Oſius apud Athan. in epiſt. ad ſolitarios.
Apud Lup. Ferr. epiſt. 81.

Poteſtas Chriſti in Pontifices & Reges partita.

Et certe poſtquam Eccleſia, excuſſo tyrannorum jugo, aſſerta eſt in libertatem, gladiumque Imperatorum a ſuis cervicibus in hoſtes avertit, quos paſſa fuerat antea iniquos perſecutores, nacta eſt, ſimul ac filios fecit, rei bene gerendæ juſtiſſimos adjutores. Non ergn Reges formam fidei præſcribunt, neque vero unquam jure præſcripſerunt; ſed acceptam a ſacerdotibus, quorum *judicium ſequuntur*, ſervandam populis jubent. Nnn docent Eccleſiam; ſed velut angeli portas civitatis Dei flammeo gladio ab hæreticis defendunt. Non eos, qui contra fidei formam ſentiunt, hæreticos declarant, ſed hæreticorum pœnis obnoxios. Non ipſi per ſe Epiſcopos deponunt, neque ullos ſacris abſtinent: qui enim poſſent? ſed a ſynodis exauctoratos abſtentoſque expelli jubent civitatibus ſuis, ne turbas creent; jubent & aliorum ſocietate mulctari, ne venenati ſpiritus contagio noceant.

Greg. 2. epiſt. ad Leonem Iſaurum.

Teſtimonium Patrum Africanorum.

Sed quid diutius in re præjudicata verſer? Ipſimet Patres Africani, cum poſtularent ab Imperatoribus hujuſmodi decreta per ſynodorum legatos: ipſi ſummi Pontifices, quantacunque pollerent auctoritate, cum regiis edictis contra inimicos Dei uterentur: totus ordo ſacer clericorum, imo univerſa Eccleſia, cum iiſdem edictis pareret, adverſus omnes exceptiones præſcribit, ſimulque docet, quod præſignavit, & Chriſtus ante paſſionem, & Deus in conditione mundi; opus habere Eccleſiam, ad impios terrendos, duobus gladiis, duobuſque, ad illuſtrandum mundum ſpiritualem, luminaribus. Neque enim, ut aiunt Patres, ſufficiebat, vel unum luminare contra omnes erroris offutias, vel unus gladius adverſus effrænem impiorum audaciam: cum & offutias faceret ſibi aliiſque pertinax animus, & audaciam ex patientia bonorum improbitas ſumeret. Id cum graviſſime veriſſimeque ſit dictum olim, tum noſtri quoque temporis infelix experientia certiſſime comprobat, ut votum Bernardi nunquam fuerit opportunius: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Jungant ſe animis, qui juncti ſunt inſtitutis; invicem ſe foveant, invicem ſe defendant, invicem ſua onera portent.*

Epiſt. mox citata.

PRIMA

PRIMA
HONORII IMPERATORIS CONSTITUTIO
AD PALLADIUM P. P.
ET SUBJUNCTUM CONSTITUTIONI PRINCIPIS
EDICTUM PRÆFECTORUM P.

Impp. HONORIUS, *et* THEODOSIUS *Augg. Palladio P. P.*

AD conturbandam catholicæ ſimplicitatis lucem, puro ſemper ſplendore radiantem, doloſæ artis ingenio, novam ſubito emicuiſſe verſutiam, pervulgata opinione cognovimus, quæ fallacis ſcientiæ obumbrata mendaciis, & furioſo tantum debacchata luctamine, ſtabilem quietem cœleſtis audet attentare fidei: dum novi acuminis commendata vento, inſignem notam plebeiæ æſtimat vilitatis, ſentire cum cunctis; ac prudentiæ ſingularis palmam, communiter approbata deſtruere: cujus impiæ commentationis auctores Pelagium Cæleſtiumque percrebuit extitiſſe.

Hæreſis Cæleſtianæ imago ſuis nativis coloribus depicta.

Hi parenti cunctarum rerum Deo, præcipuæque ſemper majeſtati interminate potenti, & ultra omne principium tranſeunti, tam trucem inclementiam ſævæ voluntatis aſſignant, ut cum formandi opificem curam ſumeret, qualitatemque hominis ſtruendi, profunda ſpiritus conceptione libraret, fundati muneris finem anteferret exordio, & mortem præmitteret naſcituro: non hanc inſidiis vetiti fluxiſſe peccati; ſed exegiſſe penitus legem immutabilis conſtituti, ut ad declinandum leti exitialis incurſum, nihil prodeſſet abſtinentia delinquendi: cujus ita vis putatur adſtricta, ut non poſſit aboleri deinceps. Primitivi hominis errorem, in quem captæ mentis, inops rationis, cæcitate irruiſſet, delapſum ad poſteros non fuiſſe, tantumque apud eum, quem maleſuadæ gratiæ infelix rapuiſſet illecebra, tranſgreſſionem interdicti extitiſſe diſcriminis; cum evidens catholicæ legis omniſaria teſtetur auctoritas, illum interitus omnium fuiſſe veſtibulum, quem divinæ præceptionis ſedulum liquet corrupiſſe mandatum.

In quo potiſſimum poſita.

Alia quoque plurima, quæ ſermo reſpuit, & lex refutat; quæ perexoſum eſt recordari, etiam ſub diſpoſitione plectendi, quæ maturo remedio & celeritate feſtina oportet intercipi, ne corroborato uſu nequitiæ adoleſcentia, vix valeant coërceri.

Maturo remedio celeriter extirpanda.

Siquidem aures manſuetudinis noſtræ recens fama perſtrinxerit, intra ſacratiſſimam Urbem noſtram aliaque loca, ita peſtiferum virus quorumdam inoleviſſe pectoribus, ut interrupto directæ credulitatis tramite, ſciſſis in partes ſtudiis aſſerendi, materia impacatæ diſſenſionis inducta ſit, novoque ſcandali fomite concitato, beatiſſimæ Eccleſiæ hactenus nutet intentata tranquillitas: aliis nempe aliud ancipiti interpretatione ſectantibus, & (cum ſit abſoluta ſanctorum apicum claritas, ac dilucide, quod ſequi univerſitas debeat, explanet) pro captu verſipellis ingenii, profanam novorum commentorum moventibus quæſtionem, Palladi parens cariſſime atque amantiſſime.

Orta ex audacia interpretandi ſcripturam ſacram, contra receptas ſententias.

Ob quam rem illuſtris tua auctoritas, victura in omne ævum, lege nos ſtatuiſſe cognoſcat, ut pulſis ex Urbe primis capitibus dogmatis execrandi, Cæleſtio atque Pelagio, ſi qui hujus de cætero ſacrilegii ſectatores, quibuſcunque locis potuerint reperiri, aut de pravitate damnata aliquem rurſus proferre ſermonem, a quocunque correpti, ad competentem judicem pertrahantur. Quiſque, ſive clericus, ſive laicus fuerit, deferendi habeat poteſtatem, & ſine præſcriptione aliqua perurgendi, quos, relicta communi ſententiæ luce, novæ diſputationis tenebras introferre deprehenderit, contra apoſtolicam ſcilicet diſciplinam, evangelicamque, claram & ſine errore ſententiam, vafra rudis ſectæ calliditate pugnantes, involventeſque ſplendentem fidem veri, ambagibus differendo.

Pellendi ex imperio toto auctores: qui vero ſa ent, per quemcumque legitime poſſunt accuſari.

Hos ergo repertos ubicumque de hoc tam infando ſcelere conferentes, a quibuſcunque jubemus corripi, deductoſque ad audientiam publicam promiſcue ab omnibus accuſari: ita ut probationem convicti criminis ſtylus publicus inſequatur, ipſis inexorati exilii deportatione damnatis.

Deportationis pœna plectendi.

Decet enim originem vitii a conventu publico ſequeſtrari, nec in communi eos celebritate conſiſtere, qui non ſolum facto nefario deteſtandi, verum etiam exemplo venenati ſpiritus ſunt cavendi.

Ne ſocietate ſua noceant.

Juvat autem per omnem pene mundum, qua imperium noſtrum extenditur, hujuſmodi promulgata diffundi, ne ſcientiæ forte diſſimulatio paſtum præſtet errori, atque impune ſe quiſque putet audere, quod condemnatum vigore publico ſeſe finxerit ignorare.

Id lege perpetua & univerſali cautum.

Datum pridie Kalend. Maias Ravennæ, DD. NN. Honorio XII. & Theodoſio VIII. AA. CC.

Tempus & locus.

VARIÆ LECTIONES ET RATIO EMENDATIONIS.

HANC Honorii conſtitutionem ediderunt, primum Megdeburgenſes *centuria* 5. *col.* 847. tum cardinalis Baronius in Annal. *ad ann. Chriſti* 418. poſtea Salmaſius *in Eucharistico pag.* 288. Uſſerius *lib. de Britannicarum Eccleſiarum primordiis cap.* 50. *pag.* 272. Labbeus *tomo* 2. *concil. pag.* 1606. & nuper Baluzius *in appendice ad Salvianum.* Quatuor ex his editoribus conſuluiſſe ſe MM. SS. codices teſtantur: nos vero, partim collatione editionum, partim MM. SS. ope, plurima quæ ſupererant, menda correximus.

DIVERSOS eſt apud diverſos titulus. Magd. *Sacra Honorii & Theodoſii Auguſtorum contra Pelagium & Caleſtium.* Salm. *Incipit ſacrum reſcriptum accepta ſynodi SS (Carthaginenſis) geſtis datum.* Uſſ. *Sacrum reſcriptum, accepta ſynodi geſtis datum.* Bal. *Reſcriptum Honorii & Theodoſii imperatorum, ad Palladium Præfectum Prætorio, adverſus Pelagium & Caleſtium.* Hiſtoria demonſtrat non eſſe hoc reſcriptum proprie, ſed conſtitutionem, cum Imperator nulli, vel per litteras petenti, vel ſcripto conſulenti reſcribat.

FUCO.] Hanc vocem habent omnes præter Baron. & Bal. orationis tamen abſolutio ipſam exigit, ut ſuum ſit epitheton *ſplendori.*

EMICUISSE] Baron. in margine *emerſiſſe.* Utrumque verbum idoneum eſt.

AUDET] Magd. *ſpondet.* Baron. Uſſ. Labb. Bal. *conatur.* Melior eſt, ſignificantiorque Salmaſii lectio, quam elegimus.

DUM NOVI ACUMINIS, &c.] Ita Baron. Uſſ. Labb. Salm. vero & Bal. *Novi criminis commentatores aſtimant,* &c. Etſi probabilis eſt iſta lectio; altera tamen non tantum per ſe elegantior eſt, ſed etiam magis appoſita ad ingenium Pelagianorum, & iis quæ ſequuntur, conſonantior. Nullo ſenſu Magd. *Dum novi criminis commendat eventus inſignem notam plebeia aſtimans vilitatis,* &c.

COMMENTATIONIS.] Magd. & Labb. *commendationis;* nec improbabiliter, propter antecedentes voces, *commendata vento.*

HI PARENTI CUNCTARUM RERUM DEO, &c.] Magd. Labb. Uſſ. *Hi parenti cunctarum rerum Deo, præcipuaque ſemper majeſtatis interminæ potenti, omni ultra principium tranſeunti, tam truci,* &c. Baron. *Præcipuaque ſemper majeſtati, & tot omnipotenti, ultra omne principium tranſeunti,* &c. Salm. Bal. *Præcipuaque majeſtatis interminatione potenti, omne ultra principium tranſeunti,* &c. Non eſt viſus tolerabilis omnium ſenſus, præ eo, qui reſtitutis vocibus ineſt.

OPIFICEM CURAM.] Corrupte Salm. contra reliquos, *operis curam ſumeret.*

FINEM ANTEFERRET EXORDIO.] Magd. Bar. Bal. *Fidei anteferret exordium.* Hæ voces idoneum ſenſum non faciunt.

EGISSE.] Baron. Bal. *exegiſſe.* perinde eſt.

PRODESSET ABSTINENTIA.] Ita Magd. reliqui *abſtinentiam,* ut ſyntaxi conſulerent: quæ ſane melior eſt, ſi loco *prodeſſe* quod habent Magd. reponatur *prodeſſet,* ut exigit ſeries orationis.

ABOLERI.] Magd. *abolere.* Conſultum voluerunt Latinitatis legibus, quaſi eo pertinerent voces conſequentes, *primævi hominis errorem,* quas puncto dividi poſtulat oratio.

INOPS RATIONIS.] Magd. *inopis:* minus recte.

INTERDICTI EXTITISSE DISCRIMINIS.] Baron. *Interdicta extitiſſe & diſcrimina.* Conjunctio irrepſit vitio librariorum.

LIQUET.] Ita Magd. cæteri *liqueat.* idem omnino ſenſus.

ALIA QUOQUE PLURIMA.] Omnes præter Magd. *Alia que quam plurima.*

QUÆ PERICULOSUM RECORDARI] Baron. *Quæ perpetuo cum ſit recordari.* Salm. *Quæ perpetuo abſit recordari.* Bal. *Perpetuo ſumpſit recordari.* Vix intelliguntur hæ ſententiæ.

ADOLESCENTIA.] Magd. *nequitia adoleſcentes.* tolerabilis lectio.

DIRECTÆ.] Baron. *directo.*

MATERIA IMPACATÆ, &c.] Baron. *Miniſtra impacata diſſenſiones inducta ſunt.* Ut noſtra lectio ſit melior; hæc tamen non improbabilis.

HACTENUS NUTET, &c.] Magd. *Actum nutet intentata tranquillitas.* Apertum vitium eſt. Salm. Uſſ. Labb. *Acta nutet, & attentata tranquillitas.* Minus concinne.

ALIIS NEMPE ALIUD, &c.] Magd. *aliis item aliud,* improbabiliter. Probabilius Baron. Uſſ. Labb. *aliis iter aliud,* &c. Salm. *aliis aliud iter ſectantibus:* Verior noſtra lectio.

NOVORUM COMMENTORUM.] Baron. Bal. *novorum more auſorum.* Vix digna principe legem ferente comparatio. Salm. *novorum aut ſuam,* &c. nullo ſenſu. Magd. Uſſ. Labb. *novorum auctorum,* &c. nec iſta lectio improbabilis eſt.

PRIMITUS CAPITIBUS.] Magd. Bal. *primis capitibus.* Utraque probabilis lectio.

EXILII DEPORTATIONEM] Corrupte Magd. *auxilio deportatione.*

PER OMNEM PENE MUNDUM.] Baron. Salm. Bal. *per omne pene imperium noſtrum, qua mundus extenditur.* Inverſio vocum ſenſum pervertit.

NE SCIENTIÆ DISSIMULATIO, &c.] Magd. *inſcientia.* qui contrarius ſenſus.

AUDERE.] Magd. Baron. Uſſ. Labb. *audire.* Vitium per ſe apertum eſt.

HISTORIA CONSTITUTIONIS.

Conſtat a quo data ſit, quando, ubi, ad quem, qua de re.

Dubium eſt, cujus rogatu, & ope, quemque effectum ſortita ſit.

IPSA per ſe conſtitutio ſatis oſtendit, a quo Imperatore data ſit, ab Honorio: qua die, pridie Kalend. Maias: ubi, Ravennæ: quo anno, Honorio XII. & Theodoſio VIII. CC. ad quem, Palladium PP. qua de re, de pellendis Pelagio & Cæleſtio. Sed dubium relinquitur, qua occaſione data fuerit; cujus vel rogatu, vel ope obtenta; quem effectum ſortita, & cur geminanda brevi poſt tempore, imo & extendenda. Sed cum poſtremum iſtud pertineat magis ad hiſtoriam epiſtolæ Honorii ad Aurelium; alia nunc tria partim veterum teſtimonio, partim ratione, atque etiam conjectura, indaganda ſunt.

Ex Auguſtino nihil concludi poteſt, licet pluribus in locis conſtitutionis meminerit.

Plura ſunt quidem apud Auguſtinum, quæ ſpectent ad primum illud Honorii decretum, omnia nimirum, quæ referuntur ad coercendum Julianum, alioſque in Italia partium Pelagianarum homines; ſed ea vix quidquam argumenti ſuppeditant, ad id efficiendum, quo de agitur. Commotum ait in auctores hæreſis imperium: a principe ſcriptam legem adverſus ipſam: ab hæreticis exceptum, ejuſque terrore dictos fuiſſe clericos Romæ perculſos. *In auctores*, inquit,

Lib. de pecc. orig. cap. 17.

nefandi erroris epiſcopalia concilia, & apoſtolica ſedes, univerſaque Romana Eccleſia, Romanumque imperium, quod Deo propitio chriſtianum eſt, rectiſſime fuit commotum, donec reſipiſcant de diaboli laqueis. Et alio in loco:

Lib. 3. adverſ. Julian. cap. 1.

Sane ut dicis, ſi pro vobis potius ab Imperatore reſponſum eſt, cur non in medium profilitis, & hoc ultro publicis poteſtatibus allegatis, vos eſſe monſtrantes, quorum chriſtianus Princeps approbavit fidem? Verum fidei legem, non ſicut ſeſe habet, ſed ſicut vobis placet, intelligitis: quid mirum, ſi & de lege Imperatoris hoc facitis? Ibidem:

Ibidem.

Ne argumento miſerrimo utamini, quo univerſi utuntur hæretici, quos a perniciosa licentia leges Imperatorum catholicorum premunt. Omnes quippe hujuſmodi dicunt, quod ipſe dixiſti, laborare illam partem rationis inopia, quæ in diſſerendo, cum terrorem ſubrogat, nullum a prudentibus impetrat, ſed cæcum a meticuloſis extorquet aſſenſum. Denique ſcribens ad Bonifacium de querelis Pelagianorum: *Quin etiam Romanos clericos arguunt, ſcribentes eos juſſionis terrore perculſos non erubuiſſe prævaricationis crimen admittere.*

Lib. 2. ad Bonifac. cap. 3.

Verum cum hæc cuncta ſcripſerit Auguſtinus poſt tractoriam Zoſimi, ex his profecto colligi non poteſt quidquam, unde ſolvatur quæſtio, quam movimus; ſediſne apoſtolicæ inſtantia, an Africanæ Eccleſiæ rogatu obtentum fuerit decretum. potuit enim ab utraque parte.

Vide diſſert 6. de libro, &c.

Aliquid indicat Poſſidius, ſed non omnino ſatisfacit.

Poſſidius aliquid affert majoris momenti; certe diſtinctius, ſed neque tamen adhuc ſatis idoneum ſolvendæ quæſtioni. *Quoniam*, inquit, *iidem perverſi Pelagianiſtæ ſedi apoſtolicæ, per ſuam ambitionem, eandem perfidiam perſuadere conabantur, inſtantiſſime etiam conciliis Africanis ſanctorum Epiſcoporum geſtum eſt, ut ſancto Papæ urbis Romæ, & prius venerabili Innocentio, & poſtea ſancto Zoſimo ejus ſucceſſori perſuaderetur, quod illa ſecta, catholica fide, & abominanda & damnanda fuiſſet. At illi tantæ ſedis antiſtites ſuis diverſis temporibus eoſdem notantes, atque a membris Eccleſiæ præcidentes, datis litteris ad Africanas Orientiſque & Occidentis Eccleſias, eos anathematizandos & devitandos ab omnibus catholicis cenſuerunt. Et hoc tale de illis Eccleſiæ Dei catholicæ prolatum judicium etiam piiſſimus imperator Honorius audiens ac ſequens, ſuis eos legibus damnatos inter hæreticos haberi conſtituit,* &c.

In vita S. Auguſt. cap. 18.

Nam patet inde quidem, imperatorem Honorium Eccleſiæ, id eſt, ſedis apoſtolicæ, in qua vel Innocentius, vel Zoſimus ſedebat, judicium aliquid ſecutum fuiſſe: at certe non patet, quo decreto Pontifi-

cia

cis judicium ſecutus ſit; geminum enim decretum dedit, & uterque Pontifex ſententiam in Pelagianos dixit, Honorii temporibus.

Rejecta Baronii ſententia de legatione Alipii.
In annal. an. 419.

Sunt qui Alipium Tagaſtenſem putent, Eccleſiæ Africanæ legatione functum ad Imperatorem, adverſus Zoſimi conſilia Pelagianis artibus deluſi, ab eoque obtinuiſſe decretum, quo Cæleſtius, qui a ſede apoſtolica ex parte abſolutus videbatur, Romæ prohiberetur conſiſtere, & damnatam ab Africanis doctrinam libere docere. Sincere fateor, non videre me, qui probabiliter defendatur opinio tam aliena a temporum ratione. etſi enim non diffitear Africanos impatienter tuliſſe benigni Pontificis indulgentiam vix non nimiam erga hominem penitus immerentem; imo licet concedam ab iiſdem ſanctiſſimis Epiſcopis tentatas vias omnes, quibus, partim fidei damno, partim ſuo dedecori occurrerent: conciliari tamen non poſſe rent legationem Alipii, diemque decreti imperialis, cum actis concilii Africani generalis, ex quo Alipius miſſus dicitur. Si enim Alipius decretum obtinuiſſet, ſecum illud, credo, retuliſſet in Africam; referre vero non potuit, quandoquidem decretum pridie Kalend. Maias datum eſt Ravennæ, & Kalendis ipſis Alipius, ut acta plenarii concilii oſtendunt, cum Patribus Carthagine conſedit.

Rejecta quoque Salmaſii opinio de ſynodi Carthaginenſis geſtis ab Honorio acceptis.
In Eucharistico.

In codice Thuano MS. conſtitutio ſic inſcribitur: *Incipit ſacrum reſcriptum, acceptis ſynodi SS. geſtis datum.* Salmaſius, qui codicem vidit, bis duabus litteris SS. Carthaginenſem ſynodum interpretatus eſt, ex quo conſequens, ut Honorii decretum flagitantibus Africanis datum credatur, ſiquidem *reſcriptum* foret, cum illud a conſtitutione in eo differret, quod licet utriuſque par eſſet vis atque auctoritas, reſcriptum tamen interrogantibus, poſtulantibuſve per literas reſcriberetur, conſtitutionem per ſe, & ſuo quaſi motu, Imperator conderet.

Sed quæro, quam Salmaſius Carthaginenſem ſynodum intelligi voluerit? Plures enim fuerunt in hac ipſa cauſa. An primam ſub Aurelio ann. 412. at illa præceſſit decretum totos ſex annos. An ſecundam, ex qua relatum eſt ad Innocentium? at ipſa quoque prior eſt decreto duobus fere annis. An tertiam paulo quidem obſcuriorem, ſed cujus Epiſcopis tertias ſuas litteras Zoſimus dedit? Poſſet quidem aliquis ita conjicere, nec forte improbabiliter: vix tamen crediderim Salmaſium aliam intellexiſſe, quam quæ condidit octo canones, quos vulgus Milevitanos vocat. Si autem ita ſenſit, e duobus alterutrum peccavit: vel enim in Milevitano concilio ejuſmodi canones conditos opinatus eſt, quo nihil ætate noſtra dicitur abſurdius; vel ratus eſt nomine ſynodi Carthaginenſis ſignificari univerſalem Africanam, quod alienum a ratione, cum ejuſmodi ſynodus decretum ſubſecuta ſit, uno ſaltem die, ſi acta, prout ſunt, interpretamur.

Pro Salmaſio facere videtur Proſper.

Pro Salmaſio tamen facere videtur in ſpeciem teſtimonium auctoris chronici, quod tribuitur Proſpero; Proſperi ipſius, Baronii, atque imperatoris Honorii. Nam auctor chronici ad conſulatum Honorii XII. & Theodoſii VIII. *Quibus*, inquit, *conſulibus, concilio apud Carthaginem habito 214. Epiſcoporum ad pontificem Zoſimum ſynodalia decreta perlata ſunt; quibus probatis, per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.* Hinc enim colligat forte quiſpiam, condita primum a 214. Patribus Carthagine congregatis decreta, id eſt, canones octo, quibus continetur totius hæreſis Pelagianæ damnatio: ea deinde perlata non ſolum Romam ad Zoſimum, ut probarentur, ſed etiam Ravennam ad Honorium, ut ſanctione firmarentur: eadem exinde miſſa in totum mundum, cum ſummi Pontificis tractoria, & imperiali ſanctione: nec non ab omnibus Epiſcopis ſubſcripta, atque ita tandem ubique gentium hæreſim profligatam.

Cap. 2.

Proſper in carmine de ingratis:
Tu cauſam fidei flagrantius Africa noſtræ
Exequeris.
Convenere tibi de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque ſenum celeberrima cœtu
Decernis, quod Roma probet, quod regna ſequantur.

Cardinalis Baronius in annal. ad ann. 418. num. 2. & deinceps.

Baronius poſt laudatum, ſine diligentiori examine, Proſperum, quem putat chronici auctorem, ſcribit, concilium, cujus ille meminit, primo veris initio collectum, idque certo argumento inde concludit, quod ad ipſum datæ ſint a Zoſimo litteræ XII. Kalend. Aprilis; quodque in eo ad Maias uſque prorogato, canones de quibus ſermo eſt, ſanciti ſint. Addit poſtea, eodem tempore, & Carthagine concilium, & Romæ judicium de Pelagio Cæleſtioque celebratum fuiſſe. Addit & alia plura, quæ, etſi longum foret referre, non tamen ſine operæ pretio conſuli poſſunt.

Honorius imperator.

Imperator his auctoribus accedere videtur in epiſtola ad Aurelium; nam poſt mentionem factam damnatorum a ſe jamdudum Pelagii & Cæleſtii: *In quo ſecuta eſt*, inquit, *clementia noſtra judicium ſanctitatis tuæ, quos conſtat ab univerſis juſta ſententiæ examinatione damnatos.* Hæc enim verba ſic argumentari licet: Si judicium Aurelii excepit prima ſanctio Honorii, nec videri poteſt Aurelius, de Cæleſtio ſimul & Pelagio feciſſe judicium, præterquam in ſynodo Carthaginenſi: utique ſanctio videtur quoque data, acceptis ſynodi Carthaginenſis geſtis, quod putavit Salmaſius.

Rejecta Baronii ſententia de initio concilii Africani 214. Epiſcoporum.

Sed, ut ingenue fatear, quod ſentio, hæc mihi ſemper teſtimonia viſa ſunt, non tantum non conficere quod oportet, ſed etiam per ſe admodum difficilia, imo potius majorem partem a vero aliena, niſi forte benigna quadam interpretatione adjuventur, aut torqueantur magis.

Nam ut a Baronio incipiam. Si primo veris initio convenere Carthaginem 214. Patres totius Africæ nominatiſſimi: ſi concilium ad Kalend. Maias, & porro productum eſt: ſi ad ipſum ſcripſit Zoſimus tertias de cauſa Pelagianorum literas; neceſſe fuit profecto, & ſanctiſſimorum antiſtitum tantam multitudinem abfuiſſe a ſuis Eccleſiis per feſta paſchalia, quibus canones jubebant ab Epiſcopo baptiſmum celebrari: & concilii finem ſua temporis nota conſignari, qua careret initium: & ſummum Pontificem ſciviſſe Romæ die 20. Martii, qua conſignat ſuas literas, concilium Carthagine fuiſſe congregatum, imo & ſolutum, quod tamen non ante 20. diem Martii coiviſſet. Scribit enim Zoſimus: *Aurelio ac cæteris, qui in concilio Carthaginenſi adfuerunt.* His vero tribus quid dici poteſt pugnantius, vel religioni temporum, quibus ſanctiſſime, in ipſa præſertim Africa, canones obſervabantur; vel conſuetudini conſignandorum conciliorum; vel rationi denique, ut per ſe conſtat?

Titulus tertiæ epiſtolæ Zoſimi.

Detracta Proſpero chronographo hac in parte auctoritas.
Teſtimonio Proſperi, qui adverſarius Collatoris *lib. contr. Coll. c. 10.*
Teſtimonio Auguſtini *ep. 47. ad Valentinum.*

Jam vero chronographi verba, ſi perinde atque Baronii accipiantur, perinde quoque difficilia ſunt atque implicata. Quod ſi autem nomine ſynodalium decretorum octo canones dogmatici intelligantur, repugnat chronographus Proſper, non tantum Collatoris adverſario, qui duorum conciliorum meminit, & in altero canones conditos, in altero 214. Patres conſediſſe ſcribit; ſed etiam Auguſtino duo quoque concilia Africana, imo tria memoranti, quorum ex priore ſit reſcriptum Zoſimo; in poſteriore canones confecti; in tertio accepta Zoſimi tractoria.

Quid igitur faciemus Proſpero chronographo, res ſui temporis, ut dicitur, ſcribente? Nam Baronii facilis eſt excuſatio, cum a Proſpero ſeductus ſit: vix non hærerem dubius, inde me retinente Proſperi nomine, inde in contrarium trahente ratione, niſi ea cogitatio mentem ſubiret, ſola forte me retineri umbra, vel difficultatis, vel magni nominis. Unde enim conſtat, ſervandam eſſe lectionem, quam habent vulgati chronicorum codices, & non ſubſtituendam potius, quam appoſuit Joannes Sicardus in margine: *A pontifice Zoſimo ſynodalia decreta ſunt prolata, quibus probatis per totum mundum, hæreſis Pelagiana damnata eſt?* Hæc enim verba, aliquam, fateor, vim patiuntur, ſed apprime cohærent cum vera rerum hiſtoria. Deinde, ut retineatur vulgata lectio, quo ſatis argumento conficitur chronici Proſpero tributi continuatorem ab Aquitanico non differre? Gennadium ſcio legiſſe *chronica nomine Proſperi prætitulata*; ſed an verum auctorem fronte prætulerint, an alium mentita, adhuc eſt ſub judice lis, in cœtu doctorum. Sed ut etiam detur, Aquitanicum chronica a conditione mundi ad Valentiniani obitum, ſcripſiſſe, aut continuaſſe potius; quam tandem meretur fidem eo loci, ubi tria tradit aperte falſa?

Dubia lectio chronici.

In editione chronici Euſebiani ab Hieronymo tranſlati & ab eodem Proſpero aucti. Baſileæ, apud Henricum Petri ann. 1529.

Dubium an Proſper auctor chronici idem ſit cum adverſario Caſſiani.
De ſcript. eccleſ. cap. 54.
Dubium an

Dubium an fides ſit adhibenda chronographo, cum eo loci alia falſa narret.
De ſede Bonifacii.

falſa? Scribit Bonifacium Romæ epiſcopatum iniviſſe ann. 419. & tenuiſſe annis tribus, menſibus novem: at inivit ann. 418. & tenuit annos quatuor, menſes decem, tribus diebus exceptis: ſiquidem ſedes Zoſimi 26. die Decembris vita functi, duobus tantum diebus vacavit, & Cæleſtinus die 26. Decembris ſedere cœpit ann. 423.

De Conſtantii ſervi Dei martyrio.
Auctor Prædeſt. hær. 88.

Deinde Conſtantium prodit ſervum Dei ann. 418. a Pelagianis Romæ paſſum; & tamen ſanctus ille laicus contra Pelagianos, *ſine ſcriptura*, rem ſtrenue geſſit, priuſquam vel Hieronymus, vel Auguſtinus ſcriptis pugnaret. Pugnarunt vero ſancti doctores jam inde ab ann. 412.

De Conſtantii Placidiæ mariti aſſumptione ad imperium.

Denique collocat eodem ann. & Conſtantii ab Honorio in conſortium regni aſſumptionem, & ſancti Hieronymi obitum: Hieronymus tamen obiit pridie Kalend. Octobris, Honorio IX. & Conſtantio III. coſſ. accepit vero Conſtantius imperium die 8. Februarii, Agricola & Euſtachio coſſ. id eſt, ann. 421. Neque vero excuſari poteſt, quaſi annum a Septembri menſe inchoët cum indictione imperatoria: repugnant enim, quominus id dicatur, plura ejuſdem auctoris teſtimonia.

Fatendum eſt igitur, chronographum, & ab Auguſtini diſcipulo differre, & hac in parte memoria lapſum eſſe. Quanquam ne ipſe quidem Auguſtini diſcipulus ſuper ea re indubitatam fidem meretur, ſi eadem teſtaretur: ſiquidem propter ſuum Auguſtini Africanorumque incredibile ſtudium, multa attribuere ſolitus ſit Africæ Patribus, velut auctoribus, in quibus gerendis, aut cooperatorum tantum, aut etiam adjutorum, partes vere tenuerunt.

Teſtimonium Imperatoris explicatur, & ſolvitur argumentum ex eo ductum.

Jam vero, quæ argumentatio ducitur ab Imperatoris teſtimonio, ut voce ambigua innititur, ita facile, explicata vocis ſignificatione, ſolvitur. Neque enim Imperator ſanctionem ſe primam edidiſſe dicit, poſt judicium ab Aurelio factum in Africana ſynodo plenaria; quod tamen oporteret ad Salmaſii opinionem confirmandam: ſed indefinite ait, ſe edidiſſe ſanctionem poſt judicium Aurelii, qualecunque tandem illud fuerit, & cujuſcunque temporis. Geminum vero Aurelius judicium exercuit diverſis temporibus, in ſynodis provinciæ proconſularis: primum ann. 412. ſecundum ann. 416. Aſſerit ergo Imperator, ſecutum ſe in ſanctione priore edenda judicium Aurelii de iis, quos poſtmodum conſtat juſta ſententiæ examinatione (apud ſedem apoſtolicam inſtituta) ab univerſis (ad quos miſſa eſt Zoſimi tractoria & a quibus ſubſcripta apoſtolica damnationis ſententia) damnatos.

Quid certa ratione conſtet.

His ita diſputatis, adverſus opiniones non bene conſtantes, id ego certi puto ratione poſſe conſtitui. Conſtat Zoſimum ad Africanos ſcripſiſſe de Cæleſtio primas litteras initio Septembris ann. 417. deinde mox ſecundas, de Pelagio XI. Kalend. Octobres. Primas credibile eſt perveniſſe Carthaginem ante ſolutum concilium provinciæ proconſularis, quod de more *circa tempus autumni* habebatur. Ex eo reſcriptum eſt ad Zoſimum, miſſaque ſimul omnia, quæ cum Cæleſtio præſente geſta fuerant in Carthaginenſi concilio ann. 412. miſſi quoque, cum aliis multis inſtrumentis, libelli duo Aurelio oblati, ſive a Paulino, cum accuſaret, ſive a Cæleſtio, cum ſe defenderet.

His inſtructus Pontifex urgere cœpit crebris interrogationibus Cæleſtium, ut damnaret etiam ea, quæ Paulinus libello objecerat. Tergiverſatus eſt maligne reus, fictaque mente promiſit ſe Innocentii epiſtolæ ſubſcripturum, eaque libelli ſui correcturum, quæ ſedes Apoſtolica correcta vellet; ſed ſimul ſpopondit ſe, ſi facultas daretur, Paulinum ex ſuo ipſiuſmet libello hæreſis convicturum.

Libell. Paulini diaconi.

Interim miſſus eſt a Zoſimo in Africam Baſiliſcus ſubdiaconus Eccleſiæ Romanæ, qui & Afros Epiſcopos de rebus Romæ geſtis doceret, & Paulinum ad judicium vocaret. Ille in Africam appulſus Paulinum Carthagine convenit, non tamen ex canonum præſcripto, quippe nec legitimo tempore, nec idonea ſcriptura: unde Paulinus quinque poſt conventionem diebus, Marcellino Eccleſiæ Carthaginenſis ſubdiacono, quem Aurelius cum mandatis Romam mittebat, libellum dedit ad ſummum Pontificem, quo ingenioſe judicium declinabat.

Romæ iterum hieme cum Cæleſtio actum eſt; ſed homo vafer, crebris profeſſionibus, fictiſque promiſſis, pergebat eundem fere in modum ſedi apoſtolicæ illudere, quo Pelagius olim Dioſpolitanis Patribus. Iterum in Africa ante Quadrageſimam de more coacta ſynodus Carthaginenſis provinciæ; ex qua rurſus ſcriptum Romam, partim de cavendis Cæleſtii fraudibus; partim de revocandis in memoriam Zoſimo, quæ præceſſor Innocentius, ſive de geſtis Palæſtinis ſenſiſſet, ſive in hæreticos decreviſſet; partim denique de ſervandis religioſe in Africa Innocentii decretis, nec prius recipiendis Pelagio & Cæleſtio in communionem, quam apertiſſime confiterentur, gratia Dei per JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum, non ſolum ad cognoſcendam, verum etiam ad faciendam juſtitiam, nos per actus ſingulos adjuvari, *&c.*

Acceptis ſynodi litteris, Zoſimus tertiam epiſtolam dedit in Africam XII. Kalend. Aprilis, qua teſtatur, nondum finitum, ut quidem Africanis videbatur, de Cæleſtio judicium; ſed omnia in eodem ſtatu relicta, quo ſuus eſſet Afrorum obteſtationi locus. Verum ſtatim data epiſtola, ſummus Pontifex vocavit ad pleniorem audientiam, ſummumque judicium Cæleſtium, qui cum ſentiret, artes ſuas patere, nec ullum ſupereſſe tergiverſandi modum, ſubduxit ſeſe examini, ſive latuerit in Urbe apud ſuos, ſive Ravennam profugerit ad Imperatorem, ſive in proximis Romæ locis ſubſtiterit, ad aucupandam occaſionem. Ubi vero fuga innotuit, continuo lata eſt in utrumque infandi dogmatis defenſorem decretoria ſententia, ſcriptaque univerſis mundi Epiſcopis a Pontifice grandis illa epiſtola, quam tractoriam Mercator vocat. Miſſa quoque Romanæ ſynodi ad Imperatorem geſta, quibus acceptis, datum eſt pridie Kalend. Maias decretum ad Palladium, de pellendis Urbe damnatis hæreticis, quo per edictum Prætoris Romæ propoſito, omnes, opinor, Eccleſiæ Romanæ clerici de ſubſcribendo tractoriæ conventi ſunt, idque præſtiterunt propenſiſſimis animis, Sixto presbytero cæteris præeunte. tunc agebantur dies feſti Pentecoſtes, & frequentiſſimus fiebat ad Eccleſiam populi concurſus, propter ſolemnem baptiſmum.

Atque his ita ex veterum ſententia conſtitutis, prompta eſt faciliſque reſponſio ad quæſita. Conſtat enim datum fuiſſe ab Honorio decretum, occaſione ſententiæ in hæreticos a ſede apoſtolica prolatæ, ut judicium Eccleſiæ ſequeretur imperialis auctoritas. Conſtat item datum impulſu ſummi Pontificis, quo conjunctis utriuſque poteſtatis ſupremæ viribus funditus hæreſis everteretur. Opem vero contulit curamque Valerius comes, quem Julianus eam ob rem queritur, *mole ſuæ dignitatis obſtitiſſe, quominus diſceptationi tempus locuſque* (petitum forte venerat Cæleſtius) *ab Imperatore concederetur.*

Conſtitutio data eſt impulſu Zoſimi, acceptis ab Honorio Romanæ ſynodi geſtis.
Ope Valerii comitis.

Quantus inde ortus ſit hæreticorum dolor, prodit querela jactantium, ſubreptione infandiſque artibus deceptam aulam, extortamque ſubſcriptionem a perterrefactis, ſibique propter metum prævaricantibus clericis. Par dolori improborum gratulatio bonorum, cum unuſquiſque cerneret, impotentem Pelagianorum audaciam coërceri, juſtaque Principum ira vindicari vim ſanctis hominibus, ſive Romæ, ut Conſtantio, ſive Hieroſolymis, ut Hieronymo, illatam ab inſoleſcentibus, ſi quando impune poſſent, hæreticis.

Ingenti dolore & querela Pelagianis faventium.
Maxima bonorum gratulatione.

Cæleſtii tamen inexhauſtis dolis factum eſt, ut fructus non reſponderet votis, ſed geminari debuerit conſtitutio, præcipue *ad quorumdam Epiſcoporum pertinaciam corrigendam, qui pravas hæreticorum diſputationes, vel tacito conſenſu aſtruerent, vel publica oppugnatione non deſtruerent.*

Optato ſucceſſu caruit propter artes Cæleſtii.

CONSTITUTIO, &c.] Vix ullam reperire eſt conſtitutionem in toto legum volumine, in qua tot ſint, tamque veridica imperatoriæ politices effata, & pene oracula, ut inde poſſit deſumi exemplum abſolutæ adverſus hæreticos ſanctionis. Quid enim verius de hæreſum origine? *Dum novi acuminis commendata*

Exemplar perfectæ in hæreticos conſtitutionis.

mendata

mendata vento inſignem notam plebeiæ æſtimat vilitatis, ſentire cum cunctis, ac prudentiæ ſingularis palmam, communiter approbata deſtruere. Quid eruditius ad experientiam de earumdem incremento? *Quæ maturo remedio, & celeritate feſtina oportet intercipi, ne corroborato uſu nequitiæ adoleſcentia vix valeant coerceri.* Quid ſubtilius de confirmatione & quaſi æternatione? *Interrupto directæ credulitatis tramite, ſciſſis in partes ſtudiis aſſerendi, materia impacatæ diſſenſionis inducta ſit, novoque ſcandali fomite concitato, beatiſſimæ Eccleſiæ hactenus mutet intentata tranquillitas, aliis nempe aliud ancipitis interpretatione ſectantibus, & pro capta verſipellis ingenii, profanam novorum commentorum moventibus quæſtionem.* Quam certa dignoſcendæ hæreſis nota, quamque manifeſtum indolis hæreticæ indicium! *Relicta communi ſententiæ luce, novæ diſputationis tenebras intreferunt, contra apoſtolicam ſcilicet diſciplinam, evangelicamque claram & ſine errore ſententiam vafra rudis ſectæ calliditate pugnantes, involventeſque ſplendentem fidem veri, ambagibus differendo.* Quam prudens remedium! *Decet originem vitii a conventu publico ſequeſtrari, nec in communem eos celebritate conſiſtere, qui non ſolum facto nefario deteſtandi, verum etiam exemplo venenati ſpiritus ſunt cavendi.* Quam providens denique medicina tanti mali! *Hos ergo repertos ubicunque de hoc tam nefando ſcelere conferentes, a quibuſcunque jubemus corripi, deductoſque ad audientiam publicam promiſcue ab omnibus accuſari, ita ut probationem convicti criminis ſtylus publicus inſequatur, ipſis inexorati exilii deportatione damnatis.*

Jacobus Gothofredus reprehenſus.

Tomo 6. cod. Theod. in proſopographia.

Palladio PP.] Hinc emendandus Jacobus Gothofredus, qui anno 418. Liberium ponit Præfectum P. Occidentis.

Doloſæ artis ingenio novam ſubito emiſcuiſſe verſutiam, &c.] Mirum ſane, neminem de Pelagianis ſcripſiſſe quinto ſæculo, qui non ipſos malæ fidei, mendaciique arguerit, imo qui hæreſim verſutiæ nomine, aut alio ſimili non appellaverit. Unde Imperator mox hæreſim vocat *fallacis ſcientiæ obumbratam mendaciis*, carpitque verſipelle ingenium vafra calliditate pugnantium. Hinc *ſerpentis* nomine *colubri*que Pelagius ab Oroſio, Proſpero, Caſſianoque appellatus. Hinc hæreſis ab Aurelio *ſerpentina perſuaſio*; a Paulino diacono Cæleſtius dictus eſt *vulpecula fraudibus ſuis ſtudens.* Hinc Pelagianos Poſſidius *diſputatores callidos, & arte ſubtili noxia ſcribentes.* Auctor epiſtolæ ad Ruſinum *filios tenebrarum*, imo ſe verſutiis *in ſimilitudinem filiorum lucis transfigurantes* nominat.

Eam vero agendi rationem conſtanter tenuerunt homines improbi, cum in ſpargendo errore, & Epiſcoporum tentanda fide, ſuaſque nobilibus in partes inducendis; tum maxime in declinandis judiciis, ſi quando urgerentur, fingendaque pœnitentia, ſi forte damnati eſſent, & apponendis exceptionibus, ſi definitionibus Eccleſiæ ſubſcribendum foret.

Epiſt. 24. apud Auguſt.

Hinc Hieronymus. *Demus operam, ut pernicioſiſſima hæreſis de Eccleſia auferatur, quæ ſemper ſimulat pœnitentiam, ut docendi in Eccleſiis habeat facultatem, ne ſi aperta ſe luce prodiderit, foras expulſa moriatur.*

Lib. 1. adverſ. Jul. cap. 5.

Auguſtinus. *Quid enim vobis prodeſt, quod neſcio quas anſas atque uncos neſcio cujus perplexitatis innectitis, ac ſimplicia pateant, & clara luceant . . . . His nebulis illud Dioſpolitanum judicium ſe putat illuſiſſe Pelagius, uſque ad hoc nefas toto capite annuitis, & tot ab illo Epiſcopos irriſos eſſe videtis.*

Apolog. cap. 2.

Oroſius. *Ecce adverſus Eccleſiam, quod miſerum eſt, & quod multo miſerius, in Eccleſia paſſim ſibilant, impiique ſerpentes vibrantibus infecta linguis ora lambunt, qui cum tuendi ſolius capitis cauſa reliquum concidiſi atque injuriæ corpus opponunt, nihil damni arbitrantur, ea tantum ſui parte libera, qua multimodas venenataſque in ſe obtinet linguas, ſi etiam membris omnibus amputentur.*

In libello qui vulgo dicitur Eu hariſticus.

Paulinus diaconus de Cæleſtio ſcribens ad Papam Zoſimum. *Vulpecula fraudibus ſuis ſemper ſtudens, ingenium ſuum mutare neſcit, nec ſe credidit poſſe deprehendi, quoniam confidentiam ſemper in fucis habuit, in quibus demerſum caput conſcientiæ ſuæ nititur occultare.*

Cont. Coll. cap. 44.

Proſper. *Hujuſmodi hominum pravitati, non tam diſputationis ſtudio, quam auctoritatum privilegio eſt reſiſtendum, ut de proſtrati dudum dogmatis corpore nullum membrum ſinatur aſſurgere: quia notum eſt ita ſe falſitatis iſtius habere verſutias, ut ſi eis liceat, prætenta correctionis imagine, aliquod ſibi faventium radicis ſuæ germen excipere, totam ſe poſſit in exigua ſui parte reparare. ubi enim non aliud habet ſumma quam partem, non eſt devotionis dediſſe prope totum, ſed fraudis, retinuiſſe vel minimum.*

Epiſt. 86.

Leo Magnus. *Novimus hanc ipſorum eſſe verſutiam, ut in quacumque particula dogmatis execrandi, quæ ſe a damnatorum ſocietate diſcreverint, nihil ſibi ſenſuum ſuorum exiſtiment eſſe non ſalvum. Cumque omnes definitiones ſuas ad ſobrependi facultatem improbare ſe ſimulent atque deponere, hoc tibi tota arte fallendi, aiſi intelligantur, excipiant.*

Ab omnibus notata Pelagianorum, & præſertim Juliani jactantia.

Novi acuminis commendata vento.] Vaniſſimam Pelagianorum, ſive jactantiam, ſive ſuperbiam, ſive aliorum deſpicientiam ſuggillant cuncti ejuſdem ætatis auctores. nec immerito: nam ut in uno ponatur exemplum, quid Juliano jactantius fuit? Quid ſuorum oſtentantius? Quid contemnentius aliorum; ut jure dictus ſit a chronicorum ſcriptore, *jactantiſſimus Pelagiani erroris aſſertor*; ab Auguſtino, *ſuperbia tumidus*; a Mercatore, *homo maledicentis linguæ, & ſui ſæculi Catilina.* Duo tantum profero teſtimonia, alterum Vincentii Lirinenſis, alterum ipſiuſmet Juliani.

Proſpero chronographo.
Auguſtino.
M. Mercatore.
Vincentio Lirinenſi.
In commonit. cap. 26.

Quid promittentes acciderunt, niſi novam, neſcio quam, ignoratamque doctrinam? Audias etenim quoſdam ipſorum dicere: Venite, o inſipientes & miſeri, qui vulgo catholici vocitamini, & diſcite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis ante ſæculis latuit, nuper vero revelata & oſtenſa eſt; ſed diſcite furtim atque ſecretim. delectabit enim vos. Et item cum didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat, ne Eccleſia ſciat; paucis namque conceſſum eſt tanti myſterii capere ſecretum. Nonne hæc verba ſunt illius meretricis, quæ apud Salomonis proverbia vocat ad ſe prætereuntes viam, qui dirigunt iter ſuum? &c.

Ibid. cap. 40.

Et poſtea, ut oſtenderet ſe, cum ſcriberet mox allata, animum intendiſſe in Julianum. *Ne quis forſitan prætermiſſis cæteris, ſe ſolum audiri, ſibi ſoli credi arrogaret, paulo poſt ait: An a vobis, inquit, verbum Dei proceſſit? Aut in vos ſolos devenit? Et, ac hoc quaſi perfunctorie acciperetur, adjecit: Si quis, inquit, videtur Propheta eſſe aut ſpiritalis; id eſt, ſpiritalium rerum magiſter, ſummo ſtudio æqualitatis & unitatis cultor exiſtat; ut ſcilicet neque opiniones ſuas cæteris præferat, & ab univerſorum ſenſibus non recedat. Cujus rei mandata qui ignorat, inquit, id eſt, qui aut neſcita non diſcit, aut ſcita contemnit, ignorabitur: hoc eſt, indignus habebitur, qui inter unitos fide, & exæquatos humilitate divinitus reſpiciatur; quo malo neſcio an quicquam acerbius cogitari queat. quod tamen juxta apoſtolicam comminationem Pelagiano illi proveniſſe cernimus Juliano, qui ſe collegarum ſenſui, aut incorporare neglexit, aut excorporare præſumpſit.*

Julianus oſtentator ſui.

Quam magnifice Julianus ſe circumſpicit, quaſi veritatis defenſorem, cum ſe accendit ad defendendam, invitis Eccleſiæ fulminibus, Pelagianam hæreſim!

Lib. 2. oper. imperf. cap. 10.

Nunc poſtquam pro medicamine mala conſuetudo cœpit efferri, & delectationi acceſſit auctoritas, ut conceſſa pene mundi membripotens regina mentium, expugnatrix honeſtatis, & invicta animorum omnium captivatrix turpitudo baccharetur; nobis tanto honeſtior, quanto durior tuendæ veritatis cauſa facta eſt, quia contra præcipites populos, & ſuis remediis infenſos, non multum valet veritas, ratioque medicantium. Quid igitur? Horumne intuitu receptui canere debebimus, & contumelias noſtras ulciſci ſilentio, ac de conſcientiæ portu aliorum videre naufragia? Verum contradicit huic odio, primo benignitas, quam generi debemus humano. deinde ſpes, & fides, quam habemus in Deum, qui extra id, quod frequenter deſperatas temporum levavit ruinas, conſtantiam tamen, quam uſque ad mortis horam exercere voluit, etſi nullum impræſentiarum conſequeretur effectum, æterna remuneratione donavit.

Et ſuorum.
Lib. 1. de nupt. & concup. c. 3.

Quam glorioſe ſuos deprædicat! *Doctores noſtri temporis, frater beatiſſime, & nefariæ quæ adhuc fervet ſedi-*

Digitized by Google

ſeditionis auctores, ad hominum, quorum ſanctis ſtudiis uruntur, contumelias & exitium decreverint per ruinam totius Eccleſiæ pervenire, non intelligentes quantum his contulerint honoris, quorum oſtenderunt gloriam niſi cum catholica religione non potuiſſe convelli. Nam ſi quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum eſſe naſcentium conditorem dixerit, Cæleſtianus & Pelagianus vocatur. Ne igitur vocentur hæretici, fiunt Manichæi, & dum falſam verentur infamiam, verum crimen incurrunt inſtar ferarum, quæ circumdantur pinnis, ut cogantur in retia. quibus quoniam deeſt ratio, in verum exitium vana formidine contrudantur.

Aliorum contemptor.
Lib. 2 operis imperfecti c. 10.

Quam ſuperbe aliena deſpicit, imo & calumniatur! *Eripiuntur Eccleſiæ gubernacula rationis, ut erecto cornu veliſicet dogma populare: ita cum prudentibus parum licet, vilibus autem quodlibet etiam decet, ſeditionum decreto excluſa eſt de Eccleſiis cenſura virtutum, noſque hoc apud homines vulgi exoſos fecit, quod acceſſio erroris eſſe renuimus: vulgi, inquam, qui ſententiæ meritum de proſperitatibus ponderans, eam veriorem æſtimat, quam pluribus placere conſpexerit. Delectat enim ſubantes animas infamare, quidquid unquam & uſquam ſanctorum fuit, ne clarorum hominum caſtigentur exemplis. Delectat prorſus, & penitus afficit cauſare imbecillitatem naturæ; dicere, carnem congenitis obnoxiam eſſe peccatis; nec in voluntate hominis emendationis effectum locare, ſed ſtudiorum crimina officia vocare membrorum. Hæc ergo Manichæorum ſcoria impuriſſimorum dogmatum auribus lenocinatur. Hæc in utroque ſexu poſitos inimicos noſtros urtica commovit, quæ dum quoſdam uſtio malæ conſuetudinis mordet, tamen cohortationum ſalutarium, veluti quibuſdam curabatur unguentis: at nunc poſtquam pro medicamine*, &c.

Hi parenti cunctarum, &c.] De ſola mortalitate Adami, ſoloque peccato originali fit mentio, quia unius per ſe Cæleſtii agebatur cauſa. & prima hæc fuit totius hæreſis, quantumcumque poſtea excreverit, origo & radix.

Qui appellarentur ab Imperatoribus parentes.

Palladi parens cariſſime atque amantiſſime, &c.] Animadvertit Gothofredus, olim ita compellatos fuiſſe ab Imperatoribus Præfectos Prætorio, *lib. 2. de Epiſcop. judic.* & Præfectos Urbi, *lib. 3. de pact.* At tria prætermiſit non minus notatu digna.

Præfecti P.
Præfecti U.
Epiſcopi.

Primum, eodem modo compellatos etiam ab Imperatoribus Epiſcopos: ſic ab Honorio Aurelius Carthaginenſis: ſic a Theodoſio etiam irato Cyrillus, &c. Unde non incerto judicio colligere eſt, quo Imperatores honore proſecuti fuerint Epiſcopos, cum eos ſummo faſtigio, ſublimique apici dignitatum æquarent.

Alterum, eadem compellatione, non quoſlibet Præfectos Prætorio cohoneſtatos fuiſſe, ſed eos tantum, qui ætate Imperatores non mediocriter anteirent, quaſi compellatio hæc mixtas habuerit dignitatis & ætatis cauſas. Unde in Novellis Theodoſii Florentius appellatur pater cariſſimus Auguſtorum: erat enim utroque Theodoſio & Valentiniano provectior. Quare corrige, quod in nonnullas irrepſit mendum, ut pro Parente legatur Præfectus, vel ſola litera P. apponatur. quanquam non abs re quiſpiam ſenſerit, eos qui non forent Imperatoribus natu majores, vocatos fuiſſe Patritios, idque ea litera P. indicatum.

Magiſter militum.

Poſtremum, non ſolum erga Præfectos Prætorio vel Urbi Imperatores hac compellatione uſos; ſed etiam erga Magiſtros militum, ut conſtat ex novella 13. ad Ariovindum Magiſtrum militum, *tit.* 14. *de amot. milit. for. præſcrip.* data Conſtantinopoli, Cyro conſule, id eſt, anno 441. tum ex *tit.* 24. *novella unica* ad Ætium Magiſtrum utriuſque militiæ, data Romæ Valentiniano Aug. VI. conſule *de ordinat. Epiſcop.*

Comites rerum privatarum.
Magiſtri officiorum.

Quin etiam Eudoxio Comiti rerum privatarum, *tit.* 28. & Florentio Magiſtro officiorum, *tit.* 29. idem honor delatus eſt. Unde emendes novellas alias, in quibus vel litera F. vel Frater ponitur, pro P. & Parente.

Cur conſtitutio hæc non ſit relata, neque in Theodoſianum, neque Juſtinianæum codicem.

Victura in omne ævum lege, &c.] Adde verba partis ultimæ, quibus Imperator jubet conſtitutionem orbe toto promulgari: & continuo mirara, quid cauſæ ſit, cur ſanctio duabus tantis notis inſignita, perpetuitatis, & univerſitatis, nec olim relata fuerit, vel a Triboniano in codicem Juſtinianæum, vel ab Anniano poſtea in Theodoſiani breviarium, nec a Gothofredo nuper in pergrandem illum Theodoſianum codicem, quem ſex tomis compoſuit ex omnibus undequaque conquiſitis Imperatorum Martiano majorum legibus. Admirationem augebit, credo, quod nulla ſit in toto illo ter gemino, ſi licet ita loqui, codice, lex adverſus Pelagianam hæreſim, cum in alias multæ ſint, & hæc ipſa ſæpius ab Imperatoribus ſit proſcripta.

Quod ad Tribonianum ſpectat, duas olim ſuſpicabar cauſas, cur de Pelagianis tacitum voluerit. Alteram, ipſorummet Pelagianorum artes, ſi tamen aliqui in Oriente ſuperfuerint, quod vix reor. caverunt enim diligentiſſime ſemper, ne quid ſcripto traderetur, unde vel aliquando laborarent infamia, vel in jus vocari poſſent. Alteram, quod Tribonianus, cum ætate ſua vix ullas in Oriente Pelagianorum reliquias videret, leges adverſus eos datas habuerit pro temporariis, nec proinde putaverit in perpetuarum codicem referendas.

Illud ipſum de Aniano ſentiendum puto; at de Gothofredo nihil habeo dicere, cum & eas leges apud Baronium, ex quo deſumpſit alias pene infinitas, non potuerit non videre, & temporarias quaſlibet in ſuos tomos congeſſerit, & nulla ſit de quatuor a Baronio relatis, quæ non contineat plurimum doctrinæ, ſive ad temporum rationem, ſive ad rerum hiſtoriam, atque ſcientiam juriſconſulto dignam. An prudens volenſque omnes prætermiſit, ne primam afferret, cujus occaſione recordari cogeretur victoriæ a Sirmondo relatæ de ſuo ſymmyſta Salmaſio, vel ſecundam meminiſſet ad Aurelium Epiſcopum datam, ne agnoſceret quanta veneratione ſæculi poteſtates primis illis temporibus proſequerentur Eccleſiæ antiſtites?

Quotuplex auctoritas catholicæ legis.

Catholicæ legis omnifaria teſtetur auctoritas, &c.] Lex pro religione dicta eſt, cujus auctoritas tribus conſtat, verbo Dei, traditione Patrum, & Eccleſiæ definitione. Dogma vero, cujus meminit Imperator, non tantum comprobatum fuerat ab omnibus paſſim tractatoribus, teſtimonio utriuſque Teſtamenti, & ab Auguſtino traditione Patrum; ſed etiam definitum ab Eccleſia, partim in conciliis particularibus, quorum certis terminis circumſcripta eſt auctoritas; partim decretis duorum ſedis apoſtolicæ antiſtitum, Innocentii & Zoſimi, quorum jus eſt totum mundum docere.

Vide Mercatorem in Subnot.
Lib. 1. adverſ. Jul.

Quem ſermonem prohibeat Imperator.

Aliquem rursus proferre sermonem, &c.] Eum certe, quo traderetur error. quem in ſenſum paulo poſt jubet Imperator puniri eos, qui *reperti fuerint de tam nefando ſcelere conferentes.* Quicumque enim vellet catholicis, ſpiritu Eccleſiæ inſectantibus errorem, impoſitum ſilentium, incideret ille forſan in reprehenſionem, tum Hieronymi conquerentis, eo pacto fieri, *ut quod bellum ſervavit, pax ficta auferat*; tum Imperatoris damnantis unius ejuſdemque culpæ eos, qui *aut diſſimulando conniventiam, aut non damnando favorem noxium errori præſtent*; tum denique Cæleſtini graviter monentis Galliarum Epiſcopos, in talibus cauſis non carere ſuſpicione taciturnitatem, *quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret*, &c. Nam, ut ait Innocentius I. *par vindicta conſtringere debet non ſolum eos, qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. nec enim multum intereſt inter committentis animum, & conſentientis favorem.*

In præf. ad dialog. cont. Pelagianos.
In epiſt. ad Aurel.
In epiſt. ad Epiſc. Gall. de Auguſtin.
Epiſt. ad Patres Milevit.

Quid ſtylus publicus.

Stylus publicus insequatur, &c.] Poſitus eſt ſtylus publicus pro publica ſententia, eaque deportationis, quemadmodum ex conſequentibus conſtat, *ipſis inexorati exilii deportatione damnatis.* Stylum vero pro ſententia dici, docet *lex 15. de bon. præſcript.* & aliæ paſſim. Porro ſtylus deportationis expreſſe dicitur *lege 57. de hær.* adverſus Montaniſtas; *lege vero 58.* adverſus Eunomianos, pro eo quod in hocce decreto legitur, inexorati exilii deportatio, poſita eſt pœna deportationis abſque alicujus interceſſione.

Deportationis pœna adverſus hæreſis doctores.

Deportatione damnatis, &c.] Lex iſta videtur priores imitari: jamdudum enim decreta fuerat deportationis pœna aliis quoque hæreticorum doctoribus,

ribus, Eunomianis ſcilicet, Macedonianis, Arianis, Apolinariſtis, Montaniſtis, Donatiſtis, &c. De quatuor prioribus ſectis expreſſe habetur conſtitutio Theo-
Anno 384. doſii M. data Conſtantinopoli XII. Kal. Februarias, Ricomere & Clearcho coſſ. De Eunomianis nominatim eſt lex Arcadii XI. Kal. Maii, Arcadio IV. & Ho-
Anno 396. norio III. AA. CC. De Montaniſtis & Eunomianis lex quoque habetur data Conſtantinopoli IV. Nonas
Anno 398. Mart. Honorio Aug. IV. & Eutychio coſſ. De Apolinariſtis denique eſt Theodoſii M. ſanctio VI. Idus
Anno 388. Martias, Theſſalonicæ, Theodoſio II. & Cynegio
Anno 397. coſſ. & Arcadii Kalend. Aprilis, Conſtantinopoli, Cæſario & Attico coſſ.

VAFRA RUDIS SECTÆ CALLIDITATE, &c.] Ambigua eſt vis hujus vocis, *rudis*: poteſt enim & imperitiam ſignificare, vulgari uſu; & novitatem, qua notione dicuntur rudia mancipia pro novitiis in codice Theodoſiano. Neutra vero ſignificatio inopportuna eſt, cum Pelagiani plus habuerint loquacitatis, quam ſcientiæ; & Patres ſoleant, præſertim Auguſtinus, novellos hæreticos, novellamque hæreſim dicere.

DECET ENIM ORIGINEM VITII, &c.] Conſonat Imperator ſancto Innocentio ſcribenti Patribus Carthaginenſis ſynodi. *Avellendi ſunt longius, & ab Eccleſiæ procul removendi viſceribus, ne diutius multa occupans inſanabilis poſt error increſcat; ſi enim diu fuerint in hac impunitate verſati, neceſſe eſt multos in hanc ſuæ pravitatis mentem inducant, decipiantque innocentes, vel potius imprudentes, qui catholicam fidem nunc ſequuntur*, &c.

EXEMPLAR EDICTI

PRÆFECTORUM PRÆTORIO.

JUNIUS QUARTUS PALLADIUS, MONAXIUS, & AGRICOLA *iterum Præfecti Prætorio edixerunt.*

ADVERSUS Pelagium atque Cæleſtium catholici dogmatis fidem nefandis tractatibus deſtruentes, ſententia principalis invaluit, ut venerabili Urbe ſummoti bonorum concilio mulctarentur.

Hoc igitur omnes admoneri oportet edicto, ne quis ſiniſtræ perſuaſionis erroribus credulum præſtet aſſenſum: etſi ſit ille plebeius ac clericus, qui in caliginis hujus obſcæna reciderit, a quocunque tractus ad judicem, ſine accuſatricis diſcretione perſonæ, facultatum publicatione nudatus, irrevocabile patietur exilium.

Nam ſuprema majeſtas, ut colligit ex ſecreti ignoratione reverentiam, ita ex inepta diſputatione injuriam.

VARIÆ LECTIONES ET RATIO EMENDATIONIS.

HABETUR apud auctores pro conſtitutione laudatos, & iiſdem in locis, niſi quod Baronius, contra temporis rationem, retulit ad annum 421.

JUNIUS QUARTUS PALLADIUS, MONAXIUS ET AGRICOLA.] Magd. & Baron. interpunctione vitioſa, *Junius Quartus, Palladius, Monaxius, & Agricola*, induxerunt Salmaſium in errorem de quatuor ſuis Præfectis.

EDIXERUNT.] Magd. Baron. Labb. Bal. *dixerunt*. Verbum *edicendi* ſolemne eſt.

CREDULUM PRÆSTET ASSENSUM.] Salm. *ſiniſtrum*, minus bene.

NAM SUPREMA MAJESTAS, &c.] Baron. *Nam ſuperna majeſtas, ut colligit ex ſecreti ignoratione reverentiam, ita & inepta diſputationis injuriam eximit.* Salm. & Bal. *Ut non colligit execrandam ignorationem, ita inepta diſputationis rejicit injuriam.* Pulcherrima ſententia verbis obſcuris corrupta eſt.

Contentio Sirmondum inter & Salmaſium de edicto conſtitutionibus, vel prætereundo, vel poſtponendo.

EXEMPLAR EDICTI, &c.] An edictum Præfectorum legi Principum, an lex edicto præponeretur, lis fuit inter Sirmondum & Salmaſium. Qua libris conteſtata, docti cenſuerunt viciſſe Sirmondum, nec tamen Salmaſius, qui legem Principum edicto nolebat ſubjici, etſi foret reus imminutæ majeſtatis, vindicatus eſt acerbius: fecerat enim inconſiderate, cum alioqui vir eſſet eruditus; nec ſatis attenderat ad legem Valentiniani Junioris ad Probum, quæ unica eſt cod. *Si per obreptionem.* quæ aperte docet legem Principis edicto fuiſſe præpoſitam. Mirabile vero eſt, Salmaſium ſuæ etiamnum hallucinationis habere ſocios, atque etiam ſequaces, qui non videntur didiciſſe, vel ex ipſis legibus, vel ex uſu quotidiano, quid ſit, Præfectum ſub edicto ſuo, & programmate legem publicare.

Alia contentio inter eoſdem, in qua, ut in alia, vicit Sirmondus.

JUNIUS QUARTUS PALLADIUS, &c.] Neque hic vexandi manes Salmaſii, ſicubi tamen quieſcant, quem Sirmondus, dum viveret, egregie correxit opinantem, quatuor a Præfectis Prætorio edictum in ſua quibuſque ditione propoſitum; Junium enim Quartum Palladium in duos dividebat, biſque facto peccabat, ſemel cum memoria non repeteret, ab antiquis omnibus Palladii conſulatum memorantibus tria ſimul nomina referri: iterum cum in ſua quemque ditione propoſuiſſe edictum ſcriberet, quamvis ſinguli reliquorum nomina ſuis edictis, perinde ac Imperatores collegarum legibus, præponerent. Poſſet addi fortaſſe tertium, nullum tunc temporis extitiſſe Præfectum Prætorio Illyrici.

De Monaxio & Plinta.

MONAXIUS, ET AGRICOLA.] Primus, Orientis præfecturam geſſit, ut conſtat ex pluribus legibus; ſecundus Galliarum, ut oſtendit conſtitutio Honorii, de cogendo ſingulis annis Arelate conventu ſeptem provinciarum, data ad Agricolam PP. Galliarum, Honorio XII & Theodoſio VIII. coſſ. Porro Monaxius conſulatum inivit cum Plinta ann. 419. Agricola cum Euſtathio ann. 421.

Quid nomine tractatuum, tractatorum & tractationis intelligatur.

NEFANDIS TRACTATIBUS, &c.] Id eſt, concionibus ad populum, uſitata iſtis temporibus voce: ſic enim Auguſtinus ſuas ad populum conciones appellat tractatus; ſic tractatores vocabantur, teſte Lirinenſi, qui plebem docerent. Vide quæ annotavimus ad tractatus Neſtorii adverſus Pelagianos.

Porro autem Theodoſius M. diſcrimen poſuit inter verba duo, quæ ſæpius confunduntur, diſceptandi ſcilicet, & tractandi: nam lege data Stobis XVI. Kalend. Julio Theodoſio II. & Cynegio coſſ. vetuit, *ne cui egreſſo in publicum, vel diſceptandi de religione, vel tractandi pateſceret occaſio*, &c. Neque vero diſcrimen poſitum eſt ſine cauſa, cum diſceptare ſit cum aliquo diſputare; tractare, per ſe loqui ad populum.

Quid Urbe ſummoveri, cum ſcribitur ad Præfect.

VENERABILI URBE SUMMOTI, &c.] Urbe ſummoveri hoc in loco idipſum eſt, quod exilio mulctari extra totum Romanum imperium. Id colligo, primum, ex verbis Imperatoris, quibus edictum Præfecti reſpondet: *Probationem convicti criminis ſtylus publicus inſequatur, ipſis inexorati exilii deportatione damnatis*, &c. Deinde ex nomine omnium PP. in fronte edicti appoſito. ſignificat enim omnium nomine idcirco publicari, vel ab uno, quod nemo non deberet in ſua ditione ſervandum curare. Denique ex

juſſione Honorii de promulganda lege: *Juvat autem per omnem pene mundum, qua Imperium noſtrum extenditur, hujuſmodi promulgata diffundi.* Quorſum enim tanta, vel promulgationis univerſitas, vel edicti generalitas, ſi ex una dumtaxat ditione pelli deberent hæretici, de quibus agitur?

Inde vero intelligere eſt, expulſionem ex Urbe alia ſignificatione dici, quando agitur de Præfecti P. edicto, alia cum edicitur a Præfecto urbis: illo enim edicente, proſcriptionem ſignificat, ſeu deportationem; iſto expulſionem dumtaxat, vel ex muris urbis vel ad centeſimum lapidem. Quamobrem Honorius, cum Palladio PP. legem daret, juſſit Pelagium Cæleſtiumque ita *Urbe pelli, ut inexorati exilio deportatione damnarentur.* Conſtantius autem, cum Voluſiano Præfecto urbis adverſus eoſdem ſcriberet, mandavit *e muris urbis expelli, ita tamen, ut ne intra quidem centeſimum lapidem haberent licentiam conſiſtendi.* Nam præfecti P. auctoritas non aliis definiebatur limitibus, quam Imperium, cum Præfecti Urbis poteſtas intra centeſimum lapidem conſiſteret.

EPISTOLA
HONORII IMPERATORIS
AD AURELIUM CARTHAGINIENSEM EPISCOPUM
de ſubſcribenda damnatione Pelagii & Cæleſtii.

Impp. HONORIUS *&* THEODOSIUS *AA.*
Aurelio Epiſcopo ſalutem.

DUDUM quidem fuerat conſtitutum, ut Pelagius atque Cæleſtius infandi dogmatis repertores, ab urbe Roma, veluti quædam catholicæ veritatis contagia, pellerentur, ne ignorantium mentes ſæva perſuaſione pervarterent. in quo ſecuta eſt clementia noſtra judicium ſanctitatis tuæ, cum conſtet eos ab univerſis juſta ſententiæ examinatione damnatos.

Sed quia obſtinati criminis pertinax malum, ut conſtitutio geminaretur, coëgit; recenti quoque definitione decrevimus, ut ſi quis eos in quacunque provinciarum parte latitare non neſciens, aut propellere, aut prodere diſtuliſſet, præſcriptæ pœnæ, velut particeps ſubjaceret.

Præcipue tamen ad quorumdam Epiſcoporum pertinaciam corrigendam, qui pravas eorum diſputationes, vel tacito conſenſu aſtruunt, vel publica oppugnatione non deſtruunt, PATER CARISSIME, ATQUE AMANTISSIME, ſanctitatis tuæ auctoritatem cavere conveniet, quatenus in abolitione præpoſteræ hæreſis omnium devotio chriſtianorum conſentiat.

Religio itaque tua competentibus ſcriptis univerſos faciet admoneri, ſcituros definitione teſtimonii tui, hanc ſibi definitionem eſſe præſcriptam, ut quicunque damnationi ſupra memoratorum, quo pateat mens pura, ſubſcribere impia obſtinatione neglexerint, epiſcopatus amiſſione mulctati, interdicta in perpetuum communione priventur.

Nam cum ipſi nos, juxta ſynodum Nicænam, confeſſione ſincera conditorem rerum omnium Deum, imperiique noſtri veneremur auctorem, non patietur ſanctitas tua, ſectæ deteſtabilis homines, in injuriam religionis, nova & inuſitata meditantes, ſecretis tractatibus occultare ſacrilegium, publica ſemel auctoritate damnatum: una enim eademque culpa eſt eorum, qui aut diſſimulando conniventiam, aut non damnando, favorem noxium præſtiterint.

Et alia manu. Divinitas te per multos annos ſervet incolumem, PATER CARISSIME, ATQUE AMANTISSIME. Ravennæ.

Data v. Idus Jun. Monaxio & Plinta coſſ.

VARIÆ LECTIONES ET RATIO EMENDATIONIS.

HABETUR apud eoſdem auctores, atque præcedens conſtitutio, præter Salmaſium.

IMPERIALIS EPISTOLA.] Bal. *reſcriptum.* Vide notas.

VERITATIS.] Magd. *utilitatis,* omnino corrupte.

CUM CONSTET EOS AB UNIVERSIS JUSTÆ, &c.] Magd. *quo conſtat eos ab univerſis juſta ſententia,* &c. Qui dici poſſunt ab univerſis damnati, de quibus unus Epiſcopus tuliſſet ſententiam? Bal. *in quos ſecuta eſt clementia noſtra judicium ſanctitatis tuæ, quos conſtat ab univerſis juſta.* &c. Longe explicatior eſt lectio noſtra.

OBSTINATI CRIMINIS PERTINAX MALUM.] Bal. adverſus reliquos, *obſtinatorum nimis pertinax malum.* Idem ſenſus, ſi eadem elegantia.

COEGIT.] Magd. & Bal. *exegit.*

DEFINITIONE.] Magd. Baron. Uſſ. Labb. ſanctione. Verba conſequentia, *hanc ſibi definitionem eſſe præſcriptam,* &c. probant debere legi, *definitione.*

CHRISTIANORUM.] Magd. Uſſ. Labb. *chriſtiana* minus apte.

DEFINITIONE TESTIMONII TUI.] Magd. & Bal. *definitione ſanctimonii tui.* Vox *teſtimonii* Latina eſt, *ſanctimonii* barbara; nec apud probatos auctores, nec in codice Theodoſiano reperitur.

DEUM IMPERII NOSTRI VENEREMUR AUCTOREM.] Magd. *Dominum imperii noſtri venerentur auctorem.* Solœciſmus ipſis irrepſit, vel typographorum, vel notariorum injuria.

TRACTATIBUS OCCULTARE.] Magd. *tractationibus occultari.* Vox *tractatus* propria eſt hoc in loco. Vide notas, & lex Latinitatis exigit verbum activum.

CONNIVENTIAM.] Magd. & Bal. *convenientiam.* Corrigi debuit hoc vitium ex epiſtola Aurelii qui *diſſimulationem* dixit, quam *conniventiam* Imperator.

DATA V. IDUS JUNII.] Magd. *Datum Idibus Junii.* Omiſſa forte eſt nota numeri, ut & conſulum, quæ ubique reperitur.

HISTO-

Historia imperialis epiſtolæ.

Miſſa erat in Africam tractoria Zoſimi, tanquam fidei formula. Cum privatis ad Afros literis.

VENERAT in Africam tractoria Zoſimi, qua continebatur, non ſolum tota cauſa Pelagii & Cæleſtii, ſed præcipue definitiva ſedis apoſtolicæ ſententia; cui ſubſcribendum foret ab omnibus; illa maximo, piiſque votis bonorum empto gaudio, excepta eſt, una cum privatis ad Africanos ſummi Pontificis literis. Actæ viciſſim Zoſimo ab Africanis gratiæ, cum cumulatiſſimis laudibus. Subſcriptum ſententiæ ab omnibus, qui concilio aderant, quanquam forte a quibuſdam non cordate. Miſſa tractoriæ exemplaria ab Aurelio primate ad provinciarum primas ſedes, ut inde tranſmitterentur ad reliquos civitarum Epiſcopos, tum ab ipſis, tum a clero ſubſcribenda, & cum ſubſcriptionibus ad urbem metropolim remittenda.

Subſcripta eſt ab omnibus qui concilio aderant. Tranſmiſſa in provincias.

Tergiverſatum a quibuſdam ſubſcribere detrectantibus.

Id propenſe præſtitum eſt a pluribus præſulibus, tergiverſatum a nonnullis, præſertim in provincia Byzacena & Tripolitana: cum alii, ut opinor, exceptione quadam uterentur: alii ab inferiore clero non curioſe ſatis exigerent debitam ſubſcriptionem: alii denique, Siculorum exemplo, & forte perſuaſione, aperte detrectarent parere Eccleſiæ.

Petitum ab Imperatore auxilium.

Communi Africæ Italiæque malo petitum eſt ab Imperatoribus remedium, (qui enim aliunde poſſet, poſt tot Pontificum decreta ferme irrita?) ut officio defungi qui ſponte nollent, cogerentur metu; ſuiſque ſedibus ejecti, qui pertinaciter in Eccleſiam rebellarent, in eo ſaltem prodeſſent aliis, quod nocendi poteſtatem extorres a[...]lius non haberent.

Miſſa ſanctio Honorii.

Reſcriptum eſt igitur ab Honorio, non tantum ad Aurelium, quod ediceretur Epiſco[...]s ſuæ diœceſis; ſed etiam, ut moris erat, Vicario Af[...]cæ, quo adverſus obſtinatos vindicaretur. Edidit in[...]eratoriam ſanctionem Aurelius, data ad Epiſcopos provinciæ, ſaltem Byzacenæ & Arzugitanæ, epiſt[o]la. Eventus merito creditur reſpondiſſe votis, cum poſthac nihil admodum negotii a Pelagianis in Africa motum legatur: quas enim turbas, vel Adrumetini monachi, vel Carthaginenſis diaconus Vitalis fecit, facile compreſſæ ſunt.

Quam edidit Aurelius, & quidem utiliter.

Verum, quæ breviter dixi hactenus, quoniam magni ſunt ad hiſtoriam momenti, ne vel temere aſſerta, vel ad arbitrium conficta credantur, paulo accuratius confirmanda forte eſſent allatis ipſis auctorum locis, quæ alibi citantur, niſi periculum foret, tanta vel prolixitate, vel etiam repetitione teſtimoniorum, creandi lectoribus tædii. Satius eſt igitur his prætermiſſis inquirere, cujus impulſu reſcripſerit Imperator: an Africanæ Eccleſiæ per legatum Alipium, quod ſentit illuſtriſſimus Annalium ſcriptor, an Bonifacii ſummi pontificis, quod innuere videtur Proſper, an alterius cujuſdam multum in aula per amicos potentis.

Cujus impulſu data ſanctio.

Non Eccleſiæ Africanæ per Alipium legatum, quod voluit Baronius. Ad ann. Chriſti 419. num. 54. & ſeq. Lib. cont. Coll. cap. 41. Ex actis concilii.

Poteſt diſceptatio definiri certa ratione, qua parte pertinet ad legationem Alipii. Nam verſabatur ille Carthagine cum aliis duobus provinciæ Numidiæ legatis, Auguſtino & Poſſidio, III. Kalend. Junii, qua die inchoatum eſt concilium, Monaxio & Plinta coſſ. Epiſtola vero ſcripta eſt Ravennæ v. Idus Junii, iiſdem coſſ. Hanc igitur Alipius impetrare non potuit, niſi forte, quod miraculo majus eſt, decem dierum ſpatio tantum itineris, tantumque negotii confecerit.

Imo nec alterius ex Africa legati.

Neque vero alius ad Imperatorem ex Africa legatus miſſus eſt, ſive a ſynodo Africana, quæ nulla celebrata eſt, ab Auguſto menſe ann. 418. ad III. Kalend. Junias anni conſequentis; ſive a Proconſulari, cui nulla erat in provinciam Byzacenam & Tripolitanam auctoritas; ſive ab Aurelio ſolo, cui facta quidem erat poteſtas ſcribendi omnium nomine, ſed de rebus in generali concilio ſtatutis; ſive ab aliquot conſpirantibus ſimul Epiſcopis in Eccleſiæ bonum, cujuſmodi ab hinc tres fere annos ſcripſerant quinque privatis literis ad ſanctum Innocentium. legationis enim tam utilis, tantumque effectum conſecutæ, fuiſſet procul dubio aliqua mentio apud veteres, cum tamen nulla ſit.

Non Bonifacii Papæ, quod innuere videtur Proſper. Ibid. c. 41.

Reſtaret igitur opinari, a ſummo Pontifice impulſum fuiſſe Honorium, quæ videtur ſententia Proſperi aientis, Bonifacium *piiſſimorum Imperatorum catholica devotione gaviſum, contra inimicos gratiæ, non ſolum apoſtolicis, ſed etiam regiis uſum fuiſſe edictis.* Verum hæc opinio graviſſimam difficultatem patitur: quomodo enim Pontifex, cui die 25. Maii vix licebat Romæ reſpirare ab Eulalii ſchiſmate; valuiſſet obtinere ab Imperatore edictum quinque poſt diebus Ravennæ dandum?

Quanquam nec diſcederem a Proſpero, ſi nihil præterea me retineret. Quidni enim Pontifex, cum intelligeret, Pelagianos Epiſcopos non paucos in Italia, imo & Romæ conſiſtere, qui & Eulalii urbe ejecti, Antioque, ubi verſabatur, Romanæ ſedi incubantis partes foverent, & pertinacibus Africanis conjuraſſent in catholicæ fidei defenſores, & ſibi nominatim negotium meditarentur, quippe Eulalii patroni, & ab Imperatore retractari cauſam ſuam efflagitarent obnixius, quaſi per ſubreptionem judicatum eſſet; & tandem, ut ſolent hæretici, omnibus temporum inclinationibus uterentur, intenti in ſingula momenta? Quidni, inquam, cum hæc intelligeret Bonifacius, potuit per amicos in aula, pro Dei cauſa interim laborare, dum per ſe Romæ concitatos ab Eulalio motus comprimeret? In eam, ut dixi, ſententiam inclinarem, niſi aliud quiddam longe probabilius occurreret: totum ſcilicet hoc negotium Auguſtini, aut etiam Alipii, arcanis cum Valerio comite conſiliis, non prudentius quam occultius peractum.

Sed Auguſtini, ut veriſimile eſt, propter quinque argumenta.

Epiſt. 24. inter Auguſt.

Aug. lib. 1. de nupt. & con. cup. cap. 2.

Præfat. lib. 1. de nupt. & concup.

Lib. 1. oper. imperf. cap. 9.

In eam opinionem adducit me, primo Auguſtini Alipiique in omnes modos, quibus hæreſis tolleretur, continua intentio, propter quam Hieronymus *hæreſim Cæleſtianam, ipſis cooperatoribus & auctoribus, jugulatam dixit.* Deinde Valerii comitis, *inter militiæ curas, & illuſtris perſonæ, quam gerebat, actuſque reipublicæ neceſſarios, flagrans ſtudium adverſus hæreticos.* Tertio, chriſtiana trium iſtorum virorum neceſſitudo, & crebra per literas collocutio, de fidei ſinceritate conſervanda. Quarto, Juliani hæc querela. *Laudat etiam potentem hominem, quod noſtris petitionibus, qui nihil aliud quam dari tanto negotio judices vociferabamur, ut ea quæ ſubreptionibus acta conſtabat, emendarentur potius, quam ponerentur examini, mole ſuæ dignitatis obſtiterit, nec diſceptationis tempus aut locum permiſerit impetrare. Quod utrum ille, ad quem ſcribitur, tam nequiter fecerit, quam teſtatur ipſa laudatio, ipſe viderit.* Quinto denique, Auguſtini ad hanc querelam reſponſio non admodum diffitentis, quod res erat. *Abſit,* inquit, *a chriſtianis poteſtatibus terrenæ reipublicæ, ut de antiqua catholica fide dubitent, & ob hoc oppugnatoribus ejus locum, & tempus examinis præbeant, ac non potius in ea certi, atque fundati, talibus, quales vos eſtis, inimicis ejus diſciplinam coërcitionis imponant,* &c. Quæ enim alia coërcitio poſſit aptius intelligi, quam qua jubet Imperator, interminata depoſitionis exiliique pœna, ab Epiſcopis non permitti *ſectæ deteſtabilis homines, in injuriam religionis nova & inuſitata meditantes, ſecretis tractatibus occultare ſacrilegium, publica ſemel auctoritate damnatum.*

Ibidem.

Epiſt. Honorii ad Aurelium.

Quæ confirmat Julianus ipſe ſuis querelis. Lib. 3. oper. imp. cap. 35.

Ad hæc accedit violenta illa furentis Juliani expoſtulatio adverſus Auguſtinum & Alipium. *Cur tantis totam Italiam factionibus commoviſtis? Cur ſeditiones Romæ, conductis populis excitaſtis? Cur de ſumptibus pauperum ſaginaſtis per totam fere Africam equorum greges, quos, proſequente Alipio, Tribunis & Centurionibus deſtinaſtis? Cur matronarum oblatis hæreditatibus poteſtates ſæculi corrupiſtis, ut in nos ſtipula furoris publici arderet? Cur religioſi Principis tempora perſecutionum impietate maculaſtis?* Tanta enim calumniæ tela in utrumque ſanctiſſimum Epiſcopum, velut in auctores perſecutionum, ab Imperatore intorqueri, oſtendunt maledicentiſſima hæc verba: *Si philoſophorum ego ſenatum advocavero, tu continuo ſellularios opifices, omneque in nos vulgus accendes, vociferans cum feminis, cunctiſque calonibus, & Tribunis, quibus octoginta aut amplius equos tota Africa ſaginatos, tuus nuper adduxit Alipius.*

Lib. 1. oper. imp. cap. 41. & 42.

Quæ cauſa impulerit Auguſtinum.

Cur autem id rei Auguſtinus per Valerium molitus ſit, cauſa hæc mihi videtur admodum probabilis. Perſpiciebat vir ſanctus cum ſuo collega, quam difficile

foret, hæreſim tot artibus augeſcentem, tot Epiſcoporum patrociniis fultam, non dicam exſcindere, ſed ſaltem comprimere, ne baccharetur; niſi conjunctis utriuſque poteſtatis viribus, vel id minimum efficeretur, ut certa ſubſcriptionis nota fideles ab aliis diſcernerentur, lupique ab ovium gregibus repulſi, non turbarent inteſtinis & quaſi domeſticis motibus Eccleſiæ pacem.

Succeſſus in Africa optatus, non item in Italia, obnitente Cæleſtio.

His de impulſore Imperatoris ad ſcribendum conſtitutis, deinceps videndum, quis conſecutus ſit ſucceſſus. In Africa, ut ante dixi, conſecutus videtur par optatis: vix enim quidquam turbarum a Pelagianis poſtea concitatum eſt. ſed non perinde contigit in Italia, imo etiam in ipſa Urbe. Cæleſtius enim, vel Romæ latens, vel in proximis diverſatus, nihil non agebat, ut *quotidianis inſinuationibus creſceret ſua factio*, majorque fieret acceſſione partium Eulalii, Voluſiano interim Præfecto Urbis, Pelagianorum artibus forte corrupto, certe malignis conſiliis connivente, nec chriſtianum Bonifacii ſtudium adjuvante. Unde fuit opus, alteram a Conſtantio, verbis paulo iracundioribus, ſanctionem dari, de qua futurum eſt tertium caput.

In edicto Conſtantii ad Voluſianum.

Omnibus quidem provinciis, ſed duabus præſertim, edicta Imperatoris ſanctio.

Quod ſi quiſpiam paulo diligentius inquirat, an Aurelius ſolis duabus provinciis conſtitutionem Imperatoris edixerit, an reliquis etiam tribus; & ſi duabus ſolis, quæ peculiaris cauſa fuerit, cur ita faceret: dicam aperte quid opiner. Aurelius videtur ad omnes quidem provincias ſcripſiſſe, ſed per ſe ad duas tantum, Byzacenam & Arzugitanam, quæ Tripolitana, atque etiam Subventana dicta eſt, quoniam in Byzacena erant Adrumetini, qui damnatorum errorum occulta quædam germina foverent: Tripolitani vero, & infrequentes, per unum ſcilicet legatum, conveniebant ad concilia, quibus erudirentur, & ex Lybiæ vicinia, Orientaliumque commercio habebant, ſive inſitam, ſive contractam novandi indolem. Unde & illi, & iſti, fuerunt præ cæteris terroris fræno retinendi, ne quid adverſus communem Africæ Eccleſiæque ſententiam auderent.

Cur epiſtola dicta ſit, & non conſtitutio, aut alio nomine.

EPISTOLA HONORII IMP. &c.] Cum legum imperatoriarum varia eſſet pro variis ſive cauſis, propter quas conderentur, ſive perſonis, ad quas dirigerentur, forma; multiplex quoque uſurpatum eſt ſubinde nomen. nam & conſtitutiones dicebantur, quas motu quaſi proprio Principes ederent; & reſcripta, quibus ad conſulta reſponderent; & epiſtolæ ſeu ſacræ, quibus ſanctiones dirigerent ad ſpectabiles atque honoratas perſonas. Fuerunt & aliorum nominum mandata, juſſa, &c. quanquam non ita religioſe ſemper ſervata eſt nominum diſtinctio, ipſaque, quam nunc habemus præ manibus, epiſtola, ab Honorio Aurelioque conſtitutio appellatur.

Quia mittebatur ab Imperatore ad Epiſcopum.

Epiſtolæ porro, quæ & ſacræ ſimpliciter aliquando vocantur, mittebantur ad Epiſcopos, atque hujuſmodi multæ ſunt in actis concilii Epheſini: in actis autem quintæ ſynodi habetur celebris illa Juſtiniani ad Menam, de damnatione Origenis, quæ miſſa quoque eſt ad ſummum pontificem Vigilium, cæteroſque Alexandriæ, Theopoleos, & Hieroſolymorum Patriarchas. atque hæc cauſa fuit, cur non perinde ac alii quidam, pro titulo appoſuerimus, reſcriptum, ſed epiſtolam.

Carthaginenſis provinciæ primatus urbis privilegium erat, in aliis provinciis ætatis Epiſcoporum.

AD AURELIUM CARTHAGINENSEM EPISCOPUM.] Atque adeo totius Africanæ diœceſis primatem: gaudebat enim proconſularis provincia hoc privilegio, ut primatum non tantum provinciæ, ſed etiam Africæ, idem, qui ſedem Carthaginenſem teneret, cum in aliis provinciis ſenior coepiſcopis præeſſet.

Dixi, totius Africanæ diœceſis: debet enim forte excipi Mauritania Tingitana, quæ, ut olim Vicario Hiſpaniarum parebat, ita ſuberat Bœticæ citerioris primati. quanquam Vandalis primum, tum Wiſigothis hanc Hiſpaniarum partem invadentibus, mutatum aliquid reor, & ex eo tempore Mauritaniam Tingitanam, ſeu Hiſpaniam Transfretanam, ſub Africæ primate extitiſſe: in actis enim concilii Africani ann. 419. habiti Hiſpaniæ (Transfretanæ ſcilicet) legati inter alios cenſentur, Vandali ſiquidem circiter annum 409. Wiſigothi circiter annum 419. Bœticam citeriorem, victis Vandalis, tenuerunt.

Aurelii laus. Epiſcopatus & obitus.

Aurelius porro nobilis ille eſt Africanæ, & ferme univerſalis Eccleſiæ inſtitutor, tot conciliorum præſes, tot canonum auctor, ut qui præceſſerunt Africæ primates, diſciplinæ rudimenta feciſſe videantur, quæ ipſe perfecerit, in exemplum totius fere Eccleſiæ catholicæ.

Aug. lib. 22. de civit. cap. 8. Epiſt. 64.

Conc. Epheſ. part. 2. act. 1.

Tenuit epiſcopatum annos, ut opinor, triginta ſex; inivit enim ann. 390. deceſſit circiter annum 426. Tempus initi epiſcopatus ex eo cognoſcitur, quod ann. 389. diaconus, una cum Auguſtino adhuc laico, interfuit miraculo Carthagine facto. at ann. 391. ad ipſum jam Epiſcopum Auguſtinus presbyter literas dedit. Ex eo quoque mortis tempus conjicitur, quod ann. 424. aut 425. in Africana ſynodo ſubſcripſit epiſtolæ Leporii ad Galliarum Epiſcopos; ann. vero 431. Capreolus Aurelii ſucceſſor ad Patres Epheſinos per Baſſulam diaconum ſcripſit, & ita quidem ut oſtenderet ſe jampridem in ſede Carthaginenſi ſedere. Oportet igitur intermedio temporis ſpatio Aurelium vita functum, atque, ut opinor, anno 426. aut 427. neque enim eruditis audiendus videtur Baronius, cum Capreolum inter & Aurelium interponit Genedium, qui Aurelium præceſſit.

Notatus Baronius de Genedio Carthaginis Epiſcopo.

Quo in honore Aurelius apud imp. Honorium.

Quanti Honorius faceret Aurelium, oſtendit per ſe ſatis epiſtola, qua de agitur: poſſet tamen quiſpiam illud ipſum conficere ex literis, quibus ſanctum ſenem, durante Eulalii ſchiſmate, una cum ſeptem nobilibus ex Africa Epiſcopis, evocaſſe dicitur, ad ſynodum Id. Jun. habendam Spoleti, de jure Bonifacii & Eulalii ad ſedem apoſtolicam. Verum eas licet annalibus inſeruerit cardinalis Baronius ex Vaticano codice, laborant illæ apud nonnullos ſuſpicione, propter obſcuritatem, & alia ejuſmodi menda. Sed cum cætera menda ex obſcuritate naſcantur, & obſcuritas ex ſolo codicis vitio, non difficilis emendatio eſt. ſic enim legi debet.

Epiſtola Honorii Aurelium vocantis ad concilium Spoletinum, longe emendatior quam ſit in annalibus ad annum 419.

Aliam quidem veniendi cauſam optaveramus eveniſſe, ut deſiderato benedictionis tuæ frueremur aſpectu; ſed quia adverſus Papam urbis Romæ ambitio reprehendenda certamen indixit, & ſanctam vitam in Epiſcopo æſtimamus requirendam: cœptum ſuper hac diſcuſſione judicium, non minor numerus ſacerdotum, quam ſynodi conſuetudo depoſcit, in plures doctiſſimoſque viros, quorum ſanctitas tua princeps eſt, prorogavit. neque enim præmia caſtitatis & meriti, ſummotis vitiis, quæ reſpuit divinæ religionis ſacroſancta præſumptio, per alios quam tales viros oportuit revelari. Et quamvis ſufficerent domini germani mei Auguſti principis ſcripta; proderunt etiam mea tamen, quibus adventum ſanctitatis tuæ pariter adjunxi. Quæſo itaque, domine ſancte Pater, merito venerabilis, ut duplex beneficium tribuas, & deſideratæ nobis benedictionis tuæ, & neceſſarii pro habitudine judicii proferendi, intermiſſis omnibus. Dominum intuenti, de ejus ſacerdote firmando, labor veniendi non debet recuſari. Divinitas te per multos annos incolumem, Pater cariſſime atque amantiſſime, præſtare dignetur.

Prima ſanctio Imperatorum de exigenda ab omnibus ſubſcriptione damnationi hæreticorum.

DE SUBSCRIBENDA DAMNATIONE, &c.] Non alias unquam, ubi actum eſt de profliganda hæreſi, præceſſit ulla, quod ſciam, ſanctio Principum chriſtianorum, de conveniendis univerſis Epiſcopis; ſive qui defuiſſent concilio, in quo fuiſſet, aut condita fidei formula, aut damnata cum auctoribus hæreſia; ſive etiam qui in ſua ſinguli ſede quieſcerent, neque ſuſpecti haberentur nomine hæreſis, ut ſubſcriberent latæ ab Eccleſia in aliquem hominem ſententiæ. Nulla certe in toto codice Theodoſiano eſt, nulla apud ſcriptores rerum eccleſiaſticarum, nulla apud probatos auctores: quæ enim jactantur de Euſebio & Theognide, in cauſa Ariana, habent ſpeciem longe diverſam. Iſtæc igitur conſtitutio cenſeri poteſt merito exemplar conſequentium plurimarum: verum de toto ſubſcriptionum negotio, qua pertinet ad cauſam Pelagianam, ſingularis diſſertatio mox futura eſt.

Ad ſolas provincias Africæ pertinebat ſanctio.

IN QUACUMQUE PROVINCIARUM PARTE, &c.] Dubium, quas provincias dicat Imperator: an duas tantum, quarum Epiſcopis Aurelius ſcripſit: an omnes totius Africanæ diœceſis: an univerſas etiam poſitas ſub auctoritate Præfecti P. ad quem data fuerat prior conſtitutio, quæ nunc geminari dicitur. Credibilius putem de omnibus Africæ provinciis ſermonem

nem fieri: id enim, præterquam quod Aurelius in epiſtola indicat, ſe omnibus, qui concilio adfuerint, (adfuerant vero per legatos omnes provinciæ) ſubſcribendi mandatum dare, ratio certe, cauſaque ſubſcribendi perſuadet, quæ omnium provinciarum communis eſt, necubi ſcilicet *ſerpentina perſuaſio ſubrepat.* Ad ſolas vero Africanas id mandati pertinere, non item ad alias, ſub præfectura Prætorii poſitas, ex eo conſtat, quod Aurelii nulla foret extra limites Africæ auctoritas. Cur ergo dictum, *in quacumque provinciarum parte?* Primum, ut ſex provinciarum nulla exciperetur. Deinde, ut ipſa Mauritania Tingitana comprehenderetur, quæ ſuberat Vicario Hiſpaniarum, & Præfecto P. Galliarum. Cum enim forte ex ipſa legati veniſſent ad plenarium concilium, quod antea non erat in more poſitum, provinciæ illius Epiſcopi ſubſcribere debuerant formulam, quæ omnibus in concilio exiſtentibus ſubſcribenda mandaretur.

Sed Mauritania Tingitana, ſeu Hiſpania Transfretana inter eas cenſeri debet.

Incertum, qui Epiſcopi ſubſcribere detrectarint in Africa.

Quorumdam Episcoporum, &c.] Quinam illi fuerint, ſi de Afris ſermo ſit, ut revera eſt, divinare non licet. Neque enim habentur conciliorum acta, ex quibus forte aliqua lux affulgeret: neque Auguſtinus, diligens cæteroquin cauſæ bujuſmodi inquiſitor, ullius meminit, quod ſciam, Epiſcopi, partes Pelagianas aperte ſecuti in Africa. meminit quidem tum Vitalis, quem ſatis acriter arguit; tum Adrumetinorum, quos docuit duobus libris totidemque epiſtolis; tum Petri, faventis Vincentio Victori de origine animarum male ſentienti. ſed primus merebat tantum inter diaconos Eccleſiæ Carthaginenſis; Adrumetini fuerunt monachi, & Petrus presbyter.

Detrectarunt in Sicilia & Italia octodecim. *Diſſert. 5. de libellis fidei.*

Quod ſi non tantum de Afris ſermo ſit, ſed etiam de Siculis & Italis, plura ſumus non ſine certa ratione proſecuturi ad libellum fidei, quem Julianus Eclanenſis Epiſcopus, nomine octodecim Epiſcoporum Siciliæ, ad Zoſimum pontificem ſcripſit, quo tempore inſtantius urgerentur ſubſcribere damnationi Pelagii atque Cæleſtii.

Subſcripſerunt totius orbis Epiſcopi. *Carm. de Ing. cap. 3.*

Ab universis, &c.] Hoc eſt quod ait, non ſolum Proſper: *Nempe hæc damnata fateris conciliis, mundique manu;* ſed etiam Mercator in Commonitorio: *Beatæ memoriæ Epiſcopi Zoſimi epiſtola, quæ tractoria dicitur, per totum orbem miſſa, ſubſcriptionibus ſanctorum Patrum eſt roborata.*

Imo & clerici alii, atque etiam laici ſaltem ſuſpecti.

In abolitione præposteræ hæresis omnium devotio christianorum consentiat.] Cur omnium chriſtianorum, & non Epiſcoporum duntaxat? Quoniam procul dubio, non a ſolis Epiſcopis, exigente Primate, ſed etiam a ſacerdotibus ſecundi ordinis, minoribuſque clericis, conveniente Epiſcopo, ſubſcribendum jubet Imperator, imo & a laicis, ſaltem qui ſuſpicione laborarent, ut colligitur, tum ex canonibus Epheſinis, qui ſanctionem imperialem imitati, laicos Cæleſtianos etiam ſpectant: tum ex epiſtola Leonis Magni ad Septimium, de cogendis ipſis quoque laicis ad ſubſcribendum in cauſa Pelagiana.

Non tam dogmatum quam perſonarum damnationi.

Quicumque damnationi supra memoratorum, &c.] De ſubſcriptionibus, quæ ab iis exigebantur, quorum mens, an pura foret ab errore, an veneno infecta, intererat Eccleſiæ cognoſcere, ſingulari diſſertatione mox, ut dixi, agendum eſt, in eaque oſtendendum, antiquis temporibus, non tam dogmatum, quam auctorum condemnationi ſubſcriptum fuiſſe. quod jubet Imperator.

Nam cum ipsi non juxta synodum Nicænam, &c.] Id eſt: *Cum ſimus orthodoxæ fidei, pati non poſſumus hæreticos occultis tractatibus errorem ſuum diſſeminare.* Dixit, *juxta ſynodum Nicænam*, quia fuit illis temporibus ea quaſi formula, certaque nota ὀρθοδόξως, profiteri fidem trecentorum decem & octo Patrum Nicææ congregatorum. Hinc *leg. 6. de hæret.* a Theodoſio M. habetur pro eodem, Nicænæ fidei aſſertor, & catholicæ religionis verus cultor. Hæc autem interpretatio niſi adhibeatur allatis verbis, vix tolerabilem patientur ſenſum: ſiquidem Pelagiani contra fidem Nicænam nihil admodum ſentirent, quo Imperator ex eo ſe ipſis inſenſum probaret, quod rectam ipſe de ὁμοουσίῳ fidem teneret.

An Auguſtino perinde ac Aurelio miſſa epiſtola, quam ediceret.

Sub finem notandum, apud Magdeburgenſes alioſque editores, legi ſubjuncta epiſtolæ imperiali hæc verba, *eodem tenore etiam ad ſanctum Auguſtinum datæ.* quæ a notario ſuppoſita non incredibiliter quiſpiam aſſeruerit: quandoquidem, nec in toto legum codice, nec apud eccleſiaſticos ſcriptores, lex ulla reperitur ab Imperatoribus miſſa Epiſcopis, ut ediceretur cum poteſtate, niſi ſolis iis, qui, vel ſedis ſuæ prærogativa, vel aliam ob cauſam, jus haberent in coepiſcopos. Auguſtinus vero tunc temporis, ut doctrinæ ſanctitatiſque fama valeret plurimum, jure tamen ſuæ ſedis nullam habebat poteſtatem, niſi in paucas admodum parochias, nullam quoque jure ætatis, ſiquidem non erat ſuæ provinciæ ſenior, ſed Silvano, Valentino, Alipioque & aliis minor.

Datas quidem legimus Auguſtino literas, tum ab Honorio, quibus ad ſynodum Spoletinam in cauſa Eulalii vocaretur; tum a Theodoſio, quibus ad Epheſinum concilium traheretur, ſed illæ evocatoriæ tantum erant, ſive tractoriæ, cujuſmodi multæ ſunt ad privatas perſonas; non erant procuratoriæ, quibus munus cum auctoritate mandaretur.

EPISTOLA SANCTI AURELII

CARTHAGINENSIS EPISCOPI

AD OMNES EPISCOPOS

PER BYZACENAM ET ARZUGITANAM PROVINCIAM CONSTITUTOS,

de damnatione Pelagii atque Cæleſtii hæreticorum.

DILECTISSIMIS *ac deſiderabilibus Fratribus ac conſacerdotibus, Donatiano primæ ſedis, Januariano, Felici, Palatino, Primiano, Caiano, & alii Caiano, Januario, Victorino, & cæteris per tractum provinciæ Byzacenæ & Arzugitanæ conſtitutis, Aurelius Epiſcopus.*

SUPER Cæleſtii & Pelagii damnatione, eorumque dogmatis, participem ſe ſancta dilectio veſtra in plenario concilio fuiſſe commeminit, dilectiſſimi ac deſiderabiles Fratres. Sed quoniam, pro honore Dei, *in cujus manu cor regis eſt conſtitutum*, glorioſiſſimorum Principum chriſtianorum fidem rectam & catholicam cuſtodientium acceſſit auctoritas, quam per humilitatem meam univerſis coëpiſcopis vo- Prov. 21. v. 1.

lue-

luerunt intimari: idcirco honorabilem fraternitatem veſtram, miſſis exemplaribus, inſtruere feſtinavi, ne quid mali, in aliqua parte provinciæ, ex ſupradictorum ſerpentina perſuaſione, ab univerſali Eccleſia totius orbis excluſa, fortaſſe ſubrepat.

Ob hoc ergo tam neceſſaria conſtitutio chriſtianorum Principum caritatem veſtram latere non debet, & ad me ab eis datæ literæ: quarum ſimul exemplaribus lectis, quemadmodum ſubſcribere unuſquiſque veſtrum debeat, dilectio veſtra cognoſcet, ſive quorum ſynodalibus geſtis ſubſcriptio jam tenetur, ſive qui non potuiſtis eidem plenario totius Africæ intereſſe concilio; quo, cum in ſupradictorum hæreticorum damnatione, omnium veſtrum fuerit integra ſubſcriptio, nihil omnino ſit, unde ullius, vel diſſimulationis, vel negligentiæ, vel occultæ forſitan pravitatis, aliqua videatur merito remanſiſſe ſuſpicio.

Et alia manu. Opto, Fratres, bene vivatis mei memores. Data Kal. Auguſti, Carthagine, Monaxio & Plinta coſſ.

VARIÆ LECTIONES ET RATIO EMENDATIONIS.

PRÆTER auctores mox laudatos, vidimus veteres duas editiones, unam Iſidori Mercatoris, alteram, quæ omnium optima, nonnullorum Proſperi opuſculorum.

PRIMIANO, CAIANO, &c.] Magd. *Primmo*, *Graiano*, &c. Uſſ. *Gatano*. Bal. *Galano*, &c.

DOGMATIS.] Magd. Bar. Uſſ. *dogmatibus*. minus appoſite ad hiſtoriam

CUSTODIENTIUM.] Magd. *conſtituentium*. De induſtria forte peccaverunt heterodoxi, præ adulatione erga Principes.

NE IN ALIQUA PARTE PROVINCIÆ, EX SUPRADICTORUM, &c.] Magd. *provinciarum ſupradictarum*. Bal. *provincia ſupradictorum*, omnes non male.

INTEGRA.] Bal. *integrata*, minus appoſite ad hiſtoriam, & mentem ſcribentis. Vide notas.

UNDE ULLIUS VEL DISSIMULATIONIS.] Magd. *imbecillius ſive diſſimulationis*, omnino corrupte.

De Epiſcopis recenſitis.

DONATIANO PRIMÆ SEDIS, &c.] Præfuit Donatianus Eccleſiæ Telepteoſi; totique Byzacenæ provinciæ, in qua duas videtur hoc anno habuiſſe ſynodos, alteram ante Paſcha, alteram circiter autumni tempus. In illa excepit legationem provinciæ proconſularis, qua functi ſunt Vincentius Culuſitanus, & Fortunatianus Neapolitanus: in iſta accepit literas Aurelii cum Honorii conſtitutione. Prioris acta habentur in ſecundo tomo maximæ Collectionis conciliorum; poſterioris nihil ſupereſt. Verum in prioris conſignatione opinor irrepſiſſe mendum: neque enim haberi potuit VI. Kalendas Martias, incidiſſet enim in Quadrageſimæ diem nonam, Paſcha incidente in diem 30. Martii. Atque ita, quod abnorme fuiſſet his temporibus, abfuiſſent Patrum media pars a ſuis Eccleſiis, magnam partem Quadrageſimæ. Neque vero mendum ſatis emendaveris, ſi, quod proonum videtur, reſtitueris decadis notam X. habitamque dixeris ſynodum XVI. Kalend. Martias. Nam & hæc dies fuerit prima Quadrageſimæ, qua nefas eſſet Epiſcopis abeſſe a ſuis Eccleſiis. Quod ſi ſervata numerali nota VI. pro Martiis Kalendis reponantur Februariæ, atque ita ſynodus habita dicatur die 27. Januarii, ſic omnia belle congruent: nam ſervatus fuerit canon Nicænus, de cogenda ſuæ provinciæ ſynodo a Primatibus ante Quadrageſimam Paſchæ; & feria ſecunda, datum fuerit ſynodo initium, quod ſolemne; & Patres ſuis Eccleſiis interfuerint principio Quadrageſimæ.

Donatianus porro celebre in Africana Eccleſia geſſit nomen. namque interfuit concilio Carthagineoſi ante Collationem ann. 411. concilio Africano cum Aurelio præfuit ann. 418. Teleptenſe concilium coegit ann. 419. eodem anno præſedit cum Aurelio concilio Africano, canoneſque præcedentium ſynodorum recognovit, & ſecundus poſt Aurelium ſubſcripſit.

Reprehenſus Chriſtophorus Juſtellus de primatu Donatiani.

Occaſione Donatiani Teleptenſis, emendandum eſt, quod Binio & Chriſtophoro Juſtello ſubrepſit, quaſi Donatianus, non ætatis jure, ſed civitatis, primatum ſuæ provinciæ obtinuerit: id enim omnino veritati pugnat, quandoquidem in ſynodica concilii Byzaceni, primas Muzonius appellatur tantum ſenex, ut ſolent alii, qui reliquis provinciis præter Proconſularem, præerant privilegio ætatis.

JANUARIANO, &c.] Ex novem Epiſcopis, quorum nomina inſcribuntur epiſtolæ, quinque nominantur in concilio Teleptenſi, Donatianus, Januarianus, Felix, Januarius, & Victor; reliquorum quatuor, Palatini, Primiani, & utriuſque Caiani nulla fit mentio. Crediderim ego, utrumque Caianum atque etiam Primianum pertinuiſſe ad Arzugitanam ſeu Tripolitanam provinciam. Palatinus Byzacenus fuit. Erat autem Januarianus Tubulbacenſis, Felix Segermitenenſis, Januarius Cenculianenſis, Palatinus Boſeteoſis, Victor Culletenſis, vel Bahanenſis Eccleſiæ præſul.

Duo notatu digna.

SUPER CÆLESTII ET PELAGII DAMNATIONE, EORUMQUE DOGMATIS.] Digna ſunt duo, quæ hic obſerventur. Alterum, appellari priore loco Cæleſtium, tum Pelagium, licet ille foret diſcipulus, hic magiſter. An quod Cæleſtius presbyter, Pelagius erat tantum monachus? An quod totum pondus negotii, latente Hieroſolymis Pelagio, jamdudum in Cæleſtium incubuerat, poſtquam ex diſcipulo *totius agminis ductor* factus eſſet, ut loquitur Hieronymus? An quod Afris cum Pelagio ipſo rei nihil fuerat, plurimum cum Cæleſtio? An quod de gratia tunc minus, quam de peccato originali quæſtio fervebat, quæ pars erroris Cæleſtio defendenda, quaſi ſortitione, obvenerat?

De Cæleſtio qui præpoſitus Pelagio.

In epiſt. ad Cteſiph.

De omiſſa mentione octo canonum, quos vulgus Milevitanos vocat.

Alterum, nullam fieri tota Aurelii epiſtola mentionem octo canonum adverſus hæreſim conſtitutorum in poſteriore concilio plenario, idcirco certe, quia non ipſis ſubſcribendum erat, ſed tractoriæ Zoſimi pontificis, qua continebatur utriuſque hæretici tota cauſa, ſententiaque ſimul Eccleſiæ catholicæ, ambos cum ſuis dogmatibus damnatis.

Conſulenda diſſertatio de ſynodis, quia inter hoc concilium loco ſuo ponitur.

IN PLENARIO CONCILIO, &c.] Illo nempe, quo accepta eſt catholica Zoſimi tractoria, cum privatis ad Afros literis, & unde poſt receptam, communi omnium ſubſcriptione, ſedis apoſtolicæ ſententiam, actæ ſunt laudibus cumulatæ gratiæ fidei vindici. Huic autem concilio, quod decimo quinto loco poſuimus, interfuit Donatianus Teleptenſis primæ ſedis in provincia Byzacena Epiſcopus.

In diſſert. de ſynodis.

Quid auctoritas ſive imperialis, ſive canonica.

ACCESSIT AUCTORITAS, &c.] Nomen auctoritatis poſitum eſt ad ſignificandam conſtitutionem, uſu non infrequente codicis Theodoſiani: idem enim adhibetur ad ſignificandam legem, *leg. unic. de centur.* & pro reſcripto, *leg. 31. de petit. cap. 5.* Hinc apud Collectorem appendicis additæ ad epiſtolam Cæleſtini ad Galliarum Epiſcopos, dicta eſt *regularis auctoritas*, pro decretali ſententia.

VOLUERUNT INTIMARI.] In omnibus editis codicibus legitur, *voluit intimari*; ſed Latinitatis leges coegerunt pluralem numerum pro ſingulari reponere.

Sedis apoſtolicæ judicium idem ac univerſalis Eccleſiæ.

AB UNIVERSALI ECCLESIA TOTIUS ORBIS EXCLUSA.] Hæreſim dicit excluſam ab univerſali Eccleſia, quam damnatam ſciebat a ſede apoſtolica; miſſas enim ad univerſos orbis Epiſcopos literas non dubitabat ſubſcribendas fore ab omnibus catholicæ partis Epiſcopis. Eodem ſenſu, qui communis omnium hujus ævi, ſcripſit Poſſidius, Honorium imperatorem ſecutum fuiſſe catholicæ Eccleſiæ judicium, tunc cum ſecutus eſt latam a ſummis duobus Pontificibus ſententiam: perinde quaſi ea ætate, unum idemque haberetur Eccleſiæ catholicæ, & ſedis apoſtolicæ judicium in rebus fidei.

TAM

Videnda diſſertatio de ſubſcriptionibus. Cap. 2.

TAM NECESSARIA CONSTITUTIO CHRISTIANORUM PRINCIPUM.] Neceſſitatem exigendæ in cauſa Pelagianorum ſubſcriptionis, de qua eſt tota conſtitutio, explicuimus prolixe in diſſertatione ſingulari ſuper ea re, omneſque neceſſitatis cauſas revocavimus ad unam præcipue Pelagianorum pertinaciam. Et vero, ut nulla fuit hæreſis verſuta magis, artibuſque inſtructa malignioribus, quam Pelagiana, ita neque ulla pertinacior adverſus omnes Eccleſiæ ſæculique vires.

AD ME AB EIS DATÆ LITERÆ.] Quæ literæ intelligantur, non ſatis apertum eſt. Ad aliquæ a conſtitutione diverſæ? favet orationis ſeries. An quæ forent eædem cum ipſa conſtitutione? forma literarum ita docet. Ao prima conſtitutio, quam pertinax malum geminari coegit, quæque cum epiſtola, id eſt, cum ſecunda conſtitutione ad Aurelium miſſa ſit? probabile admodum eſt. An denique cum epiſtola ad Aurelium venit ſimul ad Vicarium Africæ mandatum Principis, aut edictum Præfecti P. cujus utriuſque exemplaria directa ſint ad coepiſcopos? id dictu verius.

Conſulenda diſſertatio de ſynodis, ubi implicatiſſima veterum teſtimonia exponuntur.

EIDEM PLENARIO TOTIUS AFRICÆ INTERESSE CONCILIO.] Quod concilium plenarium, aut quis potius concilii plenarii conſeſſus ſignificetur, explicuimus, non ſine laborioſa inquiſitione, in diſſertatione de ſynodis: oſtendimus enim in tertio conſeſſu concilii ann. 418. habiti ſubſcriptum fuiſſe acceptæ Zoſimi tractoriæ, actaſque pro damnatis hæreticis Pontifici gratias, eaſque, ut par erat, ampliſſimas.

De integritate ſubſcriptionis conſule diſſertationem de ſubſcriptionibus. *Epiſt.* 86.

INTEGRA SUBSCRIPTIO.] In appendice Salviani a Baluzio editi legitur *integrata*, apud reliquos editores *integra*: utrobique non improbabili ſenſu, quanquam ſecundo meliore, quandoquidem univerſos alloquitur Aurelius, & ab omnibus poterat integram, a paucis integratam ſubſcriptionem exigere. Quæ vero ſubſcriptio cenſeri debeat integra, definit Leo Magnus de Pelagianis ſcribens ad Nicetam Aquilegienſem.

Tres cauſæ cur Epiſcopi ſubſcribere debuerint, nempe ut ne laborarent ſuſpicione. Vel diſſimulationis. Vel negligentiæ. Vel occultæ pravitatis.

NIHIL OMNINO SIT UNDE ULLIUS, &c.] Cauſas affert exigendæ ab omnibus Epiſcopis ſubſcriptionis in hoc negotio, nempe quod non immerito quidam haberentur ſuſpecti nomine, vel *diſſimulationis*, cum ſinerent ſecretis tractatibus homines, nova & inuſitata meditantes, occultare ſacrilegium publica auctoritate damnatum; vel *negligentiæ*, ut qui pravas hæreticorum diſputationes publica oppugnatione non deſtruerent; vel *occultæ pravitatis*, propter tacitum conſenſum, quo aſtruerent damnatos errores. Unicus autem pœnæ, quam maximam Imperator minaretur, vitandæ modus fuit integra ſubſcriptio, id eſt, qua pateret mens pura: una enim eademque culpa eſt eorum, qui aut diſſimulando conniventiam, aut non damnando favorem noxium præſtiterunt.

Quanta auctoritas hujus epiſtolæ.

Sub finem obſerva, quod facit ad commendationem epiſtolæ, hanc ad Epiſcopos ſcriptam ab eo, qui ſcientiſſimus foret canonum, ſanctitate eximius, retinentiſſimus epiſcopalis dignitatis, Auguſtino in rebus agendis conjunctiſſimus, & fere unus: ut ſcientia, ſanctitas, dignitatis ſtudium, Auguſtini ſocietas, tantam Aurelio auctoritatem tribuant hac in parte, quanta poteſt eſſe maxima, etiam ad Præſulum exemplum.

EPISTOLA
CONSTANTII IMPERATORIS,
PATRIS VALENTINIANI AUGUSTI III.
AD VOLUSIANUM P. U.

Imperator CONSTANTINUS, *Voluſiano P. U.*

QUÆ, cum præteritæ ſuperſtitionis, tum recentis plena vanitatis, jamdudum corrigi juſſeramus, quotidianis inſinuationibus majora fieri nuntiantur: & quoniam diſcordia animos commovet populorum, ea quæ jamdudum juſſa erant, præcipimus iterari.

Unde his lectis, eximietas tua omnes, qui Dei invident pietati, diligenter inquirat, & eos faciat ſtatim e muris urbis expelli, ita tamen, ut ne intra centeſimum quidem lapidem habeant licentiam conſiſtendi. Cæleſtium quoque magis ac magis ex urbe pelli mandamus: conſtat enim, iiſdem e medio ſublatis, gratiam & concordiam tenere veterem firmitatem.

Sane, deinceps ſi tale quidpiam fuerit nuntiatum, officium præſtantiæ tuæ capitali ſententiæ ſubdendum eſſe cognoſce: non enim patimur impunitum eſſe, præcepta noſtra executionis negligentia protelari. Vale, PARENS CARISSIME ATQUE AMANTISSIME.

Et adjecta ſubſcriptio. Impleatur quod juſſimus, quia hoc famæ tuæ expedit.

VARIÆ LECTIONES ET RATIO EMENDATIONIS.

INVENITUR apud Bar. Salm. Uſſ. Labb. & Baluzium, locis antea citatis, ſed, ut ingenue fatear, admodum corrupta.

Salmaſius hunc appoſuit titulum: *Incipit ſacra epiſtola Conſtantis imperatoris, patris Valentiniani Auguſti, de exiliando Caleſtio hæretico Pelagiano.*

VALENTINIANI TERTII.] Bal. *Valentiniani junioris.* E tribus Valentinianis primus ſenior dictus eſt; ſecundus junior; poſtremus, parvus, ſeu tertius.

HISTORIA SANCTIONIS ET EDICTI.

Quo tempore ſcripta epiſtola.

CARET ſanctio in omnibus editis codicibus nota conſulum, menſis, diei, atque etiam loci; neque hactenus licuit ex ullis manuſcriptis libris editorum defectum ſupplere, ſed ſola conjectura uti.

Conſtantius tenuit Imperium ſex tantum menſes,

Verum cum Conſtantius imperaverit ſex tantum menſes, ut Philoſtorgius & Olympiodorus ſcribunt; obierit Agricola & Euſtathio coſſ. ut ab omnibus traditur; extinctus ſit die 2. Septembris, teſte Theophane: neceſſe eſt, iis ipſis conſulibus ſanctionem editam fuiſſe, id eſt ann. 421. & eo quidem tempore quod interfluxit, ab octava die Februarii, qua Conſtantius auſpicatus eſt Imperium, ad ſecundam Septembris, qua vita exceſſit. De menſe & loco poſtea; de die divinare non licet.

ab initio Februarii ad diem 2. Septembris, qua obiit, Agricola & Euſtathio coſſ.

Scio hanc temporis rationem non placuiſſe pluribus chronographis, præſertim recentioribus, atque ipſi etiam Baronio, quem chronographus creditus Proſper & Idatius abduxerunt in ſuam opinionem,

Notati Proſper & Idatius, ſimulque Baronius.

de

Digitized by Google

de tribus Conſtantiani imperii annis. Sed Olympiodori & Theophanis hiſtoricorum potior eſt auctoritas, quam vel Proſperi illius, omnia, propter brevitatis ſtudium, confundere ſoliti, vel Idatii ubique fere corrupti.

Cauſa edendæ ſanctionis, Cæleſtius e latebris turbas ciens.

Jam vero edendæ ſanctionis cauſa fuit, quam ante dicere cœpimus. Cæleſtius nempe, poſtquam examini ſe ſubduxit, tulitque ſententiam damnationis, vel apud ſuos Romæ latuerat, quod indicare videtur Auguſtinus; vel in Urbem redierat, quod opinatur Baronius; vel in proximis ſubſtiterat, quod innuit Voluſiani edictum. E latebris certe partes Eulalii ſuaſque ſimul fovebat, continenter velut in ſpecula explorans, ſi qua ratione poſſet, aut fidei, aut quietis publicæ pacem turbare: habebat enim in Eccleſia Romana faventes clericos, imo & Epiſcopos in urbe, quorum dux Julianus, eoſque ſuis artibus animabat, ut importunis precibus ab Imperatore extorquerent Zoſimi vita functi judicium retractari: ſive in ſynodo plenaria, ad quam appellatum ab ipſis fuerat: ſive per idoneos judices, qui nihil præjudicati ad cauſam afferrent, quod a ſuis damnatoribus factum mentiebantur.

Favebat tempus Cæleſtio, & rerum ſtatus, duabus feminis mundum regentibus.

Opportunitas temporis conſilium juvabat: nam Bonifacius Zoſimi ſucceſſor vix bene poſt turbas Eulalii, conſtitutam ſedem tenebat, ſciſſis adhuc in partes clericis. Populus nondum quieſcebat ſatis a nuperis tumultibus. Præfectus Urbis, ut erat ethnicus, facile poterat perſuaſionibus facundorum hominum induci ad credendum, quæſtionis eſſe, non dogmatis altercationem. Officium Prætoris corruptioni obnoxium erat.

Placidiæ indoles.

In aula Occidentis nihil non licebat Placidiæ Honorii ſorori, feminæ utramque ſortem expertæ, & ut dominandi avidæ, ita ceræ flecti in quam vellent partem homines ſervire volentes. Denique, ſi minus iſta in Occidente ſuccederent, reſtabat Oriens, ubi Theodoſius nondum Pulcheriæ ſororis excuſſerat jugum, &

Pulcheriæ mores.

illa virgo, pia quidem, ſed imperii amans, poterat illudi ſpecie, cum pietatis, quæ præferebatur a Pelagianis, tum querelæ de Occidentis imperio, cui aut invidebat femineo affectu propter Placidiam æmulam, aut repugnare amabat, ne Honorio ſervire videretur.

Bonifacius diſturbat Cæleſtii conſilia & ſanctionem obtinet a Conſtantio.
Aug. lib. 9. ad Bonif. cap. 1.

Id ſubodoratus Bonifacius, quanquam res Pelagianorum tam occulte agebantur, ut ne ipſas quidem epiſtolas, quibus Cæleſtius, Julianuſque ſuos erudiebant ad ſeditionem, potuerit Pontifex, niſi vigilantiſſima clericorum diligentia nanciſci: id, inquam, ſubodoratus, apud Conſtantium egit, ut juberet Voluſianum fungi munere, priſtinaſque ſanctiones exequi adverſus divinæ fidei, & quietis publicæ turbatores. Egit vero apud Conſtantium potius, quam apud Honorium, licet ambo ſimul regnarent; partim quod eum ſibi antea ſtudioſum ſenſiſſet in negotio Eulalii, cum acriter Symmachum, necdum Cæſar, impelleret in bonarum partium obſequium; partim quia propenſum erat ſperare, ab Auguſto recens renuntiato facile obtinendum decretum in eos, qui Dei inviderent pietati, quo imperii auſpicia conſecraret Deo.

Qualis & quam imperioſa ſanctio.
Apud Phot. cod. 80.
In annal. ad ann. 419.

Poteſt igitur hæc videri cauſa non improbabilis, cur ſanctio edita ſit. Hac vero vix ullam reperias in toto codice imperioſiorem, ſi licet ita loqui; ſive id fecerit Conſtantii indoles, qualem, & Olympiodorus de facie depingit, & literæ ad Symmachum oſtendunt; ſive potius eo moverit cauſæ juſtitia, ut ne pax conſtituta magnis Conſtantii conatibus, ab inquietis Dei Imperiique hoſtibus labefactaretur.

Epiſtolæ meminit Photius. *Cod. 53.*

EPISTOLA CONSTANTII, &c.] Decretum vocat Photius, ejuſque meminit in hæc verba: *Scripſerunt Theodoſius & Honorius imperatores contra eoſdem hæreticos ad Aurelium Epiſcopum. Poſthæc etiam Conſtantius Placidiæ conjux, Valentiniani minoris pater, de Cæleſtio hæretico in exilium pellendo, ſcripſit decretum ad Voluſianum Urbis Præfectum: qui quidem Voluſianus ſanctæ Melaniæ avunculus, cum gentibus quidem tunc ſentiebat. at dum eum mors legatum Conſtantinopoli agentem invaderet, ad fidem orthodoxam tranſiit, baptizataſque eſt a beato Proclo Conſtantinopolitano.*

Cur Conſtantio tribuatur a veteribus ſanctio, & non pariter Theodoſio.

IMPERATOR CONSTANTIUS.] Quæſierit forte aliquis, cur inſcriptum ſit ſolius imperatoris Conſtantii nomen, non item, ut in aliis conſtitutionibus, trium ſimul regnantium, hunc in modum: Imperatores Honorius, Theodoſius, Conſtantius AAA. An epiſtolis inſcribebatur ſolius ſcribentis nomen? an peccatum a librariis in hoc titulo, quemadmodum in aliis pluribus? Certe leges quatuor Ravennæ eo temporis ſpatio datæ, quo diximus imperaſſe Conſtantium, præferunt nomina trium Imperatorum, *l. unic. de repud.* VI. *Idib. Mart. l. 29. de petition.* VIII. *Idib. Jul. l. 30. eodem titulo, eodem die, l. unic. ſi cert. petat. de chirographis*, V. *Kalend. Auguſt.* Gothofredus in tribus aliis omiſſum putat Conſtantii nomen, reſtituitque in notis *ad l. 1. de quinque præſcript.* VIII. *Idib. Jul. l. 23. de bon. præſcript. eodem die, & l. 45. de Epiſc. pridie Idus Jul.*

Notatus Gothofredus.

De duabus prioribus nihil queror, ſiquidem non ſunt diverſæ a lege 29. & 30. *de petitionibus*, ſed unius multæ partes. Memoria certe fefellit in poſtrema virum eruditum; nam cum data ſit a Theodoſio in Oriente, &, ut par eſt credere, Conſtantinopoli, ad Philippum PP. Illyrici; mirum profecto eſſet, ſi Conſtantii nomen prætuliſſet, quem Theodoſius nollet Imperatoris loco habere. quod cum a Philoſtorgio tradatur expreſſis verbis, quomodo fugit ipſum Philoſtorgii commentatorem? Nam rem ipſe totam explicat in commentariis ad hæc Philoſtorgii verba: *Honorius imperator Conſtantium magiſtrum militum, ob affinitatis honorem, ad imperiale ſceptrum adſcivit, cum jam Placidia ipſi Valentinianum filium edidiſſet, cui & nobiliſſimi dignitatem Honorius tribuit. Cæterum Conſtantii imagines (ut moris erat iis, qui ad Imperium recenter promoti erant, agere) mittuntur in Orientem. Verum Theodoſius inaugurationi non acquieſcens, eas non ſuſcepit. Quare cum Conſtantius ſeſe ob hanc injuriam ad bellum pararet, mors vitam curaſque ſiſtens, mutationem præbuit, cum imperaſſet menſes ſex.*

Simultates inter Theodoſium & Conſtantium.
Apud Phot. peculiari opere. Lib. 12. num. 10.

Philoſtorgio conſentit Olympiodorus apud Photium. *Conſtantius Honorii in auguſtali imperio collega fit, ab illo quidem ipſo, ſed pene repugnante conſtitutus. Placidia quoque Auguſta a fratre & marito dicta eſt: deinde ad Theodoſium, qui fratre Honorii genitus Orientis partibus Auguſtus imperabat, de Conſtantii imperatoris electione nuntius mittitur, minimeque receptus eſt. Hinc morbum Conſtantius contraxit, ſuſcepti pœnitens Imperii, quod non jam, ut antea, eundi redeundique, quo & quando vellet, libertas eſſet: neque ludicris, ut moris ejus erat, operam dare jam Imperatori permitteretur. Igitur ſeptimo imperii menſe (quemadmodum & inſomnium ſic indicaverat,* ſextus abiit, ſeptimus inchoatur) *pleuritide extinctus eſt. Extincta ſimul cum ipſo in Orientem ira, atque expeditione, quam, quod ad Imperii ſocietatem admiſſus non eſſet, animo agitabat.*

Cod. 80.

Notatus Proſper chronographus cum Idatio. de anno quo Conſtantius Imperium ſuſcepit. Notati alii, quos fore deceperunt literæ Honorii ad Africanos, cum vocatur ad concilium Spoletinum.

Ex utriuſque hiſtorici teſtimonio redarguitur Proſper ille chronographus cum Idatio aliiſque opinantibus, Conſtantium jam inde ab ann. 419. Imperium ſuſcepiſſe. Quid Proſperum illum Idatiumque in hanc ſententiam traxerit, plane ignoro: quid aliis cauſam dederit ita ſentiendi, videor mihi aliquatenus perſpicere ex literis Honorii vocantis Aurelium cum aliis Africanis Patribus ad concilium Spoletinum, in quibus mentio fit ſcriptorum germani fratris Auguſti, qui procul dubio Conſtantius eſt: ſed vel dicitur tantum, *frater Auguſti*, vel *Auguſtus* cum addito, *frater germanus*, quia Placidiæ jam Auguſtæ conjux erat, & totum Imperium adminiſtrabat. At Olympiodorus, inquies, Placidiam ſcribit Auguſtam a fratre & marito dictam. Scribit ſane, ſed meliores hiſtorici a fratre jam tum appellatam docent, cum traderetur Conſtantio in conjugem, ut mulierem nuptias indignantem conſolaretur pari cum Pulcheria æmula titulo.

Cur neque Honorio tribuatur.

Verum, ut ea ſit, quam diximus, cauſa, cur legi Theodoſii nomen Conſtantii non fuerit aſcriptum, nec viciſſim decreto Conſtantii nomen Theodoſii: cur omiſſum Honorii nomen: cur ab omnibus auctoribus Conſtantio ſoli tribuitur decretum, & non ſimul, aut etiam potius Honorio: nam unanimi conſenſu ambo in Occidente imperabant, una erat atque indiviſa utriuſque ditio, uterque Ravennæ conſiſtebat, imo potior fuit Honorii allegentis, quam aſſumpti Conſtantii majeſtas. recurri non poteſt, perinde ac antea, vel ad no-

tario-

tariorum vitium; vel ad id, quo uſi ſumus, de epiſtola privatim ſcripta: ſiquidem, ut ex Photio conſtat, vere decretum fuit, illudque cuncti codices, atque hiſtorici, tanquam proprium Conſtantio communiter tribuunt

Ea me difficultas adducit, ut opiner, Conſtantium ſanctionem edidiſſe, non Ravennæ, ubi Honorius moraretur; ſed alia in urbe, in qua Conſtantius forte exiſteret. opiner quoque non appoſitum Honorii nomen, ne Theodoſius ſimul appellaretur, quem Conſtantius reciproco contemptu proſequebatur: quanquam longe facilior eſt alia difficultatis ſolvendæ ratio, quam prius attigimus, ſi nimirum dicatur ad Voluſianum ſcripta tantum epiſtola. Nec enim epiſtolis omnibus omnium Imperatorum nomen præferebatur, ſed paucis tantum; & forte Conſtantius hac arte declinavit invidiam contempti Theodoſii: hanc tamen epiſtolam placuit Photio decretum dicere, quia mandatum continebat.

Probabile eſt Romæ datam.

At unde, aut ubi ſcripſit Conſtantius? Romæ ſuſpicor; nec levis eſt ſuſpicandi cauſa. Cum enim Conſtantius vix ſe poſſet continere loco, ut ait Olympiodorus, ſimulque intelligeret, quemadmodum ipſe in epiſtola loquitur, tentari pacem Romæ, quam tanto ſtudioſius permanere vellet, quanto majoribus eam conatibus ſtatuendam curaverat, tunc etiam cum ſola gratia apud Imperatorem ſororium nihil non poſſet; putavit forte urgendum per ſe Præfectum Urbis, qui mollius agebat; & Præfecti officium præſentia terrendum, ne connivere pergeret.

Quod ſi res ita ſe habuerit, ut certe potuit, patet ratio, cur ſoli Conſtantio tributa ſit a ſcriptoribus ſanctio; patet item, & ubi data ſit, Romæ ſcilicet; & quo ſuadente, Bonifacio ſummo Pontifice; & quo menſe, Martio; & quam ob cauſam, ut obviam iretur tumultibus, qui ſolebant eſſe maximi feſtis paſchalibus, ſi quando Eccleſia ſcinderetur in partes; anno autem illo Paſcha contigit die 3. Aprilis, & nondum ita erant compreſſi Eulalii partium motus, quin merito deberent timeri.

Quæ præterita ſuperſtitio & recens vanitas.

QUÆ, CUM PRÆTERITÆ SUPERSTITIONES, TUM RECENTIS PLENA VANITATIS JAMDUDUM CORRIGI JUSSERAMUS, &c.] Cum lex diſtinguat præteritam ſuperſtitionem a recenti vanitate, & utramque Imperator jamdudum corrigi ſe juſſiſſe ſcribat; dubium eſt, quid ſuperſtitionis nomine, quid vanitatis, indicetur; dubium item, quæ præceſſerint Conſtantii juſſa de utraque corrigenda, ſiquidem in conſortium Imperii aſſumptus ſit paucis ante menſibus, vel etiam diebus. Superſtitionem præteritam interpretor ex *leg.* 158. *de Decurion.* Judaicam: recentem vanitatem, more Patrum, hæreſim Pelagianam. Nam adverſus ambas jamdudum juſſa dederat Honorius; & contra Judaicam quidem *leg.* 24. *de Judæis* ad Palladium PP. VI. Id. Mart. Honorio XII. & Theodoſio VIII. AA. CC. In Pelagianam vero, partim conſtitutione ad Palladium PP. partim epiſtola ad Aurelium, de quibus actum eſt. Conſtantius autem, cum poſt nuptias Placidiæ nihil non gereret in Imperio occidentali, facta omnia Honorii ſibi arrogabat, ſuas ſolitus literas Imperatoris decretis ſociare, ut conſtat ex iis, quas miſit, vel Epiſcopis ad concilium Spoletinum vocatis, vel Symmacho P. U. in cauſa diſſidii de Pontificatu inter Bonifacium & Eulalium.

Conſtantius etiam ante aſſumptionem cuncta regebat Imperatoris nomine.

De inquiſitoribus in hæreticos.

INQUIRAT, &c.] id eſt, inquiſitores det, quod ſolemne fuit in atrocibus criminibus, quale eſt læſæ majeſtatis, &c. in aliis enim non inquirebantur rei ab officio, ſed ab accuſatoribus tracti ad judicia puniebantur. Primus Theodoſius M. inquiſitores dari juſſit ad conquirendos hæreticos, *leg.* 9. *de hæret.*

Honorii facta ſibi Conſtantius tribuebat propter auctoritatem.

CÆLESTIUM QUOQUE MAGIS AC MAGIS EX URBE PELLI MANDAMUS.] Verba, quibus jubet Imperator iterum edici pœnam exilii adverſus Cæleſtium, dubium me faciunt, utrum antecedentia pertineant ad homines recenti vanitati, id eſt, parti Pelagianæ faventes; an ad alios potius præteritæ ſuperſtitioni addictos. De aliis agere præcipue Imperatorem, verbo tantum de Cæleſtio, facile ſentirem, niſi me retineret auctoritas Voluſiani nullam, niſi de Cæleſtio, facientis mentionem in edicto. Oportet igitur, vel Præfectum Urbis non de omnibus edixiſſe, de quibus Imperator ſanxerat; vel nomine præteritæ ſuperſtitionis ipſam quoque Pelagianam hæreſim comprehendi, quod poſtremum improbabile reddit orationis contextus: quare fatendum eſt, nonnullo Voluſiani vitio, edictum minus patuiſſe quam ſanctionem.

SANE ET TALE QUIOPIAM FUERAT NUNTIATUM.] Demonſtrant iſta quidem comminantis verba, quo ſtudio vellet Conſtantius manere pacem Romæ; ſed produnt ſimul imperioſum viri ingenium, ſicut & literæ, antea initum Imperium, datæ ad Symmachum: atque ita epiſtola hæc, literæque illæ mutuam ſibi, propter communem ſtylum, auctoritatem fidemque faciunt. Literas integras referre non erit, opinor, importunum, ſive quia emendatiores damus, quam hactenus editæ ſunt; ſive quod ex iis intelligatur, quanto ſtudio quietem Urbis procuraret, quantaque Urbem ipſam auctoritate etiam tum regeret, cum nondum Imperium adeptus eſſet. Literæ igitur ita ſe habent.

Iſt hæc epiſtola ſimilis literis ad Symmachum datis.

Ut certa poſſimus quæque cognoſcere, & factionum auctores fideli nuntio & inſpectore non lateant; cancellarium noſtrum Vitulum direximus, ut domini invictiſſimi Principis affatus, atque judicium ad eximietatem tuam, & ad populum celeri feſtinatione deferret: illudque monemus, ut quidquid ſacris auctoritatibus continetur, nulla temeritate violetur, & quæ præcepta ſunt, effectus celeri mandentur inſtantia, ne Auguſti clementia, quod nunc agnoſcitur diſtuliſſe, commoto majeſtatis ſuæ vigore, emendare non differat.

Literæ Conſtantii nondum Imperatoris Symmachum P. U. longe emendatiores; quam hactenus prodierint.

Reſpondit demiſſe Symmachus, hoc præmiſſo literis titulo: *Domino ſemper illuſtri, & per cuncta magnifico, meritoque ſublimi ac præcelſo Conſtantio, Symmachus.* Tum reddita ſigillatim geſtorum omnium ratione, eaque addita compellatione: *Domine ſemper illuſtriſſime, & ſacratiſſime, magnifice, meritoque ſublimis ac præcelſe patrone*; tandem ita concludit: *Et quoniam de his interim, quæ geſta ſunt, univerſa virtutibus veſtris credimus ſuggerenda, quidquid ſequentibus diebus pro quiete Urbis, quam veſtra felicitas regit, geſtum fuerit, ſigillatim, pro rerum fide & ordine, melioribus indiciis nunciabo.*

Symmachi demiſſa reſponſio auctoritatem Conſtantii demonſtrat.

Porro autem ex literis Conſtantii & reſponſione Symmachi colligere eſt. Primo, Conſtantium nondum fuiſſe Imperatorem VIII. Kalend. Aprilis, ann. 419. quo tempore ad Symmachum ſcribebat: quanquam imperii initium finemque a nobis aſſignatum, contra Baronium demonſtrat, quod nullæ, niſi quæ ann. 421. poſt Januarium & ante Septembrem datæ ſunt leges, nomen Conſtantii præferant. Secundo, quanta polleret ille nihilominus auctoritate, ante Imperium adeptum, ut qui Præfectum Urbis virum illuſtrem, non aliis, quam ſoleret Imperator, verbis appellaret. Tertio, quibus ipſe viciſſim honorum titulis afficeretur etiam a Præfecto Urbis, a quo patronus diceretur. Quarto, quam vehementer cuperet pacatam Urbem, quantumque ſtuderet Bonifacii partibus, qui miſſo Cancellario, tanquam fideli inſpectore, reſcire voluerit, & Honorium docere, quæ Symmachus, cum Eulalio faveret, hactenus diſſimulata voluiſſet.

Quinque conſectaria ex literis & reſponſione.

OFFICIUM PRÆSTANTIÆ TUÆ, &c.] Officium pro officialibus poni, nemo peritus legum neſcit. Eadem porro iiſdemque fere verbis Honorius ad Symmachum antea ſcripſerat, ut nulli dubium eſſe poſſit, quo ſuadente, imo cujus ſpiritu Imperator ſcriberet. *Sciat ſane ſublimitas tua, primiſcrinium, & reliquum officium, quod tuis actibus obſecundat, non ſolum graviſſimæ mulctæ diſpendiis affligendum, ſed & ſupplicium capitis ſortiturum, niſi, enixa opera commodata, ſtatutis clementiæ noſtræ præbere maturarit effectum.*

Genius Conſtantii ſe prodit in ipſis Honorii edictis.

IMPLEATUR QUOD JUSSIMUS, QUIA HOC FAMÆ TUÆ EXPEDIT.] Inter ſubſcribendum Imperator ſua manu iſtud addidit, quo plus haberet momenti: quoniam Voluſianus, cum nondum Chriſtianus foret, ut ex Photio dictum eſt, videri poſſet non admodum curare, quæ religionem veram ſpectarent. Quanquam tunc temporis inter catechumenos verſatum fuiſſe, jam inde ab ann. 412. non obſcure mihi videor perſpicere ex literis, tum a Voluſiano ad Auguſtinum, tum ab Auguſtino ad Voluſianum, eo tempore, de quæſtionibus ad fidem chriſtianam ſpectantibus, non ſemel datis.

Quam Voluſianus religionem tunc temporis ſequeretur.

Epiſt. 2. & 3.

EDICTUM PROPOSITUM
A VOLUSIANO PRÆFECTO URBIS

VOLUSIANUS *Præfectus Urbis edixit.*

HACTENUS Cæleſtium divinæ fidei, & quietis publicæ turbatorem, judiciis, amica reis ſecreta ſubduxerunt. Jam leges & jam edicta perſequentur abſentem: cui, quod primum eſt, æternæ Urbis negatur habitatio, ut ſi vel in proximis fuerit diverſatus, debitum non evadat exitium, pro merito temeritatis atque auſus ſui.

Cunctos etiam hujus edicti cautione præmonemus, ne quis iniquus noxio latebram putet eſſe præbendam; ne, cum hujuſmodi ſit poſita pœna, ſupplicium ac ſtylum neceſſe ſit proſcriptionis incurrere, quiſquis legibus divinis humaniſque reum apud ſe putaverit occultandum.

VARIÆ LECTIONES ET RATIO EMENDATIONIS.

JUDICIIS, AMICA REIS SECRETA SUBDUXERUNT.] Salm. *judiciis amica reis ſacra ſubdiderunt.* Non ſunt hæc Baronianis meliora, qualia Salmaſius jactat ſe afferre.

NE, CUM HUJUSMODI SIT POSITA POENA, &c.] Salm. *cuicunque horridi ſit poſita pœna ſupplicii, ac ſtylum neceſſe ſit proſcriptionis incurrere.* Et hæc longe pejora Baronianis.

Quæ fides dicta eſt a Voluſiano divina.

HACTENUS CÆLESTIUM DIVINÆ FIDEI, &c.] Quam divinam fidem Voluſianus dixit? Si catechumenus fuit, cum ediceret, eam quæ in verum Deum eſt; ſi etiamnum animo gentilis, quam Imperatores ſequerentur. Quidquid enim Imperatorum fuit, vocabatur olim, etiam a chriſtianis, divinum & ſacrum. Hinc divini afflatus, divina præcepta, divalia ſtatuta, ſanctiones ſacratiſſimæ, pro legibus imperialibus; hinc ſacræ largitiones, ſacræ epiſtolæ, & cæteræ quæ ubique occurrunt.

Imperatores qua ratione hæreticos inſequi debeant.

DIVINÆ FIDEI, ET QUIETIS PUBLICÆ TURBATOREM.) Imperatores inſequuntur hæreticos, velut hoſtes divinæ fidei, & quietis publicæ turbatores: nam cum ſint filii Eccleſiæ, ulciſcuntur matrem; cum patriæ parentes, ſanctiſſimum ſocietatis vinculum, quæ religio eſt, violatum vindicant.

Correcta communis lectio nata ex conjunctis voculis, quæ diſſolvi debeant.

JAM LEGES ET JAM EDICTA PERSEQUENTUR ABSENTEM.] Communem lectionem, etſi vitioſa eſt, dubitavi diu, an mutarem, quia præter rationem nihil occurrebat, cujus auctoritate niterer. Vitium apertum eſt, quem enim ſenſum faciunt hæ voces: *Jam leges etiam edicti perſequentur abſentem?* Et qua latinitatis lege connectuntur, *leges edicti*? Quo pertinet conjunctio, *etiam*? An ad abſentem, quaſi Præfectus amoliatur calumniam, quod in Urbe verſari Cæleſtium permiſiſſet? Cur inepte interſeritur duabus aliis vocibus? An ad verbum, *perſequendi*? Quo tolerabili ſenſu? An ad edictum & leges, quæ jam primum perſequantur, vel etiam quæ iterentur? At neque Imperator, vel Præfectus hæreticos aliter quam legibus & edictis perſequuntur; neque tunc primum lex & edictum propoſitum eſt in Cæleſtium; neque iterari, quod utrumque oportuerit, potuit non eſſe probroſum Voluſiano. Ita igitur legendum putavi, *jam leges & jam edicta perſequentur.* quæ commoda eſt oratio hominis reprehenſionem impatienter ferentis, & purgare ſe volentis, quaſi diceret: *Dicatur ſane Cæleſtius hactenus latuiſſe apud amicos, etſi vere non latuit, jam leges ipſum & jam edicta, licet abſentem, perſequentur.*

DEBITUM NON EVADAT EXITIUM, &c.] Pœna capitis proponitur Cæleſtio, ſi vel intra centeſimum lapidem diverſatus fuerit: atque hoc eſt quod querebatur Julianus, ſitiri ſuorum ſanguinem, & in ipſos ſtipulam furoris publici inflammari. Locum antea protulimus. — Pœna capitis in Cæleſtium ſtatuta.

PRO MERITO, &c.] Ratio juſſit emendari hunc locum, contra codicum teſtimonium. quis enim probabilis ſenſus harum vocum: *Debitum non evadat exitium. Pro merito etiam temeritatis atque auſus ſui cunctos hujus edicti cautione præmonemus?*

LEGIBUS DIVINIS HUMANISQUE REUM.] Hic etiam emendatione fuit opus, codice MS. lucem, licet dubiam, præferente. Leges porro divinæ pro ſanctione Imperatoris, humanæ pro edicto Præfecti dictæ ſunt.

CONSTITUTIO VALENTINIANI III.

AD AMACIUM PP. GALLIARUM,

de conveniendis per Patroclum Arelatenſem Epiſcopis quibuſdam Pelagianis.

Impp. THEODOSIUS, *et* VALENTINIANUS CÆSAR
Amacio V. inl. PP. Galliarum.

Cod. Theod. de Epiſc. & cler. leg. 47.

PRIVILEGIA Eccleſiarum, vel clericorum omnium, quæ ſæculo noſtro tyrannus inviderat, prona devotione revocamus: ſcilicet ut quidquid a divis Principibus conſtitutum eſt, vel quæ ſinguli quique antiſtites impetrarunt, jugi ſolidata æternitate ſerventur, nec cujuſquam audeat titillare præſumptio, in quo nos nobis magis præſtitum ire confitemur. Clericos etiam, quos indiſcretim ad

ſæculares

ſæculares judices debere deduci infauſtus præſumptor edixerat, epiſcopali audientiæ reſervamus; his manentibus, quæ circa eos ſanxit antiquitas: fas enim non eſt, ut divini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio. Inluſtris itaque auctoritas tuâ, omni ævo manſura quæ juſſimus, in provinciarum miſſâ notitiam, præcipiet, etiam ſub pœna ſacrilegii, cuſtodiri, ſpecialiter id inluſtribus comprehenſura præceptis, ut in omnibus circa eccleſiaſtica privilegia veterum Principum ſtatuta ſerventur.

Diverſos vero Epiſcopos nefarium Pelagiani & Cæleſtiani dogmatis errorem ſequentes, per Patroclum ſacroſanctæ legis antiſtitem, præcipimus conveniri: quos quia confidimus emendari, niſi intra viginti dies ex conventionis tempore, intra quos deliberandi tribuimus facultatem, errata correxerint, ſeſeque catholicæ fidei reddiderint, Gallicanis regionibus expelli, atque in eorum loco ſacerdotium fidelius ſubrogari, quatenus præſentis erroris macula de populorum animis tergeatur, & futuræ bonum diſciplinæ juſtioris inſtituatur.

Cod. Theod. de Hær. cap. 64.

Sane quia religioſos populos nullis decet ſuperſtitionibus depravari, Manichæos, omneſque hæreticos, vel ſchiſmaticos, ſive mathematicos, omnemque ſectam catholicis inimicam ab ipſo aſpectu urbium diverſarum exterminari debere præcipimus, ut nec præſentiæ quidem criminoſorum contagione fœdentur. Judæis quoque vel paganis cauſas agendi, vel militandi licentiam denegamus, quibus chriſtianæ legis nolumus ſervire perſonas, ne occaſione dominii, ſectam venerandæ religionis immutent. omnes igitur perſonas erroris infauſti jubemus excludi, niſi his emendatio matura ſubvenerit. Data VII. Id. Jul. Aquileiæ, coſſ. Theodoſio Auguſto XI. & Valentiniano Cæſare.

HISTORIA CONSTITUTIONIS.

Conſtitutionem primus edidit Sirmondus, qua parte huc ſpectat.

NEMO veterum, quod ſciam, ſcriptum reliquit, quæ cauſa dederit occaſionem ſanciendæ conſtitutionis: imo ne ipſius quidem ullus meminit, ſaltem qua parte ſpectat Pelagianos; ſed hanc primus ex codice Eccleſiæ Lugdunenſis edidit P. Sirmondus.

Dixi, qua parte Pelagianos ſpectat: tres enim partes complectitur, quarum prima poſtremaque jamdudum relata fuerat in codicem Theodoſianum, illa *leg. 47. de Epiſcopis*, iſta *leg. 68. de hæreticis*.

De Gallicanis Epiſcopis agitur.

Et forte ſuas ſedes habentibus in ſeptem provinciis.

Id conjici non improbabiliter poteſt de parte media. Epiſcopi, de quibus agitur, ſuas in Galliis, vel certe in ditione Præfecti P. Galliarum, ſedes habebant: jubet enim ipſos Imperator *Gallicanis regionibus expelli, atque in eorum loco ſacerdotium fidelius ſubrogari*. Quin & ipſos credibile eſt, epiſcopatum geſſiſſe in ſeptem provinciis, in quas Patroclus primatum tenebat, præcipit ſiquidem Valentinianus *per Patroclum ſacroſanctæ legis antiſtitem conveniri*. Cur autem conveniendi forent, cogendique ad errata corrigenda, ſeſeque ad catholicam fidem reddendos, cauſa fuit, quod nefarium Cæleſtiani & Pelagiani dogmatis errorem ſequerentur.

In his provinciis Leporius monachus errorem Pelagianum ſparſerat, imo & Neſtorianum.

Lib. de ſcript. eccl. cap. 59.

Lib. 1. de incar. cap. 3. & 4.

Illud ipſum dogma paucis ante annis in iiſdem provinciis ſecutus fuerat Leporius monachus, *præſumens de puritate vitæ, quam arbitrio tantum & conatu proprio, non Dei ſe adjutorio obtinuiſſe crediderat*, ut tradit Gennadius. Neque vero ſolus ille *ex Pelagii inſtitutione, aut potius pravitate in abſurdos errores lapſus eſt, ſed fuit hæreſeos apud Gallias aſſertor, aut inter primos, aut inter maximos*, ut ait Caſſianus. *Dicebant vero qui cum ipſo ſentiebant, ſolitarium hominem* JESUM CHRISTUM *ſine ulla peccati contagione vixiſſe; eoque progreſſi ſunt, ut aſſererent homines, ſi velint, ſine peccato eſſe poſſe: conſequens enim exiſtimabant, ut ſi homo ſolitarius* JESUS CHRISTUS *ſine peccato fuiſſet, omnes quoque homines ſine Dei adjutorio eſſe poſſint quidquid ille homo ſolitarius ſine conſortio Dei eſſe potuiſſet, ac ſi nullam facerent inter omnem hominem ac Dominum noſtrum* JESUM CHRISTUM *eſſe diſtantiam, cum idem utique homo niſu atque induſtria ſua mereri poſſit quod Chriſtus ſtudio ac labore meruiſſet*, &c.

Admonitus ut errorem revocaret, ejicitur ex Eccleſia, & in Africam fugit. Ibi correctus.

Admonitus eſt a Caſſiano Leporius, imo juſſus a Proculo Maſſilienſi, ut errorem damnaret. Sed neque monentem audire voluit, neque jubenti parere: quamobrem ejectus ex Eccleſia fugit in Africam, ubi ab Auguſtino correctus, libellum emendationis ad Gallicanos Epiſcopos miſit, Africanorum Patrum ſubſcriptionibus & literis approbatum.

Tumultuantes imperiali auctoritate comprimi oportuit.

Libello accepto, commotiones animorum extitiſſe in Galliis non incredibile eſt, indeque ortam neceſſitatem, auctoritate imperatoria tumultuantes coercendi. Imo nec abſurdum eſt ſentire, Auguſtinum ſimul & ad Gallos ſcripſiſſe, & per ſuos in aula egiſſe, ut coactis ad ſubſcribendum damnationi hæreticorum Epiſcopis, periode componerentur omnia in Galliis atque in Africa; ut quas inter regiones tanta erat ſocietas opinionum, deportatis cum mercibus etiam erroribus, intercederet quoque non fidei tantum, ſed & remedii adverſus errores communio.

Forte ſatagente Auguſtino.

Nec improbabilis conjectura.

Conjecturam hanc juvaret forte, ſi ſuis e tenebris prodiret in optatam lucem concilium illud magnum Gallicanum, a quo in Britanniam Germanus cum Lupo ad extirpandam hæreſim Pelagianam miſſus eſt. Dicunt enim, qui nonnihil affirmant ſe inaudiſſe, in eo & haberi commonitorium legatis datum, & fieri mentionem octo canonum, quos vulgus Milevitanos vocat, quaſi formulæ ab iis ſubſcribendæ, *qui errata correxiſſe, ſeſeque catholicæ fidei reddidiſſe videri vellent*.

Notatus Gothofredus.

Verum conveniendus nunc paucis Gothofredus, qui in paratitlo *de hæreticis* memorabile quiddam ſibi videri ait, per Gallias nullam hæreſim toto ſex voluminum immenſo codice Theodoſiano memorari: additque Galliam, teſte Hieronymo, ad hoc ævi, nulla monſtra aluiſſe. Sed, niſi Sirmondianam appendicem voluiſſet rejicere, poterat, ſalvo Hieronymi teſtimonio, factam in codice, qui ad annum uſque 438. producitur, memoriam hæreticorum in Gallia reperire ad annum 425.

Defenſus Sirmondus.

Cur autem appendicem Sirmondi rejecerit, cum neque Lugdunenſi Anicienſique codici fidem abrogare tentaverit; neque, ſi maxime tentaſſet, potuiſſet tamen, cum Divionenſis alter codex auctoritatem alıis adjungat: aliam certe cauſam non video, præter indolem atque præjudicium profeſſæ ſectæ, impatienter ferentis, quæ ad eccleſiaſticarum perſonarum immunitatem faciunt. quam ob cauſam ad *l. 47. de Epiſc.* ea profudit in Valentinianum & Auguſtam matrem, alioſque immeritos, quæ, ut ab heterodoxo expectari queant, ſane tamen non decent juris, id eſt, æqui bonique interpretem.

Edictum Amatii PP. G. non extat.

Non extat, quod ſciam, edictum Amatii PP. Arelate propoſitum, niſi forte latet in archivo Eccleſiæ Arelatenſis, ex quo ſunt erutæ quædam, & ad cardinalem Baronium miſſæ, Zoſimi literæ de privilegiis Eccleſiæ Arelatenſis, &c. Hæ annalibus inſertæ ſunt, magno chronologiæ bono.

Tribus indiciis oſtenditur legem ad Valentinianum pertinere.

IMPP. THEODOSIUS ET VALENTINIANUS.] Etſi utriuſque Imperatoris de more nomen conſtitutio præferat, & primum quidem Theodoſii: ex tribus tamen conſtat ad Theodoſium non pertinere, quod nonnullis viſum; ſed ad Valentinianum. ex loco ſcilicet, unde data eſt; ex illuſtri viro, ad quem directa; & ex argumento ſeu dandæ cauſa. Data eſt Aquileiæ, quæ civitas ad occidentale Imperium pertinebat; ad

Præfectum P. Galliarum, qui ſuberat Occidentis moderatori; de Epiſcopis, qui verſabantur in Gallicanis regionibus, per Patroclum Arelatenſem conveniendis: ex his enim notis certo dignoſci ſolet, ad quem Imperatorem unaquæque lex ſpectet, etſi plurium nomen in fronte gerat; ſiquidem alter nunquam alterius negotiis ſe immiſceret, ſuis quilibet limitibus contentus. Quanquam leges, quæ in una parte Imperii ferebantur, mittebantur quoque ad alteram; ut ſi quando opus eſſet, ubique ſervarentur; & unitas Imperii in pluribus capitibus conſiſtentis oſtenderetur.

Vix ſexennem.

Cæsar.] Cum hæc conſtitutio Aquilegiæ data ſit VII. Id. Jul. Theodoſio XI. & Valentiniano Cæſare coſſ. id eſt, ann. 425. datam oportet a Valentiniano vix bene ſexenni, certe nondum Auguſto, ſed tantum Cæſare: natus eſt ſiquidem ann. 419. die 2. vel 3. Julii. Dictus a Theodoſio Conſtantinopoli nobiliſſimus, Honorio adhuc ſuperſtite, id eſt, ante diem 19. Auguſti ann. 423. qua fato functus eſt Honorius. Appellatus Cæſar anno conſequente, die 24. Octobris, Theſſalonicæ. Auguſtus denique renunciatus Romæ per Helionem officiorum Magiſtrum die 23. Octobris, cum ſeptennium ingreſſus eſſet. ex quibus aperte conficitur, editam nomine Valentiniani ſanctionem, Placidiæ matri Auguſtæ tribui debere.

Olympiodorus apud Photium cod. 80.

Quo in loco ſilere non poſſum, quod ſæpe miratus ſum, totius orbis Romani clavum tenuiſſe tunc temporis duas feminas, Pulcheriam Theodoſii ſororem, & Placidiam Valentiniani matrem, femineiſque imperiis, & forte ſtudiis ſerviiſſe Orientem Occidentemque, cum olim vix obedire vellet Conſtantinis & Theodoſiis Magnis.

Contentio inter duos eruditos viros, Sirmondum & Chifletium, de nomine Præfecti P. Galliarum.

Amacio.] Ita quidem Sirmondus, ſed repugnantem habuit Chifletium, in notis ad Ferrandum, ubi fretus auctoritate codicis Divionenſis, aſſeruit pro *Amacio*, reponendum, *Almachio*. Contendebat in contrarium Sirmondus, notis ad Chifletii locum manuſcriptis, Almachium eſſe vocem peregrinam, Amacium vero dictum pro Amachio ſive Amacho, quemadmodum Pammachium pro Pammacho. At id occupavit Chifletius, negans vocem Almachii ita peregrinam videri, quin mentio fiat in Martyrologio Romano Almachii martyris, imperante Honorio, Romæ paſſi Kal. Januarii; & Almachii Præfecti, ſub quo, temporibus Alexandri, Cæcilia martyrium fecit X. Kal. Decembris. Verum docet Baronius in notis ad Martyrologium, non Almachium, ſi qua fides Theodoreto, ſed Telemachum martyrem dici debere: acta vero Cæciliæ, ut pluribus ſcatent mendis, ſic in hac voce peccare potuerunt. Utut ſit, nolim ego tantos inter viros litem de uno nomine componere.

L. 5. hiſt. cap. 26.

Laudatus Gothofredus ob emendatam inſcriptionem duarum legum.

Gothofredus primam legis partem titulo *de Epiſcopis*; poſtremam titulo *de hæreticis* exhibuit, ut erat prius, datam Baſſo Comiti R. P. ſed ſimul admonuit erratum in his vocibus, *Comiti R. P.* quid enim continent leges, quod ad Comitem rerum privatarum ſpectet? Cenſuit igitur reponendum *Baſſo P P.* ad quem eodem anno datæ leguntur Ravennæ quatuor aliæ leges, nempe prima *de conductoribus & homin. domus Auguſtæ.* pridie Non. Martii, ultima *de libertis* III. Kal. April. ſeptima *de apoſtatis* VII. Id. April. & vigeſima octava *de Judæis* VI. Id. April.

Concordiæ modus inter pugnantes ſententias.

Quod ſi lex a Sirmondo edita trium complexio ſit a Valentiniano Cæſare Aquilegiæ datarum, prima Baſſo PP. directa dici poteſt VIII. Id. Octobris, tertia eidem VIII. Id. Auguſti, media Amacio PP. Galliarum VII. Id. Jul. eaque ratione iniri forte poterit concordia pugnantium opinionum.

De Patroclo Arelatenſi Epiſcopo.

Patroclum sacrosanctæ legis antistitem.] Arelatenſem Epiſcopum intelligit, qui ann. 412. ope Conſtantii, tunc magiſtri militum, poſtea Imperatoris, evectus eſt in ſedem Erotis. Pulſuſne fuerit jure, an injuria Eros, diſſentiunt auctores: nos adhæſimus ſummo pontifici Zoſimo, jure damnatum ſcribenti. Patroclus porro epiſcopatum tenuit annos ferme quatuordecim, a Zoſimo elatus, depreſſus a Bonifacio, donec juſſu Felicis magiſtri militum, occiſus a Tribuno barbaro ſedem reliquit Honorato ann. 426.

Quæ Gallicanæ regiones ſignificentur.

Gallicanis regionibus.] Dubitaverit aliquis, nec temere forſan, mea quidem ſententia, an his vocibus ſeptem dumtaxat provinciæ ſignificentur, quarum ſingulis annis apud Arelatem magnum concilium cogebatur, vocante Præfecto P. Galliarum: an aliæ etiam omnes, quæ præfecturæ ſuberant, ipſæ nempe Galliæ, Britanniæque & Hiſpaniæ. Omnes quidem ſignificari puto, ſed præſertim ſeptem provincias: regiones enim Gallicanæ, quando Principes ad Præfectum P. G. reſcribunt, tanta ſignificationis amplitudine accipiuntur, quanta ſolent ſuburbicariæ, cum decreta ad Præfectum U. mittuntur. Accipiuntur vero tunc temporis regiones ſuburbicariæ, quam late patet poteſtas Præfecti U. Ut in tota porro Galliarum diœceſi non vigebat forte malum, ſed prope Arelatem: ita remedium ad hanc præcipue partem ſpectare debuit.

Ex conſtit. Honorii ad Agricol. PP. G. ann. 418.

Conjectura de hoc toto negotio non omnino improbabilis.

Verum præterire non poſſum ſilentio, quod ſæpe mihi hiſtoriam hanc attentius contemplanti venit in mentem, Valentiniani ſcilicet decretum, ipſas quoque, vel in primis Britannias ſpectaſſe, quas Agricola Severiani Epiſcopi Pelagiani filius ſparſa hæreſi turbabat: quarumque plures Epiſcopos abduxerat a fide gratiæ Chriſti in nefandum Pelagiani erroris dogma.

Quidni enim, inquiebam, cum ea tempeſtate Britanniæ forent pars Gallicanarum regionum, ut ex notitia Imperii conſtat, atque ita regerentur poteſtate Præfecti P. G. de Britannicis Epiſcopis compeſcendis ad Præfectum G. Cæſar ſcripſiſſe credatur? Quidni Patroclus, jure antiquo Arelatenſis ſedis, in eos juſſus ſit eccleſiaſticum judicium exercere? Quidni hac occaſione coactum ſit magnum illud Gallicanum concilium, ex quo Germanus Lupuſque in Britannias legati ſunt, occiſo nempe Patroclo, & Honorato ipſius ſedem munuſque adepto? Quidni tandem conventio illa, cujus meminit Cæſar, nihil aliud fuerit, quam propoſitio canonum octo Africanorum ſubſcribendorum facienda Epiſcopis, per legatos a ſynodo mittendos? ſic enim Neſtorio delati ſunt a quatuor Epiſcopis legatis Alexandrinæ ſynodi anathematiſmi, cum epiſtola ſancti Cæleſtini, interminata depoſitionis pœna, niſi intra decimum diem, anathematiſmis ſubſcribens, a conſentiret Eccleſiæ catholicæ.

CONSTITUTIONES THEODOSII JUNIORIS ADVERSUS PELAGIANOS.

Duas ſanctiones edidit Theodoſius.

HUcusque tractatum eſt de conſtitutionibus, quas in cauſa Pelagiana condiderunt Occidentis Imperatores, Honorius, Conſtantius, & Valentinianus: videndum eſt deinceps de ſanctionibus duabus ab Orientis Imperatore Theodoſio editis; ſed illarum nihil ſupereſt, præter memoriam, eamque ſatis obſcuram.

Primæ meminit Cæleſtinus. 1. p. conc. Epheſ. cap. 18.

Meminit primæ ſanctus Cæleſtinus Neſtorio ſcribens in hæc verba: *Aliquantis diebus vitæ noſtræ, poſt nefandum & ſæpe damnatum dogma Pelagii atque Cæleſtii, catholica fides quietem habuit, quando eos cum ſuæ diſputationis ſequacibus, telo unitæ ſententiæ Occidens Orienſque percuſſit. Denique ſanctæ recordationis Atticus catholicæ magiſter fidei, & vere beato Joanni etiam ad iſta ſucceſſor, eos ita perſecutus eſt, pro rege communi, ut his ne ſtandi quidem copia illic præſtaretur.* Neque enim Epiſcopi expelli potuiſſent urbe regia, niſi ſtatutis eccleſiaſticis ſynodiſque auctoritas imperialis vim addidiſſet. Ea vero tempeſtate ſynodum ab Attico habitam fuiſſe, oſtendimus in diſſertatione de ſynodis.

Secundæ M. Mercator. In tit. Commonit.

Secundæ mentio paulo expreſſior eſt apud Mercatorem, qui poſtquam ſcripſiſſet, ſe ſuum Commonitorium de nomine Cæleſtii, non tantum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ſed etiam plurimis religioſiſſimis viris, ipſique principi Theodoſio obtuliſſe: *Per hoc,* inquit, *Commonitorium cognito funeſtiſſimo errore, imperiali præcepto tam Julianus defenſor & ſequax ejus, cum cæteris ſociis & participibus ſuis, quam poſtea idem Cæleſtius, de Conſtantinopolitana urbe detruſi ſunt.*

Utriuſque edendæ cauſa.

Utriuſque hiſtoria peti debet, partim ex diſſertatione de ſynodis; partim ex notis ad titulum Mariani Commonitorii: prior enim, poſt ſynodum ſecundam ab Attico in urbe regia ſuper ea re coactam, data eſt; poſteriori occaſionem fecit Commonitorium Mercatoris.

Utraque data Conſtantinopoli.

Utramque Conſtantinopoli datam ex eo certum eſt, quod tempore tum ſynodi ab Attico collectæ, tum oblati a Mercatore Commonitorii, id eſt, ann. 424. aut 425. & 429. legum chronologia Theodoſium demonſtrat, verſatum fuiſſe Conſtantinopoli. Nam conſulatu Victoris, quo conſignatur annus 424. datæ ſunt Conſtantinopoli lex 3. *de veſtibus oloveris*, lex 7. *de inoff. teſt.* lex 4. *de ſpect.* lex 1. cod. *de off. quæſt.* lex 5. *de conl. donat.* lex 15. *de metallis*, lex 33. *de annona & trib.* Datæ ſunt, Dionyſio & Florentio coſſ. id eſt, ann. 429. lex ult. cod. *de precib.* & lex ult. *de Judæis.*

Utraque ad Præfectum P. Orientis.

Ad quos ſingulæ miſſæ ſint, conjectura poſſumus aſſequi: cum enim Theodoſius junior omnia ſua decreta de rebus religioſis defendendis, & coërcendis religionis hoſtibus, nulli alteri ſolitus ſit, quam Præfecto P. dirigere, ut conſtat ex lege 18. *de Jud.* lege 48. & 49. *de hæret.* lege 21. *de Jud.* lege 6. & 7. *Ne ſanct. bapt. iteret.* lege ult. *de inceſt. nupt.* lege 22. *de Jud.* lege 57. *de hær.* lege 42. *de Epiſc.* lege 4. *Ne chriſtiana mancip.* lege 25. *de Jud.* lege 59. *de hær.* lege 26. *de Jud.* lege 5. *Ne chriſt. mancip.* lege 22. *de pag.* lege 27. *de Jud.* lege 23. & 24. *de pag.* lege 60. *de hær.* lege ult. *de pag.* lege unic. *Nemini lic. ſig. ſalvato.* lege 65. *de hær.* lege 4. 5. & 6. *de his qui ad Eccl.* lege unic. *de bon. cler. & monach.* lege 21. *de Epiſcopis*; cumque præfecturam Orientis geſſerit Aſclepiodotus, ann. 424. Florentius ann. 429. ut demonſtrant leges ad ipſos miſſæ, par eſt credere, ad eoſdem ſcriptas conſtitutiones, de quibus agitur.

Prima ad Aſclepiodotum; ſecunda ad Florentium.

Illuſtratur lex ultima de Judæis, & emendatur lex ultima de hæreticis.

Dixi omnia decreta de rebus religioſis, &c. nec tamen ignoro, quin lex ultima *de Judæis* ſit ad Joannem comitem S. L. & lex ultima *de hæreticis* ad Leontium P. V. ut vulgo legitur in codice Theodoſiano. Sed cum prior pertineat tantum ad colligendum aurum coronarium, non item ad rem ullam religioſam; cumque in legem poſteriorem manifeſtus error, in vulgatis editionibus codicis, irrepſerit, hoc enim anno Leontius procul dubio præfectura Prætorii fungebatur; nullum ex alterutra lege præjudicium dicto fieri poteſt.

Ex hac autem animadverſione colligo, ſuas etiam forum civile, quemadmodum & eccleſiaſticum, habuiſſe tunc temporis cauſas quaſdam religionis majores, quæ ad ſupremum, poſt Imperatorem, judicium ſeu tribunal deferrentur: nam Præfecti P. ſumma fuit poſt Imperatorem auctoritas.

Prior pertinet ad initium anni 425. poſterior ad finem anni 429. Videnotas ad titulum Commonit.

Menſis & dies penitus latent, niſi quod poſterior ad finem anni 429. prior ad initium anni 425. attinere videtur: data eſt enim illa poſt oblatum Imperatori Commonitorium, id eſt, inclinante anno 429. iſta vero anteceſſit aliquot menſibus obitum Attici, qui contigit die 10. Octobris ann. 425. quemadmodum in diſſertatione de ſynodis confectum eſt.

Neutra in codicem Juſtinianæum relata eſt a Triboniano, & qua de cauſa.

Neutrius pars ulla in codicem Juſtinianæum relata eſt, partim quia utraque temporaria Triboniano viſa eſt; partim quod Juſtiniani temporibus vix ullæ reliquiæ Cæleſtiani erroris in Oriente ſupereſſent; vel ſi quæ manerent, inter hæreſes noxias, tum ſectatorum paucitate, tum maxime Orientalium multorum opinione contemnerentur. Opinione, inquam, multorum Orientalium, nec enim alte mentibus omnium inſederat fides catholica peccati originalis: imo fuerunt, qui ejuſmodi aſſertionem aliquid habere Origeniani veneni putarent, propter inſcitiam, qua non ſatis traductionem peccati a commiſſione diſtinguere noverant, neminemque credebant dici poſſe reum naſci, niſi cujus animus ſua voluntate prius peccaſſet, quam laberetur in corpus.

Photius ſuſpectus erroris Cæleſtiani. Cod. 177.

Certe Photius eo loci, ubi reprehendit Theodori Mopſueſteni reſponſiones ad argumenta defendentium peccatum originale, non procul recedit a Theodori ipſius opinione: ſiquidem alias tradit eſſe rationes diſſolvendi argumentum, a baptiſmo infantium pro peccato originali petitum, quam quibus Theodorus uſus eſſet. Sic enim loquitur: *Sed fortaſſe ne ipſe quidem volens huc deductus eſt, tantumque, ut dubios ſic quærentium nodos diſſolvat: Quare pueri ſanctiſſimis myſteriis communicant? Cur baptiſmate digni judicantur, niſi quia & ipſi peccatis abundant, inſita jam in naturam ipſam peccata, in peccatorum enim hæc remiſſionem conferuntur? Verum oportebat, & illam dubitationem, multas alioqui habentem diſſolvendi vias, alio modo diſſolvere, abſur diſque illis, quæ ad ipſius peccatorum remiſſionem conſequuntur, conſideratis, nihil ejuſmodi prodigioſe confingere,* &c.

DISSERTATIO IV.
DE
SUBSCRIPTIONIBUS
EXACTIS IN CAUSA PELAGIANORUM.

Common. c. 3. In hæc verba Marii Mercatoris: *Julianus & reliqui complices ſubſcribere detrectantes, non ſolum imperialibus legibus, ſed & ſacerdotalibus ſtatutis depoſiti atque exauctorati, & omni Italia deturbati ſunt.*

Tranſitus a poſterioribus duabus diſſertationibus ad hanc quartam.

Hactenus ſupremas poteſtates duas, eccleſiaſticam & imperatoriam, conjunctas vidimus in excidium unius erroris, illam in ſynodis, iſtam in ſanctionibus Eccleſiæ judicium ſecutis: oportet deinceps oſtendere, quis fuerit communis ille conatus, communiſque modus adhibitus, ad præſtandum efficaciter, quod prudenter in Eccleſia & in aula deliberatum fuerat. Nullus vero fuit alius, ſi Mercatori credimus, cui Auguſtinus Poſſidiuſque ac Proſper aſtipulantur, quam quod imperata eſt ſubſcriptio facienda decretis Eccleſiæ Pelagium Cæleſtiumque & reliquos ejuſdem impietatis defenſores damnantis. De ſubſcriptione hujuſcemodi in cauſa Pelagianorum exacta futura eſt quarta hæc diſſertatio, qua illuſtrari poſtulant non allata ſolum Mercatoris verba ex Commonitorio, ſed alia paſſim in libro Subnotationum obvia.

CAPUT I.

Quæ cauſa & ratio diſſertationis de ſubſcriptionibus exactis in cauſa Pelagianorum.

Pertinacia incredibilis.

Nulla fuit hæreſis, quod jam dictum plus ſemel, aut pertinacior, quam Pelagiana; aut quæ obſtinatius & artificioſius reſtiterit adverſus Eccleſiæ decreta, atque Imperatorum ſanctiones. Videri potuit cognata morbis, qui remediis augentur; vel graminum ſimilis, quæ exciſa ſoboleſcunt, & exuſta ſuis cineribus ſeruntur.

Cæleſtii. *Concil. Carthag. & Aug. paſſim.*

Pertractus fuerat Cæleſtius ad epiſcopale judicium Aurelii Carthaginenſis, in eoque communione privatus, donec errores ſuos damnaret; ſed hæreticus apprime eruditus fori artibus, ſententiam Epiſcopi, obtenta ſedis apoſtolicæ appellatione, quam proſequi non habebat in animo, declinavit, interimque latius diſſeminavit hæreſim, profugiens ipſe quidem in Aſiam, ſed per ſuos Carthagine relictos, Africam, obnitente licet Auguſtino, vix non pervertens.

Pelagii. *Aug. lib. de grat. Chriſti.*

Pelagius Dioſpolim vocatus ad Epiſcoporum concilium, venit certus fallendi Patres, quibuſcunque poſſet dolis; ideoque damnavit omnia, quæ objiciebantur, metuens alioquin damnationis. Cumque verbis ambiguis caput ſuum anathemati ſubduxiſſet, ſub ementita ſpecie catholici, ſecurius poſtea pernicioſiuſque docuiſſet, niſi Theodotus in Oriente, coacta ſynodo, Auguſtinus ex Occidente, miſſis libris obſtitiſſet.

Utriuſque. *Aug. ſerm. 2. de verbis Apoſtoli, &c.*

Uterque a ſede apoſtolica, cui præerat Innocentius I. duobus Africæ conciliis referentibus, damnatus erat; reſcripta venerant Roma in Africam; cauſaque finita erat, ſi jure ageretur: non eſt tamen finitus error, ſed compreſſus tantum; & ita quidem leviter, ut poſtquam latuit tantiſper, quaſi ad reficiendas vires, tanto pluribus, dum obſcure ſerpit, probatus ſit, quanto audacius auctores ipſius jurarent, ſe ſolo inimicorum odio potentiaque opprimi.

Aug. lib. 2. ad Bonifacium, &c.

Cum ambo rurſus, poſt obitum Innocentii, mendacibus libellis pene obtinuiſſent a Zoſimo, ut ſua cauſa retractaretur; imo ut catholici, rejecto in adverſarios crimine, dicerentur: Patres Africani retulerunt iterum ad ſummum Pontificem de re tota; & ille certior factus, homines cum ſuis erroribus toto orbe proſcripſit.

Potuit tunc videri penitus proſtrata hæreſis, ſed inde tamen altius extulit caput; adeo ut quæ, in hunc uſque diem, per duos homines, certe perobſcuros, muſſitabat, auſa ſit octodecim Epiſcoporum ore loqui in Italia, omneſque catholicos infando nomine Manichæos liberius appellare, fideique defenſores laxatæ morum licentiæ reos facere.

Quæſitum eſt remedium par tanto malo, nec aliud ab Auguſtino, aliiſque zelo Dei ardentibus inveniri potuit, quam ſi exigeretur ab omnibus, non Epiſcopis tantum, & presbyteris; ſed etiam minoribus clericis, imo & laicis, quorum fides in ſuſpicionem veniſſet, ut plane aperteque ſubſcriberent factæ ab Eccleſia damnationi hæreſis, auctorumque ſimul, qui hanc in vulgis ſparſiſſent: ſic enim viſum eſt occurri poſſe malignis artibus hominum, qui modo verbis ambiguis ſua dogmata diſſimulabant, modo dogmatum auctores per ſolam ſubreptionem damnatos eſſe jactabant. — Infringendæ remedium ſubſcriptio. — *Neſtor. epiſt. 1. ad S. Cæleſtin.*

Tunc primum, opinor, contigit, ut conjuncta Eccleſiæ Imperatorumque auctoritate, mandaretur omnibus cujuſcunque ordinis fidelibus, ut definitioni ſedis apoſtolicæ, ſic tanquam communi Eccleſiæ doctrinæ, certæque fidei regulæ, &, ut loquitur putatus Proſper, AUCTORITATI REGULARI, ſubſcriberent; eaque ratione ſuam ita probarent fidem, ut legitimi Eccleſiæ filii a ſuppoſititiis latere volentibus in turba, id eſt, filii lucis a filiis tenebrarum, diſcernerentur. — Imperata tunc primum omnibus. — *In append. ep. Cæleſtini ad Epiſc. Gall.*

Totum hoc negotium peractum eſt quinto ſæculo, quo nullum fuit doctius, nullum diſciplinæ eccleſiaſticæ obſervantius, ideoque in illud ego exiſtimavi diligentiore cura inquirendum; non tantum ut illuſtrarentur verba Mercatoris, quæ adduxi; ſed etiam ut — Qua occaſione de hoc argumento tractandum.

pa-

patefactis iis, quæ tunc geſta ſunt a viris omnium, qui unquam fuere, ſanctiſſimis juxta, & rerum eccleſiaſticarum peritiſſimis, obſtruatur os loquentium iniqua, & noſtram in eo ætatem accuſantium, in quo majorum leges & exempla ſectatur.

Et quo modo. Idoneus autem, meo quidem judicio, futurus eſt inquirendi modus, ſi ſecundo deinceps capite explicetur, quid nomine ſubſcriptionis in hac re intelligatur, quæ ipſius cauſæ, quæ utilitas, &c. Tertio, quæ tanta hujus remedii neceſſitas adverſus hæreſim Pelagianam. Quarto, quorum damnationi ſubſcribi mandatum ſit, an dogmatum tantum, an etiam auctorum. Quinto, an homines illi, quorum damnatio ſubſcribebatur, faterentur ſe ea ſentire, quæ objiciebantur. Sexto, quæ fuerit, & a quo præſcripta formula fidei ſubſcribenda. Septimo, qua auctoritate lex ſubſcribendi lata ſit, an ſola ſacerdotali, an imperiali quoque. Octavo, quibus imperata ſit ſubſcriptio, an ſolis Epiſcopis, an aliis etiam de clero, imo & de plebe; & quæ pœna ſubſcribere abnuentibus ſtatuta. Nono, quid recuſantes cauſarentur, & quam in partem accepta ſit recuſantum exceptio. Decimo, quibus aliis artibus uſi ſint ad tergiverſandum, & quid ad tergiverſandi cauſas reſponſi datum a Patribus. Undecimo, quomodo actum deinceps cum pertinacibus, & qua indulgentia reſipiſcentes ab Eccleſia excepti ſint.

Porro autem poſt inquiſitionem factam, referendum putavi, non quid ego argumentatione confecerim ex dictis Patrum, ſed quid ſuis ipſi verbis ſint locuti: ſic enim mihi viſa eſt legentium ſententia tanto verior liberiorque futura, quanto minus præjudicii allatum fuerit.

Verum ea ratio me coëgit, non tantum prolixiora ſæpe teſtimonia adducere, ſed etiam aliquando eadem repetere diverſis capitibus: quod utrumque videri forte cuipiam faſtidioſo poſſit otioſum atque ſuperfluum. Sed ſine prolixitate iſta latuiſſet omnino mens auctorum: & ea eſt, tum rerum, quæ tractantur, tum teſtimoniorum conditio, ut neque illæ conjungi potuerint, ſine confuſionis vitio; neque iſtorum partes disjungi debuerint, ſine diſpendio claritatis.

CAPUT II.

Quid nomine ſubſcriptionis intelligatur, quæ ipſius cauſæ, quæ virtutes, atque utilitates.

Quæ notio ſubſcriptionis in hoc negotio. SUBSCRIPTIONIS nomine intelligitur cautio, vel, ut ait ſanctus Leo, ſatisfactio ſcripto data, qua quis ſecundum præſcriptam formulam, aperta ſinceraque profeſſione, teſtetur, Eccleſiæ ſe judicium ſuper aliqua re, ut decet filium unitatis amantem, obedienter recipere, & fideliter amplecti.

Quis finis. Ex hac notione colligere eſt, ſubſcriptionis exigendæ finem, quem oſtendiſſe videtur Apoſtolus, cum ſcriberet ad Corinthios contentionum paulo amantiores, nimirum, *ut omnes* unius matris filii *id ipſum dicant, nec ſint ſchiſmata* in domo pacis, *ſed ſinguli potius perfecti ſint, in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* 1. Cor. 1. v. 11. Cum enim nihil ſit optabilius Eccleſiæ, quam pax domeſtica; nec pax illa ſit aliud, quam conſenſio voluntatum; nec voluntates conſentire ſoleant, ubi mentes diſſentiunt, id maxime contendit Eccleſia, ut *omnes* ſui filii *id ipſum ſapiant, Deuſque pacis atque dilectionis inter eos habitet.* Ibidem. Illa igitur, quoties diſſentiendi cauſas, ſic tanquam zizania, ſerit inimicus Chriſti, vocat continuo omnes filios ad ſibi, atque adeo inter ſe, conſentiendum; renuentes cogit, ſuſpectam ſuam aut fidem aut obedientiam teſtimonio publico approbare: ut vel ipſi arguantur ſuo chirographo, ſi poſtea velint contradicere; vel ſi chirographum præbere noluerint, diſcernantur, & tanquam divinæ fidei paciſque publicæ turbatores vitentur.

Quæ forma. Colligere quoque eſt, quæ debeat eſſe ſubſcribendi forma: ea nempe, quam non ſuo quiſque arbitrio ſibi fingat, ſed quam Eccleſia præſcribat. ipſius enim eſt præſcribere formam, qua fides probetur, cujus intereſt probari fidem prout oportet. Et vero, cum ſubſcriptio nihil aliud ſit, quam modus quidam præſtandæ erga ſuperiorem, ſive ſatisfactionis, ſive obedientiæ, ſive ſubmiſſionis, atque conſenſionis, abſurdum eſt inferiorem ad arbitrium ſuum, vel ſatisfacere, vel obedire ſuperiori; abſurdum quoque, filium ſibi facere legem ſubmittendi ſeſe matri, eique conſentiendi.

Quæ materia, an dogmata ſolum, an quodlibet Eccleſiæ judicium. Jam vero ſubſcriptionis materia, etſi eſt per ſe definitio dogmatum, eſt tamen aliquando quælibet alia judicantis Eccleſiæ ſententia. Nam licet fides ſit vinculum illud quaſi ἑνώσεως, quo Eccleſiæ filii colligantur in unum corpus; hujuſce tamen corporis pax, quæ fraterna caritate continetur, perturbatur facile, quoties vel non omnes conveniunt in unam cum capite ſententiam, vel non inter ſe concordant. Ut enim contentiones numquam ſine animorum commotionibus exiſtunt: ita ſemper ex magnis animorum commotionibus ſchiſmata oriuntur.

Quibus imperari poſſit. Ex his porro liquido patet, qui poſſint ab Eccleſia ſubſcribendi præcepto cogi: omnes nimirum, qui filiorum hujuſce matris nomine cenſentur, ſi quando ipſorum diſſenſio qualecunque ſcandalum pariat. omnes dico, cujuſcumque ſint ordinis atque conditionis. Æſtimare vero, quæ idonea ſit, ſive ex eventu, ſive ex metu ſcandali parta cauſa utendi hoc præcepto, ad ſolam Eccleſiam pertinet; quæ, prout a Spiritu ſancto edocta fuit, aliter aliis temporibus hac ſibi a Deo conceſſa poteſtate uſa eſt, pluresque modo, modo pauciores fidelium ordines ad ſubſcribendum obſtrinxit.

A quo poſſit imperari. Patet quoque, non Eccleſiæ tantum decretis, ſed etiam imperialibus edictis, eos, quorum intereſt ſententiam eſſe perſpectam, cogi poſſe ad ſubſcribendum præſcriptæ formulæ. Nam cum pauci amore juſtitiæ ducantur, plures timore pœnæ, cumque inter pœnas duum generum, ſpirituales minus terreant obſtinatos quam corporales, non tantum adhibendæ ſunt Eccleſiæ definitiones, quæ juſtis dirigendis ſufficiant; ſed etiam intentandæ pœnæ utriuſque generis, quæ improbis abſterrendis pares ſint.

Quæ ipſius virtutes. Eget autem ſubſcriptio tribus virtutibus, claritate, ſinceritate, & plenitudine, ut expetitum finem conſequatur. Unde ſanctus Leo ad Nicetam de Pelagianis ſcribens: *Damnent*, inquit, *apertis profeſſionibus ſui ſuperbi erroris auctores, & quidquid in doctrina eorum univerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur, omniaque decreta ſynodalia, quæ ad exciſionem hujus hæreſeos apoſtolicæ ſedis confirmavit auctoritas, amplecti ſe, & in omnibus approbare, plenis, & apertis, ac propria manu ſubſcriptis proteſtationibus eloquantur; nihil in verbis eorum obſcurum, nihil inveniatur ambiguum*, &c. Epiſt. 86.

Quæ utilitas, aut etiam neceſſitas. Denique experientia docuit, non utile tantum fuiſſe, atque opportunum hoc remedium, ſed etiam neceſſarium aliquando, & tunc maxime, cum extirpanda fuit pertinax quædam hæreſis, quæ fraude magis obreperet, quam manifeſta audacia graſſaretur.

Solet autem ita obrepere, cum impia dogmata occulte tradunt homines, ſpecie quidem pii, ſed qui, verbis ad fallendum compoſitis, aliud palam, aliud in receſſu eloquantur; cum, traductis apud ineruditos ſub hæreticorum nomine catholicis, veritas perſonarum invidia laborat; cum erroris defenſores apertam non faciunt ab Eccleſia diſceſſionem, ſed latere ſtudent per-

mixti

mixti fidelibus, ut certius noceant; cum homines illi, ſi fuerint ejecti Eccleſia, maligna hypocriſi, pœnitentiam, pro temporibus & locis, mentiuntur, & per inſidioſas vocum ambages, conantur imponere ipſiſmet paſtoribus, &c.

Tunc enim oportet, & impia dogmata cum ſuis auctoribus in publicum proferre, ut dignoſcantur; & veritatis catholicæ defenſores a calumnia vindicare, ut pro fide pugnent efficacius; & ejicere ex ovili lupos, ne perdant oves; & mendaces ſuo chirographo tenere, ut vel corrigantur, ſublata ſpe mentiendi, vel ſuo teſtimonio convincantur, ſi redeant ad errorem.

Conſtans vero Eccleſiæ uſus probat, ea, quæ diximus, vix ac ne vix quidem, præſtari poſſe, niſi homines hujuſmodi, ut loquitur ſanctus Leo, *quæ ad excisionem hæreſis, apoſtolicæ ſedis confirmavit auctoritas, amplecti ſe, & in omnibus approbare, plenis & apertis ac propria manu ſubſcriptis proteſtationibus eloquantur.*

Epiſt. xxix. ſecunda.

C A P U T III.

Quanta fuerit neceſſitas exigendi ſubſcriptiones in cauſa Pelagianorum.

Neceſſitas exigendæ ſubſcriptionis, pertinacia hæreſis.

NECESSITAS igitur adhibendi, ad extirpandas hæreſes, ſubſcriptionum remedii, orta eſt aliquando ex nimia hæreticorum pertinacia, qua nimirum fiebat, ut communibus remediis malum non modo non cederet, ſed majus evaderet. Fuit vero Pelagiana hæreſis præ cæteris eo uſque pertinax, ut vix unquam ceſſerit utriuſque poteſtatis viribus etiam conjunctis.

Pertinaciæ quatuor cauſæ.

Tantæ pertinaciæ Patres non aliunde cauſas repetendas putarunt, quam ex modo, quo vel crevit, vel ſe adverſus Eccleſiæ damnationes defendit. Crevit, inquam, partim ſuis quaſi propriis augmentis, partim rei catholicæ detrimentis: nam & artes adhibuit, quibus invaleſceret ipſa per ſe, & iniquam in catholicos doctores ſtruxit calumniam, qua veritatem aliena invidia oneraret. Jam vero duobus ſe modis, maligne quidem, ſed efficaciter, adverſus Eccleſiæ damnationem tutata eſt: nam Pelagiani diſceſſionem ſponte nunquam fecerunt, ſed permixti fidelibus latere conati ſunt. Si autem aliquando deprehenſi ſint, domoque pacis tanquam perturbatores ejecti, tunc pœnitentiam ementiti, ſubrependo ad communionem redierunt: atque ita quatuor omnino cauſas pertinacia tanta habuiſſe merito videtur, artes ſcilicet ſpargendi ſeſe, calumniandi catholicis, retinendæ in ſpeciem communionis, & ſimulandæ pœnitentiæ.

Qua ratione tractandum de ſingulis.

Has autem cauſas operæ pretium eſt, explicare ſimul & comprobare ſingulas verbis ipſis Patrum quinti ſæculi. Nec enim alii videntur adducendi, ni forte unus aut alter, ſed ex occaſione tantum, & qui de quinti ſæculi hominibus aliquid retulerit: qui vero adducentur non aliter quam ſuis verbis teſtimonium dicere ſinentur, ut tota hæc diſſertatio ſit potius quæſtio facti, quam rationum conteotioſa agitatio.

§. I. *Prima cauſa, cur tam pertinax fuerit hæreſis Pelagiana, ars ſpargendi ſe atque dilatandi.*

Modi novem quibus hæreſes ſolent latius creſcere & pertinacius hærere.

NUNQUAM hæreſis altiores agit radices, obſtinatiuſque hæret mentibus, & latius ſerpit in populos, quam cum occulte traditur, verbis ambiguis, per pios in ſpeciem homines, diſertis ſermonibus, miſſis in provincias ad fidos epiſtolis, cumque nomine Epiſcoporum plurium, potentum gratia, feminarum artibus, præſertim nobilium, eleemoſynarum largitione ſpargitur. Habet enim tunc ab occulta traditione, ut lateat dum occulte ſerpit: a pietate & fama auctorum, ut animis ineruditis potentius illudat: a ſermonis elegantia, & novitate doctrinæ, ut illecebroſius placeat: ab Epiſcoporum nomine, & potentum gratia, ut religioſis reverentiam, meticuloſis terrorem incutiat: a fœminarum artibus, ut blandiendo irrepat: ab eleemoſynarum largitionibus, ut accipientum animos pene juſta ſervitute ſibi mancipet; iſtis vero artibus natura nihil potentius fecit ad homines fallendos illiciendoſque; nihil tenacius ad vinciendos & retinendos ſub ſpontaneo quodam ineluctabili ſervitutis jugo: mirum igitur videri non debet, ſi Pelagiana hæreſis tam pertinaciter obſtinata fuerit, ſiquidem modorum novem nullum non adhibuit, tanto pernicioſius in rem Eccleſiæ, quanto efficacius in ſuam.

Omnibus crevit hæreſis Pelagiana.

Nam OCCULTE PRIMUM TRADITA EST. Hieronymus. *Hæreſis cœpit reviviſcere, & non ſolum in Occidentis, ſed etiam in Orientis partibus ſibilare, & in quibuſdam inſulis, præcipueque Siciliæ & Rhodi, maculare pleroſque, & creſcere per dies ſingulos, dum ſecreto docent, & publice negant*, &c.

Præfat. lib. 4. in Hieremiam.

Marius Mercator. *Quæſtio contra catholicam fidem, apud nonnullos Syrorum & præcipue in Cilicia, a Theodoro quondam Epiſcopo oppidi Mopſueſtenſi jam dudum mota, nunc uſque penes paucos eorum admodum occulte traditur, nec ea palam prefertur*, &c.

Præfat. I. Subnotationum.

Auguſtinus. *Occultius penetrant domos, & quod in aperto clamare metuunt, in ſecreto ſeminare non quieſcunt.* Et alio in loco: *Fuerant apud nos, qui ubicumque poterant, hæc ſui erroris nova ſemina ſpargerent ∴ ſed jam occulte muſſitant ∴ plures ſunt, quam ſperare poſſumus; & ubi non redarguuntur, etiam alios ad ſuam ſectam ſeducunt, & ſic crebreſcunt, ut neſciam, quo ſint erupturi.*

Epiſt. 105 ad Sextum.
Epiſt. 89. ad Hilarium.

Eo certe pertinent, quæ habet Vincentius Lirinenſis. *Quid promittentes exciderunt, niſi novam neſcio quam, ignoratamque doctrinam? Audias etenim quoſdam ipſorum dicere: Venite, o inſipientes, & miſeri, qui vulgo catholici vocitamini, & diſcite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis ante ſæculis latuit, nuper vero revelata & oſtenſa eſt; ſed diſcite furtim atque ſecretim, delectabit enim vos. Et item cum didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat, ne Eccleſia ſciat; paucis namque conceſſum eſt, tanti myſterii capere ſecretum*, &c.

In Commonitorio.

VERBIS AMBIGUIS. quæ nempe varios io ſenſus pro tempore & loco commutabilia forent, & in utramque partem verſanda. Hieronymus. *Noſti quid intrinſecus diſcipulos tuos doceas, aliud ore commemorans, & aliud celans conſcientia, nobiſque alienis & indoctis loqueris per parabolas; tuis autem myſteria confiteris, & hoc juxta ſcripturam te facere jactas, quia dictum eſt;* Turbis Jesus in parabolis loquebatur; *& ad diſcipulos in domo dicit:* Vobis datum eſt ſcire myſteria regni cœlorum, illis autem non eſt datum. Et poſtea: *Eunomiani, Ariani, Macedoniani, nominibus ſeparati, impietate concordes, nullum nobis laborem faciunt; loquuntur enim* QUOD SENTIUNT. *Sola hæc hæreſis eſt, quæ publice erubeſcit loqui, quod ſecreto docere non metuit: magiſtrorum ſilentia profert rabies diſcipulorum*, &c. *Ideo crevit veſtra hæreſis, & decepiſtis plurimos, maximeque eos, qui adhærent mulieribus, & ſciunt ſe peccare non poſſe, quia ſemper docetis, & ſemper negatis.*

Epiſt. ad Creſiphontem adv. Pelagianos?
Matth. 24. v. 34.
Ibid. 13. v. 11.

Auguſtinus. *Quid enim vobis prodeſt, quod neſcio quas anſas, atque uncos, arte neſcio cujus perplexitatis, innectitis, ne ſimplicia pateant, & clara luceant. His nebulis illud judicium Dioſpolitanum ſe putat illuſiſſe Pelagius, voſque ad hoc nefas toto capite annuitis, & tot ab illo Epiſcopos irriſos eſſe ridetis.*

Lib. 1. adverſus Julian. cap. 5.

Sanctus Innocentius. *Omnibus, quod profit, una decernendum eſſe ducitis, ut ſuis conſtabilita regulis Eccleſia, & juſto firmata decreto, talibus patere non poſſit, qui perverſis inſtructi, imo deſtructi, verborum argutiis, ſub imagine catholicæ fidei diſputantes, velut peſtiferum exhalant virus; ut hominum recte ſentientium corda per-*

Epiſt. decretal. ad Patres Carthag. concilii.
Ibidem cap. 6.

da perrumpant, totamque veri dogmatis quærant evertere diſciplinam.

Et certe quæ poteſt eſſe confeſſio gratiæ magis in ſpeciem catholica, quam iſta? Dei eſſe quod poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare. [*Lib. de gratia Chriſti cap. 6.*] Hanc poſſibilitatem a Deo collatam indigere ſemper auxilio Dei, qui nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœleſtis illuminet, atque oculos cordis noſtri aperiat. [*Ibid. cap. 3.*] Hujuſmodi gratiam dari ad ſingulos actus, non tamen ſecundum merita. [*Ibid. cap. 35.*] Sine ipſa nihil boni fieri poſſe. Per ipſam Spiritum ſanctum illabi in corda noſtra, & operari in nobis ipſum velle, quod bonum eſt; ipſum velle, quod [*Ibid. cap. 10.*] ſanctum eſt.

Hæc omnia confeſſus eſt Pelagius, non tamen catholico [*Ibid. cap. 41.*] ſenſu, *ſed ſubdole, cum hanc ambiguitatem verborum diſcipulis ſic potuerit exponere, ut nullum auxilium gratiæ crederet, quo naturæ poſſibilitas adjuvetur, niſi in lege atque doctrina*, ut ait Auguſtinus.

Quæ item peccati originalis profeſſio expreſſior videri [*Lib. de pec. orig. cap. 12.*] poſſit quam iſta? Adæ peccatum non ſolum ipſum læſiſſe, ſed etiam totum genus humanum. Infantes [*Ibid. cap. 17.*] non in eo ſtatu naſci, quo fuit Adamus ante prævaricationem. [*Jul. l. 2. part.*] Omnibus ætatibus neceſſarium eſſe baptiſmum, ideoque veniam peccatorum ac regnum cœlorum neminem invenire poſſe, niſi qui baptiſmum [*Apud Aug. op. 56.*] fuerit conſecutus. Infantes ipſos egere redemptione Chriſti: iiſdem ſacramenti verbis debere baptizari, [*Lib. de pecc. orig. cap. 5.*] quibus majores. Imo baptizari in remiſſionem peccatorum, ſecundum regulam univerſalis Eccleſiæ.

[*Ibid. cap. 5.*] Hac confeſſione Pelagius ſuffuratus eſt abſolutionem, [*Ibid. cap. 18.*] *& tamen latebris ambiguitatis falſitati præparabat perfugia, effundendo caliginem veritati*, ut ait Auguſtinus.

[*Epiſt. 120. c. 37.*] AB HOMINIBUS IN SPECIEM PIIS. Auguſtinus. *Nec tales ſunt, quos facile contemnas; ſed continenter viventes, atque in bonis operibus laudabiliter verſantes.*

[*Lib. 3. de pecc. meritis & remiſſ. c. 1. & 3.*] Et vero Pelagius creditus eſt, dictuſque ab ipſomet Auguſtino, cum primum ſpargeret errorem, *vir bonus, ac prædicandus*, imo *ſanctus, & egregie, nec parvo provectu chriſtianus.*

Unde Zoſimus vehementer accuſat Erotem & Lazarum, quod Pelagium *laicum virum ad bonam frugem, longa erga Deum ſervitute nitentem, falſis literis percellere voluiſſent.*

Ad hanc ſpeciem pietatis effingendam, proderat plurimum, tam arctam morum diſciplinam tradere, ut ipſa quoque Chriſti conſilia in præcepta perverterent: docebat enim Pelagius, *non debere omnino jurari. Gloriam veſtium & ornamentorum Deo eſſe contrariam. Chriſtianum debere eſſe illius patientiæ, ut ſi quis ſua auferre voluerit, gratanter amittat. Servum Dei nihil amarum de ore ſuo, ſed ſemper, quod dulce & ſuave, debere proferre. Sacerdotem ſive doctorem omnes actus ſpeculari debere, & fiducialiter audenterque omnes corripere. Inimicos, ut proximos, diligendos. Divitem viventem in divitiis ſuis regnum Dei non poſſe ingredi, niſi omnia ſua vendiderit; nec prodeſſe eidem, ſi forte in ipſis divitiis mandata fecerit*, &c. [*Hieronym. dialogo 1. adverſus Pelag. & libro capitulorum Pelagii.*] [*Hilarius Syracuſ. ad Auguſt. ep. 88. & Auguſt. ad Hilarium ep. 89. & alibi paſſim.*] Unde Auguſtinus ep. 89. *Proinde iſti deſinant contra ſcripturas loqui, & in ſuis exhortationibus ad majora ſic excitent, ut minora non damnent. non enim & ſanctam virginitatem aliter exhortando perſuadere poſſunt, niſi conjugalia vincula damnaverint.* Et paulo poſt: *Quando iſti talia dicere prohibentur, ab eis qui hoc Domini conſilium non ceperunt, reſpondent, ista ſe diſputari nolle, quoniam vitiis ſuis favent, & dominica præcepta implere detrectant.*

[*Epiſt. 7. quæ eſt ad Epiſcopos per Picenum.*] DISERTO SERMONE. Gelaſius. *Pelagium, Cæleſtium, Julianum, cæteroſque complures oratoriæ facundiæ vires in hac aſſertione probavimus convictos, & tam eccleſiaſticis conſtitutis, quam imperialibus percuſſos fuiſſe præceptis.*

[*Epiſt. 143.*] Neque vero quidquam illa ætate ſcriptum eſt diſertius; vel epiſtola Pelagii ad Demetriadem, de qua Auguſtinus ad Julianam Demetriadis matrem: *Satis dici non poteſt, quantum cupiamus, eorum hominum ſcriptis, quæ propter acrimoniam, atque facundiam leguntur a plurimis, apertam confeſſionem illius gratiæ contineri, quam commendat Apoſtolus*, &c.

Vel libris Juliani, quos cautiſſime legendos monet Beda, *ne per captam eloquentiæ blandientis lector in cænum incidat doctrinæ nocentis.* [*Præf. in Cant.*]

Vel ſcriptis Cæleſtii, qui cum ex auditoriali ſcholaſtico factus eſſet *Pelagii armiger, imo poſtea totius agminis ductor*, non immerito videri poteſt, *acerrimum*, quod a natura acceperat, *ingenium*, quodque fori artibus erudierat, ad hæreſim *in aureo*, ut loquitur Hieronymus, *Babylonis poculo* novitatis amatoribus propinandam convertiſſe. [*Hieronym. ep. ad Cteſiphontem.*] [*Auguſt. lib. 2. ad Boniſac. c. 3.*]

Vel Anniani verſionibus, de quo Hieronymus. *Quæritis utrum ſcripſerim contra libros Anniani pſeudodiaconi Celedenſis, qui copioſiſſime paſcitur, ut alienæ blaſphemiæ verba frivola ſubminiſtret*, &c. *in eodem luto hæſitat, &, exceptis verbis tinnulis atque emendicatis, nihil aliud loquitur.* [*Epiſt. 79. apud Hieronym. 24 inter Auguſtinianas.*]

EPISTOLIS IN PROVINCIAS MISSIS, iiſque per fidos homines ſummiſſis, ad ſollicitandos ſimpliciorum animos. Hieronymus. *Epiſtolæ biblinæ volitant trans flumina Æthiopiæ*, &c. Et alio in loco: *Mittit in univerſum orbem epiſtolas biblinas, prius auriferas, nunc maledicas, & patientiam noſtram de humilitate Chriſti venientem, malæ conſcientiæ ſignum interpretatur, ipſeque mutus latrat per Albinum canem.* [*Dial. 1. adverſus Pelag.*] [*Præfat. in 3. librum in Hieremiam.*] Et in comment. Hier. ad hæc verba, cap. 23. Propterea hæc dicit Dominus exercituum ad Prophetas, &c. *Utamur hoc teſtimonio adverſus eos, qui epiſtolas plenas mendaciorum, & fraudulentiæ atque perjurii in orbem dirigunt, ut & aures polluant audientium, & exiſtimationem ſimplicium lædant, quod impleatur in eis hoc quod ſcriptum eſt*: A Prophetis Jeruſalem egreſſa eſt pollutio in omnem terram. *Non enim eis ſufficit iniquitatem propriam devorare, & proximos lædere; ſed quos ſemel oderint, per univerſum orbem infamare conantur, & ubique ſeminare blaſphemias.*

Auguſtinus. *Pervenit in manus noſtras nonnulla epiſtola, quæ ipſius Pelagii diceretur ſcribentis ad amicum ſuum quemdam presbyterum. Ibi inter cætera*: Quatuordecim, *inquit*, Epiſcoporum ſententia definitio noſtra comprobata eſt. . . . *hæc epiſtola carnalis ventoſitatis & elationis volat, & geſtarum tarditate procurata, celeritate præcedens, in manus hominum prævolat, ut quatuordecim Epiſcopis orientalibus placuiſſe dicatur.* Et poſtea: *Ut ſola in epiſtola legatur infelix, & ſeipſam decipiens, velut victrix ſuperbia.* [*Libro de geſtis Paleſt. cap. 30.*]

Et alio in loco: *Novi hæretici etſi jam cavendi evidentius apertiore improbatione monſtrantur, non tamen quieſcunt ſcriptis ſuis minus cautorum, vel minus eruditorum corda tentare*, &c. [*Lib. 2. ad Boniſ. cap. 1.*]

Marius Mercator Julianum alloquens. *In epiſtola, quam mittere auſus es ad ſedem apoſtolicam, quando conventus detrectaſti cum univerſa Eccleſia per totum orbem Pelagium Cæleſtiumque damnare: quæ antequam in manus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ veniret antiſtitis, te agente, a nonnullis a te deceptis, per totam pene Italiam circumlata, & tanquam magnum aliquid multorum auribus inſinuata cognoſcitur.* [*Lib. Subnot. cap. 7. num. 9.*]

Hinc Auguſtinus ad Bonifacium ſcribens de duabus Pelagianorum epiſtolis ad ſe ab eo miſſis per Alipium, *quæ*, inquit, *in tuas manus nonniſi vigilantiſſima diligentia fratrum noſtrorum, filiorum tuorum, venire poſſent.* [*Lib. 1. ad Boniſac. cap. 1.*]

FAVORE ET NOMINE EPISCOPORUM. Cæleſtiana ſiquidem hæreſis auctorem habuit Theodorum Mopſueſtenum, quem Julianus Baſilio & Chryſoſtomo accenſet. [*Lib. 3. operis imperf. cap. 113.*] Pelagius ipſi quoque ſancto Innocentio ſus perſuaſiſſe creditus eſt. [*Epiſt. 95 ad Innocentium.*] Certe irrepſit in amicitiam Joannis Hieroſolymitani, ejuſque ſucceſſoris Praylii, a quo commendatitias ad ſedem apoſtolicam literas accepit. [*Oroſius in Ap.*] [*Aug. epiſt. 252. ad Joan. Hier.*] [*Zoſimus ep. 4.*] Suffuratus eſt amicam ab Auguſtino epiſtolam, quam poſtmodum oſtentaret, ad ſibi conciliandam ὀρθοδοξίας opinionem. Quatuordecim Epiſcoporum orientalium Dioſpolitanæ ſynodi ſententia ſe ſuumque dogma abſolutum jactavit. [*Auguſt. lib. de geſtis cap. 21.*] Julianus octodecim Epiſcoporum nomine ſcripſit libellum fidei ad Zoſimum, atque epiſtolam ad Rufum Theſſalonicenſem, ut in ſuas partes traheret Macedoniæ antiſtites. [*Auguſt. lib. 2. ad Boniſ. c. 1.*]

Valerianus ex Occidente Alexandriam navigavit, ut poſtquam ſe in Cyrilli amicitiam inſinuaſſet, hac gratia abuteretur, ad hæreſim ſpargendam, quod aliquatenus factum dolet Euſebius ad Cyrillum ſcribens: *Quomodo hunc Alexandrina Eccleſia in communionem recepit, quæ ſola & prima inter comprovinciales ſuos refutare debuerat?* &c. [*Apud Baron. ad ann. 397. num. 15.*]

Pelagius a quibus poterat Epiſcopis amicas literas ſuffurabatur, quas ſuis laudibus plenas pro tempore in loco proferret. Hinc Auguſtinus. *Quid ei proſunt tantæ ejus laudes in epiſtolis Epiſcoporum, quas præ ſe commemorandas, vel etiam allegandas putavit, quaſi eum hæc perverſa ſentire, omnes, qui vehementes, & quodammodo ardentes ad bonam vitam exhortationes ejus audiebant, facile ſcire non potuerint.* Et poſtea: *Porro autem, ſicut ego rationem de hac mea epiſtola reddidi, ita de ſuis, ſi eſſet neceſſe, redderent quorum allegantur, dicentes, vel quid putaverint, vel quid ignoraverint, vel qua ratione ſcripſerint. Proinde Pelagius, de quorumlibet ſanctorum amicitia ſe jactaverit, quorumlibet de ſuis laudibus literas legerit, quælibet purgationis ſuæ geſta protulerit, niſi ea, quæ contra Dei gratiam, qua vocamur, & juſtificamur, poſuiſſe in libris ſuis idoneorum teſtium fide probatur, confeſſus anathematizaverit, ac deinde contra hæc ipſa ſcripſerit ac diſputaverit, nequaquam his, quibus plenius notus eſt; videbitur eſſe correctus.*

Lib. de geſt. Pelag. cap. 25.

Captationis benevolentiæ, eorum nempe, qui vel opinione ſanctitatis, vel doctrinæ fama, vel opibus & potentia florerent.

Apud. Aug. lib. de gratia Chriſti cap. 35.

Paulinus, cum primum hæreſis Pelagiana informaretur, ſanctitatis fulgore omnium oculos in ſe converterat; hunc ſuis literis Pelagius vix non attraxit in ſuas partes, certe ita ſibi conciliavit, ut ab Auguſtino vir ſanctus de cavendis inſidiis moneri debuerit.

Epiſt. 106.

Auguſt. lib. de peccato orig. c. 3.

Pammachius & Oceanus eodem tempore nobilitatem generis ſanctitate morum vincebant, verſa in monaſterium domo; in hanc aditum ſibi patefecit Cæleſtius per Origeniſtarum odium, ut errorem, ſi qua poſſet, non meliorem inferret.

Proba, Juliana, Demetrias Anicianum ſtemma humilitati Chriſti poſtpoſuerant; aviam, ſpecie virtutis; matrem viduam, adulationibus; virginem, laudibus Pelagius oppugnavit, & forte expugnaſſet, niſi fortiter reſtitiſſent Alipius, atque Auguſtinus.

Epiſt. 143.

Albinæ, Piniani, & Melaniæ familia tunc temporis monaſteriis impar non erat religionis ſtudio; in eam irrepere conatus eſt Britannus coluber, ſed gliſcentem prohibuit Auguſtinus, piiſque animas duobus integris libris edocuit artes verſipellis hæretici.

Lib. de gratia Chriſti, & lib. de pecc. orig.

Innocentio Pontifici, quo nihil fuit ea tempeſtate ſanctius, ſua perſuaſiſſe Pelagium, rumor fuit: eo de rumore queſti ſunt ſuis literis quinque Epiſcopi Africani.

Epiſt. 95. inter Auguſtinian.

Sixtus Romæ, in Africa Auguſtinus, in Oriente Joannes Hieroſolymitanus, in Ægypto Cyrillus, Severus Sulpitius ſancti Martini diſcipulus in Galliis, doctrina celebres extiterunt tempore naſcentis hæreſis. Sixtum faviſſe Pelagianis doluit Auguſtinus. Et ipſe Auguſtinus literis a Pelagio invitatus reſcripſit, unde hæreticus amicum ſibi jactaret. Joannem a Pelagio ſeductum Innocentius, Oroſius, & Auguſtinus ſcripſerunt: Cyrillum a Valeriano tentatum Euſebius tradidit: a Pelagianis Severum deceptum, Gennadius teſtatus eſt.

Epiſt. mox cit. & epiſt. 106. Lib. de geſtis cap. 24.

Inter Romanos, quorum antea dixi captatam benevolentiam a Pelagianis, nullus non opibus abundabat, in cujus amicitiam ſubrepere non tentarint callidi homines, religionis induti larvam, qua facilius imprudentes caperent. Id autem tanto nitebantur efficere appetentius, quod erat futura quæſtuoſa ſanctitatis opinio, copioſiſſimeque paſtura ipſos quoque, qui pro ſecta ſcriberent: perfeciſſent vero, niſi ut Cteſiphontem Hieronymus, ſic alii alios monuiſſent. *Illud per te ſanctæ & illuſtris domus conciliabulum precor, atque commoneo, ne per unum, aut ad multum tres homunculos, ſuſcipiat tantarum fæces hæreſeon, aut, ut parum dicam, infamiam: ut ubi primum virtus & ſanctitas laudabatur, ibi præſumptionis diabolicæ, & ſordidiſſimæ ſocietatis turpitudo verſetur. Qui hujuſmodi hominibus opes ſuggerunt, hæreticorum multitudinem congregare, Chriſti hoſtes facere, & enutrire adverſarios ejus, fruſtraque aliud lingua prætendere, cum manu aliud ſentire comprobentur.*

Hieron. epiſt. ad Cteſiphontem.

Marcellinus Tribunus, & Valerius Comes gratia plurimum poterant apud imperatorem Honorium, imo & pietate præſtabant, eo ipſo tempore, quo ſpargebatur Pelagianus error; ſed & Marcellinus præterea doctus erat in paucis, Valerius in excelſis etiam honoribus modeſtiam, atque in aula pudicitiam colebat. Utrumque tentaverunt Pelagiani, & ita quidem, ut debuerit Auguſtinus, ſcriptis ad utrumque libris, artes nefarias hæreticorum aperire.

Libris 3. de pecc. merit. & libris 2. de nupt. & concupiſc.

Huc pertinet, quod incredibili ſtudio omnes majorum ſedium Eccleſias fallere, tentatis Epiſcopis, connixi ſunt: Romanam, in Innocentio, Zoſimo, Bonifacio, Cæleſtino, Sixto, & Leone, per omnes ſectæ principes: Carthaginenſem, in Aurelio, Epheſinamque, in Heraclide, per Cæleſtium: Theſſalonicenſem, in Rufo, per Julianum: Alexandrinam, in Cyrillo, per Valerianum: Hieroſolymitanam, in Joanne & Praylio, per Pelagium: Conſtantinopolitanam, in Attico, Siſinnio & Neſtorio, per ſeptemdecim Epiſcopos ex Italia ejectos.

Artibus mulierum nobilium, novitatisque amantium, quas adulando, maliſque artibus aliis, ſibi conciliarant. Hieronymus. *Quid volunt miſeræ mulierculæ oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes; & cæteri mulierculaaurum ſocii, prurientes auribus, & ignorantes quid audiant, & quid loquantur? qui vetuſtiſſimum cœnum, quaſi novam ſuſcipiunt temperaturam; qui juxta Ezechielem liniunt parietem abſque temperamento, & veniente veritatis pluvia, diſſipantur. Simon magus hæreſim condidit, Helenæ adjutus auxilio. Montanus multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam, nobiles & opulentas feminas, primum auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Arius, ut orbem deciperet, ſororem Principis ante decepit.˙.˙. Duplex ſexus utrumque ſupplantat,* &c.

In epiſt. ad Cteſiph.

Et alio in loco: *Tu tantæ liberalitatis es,* (Pelagium alloquitur) *ut favorem tibi apud Amazonas tuas concilies, ut ſcripſeris ſcientiam legis, etiam feminas, habere debere.˙.˙. nec ſufficit tibi dediſſe agmini tuo ſcientiam ſcripturarum, niſi earum voce & canticis delecteris.*

Dialog. 1. adverſus Pelag.

Auguſtinus Julianum alloquens: *Tui vero, vel tuæ quales ſint, nihil mea intereſt, quos tu, vel quas, ſic fallis, ut dicas me definire, ne in carioſo quidem corpore libidinem poſſe frænari.*

Lib. 6. adverſus Jul. cap. 4.

Videnda apud eundem Hieronymum, Auguſtinumque, & Mercatorem, quæ adulando viduæ Pelagius, adeo putida ſcripſerit, ut coactus ſit præ pudore, mendaciter negare eſſe ſua.

Dial. 2. adverſus Pelag. Lib. de geſt. c. 6. In Commonit. parte 16. & ſequentibus.

Largitione eleemosynarum, &c. Gennadius. *Hic Julianus eleemoſynis, tempore famis & anguſtiæ, indigentibus omnibus ſuis prorogatis, multos miſerationis ſpecie, nobilium præcipue & religioſorum, illiciens ſuæ hæreſi ſociavit.*

Lib. de ſcript. cap. 45.

---

§. II. *Secunda cauſa ejuſdem pertinaciæ, calumniæ & mendacia.*

Cur tam alte, tamque obſtinate multorum mentibus inſederit Pelagianus error, hanc alteram cauſam Patres aſſerunt, quod religioſos animos, paciſque amantes, ſed minus rerum prudentes Pelagiani quinque mendaciorum generibus occupaverint. Jactarunt enim dogma ſuo contrarium, id eſt, catholicum, eſſe ipſammet abominandam Manichæi hæreſim. Non diſputare ſe de dogmate, ſed de quæſtione duntaxat non magni momenti. Nullum eſſe ſibi cum tota Eccleſia negotium, ſed cum duobus fere ſolis hominibus, Hieronymo & Auguſtino, qui, quia odio & invidia flagrabant in viros apprime catholicos, totum orbem commoverent, & Eccleſiæ pacem inſanis tumultibus turbarent. Suum dogma repudiari & contrarium admitti, eo tantum, quod illud virtutum ſtudio, iſtud licentiæ morum faveret. Denique, ex contraria opinione non modo tota, ſed vel ex una confeſſione originalis peccati, blaſphemias conſequi pene innumeras.

Quinque Pelagianorum mendacia.

Catholicis ergo, quod primum mendacii genus, impoſuerunt nomen Manichæorum, & hæreſim omnium maxime execrandam defenſoribus peccati originalis affinxerunt.

Primum, quod catholici ſentirent cum Manichæis.

Pelagius, quem ita compellat Hieronymus: *Reclamabis, & dices, Manichæorum dogma nos ſequi, & eorum,*

In epiſt. ad Cteſiphontem.

qui

qui de diverſis naturis Eccleſiæ bella concinnant, aſſerentium malam eſſe naturam, &c.

In ep. ad clericos Rom lib. 1. ad Boniſ.

Cæleſtius. *Dicunt illi Manichæi, quibus modo non communicamus, id eſt, toti iſti, cum quibus diſſentimus; quia primi hominis peccato,* &c.

In epiſt. ad Evangel. presb. tom. 6. oper. Beda ſub finem.

Anoianus. *Quod opus eo apud te amabilius eſſe debet, quo ſcripturarum luce rutilans clariſſimi ſideris jubar noctem Manichæi erroris exagitat. quantum enim nobis conſolationis oritur, cum cernimus tam erudito, tamque illuſtri Orientis magiſtro eam, quam in nobis Traducianus oppugnat, aſtrui veritatem!* &c. Eadem fere in epiſtola ad Horontium Pelagianum Epiſcopum.

Præfigitur homiliis S. Chryſoſt. in Matth.

Lib. 1. op. imp. cap. 59. Similia vide lib. 6. cap. 5.

Julianus. *Non eſt hæc fides* (qua creditur originale peccatum) *antiquitus tradita atque fundata, niſi in conciliis malignantium, inſpirata a diabolo, prolata a Manichæo, celebrata a Marcione, Fauſto, Adimanto, omnibuſque eorum ſatellitibus; & nunc a te* (Auguſtinum alloquitur) *in Italia, quod graviter gemimus, eructata.*

Apud Aug. lib. 3. adverſ. Jul. cap. 17.

Alibi, omnino furioſe. *Orandus eſt Deus, frater beatiſſime Turbanti, conſacerdos dilectiſſime, ut paribus etiam hac tempeſtate virtutibus* (locutus fuerat de fœcunditate reddita Saræ) *Eccleſiam catholicam filii ſui ſponſam maturam, fœcundam, caſtam, decoram a Manichæorum conſtupratione, in Africa, vel ex Africa latrocinantium, eruere non moretur.*

Ubique paſſim eadem repetenti calumniatori graviter, ut par eſt, reſpondet Auguſtinus libris quatuor ad Bonifacium; graviſſime autem, tum priore opere adverſus Julianum, tum poſteriore imperfecto, ubi ſic loquitur: *Quot doctores catholicos Manichæo aſſeris ſuffragari, ſi chriſtiano corde cogitares, erubeſceres, contremiſceres, obmuteſceres.*

Lib. 1. cap. 22.

Quantum vero hæc calumnia hæreſi faverit, & ſimul veritati oucuerit, explicat ſanctus Doctor his verbis: *Sed quoniam in his quinque rebus,* (laude creaturæ, nuptiarum, legis, liberi arbitrii, & ſanctorum) *in quibus quærunt latebras, & de quibus connectunt calumnias, divinis documentis produntur, atque vincuntur; excogitaverunt Manichæorum deteſtabili nomine imperitos, quos potuerint, deterrere, ne adverſus eorum perverſiſſima dogmata, aures accommodent veritati: quia ſcilicet Manichæi quinque iſtorum tria, propria blaſphemando condemnant, dicentes, neque humanam creaturam, neque nuptias, neque legem a ſummo & vero Deo eſſe inſtitutam.*

Lib. 3. ad Boniſ. cap. 9.

Secundum mendacium, quod non diſputarent de dogmate, &c.

Affirmaverunt deinde, quod ſecundum mendacium, de dogmate non agi ſecum, ſed de quæſtione tantum.

Apud Auguſt. lib. de pecc. orig. c. 22 & 23.

Id primum auſus eſt aſſerere Cæleſtius in judicio Carthaginenſi. Auguſtinus: *Nunc illud oportet excutere, quod volentes hæreſeos aſtute invidiam declinare, aſſerunt iſtam, præter fidei periculum, eſſe quæſtionem; ut videlicet ſi in ea fuerint exorbitare convicti, non criminaliter, ſed quaſi civiliter erraſſe videantur: ſic enim Cæleſtius apud Carthaginem geſtis eccleſiaſticis eſt locutus. Jam, inquit, de traduce peccati dixi, quia intra catholicam conſtitutos plures audivi deſtruere, necnon & alios aſtruere, licet quæſtionis res ſit iſta, non hæreſis. Infantes ſemper dixi egere baptiſmo, ac debere baptizari. Quid quærit aliud?* Et in libello Romæ dato: *Si quæ præter fidem quæſtiones natæ ſint, de quibus eſſet inter pleroſque contentio, non ego, quaſi auctor alicujus dogmatis, definita hoc auctoritate ſtatui, ſed ea quæ de Prophetarum & Apoſtolorum fonte ſuſcepi, veſtri apoſtolatus offerimus probanda judicio,* &c. Videnda quæ ſuper ea re diſputat Auguſtinus.

Ibid. cap. 24.

Lib. Subnot. c. 7. num. 11.

Aſſeruit poſtea Julianus apud Marium Mercatorem. *Quod infantes in eo ſtatu ſint, in quo fuit Adam ante prævaricationem, inter indiſciplinatas reputo quæſtiones,* &c. Et apud Auguſtinum: *Non dubito ejuſmodi opinionem, hactenus ſuper noſtro fuiſſe certamine, ut ad quæſtionem involuta magis, quam ad ſummam ſpectare fidei crederetur,* &c.

Lib. 6. oper. imperf. cap. 1.

Aſſeruerunt denique communiter Pelagiani apud auctorem Prædeſtinati. *De quæſtione, aiunt, non de communione diſcernimur.*

Hæreſi 88.

Tertium mendacium, quod privata ſua eſſet cauſa. Photius codic. 177.

Audenter jactarunt, quod tertium mendacium, nullum ſibi eſſe negotium cum tota Eccleſia, ſed cum duobus tantum hominibus, Hieronymo, quem Aram vocaverunt, id eſt, maledictum, & Auguſtino, cui Traduciani nomen fecere. Hos mentiti ſunt libris artibuſque *in ſuam ſententiam multas integraſque Eccleſias pertraxiſſe.*

Annianus in epiſt. ad Evangelium, & Juliani ubique paſſim.

Id conſtat, partim ex quinque libris a Theodoro Mopſueſteno adverſus utrumque doctorem conſcriptis, quorum meminit Photius, & ex quibus inſignia fragmenta refert Marius Mercator; partim teſtimoniis Hieronymi atque Auguſtini idipſum aſſerentium.

Codice 177. Parte 2. oper.

Auguſtini quidem loquentis de Juliano. *Contra iſtam fundatiſſimam veniens veritatem, ne univerſam Chriſti Eccleſiam oppugnare videatur, quaſi me unum alloquitur, & velut corripiens atque admonens dicit: Etiam te Deus fecit, ſed, quod eſt fatendum, gravius error infecit,* &c.

Lib. 2. de nupt. & conc. c. 18.

Hieronymi vero ad Auguſtinum, & Alipium ſcribentis. *Cooperatoribus & auctoribus vobis hæreſis Cæleſtiana jugulata eſt, quæ ita infecit corda multorum, ut cum ſuperatos damnatoſque eſſe ſe ſentiant, tamen venena mentium non omittant, & quod ſolum poſſunt, vos oderint, per quos putant ſe libertatem docendæ hæreſeos perdidiſſe.*

Epiſt. 24. apud Auguſt.

Mentiti ſunt quarto, lenocioari vitiis dogma catholicum, excluſamque de Eccleſia ſecum cenſuram virtutum.

Quartum mendacium; quod catholica ſententia lenocinaretur vitiis.

Julianus. *Eripiuntur Eccleſiæ gubernacula rationis, ut erecto cornu veliſicet dogma populare. Ita cum prudentibus parum licet, vilibus autem quodlibet etiam decet, ſeditionum decreto excluſa eſt de Eccleſiis cenſura virtutum; noſque hoc apud homines vulgi exoſos fecit, quod acceſſio erroris eſſe renuimus: vulgi, inquam, qui ſententiæ meritum de proſperitatibus ponderans, eam veriorem æſtimat, quam pluribus placere conſpexerit. Delectat enim ſubantes animas infamare, quidquid unquam & uſquam ſanctorum fuit, ne clarorum hominum caſtigentur exemplis. Delectat prorſus, & penitus afficit, cauſare imbecillitatem naturæ, dicere carnem congenitis obnoxiam eſſe peccatis; nec in voluntate hominis emendationis effectum locare, ſed ſtudiorum crimina officia vocare membrorum. Hæc ergo Manichæorum ſcoria impuriſſimorum dogmatum auribus lenocinatur. Hæc in utroque ſexu poſitos inimicos noſtros urtica commovit, quæ dum quoſdam vitio malæ conſuetudinis mordet, tamen exhortationum ſalutarium veluti quibuſdam curabatur unguentis: at nunc poſtquam pro medicamine cœpit offerri, & delectationi acceſſit auctoritas, a conceſſu pene mundi,* &c.

Lib. 2. op. imperf. c. 2 & 3.

Ibid. c. 5. & 6.

Ibid. c. 9. & 10.

Ibid. cap. 19.

Lib. 6. op. imperf. c. 2. & 3.

Non poſſum prætermittere duo, quæ reſpondet Auguſlinus. Alterum contra calumoiam laxatæ morum diſciplinæ. *Quid nobis iraſceris, qui emendationis effectum tanto certius appetimus, quanto fidelius eum a Domino petimus? Fruſtra inflatam linguam voce ſuperbiente dilatas,* &c. Alterum cootra objectum ſibi Manichæiſmi crimen. *Ambroſium, ſi audes, criminare Manichæum: attende in quem dicas, quod vis videri, tanquam in me dicere, & ſi ullus tibi, vel Dei timor, vel humanus pudor eſt, conticeſce. Me oportet cum talibus tua convitia, non ſolum patienter, verum etiam gratulanter audire; ſed tu debes in talibus lacerandis, & humana erubeſcere, & divina judicia formidare.*

Ibid. cap 6.

Ibid. cap. 9.

Denique, quod poſtremum mendacium, infinitas prope blaſphemias, vel ex uoo dogmate catholico de peccato originali, conſequi affirmarunt. Juliaous enim quærenti Auguſtino, cur non aſſentiretur ſuper ea re Eccleſiæ fidei, reſpondet, *quia nullum habet veriſimilitudinis, nedum veritatis, nullum juſtitiæ, nullum pietatis colorem; quia diabolum conditorem hominum facit videri; quia liberum arbitrium deſtruit; quoniam conatus omnimodæ honeſtatis extinguit; quoniam morum obſcœnitatem conſolatur, & ipſi operi Dei, hoc eſt, naturæ humanæ infamiam inurit; quoniam omnia mandata legis reatus impoſſibilitatis, id eſt, iniquitatis addicit; quoniam non minus habet turpitudinis, quam profanitatis, & pro auctoritatibus ſacris Dei criminationibus intumeſcit, in cujus præceptis immoderationem tyrannicam, in judiciis iniquitatem barbaram, in juramentis falſitatem punicam ineſſe confirmat; quoniam pro diſputationibus & pro omnibus ſyllogiſmis Manichæi innititur ſomniis & furori.*

Poſtremum mendacium, quod dogma ſuo contrarium plenum eſſet impietatis.

Lib. 3. op. imperf. cap. 68. & ſeqq.

Iſtæ ſunt ergo cauſæ, quæ nos ad impugnationem mali naturalis accendunt; quæ dedignari & deſpicere faciunt conſortia perditorum; quæ præſtant nihilo magis nos totius mundi fragore terreri, quam ſi videremus triſ-

tis lupini ſilvam ſonantem, vel immundis ſuibus, vel ventis irruentibus commoveri.

---

§. III. *Tertia cauſa, cur difficile fuerit profligare hæreſis Pelagianæ ſectatores, quia noluerunt recedere ab Eccleſia.*

Hæretici tanto perniciosiores, quanto catholicis magis permixti. *Matth. 7. v. 15.*

NUNQUAM lupi inevitabilius damnum inferunt ovili Chriſti, quam cum latent inter oves; neque agro dominico pernicioſius nocent zizania, quam cum creſcunt inter triticum. Hanc ob cauſam bonus Paſtor diſcipulos juſſit cavere a falſis Prophetis, qui *veniunt in veſtimentis ovium, cum tamen intus ſint lupi rapaces.* Et divinus Paterfamilias tolli vetat *zizania uſque ad conſtitutum tempus, ne ſimul eradicetur & triticum.*

Matth 13. v. 29.

Diſceſſionem ab Eccleſia Pelagiani vitarunt.

Hæc ipſa cauſa fuit, cur Pelagiani apertam diſceſſionem a catholicis non fecerint; maluerintque potius ſubinde mutare loca, in quibus ignoti forent, quam palam, ubi noti eſſent, abſtinere a communione fidelium: ſic enim Eccleſiæ magnum importaturos ſe damnum intelligebant, & vix unquam poſſe penitus expelli. Audiendi ſcriptores illius ævi.

Lib. de pecc. orig. cap. 17.

Auguſtinus. *Multi eos propterea ſectabantur, quia catholicæ communionis videbant eſſe ſociatos.*

In præf. ad lib. ſubnot.

Marius Mercator. *Quæſtio contra catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, & præcipue in Cilicia, a Theodoro quondam Epiſcopo oppidi Mopſueſteni jamdudum mota nunc uſque penes paucos eorum admodum occulte traditur: nec ea palam profertur, ſed ab ipſis, qui de ea corniculantur, velut catholicis, intra Eccleſias interim retinetur*, &c.

Hæreſi 88.

Auctor, cui Pater Sirmondus Prædeſtinati nomen fecit. *Pelagiani, ſeu Cæleſtiani, catholicæ plebi permixti ſunt, quia Eccleſiam aliam non habent: & ideo ubi illis evenerit, communionem non renuunt*, &c.

3 parte conc. Epheſ. c. 22.

Sanctus Cæleſtinus ſcribens ad Maximianum Conſtantinopolitanum de Cæleſtianis. *Obſiſtat illis per te Spiritus ſanctus hominibus, qui ad quaſcunque conantur provincias pervenire, ut eorum impia prædicatio reſurgat. Obſiſtite eis; ita enim, ut damnentur, quocunque perveniunt, innoteſcunt; & tanquam non illis ſententia toties repetita ſufficeret, longinquas terras remotaſque provincias inquietant.*

Epiſt. 86.

Sanctus Leo ad Nicetam Aquilegienſem. *Agnovimus quoſdam preſbyteros, diaconos, ac diverſi ordinis clericos, quos Pelagiana, ſeu Cæleſtiana hæreſis habuerit implicatos, ita in veſtra provincia ad communionem catholicam perveniſſe, ut nulla ab eis damnatio proprii exigeretur erroris, & paſtoralibus excubiis nimium dormitantibus, lupus ovium pellibus tectus in ovile dominicum, non depoſitis beſtialibus animis, introiret.*

Et poſtea: *Hunc maxime expetunt fructum, ut ſub velamento communionis plures domos adeant, & per falſi nominis ſcientiam multorum corda corrumpant; quod utique efficere non poſſent, ſi Eccleſiarum Præſules neceſſariam diligentiam in talium receptionem ſervarent*, &c.

---

§. IV. *Quarta cauſa, cur vix unquam ejici potuerint ex Eccleſia Pelagiani, diſſimulatio pœnitentiæ.*

Simulatio pœnitentiæ, ars hæreticorum noxia.

NULLI pericloſius in Eccleſiam recipiuntur hæretici, quam qui, poſtquam ejecti ſunt, pœnitentiam mentiuntur, fictiſque profeſſionibus, vel aliter palam, aliter apud fidos ſua verba interpretantur, vel ſatisfactionis modum ſuo arbitrio faciunt. hac enim arte fit, ut per pœnitentiæ mendacium illudant benignis Eccleſiæ paſtoribus; per profeſſionum fictionem, dogma, cujus larvam damnatam jactant, rem abſolutam, ſpargant audentius in plebem.

Hieronymus ad Auguſtinum. *Demus operam, ut pernicioſiſſima hæreſis de Eccleſiis auferatur, quæ ſemper ſimulat pœnitentiam, ut docendi in Eccleſiis habeat facultatem, ne ſi aperta ſe luce prodiderit, foras expulſa moriatur.*

A Pelagianis adhibita. *Epiſt. 91. apud Hier. 24 apud Auguſt.*

De ementita Juliani pœnitentia ſcitum eſt illud Chronographi. *Hac tempeſtate Julianus Eclanenſis jactantiſſimus Pelagiani erroris aſſertor, quem dudum amiſſi epiſcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis ſpeciem præferens, molitus eſt in Eccleſiæ communionem irrepere.*

A Juliano Eclanenſi. *In chronico ad annum 439. Theod. XVII. & Feſto coſſ.*

De ſubdola Pelagii Cæleſtiique confeſſione duo ſunt Auguſtini libri, unus *de gratia Chriſti*, alter *de peccato originali*, quibus adde librum *de natura & gratia*, aliaque ejuſmodi pene innumera.

A Pelagio & Cæleſtio.

De retento a Pelagianis retractationem fingentibus errore toto, vel in minima particula, quam ad arbitrium exceperint, luculentus eſt locus apud ſanctum Leonem. *Novimus hanc iſtorum eſſe verſutiam, ut in quacunque particula dogmatis execrandi, qua ſe a damnatorum ſocietate diſcreverint, nihil ſibi ſenſuum ſuorum exiſtiment eſſe non ſalvum*, &c.

Ab aliis in particula totum errorem retinentibus. *Ep. 86. ad Nic.*

Sed longe ante Auguſtinus de confeſſione Dioſpolitana Pelagii, atque etiam chartula ſuæ purgationis, quam miſit in Africam. Cum enim in hac aliquid omiſſum narraret, quod in illa dictum fuiſſet: *Quis non credat*, inquit, *id fuiſſe procuratum, ut tanquam pro geſtorum illorum breviatione iſta charta uſquequaque diſcurreret, ubi non putaretur eſſe ablatam, quamlibet earum ſententiarum defendendi licentiam*, &c.

Lib. de geſtis Palæſt. c. 33.

Non poſſum hic ſilentio prætermittere morem Pelagianorum, qui nihil de re ſua ſine fuco & arte perplexitatis dicendum ſibi putaverunt. Nihil, quod contra ſe ſcriptum foret, ſine reſponſione dimittendum. Nunquam controverſiæ rem ipſam tractandam, ſed alienis quæſtionibus lectorum mentes alio avertendas. Proſternendos multitudine librorum adverſarios, quamvis eadem ſemper indefeſſa loquacitate repetenda forent. Implenda omnia hominibus loquaciter contendentibus, & infirmas, atque ineruditas animas velut convictas trahentibus; firmas autem & in fide ſtabiles ipſa contentione fatigantibus. Indeſinenter querendum ſe infamari, cum dicerent ſe apprime catholicos & veraciter pios. Nefariam ſeditionem in ſe concitari ab hominibus, qui ſuis ſanctis ſtudiis urerentur, & ad ſuum exitium per totius Eccleſiæ ruinam pervenire decreviſſent. Per ſummam calumniam objici ſibi novitates, cum nihil afferrent, præterquam quæ ex regula catholica, quæ traditio majorum, & ſacra ſcriptura, accepiſſent. Contumelioſe vocari ſe hæreticos, cum vel de ſolis quæſtionibus agerent, vel ſpopondiſſent ſanctiſſime publicis libellis omnia, quæ ſedes apoſtolica damnaret, ſe damnaturos. Turbari ſine cauſa pacem & quietem Eccleſiæ, concordiamque violari & caritatem chriſtianam, quam ipſi conſervatam vellent quocunque ſuo diſpendio. Religioſi Principis tempora perſecutionum impietate maculari, &c.

Mores Pelagianorum. *Hier. ad Cteſiphontem. Hier. ibid. Aug. de pecc. orig. c. 19. Aug. lib. 1. in Jul. cap. 1. Hier. 1. dial. p. 401. In ep. quinque Epiſc. ad Innoc. In lit. Pelagii ad Innoc. Lib. 2. de nupt. & conc. c. 3 Caleſt. ad Zoſ. Pelag. l. de nat. Jul. in libell. Caleſt. & Pelag. libell. fidei, &c. Jul. & alii paſſim. Lib. 3. oper. imperf. c. 34.*

CAPUT IV.

Quorum damnationi ſubſcriptio exacta ſit in hac cauſa: an tantum dogmatum, an etiam auctorum.

Quid ſit ſubſcribere damnationi dogmatum & auctorum.

ANIMADVERTERE oportet, id quod olim dicebatur, ſubſcribere damnationi dogmatum & auctorum, nihil aliud fuiſſe, quam, vel propoſitiones, ut nunc aiunt, damnare in eo ſenſu, quo a ſuis auctoribus aſſertæ ſuot dicto ſcriptove; vel Ecleſiæ in unis propoſitionibus connexa duo, quæ JUS & FACTUM vocant, damnanti conſentire. Verum poſteriores duæ loquendi formulæ nuper excogitatæ ſunt, ſolam primam Patres uſurparunt.

Hinc vero non difficili negotio intelligitur, quid propoſitæ quæſtiooi reſponderint communi cooſeoſu, quotquot, vel de cauſa Pelagianorum ſcripſerunt, tunc cum ageretur, vel ejuſdem agendæ primas partes renuerunt. Dixerunt enim, non tantum dogmatum adverſus gratiam Deí per Chriſtum, & peccatum originale, ſed etiam auctorum, Pelagii Cæleſtiique, damnationem ſubſcribendam fuiſſe ei, qui catholicus eſſe & videri vellet.

Utrorumque damnationi ſubſcribendum fuiſſe. demonſtrat Imperatoris ſanctio. *In edicto ad Aurelium Carthag. Epiſc. dato Ravenna v. Id. Jun. Monaxio & Plinta coſſ.*

Imperator Honorius. *Dudum quidem fuerat conſtitutum, ut Pelagius & Cæleſtius nefandi dogmatis repertores ab arbe Roma, veluti quædam catholicæ veritatis contugia, pellerentur, ne ignorantium mentes ſcæva perſuaſione perverterent.·. Sed quia obſtinati criminis pertinax mulum, ut conſtitutio geminaretur, coëgit, recenti quoque ſanctione decrevimus: præcipue tamen ad quorumdam Epiſcoporum pertinaciam corrigendam, qui pravus eorum diſputationes, vel tacito conſenſu adſtruunt, vel publica oppugnatione non deſtruunt. Religio tua competentibus ſcriptis univerſos faciat admoneri, ſcituros definitione teſtimonii tui, hanc ſibi definitionem eſſe præſcriptam, ut quicumque damnationi ſupra memoratorum,* QUO PATEAT MENS PURA, *ſubſcribere impia obſtinatione neglexerint, epiſcopatus amiſſione mulctati,* &c.

Aurelii epiſtola ad Epiſcop. provinciæ Byzacenæ, &c.

Aurelius, poſt acceptam ab Imperatore conſtitutionem, reſcribens ad Epiſcopos. *Ob hoc ergo tam neceſſaria conſtitutio chriſtianorum Principum caritatem veſtram latere non debuit, & ad me ab eis delatæ literæ, quarum ſimul exemplaribus lectis, quemadmodum ſubſcribere unuſquiſque veſtrum debeat, dilectio veſtra cognoſcet... Quo cum in ſupradictorum hæreticorum damnatione omnium veſtrum fuerit integra ſubſcriptio; nihil omnino ſit unde ullius* VEL DISSIMULATIONIS, VEL NEGLIGENTIÆ, VEL OCCULTÆ FORSITAN PRAVITATIS ALIQUA VIDEATUR MERITO REMANSISSE SUSPICIO.

Juliani libellus fidei, parte 4. num. 3.

Julianus ipſe in libello fidei ad Zoſimum. *Illud autem ſanctitutem veſtram ſpecialiter admonemus, ne ad veſtram reprehenſionem factum putetis, quod ſic abſentum damnationem ob Dei timorem ſubſcribere non audemus, docti per Scripturas, humanam voluntatem præceptis Dei non debere præferri,* &c.

Marii Mercatoris in Commonitorio, parte 11.

Marius Mercator in Commonitorio Imperatoribus oblato. *Omnia ſupra ſcripta capitula continet illa B. M. Epiſcopi Zoſimi epiſtola, quæ tractoria dicitur, qua Cæleſtius Pelagiuſque damnati ſunt: quæ & Conſtantinopolim & per totum orbem miſſa, ſubſcriptionibus ſanctorum Patrum eſt roborata; cui Julianus & reliqui complices ejus ſubſcribere detrectantes, conſentaneoſque ſe nolentes iiſdem Patribus facere, non ſolum imperialibus legibus, ſed & ſacerdotalibus ſtatutis depoſiti ſunt,* &c.

Et liber Subnotationum, cap. 7.

Idem in libro Subnotationum Julianum alloquens. *In epiſtola tua, quam ad ſedem apoſtolicam illo tempore auſus es mittere, quando conventus detrectaſti cum univerſa Eccleſia per totum orbem Pelagium Cæleſtiumque damnare.*

S. Leonis epiſtola 85.

Sanctus Leo ſcribens ad Septimium de Pelagianis. *Qui ſe correctos videri volunt, errorem ſuum, & ipſos erroris auctores damnare ſe ſine ambiguitate fateantur;* UT SENSIBUS PRAVIS, ET DUDUM PEREMPTIS NULLA SPERANDI SUPERSIT OCCASIO, NE ULLUM MEMBRUM ECCLESIÆ TALIUM POSSIT SOCIETATE VIOLARI, *cum per omnia illis profeſſio propria cœperit obviare,* &c.

Et epiſtola 86.

Scribenſque quoque ad Nicetam Aquilegienſem: *Damnent, ſit, apertis profeſſionibus ſui ſuperbi erroris auctores, & quidquid in doctrina eorum univerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur, omniaque decreta ſynodalia, quæ ad exciſionem hujus hæreſeos apoſtolicæ ſedis confirmavit auctoritas, amplecti ſe, & in omnibus approbare plenis & apertis, ac propria manu ſubſcriptis proteſtationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obſcurum, nihil inveniatur ambiguum:* QOONIAM NOVIMUS HANC ISTORUM ESSE VERSUTIAM, UT IN QUACUMQUE PARTICULA DOOMATIS EXECRANDI, QUA SE A DAMNATORUM SOCIETATE DISCREVERINT, NIHIL SIBI SENSUUM SUORUM EXISTIMENT ESSE NON SALVUM.

Photii auctoritas. cod. 54.

Photius. *Damnavit Joannes Alexandrinus in apologia ad Gelaſium Urbis Epiſcopum, non ſolum Pelagianam hæreſim, verum etiam Pelagium ipſum, utque Cæleſtium, una cum Juliano, qui in hac ipſa ſecta ſucceſſiſſe deprehenſus eſt.*

Cauſa, cur imperata ſit ſubſcriptio damnationi non tantum dogmatum, ſed etiam perſonarum.

Cauſa vero, cur non tantum in hac cauſa, ſed in ſimilibus, tam conſtanter omnibus retro ſæculis, prioribuſque præſertim, Eccleſia dogmatum ſimul & auctorum damnationi ſubſcribendum juſſerit, detrectanteſque punierit perinde ac hæreticos, reddita eſt, tum ab Imperatore, *quo pateat mens pura,* DAMNANDO; *& noxius damnato ſacrilegio non præſtetur favor,* NON DAMNANDO: tum ab Aurelio, *ne pravitatis occultæ aliqua videatur merito remanſiſſe ſuſpicio*: tum denique a Leone, *quoniam notum eſt, hanc iſtorum eſſe verſutiam,* &c. Neque enim poteſt eſſe pura a favore noxio, omniſque juſtæ ſuſpicionis expers, & ſincere candideque catholica mens illius, qui quando oritur contentio, noluerit cum Eccleſia loqui, id eſt, cum ſponſa Chriſti, veritatis magiſtra, veriſſima fidelium matre, & judice controverſiarum.

Doloſa ſubſcribendi forma inventa a Theodoreto.

Obſervandum enim, jamdudum ab homioibus illudere volentibus Eccleſiæ, ejuſque ſententiam, ſi quæ lata diſpliceat, irritam reddere, excogitatam fuiſſe non tantum diſtinctinnem *juris & facti*, ſeu dogmatis & perſonæ, ſed etiam perplexam illam, doloſamque loquendi formam, qua dicerent, *non indiſcrete*, ſe damnare alicujus certi hominis doctrinam; *ſed ſub quadam diſcretione ſe anathematizare quæcumque aliter ille, aut dixiſſet, aut ſenſiſſet, quam doctrina apoſtolica contineret.* Verba ſunt Theodoreti nondum reverſi ad ſanam mentem, & ſe Himeriumque Nicomedienſem cooſolantis, poſt Neſtorii damnationem a Joanne Antiocheno apud imperatorem Theodoſium ſubdolis hujuſcemodi verbis factam. Qui vero dolus ille caveatur unquam, niſi aperta dogmatis perſonæque damnatione?

Epiſt. ad Himer. Nicomed. apud Mar. Mercat.

Vix unquam olim dogmata ſine perſonis damnata.

Quin & illud ootatu dignum, ab Eccleſiis ſemper habitos hæreticorum loco, qui detrectarent, in cauſis fidei, ſubſcribere etiam perſonarum damnationi, poſtquam ſemel examinatis per idoneos homines cauſæ inſtrumentis, legitimoque judicio inſtituto, pronuntiatum eſſet, reos teneri dogmatum, quorum libri indubitati fuiſſent producti, quantumque vel auctores librorum, vel auctorum patroni tergiverſari vellent: vix enim unquam non tergiverſati ſunt, ut conſtat ex conciliorum, præſertim veterum, hiſtoria. Unde factum, ut pariter vix unquam, ſi tamen unquam, io conciliis illis univerſalibus, dogmata ſine perſonis, id eſt, facta diſcretione juris & facti, damnata ſint.

Pelagius nunquam damna-

Quid quod Pelagius, de quo nunc præcipue agitur, nullo

112

tus, niſi ex ſcriptis, quoties damnatus eſt. oullo in judicio damnatus legitur, niſi ex ſuis ſive libris, ſive epiſtolis: certe neque auditus eſt eoram, ut interpretaretur libros; imo neque ad judicium vocatus, ut pro ſe diceret ad objecta. Nam Epheſina ſynodus ſententiam in ipſum tulit, relectis quæ e Cæleſtino Romæ geſta fuiſſent. Cæleſtinus vero oon retractavit cauſam, ſed Bonifacii veſtigiis inſtitit. Bonifacius nullum ioſtituit judicium, ſed factum a prædeceſſore Zoſimo executioni mandevit. Zoſimus Cæleſtium quidem præſentem eudivit, ſed Pelagium damnavit ex ſcriptis, ſecutus Africane concilia & prædeceſſorem Innocentium. At neque Innocentius Pelagium, ut eudiretur, e Palæſtina evocavit Romam, quod tameo poſtulabant Africani Epiſcopi; oeque Africana concilia in ipſum ſenteotiam tulerunt, quæcumque tuleruot, niſi ex relatione Oroſii, literis Erotis & Lazari, librisqoe e Pelagio conſcriptis.

Auditus eſt, fateor, Pelagius, ſemel in conventu Hieroſolymitano a Joanne: iterum in ſynodo Dioſpolitana e quatuordecim Epiſcopis; ſed utrobique abſolutus eſt, cum oegaret ſua eſſe, aut quæ objiciebantur, eut quo ſenſu objiciebantur.

Negavit ſane mala fide, ideoque a tota Eccleſia poſtmodum proſcriptus eſt, & merito quidem: quare qui defendere hominem nuoc vellet, tanquam calumniam paſſum a tota Eccleſia, quæ inter judicandum ex libris errarit, iiſdem diris, iiſdemque anathematis devovendus foret, quibus impius ille Calvioiſta, qui ouper Neſtorium abſolvere, conciliumque Epheſinum hæreſeos damnare, impudenter auſus eſt: cauſatus, in quæſtione facti hujuſcemodi, ſuum eſſe unicuique lumen, quo duce, ipſam etiam poſſit Eccleſiam cæcitatis arguere. *Quo ducat homines irreligioſos diſtinctio Theodoreti.* *Lib. edit. an. 1645.*

C A P U T V.

An qui auctoribus dogmatum Pelagianorum favebant, ipſique auctores faterentur, ſua eſſe, quæ objiciebantur, tanquam ex ipſorum libris excerpta.

Non fuiſſe confeſſos, ipſimet ſcribunt. TANTUM abeſt, ut Pelagius Cæleſtiuſque faterentur ſua eſſe, quæ objiciebantur; ut ea, non verbo tantum, ſed oblatis quoque ſedi apoſtolicæ libellis, damnarent.

Cæleſtius ep. ad cleric. Rom. apud Aug. l. 1. ad Bonif. c. 23. Cæleſtius. *Nemo vos ſeducat,* (alloquitur elericos Romanos ſuarum partium) *nec ſe negent impie iſta ſentire; ſed ſi verum dicunt, aut audientia detur, aut certe iſti ipſi Epiſcopi, qui nunc diſſident, damnent, quæ ſupra dixi, cum Manichæus ſe iſta tenere,* SICUT NOS ISTA DAMNAMUS, QUÆ DE NOBIS JACTANT, *& ſit plena concordia.*

Epiſt. 2. in cauſa Pelagian. Illuſerat prius perfidioſe Zoſimo, unde ſanctus Pontifex Africanis ſcribens: *Vobiſcum*, inquit, *voluimus habere tractatum de illo, qui apud nos (ſicut ipſi per literas dicitis) fuerit accuſatus, & ad noſtram, quo ſe aſſereret innocentem, non refugiens judicium ex appellatione priſtina, venerit ſedem, accuſatores ſuos ultro deposcens, & quæ in ſe crimina per rumorem falſo dicebat illata, condemnans*, &c.

Pelagius apud Aug. l. de grat. Chriſti cap. 2. Pelagius. *Anathema, qui vel ſentit, vel dicit, gratiam Dei, qua Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, non ſolum per ſingulas horas, ſed etiam per ſingulos actus noſtros, non eſſe neceſſariam; & qui hanc conantur auferre, pœnas ſortiantur æternas.*

Legendus totus liber Auguſtini *de geſtis Palæſtinis*; totus item *de gratia Chriſti*: in his enim ubique Pelagius queritur ſibi fieri calumniam, nec parum laborat Auguſtinus, in detegenda hæretici mala fide.

Julianus in libello fidei part. 4. num. 7. Julianus. *Hæc autem omnia, de quibus nunc agitur, id eſt, quæ in fine damnavimus, ipſi etiam, de quibus iſta jactantur, falſo ſibi objecta teſtantes libellis propriis damnaverunt.*

Num. 8. Et paulo poſt: *Quamvis igitur ſacerdotalis officii ſit, & chriſtianæ caritatis, eos, qui ſe libellis purgant, catholicos confitentur, & damnabilia ſibi objecta condemnant, libera auctoritate defendere, & in dubiis rebus de unoquoque meliora ſentire*, &c.

Neſtorius ep. ad S. Caleſt. 1. part. conc. Eph cap. 15. Neſtorius de Pelagianis Epiſcopis ſcribens. *Nunc ab incertis dictis eorum non habet quis, ad quod ſe convertat; aliis hæreticos eos vocantibus, & ideo de occidentalibus partibus projectos eſſe, dicentibus: ipſis vero jurantibus calumniam ſe ſuſtinuiſſe, & periculum pro orthodoxa fide ex ſubreptione perpeſſos.*

Idipſum de Neſtorio, quod de Pelagianis traditur. *Lib. 1. de Inc. cap. 7.* Non diſcedam e propoſito tractandi de ſola hæreſi Pelagiana, ſi exemplum adduco ex cauſa, vel, ut nunc loquuntur, ex facto Neſtorii: tanta enim eſt Pelagianæ Neſtorianæque hæreſis cognetio; tanta, ſi licet ita loqui cum Caſſiano, conſanguinitas, ut una fere extiterit, certe ex eodem ambæ utero prodierunt, communibuſque Eccleſiæ fulminibus proſtratæ, uno tumulo ſepultæ, unoque epitaphio donatæ ſuot e Proſpero, vel quocumque alio epitaphii ſcriptore.

Qui Neſtorio igitur favebant, Joannes Antiochenus, Acacius Berœenſis, Theodoretus, aliique plures, etſi anethema ſponte dicerent omnibus, quotquot, vel Θεοτόκον rejicerent, vel Chriſtum in duos filios dividerent, negabant tamen, ſcripta Neſtorii dictave poſſe ſumi in ſenſum ab orthodoxo alienum. Audiendi tres, quos appellavi, cum Socrate ejuſdem temporis hiſtoriarum ſcriptore.

Joannes Antiocheous Neſtorio ſcribens. *Neque id nunc ſanctitas tua apud ſe cogitet, turpe eſſe ſibi pugnantia docere: ſi enim mens tua ſapit & ſentit, quæ ſancti Patres Eccleſiæque doctores ſentiunt & ſapiunt, (nam hoc, domine mi, & ex multis, & ex communibus amicis, de te accepimus) quorſum vereris pium ſenſum convenienti voce publicare?* Et paulo poſt: *Quis, quæſo, reprehendat, ſi ea quæ ſentis, libere exponas? imo vero quis laudibus non efferat, ſi nomen, cujus ſenſum pietas tua, ut cognovimus, poſſidet, propter publicam quietem, communemque orbis pacem admittat?* Et poſtea: *Hanc ob rem te moneo, hortorque, ut libera id voce depromas; age, rei quam recte tenes, nomen, quod a multis ſæpe Patribus uſurpatum, ſcriptum ac pronuntiatum eſt, adjungere ne graveris*, &c. *A Joanne Antiocheno. 1 parte conc. Epheſ. c. 25.*

Acacius Berœenſis reſpondens ſancto Cyrillo. *Multi*, inquit, *tum elerici, tum plebeji Conſtantinopoli Antiochiam, & ad nos aſque venientes defendere videntur,* quod dictum eſt (a Neſtorio) *Aiunt enim in ſenſu nihil continere, quod vel apoſtolicæ doctrinæ adverſetur, vel fidei a ſanctis Patribus in Nicæa, ad ὁμοούσιον conſtituendum, congregatis definitæ, & univerſæ Eccleſiæ traditæ repugnet.* *Acacio Berœenſi. Ibid. cap. 23.*

Theodoretus. *Exigit* (qoi miſſus fuerat ex Ægypto) *ſubſcriptionem factæ dudum damnationis, & ut anathematizetur ſancti Epiſcopi dogma Neſtorii. Scit autem veſtra ſanctitas, quod ſi quis indiſcrete doctrinam anathematizet ejuſdem ſanctiſſimi & venerabilis Epiſcopi, idem eſt ac ſi pietatem anathematizare videatur. Oportet ergo ſi omnino compellimur, eos anathematizare, qui purum dicunt hominem*, &c. *Theodoreto. Epiſt ad Andriam Samoſaten. apud Mar. Mercat.*

Socrates. *Neſtorius, meo quidem judicio, neque Paulum Samoſatenum, neque Photinum imitatur, neque Dominum ſolum hominem eſſe dicit, ſed vocem duntaxat* Θεοτόκον, *tanquam larvam reformidans, declinat.* Et poſtea: *Neſtorium partim ex libris ejus, quos legerim, partim ex neceſſariorum illius ſermone, ita ſenſiſſe comperio*, &c. *Socrate. Lib. 7. hiſt. eccleſ. c. 32.*

C A-

CAPUT VI.

Quæ fuerit, & a quo præſcripta formula fidei, cui ſubſcribendum foret in cauſa Pelagianorum.

Formula fidei fuiſſe epiſtolam Zoſimi ſummi pontificis, tradit.

QUEMADMODUM in Eutychiana cauſa non alia fuit formula fidei, quam epiſtola ſancti Leonis DE INCARNATIONE ad Flavianum; ita nec in Pelagiana fuit alia ſubſcribenda REGULARIS, ut loquitur creditus Proſper, AUCTORITAS, quam Zoſimi tractoria ad univerſos totius orbis Epiſcopos, ut tradunt omnes quinti ſæculi ſcriptores.

In append. ad ep. S. Cæleſtini ad Epiſc. Gall.

Marius Mercator in Commonit. part. 2.

Id cum alii non obſcure, tum Marius Mercator clariſſime teſtatur. *Hæc omnia*, inquit, *ſupraſcripta capitula, ut jam ſuperius dictum eſt, continet illa beatæ memoriæ Epiſcopi Zoſimi epiſtola, quæ tractoria dicitur, qua Cæleſtius Pelagiuſque damnati ſunt, quæ & Conſtantinopolim, & per totum orbem miſſa, ſubſcriptionibus ſanctorum Patrum eſt roborata. cui Julianus, & reliqui complices ejus ſubſcribere detrectantes, conſentaneoſque ſe nolentes iiſdem Patribus facere, non ſolum imperialibus legibus, ſed & ſacerdotalibus ſtatutis depoſiti, atque exauctorati, ex omni Italia deturbati ſunt.*

Ibid. parte 6.

Superiore loco ſcripſerat in hunc modum: *A beatæ memoriæ prædicto Zoſimo Epiſcopo ſcriptis ampliſſimis, vel longiſſimis perdamnatus eſt*, (Cæleſtius) *in quibus & ipſa capitula, de quibus accuſatus fuerat, continentur, & omnis cauſa, tam de Cæleſtio ſupraſcripto, quam de Pelagio magiſtro ejus praviore, videtur eſſe narrata; (quorum ſcriptorum & nos hic habemus exemplaria) & ad orientales Eccleſias, Ægypti diœceſim, & Conſtantinopolim, & Theſſalonicam, & Hieroſolymam, ſimilia eademque ſcripta ad Epiſcopos tranſmiſſa eſſe ſuggerimus.*

Cui conſentanea ſex tradunt Auguſtinus, & Proſper.

Quibus ex teſtimoniis colliguntur iſta ſex, quibus conſentanea ſcripſerunt quinti ſæculi auctores.

Primum.

PRIMUM, ſcripſiſſe Zoſimum prolixam epiſtolam, quæ totam Pelagii, Cæleſtiique cauſam, excerptaſque ex ipſorum libris ſententias contineret.

Lib. de peccat. orig. c. 21.

Auguſtinus. *Poſt reſcripta Africani concilii, in quam provinciam quidem doctrina illa peſtifera ſerpendo pervenerat, ſed eam non tam alte occupaverat, atque pervaſerat, alia quoque ipſius in urbe Roma, ubi diutiſſime vixerat, atque in his fuerat prius ſermonibus, contentionibuſque verſatus, cura fidelium fratrum prolata patuerunt, quæ literis ſuis, quas conſcripſit per orbem catholicum perferendas, Papa Zoſimus exeranda, ſicut legere poteſtis, attexuit. Ubi Pelagius, epiſtolam Pauli Apoſtoli ad Romanos velut exponens, argumentatur, & dicit*, &c.

Epiſt. 157.

Et ſcribens ad Optatum: *Pelagii argumentatio, quæ, inter alia ejus damnabilia, etiam literis apoſtolicæ ſedis adjuncta eſt, ita ſe habet*, &c.

Secundum.

Ibidem.

SECUNDUM, in tractoria Zoſimi hæretica dogmata cum ſuis auctoribus damnata eſſe. Auguſtinus. *Cujus* (novæ hæreſis) *vel auctores, vel certe acerrimi, notiſſimique ſuaſores, cum Pelagius & Cæleſtius extitiſſent, conciliorum epiſcopalium vigilantia, in adjutorio Salvatoris, qui ſuam tuetur Eccleſiam, etiam a duobus venerabilibus antiſtitibus apoſtolicæ ſedis, Papa Innocentio, & Papa Zoſimo, niſi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto chriſtiano orbe damnati ſunt, de quibus exempla recentium ſcripturarum, ſive quæ ſpecialiter ad Afros, ſive quæ univerſaliter ad omnes Epiſcopos de memorata ſede manarunt, ne forte ad veſtram fraternitatem nondum pervenerint, vobis curavimus mitti.*

Tertium.

Epiſt. 57. ad Valent.

TERTIUM, eandem tractoriam ad omnes totius orbis Epiſcopos miſſam. Auguſtinus, cum locis antea citatis, tum præſcribens Valentino, quæ legenda forent adverſus hæreſim Pelagianam. *Et quod Papæ Zoſimo de Africano concilio ſcriptum eſt, ejuſque reſcriptum ad totius orbis Epiſcopos.*

Proſper contra Collat. c. 10.

Proſper. *Sacroſancta beati Petri ſedes ad univerſum orbem Papæ Zoſimi ſic ore loquitur: Nos autem inſtinctu Dei*, &c.

Auct. append. ad epiſt. S. Cæleſtini c. 5.

Auctor appendicis ad epiſtolam Cæleſtini ad Epiſcopos Galliæ. *In quam nos ſententiam dirigit beatæ recordationis Papæ Zoſimi regularis auctoritas, cum ſcribens ad totius orbis Epiſcopos ait: Nos autem inſtinctu Dei*, &c. *Hunc ſermonem ſinceriſſimæ veritatis luce radiantem tanto Afri Epiſcopi honore venerati ſunt, ut ita ad eundem virum reſcriberent. Illud vero quod in literis, quas ad univerſas provincias curaſti eſſe mittendas, poſuiſti dicens: Nos autem*, &c.

Quartum. *Carm. de Ingrat. c. 9.*

QUARTUM, hanc ab omnibus Epiſcopis ſubſcriptam. Proſper.

Nempe hæc damnata fateris
Conciliis, mundique manu.

Contra Collat. cap. 41.

Et alio in loco: *Catholica acies non patitur reſpirare, quos vicit, & in quorum excidium unam cunctorum ſacerdotum manu ſententiam ſcripſit*, &c.

Ibid. c. 41.

Et ſub finem: *Africanorum conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zoſimus ſententiæ ſuæ robur annexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit antiſtitum.*

Quintum.

QUINTUM, Julianum & ejus complices ſubſcribere noluiſſe. Julianus ipſe cum ſuis ſexdecim ſociis Epiſcopis. *Dicunt*, inquit Auguſtinus: *De ſimplicibus Epiſcopis ſine congregatione ſynodi in locis ſuis ſedentibus extorta ſubſcriptio eſt*, &c.

Julian. ep. ad Ruf. Theſſ. apud Aug. lib. 4. ad Bonif. c. 8. & ult.

In libello fidei part. 4.

Et alio in loco: *Abſentum damnationem, ob Dei timorem, ſubſcribere non audemus, docti per ſcripturas, humanam voluntatem præceptis Dei non debere præferri dicentis: Non credes auditui vano*; &c.

Sextum.

Lib. contra Collat. c. 1.

SEXTUM denique, Julianum & complices idcirco depoſitos, &c. Proſper. *Non patitur eos reſpirare quos vicit, & in quorum excidium unam cunctorum ſacerdotum manu ſententiam ſcripſit. Pulſi pontificio & communione privati querantur quaſi de felicitate noſtræ victoriæ, & arment in nos linguas ſuas, qui exulare a veritate, quam cives eſſe Eccleſiæ maluerunt.*

Gemina objectio.

Video poſſe duo objici ab iis, qui aliam putarent fuiſſe formulam fidei ſubſcribendam: alii enim pro decreto Innocentii I. alii pro canonibus octo Africanis, qui Milevitano concilio aliquando tribuuntur, ſentire poſſunt.

Prima.

Lib. de ſcript. cap. 43.

Pro decreto Innocentii facere videntur. Gennadius. *Innocentius, urbis Romæ Epiſcopus, ſcripſit decretum occidentalium & orientalium Eccleſiarum* (Epiſcopis) *adverſus Pelagianos datum, quod poſtea ſucceſſor ejus Zoſimus latius promulgavit.*

Proſp. contra Collat. c. 10.

Patres Africani. *Conſtituimus in Pelagium atque Cæleſtium per venerabilem Epiſcopum Innocentium de beatiſſimi Apoſtoli Petri ſede prolatam manere ſententiam, donec apertiſſima confeſſione fateantur*, &c.

Lib. de peccat. orig. c. 7.

Auguſtinus. *Zoſimus egit cum homine*, (Cæleſtio) *quem falſæ doctrinæ ventus inflaverat, ut ea quæ illi a Diacono Paulino fuerant objecta, damnaret, atque ut apoſtolicæ ſedis literis, quæ a ſanctæ memoriæ prædeceſſore manaverant, præberet aſſenſum. At ille noluit quidem diaconi objecta damnare; ſed beati Innocentii literis non eſt auſus obſiſtere*, &c.

Secunda.

Contra Collat. cap. 10.

Pro canonibus Africanis Proſper. *Cum ducentis quatuordecim ſacerdotibus, quorum conſtitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus eſt veraci profeſſione*, &c.

Ad conſulatum Honorii XII. & Theodoſii VIII.

Et in Chronico: *Concilio apud Carthaginem habito 214. Epiſcoporum ad Papam Zoſimum ſynodalia decreta perlata ſunt; quibus probatis per totum mundum, hæreſis Pelagiana damnata eſt.*

De Britannic.

Uſſerius poſt Salmaſium in eam ſententiam concedit,

Eccleſ. primord. In Euchariſt.

dit, ſed affectu magis quam ratione; uterque enim hæreticus mavult abſurde ſentire, quam prætermittere occaſionem detrahendi aliquid de ſummi Pontificis auctoritate.

Diluitur utraque.

Verum conſtitutio illa, cujus meminit vetus Proſper, eſt ea ipſa, qua voluerunt Patres Africani *in Pelagium & Cæleſtium per venerabilem Epiſcopum Innocentium de beatiſſimi Petri Apoſtoli ſede prolatam manere ſententiam*, ut nemo prudens non intelligit. Sententia autem illa, nullatenus certe differt a *decreto occidentalium & orientalium Eccleſiarum Epiſcopis dato*, cujus mentionem facit Gennadius, ut per ſe patet. Cum ergo decretum Innocentii a tractoria Zoſimi in eo tantum fuerit diverſum, quod illud preſſius, iſta latius doctrinam catholicam contineret: certe neque Proſper, neque Gennadius, neque Auguſtinus, Patreſque Africani a Mario Mercatore diſſentiunt; ſed mirifice potius ipſius ſententiam confirmant, ſimulque demonſtrant, ſin minus ſemper, ſaltem quo tempore damnatur hæreſis, ſine congregatione generalis ſynodi, opinatos fuiſſe veteres, ad ſedem apoſtolicam pertinere, propter auctoritatis amplitudinem, toti Eccleſiæ per orbem habitabilem diffuſæ formam fidei proponere.

Epiſt. 91. apud Aug. c. ult.

Hinc ſanctus Innocentius ad Patres concilii Carthaginienſis. *Gratulor, fratres cariſſimi, quod eum pro illis curam geritis, quibus præſidetis Eccleſiis, ſollicitudinem veſtram pro omnium utilitate monſtratis, & per cunctas totius orbis Eccleſias, omnibus una quod proſit, decernendum eſſe depoſcitis, ut ſuis conſtabilita regulis Eccleſia, & juſto firmata decreto, talibus patere non poſſit*, &c.

Epiſt. 93. apud Auguſt.

Et ad Epiſcopos Numidiæ in ſynodo Milevitana congregatos. *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiſcopos noſtros, nonniſi ad Petrum, id eſt, ad ſui nominis & honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe.*

Serm. 2. de verbis Apoſt.

Hinc etiam Auguſtinus. *De hac cauſa* (Pelagiana) *jam duo concilia miſſa ſunt ad ſedem apoſtolicam: inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt.*

CAPUT VII.

Qua auctoritate ſancita ſit lex ſubſcribendi, an ſacerdotali ſola, an etiam imperiali.

Lex ſancita eſt utriuſque poteſtatis auctoritate.

CONJUNCTAS utriuſque poteſtatis vires, ad unam hæreſim exſcindendam, cogendoſque ſubſcribere damnationi, quotquot repugnarent, patet ex dictis: ſi quidem retulimus imperatoris Honorii ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum conſtitutionem, de ſubſcriptionibus exigendis. Hanc repetere non juvat, ſed extrema tantum verba, quibus neceſſitas exigendi ſubſcriptiones continetur, attentius perpendere. *Non patietur ſanctitas tua ſectæ deteſtabilis homines, in injuriam religionis, nova & inuſitata meditantes, ſecretis tractatibus occultare ſacrilegium publica ſemel auctoritate damnatum. Una enim eademque culpa eſt eorum, qui, aut diſſimulando conniventiam, aut non damnando favorem noxium præſtiterint.*

Imperialis quidem, edicto dato Ravennæ ann. 419.

Eccleſiaſticæ vero, epiſt. Aurelii, ſed præſertim tractoria Zoſimi S. P.

Retulimus quoque ſcriptam ab Aurelio, poſt acceptam conſtitutionem, epiſtolam ad univerſos Epiſcopos Byzacenæ & Arzugitanæ provinciæ, in qua, perinde ac in conſtitutione, potiſſima hæc cauſa exigendi ſubſcriptionem exponitur. *Quo, cum in ſupradictorum hæreticorum damnatione omnium veſtrum fuerit integra ſubſcriptio, nihil omnino ſit, unde ullius, vel diſſimulationis, vel negligentiæ, vel occultæ forſitan pravitatis aliqua videatur merito remanſiſſe ſuſpicio.*

Quæ cauſa imperialis edicti.

Imperiali porro ſanctioni, ut dictum eſt *differt. præced.* occaſionem dedit pertinacia nonnullorum Epiſcoporum, qui *pravas Pelagianorum diſputationes, vel tacito conſenſu aſſerebant, vel publica oppugnatione non deſtruebant*; quique *aut diſſimulando conniventiam, aut non damnando favorem noxium præſtabant.* Illi enim, cum parere nollent plenario concilio exigenti ſubſcriptionem tractoriæ Zoſimi, quam acceperat anno præcedente, viſi ſunt imperiali auctoritate cogendi.

Quando primum exacta ſubſcriptio in Africa.

Jam vero plenarium concilium Africæ, ſtatim atque accepta eſt Zoſimi tractoria, ab omnibus Epiſcopis in provincia conſtitutis, etiam ab iis, qui concilio interfuiſſent, ſubſcriptionem exegit: nam totius orbis Epiſcopis id ipſum faciendum mandarat Pontifex, idque fatetur ipſe Julianus, cum in epiſtola ad Rufum Theſſalonicenſem, in qua queritur *extortam a ſimplicibus Epiſcopis, ſine congregatione ſynodi, in locis ſuis ſedentibus ſubſcriptionem*; tum in libello fidei, verbis, quæ antea retulimus: *Illud autem ſanctitatem veſtram*, &c. Quid enim aliud ſignificant, quam imperatam fuiſſe ſubſcriptionem, priuſquam Julianus ſcriberet ſive epiſtolam, ſive libellum fidei? At utrumque ſcripſit, vivente adhuc Zoſimo, hoc eſt, anno 418. quo tempore nondum datum erat imperiale reſcriptum: ſiquidem conſignatur anni ſequentis conſulibus Monaxio, & Plinta. Lex igitur ſubſcribendi ſancita eſt ſacerdotali primum, deinde imperiali auctoritate.

Apud Aug. l. 4. ad Bonifac. c. 8.

Part. 4. num. 3.

Prius eccleſiaſtica quam imperiali auctoritate lex ſubſcribendi lata eſt.

In vita S. Auguſt. c. 18.

Id egregie probat Poſſidius. *Illi tantæ ſedis antiſtites* (Innocentius & Zoſimus) *ſuis diverſis temporibus eoſdem* (Pelagianos) *notantes, atque a membris Eccleſiæ præcidentes, datis literis ad Africanas, Orientiſque & Occidentis Eccleſias, eos anathematizandos, & devitandos ab omnibus catholicis cenſuerunt. Et hoc tale de illis Eccleſiæ Dei catholicæ prolatum judicium etiam piiſſimus imperator Honorius audiens ac ſequens, eos legibus damnatos inter hæreticos haberi debere conſtituit.*

Conjunctionem utriuſque auctoritatis docent ſcriptores 5. ſæculi.

Verum utriuſque poteſtatis ad idipſum conjunctionem, teſtimonio ſcriptorum illius ævi confirmemus.

Libro contra Collat. c. 41.

Proſper. *Quando ſanctæ memoriæ Papa Bonifacius piiſſimorum Imperatorum catholica devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei*, NON SOLUM APOSTOLICIS, SED ETIAM REGIIS UTEBATUR EDICTIS.

In Commonit. part. 51.

Marius Mercator. *Julianus & reliquos complices ſubſcribere detrectantes*, NON SOLUM IMPERIALIBUS LEGIBUS, SED ET SACERDOTALIBUS STATUTIS *depoſiti, atque exauctorati, & omni Italia deturbati ſunt.*

Tertia parte conc. Epheſ. cap. 20.

Sanctus Cæleſtinus ad Patres Epheſinos poſt ſynodum. *Ejiciantur e civitatibus ſuis, & ſe in noſtro collegio noverint non futuros, niſi* SECUNDUM ECCLESIASTICUM, ET CHRISTIANORUM PRINCIPUM CONSTITUTUM, *damnata cum auctoribus, ſociiſque damnantes*, &c.

Epiſt. 5.

Gelaſius ad Honorium Dalmatiæ Epiſcopum. *An fortaſſe neſcitis hanc hæreſim, de qua loquimur, & ab apoſtolica dudum ſede per B. M. Innocentium, ac deinde Zoſimum, Bonifacium, Cæleſtinum, Sixtum, Leonem continuis & inceſſabilibus ſententiis fuiſſe proſtratam;* NEC TANTUM ECCLESIÆ CATHOLICÆ LEGIBUS, SED PRINCIPUM QUOQUE ROMANORUM EO TEMPORE DAMNATAM, &c.

Epiſt. 7.

Et ſcribens ad Epiſcopos per Picenum. *Pelagium, Cæleſtium, Julianum, cæteroſque complures oratoriæ facundiæ viros in hac aſſertione probavimus fuiſſe convictos, &* TAM ECCLESIASTICIS CONSTITUTIS, QUAM IMPERIALIBUS ETIAM PERCUSSOS PRÆCEPTIS.

CAPUT

CAPUT VIII.

Quibus imperata ſit ſubſcriptio, an ſolis Epiſcopis, an etiam aliis de clero, imo & aliquando laicis; & quæ pœna recuſantibus ſtatuta.

Subſcriptio Epiſcopis impeſita eſt. *Apud Aug. l. 4. ad Bonif. c. ult.*

IMPERATAM Epiſcopis teſtantur, Julianus in epiſtola ad Rufum Theſſalonicenſem. *De ſimplicibus Epiſcopis, ſine congregatione ſynodi, in locis ſuis ſedentibus extorta ſubſcriptio eſt.*

Part. 4. num. 3.

Et in libello fidei: *Illud autem ſanctitatem veſtram*, &c.

In edicto ad Aurelium.

Imperatores in edicto ad Aurelium. *Ad quorumdam Epiſcoporum pertinaciam corrigendam*, &c.

Epiſt. ad Epiſc. provinciæ, &c.

Aurelius ad Epiſcopos provinciæ Byzacenæ, &c. *Quemadmodum ſubſcribere unuſquiſque veſtrum debeat*, &c.

In Commonit.

Marius Mercator. *Julianus, & reliqui complices*, &c.

Presbyteris & reliquis de clero. *Ep. 104 & 105.*

Imperatam quoque presbyteris, cæteriſque clericis, ſatis aperte docet Auguſtinus, cum narrat, quid Sixtus presbyter Romæ in cauſa Pelagianorum egerit, & quomodo, poſt ſententiam damnationis a Zoſimo prolatam, toti clero præiverit in anathemate, non tantum dogmatibus, ſed etiam dogmatum auctoribus, dicendo.

Lib. 2. ad Bonifac. c. 3.

Neque enim verbo tantum, ſed ſcripto quoque dictum anathema, manifeſte probat exprobratio Romanis clericis a Juliano facta nomine octodecim Epiſcoporum, cujus ita meminit Auguſtinus. *Quin etiam Romanos clericos arguunt, ſcribentes eos juſſionis terrore perculſos non erubuiſſe crimen prævaricationis admittere, ut contra priorem ſententiam, qua geſtis catholico dogmati affuerant, poſtea pronuntiarent, malam eſſe hominis naturam.*

Nam, ut oſtenſum eſt antea non ſemel, juſſio illa fuit Zoſimi, per tractoriam ſuam ſubſcriptionem omnibus imperantis, ſed per ſe quidem Epiſcopis majorum ſedium, per ipſos vero, minoribus, & per minores toti ſingularum Eccleſiarum clero.

Laicis quoque, & proinde monachis.

De laicis intelligi debent, quæ ex ſancto Leone, & Patribus Epheſinis mox adducentur de pœna recuſantibus ſubſcribere ſtatuta: nam ex pœna, quæ propter violatam legem infligitur, quid lex præceperit, quibuſve, facile cognoſcitur.

Ad omnes communiter pertinet dictum illud Proſperi tam ſæpe hactenus laudatum.

Carm. de Ingr. cap. 9.

Nempe hæc damnata fateris
Conciliis, mundique manu.

Quæ pœna propoſita Epiſcopis, presbyteris & clericis aliis.

Jam vero Epiſcopis, presbyteris, clericiſque omnium ordinum ſubſcribere detrectantibus, ſtatutam fuiſſe pœnam depoſitionis, atque expulſionis ex ſuis civitatibus, imo & excommunicationis, intelligitur.

Edict. Honor. & Theodoſ.

Primum ex Imperatoris epiſtola ad Aurelium. *Quicumque damnationi ſupra memoratorum ſubſcribere impia obſtinatione neglexerint*, EPISCOPATUS AMISSIONE MULTATI, INTERDICTA IN PERPETUUM, EXPULSI CIVITATIBUS, COMMUNIONE PRIVENTUR.

Parte 1.

Deinde ex Commonitorio Marii Mercatoris. *Julianus, & reliqui complices ejus ſubſcribere detrectantes, non ſolum imperialibus legibus, ſed & ſacerdotalibus ſtatutis* DEPOSITI, ATQUE EXAUCTORITATI EX OMNI ITALIA DETURBATI SUNT.

1 parte conc. Epheſ. c. 15.

Tertio, ex epiſtola Neſtorii ad ſanctum Cæleſtinum pro Pelagianis illis, qui ſubſcribere recuſaverant. *Sæpe ſcripſi beatitudini tuæ propter Julianum, Orontium, & cæteros, qui ſibi uſurpant epiſcopalem dignitatem, & creberrimam aditionem apud piiſſimum & prædicatiſſimum Imperatorem faciunt, noſque concidunt frequentibus lamentationibus, tanquam temporibus orthodoxis* DE OCCIDENTE PROJECTI, &c.

Ibid. c. 17.

Quarto, ex epiſtola ſancti Cæleſtini reſcribentis ad Neſtorium. *Hos quoque hæreticos, de quibus nos, velut eorum, quæ geſta ſunt, neſcius conſulere voluiſti*, SEDIBUS SUIS INJUSTA DICENTES EXPULIT JUSTA DAMNATIO.

2. parte ejuſdem conc. act. 7. Ibid in præf. canonum.

Quinto, ex canonibus I. II. & IV. concilii Epheſini, quibus ſtatuitur pœna depoſitionis adverſus Metropolitas, provinciales Epiſcopos, & clericos, *qui Neſtorii & Cæleſtii ſequi ſententias, ex eo manifeſte ſunt deprehenſi, quod Neſtorium nobiſcum condemnare noluerunt: quos ſancta ſynodus communi decreto* AB OMNI ECCLESIASTICA COMMUNIONE ALIENOS ESSE STATUIT, ET OMNEM SACERDOTII FUNCTIONEM ILLIS ADEMIT, *per quam aliquibus, vel nocere, vel prodeſſe poterant.*

Epiſt. 86.

Denique ex epiſtola ſancti Leonis ad Nicetam. *Omnes ſive presbyteri, ſive diaconi, ſive cujuſcunque ordinis clerici, qui de Pelagianorum, Cæleſtianorumque conſortio*, &c. *quorum ſi quiſquam ſalubribus præceptis ſatisfacere detrectavit, ſive ille clericus, ſive laicus ſit*, AB ECCLESIÆ SOCIETATE PELLATUR, *ne perditor animæ ſuæ ſaluti inſidietur alienæ.*

Quæ laicis. *1 parte conc. Epheſ. act. 7.*

Ad laicos ipſos pertinet ſeptimus canon Epheſinus. *Similiter, & ſi qui velint ea, quæ de ſingulis per ſanctam ſynodum Epheſinam geſta ſunt, quocumque modo movere, ſancta ſynodus ipſa decrevit, ſiquidem Epiſcopi aut clerici fuerint, eos omnino a proprio cadere gradu;* SI VERO LAICI, EXCOMMUNICATOS ESSE.

L. 47. de Epiſc. in cod. Theod. Vide Sirmond. in append. cod.

Neceſſe eſt huc etiam pertinere, ſaltem quod Epiſcopos, ſanctionem Valentiniani Cæſaris datam Aquileiæ VIII. Id. Jul. coſſ. Theodoſio Auguſt. XI. & Valentiniano. *Diverſos Epiſcopos nefarium Pelagiani, & Cæleſtiani dogmatis errorem ſequentes, niſi intra viginti dies a conventionis tempore, intra quos deliberandi tribuimus facultatem, errata correxerint, ſeſeque catholicorum fidei reddiderint*, GALLICANIS REGIONIBUS EXPELLI, ATQUE IN EORUM LOCO SACERDOTIUM FIDELIUS SUBROGARI MANDAMUS.

CAPUT IX.

Quid cauſarentur ſubſcribere detrectantes, & quam in partem accepta ſit detrectantium exceptio.

Tria exceperunt detrectantes.

QUI ſubſcribere detrectabant, partim adverſus ſedis apoſtolicæ judicium, partim contra ſubſcriptionis exigendæ modum, partim denique in imperialem ſanctionem exceperunt: & ita quidem, ut negarent ſe aut poſſe tuta conſcientia, aut debere ſervato juris ordine, obedire cujuſcunque poteſtatis præcepto, quo urgerentur ſubſcribere, id eſt, viros, ut aiebant, pios atque imprimis catholicos, temerario judicio damnare.

Primum adverſus judicium ſedis apoſtolicæ.

Adverſus judicium ſedis apoſtolicæ objecerunt, ſervatam non fuiſſe judicii formam; judices idoneos non extitiſſe; ſanctum Zoſimum cum clericis Romanis prævaricatum eſſe.

114

Servatam non fuiſſe formam, ex eo nitebantur conficere, quod ratio judiciorum poſtulet, ut adſint, qui accuſant; audiantur, qui rei; & nemo damnetur abſens. At neque Erotem & Lazarum Epiſcopos, neque Paulinum diaconum, neque adoleſcentes duos, Timaſium & Jacobum, qui Pelagium, Cæleſtiumque accuſabant, interfuiſſe aiebant judicio Romano; Pelagium vero, & Cæleſtium non ſatis auditos, cum ille Romam non fuerit evocatus e Paleſtina, iſte terrore coactus ſit tunc abeſſe judicio, cum maxime res adeſſe poſtularet.

In libello fidei part. 4. num. 4 & ſeqq. *Act. 25. v. 16.* Iſta cauſatur Julianus bis verbis: *Judæi etiam fatentur*, quod lex noſtra non judicet hominem, niſi ab ipſo audierit, & cognoverit, quid faciat. *Et in actibus Apoſtolorum per Gentiles Feſti ſimiles, prolata eſt ſententia*, quod non ſit conſuetudo Romanis damnare aliquem priuſquam, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluendum crimina. *Unde & ſanctus Apoſtolus Paulus judicandi regulam Epiſcopis ſanciens, ait*: *1. Timoth. 5. v. 19.* Adverſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus. *His igitur & cæteris teſtimoniis confirmati metuimus in abſentum & nobis inauditorum capita dictare ſententiam, niſi cum præſentes fuerint confutati.*

De judicibus tria querebantur. Quod ſine congregatione ſynodi ſententiam tuliſſent. *Dicunt*, inquit *Lib. 4. ad Boniſ. c. 8.* Auguſtinus, *inimicos ſuos dicta noſtra in veritatis odium ſuſcepiſſe, & toto penitus Occidente non minus ſtultum quam impium dogma eſſe ſuſceptum; & ſimplicibus Epiſcopis ſine congregatione ſynodi in locis ſuis ſedentibus, ad hoc confirmandum, ſubſcriptionem queruntur extortam.*

Lib. 3. contra Julian. c. 1. Quod ad cauſam cognoſcendam acceſſiſſent male animo affecti. *De judicibus*, ait Auguſtinus, *apud quos propterea dicis, non potuiſſe vos agere cauſam veſtram, quia nemo de rebus dubiis bene conſultat, niſi qui ab odio, ira, & amicitia vacuum pectus attulerit: quales non fuiſſe dicis, qui de cauſa veſtra judicaverunt, quia prius eam cœperunt odiſſe, quam noſſe; jam ſuperiore libro reſpondi*, &c.

Quod idonea, tum doctrina ad intelligendam, tum virtute ad defendendam veritatem carerent. Totum eſt ea de re caput ultimum *ſecundi libri adverſus Julianum*, ubi hæretico objicienti, cauſam ſuam abimperitis damnatam, Auguſtinus doctiſſimos decem ex ſanctis Patribus objicit. Totum item caput primum & ſecundum *libri 5. operis imperfecti*, ubi Julianus poſtquam de ſcientia & fortitudine judicum verboſe diſſeruit, tandem ita concludit: *De hac quippe potiſſimum ignavorum pectorum vilitate factum eſt, ut per Eccleſiarum naufragia ſpurcum Manichæorum dogma velificet; quia, ſi in his, qui ſacerdotii munere fungebantur, libera ſtetiſſet, & virilis auctoritas, Traducianorum commenta, ut invicta ratio proruit, ita publica contriviſſet aſſenſio.*

Lib. 1. adverſ. Jul. c. 4. De accuſatione Zoſimi clerique Romani a Pelagianis, hæc Auguſtinus. *Innocentii ſucceſſorem crimine prævaricationis accuſas, quia doctrinæ apoſtolicæ, & ſui deceſſoris ſententiæ noluit refragari: ſed de hoc interim taceo, ne animum tuum, quem ſanare potius cupio, quam irritare, laudibus tui damnatoris exulcerem.*

Lib. 6. adverſ. Jul. c. 12. Et alio in loco: *Quale eſt autem, quod B. M. Zoſimum apoſtolicæ ſedis Epiſcopum, ut in tua pravitate perſiſtas, prævaricationis accuſas: qui non receſſit a ſuo prædeceſſore Innocentio, quem tu nominare timuiſti; ſed maluiſti Zoſimum, quia egit primitus lenius cum Cæleſtio*, &c.

Lib. 2. ad Boniſac. c. 3. Et rurſum: *Quin etiam Romanos clericos arguunt ſcribentes, eos juſſionis terrore perculſos non erubuiſſe prævaricationis crimen admittere.*

Accedit tacita quidem, ſed maligna Juliani exprobratio facta ſummo Pontifici, quaſi in eo ipſo peccaſſet, cujus accuſaverat Africanos, in ferenda contra Pelagium, Cæleſtiumque ſententia. Iiſdem enim ſcripturæ teſtimoniis, iiſdemque verbis utitur impudens hæreticus, ad criminandum ſedis apoſtolicæ judicium, quibus ſanctus Pontifex Africanorum præceps, ut opinabatur, judicium perſtrinxerat. *Epiſt. 4. ad Africanos.*

Libelli part. 4. num. 3. Conferendæ literæ, quas Zoſimus ad Africanos dedit xi. Kal. Octobris cum illis Juliani verbis: *Illud autem ſanctitatem veſtram*, &c.

Secundum adverſus modum exigendæ ſubſcriptionis. Cum exigeretur ſubſcriptio damnationi, non tantum dogmatum, ſed etiam auctorum, exceperunt Epiſcopi, quorum nomine ſcribebat Julianus, ejuſmodi ſubſcriptionem eſſe veluti quoddam judicium, vel teſtimonium publicum, quod a ſubſcribentibus ferretur adverſus illos homines; ſe vero, ob Dei timorem & caritatem chriſtianam, Apoſtolique præceptum, nec poſſe, nec debere, quibuſcunque tandem hominibus imperantibus, ſubſcribere damnationi abſentum, & inauditorum, qui ſe libellis purgarent, catholicos confiterentur, & damnabilia ſibi objecta damnarent, quorumque cauſa, vel per ſe dubia foret, vel ſola multitudinis invidia laboraret.

Julianus in libello fidei. *Parte 4.* *Hæc autem omnia, de quibus nunc agitur, id eſt, quæ in fine damnavimus, ipſi etiam, de quibus iſta jactantur, falſo ſibi objecta teſtantes, libellis propriis damnaverunt.*

Et paulo poſt: *Abſentum damnationem, ob Dei timorem ſubſcribere non audemus, docti per ſcripturas, humanam voluntatem præceptis Dei non debere præferri, dicentes*: Non credes auditui vano, nec conſenties cum iniquo fieri teſtis injuſtus. *Exod. 23. v. 1. juxta. LXX.* *Et ne multitudini quis credendum putaret, adjunxit*: Non eris cum pluribus in malitia. *Et iterum*: Priuſquam interroges, ne vituperes quemquam. *Ibidem.* *Et iterum*: Quod viderunt oculi tui, loquere. *Item in Evangelio*: Nolite judicare, ut non judicemini. *Matth. 7. v. 1.* Nolite condemnare, ut non condemnemini; in quo enim judicio judicaveritis, judicabitur in vobis, & qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. *Unde & ſanctus Apoſtolus Paulus judicandi regulam Epiſcopis ſanciens, ait*: *1. Timoth. 5. v. 19.* Adverſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. *His igitur & cæteris teſtimoniis confirmati metuimus in abſentum & nobis inauditorum capita dictare ſententiam, niſi cum præſentes fuerint confutati.*

Tertium adverſus imperialem ſanctionem. Contra ſanctionem Imperatoris exceperunt primo, efflagitatam a ſuis adverſariis propter imbecillitatem cauſæ, ut quos ratione non poſſent, auctoritatis pondere opprimerent. Auguſtinus. *Lib. 3. adverſ. Jul. c. 1.* *Jam vos ergo totius pœniteat hujus erroris, ne argumento miſerrimo utamini, quo univerſi utuntur hæretici, quos a pernicioſa licentia leges Imperatorum catholicorum premunt. Omnes quippe hujuſmodi dicunt, quod ipſe dixiſti, laborare illam partem rationis inopia, quæ in differendo, cum terrorem ſubrogat, nullum a prudentibus impetrat, ſed cæcum a meticuloſis extorquet aſſenſum. Novi quidem hæretici vos eſtis, ſed iſtam pæne omnium hæreticorum veterem vocem cum cæteris agnoviſtis, atque tenuiſtis.*

Secundo, redemptam fuiſſe muneribus potentum gratiam apud Imperatorem. Julianus. *Lib. 1. operis imperf. c. 42.* *Tribunis octoginta & amplius equos tota Africa ſaginatos collega tuus nuper adduxit Alipius.*

Et poſtea: *Ibid. c. 72.* *Ampliſſimam eſſe noſtri negotii dignitatem, cum ipſa rerum conſideratio, & appenſio indicat, quas tuemur; tum etiam veſter pavor, qui contra noſtrorum ſanguinem, pecuniarum effuſione, hæreditatum largitate, populorum ſeditione, poteſtatum corruptione pugnantes, & fidem veſtram, quæ a nobis impugnatur, erubeſcitis profiteri, & ad noſtræ ſententiæ, a qua deviatis, verba confugitis.*

Et alibi: *Cur tantis totam Italiam factionibus commoviſtis? cur ſeditiones Romæ conductis populis excitaſtis? cur de pauperum ſubſtantia ſaginaſtis per totam fere Africam equorum greges, quos proſequente Alipio Tribunis, & Centurionibus deſtinaſtis? cur matronarum oblatis hæreditatibus poteſtates ſæculi corrupiſtis, ut in nos ſtipula furoris publici arderet? cur diſſipaſtis Eccleſiarum quietem? cur religioſi Principis tempora perſecutionum impietate maculaſtis?*

Tertio, ex ſubreptione obtentam legem. Julianus. *Lib. 1. operis imperf. c. 9.* *Laudat* (Auguſtinus) *potentem hominem, quod noſtris petitionibus, qui nihil aliud, quam dari tanto negotio judices vociferabamur, ut ea quæ ſubreptionibus acta conſtabat, emendarentur potius, quam exponerentur examini, mole ſuæ dignitatis obſtiterit, nec diſceptationis tempus aut locum permiſerit impetrare.*

Quarto denique, ipſam pro Pelagianis facere. Auguſtinus. *Lib. 3. contra Jul. c. 1.* *Sane, ut dicis, ſi pro vobis potius ab Imperatore reſponſum eſt, cur non in medium proſilitis, & hoc ul-*

tro

tro publicis poteſtatibus allegatis, vos eſſe monſtrantes, quorum chriſtianus Princeps approbavit fidem? verum fidei legem, non ſicut ſeſe habet, ſed ſicut vobis placet, intelligitis: quid mirum, ſi & de lege Imperatoris hoc facitis?

Pelagius præiverat ſuis, nam cum damnata fuiſſent ipſius dogmata in concilio Dioſpolitano, miſſis ad amicum literis, falſaque rei totius relatione, perinde gloriatus eſt, ac ſi triumphaſſet de adverſariis, ſuumque errorem Epiſcopis approbaſſet. *Quatuordecim*, inquit, *Epiſcoporum ſententia definitio noſtra comprobata eſt, qua diximus*, poſſe hominem ſine peccato eſſe, & Dei mandata facile cuſtodire, ſi velit. *Quæ ſententia contradictionis os confuſione perfudit, & omnem in malum conſpirantem ſocietatem ab invicem ſeparavit.* Ad hæc Auguſtinus. *Sive ergo iſtam epiſtolam Pelagius vere ſcripſerit, ſive ſub ejus nomine a quocumque conficta ſit, quis non videat, quemadmodum hic de errore, & judicio, in quo convictus atque damnatus eſt, tanquam de victoria glorietur?*

Exceptionem recuſantium Imperator, IMPIAM OBSTINATIONEM, SECRETOS TRACTATUS, CONNIVENTIAM, ET FAVOREM SACRILEGIO PUBLICA AUCTORITATE DAMNATO PRÆSTITUM interpretatus eſt.

Quam in partem accepta ſit detrectantium exceptio. Ab Imperatore in ſanctione.

Aurelius hanc ipſam habuit ſuſpectam VEL DISSIMULATIONIS, VEL NEGLIGENTIÆ, VEL OCCULTÆ PRAVITATIS.

Ab Aurelio in ep. ad Epiſc. prov. Byzacen.

Sanctus Leo judicavit eſſe VERSUTIAM, qua recuſantes nihil ſuorum ſenſuum non exiſtimarent poſſe eſſe ſalvum, ſi per ſe aliquid communi formulæ, vel adderent, vel detraherent.

A S. Leone ſummo pontifice epiſt. 86. ad Nicet. Aquileg.

C A P U T X.

Quibus aliis artibus recuſantes uſi ſint ad tergiverſandum.

Aliæ artes recuſantium.

Prima, petere ut cauſa retractaretur, &c.

PERTINACES illi, ſuſpectique, & verſuti homines non id tantum exceperunt, quod huc uſque diximus, etſi magnæ fuit per ſe audaciæ: ſed poſtularunt inſuper, quod extremæ cujuſdam erat impudentiæ, vel retractari cauſam apud idoneos judices, vel etiam a catholicis damnari, quæ ipſi objiciebant.

Lib. 1. ad Boniſac. cap. 23.

Cæleſtius in epiſtola ad clericos Romanos. *Nemo ergo vos ſeducat, nec ſe negent impii iſta ſentire. Sed ſi verum dicunt, aut audientia detur, aut certe ipſi iſti Epiſcopi, qui nunc diſſident, damnent, quæ ſupra dixi, cum Manichæis ſe iſta tenere, ſicut nos iſta damnamus, quæ de nobis jactant; & ſit plena concordia.*

Lib. 1. operis imperf. c. 9.

Huc pertinent verba Juliani mox allata de Auguſtino dicentis: *Laudat etiam potentem hominem*, &c. Pertinet etiam Theodori Mopſueſteni calumnioſa exprobratio facta Auguſtino, contra quem quinque libros ſcripſit. *Nihil illorum perſpicere potuit mirabilis peccati originalis aſſertor, quippe qui in divinis ſcripturis nequaquam fuerit exercitatus, nec ab infantia ſacras didicerit literas, ſed ſive de ſcripturæ ſenſibus, ſive de dogmate ſæpe declamans multa frequenter inepta proprie communiterve de ipſis ſcripturis, dogmatibuſve plurimis deprompſit: nam potentiæ metus nullum contra ſinebat effari, ſed tantummodo taciti, qui divinarum ſcripturarum habebant notitiam, ſe retrahebant.*

Lib. 2. ſub fin. Vide excerpt. 2. Marc. Mercat.

Secunda, appellare œcumenicam ſynodum.

Sin minus vero poſtulatum hoc obtinerent, auſi ſunt, communi hæreticorum more, provocare ad audientiam œcumenicæ ſynodi, perinde quaſi non ſatis cauſa jam finita eſſet, poſtquam a ſede apoſtolica *repetitæ damnationis reſcriptum* veniſſet; & illud quidem tam ſolemne, ut ad univerſos orbis Epiſcopos miſſum, *mundi manu*, quod ait Proſper, ſubſcriptum fuiſſet.

In libello part. 4. num. 2.

Julianus. *Hæc, ut nobis ſecundum regulam catholicam viſum eſt, veſtræ ſanctitati conſcripta tranſmiſimus, quæ ſi aliter putatis tenenda, reſcribite. Sin autem contradici iſtis non poteſt, & tamen aliquis voluerit contra nos ſcandalum concitare, certa ſit ſanctitas veſtra, nos ad audientiam plenariæ ſynodi provocaſſe.*

Tertia, ſenſum affingere quem vellent, propoſitionibus damnandis.

Quod ſi nec iſtud ex animi ſententia ſuccederet, ſed inviti cogerentur ſententias ſuas ſuorumve damnare, id ſe facturos promiſerunt, ea tamen cautione, ut verbis in ſpeciem religioſis impietatem tegerent. Conteſtati ſunt enim, ſe ſententias, quæ objicerentur, rejicere, ſecundum Eccleſiæ ſenſum: certi nimirum poſtea ſenſum, quem dicerent Eccleſiæ, quam vellent in partem interpretari. Id fecit primum Dioſpoli Pelagius. *Quæ dixi non eſſe mea, ſecundum judicium ſanctæ Eccleſiæ reprobo, anathema dicens omni contravenienti & contradicenti ſanctæ Eccleſiæ doctrinis. Ego enim in unius ſubſtantiæ unitatem credo, & omnia ſecundum doctrinam ſanctæ catholicæ Eccleſiæ; Si quis vero aliena ab hac ſapit, anathema ſit.* Quid malignæ aut ineptæ potius verſutiæ lateret ſub his vocibus, *ſecundum judicium Eccleſiæ*, aperuit Auguſtinus.

Pelagius. Lib. de geſt. Palæſt. c. 19.

Ibid. c. 35.

Cæleſtius. Lib. de peccat. orig. c. 7. & lib. 2. ad Boniſ. c. 3.

Id deinde præſtitit Cæleſtius magiſtri exemplum ſecutus: nam cum urgeretur a ſummo Pontifice objecta ſibi damnare, ſe conſentire reſpondit ſancti Innocentii literis, & ea ſe reprobare, quæ ſedes apoſtolica reprobaret. Videndus ſuper ea re Auguſtinus.

Julianus.

Utrumque Julianus non tantum imitatus eſt, ſed vicit etiam: nam cum tractoria Zoſimi ſubſcribenda foret, & in ea quinque propoſitiones proſcriberentur, ſingulis ſuum affinxit ſenſum, quo ipſas rejiceret. Id prolixe Marius Mercator proſecutus eſt, noſque in notis ad Mercatorem expoſuimus.

Lib. Subnot. c. 6.

Eo pertinet, quod in ſuæ fidei libellis Pelagius Cæleſtiuſque ſpondebant fore, ut apoſtolicæ ſedis definitionibus acquieſcerent; ſed ea fuit perfidorum hominum verſutia, qua declinarent juſti judicii ſententiam, viderenturque columnam veritatis amplecti, tunc cum eam labefactam vellent.

Quarta, obfirmare animum exemplo martyrum, quaſi perſecutionem paterentur.

Si autem inanis foret & iſta fraus, tunc erumpente foras animi obſtinatione, generoſa quadam hypocriſi obteſtati ſunt verbis jactantiæ pleniſſimis, ſe nulla unquam vi de propoſito dimotum iri, ſed conſtanter perſecutionem pro fide catholica, *temporibus etiam orthodoxis*, paſſuros, exemplo generoſorum illorum martyrum, qui prope anhelam fornacem, ut loquitur Julianus, imperterriti reſponderunt cogenti Regi: *Potens eſt Deus, o Rex, liberare nos de fornace hac*, &c.

Dan. 3. v. 17.

Poſt hanc ſententiam Babylonicorum puerorum amplificatam, paratragœdiabat homo vaniſſimus in hunc modum: *De hac & nos diſciplina, quam reliquerunt illuſtres magiſtri, intelligimus tenendam, in proſperis, votorum mediocritatem; in dogmatibus vero fidei, conſiliorum perennitatem: optamuſque, perſecutionum tumore compreſſo, etiam populis ſubvenire. At ſi id non accidat, ſtat quidquid acerbum eſt contumeliis & periculis, perpeti, quam non averſari illuviem, ſordeſque Manichæas.*

Part. 4. num. 9.

Non minus exaggeratis verbis uſus eſt in libello fidei. *Certum ſit apud ſanctitatem veſtram, quia quantumlibet hoc mare ventis flantibus intumeſcat, & amaris in nos fluctibus efferatur, nunquam integri judicii domum, quæ ſupra juſtitiam Chriſti fundata eſt, poterit commovere.*

Quinta, de Conſtantia libros ſcribere. Beda præf. in cant. c. 5.

Hæc videntur excerpta ex libro *de Conſtantia pro defendenda veritate contra omnia quæ ipſi reſiſtunt*: quem Julianus ad ſuos ſcripſit, quo tempore Bonifacius ſummus pontifex, non tantum apoſtolicis, ſed etiam regiis utebatur edictis, ut eos de clero cogeret damnationem Pelagii Cæleſtiique ſubſcribere, qui ſuas ſedes, ſuoſque gradus, & fidelium communionem retinere

A a 2

tinere vellent. Id enim fecit hæreticus ille, quod ſibi ſolent; abuſus eſt doctiſſimorum orthodoxorumque virorum dictis, imo & ſanctorum exemplis, ad erroris ſui participum obfirmandos animos, ut obſiſterent Eccleſiæ ſæculique poteſtatibus, perinde ac martyres tyrannis & fidei perſecutoribus.

Quod ſoliti hæretici, cum urgerentur.

Parmenianus.

Lib. 3. adverſ. ep. Parmen. c. 6.

Id autem facere ſolitos ſuis temporibus hæreticos, imo & quæ paterentur a Principibus, vocare martyria, teſtatur Auguſtinus, cum ubique paſſim, tum maxime, ubi reſpondet epiſtolæ Parmeniani Ticonium exhortantis ad perſecutionem magis ferendam, quam deſerendas Donati partes. *Audent*, inquit, *ſacrilega ſchiſmata, vel hæreſes impiæ, ſi quando in flagello, ut ſe corrigant, admonentur, pœnas erroris ſui inter martyria deputare*, &c.

Hac occaſione non poſſum non monere, quid animadverterim inter legendam quinti ſæculi hiſtoriam, nullos tunc temporis hæreticos fuiſſe, (fuerunt autem multi, iique nobiles) qui cum ſuam ſectam viderent juſtis Eccleſiæ fulminibus feriri, non continuo ſpargerent in vulgus LIBELLOS DE CONSTANSTIA, quibus in ſpeciem ſuos ad ſectanda martyrum exempla hortarentur: reipſa tamen per nefandas iniquæ comparationis artes, vindices fidei a Deo conſtitutos accuſarent injuſtitiæ cujuſdam tyrannicæ, imo & paris cum ethnica impietatis.

Neſtorius. Epiſt. ad Cæleſt.

Sic Neſtorius Cæleſtium cum ſuis a Theodoſio religioſiſſimo principe pulſum urbe regia, AD CONSTANTIAM in aſſerenda veritate hortatus eſt exemplo, tum Joannis, qui ab Herode; tum Petri, & Pauli, qui a Nerone paſſi ſunt.

Evag. l. 1. c. 7.

Sic idem, cum Præfecto Thebaidis miſerabiliter exponeret, quæ ferre cogeretur in exilio, Imperatores, & Magiſtratus maledictis onerabat.

Theodoretus. Epiſt. ad Andr. monarch. apud Mar. Mercat.

Sic Theodoretus nondum ſanus, miſſis Conſtantinopolim literis, & hoc Apoſtoli loco abutens: *Fidelis Deus, qui non patietur nos & vos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed faciet cum tentatione profectum*; ſuos ita ad pertinaciam accendebat, ut ſimul argueret iniquitatis in Neſtorium commiſſæ, quotquot Ægyptio (ita ſanctum Cyrillum appellabat) conſenſiſſent, ſanctiſſimumque virum damnaſſent. Damnarunt vero ſanctus Celeſtinus, ducenti ſeptuaginta quinque Epiſcopi in Epheſina ſynodo, imperatores religioſiſſimi Honorius & Valentinianus, &c.

Quid reſponſum a Patribus.

Serm. 2. de verbis Apoſt.

Ad primam tergiverſandi cauſam, reſponderat, jam inde a temporibus Innocentii, Auguſtinus, cum verba faceret ad populum de Pelagianis. *Fratres mei, ubi tales inveneritis, occultare nolite: non ſit in vobis perverſa miſericordia. Redarguite contradicentes, & reſiſtentes ad nos perducite. Jam enim de hac cauſa duo concilia miſſa ſunt ad ſedem apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt, utinam aliquando finiatur error.*

Epiſt. ad Neſt. 1. part. conc. Epheſ. c. 17.

Reſpondit ſanctus Cæleſtinus. *Defleant infelices, ſpe ſe hominum fuiſſe deceptos: quibus jam poteſt propter communionem ſola pœnitentia ſubvenire.*

3. parte conc. Epheſ. in epiſt. ad Patr. Epheſ.

Et alibi: *Ejiciantur e civitatibus ſuis, & ſe in noſtro collegio noverint non futuros, niſi ſecundum eccleſiaſticum, & chriſtianorum Principum conſtitutum, damnata cum auctoribus, ſociiſque damnantes, ſe profiteantur catholicos ſacerdotes.*

Ibid. in ep. ad Maximian.

Et iterum: *Compreſſo olim, & per totum orbem ſua damnatione noto Cæleſtiano errori tua vigilantia reſiſtatur, ut quicunque hujus dogmatis ſunt ſequaces, ab omni ſocietate hominum repellantur*, &c.

Lib. contra Collat. c. 41.

De his Cæleſtini reſponſis ita ſcripſit Proſper. *Venerabilis memoriæ pontifex Cæleſtinus, cui ad catholicæ Eccleſiæ præſidium multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt, ſciens damnatis, non examen judicii, ſed ſolum pœnitentiæ præſidium eſſe præſtandum, Cæleſtium, quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus juſſit extrudi: adeo & prædeceſſorum ſuorum ſtatuta & decreta ſynodalia inviolabiliter ſervanda cenſebat;* UT QUOD SEMEL MERUERAT ABSCINDI, NUNQUAM ADMITTERET RETRACTARI.

Lib. 4. ad Boniſ. cap. ult.

Secundam cauſam unus ſatis Auguſtinus confutavit. *Quid eſt quod dicunt: De ſimplicibus Epiſcopis ſine congregatione ſynodi extorta ſubſcriptio eſt? aut vero congregatione opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi ſynodi congregatione damnata ſit; cum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit; multoque ſint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerint, atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt. Verum iſtorum ſuperbia, quæ tantum ſe extollit adverſus Deum, ut non in illo velit, ſed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis ſynodus congregetur. Orbem quippe catholicum, quoniam, Domino eis reſiſtente, pervertere nequeunt, ſaltem commovere conantur: cum potius vigilantia & diligentia paſtorali, poſt factum illis competens ſufficienſque judicium, ubicumque iſti lupi apparuerint, conterendi ſint, ſive ut ſanentur atque mutentur, ſive ut ab aliorum ſalute, atque integritate vitentur, adjuvante Paſtore paſtorum*, &c.

Ad tertiam aliaſque, quibus ſe vi opprimi proteſtarentur, reſpondit Auguſtinus, fraudulentas eſſe voces, quibus obedientiam ſedi apoſtolicæ promitterent: mendacem profeſſionem, qua ſe Eccleſiæ ſententiæ adhærere jurarent: non eſſe hanc, quam paterentur, PERSECUTIONEM, SED COERCITIONIS DISCIPLINAM. *Abſit*, inquit, *a chriſtianis poteſtatibus terrenæ reipublicæ, ut de antiqua fide catholica dubitent, & ob hoc oppugnatoribus ejus locum, & tempus examinis præbeant: ac non potius in ea certi atque fundati, talibus, quales vos eſtis, inimicis ejus diſciplinam coërcitionis imponant*, &c.

Lib. 1. op. imperf. c. 9.

Et libro ſecundo ejuſdem operis, dicenti Juliano. *Inde eſt quippe, quod omnibus opibus negationem examinis a mundi poteſtatibus comparatis: intelligitis enim ſic agendum vobis, cum deſeremini rationis auxilio.* Reſpondet Auguſtinus. *Quid adhuc quæris examen, quod jam factum eſt apud ſedem apoſtolicam; quod denique factum eſt in epiſcopali judicio Palæſtino, ubi Pelagius veſtri auctor erroris damnatus eſſet, niſi iſta, quæ tu defendis, dogmata damnaſſet? Ergo hæreſis ab Epiſcopis non adhuc examinanda, ſed coercenda eſt poteſtatibus chriſtianis.*

Cap. 105.

Et libro tertio prioris operis. *Jam vos ergo totius pœniteat erroris hujus, ne argumento miſerrimo utamini, quo univerſi utuntur hæretici, quos a pernicioſa licentia leges Imperatorum chriſtianorum premunt.*

Lib. 3. adverſus Jul. cap. 1.

Et paulo poſt: *Veſtra, apud competens judicium communium Epiſcoporum, modo cauſa finita eſt, nec amplius vobiſcum agendum eſt, quantum ad jus examinis pertinet, niſi ut prolatam de hac re ſententiam cum pace ſequamini; quod ſi nolueritis, a turbulenta vel inſidioſa inquietudine cohibeamini.*

Ibidem.

Et poſtea: *Putatis ideo vos eſſe victores, quia non vobis datum eſt, quale deſideratis examen; Maximianiſtæ vos ad iſta vaniloquia præceſſerunt, quamvis dederit vobis catholica Eccleſia judicium, quale debuit, ubi cauſa veſtra finita eſt.*

Ibidem.

CAPUT

CAPUT XI.

Qua ratione ſit actum cum recuſantibus, & reſipiſcentibus.

Quomodo cum recuſantibus actum ſit.

QUOMODO ſe geſſerit Eccleſia cum recuſantibus, tum ex iis, quæ dicta ſunt hactenus de Zoſimi, & Imperatorum ſtatutis; tum ex ſancti Cæleſtini, Leonis, & Gelaſii mandatis apoſtolicis manifeſte conſtat.

3 parte conc. Epheſ. c. 20.

Sanctus Cæleſtinus. *Ejiciantur de ſuis civitatibus, & ſe in noſtro collegio noverint non futuros,* &c.

Epiſt. 85.

Sanctus Leo. *Si quiſquam ſalubribus præceptis ſatisfacere detrectarit, ſive ille clericus, ſive ſit laicus, ab Eccleſiæ ſocietate pellatur, ne perditor animæ ſuæ ſaluti inſidietur alienæ.*

Epiſt. 7 ad Epiſcopos per Picenum.

Sanctus Gelaſius. *Sufficiat hactenus fuiſſe hæc commiſſa, & ut placeatur Deo, humanis rebus ſollicitius divina curentur. Nuſquam loci prorſus inveniatur præfatæ peſtis aſſertor, nec acceſſum prorſus Eccleſiæ, vel uſquam participationem catholicæ communionis inveniat, qui hæreticorum mavult ſequi nefaria profuſione conſortium, & hi, cum quibus antea probabitur noxium miſcuiſſe colloquium, niſi reſipiſcunt, & ab ejus ſocietate diſcedunt, ab eccleſiaſtico remoti ſervitio, devota ultione plectantur, qua cæteris cavendi miniſtretur exemplum. Nullum adeat, nec uſquam loqui damnatæ olim blaſphemiæ jam ſinantur.*

Quomodo cum reſipiſcentibus.

Quanta indulgentia reſipiſcentes excepti ſint ab Eccleſia, conſtat partim ex decreto Innocentii, cui religioſe paritum eſt, partim ex Poſſidii Mercatoriſque teſtimonio. Nam ubi primum Innocentius Pelagium Cæleſtiumque damnavit, ea uſus eſt apoſtolica providentia, ut quemadmodum puniendi obſtinatos, ſic recipiendi pœnitentes, legem præſcriberet. *Avellendi ſunt,* inquit, *longius, & ab Eccleſiæ procul removendi viſceribus, ne diutius multa occupans inſanabilis poſt error increſcat. Si enim diu fuerint in hac impunitate verſati, neceſſe eſt multos in hanc ſuæ pravitatem mentis inducant, decipiantque innocentes, vel potius imprudentes, qui fidem catholicam non ſequuntur. Putabunt enim eos recte ſentire, quos adhuc viderint in Eccleſia perdurare. Separetur ergo a ſano corpore vulnus inſanum, remotoque morbi ſævientis afflatu, cautius, quæ ſunt ſincera, perdurent, & grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur: ſit totius corporis illibata perfectio. Sed ſi damnent hæc, quæ uſque ſenſerunt, erit in poteſtate Pontificum iſtis aliquatenus ſubvenire, & curam præſtare vulneribus, quam ſolet lapſis, cum reſipuerint, Eccleſia non negare,* &c.

Epiſt. ad Patres conc. Carthag.

Apud Auguſt. epiſt. 93.

In eandem ſententiam ſcripſerat quoque Patribus concilii Milevitani. *Pelagium Cæleſtiumque eccleſiaſtica communione privari apoſtolici vigoris auctoritate cenſemus, donec reſipiſcant de diaboli laqueis, a quo captivi tenentur,* &c. *Abſcindendi ſunt* QUI VOS CONTURBANT, ET VOLUNT CONVERTERE EVANGELIUM CHRISTI. *Simul autem præcipimus, ut quicunque id pertinacia ſimili defenſare nituntur, par eos vindicta conſtringat, quia non multum intereſſe arbitror, inter committentis animum, & conſentientis favorem,* &c. *Jubemus, quoniam Dominus propria voluntate ſignificavit, nolle ſe mortem morientis, ſed tantum ut revertatur & vivat; ſi unquam ſani, depoſito pravi dogmatis errore, reſipuerint, damnarintque ea, quorum ſe ipſi prævaricatione damnarunt, eis medicinam ſolitum, id eſt, receptaculum ſuum ab Eccleſia non negari: ne dum eos redeuntes forſitan prohibemus, vere extra ovile remanentes expectantis hoſtis faucibus glutiantur.*

Gal. 1. v. 7.

Lib. de peccat. orig. cap. 22.

Hanc legem ſequutus eſt Zoſimus, teſte Auguſtino. *Cum conſtet,* inquit, *dogma extitiſſe peſtiferum, & hæreticum errorem, quem Domino adjuvante apertius jam devitat Eccleſia, duobus iſtis, Pelagio ſcilicet & Cæleſtio, aut in locum pœnitentiæ redactis, aut ſi id recuſaverint, omnino damnatis,* &c.

Carm. de Ingr. cap. 2.

De eodem Pontifice loquitur Proſper:
Sic moderante ſuam legem bonitate ſevera,
Ut qui damnato vellent de errore reverti,
Acciperent pacem, pulſis, qui prava tenerent.

In vita S. Aug. cap. 18.

Et vero multos ad Eccleſiam rediiſſe tradit Poſſidius. *Unde nonnulli ex eis* (hæreticis Eccleſiæ judicio & Imperatoris lege damnatis) *ad ſanctæ matris Eccleſiæ gremium, unde reſilierant, redierunt, & adhuc alii redeunt, innoteſcente & prævaleſcente, adverſus illum deteſtabilem errorem, rectæ fidei veritate.*

In Commonit. cap. 3.

Poſſidio conſentit Marius Mercator. *Ex quibus* (ſubſcribere detrectantibus) *plurimi reſipiſcentes, & a prædicto errore correcti, regreſſi ſunt ſupplices ad ſedem apoſtolicam, & ſuſcepti ſuas Eccleſias receperunt.*

Ibid. cap. 3.

Et poſtea: *Multi Juliani participes, eo derelicto, Pelagioque damnato, ſedi ſe apoſtolicæ ſubmittentes, & pœnitere ſuper his, quæ male ſenſerunt, profitentes, a ſanctis paſtoribus, digni habiti miſeratione, ſuſcepti ſunt.*

DISSERTATIO V.

DE

LIBELLIS FIDEI

SCRIPTIS AB AUCTORIBUS

ET

PRÆCIPUIS DEFENSORIBUS

HÆRESIS PELAGIANÆ.

Ad illa verba Mercatoris: *Audi nunc & tu, & qui me & te dignanter habuerint legere, quid contra hunc ſenſum tuum impiiſſimum, praviſſimum, impudentiſſimum, petulantiſſimum, quid olim ipſe pronuntiaveris in epiſtola videlicet tua, quam ad ſedem apoſtolicam illo tempore auſus es mittere, quando conventus detrectaſti, cum univerſa Eccleſia per totum orbem, Pelagium Cæleſtiumque damnare.* *Lib. ſubn. cap. 6. num. 3.*

Argumentum diſſertationis.

NULLUS ex his, quos diximus hæreſis Pelagianæ ſive auctores, ſive præcipuos defenſores, non edidit fidei ſuæ expoſitionem, qua errorem tegeret verbis catholicis, tectumque aliis minus prudentibus inſinuaret eo facibus, quo callidius ſuaderet.

Omnes Pelagianæ hæreſis auctores, & præcipui defenſores ediderunt fidei ſuæ libellos.

Suam ſcripſit Theodorus Mopſueſtenus, quam Marius Mercator interpretatus eſt; ſuam Rufinus Syrus, quam e tenebris eruit Pater Sirmondus; ſuam Pelagius, qua ſe purgaret apud Innocentium; ſuam pariter Cæleſtius, quæ nunc editur integra; duas ſcripſit ad Zoſimum ſummum pontificem Julianus, e quibus una, quam nomine octodecim Epiſcoporum Siculorum poſt damnationem Pelagii Cæleſtiique miſit, nunc primum publicatur, & ea quidem integra: alterius fragmenta ſunt apud Mercatorem in Subnotationibus. quamquam poteſt habere ſpeciem aliquam profeſſionis fidei epiſtola, ſive quam Cæleſtius clericis Romanis ſuæ partis, ſive quam Julianus Rufo Theſſalonicenſi Epiſcopo ſcripſit.

Ratio diſſertationis ſuſcipiendæ.

Has omnes ego una collectas exhibendas putavi, ut facilius conferri poſſint, ſimulque conſtet, quomodo & in omnibus iſtis hominibus unus fuerit erroris ſpiritus, & conſequentes a prioribus acceperint, quæ nihilominus tanquam ſua jactarunt.

Omnes porro, præterquam quæ Theodori eſt, tribus conſtant partibus, theologica, œconomica, & ethica. Prima de Deo eſt; altera de Chriſto; tertia de homine. Omnium confeſſionum ampliſſima eſt Rufiniana, tum Julianæa; mediocres Pelagiana & Cæleſtiana; breviſſima Theodoriana, quippe quæ nihil habet de quæſtionibus ad hominem pertinentibus. *Quæ partes ſingularum confeſſionum.*

In parte theologica nihil ulla continet erroris, præterquam de proceſſione Spiritus ſancti a Filio, quam aperte Theodorus, tacite Pelagius, Cæleſtius & Julianus negant. In parte œconomica manifeſte Theodorus Samoſatenum ſequitur, & divinitatem Chriſti, atque θεότητα oppugnat; verbis ambiguis loquuntur alii quatuor, Juliani tamen impietatem, etſi callide diſſimulatam, Auguſtinus detexiſſe ſibi viſus eſt. De parte ethica nihil attigit Theodorus; Rufinus impudenter, ut & Cæleſtius cum Juliano, peccatum originale abnegat. De gratia Pelagius Cæleſtiuſque & Julianus perplexe ſententiam dixerunt. Omnes conquiſitis nequiter verbis utuntur, partim ut adverſariis invidiam Manichæorum, atque Apolinariſtarum, aliorumque hæreticorum creent, partim ut ſe defendant adverſus objecta, partim ut pietatem oſtentent. *Qualis unaquæque.*

SYM-

Habetur Græce a part. conc. Epheſ. act. 6.

SYMBOLUM THEODORI
MOPSUESTIÆ EPISCOPI,
INTERPRETE MARIO MERCATORE.

SUPERFLUUM eſt annotare quidquam diligentius hoc in loco, cum & prius ad præfationem antea relatam non pauca expoſuerimus Pelagianam cauſam ſpectantia, & plura proſecuturi ſimus in ſecunda parte operum Mercatoris, qua Neſtoriana cauſa continetur.

Reſtat igitur monere, mentionem iſtius ſymboli nunc fieri, imo totum deſcribi, ex verſione Mercatoris, (qui & refutationem ſcripſit) ut ex collatione cum aliis confeſſionibus intelligere lectori liceat, quo jure ſuſpecta dixi, quæ de proceſſione Spiritus ſancti, atque incarnatione Verbi a Pelagianis afferuntur: ſiquidem cum Theodorianis, ſin minus reipſa, verbo ſaltem conſonent.

PARS THEOLOGICA, DE SANCTISSIMA TRINITATE.

I. QUI, aut nunc primum in eccleſiaſticis erudiuntur dogmatibus liquido cognoſcendis, aut ab hæretico errore converti decreverint ad veritatem, doceri eos oportet, quoniam

II. De Patre. Credimus in unum Deum Patrem ſempiternum: non qui poſtmodum cœperit ut eſſet, ſed qui ab æterno ſit, ſempiternus Deus; nec qui poſtea factus ſit Pater, quoniam ſemper erat Deus, ſemper erat Deus Deus Pater.

III. De Filio. Credimus & in unum Filium Dei unigenitum, qui eſt de ſubſtantia vel eſſentia Patris, tanquam vere Filius, & ejuſdem eſſentiæ cum eo, cujus eſt & creditur eſſe Filius.

IV. De Spiritu ſancto. Et in Spiritum ſanctum, qui ſit de Dei ſubſtantia vel eſſentia, non qui Filius ſit: Deus autem eſſentia, tanquam qui ſit illius eſſentiæ, cujus eſt Deus Pater, ex quo ſecundum eſſentiam eſt. *Nos enim*, inquit Scriptura, *non ſpiritum mundi hujus accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt*, (1 Cor. 2. v. 12.) ab omni eum creatura alienans, Deo vero conjungens & copulans, ex quo vel de quo eſt ſecundum eſſentiam, ſpeciali videlicet ratione ſupra omnem omnimodo creaturam, quæ non ſecundum eſſentiam Dei, ſed ſecundum quod factura eſt, cauſam habens, ex Deo eſſe putatur: quem neque Filium, neque per Filium exiſtentiam accepiſſe putamus. (Fons erroris Græcorum de proceſſione Spiritus ſancti a ſolo Patre.)

V. De omnibus ſimul perſonis. Confitemur autem Patrem perfectum in perſona, & Filium ſimiliter, Spiritum quoque ſanctum pari modo, ſalva nobis ratione pietatis, in qua Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum non tres aliquas diverſas putemus eſſe eſſentias, ſed unam, quam in Deitatis unitate & parilitate cognoſcimus.

PARS OECONOMICA, DE INCARNATIONE VERBI DIVINI.

VI. OPORTET autem & de diſpenſatione, quam ſecundum Dominum JESUM CHRISTUM pro ſalute noſtra conſummavit Dominus Deus, noſſe nos, quoniam Dei Verbum hominem ſuſcepit perfectum ex ſemine Abraham & David, ſecundum ſcripturarum divinarum eloquia: hoc extantem ſecundum naturam, quod erant & illi, quorum erat ex ſemine: (Hunc locum vexat Mercator.) hominem natura perfectum, ex anima rationali & carne humana conſtitutum, quemque hominem ſecundum nos naturaliter, virtute & potentia Spiritus ſancti in Virginis utero figuratum, *factum ex muliere, factum ſub lege, ut omnes nos ex maledicto legis & ſervitute redimeret, adoptionem filiorum olim prædeſtinatam recipientes*, (Gal. 4. v. 4.) inenarrabiliter copulavit ſibi atque conjunxit.

VII. Mortem quidem eum ſecundum hominum legem præparans experiri; *ſuſcitans vero a mortuis, & in cælum ſublevans, ſedere fecit ad dexteram Dei, propter quod ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & dominationem, & virtutem, & omne nomen, quod nominatur, non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro*, (Epheſ. 1. v. 21.) ab omni creatura adorabilis ſuſcepit venerationem, tanquam inſeparabilem cum divina natura habens conjunctionem, & illi, tanquam Deo, ſupra omnem cogitationem & intellectum, univerſa creatura reverentiam exhibente.

VIII. Et neque duos dicimus Filios, nec duos Dominos, quoniam unus Filius ſecundum eſſentiam, Verbum Deus, unigenitus Filius Patris, (Hunc locum vexat pariter Mercator.) cui iſte conjunctus, particepſque divinitatis, communem habet Filii nuncupationem & honorem: nihilominus unus Dominus ſecundum eſſentiam Deus Verbum eſt, (Fons Neſtorianiſmi.) cui quia conjunctus iſte & ſociatus eſt, communionem habet honoris cum illo; & propterea neque duos dicimus Filios, neque Dominos duos, quoniam, hoc in manifeſto exiſtente, qui ſecundum eſſentiam Dominus & Filius eſt, inſeparabilem habet ad eum conjunctionem & ſocietatem: ideo qui pro noſtra ſalute aſſumptus eſt, conrefertur tam nuncupationi quam honori & Filii & Domini; non ſicut unuſquiſque noſtrum ex ſe exiſtens appellatur filius Dei, unde & plures filii Dei dicimur, ſecundum beatum Apoſtolum Paulum, ſed ſingulariter hoc habens: ideo (Gal. 3. v. 26.)
quod

117

Digitized by Google

quod Deo Verbo conjunctus, eſt dignitatis Filii & dominationis particeps; aufert quidem omnino duorum Dominorum & Filiorum intelligentiam; præſtat autem nobis, in conjunctione Dei Verbi omnem habere fidem, omnemque intellectum & contemplationem. Ob hæc & venerationem ex Dei ſocietate ab omni percipit creatura.

IX. *Joan. 1. v. 3.* Unum igitur Deum dicimus & Dominum JESUM CHRISTUM, *per quem omnia facta ſunt*, principaliter quidem Deum Verbum intelligentes, qui ſecundum eſſentiam Filius Dei eſt & Dominus: pariter etiam cogitantes eum, qui ſuſceptus eſt in humana carne, *Act. 10. v. 38.* Jeſum a Nazareth, quem *unxit Deus Spiritu ſancto, & virtute*, tanquam ad Dominum Verbum habentem conjunctionem, & participantem Domini & Filii dignitati.

X. *1 Cor. 15. v. 45.* Qui & *ſecundus Adam* appellatur, ſicut beatus Apoſtolus teſtis eſt Paulus.; qui tanquam ejuſdem ſit naturæ, cujus eſt Adam, manifeſtavit nobis quidem futurum ſtatum: tantam ad illum tamen Adam habens differentiam, quantam eſſe oportuit inter eum, qui largitor & miniſter erit tantorum bonorum ſtatus futuri, & eum qui præſentium triſtium nobis initium intulit.

XI. Hinc ſimili modo & ſecundus Adam appellatur, tanquam qui ſecundum enuntiaverit ſtatum: & quoniam Adam prioris illius mortalis, & paſſibilis, & pleni multorum malorum initium factus eſt, in eoque ad eum accepimus ſimilitudinem, ſecundum ſtatum demonſtravit futurum Dominus Chriſtus, de cœlis apparens, qui omnes nos in ſuam adducet familiarem communitatem. *Primus enim*, inquit, *homo de terra terrenus, ſecundus homo Dominus de cœlo*; hoc eſt, inde viſendus, ut nos ad ſui imitationem adducat. Unde & adjungit: *Qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes: ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis.* In iſto, inquit, qui paret, & videtur ab unoquoque eorum, qui judicandi ſunt, inviſibilis faciet judicium divina natura, ſecundum Apoſtolum Paulum, qui ait: *Et tempora quidem ignorantiæ noſtræ deſpiciens Deus, nunc mandat ubique omnibus hominibus pœnitentiam agere, quia ſtatuit diem in qua judicaturus eſt orbem terrarum in juſtitia, in viro, in quo definiit, fidem præſtans, ſuſcitans eum a mortuis.*

Hunc locum arguit Mercator. *Ibid. v. 47.* *Ibid. v. 48.* *Act. 17. v. 30.*

Hæc eccleſiaſticorum dogmatum doctrina; XI.
atque adeo omnis, qui contra hæc ſentit, anathema ſit.

LIBELLUS FIDEI

A RUFINO

PALÆSTINÆ PROVINCIÆ PRESBYTERO

SCRIPTUS

Præter fidei libellum Rufinus hic ſcripſit duodecim anathematiſmos.

RUFINUS de quo nunc agitur, duos fidei ſuæ libellos edidit: unum prolixiorem, qui nunc deſcribitur; breviorem alterum, qui anathematiſmis duodecim in primam appendicem rejectis continetur. Appellantur enim anathematiſmi illi a Mercatore fidei nomine, & revera confeſſio quædam ſunt: unde poterant hoc in loco iterum reponi, ſi quid de ipſis ſupereſſet dicendum.

Libellum publico dedit P. Sirmondus, cui incognitus auctor & interpres. *In manuſcript. codic. S. Germani de Pratis.*

Ante viginti annos Pater Sirmondus librum hunc prolixiorem de fide, e Græco ſermone olim converſum in Latinum, publice propoſuit, incerto auctoris interpretiſque nomine. Neque enim putavit valde credendum, aut Joanni diacono Rufinum auctorem facienti, aut Corbeienſibus exemplaribus Pelagii nomen præferentibus. Non Joanni quidem, quia mirum quantum Origeni Rufinus ſtuduit, infenſus vero fuit libri auctor: non exemplaribus Corbeienſibus, quoniam hoc in libro præcipuum Pelagii dogma everti videtur, quod *Adamus ſive peccaſſet, ſive non peccaſſet, moriturus eſſet.*

Ita ſentiebat eruditiſſimus ſenex, nec inquirendum ulterius putavit: monebat tamen, auctorem libri, quiſquis ille fuerit, ante Pelagii damnationem ſcripſiſſe, eaque de cauſa, ſed maxime, quia inter Græcos vixerit, veniam mereri, oppugnatæ, circa peccatum originis, catholicæ fidei. Tunc enim, neque ab Eccleſia definitum quidquam erat ſuper ea re, neque fides hujuſce dogmatis apud Græcos, ut quidem videtur nonnullis, admodum conſtans fuit, aut communis.

Uterque tamen innotuit poſtea.

Abſtinuiſſem proculdubio, tanti viri judicium reveritus, ab inquiſitione curioſiore auctoris & interpretis: qui enim ſperarem me aſſecuturum, quod Sirmondum fugiſſet, niſi Marius Mercator de auctore, de interprete Sirmondus ipſe minime cogitans monuiſſet? Ille enim Rufinum Syrum meminit Pelagii & Cæleſtii magiſtrum; iſte libellum Juliani commiſit mihi diligentius excutiendum: unde orta eſt de auctore & interprete, ſin minus certa ſententia, ſaltem conjectura, nec difficilis, nec improbabilis.

Auctor Rufinus Syrus, interpres Julianus.

Auctor igitur, ut ſuo loco oſtendimus, videtur Rufinus Syrus, interpres Julianus Eclanenſis, qui tantum inde profecit, ut ſuum fidei libellum voluerit eſſe Rufiniani pene compendium: exſcripſit enim aliquando totas fere paginas.

Quo tempore auctor Græce ſcripſit. *Diſſert. 2.*

Scripſit Rufinus Græce in Oriente, priuſquam veniret Romam: venit autem ann. 2. Anaſtaſii, qui Chriſti fuit 399. Scripſit igitur paucis ante annis, ſiquidem Theodorum magiſtrum audiit, & Theodorus docere cœpit ann. 390. Verum cum hic liber oppugnet acerrime Macedonianos tacito nomine, aperto Arianos & Origeniſtas, ſuſpicari poſſet quiſpiam, ipſum fuiſſe compoſitum, etiam ante primum concilium Conſtantinopolitanum, quod celebratum eſt ann. 381. imo ante ejectionem Macedonii e ſede, quæ contigit ann. 360. nomenque Macedonii tacitum, quippe nondum ab Eccleſia notatum. Verum accenſa bilis illa in Origenem, quæ toto fere libro funditur, oſtendit ſatis tunc ſcripſiſſe auctorem, cum ſubiracunde Hieronymus in Joannem Hieroſolymitanum inveheretur, id eſt, ann. 393. aut 394.

Li-

Quo tempore interpres vertit.

Librum e Græco Latinum fecit Julianus Romæ, ea fere tempeſtate, qua Rufinus Pelagium Cæleſtiumque docebat, *non eſſe traducem peccati*: ut dogma nefarium eo minus haberet invidiæ, minuſque horroris faceret, quod ab imprudentibus lectoribus crederetur eſſe Orientalium fides.

Duabus conſtat partibus.

Duæ ſunt ipſius partes, altera quæ prolixior, altera quæ brevior: illa, quæ corpus libri eſt, continet expoſitionem fidei a Trinitate, qui Deus eſt, ad reſurrectionem carnis; iſta, quæ prioris appendix, reſpondet Arianorum quæſitis. Utraque videri poſſet catholici dogmatis pleniſſima, ſi modo exciperentur, quæ ad primos parentes pertinent, quæque ad peccatum originis & dæmonum culpam, atque etiam ad incarnationem Verbi: forte enim verſipellis hæreticus invidiæ metu verbis catholicis texit errores Theodori. Certe non ſine conſilio ſtuduit iis ſententiis uti, quas nemo Theodori ſectarius gravate uſurparet.

Quibus multa continentur catholica dogmata, ſed multi etiam errores.

Totus eſt de quæſtionibus quarti ſæculi inclinantis.

Totus liber eſt de quæſtionibus, quas tum ex Imperatorum legibus, tum ex Patrum libris ab ano. 370. ad 400. ſcriptis novimus, inclinante quarto ſæculo Eccleſiam exercuiſſe, præſertim in Oriente, ſive tunc primum ortæ eſſent, ſive nondum ſatis extinctæ. Fuerunt illæ vero decem præcipuæ a diverſis hæreticis motæ, de quibus ſingulis ſententiam dicit Rufinus: Anthropomorphitarum ſcilicet, de natura Dei, *num.* 1. & 2. Arianorum, de conſubſtantialitate Filii, *num.* 3. 9. & *tota appendice*; Eunomianorum, de Spiritu ſancto: *num.* 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 12. 13. 14. & 15. Origeniſtarum, de principiis rerum, & aliis pluribus, *num.* 16. 17. 19. 20. & 51. Photini atque Apollinarii, de Chriſto, *num.* 42. 43. 44. & 45. Novatianorum, de pœnitentia, *num.* 50. aliorum, de hominis creatione, de ejuſdem anima, de corpore, de peccato primorum parentum, *num.* 23. & 24. *num.* 25. 26. 27. & 28. *num.* 29. 30. 31. 32. 33. 34. & 35. *num.* 37. 38. 39. 40. & 41.

Utramque partem, fidem nimirum & appendicem, edidit Pater Sirmondus, ſuiſque illuſtravit notis, brevibus illis quidem, ut ſolet, ſed eruditis. Fidem edimus & nos, imo & appendicem, etſi potuiſſet omitti: viri tamen doctiſſimi notas non deſcripſimus, neque enim iis admodum opus eſt ad rem noſtram, qui toti ſumus in comparandis inter ſe hominum, quos diximus, confeſſionibus.

Et diſtinctionibus.

Sirmondus ſexaginta & uno numeris totum opus diſtinxit, ſive hoc ita ipſi viſum eſt, ſive repertum in codicibus MM.SS. Numeros ſervavimus, cum tanto viro non obſequi religioſum ſit: nihilominus auctorem ſecuti totum opus diſtribuimus in octo capita, ſuis ſingula formulis diſtincta. Primum eſt de Deo. Secundum de creatione & inviſibilibus creaturis. Tertium de cœleſtibus corporibus. Quartum de hominis anima. Quintum de ejuſdem corpore. Sextum de primorum parentum peccato. Septimum de incarnatione Verbi. Octavum de ſolvendis Arianorum quæſtionibus.

CAPUT I.

De Deo.

HÆC noſtra fides eſt, quam didicimus a Deo edoctis viris, Moyſe dico & cæteris Prophetis, qui vetus Hebræis Teſtamentum prædicaverunt; nec non etiam a ſanctis & beatis Apoſtolis & Evangeliſtis, qui novum Chriſti Teſtamentum nobis ſalubriter inſinuarunt.

I. *De ſanctiſſima Trinitate.*

Quod unus eſt Deus, habens Verbum ſubſtantivum, æquale per omnia ſibi, ſimiliter & Sapientiam ſubſtantivam, æqualem ſibi per omnia. Una ſubſtantia Patris & unigeniti Verbi & Spiritus ſancti, una potentia: unus Dominus, ſine principio, ſine fine, ſimplex & incompoſitus, incorporalis, ſine figura, ſine circumdatione: non creſcens, non deficiens, non indigens, indiviſus, infinitus, inviſibilis, incomprehenſibilis, inconvertibilis, ſine interitu, immutabilis, hoc quod eſt, ſemper & idem erit: conditor omnium poteſtatem habens, proviſor benignus, juſtus judex vivorum & mortuorum.

De Chriſto: Catholice ſentit de Virgine Θεοτόκῳ.

Et quod unicus Deus Verbum in extremo temporum natus eſt ex Spiritu ſancto & Maria ſemper virgine; & quod crucifixus mortuus eſt propter nos; & quod tertia die reſurrexit, & aſcendit in cœlos, & ſedet in dextera Patris ſui; & quod judicaturus eſt vivos & mortuos; & quod cum eadem carne, ſecundum facta ſua, unuſquiſque vicem recipiet.

OBSERVAVIT Sirmondus Sapientiæ nomen in divinis perſonis, quod tribui mos eſt Filio, fuiſſe olim qui Spiritui ſancto aſcriberent, ut hic noſter, & ante illum Theophilus Antiochenus, & Irenæus Lugdunenſis. Addo ego Marium Victorinum. Theophili enim verba ſunt: *Tres dies, qui luminarium ortum anteceſſerunt, typus ſunt Trinitatis, Dei, & Verbi ipſius, & Sapientiæ ipſius.* (Lib. 2. ad Autolycum.) Irenæus vero Deum docet ad res producendas angelorum miniſterio non egere. *Miniſtrat*, inquit, *ad omnia ſua progenies & figuratio ſua, id eſt, Filius & Spiritus ſanctus, Verbum & Sapientia.* (Lib. 4. cap. 17. & 37.) Et alio in loco: *Quoniam & Sapientia, quæ eſt Spiritus ſanctus, erat apud Deum ante omnem conſtitutionem, per Salomonem ait Deus:* Sapientia fundavit terram, paravit autem cœlum Prudentia. (Prov. 3. v. 19.) Victorinus: *Cum Chriſtus vita ſit, Spiritus autem ſanctus ſcientia & intelligentia, omnia tamen Spiritus ſanctus, quæ habet, a Chriſto accepit, Chriſtus à Patre, id eſt, ab eo quod eſt eſſe, extiterit vita, & ab eo quod eſt vivere, extiterit ſcientia & intelligere*, &c. (Lib. 4. de Trin.) Tam inſolentis appellationis cauſa eſt, quod Spiritus ſanctus, vel a dono ſapientiæ nomen accepit, vel ut credibilius eſt, omnium virtutum fons eſt atque origo. Quid ſi Platonico more ſophia poſita eſt pro amore ſapientiæ? eſt enim Spiritus ſanctus ſui principii, quæ Sapientia generans & Sapientia genita, amor quidam ſubſiſtens.

II. *Deus ſimplex & incompoſitus.*

Simplex & incompoſitus eſt Deus, eo quod non eſt corpus divinitas: compoſitio enim propria eſt corporum. Simplex & incompoſitus, eo quod non accidit ei Verbum & Sapientia: compoſitio enim ex ſubſtantia ſimul & accidentibus conſtare dignoſcitur. Simplex & incompoſitus: neque enim diverſa eſt Patris & Filii & Spiritus ſancti ſubſtantia, ſed una penitus eademque monſtratur.

III. *Filius de Dei ſubſtantia.*

Et quod una eſt eademque Patris & Filii & Spiritus ſancti ſubſtantia & virtus, teſtis eſt Dominus noſter JESUS CHRISTUS, de ſemetipſo docens & de Spiritu ſancto. De ſe quidem, cum dicit: *Ego & Pater unum ſumus*; (Joan. 10. v. 30.) & iterum: *Qui me vidit, vidit & Patrem.* (Joan. 14. v. 9.) His dictis oſtendit aperte, unam eſſe ſubſtantiam, eandemque virtutem; nam cum dixiſſet Philippo: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me: Qui me vidit, vidit & Patrem*; docere voluit, unum nos ipſum & Patrem eumdemque cernere, virtute ſimul, atque ſubſtantia, ex mirabilibus quæ faciebat. Quorum enim una voluntas, eademque ſunt opera, eorum quoque eſt eadem ſubſtantia; ideoque dicebat Judæis: *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere; ſin autem facio, etſi mihi non creditis, operibus credite, ut ſciatis & intelligatis, quod Pater eſt in me, & ego in ipſo.* (Ibid. 10. v. 37.) Mire autem etiam hoc docuit, non aliter, niſi ex operibus, divinitatem debere cognoſci:

ci: quippe cum naturaliter inviſibilis ſit, & non aliter videatur, quam ex ſuis operibus & factis, ut etiam Sapientia teſtatur, dicens:
Sap.13.v.5. *Ex magnitudine enim & pulcritudine operum, competenter conditor eorum perſpicitur.* Similiter autem etiam beatus Paulus Apoſtolus
Rom.1.v.20. dicit: *Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Docet autem iterum ſanctus Apoſtolus Joannes, quod Dominus noſter JESUS CHRISTUS aperte ſeipſum prædicaret Judæis Filium Dei ſecundum ſubſtantiam,
Joan.5.v.18 in eo quod dicit: *Propterea magis quærebant eum Judæi occidere, quod non ſolum ſolvebat ſabbatum; verum etiam Patrem ſuum Deum eſſe dicebat, æqualem ſe faciens Deo.* Et hoc tunc intellexerunt Judæi, quod JESUS ſemetipſum manifeſtavit, Filium ſecundum ſubſtantiam eſſe, cum diceret ad illos:
Joan.5.v.17. *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor.*

IV. De eadem ſubſtantia Spiritus ſanctus.

Sed hæc quidem de ſeipſo Dominus noſter JESUS CHRISTUS docuit. Docuit autem etiam de Spiritu ſancto, eo quod de Dei ſubſtantia eſt, & quod ea quæ facit Deus Pater, eadem pariter etiam Spiritus facit; cum
Joan.15.v.26. dicit: *Spiritus veritatis, qui a Patre procedit.* Porro autem cum ejiceret adverſarias poteſtates, quas juxta conſuetudinem homi-
Luc.11.v.20. num dæmones appellat, dicebat: *Si autem ego in digito Dei ejicio dæmones.* Quod autem digitum Dei Spiritum ſanctum nominet, apertius cæteri Evangeliſtæ ad hunc lo-
Matth.12.v.28. cum dixerunt. Matthæus quidem, cum ſic dicit: *Si autem in Spiritu Dei ego ejicio dæ-*
Marc.3.v.23. *mones.* Marcus vero: *Quicumque blaſphemaverit in Spiritu ſancto, non indulgetur ei in ſæculum, ſed obnoxius erit æterno peccato, eo quod dicebant: Spiritum immundum habet.* Hoc cum dixiſſet Dominus, aperte docuit unam eamdemque credere ſubſtantiam Patris & Spiritus ſancti, quippe cum digitus, cujus eſt digitus, ejuſdem etiam ſubſtantiæ habeatur. Porro autem cum diceret diſcipulis ſuis: *Accipite Spiritum ſanctum; quorum dimiſeritis peccata, dimittentur eis;* ſimiliter oſtendebat debere credere, unam eamdemque eſſe ſubſtantiam Patris & Spiritus. Dicit etiam beatus Paulus docens: *Ne-*
1Cor.3.v.16. *ſcitis quod templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? ſi quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Hoc cum dixiſſet, aperte docuit, unam eamdemque eſſe ſubſtantiam atque virtutem Dei & Spiritus, quippe cum non ex alia re cognoſcatur templum Dei eſſe, niſi etiam ex inhabitante Spiritu Dei. Scribit etiam beatus Paulus de
2Cor.3.v.16.17. Spiritu ſancto, ſic dicens: *Cum vero converſus fuerit ad Dominum, tolletur velamen. Dominus autem ſpiritus eſt; ubi vero Spiritus Domini, ibi libertas.* Hæc cum dixiſſet, oſtendit eamdem eſſe ſubſtantiam, ex eo quod Spiritus eſt Dominus, & Spiritus Domini libertatem largitur & donat.

DEINCEPS vehementer diſputat contra Macedonianos de Spiritus ſancti divinitate, & eadem unaque cum Patre & Filio ſubſtantia: cujus quæſtionis cauſa primum hoc caput, totum quantum eſt, confectum videtur.

V. Filius in Patre: & Pater in Filio, & in utroque Spiritus ſanctus.

Eſt autem Filius in Patre, non ſicut in loco: neque enim finibus circumdatur ejus ſubſtantia; ſed ſicut verbum in mente, ſicut ſimplex in ſimplici, ut infinitus in infinito, & infectus in infecto, ut ſine principio in eo qui ſine principio, & Dominus in Domino, & Deus in Deo, & ejuſdem ſubſtantiæ ſimul atque potentiæ. Similiter vero & Pater in Filio, & ut ſenſus non ſeparandus a verbo: ſenſum autem dico Patrem, ex nobis accipiens exemplum, ut nos ſcilicet intelligamus, quemadmodum Pater in Filio, & in Patre Filius habeatur; quamvis etiam unde hoc dixerim, ex divina ſcriptura cauſas & ſemina ſumpſerim. Nam cum Filium verbum dixiſſent, qui a Deo docti ſunt Prophetæ atque Apoſtoli, ſenſum nos intelligere Patrem ſine dubitatione docuerunt; quippe cum non aliter verbum poſſit intelligi, niſi ex ſenſu ſeu mente naſcatur. Senſum autem dico, non talem qualis eſt noſter, quoniam ne verbum quidem Dei tale quale noſtrum eſt: neque ejus ſapientia talis eſt qualis noſtra eſt. Similiter autem etiam Spiritum ſanctum dicimus in Patre, & in Filio ejuſdem ſubſtantiæ vel potentiæ, tanquam ſapientiam in ſenſu ſimul & verbo. Porro autem Patrem & Filium in Spiritu ejuſdem ſubſtantiæ ſimul atque potentiæ, & tanquam ſenſum ac verbum, quæ non a ſapientia ſeparantur, eſſe dicimus.

MENTEM dixit pro Patre, quod ſolent veteres Theologi: ſenſum pro mente in ore veterum Philoſophorum, quos refert Ariſtoteles dixiſſe τὸ φρονεῖν, καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι τ' αὐτὸ εἶναι. *Lib.3.de anim. cap.3. text.150.*

VI. Spiritus in Deo ex ejus ſubſtantia eſt.

Quod autem in Deo Spiritus eſt, quaſi ex ejus ſubſtantia ſit, & quaſi idem ſit uterque, & ut ita dicam, totus in toto, & qui ejus alta & profunda cognoſcat, etiam beatus Paulus docet, ſic dicens: *Nobis autem reve-* *1Cor.2.v.10.*
lavit Deus per Spiritum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Unde accepto a nobis exemplo, hoc eſt, ex noſtra ſapientia, quæ totum ſenſum noſtrum altius penetrat, & quæ ſunt in eo cuncta cogno-
ſcit, deinceps dicit: *Quis enim novit homi-* *1Cor.2.v.11.*
num, quæ hominis ſunt, niſi ſpiritus hominis, qui in eo eſt? ſic & quæ Dei ſunt, nemo ſcit niſi Spiritus Dei. Ideo autem beatus Paulus de nobis accepit exemplum, oſtendere volens, quomodo Spiritus Dei ipſius alta cognoſcit, quoniam novit hominem imaginem eſſe Dei Patris & Filii & Spiritus ſancti. Eſt enim imago Dei homo, quippe cum ſit rationabilis, ac ſenſum & verbum & ſapientiam habeat. Sicut etiam Moyſes docet,
cum dicit: *Et dixit Deus: Faciamus homi-* *Gen.1.v.26.*
nem ſecundum imaginem, non *meam* ſolum, ſed *ſecundum imaginem & ſimilitudinem noſtram.*

VII. Sicut Patris, ſic etiam Filii.

Quod autem ſicut Patris eſt Spiritus ſanctus, ſic etiam Filii pariter habetur, docet iterum beatus Paulus, ſic dicens: *Vos autem* *Rom.8.v.9.*
non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſi quidem

Spi-

Spiritus Dei habitat in vobis, hoc eſt, Dei Patris. Et deinceps dicit: *Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ipſius.* Dicit autem & in alio loco: *Quoniam autem filii eſtis, miſit Deus ſpiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem: Abba Pater.* Idem autem Patris & Filii eſt Spiritus ſanctus, quoniam neque Pater eſt, neque Filius. Ut autem accepto rurſus a nobis exemplo dicam, quoniam non eſt tanquam ſenſus generans verbum, neque tanquam verbum quod generatur a ſenſu, ſed ut ſapientia, quæ a ſenſu minime ſegregatur & verbo.

Gal. 4. v. 6.

Videri poteſt catholice ſentire de proceſſione Spiritus ſancti a Patre & Filio: unaquæque enim perſona dicitur ἁπλῶς illius eſſe, a qua procedit. Quod ſi ita ſenſit, a Theodoro utique receſſit, qui diſerte affirmat, Spiritum ſanctum *neque eſſe Filium, neque per Filium exſiſtentiam accepiſſe.*

Symbol. p. 5.

VIII. *Patris & Filii & Spiritus ſubſtantia una eſt, eademque virtus.*

Quod autem Patris & Filii & Spiritus ſancti ſubſtantia una, eademque virtus eſt, etiam Moyſes famulus Domini docet, cum ſic dicat: *Et dixit Deus: Faciamus hominem ſecundum imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Nam cum deberet dicere ſingulariter *faciam*, pluraliter *faciamus* dixit, & non ſecundum meam, ſed ſecundum *noſtram* imaginem dixit. Et iterum dixit: *Et fecit Deus hominem*, non *fecerunt*. Hoc autem facit, ut oſtendat tres perſonas, hoc eſt, Patris & Filii & Spiritus ſancti, unam eſſe eamdemque naturam, indiviſamque divinitatem. Similiter autem etiam Propheta David unam eamdemque virtutem Patris & Filii & Spiritus ſancti docet, cum ſic dicit: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

Gen. 1. v. 26.

Pſal. 32. v. 6.

IX. Porro autem ſanctus Joannes Apoſtolus, ut doceret unam eamdemque Filii ſimul & Patris eſſe ſubſtantiam, ſic dicit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt.* Cum dixiſſet, *in principio erat Verbum*, & non, ex principio, neque iterum, cum principio erat Verbum, vel, ſub principio; aperte docet Verbum ſine principio eſſe, quaſi ſuperius eſſet omni principio, & ipſe ſit cauſa principii. Si enim omnia per ipſum facta ſunt, cum omnibus autem etiam principium habetur, & ipſius principii, & totius deinceps poſt principium ſpatii, Verbum ipſum eſt caput & cauſa, in quo ſpatio tempora vel ſæcula continentur. Rurſus etiam cum dixiſſet, *Verbum erat apud Deum*, ſubſtantivum oſtendit eſſe Verbum, quoniam non dixit, in Deo erat Verbum, ſed, Verbum erat apud Deum. Porro autem deinceps dicens, *Et Deus erat Verbum*; docet unam eamdemque eſſe ſubſtantiam atque virtutem Patris & Filii: quippe cum nihil interſit inter Deum & Deum, cum uterque principio careat, ſed una ſit utriuſque ſubſtantia, eademque pariter & virtus. Porro autem cum dicit: *Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt*; aperte nos docet, non duas debere ſubſtantias credere ſeparatas, neque poteſtates atque virtutes, quoniam unus eſt Deus, qui per ſuum ſubſtantivum Verbum omnia condit & creat. Ideo autem docemur, non tres dicere ſubſtantias ſegregatas, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, neque poteſtates atque virtutes a ſemet invicem ſeparatas: quippe cum Deus unus ſit, qui verbo & ſapientia omnia creare dignoſcitur.

Joan. 1. v. 1.

X. *Eadem quoque Spiritus ſancti.*

Quod autem in ſapientia & cum ſapientia, hoc eſt, cum Spiritu ſancto, Deus omnia facit, teſtis eſt ſanctus David propheta, cum prædicando Deum, & amplitudinem virtutis ejus enarrando, & divitias ſapientiæ ejus mirando, vociferatur hæc dicens: *Quam magnificata ſunt opera tua, Domine! omnia in ſapientia feciſti.* Hanc ſapientiam pariter & beatus Paulus nimia penitus admiratione prædicat, cum ſic dicit: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* Et quod ſapientiam Dei, qua omnia Deus fecit & facit, David propheta Spiritum Dei nuncupat, beato Paulo ſimili ratione conſentiens, in ſequentibus edocet aperte, cum dicit: *Impleta eſt terra creatura tua. Hoc mare magnum & ſpatioſum, ibi reptilia, quorum non eſt numerus. Animalia parva cum magnis; illic naves pertranſeunt. Draco iſte quem formaſti ad inludendum ei; omnia te expectant, ut des eis eſcam in tempore. Dante te, ipſi colligent, aperiente autem te manum tuam; omnia replebuntur bonitate; avertente autem te faciem tuam, turbabuntur. Auferes ſpiritum eorum & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* In eo quod dicit propheta: *Omnia in ſapientia feciſti*, &: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur*, aperte docuit unam eſſe perſonam utriuſque, ſapientiæ Dei & Spiritus ſancti. Similiter autem & Salomon Spiritum ſanctum Dei ſapientiam nominat, cum ſic dicit ad Deum: *Conſilium vero tuum quis ſcivit, niſi tu dediſti ſapientiam?* Et ut oſtendat qualem ſapientiam dicat, deinceps dicit: *Emiſiſti ſanctum Spiritum tuum ex altis, & ſic correctæ ſunt ſemitæ eorum, qui in terra ſunt, & placita tua homines didicerunt, & ſapientia ſervati ſunt*; hoc eſt, ſancto tuo Spiritu tuum conſilium docti ſalvati ſunt. Sicut etiam beatus Paulus ait: *Nobis enim revelavit Deus per Spiritum ſanctum; Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam alta Dei.*

Pſal. 103. v. 24.

Rom. 11. v. 33.

Pſal. 103. v. 24.

Sap. 9. v. 17.

Ibidem.

1 Cor. 2. v. 10.

XI. *Subſtantiva Dei ſapientia Spiritus ſanctus.*

Igitur cum tales teſtes habeamus, non dubitare debemus quin oporteat dicere ſubſtantivam Dei ſapientiam Spiritum ſanctum eſſe, per quem omnia quæ creata ſunt a Deo, conſtare noſcuntur. Sic igitur nonnulli minus intelligentes, unam eademque perſonam ſapientiam Dei & unigenitum Deum Verbum eſſe dixerunt, volentes a beato Paulo cauſas & ſemina ſumere, in eo quod dicit: *Nos autem prædicamus Chriſtum, & hunc crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus vero ſtultitiam, ipſis vero vocatis Judæis & Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Sed in his quæ dixit beatus Paulus, non unigenitum Deum Verbum ſignificat virtutem & ſapientiam, ſed ordinationem

1 Cor. 1. v. 23.

 crucis.

Ibidem. crucis. Statim enim in ſequentibus dixit: *Quia ſtultum Dei, ſapientius eſt hominibus; & infirmum Dei, fortius eſt hominibus.* Nemo autem prudentium audet dicere, quod ſtultum Dei & imbecillum Deus Verbum eſt; ſed, ſicut prædixi, crucis ordinationem ſignificat, eo quod illud, quod incredulis videtur eſſe ſtultum, hoc eſt, Chriſtum crucifixum credere Deum eſſe, hoc maximam ſapientiam habet: & quod videtur eſſe imbecillum Chriſti, propter quod pro nobis mortuus eſt, hoc maximam virtutem habet: de qua ſapientia atque virtute non eſt nunc tempus dicere.

In epiſt. 1. ad Cor. Quos minus intelligentes dicit, vel ſunt qui Verbum & Sapientiam divinam unam eſſe perſonam aſſerunt; & convitium facit omnibus fere Patribus: vel qui ex Apoſtoli verbis, id concludebant; & merito arguit Arianos idipſum molitos, ut teſtatur Theodoretus.

XII. Per Spiritum & Verbum omnia munera præſtantur a Deo.

Per multos igitur teſtes docemur a Deo, quod unum habeat ſubſtantivum unigenitum Deum Verbum, unam ſapientiam ſubſtantivam Spiritum ſanctum, per quem Spiritum, & per quod Verbum, omnis ſapientia, ſermo, ſcientia, cæteraque munera credentibus præſtantur a Deo. Sicut etiam beatus Paulus do-
Rom. 15. v. 17 cet, cum ſic dicit: *Habeo igitur gloriam in Chriſto* JESU *ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam gentium, verbo & factis, in virtute Spiritus ſancti.* Non ſolum habebat beatus Apoſtolus Paulus in ſe loquentem Chriſtum & Spiritum ſanctum; ſed etiam cæteri omnes Prophetæ & Apoſtoli & Evangeliſtæ. Sicut etiam Dominus noſter JESUS CHRIS-
Matth. 23. v. 34. TUS docet, cum dicit: *Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas & ſapientes & Scribas.* Simi-
Luc. 11. v. 49. liter autem & de Spiritu Dei dicit: *Ideo & Sapientia Dei dicit: Mitto ad ipſos Prophetas & Apoſtolos.*

XIII. Spiritus ſanctus tanquam Dominus ac Deus munera largitur.

Quod autem Spiritus ſanctus Dominus & Deus eſt, & tanquam Dominus noſter credentibus & ipſe munera largitur & donat, rurſus idem beatus Paulus docet, cum dicit: *Divi-*
1 Cor. 12. v. 4. *ſiones vero gratiarum ſunt, idem autem Spiritus; & diviſiones operationum ſunt, idem autem Dominus; & Diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* In hac igitur enumeratione donorum ſancti Spiritus, addens ubique beatus Paulus, *idem autem Dominus*, & *idem Deus*, aperte docet, quod Spiritus ſanctus Dominus & Deus eſt. Manifeſtius autem etiam in ſequentibus oſtendit; enumeratis enim donis & operibus
1 Cor. 12. v. 11. atque miniſteriis, adjecit ſtatim dicens: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.* Rurſus idem beatus Paulus docere nos apertius volens, unam eſſe ſubſtantiam Patris & Filii & Spiritus
Epheſ. 4. v. 5. ſancti, ait: *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus pater omnium.* Patrem autem nominat eorum, qui in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti per baptiſma nati ſunt. Non ignorans autem beatus Apoſtolus eſſe baptiſma aquæ, & baptiſma ſpiritus, dixit unum baptiſma: ſed bene dixit ſciens unum eſſe baptiſma, in eo quod in nomine unius Domini omnes baptizentur & credant. Solet etiam idem beatus Apoſtolus Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, ſicut unum Dominum & unum Deum, ſic etiam unum Spiritum nuncupare, cum dicit: *Sicut enim corpus unum eſt,* 1 Cor. 12 v. 12.
& membra multa habet, omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum ſunt corpus; ſic etiam Chriſtus: nam in uno Spiritu nos omnes in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive gentiles, ſive ſervi, ſive liberi, & omnes in unum Spiritum potati ſumus.

XIV. Quid ſit in uno Spiritu baptizari.

Nemo autem, cum audiat dicentem beatum Apoſtolum, quod in uno Spiritu nos omnes baptizati ſumus, & in unum Spiritum potati ſumus, de ſolo eum Spiritu dixiſſe credat, aut de ſolo Patre: quippe qui ita credit, tollit baptiſma. Neque enim qui baptizati ſunt in uno Spiritu, in ſolo Patre baptizati ſunt, neque in ſolo Filio, neque in ſolo Spiritu ſancto, ſed in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti: quod quidem eſt commune nomen, non per confuſionem perſonarum, ſed per unitatem naturæ, unus Dominus, unus Deus, unus Spiritus. Semper enim Pater eſt, non deſinens eſſe pater: ſemper autem & Filius, perſeverans eſſe perpetuo Filius: ſemper & Spiritus ſanctus, qui numquam Pater aut Filius efficitur.

XV. Urgentur Macedoniani a Patris ſubſtantia ſeparantes Filium & Spiritum ſanctum.

Quid igitur ad hæc reſpondebunt nobis, qui Arii & Eunomii nefanda dogmata ſequuntur, & a Patris ſubſtantia Filium ſeparari contendunt, & Spiritum ſanctum? qui cum hæc dicant: In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti; etiam ipſi ſuos ſe baptizare non denegant, & credunt per baptiſma in remiſſionem peccatorum ſimiliter etiam Patris & Filii & Spiritus ſancti ſanctificatione dignandos: non tamen deſinunt blaſphemantes in Filium & Spiritum ſanctum, cum deberent cæcitate tandem aliquando liberati reſpicere & intelligere, non aliter libertatem famulis poſſe præſtari, niſi à Domino proprio. Sin vero dixerint a ſolo Patre libertatem vel indulgentiam peccatorum eos, qui baptizantur, accipere, & a ſolo Patre ſanctificationem mereri; ſciant non aliter quemquam eorum qui baptizantur, his dignum donis fieri poſſe, niſi etiam a Filio & Spiritu ſancto munera ſeu dona percipiat. Teſtis eſt beatus Apoſtolus Paulus ad Corinthios ſcribens, cum dicit: *Neque* 1 Cor. 6. v. 9.
fornicarii, neque idolorum cultores, neque adulteri, &c. Et adjecit: *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed juſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri* JESU CHRISTI, *& in Spiritu Dei noſtri.* Ibid. v. 11. His igitur omnibus teſtimoniis, quæ prædicta ſunt, una eademque Patris & Filii & Spiritus ſancti ſubſtantia ſatis abundeque monſtratur.

CAPUT II.

De creatione, & inviſibilibus creaturis.

XVI. Creando Deus non natura creat, ſed voluntate.

CREANDO Deus, non natura creat, ſicut gentilium fabula delirantium putat, ſed magis voluntate. Libera enim divinitas

Digitized by Google

nitas eſt, ac non neceſſitati naturæ ſerviens, ignium, ſicut æſtimant, ritu, qui non voluntate, ſed urente & conflagrante natura, vicina corpora concremare noſcuntur. Deus autem non ita facere conſuevit. Super enim omnem intellectum ſenſibilemque naturam ineffabilis & incomprehenſibilis ſubſtantia eſt: quippe cum nulli divinitas viſibilis habeatur;
1 Tim. 1. v. 17. ſicut beatus Paulus teſtatur, dicens: *Regi autem ſæculorum incorruptibili, inviſibili, ſoli Deo honor & gloria.* Et iterum dicit: *Qui ſolus habet immortalitatem, lumen habitat inacceſſibile, quem vidit nullus hominum, neque videre poteſt.* Eadem autem etiam beatus
1 Joan. 4. v. 12. Joannes docet, cum dicit: *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe narravit.* Ergo quoniam ſupra omnem ſenſum Deus eſt, voluntate creat, non natura: nam ſi natura Deus crearet, & non voluntate, infiniti mundi creati reperirentur, innumerabiles etiam, qui per dies ſingulos crearentur. Nos autem, gentilium delirante fabula remota, divinæ ſcripturæ paremus, quæ docet aperte, quod Deus ea quæ creat, voluntate vel imperio creet. Sicut & famulus Dei Moyſes docuit, cum diceret: *Et dixit Deus: Fiat lux*; & adjecit: *Et facta eſt lux.* Et iterum: *Et dixit Deus: Fiat firmamentum*; & præceptum complebatur ex imperio.
Gen. 1. v. 3. Et iterum: *Et dixit Deus: Fiant luminaria*; & quæ ante non erant, mox efficiebantur. Pa-
Pſ. 148. v. 5. riter etiam David propheta dicit: *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt.*
Pſ. 134. v. 6. Et iterum: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.*

Idipsum Patres ejuſdem ætatis, quotquot de creatione mundi ſcripſerunt, adverſus Gentiles, ſive, ut aiunt, Græcos, id eſt, Platonem & Ariſtotelem, pugnarunt. Auctor libri quæſtionum ad Græcos, &c. Baſilius. Ambroſius, Auctor quæſtionum novi & veteris Teſtamenti, & qui non alii? Erat autem hoc gentilium placitum: τῷ εἶναι καὶ οὐ τῷ βούλεσθαι ποιεῖ ὁ Θεός. Vide Joannem Philoponum adverſus Proclum de æternitate mundi.

Inter opera Juſtini martyris. Homil. 1. in hexameron. L. 1. in hexam. c. 5. tom. 5. op. Aug.

XVII. Refellitur Origenes Deum negans omnia feciſſe, quæ voluit. *Ex lib. 2. περὶ ἀρχῶν.*

Si igitur quanta vult, Deus facit & creat, impie Origenes ac nefarie fatuus eſt, qui ſic dixit: Non omnia quæ voluit Deus fecit, ſed ea tantum, quæ potuit continere & comprehendere. Qui cum hoc dixit, ademit Domino cunctorum potentiam, quaſi ex parte dimidia ei faciendi poteſtas daretur. Nam ſi continendi, ac ſibi, quæ faceret, ſubjugandi non habet, ut ille æſtimat, facultatem, ne creandi quidem ſcilicet poteſtatem habebit. Nam qui creandi facultatem habet, & ſubjugandi ſibi creata ſimiliter habebit. Nos igitur beato pareamus
Job. 42. v. 2. Job, qui ſic dicit ad Deum: *Novi quod omnia potes, impoſſibile autem tibi nihil eſt.* Et pie religioſeque credamus, una cum his videlicet viris, qui a Deo docti ſunt, eo quod Deus omnia poteſt, & creando voluntate creat, non natura, & quod quando vult creat, & quæ vult & quanta vult & qualia vult, & nihil eſt impoſſibile voluntati ejus. Voluntatem vero Dei ſine principio eſſe dicimus: ſine principio enim novit Dominus, quæ creaturus eſt, & quando facturus, & quanta & qualia creare moliatur.

Locus Origenis eſt in ſecundo libro περὶ ἀρχῶν, prout refertur in excerptis ſubjunctis epiſtolæ imperatoris Juſtiniani ad Menam: πεπερασμένην γὰρ εἶναι καὶ τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ λεκτέον, καὶ μὴ προφάσει εὐφημίας τὴν περιγραφὴν αὐτῆς περιαιρετέον. πεποίηκε γὰρ τοσαῦτα ὅσων ἐδύνατο περιδράξασθαι, καὶ ἔχειν ὑπὸ χεῖρα, καὶ συγκρατεῖν ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πρόνοιαν, ὥσπερ καὶ τοσαύτην ὕλην κατεσκεύασεν, ὅσην ἐδύνατο διακοσμῆσαι.

XVIII. Primo creatæ cœleſtes ſubſtantiæ, rationales natura, & virtute diverſæ.

Et primas quidem dicimus fuiſſe creatas rationabiles ſubſtantias, quæ cœleſtes habentur, & eas plurimas ac diverſas ſubſtantia pariter ac virtute, ſicut beatus David eas cæ-
teris anteponens dicit: *Laudate Dominum* Pſ. 148. v. 1.
de cœlis, laudate eum in excelſis. Laudate eum, omnes angeli ejus, laudate eum, omnes virtutes ejus. Nam cum cœlorum & angelorum faceret mentionem, & poteſtates & excelſa nuncuparet, diverſas earum ſubſtantias edocebat, variaſque pariter dignitates ac merita. Rurſus etiam docet, non eamdem
omnium eſſe naturam, cum dicit: *Qui facit* Pſ. 103. v. 4.
angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem. Ignem & ſpiritum cum Propheta dixiſſet, variis ac diverſis uſus eſt elementis, ut nos apertius edoceret, ex ſenſibili videlicet exemplo. Eas etiam diverſas habere ſubſtantias etiam beatus Paulus, cœleſtes terreſtris anteponens poteſtates, dicit: *Ut in nomi-*
ne JESU omne genu flectatur, cœleſtium, & Philip. 2. v. 10.
terreſtrium, & infernorum; infernorum enim cum dixiſſet, ſolutas animas corporibus nominavit. Porro autem docet varias earum eſſe dignitates ſpecieſque diverſas, cum di-
cit: *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primoge-* Col. 1. v. 15.
nitus totius creaturæ, quod in ipſo creata ſunt omnia, tam cœleſtia, quam terreſtria, viſibilia & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates. Cum igitur cœleſtia terrenis anteponeret, mox adjecit etiam homines, qui in Chriſto creati ſunt, di-
cens: *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt* Ibid. v. 18.
principium primogenitus ex mortuis, ut fiat in omnibus ipſe primatum tenens. Similiter autem etiam Dominus noſter JESUS CHRISTUS docet diverſitatem ſubſtantiæ ſpirituum eorum, qui a Deo receſſerunt, ex quibus ſolet divina ſcriptura dæmones appellare, & principatus
& poteſtates, cum dicit: *Hoc genus non eji-* Matth. 17. v. 20. Marc. 9. v. 28.
citur, niſi in oratione & jejunio. In eo autem quod Dominus dicit, *hoc genus*, oſtendit in ipſis varia eſſe genera ſubſtantiarum, ſpecieſque diverſas. Hæc autem omnia dixi, ut divitias Dei virtutis oſtenderem: nam ſi omnipotens divinitas eſt, neceſſe eſt etiam prædives habeatur.

Infernorum nomine appellari credidit animas corporibus ſolutas, quia fuit in opinione veterum putantium in ſubterraneis locis animas expectare ſupremum diem, quo judicatæ, vel in cœlum ſubvolant, vel detruduntur in æternum ſupplicium.

CAPUT III.

De corporibus cæleſtibus.

XIX. Cœleſtibus poteſtatibus libera poteſtas data.

NOS etiam hoc a ſcriptura divina didicimus, quod Deus cœleſtibus cunctis rationabilibus poteſtatibus dedit habere liberam voluntatem, ſicut etiam hominibus in terra præſtitit: nam nemo omnium, qui rationem habet aut ſenſum, invitus poterit Deo, vel ſine voluntate ſervire; ſed omnes ei ſponte propria ſcilicet obſecundant. Alioquin ſi id non eſſet, neque laudatio eos, neque vituperatio ſequeretur, aut crimen, ſicut & in cæteris animalibus contigit irrationalibus. Omnes igitur contrariorum capaces habentur, tam boni dico, quam pravi. Boni quidem, cum id quod Deus vult faciunt; pravi autem, quando mandata Domini minime cuſtodiunt. Et quod angeli cœleſteſque virtutes, cum Dei minime præcepta contemnunt, laude potiuntur ingenti, teſtis eſt
Pſ. 102. v. 20. 21. beatus David ita dicens: *Benedicite Deum, omnes angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum ejus, ad audiendam vocem ſermonum ejus. Benedicite Dominum, omnes virtutes ejus, miniſtri ejus, facientes voluntatem ejus.* Ex hac igitur laudatione, id eſt, ex obſervatione Domini præceptorum, beata ſcilicet vita & perpetua fruuntur. Sed ſicut omnes, qui Dei faciunt voluntatem, perenni beatitudine potiuntur, & laudes a Deo conſequuntur æternas; ſic & e diverſo cuncti, qui divina præcepta contemnunt, æterna vituperatione damnantur.

Quæ numerus fuit in editione Sirmondi decimus nonus & vigeſimus, eum nos vigeſimum primum & vigeſimum ſecundum fecimus, jubente ratione emendari codicum perturbationem. Cum enim Rufinus, quæ de inviſibilibus ſubſtantiis tractaverat, ita concluſit: *De inviſibilibus quidem ſubſtantiis ſufficienter dictum*, oſtendit ſatis, ſe omnia proſecutum, quæ ad eas pertinerent. Quomodo igitur poſtmodum de ipſarum voluntate, ſive in bonum, ſive in malum, abſque methodi vitio ageret? Deinde par eſt credere ſervatum id a Rufino, quod ſolebat ab omnibus in hoc argumento, ut prius de ſubſtantiis inviſibilibus cœleſtibus, quam de viſibilibus item cœleſtibus diceret. Denique ipſa ſeries orationis emendationem hanc noſtram per ſe ſatis probat.

XX. Diaboli & angelorum opus prævaricatio primorum hominum.

Unde ille, quem divina ſcriptura diabolum nominare conſuevit, & ejus pariter qui dicuntur angeli, cum primis hominibus inviderent, Adam dico & Evæ, a beata vita, quam primum poſſederant, ſemetipſos alienarunt: & homini quidem per deceptionem, quam ipſi penitus excogitarunt, perſuaſerunt peccantes, ut a mandato Dei protinus deviaret, ſemetipſos autem æterno pariter ſupplicio ſubjugarunt. Sicut & Dominus noſter JESUS CHRISTUS docet, cum ad illos dicit, qui propinquo ſuo miſericordiam dene-
Matth. 25. v. 41. garunt: *Ite in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis ejus; eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare*, &c. Quod autem diabolus, vel ejus qui dicuntur angeli, de creaturis cœleſtibus ſunt, rationabilibuſque virtutibus, teſtis eſt beatus Petrus, cum ſic dicit:
2 Petr. 2. v. 4. *Si enim Deus angelis, qui peccaverunt, non pepercit.* Similiter autem & beatus Paulus do- 1 Cor. 6. v. 3.
cet, dicens: *Neſcitis quoniam angelos judicabimus?* Ne quis igitur arbitretur captus errore, quod iſti ante peccaverunt, quam hominibus inviderent, & poſt illud peccatum, ad decipiendos homines devenerint, ſicut nefarius Origenes docebat; ſed, ut ſuperius dixi, ex eo quod diabolus in ſerpentem transfiguratus Evam decepit. Quod autem ex illo diabolus, veritate penitus derelicta, tranſtulit ſe protinus ad mendacium, ex quo Evam, ut dixi, peremit morte peccati, teſtis eſt Dominus noſter, cum dicit Judæis non credentibus ſibi: *Vos ex* Joan. 8. v. 44.
patre diabolo eſtis, deſideria patris veſtri diaboli vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in eo. Quando loquitur mendacium, de propriis loquitur, quoniam mendax eſt & pater ejus. Ergo cum dixiſſet Dominus, quod ille homicida erat ab initio, & quod in veritate non ſtetit, aperte docuit, quod ex eo diabolus a veritate decidit, ex quo primitus per fallaciam mendacii Evam errore deceptam morte prævaricationis occidit. Rurſus etiam ideo dictum eſt, quod quando loquitur mendacium, de ſuo loquitur, quoniam primus ipſe, ficta fallacia, etiam mendacium procreavit. Unde etiam cæteri, qui una cum ipſo homini inviderunt, ipſius diaboli angeli nominati ſunt, quaſi ipſe primus hujuſce malitiæ cauſa eſſet & caput. Sed de iſtis quoque ſufficienter dictum.

In eo quod angelos peccaſſe primum invidentia erga homines aſſerit, habet conſentientes e Patribus nonnullos, ut Irenæum, Lactantium, Cyprianum, Methodium apud Epiphanium & Photium, Gregorium Nyſſenum, & alios, quorum tamen non una eſt explicandæ ſententiæ ratio. At in eo, quod Origenem arguit docentem, dæmones prius peccaſſe, quam hominibus inviderent, diſſentit Eccleſiæ magiſtris longe pluribus, ipſique adeo ſacræ ſcripturæ, cujus id pervulgatum eſt: *A ſuperbia initium omnis peccati*; quanquam reſpexit forte ad opinionem Origenis, quod ante conditionem mundi hujus peccaverint multa, tum dæmones, tum animæ, propter quæ e cœlo in corpora præcipitarentur. Lib. 4. c. 74. l. 2. c. 8. l. 6. de zelo & livore orat. cathec. c. 6. Eccli. 10. v. 15.

Diabolum ipſum, id eſt, dæmonum principem transfiguratum in ſerpentem tentaſſe Evam, conſtans eſt veterum opinio, de qua diximus ad tractatus Neſtorii adverſus Pelagianos.

XXI. Contra eos qui ſolem & lunam animalia putant, ut Origenes.

Sed de inviſibilibus quidem ſubſtantiis ſufficienter dictum, nunc vero de ſole ſimul & luna, cæteriſque luminaribus oportet exponam: hæc enim nonnulli, mentis errore decepti, animalia rationabilia eſſe dixerunt. Quorum dementiam etiam nefarius Origenes Lib. 1. περὶ ἀρχῶν c. 7.
ſecutus eſt, qui cum vellet ex divina ſcriptura exemplum ſumere, quæ ibi de luminaribus optime dicta fuerant, hæc ipſe perperam, ut ſibi libitum eſt, auſus eſt vertere. Sciendum eſt igitur, quod divina ſcriptura nuſquam eorum veluti animalium fecerit mentionem. Sed luminaria facta fuiſſe dixit, & ob hoc ſolum creata, ut ſuper terram lucerent, & eſſent hominibus ſigna temporum, menſium, & annorum. Sin autem nobis dixerint, qui erroribus favent hujuſmodi: Cur non animalia ſunt luminaria, & rationabilia, cum de ipſis ſcriptum ſit hoc modo: *Aſtra* Job 25. v. 5.
autem non ſunt munda in conſpectu ejus, hoc eſt Dei? audiant a nobis, quod qui hoc dixerat, non dignus erat auctoritate, quippe cum Dominus ad ipſum dixerit: *Nihil veri locutus es de famulo meo Job.* Tamen etiam

ſi a

ſi à beato dictum hoc fuiſſet Job, ne ita quidem firma probatio videretur. Neque enim ex eo quod non munda ſunt in conſpectu Dei, ideo dicuntur animalia; alioquin etiam menſtrua mulierum ab ipſis animalia nuncupentur, & lepróſa domus; quoniam ne iſta quidem munda ſunt apud Deum, ſecundum legem Moyſi: multa enim eorum quæ ſine anima ſunt, ratione quadam ſæpe legimus immunda. Adjicit etiam Origenes illud;

Pſ. 103. v. 19 quod à Propheta David dictum eſt: *Sol cognovit occaſum ſuum*; necnon etiam illud,

Iſai. 45. v. 12. quod Deus dixit ad prophetam Iſaiam: *Ego omnibus ſtellis mandavi.* Hoc autem facit, confirmare volens nefandam hæreſim ſuam;

Loco antea cit. dicit enim quod luminaria dudum fuerint intellectus & ſenſus: qui quia negligenter verſati ſunt, ſua poſtmodum virtute privati, ad ignea iſta damnati ſunt corpora, ut ſuper terram luceant.

Homil. 1. & 2. Homil. 1. & 2. paſchale. Epiſt. 59. ad Avitum & ep. 61. ad Pammachium. Epiſt. ad Joan. Hieroſolymit. In epiſt. ad Menam. Lib. 2. de gen. ad lit. cap. 18. Et Enchirid. c. 58. & l. 13. de Trinit. c. 16. L. 2. cont. gent. c. 70.

Multis in locis Origenes ſecutus eſt opinionem Platonis animam tribuentis, non tantum mundo, ſed etiam aſtris, eamque rationalem, ut ſuos motus, jubente Deo, peragerent. Omnium maxime inſignis habetur lib. 1. περὶ ἀρχῶν. cap. 7. quem exprobrat Origeni non ſolus Rufinus, verum & Theophilus Alexandrinus, Hieronymus, Epiphanius, Juſtinianus imperator, aliique bene multi; ibi enim abutitur teſtimoniis Scripturæ, quæ Rufinus exponit. Miror vero, quid cauſæ fuerit, cur tam vehementer in Oriente ſuper ea quæſtione Patres a me laudati, aliique, ut Baſilius & Geneſis enarratores, Origenem accuſarent, cum in Occidente Auguſtinus, ſin minus Platoni aſſenſerit, ſaltem dubius extiterit, ut conſtat pluribus ex locis. Admirationem auget divus Thomas, qui cum ſententiam Ariſtotelis attuliſſet de anima cœli: *Hoc autem*, inquit, *quod dictum eſt de animatione cœli, non diximus quaſi aſſerendo ſecundum fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet, ſive ſic, ſive aliter dicatur. Unde Auguſtinus in Enchiridio dicit: Nec illud quidem certum habeo, utrum ad eamdem ſocietatem, ſcilicet angelorum, pertineant ſol & luna, & cuncta ſidera, quamvis nonnullis lucida eſſe corpora, non tamen ſenſu vel intelligentia prædita videantur.*

XXII. Contra eumdem, qui per luminarium motus facta noſtra ſignificari ait.

Similiter autem gentilium errorem approbare deſiderans ſic dicit, quod ideo poſuit Deus luminaria in firmamento in ſigna, ut eorum hujuſmodi motus nobis facta noſtra ſignificent. Diſcant igitur qui nefariam Origenis hæreſim ſequuntur, non ſic accipere divinam ſcripturam, neque evertere hujus intellectum, ut pro hiſtoria ſcilicet utantur allegoria, ſecundum voluntatem ſuam. Nam cum dicentem terræ audimus Hieremiam pro-

Hier. 22. v. 29. phetam: *Terra, terra, terra, audi verbum Domini, ſcribe hunc hominem abdicatum*; non ideo debemus dicere, quod quaſi animali rationabilique terræ Propheta præcipiat. Solet etiam David propheta hujuſmodi cor-

Pſ. 148. v. 7. poribus imperare, cum dicit: *Laudate Dominum de terra, dracones & omnes abyſſi; ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus; montes & omnes colles, ligna fructifera & omnes cedri.* Non propterea docet nos, ut hæc omnia rationabilia eſſe credamus. Sed Origenes nunc ejuſque ſocii dimittantur.

Lib. 9. de præparat. evang.

Locus Origenis, in quem Rufinus intendit, videtur mihi fuiſſe in commentariis Geneſis, ex quibus fragmentum Euſebius retulit. Sic enim ſe habet ex verſione Vigeri: *Conſilio Dei factum eſt, ut ex vario aſtrorum ſitu, eorum quæ, partim ſingulis, partim in univerſum eveniunt, ſigna quædam hauriant, non tam homines certe, ex illa enim ſiderum converſione quidquid aut facturi ſinguli ſint, aut paſſuri, vere ac certe intelligere, opera eſt humanas vires longe ſuperantis: ſed natura illa ſuperiores, quas pluribus ſane de cauſis eam in cognitionem venire neceſſe eſt, uti deinceps demonſtrabimus.* Et inter proponendas quæſtiones quæ ſolvuntur. *Quomodo rerum illarum, quæ hominum generi eveniunt, ſigna quidem ſidera ſint, cauſa vero minime; quamobrem certam & exquiſitam homines earumdem rerum cognitionem habere non poſſint, ſed naturis humana ſuperioribus propoſita ſigna illa ſint?*

CAPUT IV.

De hominis anima.

Mundum Dominus cum crearet, cœlum, inquam, & terram, & omnia quæ in eis ſunt, ſolum hominem ſecundum imaginem ſuam & ſimilitudinem fecit, ſicut Moyſes docet, ita dicens: *Et dixit Deus: Faciamus hominem ſecundum imaginem, ac ſimilitudinem noſtram.* Et cum Moyſes hoc ex perſona Dei dixiſſet, ipſe protinus adjecit dicens: *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum.* Utrumque Moyſes, unum ſcilicet intelligens, tam imaginem dico quam ſimilitudinem, imagine nominata, ſimilitudinem penitus reticuit. Alioquin ſi non ita eſſet, nunquam poſtea dixiſſet Jacobus Apoſtolus in epiſtola ſua, cum doceret nos non debere uti lingua ad miniſterium mali, hoc modo: *In ipſa benedicimus Dominum & Patrem, & in ipſa maledicimus hominibus, qui ſecundum ſimilitudinem Dei facti ſunt.* Hominem igitur Deus omnibus dominari, quæ ipſe creavit tam in terra quam in mari, præpoſuit, eo quod imago ipſius eſt homo, ſicut & beatus Paulus docet ita dicens: *Nam vir quidem non debet operire caput, cum ſit imago & gloria Dei.* Propter id quod homo cunctis irrationalibus antefertur animalibus quibus dominatur, per hoc ipſum etiam omnium Dominus effectus eſt. Nam irrationalia quidem animalia, ſicut Moyſes docuit, ex terra & aqua creata, ex eis tam animam quam corpus habent. Homo autem corpus quidem videtur cum cæteris habere commune; animam vero multo præſtantiorem, ſicut Moyſes iterum dicit hoc modo: *Et pſalmavit Deus hominem de limo terræ, & inſuflavit in faciem ejus ſpiritum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.*

XXIII. Solus homo ad imaginem Dei creatus. — *Gen. 1. v. 26.* — *Jac. 3. v. 9.* — *1 Cor. 11. v. 7.* — *Gen. 2. v. 7.*

Hominis naturam laudat, quod fecere poſtea maligne Pelagiani; quia eſt opus divinarum manuum; quia factus ad imaginem & ſimilitudinem Dei; quia dominatur cæteris animantibus; quia rationis & liberi arbitrii particeps; quia corpus & animam a Deo accepit, &c. Tantis præconiis fraudem parat.

Homo igitur ideo potior omnibus eſt, quoniam ſenſibilem, & rationalem animam habere dignoſcitur, & eam liberi arbitrii. Ergo quaſi prudentes Moyſem audiamus dicentem, quemadmodum Deus hominem creaverit; ſic enim nobis Moyſes cæterique Prophetæ de Deo narrant, ſicuti poſſumus intelligere. Neque enim ut homo eſt Deus, ex anima factus & corpore, ut vel manibus hominem formet, & fingat, vel ex aere ſpiritum trahens, in faciem ejus inſufflet, XXIV. Opus manuum Dei dictus.

& ſic

& ſic eum vivificet: omnia enim per unicum Verbum & Spiritum ſanctum voluntate facit & fecit.

Solent vero etiam Prophetæ non ſolum hominem, ſed etiam cœlum & terram, & quæ in iſtis ſunt præcepto Dei creata, opera manuum Domini nominare. Teſtis eſt
Pſal. 8. v. 4. David propheta ad Deum dicens: *Et videbo cœlos operam digitorum tuorum, lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.* Et iterum:
Pſ. 101. v. 26. *In principio tu, Domine, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli.* Similiter autem & Iſaias propheta ex Dei
Iſai. 48. v. 12. perſona ſic dicit: *Audi me, Jacob & Iſraël, quem ego voco. Ego ſum ipſe, ego primus, & ego noviſſimus. Manus mea fundavit terram, & dextera mea firmavit cœlum.* Et iterum ſic dicit Dominus:
Iſai. 66. v. 1. *Cœlum mihi ſedes, & terra ſcabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, & qui locus requietionis meæ? omnia enim iſta manus mea fecit.*

Hominem probat eſſe opus ad imaginem Dei factum, non tantum adverſus Manichæos, ſed etiam contra catholicos; nimirum ut ex veritate confeſſa ſubdole conficiat poſtea, nullum eſſe peccatum naturæ. Unde ſub finem addit: *Omnia per unicum Verbum & Spiritum ſanctum voluntate facit & fecit;* quo callidius nihil dicere potuit ad rem ſuam: nam facile videtur minus prudentibus nullo vitio laborare opus illud, quod Deus optimus maximus per Verbum tanquam per ideam artificem, & Spiritum ſanctum principium omnis boni, voluntate recta, ſimul & omnipotente, non fecit tantum olim, cum hominem formaret, ſed etiamnum facit, in ſingulis conceptibus. Hunc locum Julianus videri poteſt imitatus, cum ſcriberet: *Ad imaginem quoque Dei non ſolum factum hominem,*
Libelli part. 2. num 7. *ſed & fieri confitemur.* Tum adducit teſtimonium Jacobi a Ruſino allatum.

XXV. Corpus illi ex terra, anima a Deo.

Eſt igitur homo, ſicut divina ſcriptura nos docuit, corpus quidem habens ex terra, animam vero ſibi creatam ex nihilo, & eam ſicuti ſenſibilem & rationalem, ſic etiam immortalem, ut utrumque nos docet Teſtamentum, tam novum dico quam vetus. Nam
Matth. 10. v. 28. & Dominus noſter JESUS CHRISTUS ait: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potius eum timete, qui poteſtatem habet animam & corpus perdere in gehenna.* Igneum ſupplicium interitum nuncupavit. Nam quomodo fieri poteſt, uti quod penitus perit, & nuſquam prorſus conſtare poteſt, æternam perpeti valeat ultionem, cum Dominus iterum dicat:
Matth. 25. v. 46. *Et ibunt iſti in pœnam æternam, juſti autem in vitam æternam?*

XXVI. Anima non eſt pars Dei.

Nec dicendum eſt, animam partem Dei eſſe, ſicut imprudentum & indoctorum ſermo habet. Nam ſi hoc ita eſſet, nunquam Deus partem ſuam perenni ſupplicio ſubjugaret. Sed ne peccare quidem omnino ipſa potuiſſet, quaſi pars Dei, quippe cum Deus ſit immutabilis ſemper ſicuti natura, ſic etiam voluntate. Et iterum, ſi anima noſtra pars Dei eſſet, nullo penitus corporali vitio domaretur: nam divinitas eſt ſemper invicta, & nulli unquam ſubdita vitio corporali.

Non calumniam facit Origeni, cum ab eo traditam ſcribit animorum προϋπάρξιν: nihil enim frequentius occurrit cum in aliis operibus, tum maxime in libris περὶ ἀρχῶν. At quod ipſum ideo impietatis accuſat, quia dixit animas factas ante
In apolog. ad Anaſtaſ. corpora, non conſentit Rufino Aquilegienſi, imo nec Auguſtino dubitanti, quænam de quatuor pervulgatis opinionibus circa originem animorum verior foret; conſentit tamen, & ſibi ipſi in anathematiſmis, & Hieronymo quem magiſtrum ſequitur, & aliis Orientalibus, qui acrius invecti ſunt in προϋπάρξιν animorum. Poſſent vero videri invecti jure, ſi Origenianam ſolam peterent, de qua diximus in notis ad anathematiſmos, nihil enim ea abſurdius. Sed ſi quamlibet intellexerint, & eam quoque, de qua ſe dubitare Auguſtinus conſtanter ſcripſit, injuriam fecerunt magnis omnino viris, ſanctiſque fidei defenſoribus: quanquam nunc dubitandi cauſa ſublata eſt, ſive Eccleſiæ definitione, ſive opinione fidelium, ſive conſenſione doctorum. Porro malitioſe Rufinus meminit Manichæorum & Origenis, ad præveniendos nimirum animos legentium, abducendoſque callide in errorem, que credant aut cum Manichæis ſentire, aut cum Origene, eos qui confitentur peccatum Adami nocuiſſe poſteris, & ipſos etiam infantes in remiſſionem peccatorum baptizari.

Epiſt. 18. ad Hier. & 157. ad Optatum. Epiſt. 59. & 61.

XXVII. Animæ non ſimul olim factæ.

Sicut ergo qui ita credunt, impie credere comprobantur; ſic etiam illi qui animas dicunt ante corpora factas fuiſſe, multum a pietate diſtare inveniuntur: Unde impius Origenes gentilium captus errore, & ab eo nolens penitus abſcedere, novarum etiam ſtudens auctor eſſe ſectarum, conjecturis illorum alio modo tranſlatis edocuit: de quibus in præſenti diſputandum eſſe non arbitror, ne nos multum verborum mittamus in ſilvam. Quia igitur ad confirmandam hæreſim ſuam nefariam prædictus Origenes ex divina ſcriptura ſumere conatur exempla, redarguamus eum, ſcripturam penitus ignoraſſe divinam, & eam ſine ſenſu docuiſſe: nam cum ipſe diceret in primo creaturæ initio, cœlum cum terra creatum non eſſe corpus firmum, ſicut hoc quod videtur; ſed omne hoc ſenſibilem rationalemque eſſe ſubſtantiam, & eam unius ejuſdemque naturæ in his rationabilibus ſenſibilibuſque ſubſtantiis etiam animas hominum comprehendens. Et poſt hæc, animalium, quæ ſexta die creata ſunt, faciens mentionem, in ea hominem quoque creatum reperiens, ſuum jam non potuit affirmare figmentum, neque propriam roborare fallaciam: ſed quaſi illorum, quæ ante docuerat, penitus fuiſſet oblitus, invitus fatetur, animas creatas eſſe, & eas iterum incorporeas. Reſpondeant igitur nobis, qui nefandam Origenis hæreſim venerantur & colunt, & ejus expoſitiones de divina ſcriptura ad cœlum uſque ſummis præconiis tollere moliuntur, quomodo animæ ſine corporibus poſſint intelligi, cum Moyſes nos doceat dicens: *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum, maſculum & feminam fecit eos.* Gen 1. v. 27.
Nam hoc omnibus claret, quod animæ ſexus utriuſque capaces eſſe non poſſunt, niſi ſola corpora, quæ graviora noſcuntur. Quomodo iterum & illud dictum audire poterant ſolæ ſine corporibus animæ: *Creſcite, & multiplicamini?* Ibid. v. 28.
ſi quidem etiam ſecundum ipſum Origenem, incorporalium natura neque multiplicari poteſt, neque ereſcere. Vel quomodo ſine corporibus animæ creatæ in cœlis habitare poterant, cum Deus benedicens illis, quos fecerat maſculum & feminam, ſic dixerit: *Creſcite, & multiplicamini, & implete terram?* Sed Origenes iterum ejuſque ſocii dimittantur.

Cum Origenem ait captum errore gentilium in hanc opinionem veniſſe, quam reprehendit, gentilium nomine ſignificat Empedoclem, Pythagoram, & Platonem, quos ſibi præiviſſe Origenes teſtatur. Poterat ipſis accenſere Ariſtotelem, qui

Lib. 1. contra Celſum. *Lib. 3. de anim. cap. 5. text. 20.*

qui non ſolum ait, mentem extrinſecus advenire, cum gignitur homo; ſed etiam eſſe ſeparabilem, immixtam & impatibilem, atque eſſentialiter ἐνέργειαν. imo immortalem & ſempiternam, quæ infinito tempore exiſtens in alia ſubinde corpora illabatur, nec tamen in uno recordetur geſtorum in altero, quoniam pars quæ recordatur, corruptibilis eſt. Οὗτος ὁ νοῦς, inquit, χωριστὸς, καὶ ἀπαθὴς, καὶ ἀμιγὴς, τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνέργεια. ἀεὶ γὰρ τιμιώτερον τὸ ποιοῦν τοῦ πάσχοντος, καὶ ἡ ἀρχὴ τῆς ὕλης. Et paulo poſt. χωρισθεὶς δ' ἐστὶ μόνον τοῦθ' ὅπερ ἐστὶ, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον, καὶ ἀΐδιον. οὐ μνημονεύομεν δὲ ὅτι τοῦτο μὲν ἀπαθὲς, ὁ δὲ παθητικὸς νοῦς φθαρτὸς, καὶ ἄνευ τούτου οὐδὲν νοεῖ.

XXVIII. Non propagantur ex aliis, ſed a Deo creantur ſingulæ, contra traducem animarum.

Quia igitur nonnulli ſunt, qui dementia capti dicunt, quod ex una anima primi hominis Adam anima Evæ mulieris aſſumpta ſit; nonnulli etiam, quod ex ſolo Adam cum ſeminis jactu in omnes, qui ex eo nati fuerunt, animæ tranſmiſſæ ſint; & alii, quod ex Eva ſola magis animæ fuere translatæ, & ſic a parentibus ad eorum liberos deductæ ſunt: reſpondendum eſt his hoc modo. Cur ergo Adam, qui primus de terra creatus eſt, ſecundum carnem de coſta, quæ ex ipſo fuerat ſublata, in Spiritu Dei prophetando dicebat, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur mulier, quia ex viro ſuo ſumpta eſt*; nuſquam fecit animæ mentionem? nam ſi anima quoque eſſet ex anima, ſecundum illorum vanas opiniones, nunquam profecto hoc Adam præteriiſſet. Nam ſicut, *os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, dicebat, ſic etiam *anima ex anima mea*, dicere potuiſſet: ſed tantum hoc dixit, quod ſibi videlicet ſciebat ablatum. Porro autem conſentiens Moyſi etiam Zacharias propheta ſic di-

Zach. 12. v. 1. cit: *Extendens cœlum, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in ipſo.* Nam ſi non ex ſuppoſita materia nunc crearetur hominis caro, ſicut etiam Adam & Evæ, & ſic poſtea in ipſo non crearetur anima, non ex ſuppoſita materia, tanquam Adam pariter & Evæ, nunquam propheta Zacharias ita dixiſ-

Ibid. ſet: *Et creans ſpiritum hominis in ipſo.* Apertius autem Salomon in Eccleſiaſte docet, animas a Deo præſtari omnibus, quæ ab ipſo creantur ex ſuppoſita materia corporibus, ſolutionem humanæ compoſitionis enarrans,

Eccleſ. 12. v. 7. cum dicit: *Et convertetur pulvis in terram ſuam, & revertetur ſpiritus ad Deum, qui dedit eum.* Cum hoc Salomon dixiſſet, aperte docuit, quod Deus pulveri, quem ad creandum hominem de terra tulerat, ſpiritum præſtitit non habenti. Ideo autem tantum ſpiritum ad Deum reverti dicitur, licet utriuſque ſit creator Dominus, tam carnis quam ſpiritus; quoniam non ex ſuppoſita materia ſpiritum creat, ſicut & corpus. Et iterum, quod una cum Deo homo videtur operari ad nativitatem corporis procreandi, ſpiritum autem ſolus procreat Deus: quippe cum hominum quidem ſit ſubminiſtrare materias, Dei autem creare hominem.

Quod autem Deus eſt, qui format ea, quæ in uterum ſemina jaciuntur, ſimul etiam cætera diverſa vivificat, quæ ab agricolis feruntur in terram, teſtis eſt beatus Job, cum dicit ad

Job 10. v. 8. Deum: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me.* Eadem etiam David propheta dicit. Rurſus etiam Deus Hieremiæ prophetæ

ſic dicit: *Priuſquam te formarem in utero, cognovi te.* Similiter autem Iſaias propheta de populo, qui Jacob nomine vocabatur, inter cætera etiam ſic dicit: *Dominus qui redemit te, qui formavit te ex utero.* Apertius autem etiam beatus Paulus ad Hebræos ſcribens docet, quod non ſicuti corpora ex ſucceſſione deſcendunt, ſic etiam ſpiritus, hoc eſt, noſtræ animæ, cum dicit: *Patres quidem carnis noſtræ habuimus eruditores, & reverebamur; non multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & vivemus?* Quoniam Deus cum benediceret primis hominibus, hoc eſt, Adam & Evæ, dixit: *Creſcite, & multiplicamini, & implete terram*; hac de cauſa parentes *patres carnis* Apoſtolus nominavit. Et quoniam non ex ſuppoſita materia creatas a Deo animas habemus, ideo Deum *Patrem ſpirituum* appellavit.

Jer. 1. v. 5. *Iſai. 44. v. 24.* *Heb. 12. v. 9.* *Gen. 9. v. 7.*

Cuncta igitur ſicut primitus creata ſunt, ſic etiam per dies ſingulos procreantur: alia quidem ex ſuppoſita materia, ſicut animalium inrationalium animæ; alia autem non ex ſuppoſita, ſicut hominum animæ. Sed & de anima nobis ſufficienter dictum.

Disputat adverſus traducem animarum, viam ſibi muniens, ut quidem putat, ad impugnandam fidem peccati originalis. Secuti ſunt magiſtri methodum diſcipuli poſtea Pelagius, Julianus & alii, qui *ad latebrarum ſuarum nebulas, de origine animæ non neceſſariam quæſtionem moverunt, ut res manifeſtas aliarum rerum obſcuritate inobando, molirentur latendi locum: aiebant enim catholicos animarum traducem cum traduce peccati connueri.* Verba ſunt Auguſtini, ad quæ ſpectabat Julianus, cum Auguſtino diceret: *Illud autem, quod te opponere credidiſti, vel in iſto libro, cui nunc reſpondeo, vel in his quos ad Marcellinum ſcripſeras, tum tranſiſſe peccatum, quando omnes homines, ut tuis verbis utar, ille unus fuerunt; ſine difficultate veritas deteris, & irriſioni cujuſque prudentis exponis. Nam tali argumento præter impietatem tuam nihil aliud indicatur; impietatem, inquam, qua credis ita eſſe animarum traducem, ut Tertulliani olim & Manichæi profanitate damnatam, ſicut etiam corporum tradux: quod tam nefarium eſt, ut cum a nobis in epiſtola, quam ad Orientem miſimus, fuiſſet objectum, tum his libris, quos nuper ad Bonifacium miſiſti, negando a te propulſare conaris. ait enim: Dicunt, nos autem animarum traducem confiteri; quod in cujus libris legerint, neſcio; ut a te videlicet nihil dici tale dejeres. Porro, ut falſitas tua tuorum verborum collatione prodatur, quomodo traducem animarum, profanam revera opinionem, tuis dictis ſenſibus non teneri; cum profitearis omnes homines illum unum fuiſſe? Si enim credis partem animæ ſeminibus illigatam, quo ore ſcribis omnes homines Adam ſolum fuiſſe, cum homo utique niſi anima & corpus ſimul eſſe non poſſit?* Anceps porro fuit uſque ad finem vitæ ſanctus Auguſtinus, ut conſtat ex reſponſione ad verba Juliani mox allata. *Ex qualibet ergo, & quantalibet parte, omnes qui ex illo nati ſunt, ille unus fuerunt, ſive ſecundum utramque hominis partem, quod me neſcire confiteor. Nec me pudet, ut vos, fateri neſcire quod neſcio, nec ideo tamen neſcio, de omni homine ſcriptum eſſe: Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies ejus velut umbra prætereunt.* Reſpondebat enim paulo ante obitum, inter armorum ſtrepitus, & Africæ vaſtitatem.

Libelli num. 15. *Epiſt. ad Rufum.* *Lib. 3. ad Boniſ. cap. 10.* *Lib. 2. oper. imperf. c. 178.*

Nota tres Scripturæ locos a Rufino allatos ad probandam animarum a Deo in corporibus creationem: frequenter enim poſtea adhibebuntur ab ejus opinionis defenſoribus, ut videre eſt apud Auguſtinum, tum alibi paſſim, tum præcipue in epiſtola ad Optatum & alia ad Hieronymum, quæ conſultationem continet ſuper ea re.

Epiſt. 157. *Epiſt. 28.*

Obſerva etiam teſtimonia, quibus utitur ad probandum a Deo formari ſemina, ex quibus quotidie homines gignuntur, adhiberi a Juliano eadem arte, ut nimirum ex veritate confeſſa a catholicis, maligne catholica fides peccati originalis peteretur, & mentibus non ſatis eruditis illuderetur. Nihil enim viſum eſt Auguſtino difficilius intellectu, quam quod & corpora & animæ hominum a Deo ſint, & homines tamen obnoxii peccato naſcantur.

Libel. parte 2. num. 6.

CAPUT V.

De hominis corpore.

XXIX. Adam & Eva ſecundum carnem mortales creati.

ILLOS igitur primos homines, Adam dico & Evam, licet immortales ſecundum animam creatos eſſe dixerim, mortales vero ſecundum corpus; numquam mortem guſtaſſent, ſiquidem mandatum Dei ſervare voluiſſent, ſicut beatus Enoch meruit: hic namque, licet mortalis eſſet, tamen *tranſlatus eſt, ut mortem penitus non videret.*

Hebr. 11. v. 5. Quod autem mortales ſecundum corpus creati ſunt Adam & Eva, ut dixi, teſtis eſt

Gen. 2. v. 8. Moyſes cum dicit: *Et plantavit Deus paradiſum in Eden ad Orientem, & poſuit ibi hominem, quem plaſmavit. Et produxit adhuc de terra omne lignum pulcrum ad viſum, & bonum ad edendum, & lignum vitæ in medio paradiſi, & lignum ad cognoſcendum bonum & malum.* Numquam enim Deus lignum vitæ in paradiſo plantaſſet, ſiquidem Adam immortalis ſecundum carnem creatus fuiſſet. Rurſus autem ſi Adam & Eva immortales eſſent ſecundum carnem creati, numquam audiſſent

Gen. 1. v. 28. a Deo: *Creſcite, & multiplicamini, & implete terram.* Nam qui manducare, & bibere, & coire, & creſcere, & terram implere juſſi ſunt, hi penitus immortales eſſe non poterant. Sicut etiam Dominus noſter JESUS CHRIS-

Luc. 20. v. 34. TUS docens Sadducæos dicebat: *Filii ſæculi hujus nubunt & traduntur ad nuptias; illi vero qui digni habebuntur ſæculo illo & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores, neque enim ultra mori poterunt: æquales enim angelis ſunt.*

ISTI mediam quamdam viam inter Auguſtinum opinantem, primos parentes ab initio donandos a Deo immortalitate, qua ſpoliandi forent, ſi peccarent; & Cæleſtium exiſtimantem, eos ſive peccaſſent, ſive non peccaſſent, morituros: ſentit enim mortales factos; ſed ſi non peccaſſent, cum viſum fuiſſet Deo, in ſedem immortalitatis transferendos. Quæ ſententia placuit multis orientalium partium Patribus, & arrepta eſt a Pelagianorum nonnullis, contra quos Auguſti-

Serm. 2. de verbis Apoſt. c. 6. nus diſputat: nec immerito, cum inde ſequatur, mortem non eſſe peccati pœnam, ſed immortalitatem in præmium virtutis dari.

XXX. Mortem non guſtaſſent ſi non peccaſſent.

Probatum eſt ſufficienter, ut reor, hominem ſecundum carnem creatum eſſe mortalem, aperte Domino docente, mortales eſſe eos, qui coitu tali nuptiiſque lætantur. Unde Enoch, qui placuit Deo, poſtquam diverſis ex uxoribus liberos procreavit, tranſlatus eſt, ut mortem penitus non videret, ſicut etiam bea-

Hebr. 11. v. 5. tus Paulus Hebræis ſcribens dicit: *Fide Enoch tranſlatus eſt, ne videret mortem; nam ante tranſlationem Deo placuiſſe perhibetur.* Sic igitur poſſumus dicere etiam de Adam & Eva, quod ſi præceptum Dei mandatumque ſervaſſent, etiam poſt liberorum procreationem, guſtato ligno vitæ, immortales jugiter permanſiſſent, non egentes in poſterum victus, & incrementi, vel nuptiarum.

Sin vero quidam imperitia capti in eadem perſeverant dicentes, quod Adam & Eva, ſemel accepta licentia comedendi de omni ligno, quod erat in paradiſo, præter unum tantum, quod a Deo fuerat interdictum; cum inter omnia etiam de ligno vitæ comediſſent, immortalitatem conſecuti ſint, diſcant, quod qui immortalis factus eſt, cibo penitus non eget. Adam igitur & Eva, ſiquidem immortales naturaliter eſſent, numquam de ligno guſtaſſent, quod a Deo prohibitum fuerat: quippe cum immortales deſiderium eſcæ non habeant, ſicut etiam beatus Paulus teſtatur hoc modo: *Non eſt regnum Dei cibus & potus.* Regnum Rom. 14. v. 17.
autem Dei mortalium non eſt, ſed immortalium, ſicut etiam Dominus noſter JESUS CHRISTUS docuit dicens: *Qui autem digni* Luc. 20. v. 35.
habebuntur ſæculo illo & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores. Neque enim ultra mori poterunt, æquales enim angelis ſunt.

Adam igitur & Eva, ſiquidem mandatum Dei ſervaſſent, numquam profecto guſtaſſent mortem: mandato autem minime ſervato, non ex immortalibus mortales facti ſunt; ſed cum mortales eſſent, promiſſa ſibi a Deo immortalitate ſemetipſos alienarunt. Unde Adam audivit a Deo: *Terra es, & in terram ibis*; id Gen. 3. v. 19.
eſt: Corruptibilis es, & in corruptelam ibis; cum jam indignus eſſet de ligno vitæ manducare, & perpetuo vivere. Ut autem rurſus dicam, quod Adam & Eva, ſi in ſervando mandato Dei perſeveraſſent, non habuiſſent diſcretionem manducandi de ligno vitæ, uſque ad illud videlicet tempus, quo Deus ipſis revelaturus erat. Qua ex cauſa etiam a cæteris lignis fuerat ſeparatum, cum in medio eſſet paradiſi poſitum, ubi etiam lignum illud, quod ſcientiam habebat boni & mali, fuerat conſtitutum, ut interdictum lignum tangere metuentes, etiam a licito caverent manducare. Nam hoc etiam Deus aperte docuit, dicens: *Ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis ad cognoſcendum bonum & malum. Et nunc ne forte tendat manum, & tollat de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* In quo dixit Deus: *Ecce factus eſt cognoſcens bonum & malum, & nunc ne forte tendat manum*; oſtendit quod antequam experiretur mali ſcientiam, non poterat ex ſemetipſo intelligens acceptum de ligno vitæ ſumere. Gen. 3. v. 22.

ARTIFICIOSE declinat, per occupationem, argumentum, quo ex verecundia primorum hominum probabant catholici, corruptam fuiſſe peccato naturam, cum in operibus Dei per ſe nihil, ut ait Auguſtinus, erubeſcendum exiſtat. Lib. 2. de nupt.
Dicit non erubuiſſe nuditatem ſuam primos homines, cum eo & concup. c. 9.
ſtatu forent, quo infantes impotentes generandi. Erubuiſſe Lib. 2. op. im-
vero poſtea, cum natura coëundi cupiditatem adultioribus in- perf.
didit. Hæc opinio pluribus Orientalium placuit, & a Pelagia- Lib. 5. adverſ.
nis poſtmodum defenſa eſt, ad infringendam catholicorum ra- Julian.
tionem. Vide prolixam hac de re altercationem Juliani & Auguſtini. Obſerva quoque videri Julianum libro tertio prioris ſui operis contra Auguſtinum eadem fere proſecutum quæ Rufinus, ut conſtat ex reſponſione Auguſtini.

Et non mirum, cum etiam Adam dixerit, XXXI. Ante peccatum liberorum creandorum cupiditatem ignorabant.
cum de uxore prophetaret hoc modo: *Hæc vocabitur mulier, quia ex viro ſuo ſumpta eſt; & propter hoc derelinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori; & erunt ambo in carne una.* Non ſolum hoc; ſed etiam cum au- Gen. 2. v. 23.
diſſent Deum ſibi dicentem Adam & Eva: *Creſcite, & multiplicamini, & implete terram*; Gen. 1. v. 28.

ante inobedientiam, quid eſſet liberorum creandorum cupiditas, penitus ignorabant. Dicit enim Moyſes: *Erant autem ambo nudi, tam Adam, quam uxor ejus, & non erubeſcebant.* (Gen. 2. v. 25.) Non Moyſes hoc dixit, quaſi illi incontinentiæ cæcitate decepti, pudorem ſpernerent nuditatis: ſed oſtendit eos tanquam infantes necdum cupiditatem coëundi habere. Unde poſt prævaricationem nuditate perſpecta, non totius dico corporis, ſed illius partis, quam etiam Cham, Noë dormiente, viderat, tunc demum creandorum liborum cupiditatem adepti, & intelligentes nuditatem ſuam, ficorum foliis verenda texerunt.

XXXII. Mors a Deo in bonum ad coëercendam peccatorum malitiam indicta.

Deus igitur conſulens hominibus, cum ſciret eos ad malitiam pronos, & voluptatum ac deſideriorum carnis amatores, & vellet ad honeſtam potius revocare virtutem, ſivit uſque ad tempus aliquod dominationi mortis addici: quippe cum nihil aliud noſſet, tam facile homines coërcere poſſe quam mortem; mortis enim metu plerumque multi a malitia penitus abſtinere noſcuntur: unde mundanæ leges non aliter poſſunt pleraque hominum vitia reſecare, niſi interminatione mortis & pœnæ: omnes enim hujuſce vitæ communis amore detenti, cavent peccatorum præſtare cauſas, ne carere ea, delinquentes propria voluntate, cogantur.

Non igitur hominibus mortem datam pro malorum vice dicimus, ſicut ratiocinantur indocti, ſed ad delendam mentis pravitatem. Nam ſi victuri perpetuo homines eſſent, numquam profecto eorum malitia finiretur.

Rurſus etiam cur pro malorum viciſſitudine mortem datam eſſe credamus, cum ſi quis centum homines forte vel amplius occiderit, tot & tantis homicidiis exæquare nullam valeat ultionem?

Solemne fuit Pelagianæ factionis hominibus imperitiæ accuſare catholicos, præſertim cum de mortalitate ageretur & peccato originali. Ita Theodorus in excerptis Marianis: ita Rufinus aliis etiam in locis: ita Pelagius in libris de libero arbitrio: ita Julianus ubique paſſim, ſed præcipue poſteriore opere: ita Annianus in ſuis epiſtolis.

Nota vero Patres orientales de mortis bono non aliter fere ſenſiſſe, quam Rufinus. Vide Baſilium, Chryſoſtomum, & alios Geneſis enarratores, quamquam alia fuit mens ſanctorum, alia veteratorum hominum, conſenſione cum Patribus abutentium, ad occupandos animos, ne vim argumenti a morte petiti ad probandum peccatum originis perſpicerent.

XXXIII. Juſtis etiam utilis eſt.

Non igitur malignis tantum hominibus, ad delendam eorum pravitatem, bona mors eſſe dicitur; ſed etiam juſtis utilis: ſicut enim malus peccare deſinit, hac luce privatus, ſic etiam juſtus dormiens, aſſiduis impugnationum afflictationibus, & miſeriis animi liberatur. Soluta enim proprio corpore juſti anima nullis poſtea premetur anguſtiis, non miſeriis animi ſubjacebit, non neceſſitates videbit, non perſecutiones ſuſtinebit, non ultra inſurgentia ſibi carnis vitia patietur, non ultra videbit in dies ſingulos agmen ſuggeſtionum malarum, non ad luctam nudabitur. Nihil ſecum trahens ſæcularium ſollicitudinum, non carnis maceratur abſtinentia, cauſa certaminum, non ultra certat, non curſu contendit aut æſtu, non jam luctatur cum principatibus ac poteſtatibus, ſpiritibuſque nequitiæ, ſed ſtadium ei ſolutum eſt, certamen deſtitit, & adepta victoria, ad percipiendam coronam juſtitiæ protinus properat, beatam in cœlis & æternam vitam conſequi, cum receperit immortalem carnem ſuam.

Ideo autem & beatus Paulus, talia bella perſpiciens, quæ ab inviſibilibus inimicis juſtis hominibus indicuntur, metiens, ne quorumdam forte prudentiam aut malitia commutaret, aut dolus ſanam falleret mentem, provocandæ virtutis gratia, ſuadebat ut omnes hanc vitam ſpernerent temporalem, utique ſic dicens: *Audentes igitur ſemper, & ſcientes, quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino.* (2 Cor. 5. v. 6.) Unde peregrinari volens a corpore, & finem imponere properans certamini ſuo, & in præſentiarum eſſe cupiens apud Deum, vociferatur dicens: *Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Certamen bonum certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi juſtitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex; non ſolum autem mihi, ſed & omnibus, qui diligunt adventum ejus.* (2 Tim. 4. v. 6.) Solet etiam beatus Job malorum omnium ſolutionem mortem ſæpius appellare, cum dicit: *Mors viro requies. Concluſit enim Deus contra ipſum.* (Job 3. v. 23. ſecund. LXX.)

XXXIV. Mors requies & ſomnus appellata.

Sin autem nonnulli dicere voluerint, quomodo fieri poteſt, ut mors homini requies ſit, cum beatus David dixerit: *Mors peccatorum peſſima?* (Pſ. 33. v. 22.) Diſcant non ideo ſic dictum eſſe: *Mors peccatorum peſſima*; quaſi non peccatis eorum terminus imponatur, ac finis; ſed quod poſt mortem, delictorum ſuorum cauſa, graviſſimas ipſi ſubeunt ultiones.

Similiter autem beatus Job ſicut requiem, ſic etiam ſomnum, mortem nominare conſuevit, cum dicit: *Quare ubera ſuxi? nunc utique dormiens quieſcerem, & ſomni ſecuritate fruerer cum regibus conſiliariis terræ, qui gloriabantur in gladiis, aut cum principibus, quibus multum fuit aurum.* (Job 3. v. 12.)

Porro Iſaias propheta, cum juſſus a Domino regem Babylonis mortuum lamentaretur, communem hanc & temporalem mortem ſomnum nominavit, dicens: *Omnis terra clamat cum lætitia, & ligna Libani ſupra te gratulata ſunt, & cedri Libani dicent: Ex quo tu dormiſti, non aſcendit qui ſuccidat nos. Infernus ab imis amaritudine captus eſt occurrens tibi.* (Iſai. 14. v. 7.)

Pariter etiam Daniel propheta dicit: *Et multi dormientium in terra e pulvere ſurgent; iſti in vitam æternam, & iſti ad opprobrium, & ad confuſionem æternam.* (Dan. 12. v. 2.)

Idem autem etiam beatus Paulus docet, cum dicit: *Nolumus autem ignorare vos fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Si enim credimus, quod* JESUS *mortuus eſt, & reſurrexit; ita & Deus eos, qui dormierunt, per* JESUM *adducet cum eo.* (1 Theſſ. 4. v. 12.) Multis igitur teſtibus edocti, quod mors iſta communis mala non ſit, jam longe valere dicamus iis, qui mortem malam appellant.

CAPUT VI.

De primorum parentum peccato.

XXXV. In bonum etiam labores Adamo & ſudores dati.

DICIMUS autem, quod in bonum Deus præſtitit primo homini Adam ſudores pariter ac labores, quos de terra pateretur; quippe cum non aliter inviſibiles inimicos, contra quos habemus continuam luctationem, veneranda fide ſuperare poſſimus, niſi corporis laboribus fatigati: his enim docemur per divinam ſcripturam, noſmetipſos hoſtium fallacia liberare, & aut ſalvam cuſtodire virtutem, aut amiſſam perinde revocare.

Sic beatus David virtutem, quam perdiderat, recuperare feſtinans, docet dicens: *Sa-*
Pſ. 50. v. 19. *crificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernet.* Et
Pſ. 6. v. 6. iterum: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, in lachrymis meis*
Pſ. 108. v. 24. *ſtratum meum rigabo.* Et iterum: *Genua mea infirmata ſunt præ jejunio, & caro mea mutata eſt propter oleum.* Docens etiam quemad-
Pſal. 34. v. 13. modum virtutem ſervare debeamus, dicit: *Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebam me cilicio, & humiliabam in jejunio animam meam.*

Similiter autem Dominus noſter JESUS CHRISTUS diſcipulos ſuos docebat, non aliter aut ſalvam, ut dixi, ſervari, aut perditam revocari poſſe virtutem, niſi per labores
Matth. 7. v. 13. corporis & dolores. Sic enim ait: *Ingredimini per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa via, quæ ducit ad interitum, & multi ſunt qui ingrediuntur per eam; quia anguſta porta & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam.*

Ideo & beatus Paulus, cum rogaret Dominum, ut ab ipſo penitus ille diſcederet, qui ſtimulum carnis infigere conabatur, non im-
2 Cor. 12. v. 9. petravit, ſed magis audivit a Domino: *Sufficit tibi gratia mea; virtus enim in infirmitate perficitur.* Unde lætus poſtea dicebat: *Libenter ergo gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, & anguſtiis pro Chriſto. Cum enim infirmor, tunc potens*
2 Cor. 4. v. 16. *ſum.* Ideo autem docens dicit: *Propter quod non deficimus; ſed licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem: nam quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis; non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt.*

Sic igitur dicimus, primos homines, Adam & Evam, a peccato ſuo fuiſſe ſalvatos per labores corporis & dolores, quos eis Dominus præſtiterat, pro beneficio ſcilicet animarum. Unde poſtea nuſquam facit eorum divina ſcriptura, quaſi peccaverint, mentionem.

Occupat argumentum a laboribus & ærumnis petitum, quibus punitos catholici contendebant primos parentes ob peccatum, indeque traductionem peccati in poſteros arguebant, quippe quos ſimili pœna affici cernerent. Eamdem materiem verſat Julianus lib. 5. poſterioris operis, videturque e Rufino ſumpſiſſe, quæ verboſius exponeret. *Quid nos,* inquit, *tam obſtipe veritatis ſolam rationem ſequendam putamus, cum inimicorum noſtrorum phalanx ipſis innitatur rerum periculis, & inſurgat in nos ærumnarum inſtructa ſuffragiis: vult quippe pudore coeuntium, dolore parientum, ſudore laborantis, tranſmiſſionem culparum & pœnarum in femina comprobare, ut his videlicet ſignis difficilium partuum, agricolarum ſudantium, & ſpinoſorum novalium, crimen naturale credamus, cujus merito per tot incommoda genus exerceatur, quod quidam, per Ada peccatum, mortale opinantur effectum.* &c. Lib. 6. op. imperf. c. 25. & ſeq.

Quod autem Deus dimiſerit eis peccatum, ſicut etiam Cain, qui primum peccaverat, indulſit, cum dixiſſet ad eum: *Peccaſti, quieſce, ad te reverſio ejus,* hoc eſt peccati: *Et tu dominaberis;* aperte Moyſes oſtendit per humanitatem, ſeu miſericordiam, quam Deus ipſis poſtea libenter indulſit. Quid enim dicit Moyſes? *Et fecit Dominus Deus Adam & uxori ejus tunicas pelliceas, & veſtivit eos.* Nam ſi Dominus ipſis peccatum non dimiſiſſet, nunquam profecto per ſemetipſum veſtiret eos tunicis, quas illis ipſe perfecerat.

XXXVI. Adam & Evæ dimiſſum peccatum oſtendunt tunicæ pelliceæ. Gen. 4. v. 7. Gen. 3. v. 21.

Ne quis igitur eaſdem pelliceas tunicas, quas habuerunt, humanum corpus exiſtimet, ſicut impius Origenes expoſuit. Nam ante iſtas, quas dixi, pelliceas tunicas ipſe Adam carnem habere ſe docuit dicens: *Hoc nunc os de*
Gen. 2. v. 23. *oſſibus meis, & caro de carne mea.* Pelliceas igitur tunicas datas a Deo fuiſſe dicimus propter aſperitatem vitæ, vel quod tanquam ſe exercentibus ad virtutem, eas dabat quæ congruæ videbantur, ut diſcerent non aliter poſſe vincere inviſibiles inimicos, niſi laboribus corporis. Et quod poſt prævaricationem, quam in paradiſo admiſerat, perſeveravit Adam in poſterum uſque ad finem vitæ ſuæ obtemperans Deo, teſtis eſt Salomon, cum de ſapientia ejus, quæ ipſum in timore Dei ſervavit, diceret hoc modo: *Hæc primum fictum patrem*
Sap. 10. v. 1. *orbis terrarum, cum ſolus creatus eſſet, cuſtodivit, & liberavit a delicto; dedit autem ei fortitudinem dominandi omnibus.* Similiter autem etiam de ſalute Evæ beatus Paulus docens ita dicit: *Adam enim primus formatus eſt, dein-*
1 Tim. 2. v. 13. *de Eva; & Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit. Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerint in fide, & dilectione, & ſanctificatione, cum ſobrietate.*

Commentum Origenis de pelliceis veſtibus nemo Patrum non inſectatur, & acriter quidem Methodius apud Photium, Epiphanius in Ancorato, & in epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum. *Præterea,* inquit, *frivolam ejus expoſitionem ſuper tunicis pelliceis, quanto conatu, quantiſque egerit argumentis, ut tunicas pelliceas humana eſſe corpora crederemus, quis inter multa alia: Numquid coriarius, aut ſcortifacius erat Deus, ut conficeret pelles animalium, & conſueret ex eis tunicas pelliceas Adam & Evæ? Manifeſtum eſt ergo,* inquit, *quod de corporibus noſtris loquatur. Et ſi hoc ita eſt, quomodo legimus, ante pelliceas tunicas, & ante inobedientiam, & de paradiſo ruinam Adam loquentem non ſecundum allegoriam, ſed vere: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Verum aut varie locutus eſt Origenes, aut Theodoretus male ipſum expoſuit in qq. de Geneſi.

XXXVII. Quod pro ſuis propriis quiſque damnatur.

Quod dixit, per filiorum generationem, cum filiorum generatione ſignificavit: ſolet enim divina ſcriptura præpoſitiones plerumque mutare. Teſtis eſt Patriarcha Joſeph de ſomnio ad

Gen. 40. v. 8. ad Eunuchum dicens: *Non per Deum explanatio ejus*, id eſt, non a Deo. Similiter autem etiam beatus Paulus, cum ad Hebræos
Heb. 1. v. 2. ſcriberet, dicit: *Per quem etiam fecit ſæcula*, pro eo quod eſt, cum quo etiam fecit ſæcula. Neque enim ſubminiſtratorem dicimus Patris eſſe Filium, propter hoc dictum, quod eſt: *Per quem etiam fecit ſæcula*, ſed magis cooperatorem. Non ergo Eva propter liberos ſalvabitur ſuos, neque ejus ſoboles matris cauſa damnabitur, aut patris Adam, ſicut imprudentium æſtimat opinatio: nam unuſquiſque hominum, cum liberi arbitrii ſit, ex ſuorum qualitate geſtorum, aut laudandus nimirum, aut vituperandus habebitur. Simili modo etiam in die judicii, aut juſtificandus erit, aut ſupplicio ſubjugandus, ſicut & beatus Paulus docet
2 Cor. 5. v. 10. ita dicens: *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.*

Excerp. 5. num. 5. part. 2. lib el. num 12. & aliis paſſim. Incipit oppugnare peccatum originale, primumque argumentum ſemit ab eo teſtimonio Apoſtoli, quod accepit a Theodoro, & Juliano tradidit, quaſi nemini alterius culpa imputari poſſit. Pergit vero injuriam facere catholicis, ut quos imperitos antea dixerat, nunc imprudentes vocet, inſaniæ poſtea damnaturus: in quo ſecutus eſt Theodorum, qui defenſores peccati originalis per ironiam primum ſapientiſſimos & mirabiles peccati patres, tum inexercitatos in ſcripturis divinis, imprudenteſque & inverecundos, dementes denique nominat in excerptis, quæ ex Mario edidimus; præivit autem Pelagio imperitos & inſanos appellanti; Juliano nullum non convitium in eoſdem conjicienti; aliiſque factioſis ſine nomine, quorum proprius character fuit, ſuos laudare, alios deſpicere, ac maledictis onerare.

XXXVIII. Quod filii pro parentibus non puniantur, nec parente pro liberis.

Quod autem liberi non pro parentibus puniantur, neque parentes pro liberis, aperte rurſus edocuit Deus, cum ad Moyſem prophetam diceret: *Non morientur patres pro filiis,*
Deut. 24. v. 16. *neque filii pro parentibus, unuſquiſque in peccato ſuo morietur.* Porro autem arguens Deus imprudentiam filiorum Iſraël, eo tempore, quo apud Chaldæos ſecundum ſcelera ſua captivi erant, & cauſabantur non de ſe penitus, ſed de parentibus ſuis, quaſi illi totius eorum nefandi ſceleris fuiſſent cauſa, Deum de captivitate ſua criminabantur injuſte; cum dice-
Ezech. 18. v. 2. rent: *Via Domini non eſt recta, quoniam patres noſtri comederunt uvam acerbam, & filiorum dentes obſtupuerunt*; dicit ad eos per
Ibid. v. 3. Ezechiel prophetam: *Vivo ego, dicit Dominus, ſi ultra fuerit jam dicta parabola iſta in Iſraël, quoniam omnes animæ meæ ſunt, ſicut anima patris ſic & anima filii, meæ ſunt; ani-*
Ibid. v. 20. *ma quæ peccat, ipſa morietur.* Et iterum: *Filius*, inquit, *non accipiet iniquitatem patris, neque pater accipiet iniquitatem filii.* Et iterum:
Ibid. v. 30. *Unumquemque veſtrum ſecundum viam ſuam*
Ibid. v. 3. *judicabo vos, domus Iſraël, dicit Dominus.* Cum dixiſſet Deus: *Vivo ego, ſi ultra fuerit dicta parabola iſta in Iſraël*; aperte docuit eos in eadem imprudentia permanere.

Part. 2. libel. num 15. Lib. 3 op. imperf. c. 12. & ſeq. Excerpt. 2. Secundum argumentum ſpeciatim pertinens ad cauſam liberorum & parentum ſumit ex teſtimonio, tum Moſis legiſlatoris, tum Ezechielis prophetæ. Utrumque adduxit Julianus, imo exſcripſit, ſive in libello, ſive in opere poſteriore; utroque uſus eſt Theodorus in excerptis.

XXXIX. Quod injuſtus Deus dici videatur, aut eo fortior diabolus.

Poſt hæc igitur Dei teſtimonia, inſaniunt, qui per unum hominem Adam, omnem orbem terrarum iniquitatis flagitiorumque condemnant: nam qui hæc dicunt, aut injuſtum Deum pronuntiant, aut certe Deo diabolum æſtimant fortiorem; eo quod naturam, quam Deus creavit bonam, eam diabolus, per prævaricationem Adam & Evæ, malam potuerit efficere: ſiquidem, prævaricatione primi hominis Adam, & ejus uxoris Evæ, omnes homines peccato obnoxii ſunt. Semetipſos profecto debent agnoſcere eſſe cupidos delictorum: quippe cum ſint ipſi voluptatum amatores, & carnis, non debent eorum cauſas aliis adnectere, quorum ipſi videntur fuiſſe auctores. Aut certe dicant nobis, qui ſeſe eſſe prudentes exiſtimant, neque ea quæ dicunt intelligere poſſunt, neque de quibus diſputant ſentire noſcuntur, cur Adam & Eva, cum primo ceciderint, ſecundo cadere minime appo. fuerunt, ſi eorum natura, ex prævaricatione facta peccatrix, a malis ſe penitus abſtinere non poterat. Neque enim meminit uſquam divina ſcriptura, quaſi ipſi ſecundo peccaverint, ſicuti de Cain, quod ſecundo peccavit, narrare non diſtulit: quippe cum etiam de Abel, quod a peccatis fuerit alienus, aperte docuerit. Quid vero etiam de Enoch, atque Elia dicent, quod cum bene placuiſſent Deo, tranſlati ſunt, ut mortem penitus non viderent, non ab Adam prævaricatione prohibiti permanere immortales, cum per eoſdem clare docuerit unigenitus Deus ante carnalem adventum ſuum ſpem ipſam reſurrectionis? Quid etiam de Noë dicent, quem Deus juſtum eſſe teſtatur? Necnon etiam cum ſuis omnibus hic eamdem ſalutem meruit, quam nos quoque per baptiſma promeremur, ſicut beatus Petrus in ſua epiſtola docet, cum dicit: *In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, expectabat Dei patientia in diebus Noë, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam, quod & vos nunc ſimili forma ſalvos facit baptiſma.* 1 Petr. 3. v. 19.

Hæc verba, *inſaniunt qui per unum hominem*, &c. contraxit compendio Pelagius. *Inſaniunt*, inquit, *qui de Adam per traducem aſſerunt ad nos venire peccatum.* In ep. ad Rom. cap. 7.
Voluit etiam in eodem argumento adhibere Julianus, ſit enim Auguſtinum alloquens: *Inſanis ergo cum dicis, creat malum Deus, ſed plus inſanis, cum id evangelico teſtimonio probare conaris*, &c. Lib. 5. operis imperf. c. 64.
Tertium argumentum: Si tradux eſt peccati, aut Deus injuſtus eſt, aut Deo fortior diabolus, &c. adhibuit ipſe quoque Julianus.
Quartum, quod peccati originalis opinio inventa ſit ab hominibus cupidis voluptatum, &c. tragice dilatavit Julianus. *Delectas ſubantes animas.* Lib. 2. operis imperf. c. 5. & 6.

XL. Infantes Adæ peccato non teneri, nec propterea baptizari.

Sin vero, ut ipſi aſſerunt, propter peccatum Adam moriuntur infantes, dicant nobis, cur ſtatim baptizati mortem guſtare permittuntur: quippe cum omnes, qui baptizati ſunt, & propter hoc filii Dei facti, peccatum habere non poſſint. Et ſiquidem propter peccatum Adam baptizantur infantes, qui ex parentibus chriſtianis nati ſunt, baptizari minime debebunt, & quaſi ſancti perinde habeantur, quia de parentibus ſunt fidelibus procreati, ſicut beatus Paulus docet hoc modo dicens: *Alioquin filii veſtri immundi ſunt, nunc vero* 1 Cor. 7. v. 14.
ſancti ſunt. Similiter autem etiam beatus Joan-

 nes

nes dicit de procreandis filiis, quia ſimul atque naſcuntur, inluminationem ſanctificationis ab unigenito Verbo percipiunt, cum dicit: *Joan. 1. v. 9.* *Erat lux vera, quæ inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Baptiſma igitur infantes non propter peccata percipiunt, ſed ut ſpiritalem procreationem habentes, quaſi per baptiſma in Chriſto creentur, & ipſius regni cœleſtis participes fiant, ſicut beatus Paulus docet hoc modo: *1 Cor. 5. v. 17. Rom. 8. v. 17.* *Si qua in Chriſto nova creatura.* Et iterum: *Sin autem filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Unde Cornelius, qui teſtimonio Dei juſtitia nitebat, quique baptiſma Spiritus, ſicut & Apoſtoli, perceperat, & ſancti Spiritus particeps erat; quo in ſe inhabitante peccatum penitus habere non poterat; neceſſario tamen etiam illo baptiſmate, quod per aquam traditur, dignus habitus eſt, ut ſecundum beatum Paulum, *Rom. 6. v. 5.* *complantatus propter mortem ſimilitudinis Chriſti, etiam ipſius reſurrectionis cohæres exiſteret.*

QUINTUM argumentum: Si infans propter peccatum Adami tollendum baptizatur, baptizari utique non debet, qui genitus a baptizatis, atque ita purus peccati, niſi forte baptiſmus dicatur non tollere peccata omnia; adhibuit Cæleſtius in libro, *Hæreſ. 88.* quem teſte Prædeſtinato edidit, antequam Pelagius commentarios ſcriberet in epiſtolas Pauli. Illud ipſum retulit in commentarios Pelagius, teſtibus Auguſtino, Mercatore & Prædeſtinato, ſed delevit Caſſiodorus, ut non ſemel monuimus. Hinc Julianus execrari ſe ſcribit eos, *qui aſſerunt in baptiſmo non penitus peccata deleri; quique negant de duobus baptizatis natum, vel de muliere baptizata procreatum baptiſmatis gratia egere.* *Lib. 3. de pecc. merit. c. 2. In Comment. cap. 2. loco mox citato. Libel. 3. tart. num. 13. & 20.*

Obſerva traditum a Rufino Pelagianis effugium, quo declinarent argumentum catholicorum ex neceſſitate baptiſmi probantium parvulorum peccatum: aiebant enim baptizari, non ut mundarentur, qui eſſent innocentes, ſed ut adoptarentur in filios Dei, & hærades regni cœlorum. Cæleſtius. *Infantes autem debere baptizari in remiſſionem peccatorum ſecundum regulam univerſalis Eccleſiæ, & ſecundum Evangelii ſententiam confitemur; quia Dominus ſtatuit regnum cœlorum nonniſi baptizatis poſſe conferri, quod, quia vires natura non habent, conferri neceſſe eſt per gratiæ largitatem.* *In lib. Romæ oblato apud Aug. l. de pecc. orig. c. 5.* Julianus. *Chriſtus qui eſt operis ſui redemptor, auget circa imaginem ſuam continua largitate beneficia, & quos fecerat condendo bonos, facit innovando adoptandoque meliores.* *Apud Aug. l. 3. adverſ. Jul. c. 3.* Vide quæ prolixe annotata ſunt in hanc rem ad caput 8. Subnotationum.

XLI. Contra eos qui pueros non baptizatos æterni ignis pœnæ deputant.

Quia igitur quidam ſcripturarum inſcientia divinarum, in nefariam & injuſtam de Chriſto vocem audent erumpere, aſſerentes eum pueros minime baptizatos æterni ignis pœnæ deputare, qui aſſolet in ſcripturis gehenna nominari; diſcant ex divinis ſcripturis, quod ignis æterni pœna innocentibus, ac penitus peccatum ignorantibus, præparata non ſit, ſed eis, *Rom. 3. v. 19.* qui legem Dei prævaricati noſcuntur, ſicut beatus Paulus docet hoc modo: *Scimus quoniam quæcumque lex loquitur, his qui in lege* *Rom. 3. v. 21.* *ſunt loquitur.* Et iterum: *Per legem enim co-* *Rom. 4. v. 15.* *gnitio peccati.* Et iterum: *Ubi enim non eſt* *Rom. 5. v. 13.* *lex, nec prævaricatio.* Et iterum: *Peccatum autem non imputatur, cum lex non eſt.* *Rom. 7. v. 8. 9.* Et iterum: *Sine lege enim peccatum mortuum eſt. Ego autem vivebam ſine lege aliquando.* Similiter & Deus Moyſi de juvenibus legem condens dicit: *Num. 14. v. 12. ſecund. LXX.* *Vivo ego, & vivit nomen meum, & implevit gloria Domini omnem terram, quia omnes viri, qui vident gloriam meam, & ſigna quæ feci in Ægypto, & in deſerto iſto, & tentaverunt me de hoc decies, & non audierunt vocem meam, quoniam non videbunt terram quam juravi patribus eorum, niſi filii eorum, qui ſunt mecum hic hodie, quicumque neſciunt nec bona, nec mala. Omnis juvenis expers, his dabo terram.* Pariter etiam Dominus noſter JESUS CHRISTUS de parvulis docet; quod ab omni peccato ſint alieni, *Matth. 18. v. 3.* cum dicit: *Amen dico vobis, niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et iterum ad diſcipulos *Marc. 10. v. 14.* ſuos dicit: *Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos, talium enim eſt regnum cœlorum. Amen dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei ſicut parvulus, non intrabit in illud.* Similiter autem etiam beatus Paulus dicit: *1 Cor. 14. v. 20.* *Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote.* Et iterum de Eſau & Jacob docet ſic *Rom. 9. v. 11.* dicens: *Cum necdum nati eſſent, nec aliquid feciſſent boni vel mali.* Pueri igitur, ſicut ipſa divina ſcriptura perdocuit, quaſi penitus innoxii, neque malitiam prorſus experti, boni etiam vel mali diſcretionem ignorantes, ignis æterni pœnæ minime mancipantur: quippe cum ignis æternum ſupplicium impiis & peccatoribus præparatum ſit. Sed & iſti quidem cum ſua imperitia dimittantur.

ALIUD effugium aperit, quo ſe ſubducerent Pelagiani, cum premerentur a catholicis Chriſti judicium argumentantibus, & ſententiam omnes in duo tantum loca diſtribuentem. Dixerunt enim judicium ejuſmodi ad ſolos adultos rationis participes, & legis, quam noviſſent, violatæ reos pertinere. Vide Juliani eadem, qua Theodorus, teſtimonio tractantis altercationem. *Lib. 2. op. imperf.*

CAPUT VII.

De incarnatione Verbi, ſeu Chriſto.

RURSUS autem docemur, quod in noviſſimo dierum unigenitus Deus Verbum, voluntate Patris & Spiritus ſancti, complacuit homo fieri. Et quod voluntate Patris factus eſt, aperte docuit beatus Paulus ita dicens: *Gal. 4. v. 4.* *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus.* Et quod etiam Filius volens factus eſt homo, ſimiliter beatus Paulus edocuit, dicens: *Philip. 2. v. 6.* *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens.* Et quod voluntate pariter Spiritus ſancti factus eſt homo, teſtis eſt Angelus, qui virgini Mariæ evangelizavit, ſic dicens: *Luc. 1. v. 35.* *Spiritus ſanctus veniet ſuper te, & virtus Altiſſimi obumbrabit te; ideo quod naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Et iterum in ſomnis idem Angelus ait ad Joſeph: *Matth. 1. v. 20.* *Nam quod naſcetur ex ea, de Spiritu ſancto eſt.* Similiter autem beatus Matthæus dicit: *Ibid. v. 18.* *Inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto.*

XLII. Unigenitus Dei Filius homo factus in noviſſimo dierum.

ILLUD ipſum compendioſius dixit Julianus. *In plenitudine temporum miſſus Filius Dei, non majoris imperio poteſtatis, ſed communione voluntatis.* Fit Verbum caro. *In lib. 1. part. num. 5.*

Factus igitur homo unigenitus Deus Verbum, ex Maria quidem ſemper virgine corpus accipiens, animam vero rationabilem ſibi creando ejus ſubſtantiæ, cujus etiam noſtra eſt, ex ipſa

XLIII. Ex Maria ſemper virgine corpus aſſumens animam ſibi creavit.

ipſa ſemper virgine naſcitur homo, ſicut Iſaias prophetando dixit: (*Iſai. 7. v. 14.*) *Ecce virgo in utero accipiet, & pariet filium.* Semper autem virginem dixit ſanctam Mariam, quoniam ſicut virgo concepit, ſic etiam virgo permanens peperit. Nam quomodo ſignum, quod datum eſt a Deo Achaz, verum erit? Si igitur non permaneret virgo poſt partum, & quod virgo concepit, minime credendum eſt. Quid enim dicit Evangeliſta de Joſeph: (*Matth. 1. v. 25.*) *Et non cognovit eam, donec peperit filium ſuum?* id eſt, non noverat certius quod ipſa erat virgo, quæ Chriſtum paritura prædicta eſt, niſi poſt partus editionem documenta virginitatis ejus manere agnoviſſet intacta. Necnon etiam ex conſequentibus & adnuntiis Chriſti ſignis, Angelis, ſtella, Simeone, Anna, vel magis, admonitione quoque Angeli, qui ad ipſum locutus eſt hoc modo: (*Matth. 2. v. 13.*) *Surge, accipe puerum & matrem ejus.* Non dixit uxorem tuam, ut ſcire poſſet, quod Chriſti cauſa virgini Mariæ datus fuerat ut miniſter. Unde Dominus ſignum virginitatis confirmare volens, poſt reſurrectionem a mortuis, clauſis ad Apoſtolos ingreſſus eſt oſtiis, oſtendens ſe oſſa & carnem habentem.

Disputat de virginitate Deiparæ Mariæ adverſus Helvidium & Jovinianum, quorum hæreſis orta eſt ante obitum Damaſi, ſecutus Hieronymum, qui utrumque monſtrum profligavit libris editis: ex hac vero diſputatione collige, librum hunc ſcriptum, cum adhuc ferverent hominum nefariorum quæſtiones, atque adeo quartu ſæculo inclinante.

XLIV. Adverſus Arianos & Apollinarem habuiſſe negant.

Propterea autem Chriſtus proficiebat ætate & ſapientia, ut probaretur, quod vere factus homo fuerat, ſicut Lucas evangeliſta docet, cum dicit: (*Luc. 2. v. 40.*) *Puer autem creſcebat & confortabatur, plenus ſapientia, & gratia Dei erat ſuper ipſum.* Et iterum: (*Ibid. v. 52.*) *Et* JESUS *proficiebat ætate & ſapientia.* Si igitur JESUS CHRISTUS animam non habuiſſet, ſicut nefarii æſtimant Ariani; aut rurſus animam quidem habuiſſet, & non tamen rationabilem, ſicut Apollinaris definivit inſaniens; nunquam profecto ſapientia proficere poterat: quippe cum caro ſine anima ſapientia proficere non poſſit. Sed neque Dei unigenitus Filius indiget augmento ſapientiæ, cum ipſe ſit totius noſtræ ſapientiæ diſtributor.

Suspectus locus. Jesum enim ab unigenito Dei Filio diſtinguit, huncque profeciſſe negat, illum affirmat more Neſtorianorum. Paulus Samoſatenus, quo parente nata eſt impietas Neſtoriana, quæſt. 5. (*Tom. undec. biblioth. PP. inter opera Dionyſii Alex.*) *Scriptum eſt in Evangelio:* Puer creſcebat & confortabatur; *quaſi diceret: Creſcebat* Jesus, *ex Spiritu ſancto & Maria virgine natus. Quomodo igitur qui creſcebat & confortabatur, hunc dicis ante ſæcula eſſe, & ſimul cum Patre ingenito non habentem initium & coæternum?* Theodorus Mopſueſtenus. (*In excerpt. ex lib. 6. de Inc. a Mercat.*) Jesus *proficiebat ætate & ſapientia. Hoc autem de Verbo Dei non poteſt dici, quia Deus perfectus natus eſt de Deo perfecto, ſapientia de ſapientia, virtus de virtute. Ipſe igitur non proficit, nec enim imperfectum eſt, ut ad perfectionem incrementis indigeat:* * *non enim mox formato, vel edito omnem propriam ſapientiam deitas contulit, ſed hanc particulatim corpori tribuebat.*

*Videntur deeſſe hæc verba, aut ſimilia: *Proficiebat Jeſus, vel proficiebat homo, non enim ei,* &c.

XLV. Sicut corpus, ſic animam habuiſſe edocent Evangeliſtæ.

Quod autem ſicut corpus, ſic & animam Dominus noſter JESUS CHRISTUS habuit, aperte nos docent Evangeliſtæ, dicente Angelo ad Joſeph, cum eſſet in Ægypto: (*Matth. 2. v. 20.*) *Surge, & accipe puerum & matrem ejus, & vade in terram Iſrael; mortui enim ſunt, qui quærebant animam pueri.* Et iterum quando Dominus noſter JESUS CHRISTUS aiebat: (*Joan. 12. v. 27. Matth. 26. v. 38.*) *Nunc anima mea conturbata eſt.* Et iterum: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Et iterum: (*Joan. 10. v. 15. Ibid. v. 17.*) *Sicut me novit Pater, & ego novi Patrem, & animam meam do pro ovibus.* Et iterum: *Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam, ut rurſus eam recipiam. Nemo tollit eam a me, ſed ego pono eam ſponte, poteſtatem habeo ponere eam, & poteſtatem habeo iterum accipere eam.* Similiter & beatus Petrus, teſtimonium David prophetæ ad Chriſtum referens, ita dicit ex perſona ipſius Chriſti: (*Act. 2. v. 27.*) *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*

Quod impugnat Arianos, nullam in Chriſto animam admittentes præter Verbum, & Apollinarem, qui mentem duntaxat excluderet, facit iterum cum Pelagio & Juliano in ſuis libellis; facit & cum Neſtorianis, qui catholicis utroque nomine calumniabantur, quaſi ſocietatem cum ipſis haberent. Neſtorius ipſe, cum fureret poſt acceptas a ſede apoſtolica literas devotorias: (*Parte 2. oper. M. Mercat.*) *Non dicit*, inquiunt, Θεοτόκον *genitricem Dei, & hoc eſt totum, quod noſtris ſenſibus ab illis opponitur: nemo enim, aiunt, rectam fidei gloriam ſequens, vocem hanc aliquando declinavit. Multa dogmatum ibi experimenta ſuppeditant, maxime quidem quæ ſunt Apollinariis ſecta, & Arii, vel Eunomii ſi inveſtiges, unuſquiſque eorum* Θεοτόκον, *id eſt, Dei genitricem appellavit virginem ſanctam.*

Tu vero intende, quæſo, in hæc quæ dicuntur, ut contra hæc ipſamque etiam quam eſcam hamo apponentes loquuntur, defenſionem paratiſſimam habeas. Scis hoc Apollinarem dicentem, ſeu hanc vocem, id eſt, Θεοτόκον, *apud Arium plauſus maximos excitare.*

XLVI. Factus homo ut humilitatem doceret.

Per multa igitur teſtimonia docet divina ſcriptura, quod unigenitus Dei Filius factus eſt homo, & primum quidem ut humilitatem doceret cœleſtes virtutes, ac terreſtrem hominem nunquam debere ſuperbiæ vitio laborare, ſicut diabolus & ejus angeli; ut de cætero videntes Filium Dei formam ſervi habentem, numquam in ſenſum ſuperbiæ venire cogitarent, ſicut beatus Paulus docet, cum dicit: (*Philip. 2. v. 5.*) *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto* JESU, *qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens.* Et qualem iſtam formam? non cœleſtium virtutum dicit, ſed terreni hominis, quæ omnibus rationalibus ſubſtantiis habetur humilior, quaſi quæ ex anima rationali & terreſtri corpore ſit creata. Unde adjicit dicens: (*Ibid. v. 7.*) *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem.* Et ipſius iterum mortis qualis? quæ apud homines omnibus deterior eſt. namque adjecit dicens: *Mortem autem crucis.*

De cauſis cur unigenitus Dei Filius factus ſit homo, omnino pelagianizat: ſex enim affert ſolas, quas & ipſi Pelagiani: ut homines doceret humilitatem; ut ſuam erga nos dilectionem oſtenderet; ut pro peccatoribus moreretur; ut ſibi credentibus adoptionem largiretur, & regni hæreditatem; ut exemplum virtutis exercendæ, & vincendi peccati præberet; ut eſſet mediator, atque reconciliator. Julianus. (*In libel. part. 1. & num. 7. & ſeq.*) *Naſcitur ergo nobis, ut univerſum mundum a peccatis & exemplo revocares, & patiendo redimeres: dum peccatum, & quaſi Deus ignoſcendo auferres, & quaſi homo per naturæ ſimilitudinem, quemadmodum de cætero vinci poſſit, oſtenderes.*

Incipiens a baptiſmate Joannis, quo baptizatus eſt, dandi exempli gratia, non ſui, ſicut quidam volunt, cauſa peccati, ſicut ipſe ait ad Joannem: (*Matth. 3. v. 15.*) Sine modo, ſic enim oportet implere omnem juſtitiam. *Subjicit ſe omnibus paſſionibus carnis*

125

carnis ferendo eſuriem, ſitim, laſſitudinem, dolorem, mortem, & cætera hujuſmodi: Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. *Secundum quod nos beatus Petrus edocuit, dicens:* Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus. (Philip. 2. v. 8. — 1 Pet. 2. v. 21.)

Hunc igitur ob noſtram ſalutem ſecundum carnem paſſum & ſepultum, tertia die reſurrexiſſe, & ut mortem deſtrueret, & ut nobis viam reſurrectionis aperiret.

XLVII. Quæ humilia dicuntur de Chriſto, ſervi formæ tribuenda, non Deo.

Ne quis autem, audiens beatum Paulum dicentem, quod humiliavit ſe uſque ad mortem, paſſionem crucis Deo adnectat, ſicuti nefarii ſapiunt Ariani: ſine paſſione enim unigenitus Deus eſt, ac penitus paſſioni ſubjacere non poteſt. Quæcumque igitur de Chriſto humilia verba dicuntur, hæc omnia adnectenda ſunt ſervi formæ.

Neſtorianizat cum ait: *Quæcumque igitur de Chriſto humilia verba dicuntur, hæc omnia adnectenda ſunt forma ſervi.* Quanquam enim verba hæc catholicum habent ſenſum, ſunt tamen merito ſuſpecta, cum a diſcipulo Theodori proferuntur.

XLVIII. Factus homo, ut ſuam erga nos dilectionem oſtenderet.

Poſtea autem, ut oſtenderet, quantam haberet circa ſua opera dilectionem, cum Dominus eſſet, maluit, accepta ſervi forma, fieri tanquam unus ex nobis: & iterum, quod homo factus pro impiis & peccatoribus obire mortem dignatus eſt, ſicut beatus Paulus docet cum dicit: *Ut quid enim Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus, ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt? Vix enim pro juſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis & audeat mori? Commendat autem ſuam caritatem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* (Rom. 5. v. 6.) Similiter autem, quod etiam his, qui credunt in ipſum, ſpiritualem adoptionem filiorum largitur & dona, & efficit regni ſui cœleſtis hæredes, ſicut ipſe Dominus noſter JESUS CHRISTUS docens Nicodemum dicit: *Amen, Amen, dico tibi, ſi quis non denuo natus fuerit, non poteſt videre regnum Dei.* (Joan. 3. v. 3.) Unde infantes, qui in peccatis non ſunt, merentur tamen baptiſmatis gratiam, ut in Chriſto nova generatione creati, etiam regni ejus cohæredes efficiantur, ſecundum beatum Paulum: *Si qua in Chriſto nova creatura.* (2 Cor. 5. v. 17.)

XLIX. Cœleſtes quoque virtutes creatæ in Chriſto, qui illarum pariter eſt caput.

Nam propterea etiam virtutes cœleſtes per ſolam fidem creantur in Chriſto, quia & iſtas quoque omnes in ſemetipſo renovavit; & propter hoc enim, qui in Chriſto credunt, nova creatura dicuntur, quia unigenitum Deum Verbum ſimiliter, cum ſervi forma quam habet, venerantur & colunt. Quod autem creatæ ſunt cœleſtes virtutes in Chriſto, teſtis eſt beatus Paulus dicens, *inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & in terra ſunt, in ipſo.* (Epheſ. 1. v. 10.) Rurſus etiam, ſicut caput Eccleſiæ dicitur, ſic etiam cœleſtium virtutum omnium caput eſſe monſtratur. Quid enim dicit beatus Paulus? *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis?* (Coloſſ. 2. v. 9.)

Factus item eſt homo, ut nobis relinqueret exemplum, & ut mediator noſter eſſet.

Et iterum, propterea factus eſt homo, ut damnato in carne peccato, relinqueret nobis exemplum, quemadmodum quiſque debeat carnalibus ſuperatis vitiis non ultra diaboli fallaciis decipi. Et iterum, ut per ſervi formam mediator fieret Patri & Spiritui ſancto & ſe dignis, & ſic in perpetuum eos cuſtodiat pacis vinculo, ſicut beatus Paulus docet hoc modo: *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem habitare, & per eum reconciliare omnia, omnia in ipſum pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt.* (Coloſſ. 1. v. 19.)

L. Quod in hac vita pœnitentiæ ſit locus, & quod Chriſtus judicaturus ſit vivos & mortuos.

Sicut igitur tantorum bonorum ipſa cauſa omnibus credentibus fuit, ſic etiam non credentibus ſit juſtus retributor. Ideo igitur per multa teſtimonia nos docent divinæ ſcripturæ, quod nolit Deus mortem impii & peccatoris, niſi ut convertatur & vivat. Quamdiu igitur ſumus in hac vita, poſſumus pœnitentiam agere, & futuram illam beatam vitam ſempiternam mereri. Neque enim jam poſt corporis ſolutionem pœnitentiæ relinquitur locus, cum David propheta ſic doceat, dicens ad Deum, *Quia non eſt in morte qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* (Pſal. 6. v. 6.) Et iterum: *Non mortui laudabunt te, neque omnes qui deſcendunt in infernum.* (Pſal. 113. v. 17.) Quod autem Chriſtus judicaturus ſit vivos ac mortuos, docet aperte beatus Paulus ſic dicens: *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut recipiat quiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* (2 Cor. 5. v. 10.) Ideo enim dicitur Chriſtus in dextera Patris ſui ſedere quaſi judex tam vivorum quam mortuorum; & quod *Pater neminem judicat, ſed omne judicium Filio dedit*, aperte Dominus noſter JESUS CHRISTUS edocuit. (Joan. 5. v. 22.)

Adversus Novatianos agit, quod faciunt omnes ejuſdem ætatis ſcriptores, Nazianzenus, Ambroſius, Hilarius diaconus, Hieronymus, & alii, quos longum eſſet recenſere; agit vero non eodem quo reliqui animo, ſed quo Pelagius & Julianus, cum aiunt: *Hominem, ſi poſt baptiſmum lapſus fuerit, per pœnitentiam credimus poſſe ſalvari*; nempe ut invidiam conflet catholicis fatentibus, non poſſe hominem pœnitentiam agere, niſi Deus det.

LI. Reſurgent mortui in ea carne, in qua formati ſunt.

Rurſus etiam docemur, quod reſurgant mortui in eadem carne, in qua etiam in utero matris formati ſunt, in corpore pariter ac figura, ſicut beatus Paulus ad Corinthios ſcribens dicit: *Sed dicit aliquis: Quomodo reſurgent mortui? Quali autem corpore venient? Inſipiens, tu quod ſeminas, non vivificatur, niſi prius moriatur. Et quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum, puta tritici, aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus ſicut voluit.* (1 Cor. 15. v. 35.) Hoc cum Apoſtolus dixiſſet, quod Deus dat illi corpus, non ſicut vult, ſed ſicut voluit, oſtendit quod ſicut a principio creatus eſt homo, ſic etiam in reſurrectione reſurget, neque habitu, neque corpore permutato, ſicut Dominus noſter JESUS CHRISTUS, poſtquam reſurrexit a mortuis, nec corpus, nec figuram penitus immutavit. Nam ſicut granum frumenti amiſſo corpore ſuo, nudum ſeminatur & mortuum, ſic iterum cum eodem corpore, quod amiſerat, reſurgit: ſic etiam homo in reſurrectione mortuorum, etſi truncatus aliqua corporis parte mortuus eſt, tamen ſicut primitus in utero matris ſuæ creatus eſt, ſic in ipſo corpore ac figura reſurget, ſicut beatus Paulus lite-

a Cor. 5. v. 5. iterum docet hoc modo: *Nam & qui ſumus in tabernaculo, ingemiſcimus ingravati, eo quod nolumus exſpoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur, quod mortale eſt, a vita.* Et iterum: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, & mortale hoc induere immortalitatem.* In eo quod dicit Apoſtolus, quod *nolumus exſpoliari, ſed ſuperveſtiri*, oſtendit, quod hinc unuſquiſque noſtrum habebit, corpore, & carne, vel figura indutus, vitam & gloriam & incorruptelam: ut ſicut ferri materia candens, gloria ignis induta, naturam propriam minime commutat; ſic etiam ſancti cœleſti gloria induti, quod habent in hac vita corpus & figuram non deponent: ſicut etiam Dominus noſter JESUS CHRISTUS in monte gloriam induens, quod erat homo minime commutavit. Sed hæc de probanda fide divinæ ſcripturæ teſtimoniis ſufficienter nobis dicta.

Epiſt. 61. & apolog. adverſ. Rufinum. De reſurrectione carnis catholice quidem ſentit, ſed exemplo Hieronymi vehementer adverſus Origenem, Joannem Hieroſolymitanum, & Rufinum Aquilegienſem ſuper ea quæſtione diſſertantis.

CAPUT VIII.
ſive appendix
De quæſtionibus Arianorum.

LII. Interrogationes ſophiſticæ Arianorum contra Filium Dei.

QUONIAM igitur qui Arii, vel Eunomii neſandas hæreſes ſectantur & dogmata, ad blaſphemandum unigenitum Filium Dei per dies ſingulos ſuas acuunt linguas, edocti ſemper divinæ ſcripturæ ſimplicitatem adulterare, & verbis quibuſdam perverſis, quæ ex communibus deſcendere ſenſibus conſuerunt, contaminare ſimiliter veritatem, ut parte ſyllogiſtica ſophiſmatum neſandam hæreſim ſuam confirmare videantur, ſophiſticas nobis de Deo interrogationes prætendunt, a ſubſtantia Patris unigenitum Filium alienare conantes, neceſſarium duco ex iiſdem communibus ſenſibus eorum hæreſim neſandam deſtruere: ut ex quibus probationem habere ſe putant, ex iiſdem etiam ipſi redarguantur. Et priuſquam incipiam enumerare eorum de Filio adverſus nos interrogationes, quas ingentes & arduas arbitrantur, ad ipſos volo dicere, quia quodcumque fari volueritis de nativitate Filii Dei ex Patre, temporalibus uſi verbis, ejus nativitatem, ut ipſa ſe habet, probare minime poteritis: quoniam unigeniti Dei Verbi nativitas, cum ſit naturalis ac ſine principio, ut ipſa ſe habet, comprehendi non poteſt. Nam ſi omnia verba prolata tempus ſignificant, aut præſens ſcilicet, aut præteritum, aut futurum, Deus autem unigenitus horum eſt creator; ejus profecto nativitas temporalibus verbis approbari non poteſt. Atque ideo neceſſario fidem divinarum ſcripturarum ſequentes, ex ea debemus ſumere probationis exempla.

LIII. Invitus an ſponte Deus procreaverit Filium. Cum igitur nos interrogaverint, utrum Deus procreaverit Filium, necne, & acceperint a nobis reſponſum: *Procreavit*; ſtatim adjiciunt interrogationem hujuſmodi, quam Græci dilemmatam vocant: *Invitus, an ſponte?* Hoc autem faciunt, ut ſi dixerimus, *invitus*, mox adjiciant: Quod ſi invitus procreavit Filium, quomodo non eſt impium de Deo hoc dicere, quod generationis neceſſitati ſubjungatur? Sin autem, *ſponte*, dixerimus, illi rurſus adjiciunt, quod ſibi libitum eſt: ergo ſi ſponte procreavit ſua, ſi voluntate Filius procreatus, inter ipſum & omnia cætera, quæ Dei pariter voluntate creata ſunt, nulla penitus haberi diſcretio poterit. Sed non reſpondendum eſt, quod ipſi ſcilicet audire deſiderant; ſed magis hoc modo dicemus: Neque ſponte procreavit, neque invitus. Cum igitur accepto hoc reſponſo a concluſione ſua iniqua in poſterum penitus excluſi fuerint, & quæſierint a nobis quemadmodum procreaverit; tunc illis ita reſpondebitur, naturaliter, quod eſt ſupra omnem voluntatem ac neceſſitatem; & ſiquidem intellecto reſponſo noſtro quieverint, bene & optime. Sin vero dixerint, non eſſe planum reſponſum, & nos contra interrogabimus eos, ſimili modo interrogationis eorum, utrum ſponte Deus bonus ſit, an invitus. Ipſi quoque nobis reſpondebunt, timentes ex utraque parte inlicitam reſponſionem: Neque ſponte, neque invitus, ſed ea ſcilicet natura, quæ ſupra voluntatem eſt & neceſſitatem. His igitur reſponſis, quibus utentur ipſi de Deo, quod bonus eſt, aſſerentes, iiſdem nos quoque, quod Deus procreavit, approbamus. Nam ſicut bonus eſt Deus neque voluntate, neque neceſſitate, ſed ipſa natura, ut bonitate privatus nunquam reperiatur, ſic etiam Filium habet natura: neque enim poteſt Deus unquam privari unigenito Deo Filio ſuo. Et hæc quidem dicta de unigenito Deo comprobando abunde ſufficerent, ſi cum prudentibus ſermo eſſet, eo quod naturaliter habet ex Patre nativitatem.

Sed quoniam iſti, tanquam canes arrepti rabie, qui contra dominos quoque ſæviunt, paſſione inſaniæ per ignorantiam concitati, contra Filium Dei blaſphemare nituntur, ſi quando aliquid de ipſo venerationis audierint, & excluſi fuerint a ſolita contra eum blaſphemia; perſeverantiam tamen malitiæ ſuæ, quam contra Filium ſemper exercent, minime amittunt, ſed rurſus contradictiones alias excogitare conantur, nativitatem unigeniti Verbi ex Deo, quæ ſine principio eſt, ac naturalis habetur, deſtruere molientes, quaſi contra eum ſemper pugnare cupientes: neceſſarium puto etiam cæteris illorum vanis interrogationibus reſpondere, ne quæſtionum propoſitarum violentiam nos effugere videamur. Interrogant igitur item nos, ſi omne quod deſiit, & cœpit. Si nos reſponderimus, quod omne quod deſiit, & cœpit, mox adjiciunt ipſi: Deſiit naſci Filius, neceſſario ergo cœpit; & ſi cœpit, erat aliquando quando non erat; & ſi erat quando non erat, non habet locum, ex Dei ſubſtantia habere eum nativitatem: quippe cum Dei ſubſtantia, ut ſine principio, ac ſemper ac ſimiliter habens, augmentum, vel diminutionem LIV. Si omne quod deſiit, & cœpit.

non capiat. Sed non eſt ita reſpondendum illis, quod omne quod deſiit, & cœpit, quoniam, non omne quod deſinit jam, & initium habet: non ſolum autem hoc, ſed & non omne quod principium habet, jam & deſinit; quoniam & Deus volens cœleſtes facere virtutes, initium non habet; factis vero iſtis, velle eas facere deſinit. Ac propter hoc igitur non omne quod deſinit, habet initium. Et iterum factæ cœleſtes virtutes, etſi initium habent ſubſtantiæ, nunquam tamen eſſe deſinunt: ac per hoc non omne quod cœpit jam, & deſinet. Ergo quoniam probatum eſt, quod non omne quod deſinit & cœpit: & ideo, & deſinit naſci unigenitus Deus Filius, attamen non haber nativitatis initium. Nam abſque initio eſt ex Patre nativitas Filii, quippe cum naturalis ſcilicet habeatur.

LV. Si ſolus cum eſſet, genuit Filium.

Rurſus interrogant nos, ſi ſolus cum eſſet Deus, genuit Filium, ut ſi reſponderimus, quod ſolus cum eſſet genuit, ſtatim hoc adjiciant: Ergo ſi ſolus cum eſſet, genuit, erat aliquando quando non erat Filius. Similiter autem ſi reſponderimus quod non ſolus, mox adjiciant: Et quomodo fieri poteſt, ut id quod ſemper una cum ipſo fuit, natum proprie nominetur? quoniam, ut ipſi dicunt, ipſa nativitas ſuſpicionem præſtat aliquando penitus non fuiſſe, propter hoc ipſum quod dicitur natus. Hæc autem dicunt, ignorantes quantum interſit, corporalibus temporalibuſque ſenſibus audere de Deo quodcumque pronuntiari: quippe cum is, de quo agitur, quaſi qui abſque initio ſit, neceſſitatibus temporum ſubjacere non poſſit. Ideo igitur nos quoque illos conſulamus, quodammodo ipſorum interrogatione utentes, ut ſic figmentum ſuum, quod Græci ſophiſma vocant, illis apertum fiat ac planum. Dicite nobis vos: Solus cum eſſet Deus, miſericordias genuit, an non? quoniam beatus Paulus patrem miſericordiarum Deum nominat, ita dicens: *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri* JESU CHRISTI, *pater miſericordiarum*. (2 Cor. 1. v. 3.) Et ſi auſi fuerint dicere, quod ſolus cum eſſet, genuit, nos quoque ipſis ita reſpondebimus, cur non ſit impium ac nefarium dicere, quod fuit aliquando Deus abſque miſericordiis: quippe cum Deus miſericordiarum fons habeatur, & nunquam pravitatis pater fuiſſe credatur, ut cum primum miſericordiarum pater non eſſet, earum poſtea fieri pater inciperet. Sin vero, vitantes hanc apertam de Deo blaſphemiam, dixerint: Non fuit aliquando ſolus abſque miſericordiis; reſpondebimus ipſis etiam hoc modo: Sicut igitur Deus nunquam ſolus ſine miſericordia, factus eſt poſtea miſericordiarum pater, ſic etiam non ſolus antea, poſtea unigeniti Filii Pater efficitur. Semper enim Deus Pater eſt unigeniti ſui Dei Verbi.

LVI. Id quod non natum eſt, ſubſtantiam ſignificat deitatis.

Sin autem rurſus in ſua vanitate durantes dixerint, quia id quod non natum eſt, ſubſtantiam ſignificat deitatis: Deus autem Pater non natus eſt, & Filius natus, una eademque Patris & Filii eſſe ſubſtantia non poteſt; diſcant quod non natum ſubſtantiam minime ſignificat: nam ſi non natum nato videtur eſſe contrarium, ſubſtantiæ autem contrarium nihil eſt, profecto non natum minime poteſt eſſe ſubſtantia. Et aliter, ſi ſubſtantia in eo quod eſt aſſeritur, non natum autem in eo quod non eſt, quia non natum eſt, profecto non natum ſubſtantia non eſt. Et iterum, ſi ſubſtantia per ſemetipſam conſtare dinoſcitur, non natum autem non per ſe conſtat, ſed de ſubſtantia dicitur, quæ non nata eſt, profecto non natum non eſt ſubſtantia.

LVII. Pater non natus ſecundum ſubſtantiam, Filius vero natus.

Rurſus etiam ſi dixerint: Si Pater non natus eſt ſecundum ſubſtantiam, Filius vero natus eſt, nati & non nati una non poteſt eſſe ſubſtantia; diſcant adhuc quod non neceſſario ſubſtantiarum modus diverſas facit ſubſtantias. Neque enim quia dicitur Deus Pater eſſe non natus, dicitur autem & immortalis ſimiliter, & incorruptibilis, ideo diverſas habebit ſubſtantias, quippe cum non ſit unum idemque non natum & immortale, vel incorruptibile, & cætera his ſimilia. Sicut igitur hæc cum de Deo dicuntur, diverſas ſubſtantias minime ſignificant; ſic neque natum & non natum diverſas ſubſtantias unquam facient: neque enim quia Adam non natus eſt, Seth autem natus, ideo diverſa eſt eorum ſubſtantia.

LVIII. Id quod eſt ſine initio, etiam non natum eſt.

Sin autem perſeveraverint, dicentes, quod id quod eſt ſine initio, etiam non natum eſt, & quoniam Filius natus eſt, ſine initio eſſe non poteſt; diſcant quia non ſi quid ſine initio eſt, id omni modo etiam non natum eſt, eo quod non ſi quid initium habet, id omni modo etiam natum eſt. Quoniam Dei miſericordiæ ſine initio habitæ, non etiam innatæ ſunt, quippe cum patrem habeant Deum. Similiter autem cœlum & terra, cum initium habeant, non ſunt nata, ſed creata. Neque enim ſi quid eſt creatum, hoc omni modo natum eſt; nam ſi idem creatum & natum, ſuperfluo docuit evangeliſta Joannes, ita dicens: *Quotquot autem acceperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*; (Joan. 1. v. 12.) ſiquidem qui ſemel creati ſunt, hoc habent, ut etiam filii Dei fiant. Sicut igitur creatum & natum idem non eſt, ſic etiam non creatum & non natum idem non eſſe poteſt, eo quod Dei miſericordiæ, cum ſint non creatæ, non tamen ſunt innatæ.

LIX. Quomodo Deus ſimplex cum ſit, Pater ſimul Filius & Spiritus ſanctus eſſe poteſt.

Cum iterum nos interrogaverint: Quomodo Deus unus, ſimplex cum ſit & incompoſitus, Pater ſimul & Filius & Spiritus ſanctus eſſe poteſt? diſcant, quod non propterea Deus amittit eſſe ſimplex & incompoſitus, quoniam habet unum unigenitum Verbum ſubſtantivum, æquale ſibi per omnia, ſimiliter & ſapientiam ſubſtantivam, æqualem ſibi per omnia. Sed ſiquidem, ut ipſi putant, ideo compoſitus eſt, quod voluntatem habeat, & iſtam non æqualem ſubſtantiæ, quippe cum non idem ſit ſubſtantia & voluntas: nos tamen non imitamur eorum ſententiam; ſed pie dicimus & religioſe, quod etſi voluntatem Deus habeat, & iſtam non æqualem ſubſtantiæ, tamen ab omni eſt compoſitione alienus.

Quia

LX. Quomodo fieri poteſt, ut unus Deus, una ſubſtantia, Pater & Filius nominetur.

Quia igitur apud ſe videntur adhuc eſſe ſapientes, cum per omnia nimis inepti probati ſint, hoc etiam nos interrogant: Quomodo fieri poteſt, ut unus Deus, una ſubſtantia, Pater & Filius nominetur, quoniam hi qui hoc dicunt, unum ac ſolum Deum Filium ſimul & Patrem per unam partem orationis pronuntiare aſſolent, quaſi Græce dicatur υἱοπάτωρ? Diſcant non in eadem diu debere perſeverare ſtultitia. Neque enim quia unus eſt Deus Pater, ejuſque Filius, ac pariter una ſubſtantia Patris & Filii, idcirco debet Deus [illegible] vocari; quippe cum non unum perſonarum numero dicamus, ſed ſubſtantiæ communi vocabulo. Namque Adam ſimul & ejus filius Abel, unus homo, cum eſſet alter, unaque pariter eademque ſubſtantia, propter naturæ communionem, nunquam [illegible] vocati ſunt, ſed ne vocari quidem hoc nomine poterant. Quod autem duo numero ſimul homines unus homo dicuntur communione, ut dixi, & ſocietate naturæ, teſtis eſt famulus Dei Moyſes, ita dicens: *Et fecit Deus hominem, ſecundum imaginem Dei fecit eum, maſculum & feminam fecit eos.* (Gen. 1. v. 27.) Itidem Dominus etiam noſter JESUS CHRISTUS ſe unum & Patrem ſimul appellat, propter æqualitatem unitatemque ſubſtantiæ, ita dicens: *Ego & Pater unum ſumus.* (Joan. 10. v. 30.) Unus igitur Deus, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, propter unitatem æqualitatemque ſubſtantiæ.

LXI. Senſus, ſermonis, ac ſapientiæ hominis, cum divinis perſonis comparatio.

Nam ſicut ſenſus noſter ſermo fieri non poteſt, quippe cum ſermonis noſtri pater habeatur ipſe; neque e diverſo ſermo ſenſus unquam fiet, ſed neque noſtra ſapientia ſenſus ac ſermo. Sed eſt iterum ſenſus generans ſermonem, & non ipſe generatur tantum, non generat; pari ratione & ſapientia neque generat, neque generatur. Senſus autem noſter cum ſit ſapiens, & ſapientiam habeat, quaſi rationabilis ſermonem tantum generat. Sapientia iterum non generat ſermonem, ſed eſt cum ſenſu vere pariter ac ſermone. Sic Deus Pater nunquam Filius fieri poteſt, neque e diverſo Filius . ater, ſed neque Spiritus ſanctus Filius, aut Pater. Rurſus etiam Deus Pater genuit quidem unigenitum Deum Verbum, ipſe autem non eſt natus; Filius vero natus eſt quidem, non etiam genuit; Spiritus autem ſanctus neque natus eſt, neque genuit; ſed, ut apertius dicam, ſicuti Dei Patris miſericordiæ, eum natæ ſint a Patre non nato, conglutinatam penitus habent innativitati Patris generationem; ſic etiam ſubſtantivus unigenitus Filius Dei conglutinatam penitus habet Patris ingenerationi nativitatem: quippe cum ſplendor gloriæ ſit, & forma Dei ſubſtantiæ. Sic enim etiam beatus Paulus ad Hebræos, ſcribens dicit: *Qui eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus.* (Heb. 1. v. 3.) Splendorem igitur Patris Filium cum Paulus dixiſſet Apoſtolus, probavit aperte, quod ex ſubſtantia Patris Filius eſt, & quod inſeparabilis, vel indiviſus Patris Filius habetur, & quod ſemper una cum Patre eſt. Figuram rurſus Dei ſubſtantiæ memorans, docet quod æqualem habet Filius ſubſtantiam. Et iterum, ſicuti Dei Patris immortalitas una cum Deo Patre non nata, non dicitur nata, neque ipſa pariter generare; ſic etiam Dei ſubſtantivus Spiritus ſanctus, neque natus eſt, neque genuit: ac per hoc igitur tres perſonas Patris & Filii & Spiritus ſancti fatentes, unam credimus, propter unitatem ſubſtantiæ, Trinitatis eſſe virtutem. Similiter autem propter indiviſionem naturæ, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, unum Dominum, unum Deum omnipotentem, creatorem, proviſorem, ſemper ſe ac ſimiliter habentem, cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit Rufini presbyteri provinciæ Paleſtinæ liber de fide, tranſlatus de Græco in Latinum ſermonem.

CONFESSIO SEU LIBELLUS FIDEI
A PELAGIO
EX ORIENTE ROMAM MISSUS
AD SEDEM APOSTOLICAM.

CONFESSIONEM hanc Baronius erutam ex Vaticanis monumentis retulit in Annales. Quo facto conſilium Patris Sirmondi prævertit, qui ſua manu deſcriptam editurus erat. Eam nos ex doctiſſimi ſenis apographo Baroniana correctiorem exhibemus. (Ad ann. Chriſt. 418.)

PARS PRIMA, QUÆ THEOLOGICA.

I. Prima pars in ſpeciem catholica.

CREDIMUS in Deum Patrem omnipotentem, cunctorum viſibilium & inviſibilium conditorem.

II. Credimus & in Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, per quem creata ſunt omnia, verum Deum, unigenitum, & verum Dei Filium, non factum, aut adoptivum, ſed genitum, unius cum Patre ſubſtantiæ, quod Græci dicunt ὁμοούσιον, atque ita per omnia æqualem Deo Patri, ut nec tempore, nec gradu, nec poteſtate poſſit eſſe inferior. Tantumque eſſe confitemur illum, qui eſt genitus, quantus eſt ille, qui genuit.

127

III. Non autem quia dicimus genitum a Patre Filium, divinæ & ineffabili generationi aliquod tempus adſcribimus; ſed nec Patrem dicimus aliquando cœpiſſe, nec Filium: non enim aliter confiteri poſſumus æternum Patrem, niſi confiteamur etiam coæternum Filium; ex illo enim Pater dicitur, & qui ſemper Pater fuit, ſemper Filium habuit.

IV. Credimus & in Spiritum ſanctum, verum Deum, ex Patre procedentem, æqualem per omnia Patri & Filio, voluntate, poteſtate, æternitate, ſubſtantia.

V. Nec eſt prorſus aliquis in Trinitate gradus, nihil quod inferius, ſuperiuſve dici poſſit: ſed tota deitas ſui perfectione æqualis eſt, ut exceptis vocabulis, quæ proprietatem perſonarum indicant, quidquid de una perſona dicitur, de tribus digniſſime poſſit intelligi.

VI. Atque ut confundentes Arium, unam eamdemque dicimus Trinitatis eſſe ſubſtantiam, & unum in tribus perſonis fatemur Deum: ita impietatem Sabellii declinantes, tres perſonas expreſſas ſub proprietate diſtinguimus; non ipſum ſibi Patrem, ipſum ſibi Filium, ipſum ſibi Spiritum ſanctum eſſe dicentes, ſed aliam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus ſancti eſſe perſonam. Non enim nomina tantummodo, ſed etiam nominum proprietates, id eſt, perſonas, vel, ut Græci exprimunt, hypoſtaſes, hoc eſt, ſubſtantias confitemur.

VII. Nec Pater Filii, aut Spiritus ſancti perſonam aliquando excludit, nec rurſus Filius, aut Spiritus ſanctus Patris nomen, perſonamque recipit; ſed Pater ſemper Pater eſt, Filius ſemper Filius eſt, Spiritus ſanctus ſemper Spiritus ſanctus eſt: itaque ſubſtantia unum ſunt, perſonis ac nominibus diſtinguuntur.

PARS SECUNDA, QUÆ OECONOMICA.

VIII. *Pars ſecunda non immerito ſuſpecta, ſaltem ex parte.*

IPSUM autem Dei Filium, qui abſque initio æternitatem cum Patre & Spiritu ſancto poſſidet, dicimus in fine ſæculorum perfectum naturæ noſtræ hominem ſuſcepiſſe ex Maria ſemper virgine, & Verbum carnem eſſe factum, aſſumendo hominem, non permutando deitatem: nec, ut quidam ſceleratiſſime opinantur, Spiritum ſanctum dicimus pro ſemine, ſed potentia ac virtute creatoris operatum.

IX. Sic autem confitemur in Chriſto unam Filii eſſe perſonam, ut dicamus duas eſſe perfectas atque integras ſubſtantias, id eſt, deitatis & humanitatis, quæ ex anima continetur & corpore; atque ut condemnamus Photinum, qui ſolum & nudum in Chriſto hominem confitetur, ita anathematizamus Apollinarem, & ejus ſimiles, qui dicunt Dei Filium minus aliquid de humana ſuſcepiſſe natura, & vel in carne, vel in anima, vel in ſenſu aſſumptum hominem, his, propter quos aſſumptus eſt, fuiſſe diſſimilem, quem, abſque ſola peccati macula, quæ naturalis non eſt, nobis confitemur fuiſſe conformem.

X. Illorum quoque ſimiliter execramur blaſphemiam, qui novo ſenſu aſſerere conantur, a tempore ſuſceptæ carnis omnia, quæ erant deitatis, in hominem demigraſſe, & rurſum quæ erant humanitatis, in Deum eſſe transfuſa: ut quod nulla unquam hæreſis dicere auſa eſt, videatur hac confuſione, utraque exinanita ſubſtantia, deitatis ſcilicet & humanitatis, & a proprio ſtatu in alium eſſe mutata, ut qui tam Deum imperfectum in Filio, quam hominem confitentur, nec Deum verum, nec hominem tenere credantur.

XI. Nos autem dicimus ſuſceptum ita a Dei Filio paſſibile noſtrum, ut deitas impaſſibilis permaneret: paſſus eſt enim Dei Filius non putative, ſed vere omnia quæ Scriptura teſtatur, id eſt, eſuriem, ſitim, laſſitudinem, dolorem, mortem, & cætera hujuſmodi.

XII. Secundum illud paſſus eſt, quod pati poterat, id eſt, ſecundum illam ſubſtantiam, quæ aſſumpta eſt: ipſe enim Dei Filius ſecundum ſuam deitatem impaſſibilis eſt ut Pater, incomprehenſibilis ut Pater, inviſibilis ut Pater, inconvertibilis ut Pater, & quamvis propria perſona Filii, id eſt, Dei Verbum ſuſcepit paſſibilem hominem, ita tamen ejus habitatione ſecundum ſuam ſubſtantiam deitas Verbi nihil paſſa eſt, ut tota Trinitas, quam impaſſibilem confiteri neceſſe eſt.

XIII. Mortuus eſt ergo Dei Filius, ſecundum Scripturas, juxta illud quod mori poterat. Reſurrexit tertia die, aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Dei Patris, manente eadem natura carnis, in qua natus & paſſus eſt, in qua etiam reſurrexit. Non enim exinanita eſt humanitatis ſubſtantia, ſed glorificata, & in æternum cum deitate manſura.

XIV. Accepta ergo a Patre omnium poteſtate, quæ in cœlo ſunt & in terra, venturus eſt ad judicium vivorum & mortuorum, ut & juſtos remuneret, & puniat peccatores.

PARS TERTIA, QUÆ ETHICA.

XV. *Tertia pars maligue ambigua.*

RESURRECTIONEM etiam carnis confitemur, & credimus, ut dicamus nos in eadem, in qua nunc ſumus, veritate membrorum eſſe reparandos, qualeſque ſemel poſt reſurrectionem fuerimus effecti, in perpetuum permanſuros.

XVI. Unam eſſe vitam ſanctorum omnium, ſed præmia pro labore diverſa; e contrario pro modo delictorum, peccatorum quoque eſſe ſupplicia.

XVII. Baptiſma unum tenemus, quod iiſdem ſacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus aſſerimus eſſe celebrandum.

XVIII. Hominem, ſi poſt baptiſmum lapſus fuerit, per pœnitentiam credimus poſſe ſalvari.

XIX. Novum & vetus Teſtamentum recipimus in eo librorum numero, quem ſanctæ catholicæ Eccleſiæ tradit auctoritas.

XX. Animas a Deo dari credimus, quas ab ipſo factas dicimus, anathematizantes eos, qui

ani-

animas quaſi partem divinæ dicunt eſſe ſubſtantiæ: eorum quoque condemnamus errorem, qui eas ante peccaſſe, vel in cœlis converſatas fuiſſe dicunt, quam in corpora mitterentur.

XXI. Execramur etiam eorum blaſphemiam, qui dicunt, impoſſibile aliquid homini a Deo præceptum eſſe, & mandata Dei non a ſingulis, ſed ab omnibus in commune poſſe ſervari.

XXII. Vel qui primas nuptias cum Manichæo, aut ſecundas cum Cataphrygis damnant.

XXIII. Anathematizamus etiam illos qui Dei Filium neceſſitate carnis mentitum eſſe dicunt: & eum propter aſſumptum hominem, non omnia facere potuiſſe, quæ voluit.

XXIV. Joviniani quoque damnamus hæreſim, qui dicit, nullam in futuro meritorum eſſe diſtantiam: noſque eas ibi habituros eſſe virtutes, quas hic habere neglexerimus.

XXV. Liberum ſic confitemur arbitrium, ut dicamus nos ſemper Dei indigere auxilio: & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non poſſe, quam illos, qui cum Joviniano aſſerunt, hominem non poſſe peccare, uterque enim tollit arbitrii libertatem; nos vero dicimus, hominem ſemper & peccare, & non peccare poſſe, ut ſemper nos liberi confiteamur eſſe arbitrii.

XXVI. Epilogus majori ex parte catholicus.

Hæc fides eſt, Papa beatiſſime, quam in Eccleſia catholica didicimus, quamque ſemper tenuimus & tenemus, in qua ſi minus perite, aut parum caute aliquid forte poſitum eſt, emendari cupimus a te, qui Petri & fidem & ſedem tenes: ſin autem hæc noſtra confeſſio apoſtolatus tui judicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, ſe imperitum, vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit.

Libellus auctori Pelagio vindicatus. *Lib. de trib. ep. cap. 19. Lib. de pecc. & virtut c. 10. Lib de pecc. orig. c. 21. Epiſt. 2. ad Afric. in cauſa Pelagii.*

ERUDITAM diſſertationem V. C. Joannes Launoius de confeſſione Pelagii edidit, planeque oſtendit, confeſſionem hanc, nec ab Hieronymo miſſam ad Damaſum, quod viſum Remigio Lugdunenſi; nec ab Auguſtino in ſermone 191. dictam, quod Guillelmus Pariſienſis credidit; nec ulla idonea veterum recentiumque auctoritate abjudicari poſſe Pelagio, cui & ab Auguſtino, & a Zoſimo aperte tributa eſt.

Suppoſitus Hieronymo.

In his tribus aſſentior libens viro docto, non perinde in aliis duobus, quæ ſuis ſingula capitibus probare nititur. Alterum eſt, ante Caroli Magni tempora nondum fuiſſe libellum hunc a credula antiquitate Hieronymo ſuppoſitum; alterum, addita ipſi poſtmodum nonnulla, quæ pertinent ad hæreſim, ſive Eutychis de confuſione naturarum in Chriſto, ſive Elipandi de filietate Chriſti adoptiva.

Ante tempora Caroli Magni. *Lib. 3. c. 16.*

Nam ut incipiam de primo dicere, non video, qua fronte potuiſſet auctor Carolini operis confeſſionem afferre, velut traditionem catholicæ fidei, acceptam a Patribus, & verbis Hieronymi expreſſam, ſi modo haberetur tantum in codicibus recentioribus, atque ita poſſet teſtimonio veterum, & eo quidem graviore, quod tacitum, novitatis argui; ea præſertim ætate, qua cœptum erat a nonnullis, & inquiri curioſius in veritatem codicum, & quibuſdam objici ſuppoſitionis crimen, etiam quoad Hieronymi opera.

Loco mox citato.

Deinde Remigius Lugdunenſis Caroli Magni ſuppar, confeſſionem, de qua nunc agitur, eodem habuit loco, ac tres dialogorum libros contra Pelagium ab Hieronymo ſcriptos. *Quod ille*, inquit, *ſanctus doctor juxta fidei catholicæ veritatem de libero arbitrio ſenſerit, & dialogi ipſius, quos, ſub nomine Attici & Critebuli, contra Pelagianos ſcripſit, manifeſtiſſime teſtantur; & fides ejus profeſſio, quam pleniſſime & perfectiſſime contra quoſdam calumniatores ad Pontificem ſedis apoſtolicæ in defenſionem ſui edidit, ſatis oſtendit, ubi de eodem libero arbitrio ita loquitur:* LIBERUM SIC CONFITEMUR ARBITRIUM, &c. Qua vero de cauſa ita opinatus eſt? Non alia ſane, niſi quod utrumque opus intelligeret ab omnibus Hieronymo tribui, & in ſuis codicibus, quos utique antiquos teſtatus eſt, ejuſdem doctoris nomine inſignitum reperiſſet.

Præf. in cantic. cap. 5.

Denique non temere quiſpiam ſuſpicatus fuerit, idem contigiſſe libello, quod epiſtolæ ad Demetriadem, quam venerabilis Beda tradit a ſuis hominibus (ſcribebat ſtatim poſt annum 700.) lectam fuiſſe, cum arbitraretur ſancti & catholici doctoris Hieronymi eſſe, utique quoniam vulgo inter ejus libros tunc temporis reperiebatur.

Lib. divin. lect. cap. 8.

Et vero Pelagianos ſui magiſtri opera ſub cognominibus ſanctorum libris clepere voluiſſe docet Caſſiodorus, cum ait annotationes Pelagii in epiſtolas Pauli ſua ætate (florebat ſexto ſæculo) *ita in cunctorum manibus celebres habitas, ut eas a ſancto Gelaſio papa urbis Romæ, doctiſſimi viri ſtudio dicerent fuiſſe conſcriptas; quod ſolent*, inquit, *facere, qui res vitioſas cupiunt glorioſi nominis auctoritate defendere.*

Et probabiliter quidem jam inde a ſexto ſæculo.

Poſſet igitur aliquis, nec incredibiliter, conjicere, jam inde a ſexto ſæculo, aut etiam a fine quinti, libellum Pelagii inſertum fuiſſe operibus Hieronymi, ſubjectumque, ut revera fuit in codice Eccleſiæ Lugdunenſis, dialogis tribus: quare fieri potuiſſe, ut primum libellus gereret in fronte Pelagii nomen, idque arte Pelagianorum, qui vellent judicio lectorum Hieronymum damnare falſi, quaſi magiſtro de libero arbitrio calumniam feciſſet, contra certam confeſſionis fidem: deinde ſublato, ut fit, per incuriam librariorum nomine auctoris, crederetur ab eo compoſitus, a quo & dialogi, quibuſcum jungebatur. Simile quiddam videri poſſunt indicare verba Remigii.

Nihil ipſi videtur additum, quod pertineat ad Eutychianam hæreſim, &c.

Jam vero alterum, quo dicitur aliquid inſertum fuiſſe, quod pertineat ad hæreſim, ſive Eutychis de confuſione, aut etiam tranſmutatione naturarum in Chriſto, ſive Joviniani de impeccabilitate hominis, ſive Elipandi de filietate Chriſti adoptiva, non minus incredibile mihi videtur: nam ut Pelagius & Neſtorius, ſic Eutyches hæreſi ſuæ ortum non dedit, ſed nomen tantum, eam enim ex Apollinari accepit. Unde Leo papa ſcribit ſuis diebus aliquos, de ſpiritu erroris olim deſtructi olimque damnati, veterem inſaniam concepiſſe. *Qui geminam audent in Chriſto negare naturam, aut non ſuſcepta carnis veritate, aut in carnem deitate converſa, ut aut ſecundum Manichæum nulla ſit ejus reſurrectio, cujus nulla fuit paſſio; aut ſecundum Apollinarem ipſa deitas Verbi mutabilis, ipſa facta ſit paſſibilis.* Scribit & Theodoretus. *Polemium quemdam ex Apollinaris ſcriptis anſam nactum, & ſubſtantiarum confuſionem factam dixiſſe, & commixtionem divinitatis & corporis atque inde Polemianorum hæreſim natam.* Ambroſius ſub finem quarti ſæculi. *Cum iſti dicant, quia Verbum in carnem converſum eſt, & a propria natura mutatum eſt, datur illis locus, ut infirmitatem carnis ad infirmitatem divinitatis, quadam facta divinæ naturæ mutatione, detorqueant.* Et paulo poſt: *Legi in quibuſdam libris ſic poſitum*, ET ORGANUM, ET RUM A QUO MOVEBATUR ORGANUM, UNIUS IN CHRISTO FUISSE NATURÆ; *quod ideo poſui, ut ex ſcriptis nomen deprehendatur auctoris.* Reſpiciebat Ambroſius in orationem diſputatoriam Apollinarii, ex qua fragmentum hoc retulit Leontius: *Organum, & quod movet organum, unam naturaliter perficiunt operationem; cujus autem eſt una operatio, una etiam ſubſtantia eſt. Una ergo ſubſtantia facta eſt Verbi & inſtrumenti.* Quid plures commemorem? videri poſſunt ſuper ea re duo Gregorii, Nazianzenus & Nyſſenus.

Serm. 9. de Quadrag. Lib. 4. hær. fabul. c. 9. Lib. de incarn. cap. 6. Lib adverſ. fraudes Apollinar. Orat. 51. qua epiſtola ad Cledon. ad Theoph. de Apollin.

Nihil quod ad errorem Joviniani.

De Joviniani errore circa hominis impeccabilitatem, expedita magis reſponſio eſt: id enim unum Pelagius arguit in Joviniano, quod contra ſe facere cerneret, nempe non poſſe hominem tamdiu peccare, quandiu mortalem vitam ageret. hanc enim poſſibilitatem utriuſque

triuſque partis Pelagius neceſſariam dicebat ad arbitrii libertatem ſervandam; poſſibilitatem vero peccandi baptiſmo amitti Jovinianus credebat, ſi tamen credebat. Iſte vero ſenſus ſatis aperte proditur Pelagii verbis: *Nos vero dicimus hominem ſemper & peccare, & non peccare poſſe, ut ſemper nos liberi confiteamur eſſe arbitrii.* Quorſum enim, alioquin vox iſta, *ſemper*, repeteretur? Vide prolixam Julianum inter & Auguſtinum altercationem de Joviniani hæreſi, quam ſuo quiſque adverſario ingerebat.

Lib. 4. oper. imperf. c. 100.

Neque pariter quod hæreſim Elipandi.

Adduci pariter non poſſum, ut credam, hanc vocem, *adoptivum*, ſive a Patribus Francofordienſibus, ſive ab alio quocumque poſterioris ævi additam fuiſſe. Nam præter quam quod in omnibus codicibus habetur, etiam qui antiquiores apparent, nec credibile eſt in cunctos additamentum ejuſmodi irrepſiſſe: non prudenter ſane bic ubi legitur, a Patribus poſitum fuiſſet adverſus hæreſim Elipandi; ſed alieno prorſus loco, quandoquidem in ſecundo numero de Chriſto agitur θεολογικῶς, & non οἰκονομικῶς. Adde quod adverſus Arianos, quos locus maxime reſpicit, a Pelagio poni debuit hæc ſententia: *Non factum aut adoptivum, ſed genitum, unius cum Patre ſubſtantiæ*, &c. ut excluderetur hæreſis, Filium Dei unigenitum negans ὁμοούσιον Patri; ſed Filium dici perinde tantum ac qui adoptatur. Certe vulgo Patres adverſus hanc Arianorum νεωτερίαν invecti ſunt longe ante ortam hæreſim Pelagianam, atque adeo ante Elipandi quæſtiones.

Denique conſulto Patres Francofordiæ congregati abſtinuerunt ab hoc teſtimonio proferendo, etſi obvium foret: ſiquidem intellexerunt ſatis, ut erant doctiſſimi pariter ac prudentiſſimi, quo ſenſu dictum ſit, jam inde ab exorta Arianorum ſecta, quamque ſtatim ab adverſariis exceptionem paſſurum eſſet.

Libellus in Oriente ſcriptus poſt ſynodum Dioſpolitanam.

Aug. l. de pecc. orig. c. 22.
Mercator in Common. c. 3.
Epiſt. 2. Zoſim. ad Afric. in cau. a Pelag.
Aug. l. de grat. Chriſt. c. 30.

Porro autem libellum fidei ſuæ Pelagius in Oriente poſitus ſcripſit, ſi tamen ſcripſit, & non potius a Cæleſtio mutuatus eſt, paucis admodum immutatis. Scripſit, inquam, poſt concilium Dioſpolitanum, Theodoto Antiochenam ſynodum meditante, cum jam & Joannes Hieroſolymitanus obiiſſet ann. 417. die 10. Januarii, & in ejuſdem locum ſucceſſiſſet Praylius, cujus literæ commendatoriæ Pelagii Romam comitatæ ſunt libellum, & nondum in Oriente auditum eſſet de morte Innocentii, quæ contigit die 12. Martii ann. 417. Liber igitur fidei ſcriptus eſt, aut certe Romam miſſus, paulo poſt feſta paſchalia ann. 417. cum jam tuto navigaretur: acceptus eſt a Zoſimo Innocentii ſucceſſore, & ab eodem cum literis in Africam directus, ubi Auguſtino viſus eſt, non tantum non carere ſuſpicione, quod tamen Zoſimus credebat; ſed etiam tegere verbis flexiloquis hæreticam ſententiam, quam patefecit.

Lib. 2. ad Boniſ. cap. 3.
Epiſt. 2. Zoſim. de cauſa Pelag.
Lib. de grat. Chriſt. c. 39.

Qua parte ad quæſtiones a Pelagianis motas ſpectat, totus eſt adverſus Hieronymi ſive epiſtolam ad Cteſiphontem, ſive librum dialogorum, ſed arte tanta, ut ſingulas ſancti doctoris ſententias Pelagius carpat, quaſi aliud agens. Quatenus vero continet ea, de quibus non interrogabatur, ut ait Auguſtinus, occupat profeſſione fidei de Trinitate, atque incarnatione Verbi animos hominom, quibus fraudem parat, ſeque catholicum vult mentiri: quanquam & ipſe quoque perinde ac Rufinus Syrus de Incarnatione ita loquitur, ut generalibus verbis tegere poſſit impietatem Theodori Mopſueſteni, quod oſtendemus in notis ad confeſſionem Juliani. Nunc ea ſola attingemus, quibus Hieronymus perſtrictus videtur.

Lib. de grat. Chriſt. c. 32.

CREDIMUS ET IN SPIRITUM SANCTUM, VERUM DEUM, EX PATRE PROCEDENTEM.] Eadem verba ſunt apud Cæleſtium & Julianum; omnes vero de Patre dicunt procedere Spiritum ſanctum, & ſilendo negant procedere ex Filio, ſiquidem ſequuntur communem magiſtrum Theodorum Mopſueſtenum, cujus ſunt hæc verba: *Et in Spiritum ſanctum, quem, neque Filium, neque per Filium exſiſtentiam accepiſſe putamus.* Perſtrinxit autem hac ſententia Pelagius ſanctum Hieronymum, qui Dialogo 2. eum attuliſſet dictum illud Lucæ: *Cum veniſſent in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam, ſed non dimiſit eos ſpiritus* JESU; ſtatim addidit: *Nota, quod ſpiritus* JESU *ſit Spiritus ſanctus, qui in alio loco propter unitatem ſubſtantiæ, Patris ſpiritus appellatur.*

Act. 16. v. 7.

ID EST, PERSONAS, VEL, UT GRÆCI EXPRIMUNT, HYPOSTASES.] Maligne uſus eſt Græca voce, ut tacite exprobraret Hieronymo fluctuationem ſuper ea re. *Poſt Nicænam fidem, poſt Alexandrinum, juncto pariter Occidente, decretum, trium hypoſtaſeon ab Arianorum præſule & Campenſibus, novellum a me, homine Romano, nomen exigitur. Qui, quæſo, ita Apoſtoli prodidere? Quis novus magiſter gentium Paulus hæc docuit? Interrogamus quid tres hypoſtaſes poſſe arbitrentur intelligi. Tres perſonas ſubſiſtentes, aiunt. Reſpondemus nos ita credere. Non ſufficit ſenſus, ipſum nomen efflagitant: quia neſcio quid veneni in ſyllabis latet.*

Epiſt. 57. ad Damaſum.

NEC, UT QUIDAM SCELERATISSIME OPINANTUR, SPIRITUM SANCTUM FUISSE PRO SEMINE.] Memini me legere nonnihil ſimile in ſpeciem apud Hieronymum, ſed quod nonniſi maligne in ſenſum pravum detorqueatur, cum per ſe legenti cuique faciat omnino rectum. Hilarius certe *ſementinæ Spiritus ſancti efficaciæ* meminit; ut & auctor operis imperfecti in Matthæum, cujus ſunt hæc verba: *Sic unigenito Deo virginem ingreſſuro Spiritus ſanctus præceſſit, ut præcedente Spiritu ſancto in ſanctificatione, naſcatur Chriſtus ſecundum corpus, divinitate ingrediente pro ſemine.* Scio Rupertum negaſſe in Chriſti conceptione Spiritum ſanctum fuiſſe pro ſemine. Sed cui contradicat affirmanti, nec ipſe aperit, nec divinare licet alium, quam auctorem operis imperfecti.

L. 2. de Trin.

QUALESQUE SEMEL POST RESURRECTIONEM FUERIMUS EFFECTI, IN PERPETUUM PERMANSUROS.] Dictum iſtud quidem catholice, ſed maligne tamen ad reprehenſionem Hieronymi opinantis 1. dialogo, pluribuſque diſputantis adverſus Pelagium de purgatione fidelium, quantiſcumque in peccatis defunctorum, perinde ac ſi ſolæ infidelium pœnæ debeant eſſe perpetuæ. Vide quæ copioſe dicta ſunt in notis ad primum anathematiſmum Rufini Syri.

UNAM ESSE VITAM SANCTORUM, &c.] Tribus de cauſis poſita videtur à Pelagio hæc particula. Primum, ut faceret Hieronymo invidiam malignæ cujuſdam mentis, qui homini ſecum ſentienti adverſus Jovinianum de inæqualitate præmiorum, exprobraret Joviniani ſocietatem. Deinde, ut obviam iret objectioni catholicorum, quod duas faceret vitas ſanctorum, unam infantium ſine baptiſmo decedentium, alteram regeneratorum. Tandem, ut præveniret animos adverſus fidem peccati originalis, quam eo difficilius reciperent, quo magis perſuaſum haberent, nullam eſſe pœnam niſi delictorum, id eſt, quæ propria quiſque voluntate peccaſſet.

Epiſt. ad Cteſiphontem. & dial. 1. aliiſque paſſim.

BAPTISMA UNUM TENEMUS, &c.] Auguſtinus hunc locum refert, proditque hæreſim verbis ambiguis latere molientem. Poſuit vero Pelagius adverſus Hieronymum, cujus hæc ſunt verba: *Hoc unum dicam, aut novum nos debere ſymbolum cudere; ut poſt Patrem; & Filium; & Spiritum ſanctum baptizetis infantes in regnum cælorum; aut ſi unum & in parvulis & in magnis habetis baptiſma, etiam infantes in remiſſionem peccatorum baptizandos in ſimilitudinem prævaricationis Adam credatis*, &c.

Lib. de grat. Chriſt. cap. 3.
Dial. 3. ſub fin.

NOVUM ET VETUS TESTAMENTUM RECIPIMUS IN EO LIBRORUM NUMERO, &c.] Maligne ad carpendum Hieronymum, qui in recenſendis veteris Teſtamenti libris, Hebræorum potius quam Latinæ Eccleſiæ, cujus tamen ad caput ſcribebat Pelagius, canonem ſecutus videtur. Deinde magna tunc temporis quæſtio movebatur de canone librorum ſacrorum. Unde Innocentium Papam Exuperius Toloſanus e Galliis conſuluit, & in Africa Patres ann. 419. edendam ſanctionem putarunt, quæ eſt 25. canon codicis Eccleſiæ Africanæ. Poſtea arguere voluit Hieronymum, quod quintum Evangelium induxiſſet, Nazaræorum ſcilicet, quod e Syro ſermone in Latinum tranſtuliſſet, & inde teſtimonium adhibuiſſet in dialogo tertio. Unde Julianus converſa ad Auguſtinum oratione: *Juvat te vel mediocriter convenire. Qua fiducia tu, cum Hieronymi ſcripta collaudes, dicas in Chriſto non fuiſſe peccatum, cum ille in dialogo illo, quem ſub Attici & Critobuli nomine, mira, & ut talem virum decebat, venuſtate compoſuit, etiam quinti Evangelii, quod a ſe tranſla-*

Epiſt. 106.
Lib. 4. oper. imperf. cap. 87.

tum

tum dicit, teſtimonio nitatur oſtendere, Chriſtum non ſolum naturale, verum etiam voluntarium habuiſſe peccatum, propter quod ſe cognoverit Joannis baptiſmo diluendum. De alio etiam teſtimonio Joannis evangeliſtæ flagitium es aſſuis falſitatis. De quo opere tu in illa epiſtola, quam Alexandriam deſtinaſti, ita glorsaris, ut dicas Pelagium ſcripturarum ab eo oppreſſum molibus, arbitrium liberum vindicare non poſſe. Verum illi operi a catholico viro, qui pulſatus fueras, obviatum eſt.

Ex hoc loco, niſi mentitus eſt Julianus, diſcimus lectum fuiſſe ab Auguſtino librum dialogorum Hieronymi, & laudatum: miſſam ab Auguſtino Alexandriam epiſtolam, qua laus dialogorum contineretur: reſponſum dialogis a Pelagio vel ab Aniano potius Diacono, cujus mentio eſt in epiſtola Hieronymi ad Alipium & Auguſtinum; quamquam reſponſio, de
Epiſt. 24. apud Auguſt. qua ſermo eſt in epiſtola mox dicta, videtur facta epiſtolæ potius ad Cteſiphontem quam dialogis. Sed unus fuit omnium Pelagii fere ſcriptor Anianus, ut dictum diſſertatione prima.

Animas a Deo dari credimus, &c.] Et iſta quoque ſententia callide poſita eſt. Primo, ut carperetur Hieronymus, quaſi perſequeretur hominem eadem ſecum ſentientem de animarum origine, cujus quæſtio tunc temporis exercebat Eccleſiam. Deinde, ut forte Auguſtino exprobraretur fluctuatio ſuper ea re, quam conſultatione ſua, per Oroſium Hieronymo allata, teſtatam voluiſſet. Poſtremo, ut præjudicium quaſi præſeminaret adverſus peccatum originale, perinde ac ſi traduci non poſſit a parentibus, niſi anima quoque traducatur.

Eorum quoque condemnamus errorem, &c.] Poſita ſunt ea contra Hieronymum, qui dialogo 3. ſcripſerat in hæc verba: *Si injuſta vobis videtur alienorum remiſſio peccatorum, qua non indiget qui peccare non potuit, tranſite ad Amaſium veſtrum, qui præterita in cælis, & antiqua delicta ſolvi dicit in baptiſmo, ut cujus in cæteris auctoritate ducimini, etiam in hac parte errorem ſequamini.*

Execramur etiam eorum blasphemiam, qui dicunt, impossibile aliquid a Deo præceptum esse.] Execratio hæc tota ab impuro homine vomitur in ſanctum Hieronymum. Cum enim dialogo primo Critobulus dixiſſet: *Aut poſſibilia Deus mandata dedit, aut impoſſibilia. Si poſſibilia, in noſtra poteſtate eſt ea facere ſi velimus. Si impoſſibilia, nec in hoc rei ſumus, ſi non facimus quod implere non poſſumus, &c.* pluribus contradicit Hieronymus, & inter cætera ſic ait: *Vides quod Deus poſſibile juſſerit, & tamen id quod poſſibile eſt, per naturam nullum complere poſſe. Dedit itaque præcepta, virtuteſque varias, quas omnes ſimul habere non poſſumus, &c.*

Et mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in commune posse servari.] Iterum petit Hieronymum, quippe qui citato loco hæc dixerit: *Hoc totum dico, quod non omnia poſſumus omnes. Poſſibilia præcepit Deus, fateor; ſed hæc poſſibilia cuncta ſinguli habere non poſſumus, non imbecillitate naturæ, ne calumniam facias Deo, &c.*

Anathematizamus etiam illos qui Dei Filium necessitate carnis mentitum esse dicunt.] Et hoc etiam anathema dicitur Hieronymo, cujus eſt difficilis ſententia dialogo 2. *Tu potes omnia peccata vitare, ut adhuc in corpore conſtitutum divitem eſſe te doceas. Negat* (Chriſtus) *fratribus & pro-*
Joan. 7. v. 10. *pinquis ire ſe ad ſcenopegiam. Et poſtea ſcriptum eſt:* Ut autem aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad ſolemnitatem, non manifeſte, ſed quaſi in abſcondito. *Iterum ſe negavit, & fecit quod prius negaverat. Latrat Porphyrius, inconſtantiæ ac mutationis accuſat, neſciens omnia ſcandala ad carnem eſſe referenda, &c.*

Et eum propter assumptum hominem non omnia facere potuisse, quæ voluit.] Iterum petitur Hieronymus, propterea quod eodem loco nonnulla ſcripſit paulo difficiliora. Cum enim attuliſſet dictum illud Chriſti: *Non poſſum ego facere a* *Joan. 5. v. 30.*
memetipſo aliquid, ſed ſicut audio, ita judico; ſubjungit: *Ariani objiciunt calumniam; ſed reſpondet Eccleſia, ex perſona hominis hæc dici, qui aſſumptus eſt. Tu e contrario loqueris: Poſſum ſine peccato eſſe, ſi voluero: ille nihil poteſt ex ſe facere, ut hominis indicet veritatem.* Et alio in loco: *Abiit* (Chriſtus) *in fines Tyri & Sidonis,* *Marc. 7. v. 24.*
& ingreſſus domum neminem volebat ſcire, & latere non potuit. Vere utique cupiebat latere, & quod cupiebat, quare facere non poterat, ut in adventu ſuo omnium conſcientiam declinaret? Quæris cauſas, cur latere non potuerit. Cogita aſſumpti hominis veritatem, & omnis carebis ſcandalo. Si Filium Dei in carne, & propter carnem non potuiſſe narratur, &c.

Nosque eas ibi habituros esse virtutes, &c.] In Joviniano damnat hæreſis Hieronymum, cujus hæc ſunt verba: *Quamdiu habemus the-* *Dial. 1.*
ſaurum iſtum in vaſis fictilibus, & fragili carne circumdamur, imo mortali & corruptibili, beatos nos eſſe credimus, ſi in ſingulis virtutibus, partibuſque virtutum Deo ſubjecti ſimus. Cum autem mortale hoc indutum fuerit immortalitate, & corruptivum hoc incorruptione veſtitum, & abſorpta mors fuerit in Chriſti victoria, tunc Deus erit omnia in omnibus, in omni virtutum choro ſanctorum numerus gloriabitur, &c.

Cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non posse.] Iſtud ipſum Attico Critobulus objecit in dialogo 3. nam cum Atticus neceſſitatem auxilii divini ad præſtanda pietatis opera commendaſſet, Critobulus excipit. *Doleo cur viri eccleſiaſtici, & qui magiſtrorum ſibi uſurpant vocabulum, tollant liberum arbitrium: quo ſublato, Manichæorum ſecta conſtruitur.* Et paulo poſt. *Quomodo ſervas liberum arbitrium, qui dicis hominem nihil poſſe facere, niſi Deus ſemper adjuverit?*

Qui cum Joviniano asserunt, hominem non posse peccare.] Hac damnatione videri voluit calumniæ accuſare Hieronymum, a quo dictus fuerat Joviniani hæres, *dial.* 2. atque etiam diſcipulus, *epiſt. ad Cteſiph.* imo & *in dial.* 3. aſſertor doctrinæ, quod baptizatus homo jam non poſſit amplius peccare. Nam cum Critobulus dicere cœpiſſet: *Hoc certe fateberis, eos qui Chriſti baptiſma conſecuti ſunt, non habere peccatum, & ſi abſque peccato ſunt, juſtos eſſe; cumque ſemel juſti fuerint, ſi egerint ſollicite, poſſe in ſempiternum juſtitiam cuſtodire, ac per hoc omne peccatum vitare;* reſpondet ſub Attici perſona Hieronymus. *Non erubeſcis exploſam atque damnatam Joviniani ſententiam ſequi? & ille enim his teſtimoniis, iiſque nititur argumentis; imo tu illius inventa ſectaris, in Oriente docere deſiderans, quæ olim Romæ, & dudum in Africa condemnata ſunt, &c.*

Hæc fides est, &c.] Mirum tot ſæculis captos fuiſſe ita omnium fere hominum oculos, ut videre ſatis non potuerint, aut noluerint potius, quantumcumque moneret Auguſtinus, hanc fidei expoſitionem, vel ab hæretico factam, vel ſaltem merito ſuſpectam. Noſtræ ætatis laus quædam eſt, eaque præcipua, non temere illudi ejuſmodi mercibus: quamquam cavere oportet, ne prudentia, quæ credulitatis intemperiem effugit, incidat in intolerabilem judicii ferendi libidinem, ac pene proſcribendi libros, ſi modo non placeant, tyrannidem.

LIBELLUS FIDEI

ZOZIMO PAPÆ OBLATUS

A CÆLESTIO PELAGII DISCIPULO.

An duo fuerint libelli a Cæleſtio ſcripti.

DUos Cæleſtium fidei ſuæ libellos obtuliſſe, alterum Romæ Zoſimo, alterum Carthagine Aurelio, ex eo colligere ſibi non nemo viſus eſt, quod Auguſtinus meminit oblati Zoſimo, Zoſimus oblati Aurelio; ſed collectionem vix mihi probaverit: Zoſimus enim procul dubio nihil ejuſmodi ſignificat. *Quare*, inquit, *intra ſecundum menſem veniant, qui præſentem redarguant aliter ſentire, quam libellis & confeſſione contexuit.* Nam libellorum nomine opuſcula indicat, vel, quod magis reor, libellos precum, quos Cæleſtius plures obtulit variis judicii actionibus, non item expoſitionem fidei, quam confeſſionem vocat, unamque memorat Auguſtinus, non taciturus utique de alia, ſi quæ Carthagine edita fuiſſet, quippe ſibi notiore & diligentius perpenſa. Nam cum ait, Cæleſtium apud Carthaginem in libello ſuo confeſſum eſſe redemptionem parvulorum, & tamen noluiſſe confiteri ex Adam in eos tranſiiſſe peccatum, libellum precum abſque dubio intellexit, aut extortam vi interrogationum confeſſionem, non ſponte oblatam ſuæ fidei formulam. Sic enim habet: *Cæleſtius propter has ipſas contra Chriſti gratiam diſputationes, uſque ad judicium epiſcopale perductus eſt, tamen coactus eſt confiteri propter baptizandos parvulos, quod & ipſis redemptio ſit neceſſaria. Ubi quanquam de originali peccato aliquid expreſſius diceret, tamen ipſo redemptionis nomine non parum ſibi præſcripſit.*

Lib. de pecc. orig. cap. 5. — *Epiſt. 1. ad Afros in cauſa Cæleſtii.* Videtur unicus fuiſſe. — *Lib. de pecc. orig. cap. 19.* — *Epiſt. 89.*

Atque hæc interpretatio adhibenda quoque eſt verbis Patrum Carthaginenſis concilii, ſcribentium Innocentio Papæ: *Quamquam per baptiſmum Chriſti etiam parvulorum fieri redemptionem, libello ſuo Cæleſtius in Carthaginenſi Eccleſia jam confeſſus eſt.* Libellum enim intellexerunt interpretationem ſuæ ſententiæ uno aliquo in conſeſſu prolatæ oblatam, ſcripto in poſteriore.

Epiſt. 90.

Creditum vero eſt in hunc uſque diem, ab ipſis etiam eruditis, Cæleſtianæ confeſſionis nihil præter finem ab Auguſtino relatum reſtare. Totam haberi puto apud eumdem Auguſtinum, ſed fugiſſe ſenſum idcirco, quod cum duas in partes diviſa ſit, diſſitiſque locis ſparſa, major vix potuerit ab oculis, quodam mentis præjudicio quaſi faſcinatis, dignoſci. Nam cum pars illa nihil differat a ſermone 190. inter Auguſtinianos de tempore, ſi modo initium reſecetur, quod appoſuit quiſquis auſus eſt ex confeſſione hæretici effingere catholici tractatum, credita eſt pertinere ad Pelagium, cum reipſa ſit Cæleſtii, quia multum ſimilitudinis cum Pelagii libello præferebat. Id vero quod dico, aperte conſtabit, ſi pars minor ad majorem acceſſerit: exiſtet enim acceſſu continuus quidam atque integer libellus, & ille quidem ejuſmodi indicatur a Zoſimo atque Auguſtino. Sunt autem teſtes illi duo nec leves, nec dubii, ſiquidem libellum, non oculis tantum viderunt obiter, ſed mente ad ſingulas pene ſyllabas attenta, excuſſerunt.

Et ille quidem reipſa extat. *Lib. de pecc. orig. c. 5. 6. & 23.*

Erat libellus Cæleſtii, ut ſcribit Zoſimus, alius quidem a Pelagiano, cum alter prius altero ſit oblatus; ſed tamen ita ſimilis, ut Pelagianus *omnia paria, & eodem ſenſu ſententiiſque formata, quæ Cæleſtius ante protulerat, contineret.*

Epiſt. 2. ad Afros in cauſa Pelag.

In eo ait Auguſtinus: *Cum fidem ſuam Cæleſtius a Trinitate unius deitatis uſque ad reſurrectionem, qualis futura eſt mortuorum, (de quibus cum nemo interrogaverat, & unde ibi nulla quæſtio movebatur) quantum dicere libuit, explicaſſet, ubi ad id quod agebatur, ejus ſermo pervenit: Si quæ vero*, inquit, præter fidem quæſtiones, &c. Idipſum ſcripſerat de libello Pelagii, *in quo* (libello) *ea de quibus non interrogabatur, multa diſſeruit; cum enim ab unitate Trinitatis uſque ad reſurrectionem carnis, quod ab illo nemo quærebat, diſputationem, quantam voluit, terminaſſet*, &c. Baptiſma, *inquit*, unum tenemus.

Lib. de pecc. orig. c. 23. — *Lib. de gr. Chr. c. 32.*

In eodem aperte negavit peccatum originale, ut teſtatur Auguſtinus. *Et in urbe Roma, in libello ſuo, quem beatiſſimo Papæ Zoſimo dedit, id aſſeveravit expreſſius, quod parvulorum neminem obſtringat originale peccatum.*

Ibid. c. 2.

Negavit tamen ita, ut ſe paratum diceret ad id tenendum, quod ſedes apoſtolica definiret, quod ait Auguſtinus. *Cum hoc* (ſine ullo vitio peccati originalis hominem naſci) *Cæleſtius in ſuo libello poſuiſſet, inter illa duntaxat, de quibus ſe adhuc dubitare, & inſtrui velle confeſſus eſt, in homine acerrimi ingenii, qui profecto, ſi corrigeretur, plurimis profuiſſet, voluntas emendationis, non falſitas dogmatis approbata eſt. Et propterea libellus ejus catholicus dictus eſt, quia & hoc catholicæ mentis eſt, ſi qua forte aliter ſapit, quam veritas exigit, non ea certiſſime definire, ſed detecta ac demonſtrata reſpuere.*

Lib. 2. ad Bonif. cap. 3.

Sex iſta; eſſe in omnibus fere ſimilem Pelagii fidei; in paucis differre; quæſtiones continere alienas de Trinitate, aliiſque, ad reſurrectionem uſque carnis; negare aperte peccatum originale; admittere tamen infantes baptizari in remiſſionem peccatorum; ſuaque omnia ſedi apoſtolicæ ſubjicere: ſex iſta, inquam, aliaque convenire libello quem diximus, nemo non facile videbit, ſi oculos conjecerit in Cæleſtii Pelagiique confeſſiones, quas παραλλήλως exhibemus.

	CÆLESTIUS.	PELAGIUS.
I.	CREDIMUS in Deum Patrem omnipotentem, cunctorum viſibilium & inviſibilium conditorem.	CREDIMUS in Deum Patrem omnipotentem, cunctorum viſibilium & inviſibilium conditorem.
II.	Credimus & in Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, per quem creata ſunt omnia, verum Deum unigenitum, & verum Dei Filium, non factum, aut adoptivum, ſed genitum, unius cum Patre ſubſtantiæ, quod Græci dicunt ὁμοούσιον, atque ita per omnia æqualem Deo Patri, ut nec tempore, nec gradu, nec poteſtate eſſe poſſit inferior: tan-	Credimus & in Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, per quem creata ſunt omnia, verum Deum unigenitum, & verum Dei Filium, non factum, aut adoptivum, ſed genitum, unius cum Patre ſubſtantiæ, quod Græci dicunt ὁμοούσιον, atque ita per omnia æqualem Deo Patri, ut nec tempore, nec gradu, nec poteſtate poſſit eſſe inferior: tantumque

confitemur illum, qui eſt genitus, quantus eſt ille, qui genuit.

III. Non autem, quia dicimus genitum a Patre Filium, divinæ & ineffabili generationi aliquod tempus adſcribimus; ſed nec Patrem dicimus aliquando cœpiſſe, nec Filium. Non enim poſſumus aliter confiteri æternum Patrem, niſi confiteamur & Filium coæternum: ex illo enim Pater dicitur, & qui ſemper Pater fuit, ſemper Filium habuit.

IV. Credimus & in Spiritum ſanctum, Deum verum, ex Patre procedentem, æqualem per omnia Patri & Filio, *natura*, voluntate, poteſtate, æternitate, ſubſtantia.

V. Nec eſt prorſus aliquis in Trinitate gradus, nihil quod inferius, ſuperiuſve dici poſſit: *ideo* tota Trinitas ſua perfectione æqualis eſt; ut exceptis vocabulis, quæ proprietatem perſonarum indicant, quidquid de una perſona dicitur, de tribus digniſſime poſſit intelligi.

VI. Atque ut *confutantes* Arium, unam eamdemque dicimus Trinitatis ſubſtantiam eſſe, & unum in tribus perſonis fatemur Deum: ita impietatem Sabellii declinantes, tres perſonas expreſſas *ſui* proprietate diſtinguimus; non ipſum ſibi Patrem, ipſum Filium, ipſum Spiritum ſanctum eſſe dicentes, ſed aliam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus ſancti eſſe perſonam: non enim nomina tantummodo, ſed etiam nominum proprietates, id eſt, perſonas confitemur.

VII. Nec Pater Filii, aut Spiritus ſancti perſonam aliquando excludit, nec rurſus Filius, aut Spiritus ſanctus Patris nomen perſonamque recipit; ſed Pater ſemper Pater, Filius ſemper Filius, Spiritus ſanctus ſemper Spiritus ſanctus. Itaque ſubſtantia unum ſunt, perſonis ac nominibus diſtinguuntur.

VIII. Ipſum autem Dei Filium, qui abſque initio cum Patre & Spiritu ſancto eſt, dicimus in fine ſæculorum perfectum naturæ noſtræ hominem ſuſcepiſſe ex Maria ſemper virgine, & Verbum carnem eſſe factum, *ſed* aſſumendo hominem, non permutando deitatem: non, ut quidam ſceleratiſſimi opinantur, Spiritum ſanctum dicimus pro ſemine fuiſſe, ſed potentia & virtute creatoris operatum.

IX. Sic autem confitemur in Chriſto unam Filii eſſe perſonam, ut dicamus duas atque integras eſſe ſubſtantias, deitatis *ſcilicet* & humanitatis, quæ ex anima conſtat & corpore: atque ut condemnamus Photinum, qui ſolum & nudum hominem confitetur in Chriſto, ita anathematizamus Apollinarem, & ejus ſimiles, qui dicunt Dei Filium minus aliquid de humana ſuſcepiſſe natura. & vel in carne, vel in anima, vel in ſenſu aſſumptum hominem, his, propter quos aſſumptus eſt, fuiſſe diſſimilem; quoniam abſque ſola peccati macula, quæ naturalis non eſt, nobis confitemur fuiſſe conformem.

X. Illorum quoque execramur ſimiliter bla-

tantumque eſſe confitemur illum, qui eſt genitus, quantus eſt ille, qui genuit.

Non autem, quia dicimus genitum a Patre Filium, divinæ & ineffabili generationi aliquod tempus adſcribimus; ſed nec Patrem dicimus aliquando cœpiſſe, nec Filium. Non enim poſſumus aliter confiteri æternum Patrem, niſi confiteamur etiam & Filium coæternum: ex illo enim Pater dicitur, & qui ſemper Pater fuit, ſemper Filium habuit.

Credimus & in Spiritum ſanctum, verum Deum, ex Patre procedentem, æqualem per omnia Patri & Filio, voluntate, poteſtate, æternitate, ſubſtantia.

Nec eſt prorſus aliquis in Trinitate gradus, nihil quod inferius ſuperiuſve dici poſſit; ſed tota deitas ſui perfectione æqualis eſt, ut exceptis vocabulis, quæ proprietatem perſonarum indicant, quidquid de una perſona dicitur, de tribus digniſſime poſſit intelligi.

Atque ut confundentes Arium, unam eamdemque dicimus Trinitatis eſſe ſubſtantiam, & unum in tribus perſonis fatemur Deum: ita impietatem Sabellii declinantes tres perſonas expreſſas ſub proprietate diſtinguimus; non ipſum ſibi Patrem, ipſum ſibi Filium, ipſum ſibi Spiritum ſanctum eſſe dicentes, ſed aliam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus ſancti eſſe perſonam: non enim nomina tantummodo, ſed etiam nominum proprietates, id eſt, perſonas, *vel, ut Græci exprimunt, hypoſtaſes, hoc eſt, ſubſiſtentias*, confitemur.

Nec Pater Filii, aut Spiritus ſancti perſonam aliquando excludit, nec rurſus Filius aut Spiritus ſanctus Patris nomen perſonamque recipit; ſed Pater ſemper Pater eſt, Filius ſemper Filius eſt, Spiritus ſanctus ſemper Spiritus ſanctus eſt. Itaque ſubſtantia unum ſunt, perſonis ac nominibus diſtinguuntur.

Ipſum autem Dei Filium, qui abſque initio *æternitatem* cum Patre & Spiritu ſancto *poſſidet*, dicimus in fine ſæculorum perfectum naturæ noſtræ hominem ſuſcepiſſe ex Maria ſemper virgine, & Verbum carnem eſſe factum, aſſumendo hominem, non permutando deitatem: nec ut quidam ſceleratiſſime opinantur, Spiritum ſanctum dicimus pro ſemine, ſed potentia ac virtute creatoris operatum.

Sic autem confitemur in Chriſto unam Filii eſſe perſonam, ut dicamus duas eſſe perfectas atque integras ſubſtantias, id eſt, deitatis & humanitatis, quæ ex anima *continetur* & corpore. Atque ut condemnamus Photinum, qui ſolum & nudum in Chriſto hominem confitetur, ita anathematizamus Apollinarem, & ejus ſimiles, qui dicunt Dei Filium minus aliquid de humana ſuſcepiſſe natura, & vel in carne, vel in anima, vel in ſenſu aſſumptum hominem, his, propter quos aſſumptus eſt, fuiſſe diſſimilem, quem abſque ſola peccati macula, quæ naturalis non eſt, nobis confitemur fuiſſe conformem.

Illorum quoque ſimiliter execramur blaſphemiam,

ſphemiam, qui novo ſenſu aſſerere conantur, a tempore acceptæ carnis omnia, quæ erant divinitatis, in hominem demigraſſe, & rurſum quæ humanitatis erant, in Deum eſſe transfuſa: ut quod nulla unquam hæreſis auſa eſt dicere, videatur hac confuſione utraque exinanita eſſe ſubſtantia, deitatis ſcilicet & humanitatis, & *amiſſo* proprio ſtatu, in alium eſſe mutara, ut qui tam Deum imperfectum in Filio, quam hominem confitemur, nec Deum vere, nec hominem tenere credamus.

XI. Nos autem ita dicimus ſuſceptum a Dei Filio hominem, ut *Deus tamen* impaſſibilis permaneret. Paſſus eſt etenim Dei Filius non putative, ſed vere omnia, quæ Scriptura teſtatur, id eſt, eſuriem, ſitim, laſſitudinem, dolorem, mortem, & cætera hujuſmodi.

XII. Sed ſecundum illud paſſus eſt, quod pati poterat: *Non ſecundum illam ſubſtantiam, quæ aſſumpſit*, ſed ſecundum illam, quæ aſſumpta eſt. Ipſe enim Dei Filius ſecundum deitatem ſuam impaſſibilis eſt ut Pater, *incorruptibilis* ut Pater. Et quamvis propria perſona Filii, id eſt, Dei Verbum ſuſceperit paſſibilem hominem, tamen ejus inhabitatione ſecundum ſuam ſubſtantiam deitas Verbi nihil paſſa eſt, ut & tota Trinitas, quam impaſſibilem eſſe neceſſe eſt.

XIII. Mortuus eſt ergo Dei Filius, eadem natura carnis, in qua natus eſt & paſſus, in qua & reſurrexit: non enim exinanita eſt humanitatis ſubſtantia, ſed glorificata, & in æternum cum deitate manſura.

XIV. Venturus eſt ad judicium vivorum & mortuorum, ut & juſtos remuneret, & puniat peccatores.

XV. Reſurrectionem carnis ita credimus, ut dicamus nos in eadem, in qua nunc ſumus, veritate membrorum eſſe reparandos, qualeſque ſemel poſt reſurrectionem fuerimus effecti, in perpetuum manſuros.

XVI. Unam eſſe ſanctorum vitam omnium, ſed præmia pro labore diverſa: & e contrario pro modo delictorum, peccatorum quoque eſſe ſupplicia.

XVII. Baptiſma unum tenemus, quod iiſdem ſacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus dicimus eſſe celebrandum.

XVIII. Infantes autem debere baptizari in remiſſionem peccatorum, ſecundum regulam univerſalis Eccleſiæ, & ſecundum Evangelii ſententiam confitemur, quia Dominus ſtatuit regnum cœlorum nonniſi baptizatis poſſe conferri, quod quia vires naturæ non habent, conferri neceſſe eſt per gratiæ largitatem.

XIX. In remiſſionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco dicimus, ut peccatum ex traduce firmare videamur: quod longe a catholico ſenſu alienum eſt, quia

ſphemiam, qui novo ſenſu aſſerere conantur, a tempore ſuſceptæ carnis omnia, quæ erant deitatis, in hominem demigraſſe, & rurſum quæ erant humanitatis, in Deum eſſe transfuſa: ut quod nulla unquam hæreſis dicere auſa eſt, videatur hac confuſione utraque exinanita ſubſtantia, deitatis ſcilicet & humanitatis, & a proprio ſtatu in alium eſſe murata, ut qui tam Deum imperfectum in Filio, quam hominem confitentur, nec Deum verum, nec hominem tenere credantur.

Nos autem dicimus, ſuſceptum ita a Dei Filio paſſibile noſtrum, ut deitas impaſſibilis permaneret: paſſus eſt enim Dei Filius non putative, ſed vere omnia, quæ Scriptura teſtatur, id eſt, eſuriem, ſitim, laſſitudinem, dolorem, mortem, & cætera hujuſmodi.

Secundum illud paſſus eſt, quod pati poterat, id eſt, ſecundum illam ſubſtantiam, quæ aſſumpta eſt: ipſe enim Dei Filius ſecundum ſuam deitatem impaſſibilis eſt ut Pater, incomprehenſibilis ut Pater, *inviſibilis ut Pater*, inconvertibilis ut Pater. Et quamvis propria perſona Filii, id eſt, Dei Verbum ſuſcepit paſſibilem hominem, ita tamen ejus habitatione ſecundum ſuam ſubſtantiam deitas Verbi nihil paſſa eſt, ut tota Trinitas, quam impaſſibilem eſſe neceſſe eſt.

Mortuus eſt ergo Dei Filius, *ſecundum Scripturas, juxta illud quod mori poterat, reſurrexit tertia die, aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Dei Patris*, manente eadem natura carnis, in qua natus & paſſus eſt, in qua etiam reſurrexit. Non enim exinanita eſt humanitatis ſubſtantia, ſed glorificata, & in æternum cum deitate manſura.

Accepta ergo a patre omnium poteſtate, quæ in cælo ſunt & in terra, venturus eſt ad judicium vivorum & mortuorum, ut & juſtos remuneret, & puniat peccatores.

Reſurrectionem *etiam carnis confitemur* & credimus, ut dicamus nos in eadem, in qua nunc ſumus, veritate membrorum eſſe reparandos, qualeſque ſemel poſt reſurrectionem fuerimus effecti, in perpetuum permanſuros.

Unam eſſe vitam ſanctorum omnium, ſed præmia pro labore diverſa: e contrario pro modo delictorum, peccatorum quoque eſſe ſupplicia.

Baptiſma unum tenemus, quod iiſdem ſacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus aſſerimus eſſe celebrandum.

pecca-

peccatum non cum homine naſcitur, quod poſtmodum exercetur ab homine, quia non naturæ delictum eſt, ſed voluntatis eſſe demonſtratur.

Et illud ergo confiteri congruum eſt, ne diverſa baptiſmatis genera facere videamur; & hoc præmunire neceſſarium, ne per myſterii occaſionem, ad creatoris injuriam malum, antequam fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam.

XX. Hominem, ſi poſt baptiſmum lapſus fuerit, *primo per reconciliationem*, *deinde* per pœnitentiam credimus poſſe ſalvari.

XXI. Novum & vetus Teſtamentum recipimus in illo librorum numero, quem ſanctæ Eccleſiæ catholicæ tradit auctoritas.

XXII. Animas a Deo dari credimus, quas ab ipſo factas dicimus, anathematizantes eos, qui animam quaſi partem divinæ dicunt eſſe ſubſtantiæ: eorum quoque condemnamus errorem, qui eas ante peccaſſe, vel in cœlis converſatas fuiſſe dicunt, quam in corpora mitterentur.

XXIII. Execramur etiam eorum blaſphemiam, qui dicunt impoſſibile aliquid homini a Deo præceptum eſſe, & mandata Dei non a ſingulis, ſed ab omnibus in commune poſſe ſervari.

XXIV. Vel qui primas nuptias cum Manichæo, aut ſecundas cum Cataphrygis damnant.

XXV. Anathematizamus etiam illos, qui Dei Filium neceſſitate carnis mentitum eſſe dicunt, & eum propter aſſumptum hominem non omnia facere potuiſſe, quæ voluit.

XXVI. Joviniani quoque damnamus hæreſim, qui dicit nullam in futuro meritorum eſſe diſtantiam: noſque eas ibi habituros eſſe virtutes, quas hic habere neglesimus.

XXVII. Liberum ſic confitemur arbitrium, ut dicamus nos ſemper Dei indigere auxilio: & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non poſſe, quam illos, qui cum Joviniano aſſerunt, hominem non poſſe peccare: uterque enim tollit arbitrii libertatem. Nos vero dicimus hominem ſemper & peccare, & non peccare poſſe, ut nos liberi confiteamur eſſe arbitrii.

XXVIII. Hæc eſt fides, quam in catholica didicimus Eccleſia, quamque ſemper tenuimus; quam credimus & a nobis deinceps poſſe teneri.

XXIX. Si quæ vero præter fidem quæſtiones natæ ſunt, de quibus eſſet inter pleroſque contentio, non ego quaſi auctor alicujus dogmatis, definita hoc auctoritate ſtatui; ſed ea quæ de Prophetarum & Apoſtolorum fonte ſuſcepi, veſtri apoſtolatus offerimus probanda judicio, ut ſi forte ut hominibus quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit, veſtra ſententia corrigatur.

Hominem, ſi poſt baptiſmum lapſus fuerit, per pœnitentiam credimus poſſe ſalvari.

Novum & vetus Teſtamentum recipimus in eo librorum numero, quem ſanctæ Eccleſiæ catholicæ tradit auctoritas.

Animas a Deo dari credimus, quas ab ipſo factas dicimus, anathematizantes eos, qui animam quaſi partem divinæ dicunt eſſe ſubſtantiæ: eorum quoque condemnamus errorem, qui eas ante peccaſſe, vel in cœlis converſatas fuiſſe dicunt, quam in corpora mitterentur.

Execramur etiam eorum blaſphemiam, qui dicunt impoſſibile aliquid homini a Deo præceptum eſſe, & mandata Dei non a ſingulis, ſed ab omnibus in commune poſſe ſervari.

Vel qui primas nuptias cum Manichæo, aut ſecundas cum Cataphrygis damnant.

Anathematizamus etiam illos, qui Dei Filium neceſſitate carnis mentitum eſſe dicunt, & eum propter aſſumptum hominem non omnia facere potuiſſe, quæ voluit.

Joviniani quoque damnamus hæreſim, qui dicit nullam in futuro meritorum eſſe diſtantiam: noſque eas ibi habituros eſſe virtutes, quas hic habere neglesimus.

Liberum ſic confitemur arbitrium, ut dicamus nos ſemper Dei indigere auxilio: & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non poſſe, quam illos, qui cum Joviniano aſſerunt, hominem non poſſe peccare: uterque enim tollit arbitrii libertatem. Nos vero dicimus hominem ſemper & peccare, & non peccare poſſe, ut ſemper nos liberi confiteamur eſſe arbitrii.

Hæc fides eſt, Papa beatiſſime, quam in Eccleſia catholica didicimus, quamque ſemper tenuimus & tenemus, in qua ſi minus perite, aut parum caute aliquid forte poſitum eſt, emendari cupimus a te, qui Petri & fidem & ſedem tenes: ſin autem hæc noſtra confeſſio apoſtolatus tui judicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, ſe imperitum, vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit.

NIHIL obſervandum videtur circa ea, quæ Cælestius babet cum Pelagio Julianoque communia, ſed circa alia ſolum, quibus ab utroque diverſus eſt.

QUIA DOMINUS STATUIT REGNUM COELORUM, &c.] Hæc cauſa fuit, cur Pelagius diceret: *Sine baptiſmo, parvuli morientes quo non eant, ſcio; quo eant, neſcio.* cur item id Pelagiani vulgo jactarent: *Habet in infantibus gratia quod adoptet; non babet unda, quod abluat.* cur & ſæpius repeteret Julianus, *Parvuli fiunt baptiſmo non ex malis boni, ſed ex bonis meliores*, &c.

Lib. de pecc. orig. c. 21. Hypog. l. 5.

Lib. oper. imperf. c. 53.

IN REMISSIONEM PECCATORUM, &c.] Cum urgerentur Pelagiani, ut exponerent, qua ratione dici poſſent infantes baptizari in remiſſiooem peccatorum, ſi modo carerent peccato, nibil non commenti ſuot. Baptizantur, inquiebant, in remiſſionem peccatorum, vel quia in Eccleſia, io qua fit remiſſio peccatorum; vel quia ſacrameoto, quod remittat quidquid repererit peccatorum; vel quia oomine Chriſti, qui pro omnibus redimendis, præſertim peccatoribus, mortuus eſt; vel ut aliquando poſſint conſequi remiſſionem peccatorum, ſi quæ adulti commiſerint; vel denique ne diverſa geoera baptiſmatis celebrentur, & noo una ſit univerſalis Eccleſiæ regula, &c.

Lib. 3. contra Jul. c. 3. & lib. op. imperf. c. 53. & alibi paſſim.

PRÆTER FIOEM QUÆSTIONES, &c.] Quæſtiones ſunt, in quibus affirmare licet & negare ſalva fide. De hoc Pelagianorum fuco dictum eſt ſatis in differt. de ſubſcriptionibus. Vide Auguſtinum *lib. de peccat. orig. cap.* 23. & 24.

NON IOCIRCO DIXIMUS, UT PECCATUM EX TRADUCE AFFIRMARE VIDEAMUR.] Tria profert argumenta, ad quæ cætera revocantur, quibus fides catholica impugnata eſt hac io parte, quod peccatum non naſcatur, ſed exerceatur; quod non ſit naturæ delictum, ſed voluntatis; quod injuria fiat creatori, ſi malum per naturam, quæ opus Dei eſt, dicatur tradi.

QUÆ DE PROPHETARUM ET APOSTOLORUM FONTE SUSCEPI.] Traditionem & Scripturam pro ſe totam facere jactabant impudenter illi novatores. Haoc jactantiam cum aliis bæreticis communem egregie comprimit Auguſtinus, cum ubique paſſim, tum præſertim libris duobus adverſus primum opus Juliani.

VESTRI APOSTOLATUS PROBANDA JUDICIO, &c.] Id dicit, quod tunc omnes communiter: unde nec Africani dictum arguerunt, nec judicium jure conſtitutum detrectarunt, imo *ſuis poſtularunt ſtatutis apoſtolicæ ſedis auctoritatem adhiberi*, ipſeque Auguſtinus reſponſis apoſtolicis cauſas finiri publice in Eccleſia prædicavit.

Synod. PP. Carthag.

Epiſt. ſynodic. PP. Carthag.

Serm. 2. de verb. Apoſt.

BREVIARIUM EPISTOLÆ

QUAM VELUTI REGULAM FIDEI CÆLESTIUS SCRIPSIT AD CLERICOS ROMANOS SUÆ PARTIS.

Lib. 1. ad Bonif.

Differt. 2. c. 2.

EPISTOLAM hanc Auguſtinus olim Juliano tribuit, ſed fallente conjectura, ut ſæpe dictum eſt. Cæleſtii eſſe alias oſtendimus.

Data eſt ſtatim poſt damnationem hæreſis, & a Zoſimo factam, & a clero urbis receptam, & omnium ſubſcriptione firmatam. Unde a Pelagianis Pootifex clerusque Romanus prævaricationis accuſatus eſt. Data eſt, inquam, ſtatim a damnatione, vivente etiamnum Zoſimo, quo nimirum tempore Pelagiani vehementius premebantur: neque enim dari potuit poſt Zoſimi obitum, qui contigit eodem aooo, quo hæreſis damnata eſt. nam premi a Bonifacio oon potuiſſent, quamdiu viguit ſchiſma Eulalii, quod extinctum oon eſt, aote menſem Julium ano. 419.

Lib. 1. ad Bonif. c. 15.

Directam non opinor ad totum clerum Romanum, in quo erant viri fide ſpectatiſſimi, ut Bonifacius, Cæleſtinus, Leo & alii, ſed ad ſolos quoſdam amicos, qui vel nutabant in propoſito, vel inſtruendi erant, qua ratione nutantes alios retinerent. Id ooo obſcure inſinuat Auguſtinus, *ut per illam, quos poſſet, ſuos aut inveniret, aut faceret.*

Lib. 1. ad Bonif. c. 1.

Ibidem.

Clam communicabatur amicis manibus, ut ſummus Pootifex eam habere non potuerit tranſmittendam Auguſtioo, qui refelleret, *niſi vigilantiſſima fratrum diligentia.*

Pleniſſimam eſſe calumniarum adverſus catholicos, demonſtrat Auguſtinus, ſingulis reſpondens, ut ſuperfluum ſit diutius hac in parte verſari.

Miratus ſum autem non parum, cum animadverti, ex ſeptem capitibus, quæ catholicis objiciuntur ab impuro ſpadone, nullum præter ultimum, quod eſt de virtute baptiſmi, oon contineri apud Photium recenſentem opus Theodori Mopſueſteni adverſus ſanctum Auguſtinum, ut docet Mercator. Id ut lector facilius intueatur, viſa ſunt utriuſqua operis fragmenta παραλλήλως referenda.

Cod. 177 in excerpt. ex libris 5 Theod. adverſ. S. Aug.

CÆLESTIUS APUD AUGUSTINUM.

Lib. 1. ad Bonifac.

DICUNT illi Manichæi, quibus modo non communicamus, id eſt, toti iſti, cum quibus diſſentimus, quia primi hominis peccato, id eſt, Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo jam poteſtatem habeat bene vivendi; ſed omnes in peccatum carnis ſuæ neceſſitate cogantur.

Dicunt etiam iſtas, quæ modo aguntur, nuptias, a Deo inſtitutas non fuiſſe, quod

THEODORUS APUD PHOTIUM.

SECTÆ vero illius ſumma capita hæc fere ſunt, homines natura, non voluntate peccare. Natura, inquam, non ea, qua præditus ab initio conditusque eſt Adam, (illam enim bonam & boni Dei opus eſſe aſſerunt) ſed ea, quam poſt peccatum adeptus ſit, quando per prævaricationem atque peccatum malam pro bona, mortalemque pro immortali commutavit: hac quippe ratione natura quoque improbos effectos, qui antea natura boni fuiſſent, in natura jam, & non in voluntate, peccatum ſibi acquiſiviſſe.

Quintum, matrimonium, vel certe congrediendi cupiditatem, & feminis miſſionem, omnia-

Digitized by Google

in libro Auguſtini legitur, contra quem ego modo quatuor libellis reſpondi, cujus Auguſtini dicta inimici noſtri in veritatis odium ſuſceperunt.

omniaque ſimilia, quibus ſucceſſione genus humanum propagatur, perverſæ naturæ opera eſſe aſſerunt: in quam quidem per peccatum lapſus Adam, naturæ mox vitio malorum omnium examen in ſe ſuſceperit.

Dicunt etiam motum genitalium, & commixtionem conjugum a diabolo fuiſſe repertam: & propterea eos, qui naſcuntur innocentes, reos eſſe, & a diabolo fieri, non a Deo, quia de hac diabolica commixtione naſcuntur; hoc autem ſine ambiguitate Manichæum eſt.

Infantes, tametſi recens natos, peccati immunes non eſſe, cum ob Adæ prævaricationem, natura in peccatis conſtituta, ad omnes ejus poſteros peccatrix, ut ipſi loquuntur, natura propagetur.

Dicunt ſanctos in veteri Teſtamento non caruiſſe peccatis, id eſt, nec per emendationem a criminibus fuiſſe liberos, ſed in reatu a morte fuiſſe deprehenſos.

Neminem præterea mortalium eſſe juſtum: quod ipſum item ex eo, quod initio poſuerunt, conſequitur.

Apoſtolum etiam Paulum, vel omnes Apoſtolos dicunt ſemper immoderata libidine fuiſſe pollutos.

Chriſtum & a peccatis liberum non fuiſſe, ſed carnis neceſſitate mentitum, & aliis maculatum fuiſſe delictis.

Quartum, (o blaſphemas voces & impias!) ne Chriſtum quidem Deum, aſſumpta nimirum peccatis infecta natura, ſceleris purum eſſe: quanquam & in aliis ipſorum blaſphemiis obſervare licet, inquit ille, non vere hos & natura, ſed figura dumtaxat humanam ipſi naturam attribuere.

Dicunt etiam baptiſma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, ſed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur.

Contra hæc nos quotidie diſputamus, & ideo nolumus prævaricatoribus adhibere conſenſum, quia nos dicimus, liberum arbitrium in omnibus eſſe naturaliter, nec Adæ peccato perire potuiſſe, quod Scripturarum omnium auctoritate firmatur.

Dicimus has, quæ nunc aguntur in orbe terrarum, a Deo nuptias inſtitutas, nec reos eſſe conjuges, ſed fornicatores & adulteros condemnandos.

Motum genitalium, id eſt, ipſam virilitatem, ſine qua non poteſt eſſe commixtio, a Deo dicimus inſtitutam.

Hominem Dei opus defendimus, nec ex illius potentia, vel in bonum, vel in malum aliquem cogi, ſed propria voluntate, aut bonum facere, aut malum: in bono vero opere a Dei gratia ſemper adjuvari, in malum vero diaboli ſuggeſtionibus incitari.

Dicimus ſanctos veteris Teſtamenti, perfecta hinc juſtitia, ad æternam tranſiſſe vitam, id eſt, ſtudio virtutis ab omnibus receſſiſſe peccatis, quia & illi, quos legimus aliquid peccaſſe, poſtea tamen eos emendaſſe cognovimus.

Gratiam Chriſti omnibus neceſſariam, & majoribus & parvulis, confitemur: & eos qui dicunt de duobus baptizatis natum non debere baptizari, anathematizamus: etiam eos qui dicunt, baptiſma non omnia peccata delere, condemnamus, quia ſcimus plenam purgationem per ipſa myſteria conferri.

Nemo ergo vos ſeducat, nec ſe negent impii iſta ſentire: ſed ſi verum dicunt, aut audientia detur, aut certe iſti ipſi Epiſcopi, qui nunc diſſident, damnent quæ ſupra dixi, cum Manichæis ſe iſta ſentire, ſicut nos iſta damnamus, quæ de nobis jactant, & ſit plena concordia; quod ſi nolunt, ſcitote eos eſſe Manichæos, & ab eorum vos abſtinete conſortiis.

EX his concludere licet, opus, cujus Mercator & Photius meminerunt, vere a Theodoro ſcriptum adverſus Auguſtinum; nec ante ſcriptum, quam Julianus Theodorum, vel per literas docuiſſet, quid Romæ geſtum eſſet in cauſa communi, vel potius conveniſſet, comite ipſo cum aliis Cæleſtio, qui ſua ſecum deportaverit communicanda cum Theodoro.

LIBELLUS FIDEI
A JULIANO ECLANENSI MISSUS AD SEDEM APOSTOLICAM
NOMINE XVIII. EPISCOPORUM DETRECTANTIUM ſubſcribete damnationi Pelagii atque Cæleſtii.

Nunc primum editur confeſſio Juliani.

PRODIT nunc primum in lucem libellus fidei, quem Julianus Eclanenſis Epiſcopus eo tempore conſeripſit, quo miſſæ ad univerſos orbis Epiſcopos a ſede apoſtolica tractoriæ *ſubſcribere detrectans, maluit*, ut loquitur Marius Mercator, *cum Pelagio & Cæleſtio teriius in damnatione numerari, quam ſanctis Patribus conſentaneum ſe præbere.*

In Commonit. part. 2. & in præf. ad lib. Subnot.

Quæ cum diu latuiſſet,

Latuit diu in manuſcriptis codicibus, partim eodem fato, quo Pelagii confeſſio a Cardinale Baronio ex Vaticanis monumentis producta; partim quia oon ferens manifeſtum in fronte auctoris ſui nomen, videri aliquaodiu potuit non habere, unde ſatis vel genus ſuum probaret, vel ſibi faceret pretium.

Hunc Pater Sirmondus ex codice Veronenſi, cum in Italia verſaretur, exſcripſit ſua manu, mihique ante viginti & duos annos oſtendit, gratulatuſque extemporalem de auctore & ætate coojecturam, dedit illuſtrandum notis, & typis mandandum.

à P. Sirmondo deſcripta eſt in Italia. & editori donata.

Verumtamen diſtinebar tunc temporis laborioſo munere docendi Philoſophiam, quo defungi non licuit prius, quam difficilius aliud tractandæ Theologiæ ſcholaſticæ ſuſciperem. Illud etſi nondum depoſui, curare tamen ita anxie non cogor, poſt viginti annos continuos in divinis hujuſmodi ſtudiis poſitos, quin interdum fas ſit ſucciſivis horis amœniores Theologiæ partes reviſere. Id otii fecit, ut vacare poſſem Mercatoris operibus illuſtrandis, & optimi ſenis in edenda Juliani confeſſione mandatis parere.

& in hunc diem retenta propter ſtudiorum neceſſitatem.

PARS PRIMA.

De ſanctiſſima Trinitate, incarnatione Verbi, & aliis Symboli articulis.

I. De Deo Patre.

CREDIMUS in Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium conditorem.

II. De Filio æterni Patris.

Et in Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM Filium Dei vivi, per quem creata ſunt omnia; non extrinſecus natum aut factum, ſed de Patris ſubſtantia generatum, ex Deo vero Deum verum: ut hoc ſit ille, qui genitus eſt, quod eſt ille, qui genuit; & quia Pater Deus ſine ullo ſibi patre Pater eſt, idcirco Filius, de hoc Patre progenitus, Patre inferior eſſe non potuit; non habens initium Filius, quia nec Pater profectum.

III. De Spiritu ſancto.

Credimus & in Spiritum ſanctum, Deum verum, ex Patre procedentem, æqualem per omnia Patri & Filio, voluntate, operatione, perpetuitate, ſubſtantia.

IV. De tota Trinitate.

Et diſtinguentes perſonas in proprietatibus nominum, deitatem tamen Trinitatis inſeparabilem confitemur; nihilque eſſe in Trinitate credimus, quod ſuperius, inferiuſve dicatur, quia tota Trinitas poteſtate deitatis, & ſubſtantiæ unitate conjuncta eſt.

V. De incarnatione Verbi, quatenus eſt miſſio & aſſumptio. *Joan. 1. v. 14.*

In plenitudine vero temporum miſſus Filius Dei, non majoris imperio poteſtatis, ſed communione voluntatis, *fit Verbum caro*: non ut per converſionem Deus eſſe deſineret, ſed per aſſumptionem carnis inciperet homo eſſe, quod non erat; & ut aſcenderet ad Deum homo, Deus deſcendit ad hominem.

VI. De duabus in Chriſto naturis.

Naſcitur ergo nobis ex Spiritu ſancto & Maria ſemper virgine, qui ſecundum divinitatem nunquam defuit Patri. Ex duabus igitur ſubſtantiis pleniſſimis atque perfectis, Dei & hominis, JESUM CHRISTUM Filium Dei accepimus, quem tam ſecundum deitatem Patri, quam ſecundum humanitatem nobis confitemur fuiſſe conformem, abſque ſola peccati macula, quæ naturalis non eſt.

VII. De fine Incarnationis.

Illa videlicet ratione, ut univerſum mundum a peccatis, & exemplo revocaret, & patiendo redimeret: dum peccatum, & quaſi Deus ignoſcendo aufert, & quaſi homo, per naturæ ſimilitudinem, quemadmodum de cætero vinci poſſit, oſtendit.

VIII. De obedientia Chriſti. *Matth. 3. v. 15.* *Philip. 2. v. 8.* *1. Pet. 2. v. 21.*

Incipiens a baptiſmate Joannis, quo baptizatus eſt, dandi exempli gratia, non ſui (ſicut quidam volunt) cauſa peccati, ſicut ipſe ait ad Joannem: *Sine modo, ſic enim oportet implere omnem juſtitiam*; ſubjecit ſe omnibus paſſionibus carnis, ferendo eſuriem, ſitim, laſſitudinem, dolorem, mortem, & cætera hujuſmodi: *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Secundum quod nos beatus Petrus edocuit dicens: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus.*

De paſſione, ſepultura, & reſurrectione Chriſti.

Hunc igitur credimus ob noſtram ſalutem ſecundum carnem paſſum & ſepultum, tertia die reſurrexiſſe, & ut mortem deſtrueret, & ut nobis viam reſurrectionis aperiret.

IX. De aſcenſione Chriſti, & glorificatione carnis.

Aſcendens in cœlos ſedet ad dexteram Patris, humanitatis manente ſubſtantia, quæ non eſt exinanita, ſed glorificata, & in æternum cum deitate manſura.

X. De adventu Chriſti ad judicandum.

Quem venturum credimus ad vivos & mortuos judicandos.

XI. De reſurrectione hominum, ejuſque fine.

Cujus virtute & exemplo omnem humanam carnem in eadem membrorum veritate, qua a Deo facta eſt, credimus ſuſcitandam, ut & peccatores pœnas, & juſti gloriam conſequantur.

XII. De præmio bonorum, &

Unam vitam ſanctorum omnium fore; ſed præmia pro labore diverſa, & e contrario pro

modo

pœnis improborum.

modo delictorum, peccantium quoque eſſe ſupplicia.

XIII. De baptiſmi neceſſitate.

Baptiſma ſecundum exemplum Eccleſiæ, & præceptum Dei, unum fatemur, quod omnibus ſimul ætatibus neceſſarium veraciter, & tradimus, & tenemus; & veniam peccatorum, ac regnum cœlorum dicimus invenire neminem poſſe, niſi qui baptiſmum fuerit conſecutus.

XIV. De remiſſione peccatorum per pœnitentiam.

Eum, qui poſt baptiſmum peccaverit, per pœnitentiam credimus poſſe ſalvari.

XV. De canone ſacrorum librorum.

Novum & vetus Teſtamentum recipimus in illo librorum numero, quem catholicæ Eccleſiæ tradit auctoritas.

PARS SECUNDA.

De gratia Dei, & libero humanæ voluntatis arbitrio, de natura hominis, nuptiarum inſtitutione, peccato originali, & ſanctis veteris Teſtamenti.

I. De poſſibilitate mandatorum Dei, & gratiæ liberique arbitrii cooperatione. Contra eundem.

DIVINÆ legis mandata, ob Dei juſtitiam, poſſibilia dicimus; & fatemur univerſa poſſe compleri per gratiam Chriſti, quæ omnibus bonis actibus adjutrix ſemper & comes eſt, & per liberum arbitrium hominis, quod & ipſum donum Dei eſt.

II. Adverſus gratiam prævenientem.

Quam tamen gratiam Dei ita accipimus, ut nec ſequatur nolentem, nec deſtituat obſequentem.

III. Adverſus prædeſtinationem Dei.

Ut vero alter ſit juſtus, alter injuſtus, hoc non divina voluntate; ſed vitio fieri arbitramur humano: diverſitatem enim hanc negavit ex Deo eſſe, qui dixit, quia *Deus omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Si ergo Deus vult omnes ſalvare, *& non eſt perſonarum acceptio apud Deum*, juſtiſſime per liberum arbitrium imputabitur unicuique peccatum, ſecundum quod ſcriptum eſt: *Ante hominem bonum & malum, vita & mors; quod placuerit ei, dabitur illi.*

1 Tim. 2. v. 4. — Rom. 2. v. 11. — Eccl. 15. v. 18.

IV. De fine ſupremi judicii.

Conſequens ergo eſt, ut confiteamur, quod peccatores ideo ſumus, non quia non valemus, ſed quia negligimus vitare peccatum. Ideoque ſtatuta judicii dies eſt, ut & bonus de labore præmium capiat, & de contemptu malus ſupplicium non evadat.

V. Laus naturæ humanæ.

Naturam hominis bonam, & integram, ut pote a bono Deo factam, eſſe teſtamur.

VI. Quia homo Dei opus eſt. Gen. 30. v. 2. Iſai. 64. v. 8.

Et omnem hominem a Deo fieri confitemur, dicente Patriarcha: *Numquid pro Deo ego ſum, ut dem tibi filios?* & ſic Propheta nihilominus conteſtante: *Et nunc, Domine, Abraham neſcimus; tu enim es Pater noſter & opera manuum tuarum nos omnes.* Unde & Deus ad Hieremiam dicit: *Priuſquam te formarem in utero matris tuæ, novi te.* Item in libro Machabæorum: *Neſcio*, inquit, *qualiter in utero meo apparuiſtis; neque enim ego ſpiritum donavi vobis, ſed & ſingulorum membraturam non ipſa compegi.* Job quoque & ipſum concepti hominis exordium ad Deum refert, & ſic ait: *Nonne ſicut lac me mulſiſti, & ſicut caſeum me coagulaſti? oſſibus & nervis inſeruiſti me, cute deſuper operuiſti me, vitam & miſericordiam dediſti mihi?* Sed & omnes divinæ ſcripturæ ejuſmodi teſtimoniis ſunt refertæ, quæ nunc cauſa brevitatis omiſimus.

Hierem. 1. v. 5. — 2 Mac. 7. v. 22. — Job 10. v. 10.

VII. Quia imago Dei. Gen. 9. v. 6.

Ad imaginem quoque Dei non ſolum factum hominem, ſed & fieri confitemur, dicente Domino ad Noë: *Qui effuderit ſanguinem hominis, pro ſanguine illius effundetur ſanguis ejus, quia ad imaginem Dei fecit hominem*; & Paulo Apoſtolo ſimiliter aſſerente: *Vir autem non debet velare caput, quoniam imago & gloria Dei eſt*; Jacobo quoque Apoſtolo proclamante: *In ipſa lingua benedicimus Deum, & in ipſa maledicimus homines, qui ad imaginem & ſimilitudinem Dei facti ſunt.*

1 Cor. 11. v. 7. — Jacob. 3. v. 9.

VIII. Laus nuptiarum, quia conjunctæ a Deo. Ex vet. Teſt. Gen. 9. v. 7.

Nuptias Deo auctore dicimus eſſe conditas atque conjunctas, dicente Deo ad Noë: *Vos autem creſcite, & multiplicamini, & implete terram.* Et ne quis allegoriæ nebulis ſimplicem obumbrare velit hiſtoriam, adjecit: *Et multi eſtote ſuper eam.*

Ibidem.

IX. Ex Evangelio. Matth. 19. v. 8. Marc. 10. v. 5.

Unde & Dominus in Evangelio Judæis de repudio interrogantibus reſpondit: *Moyſes propter duritiem cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum hoc: Ab initio autem non fuit ſic. Qui enim fecit, maſculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.*

X.

Et ne quis errantium diceret uſurpandum: Id prædixit potius, quam præcepit; addidit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Sanctus quoque Apoſtolus Chriſti magiſterium ſequens dicit: *Honorabile connubium, & torus immaculatus; fornicatores autem & adulteros judicabit Dominus.* & alibi: *Qui dat virginem ſuam nuptum, bene facit; & qui non dat, melius facit.* Hinc enim laudanda virginitas eſt, quia nuptiis, quæ bonæ ſunt, præfertur: propria enim dignitate caret, quidquid mali comparatione laudatur.

Ibid. Ex Apoſtolo. Hebr. 13. v. 4. — 1. Cor. 7. v. 38.

Adverſus peccatum originale.

Quoniam igitur præmiſimus de bono naturæ, & benedictione, & honore conjugii, conſequenter renuimus naturale peccatum, vel ſi quo alio vocabulo nuncupatur; ne creatori Deo omnium irrogemus injuriam, dum aliquid ab illo cum peccato fieri potuiſſe contendimus; & teſtimonia ſcripturarum ejus falſitatis arguamus.

XI. Ex Prophetis. Hierem. 31. v. 30. Ezech. 18. v. 2.

Quæ dicunt in vetere Teſtamento: *Non morientur patres pro filiis, & filii non morientur pro patribus, ſinguli pro ſuo delicto morientur.* Et alius Propheta: *Quid vobis parabola iſta in terra Iſraël dicentibus: Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt? Vivo ego, dicit Dominus, ſi amplius dicetur parabola hæc in Iſraël, quoniam omnes animæ meæ ſunt; quemadmodum anima patris, ita & anima filii, omnes meæ ſunt; anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Item illic: *Filius non accipiet injuſtitiam patris ſui, nec pater accipiet injuſtitiam filii ſui; juſtitia juſti ſuper ipſum erit.* Item illic: *Unumquemque ſecundum viam ipſius judicabo vos; domus Iſrael, dicit Dominus.*

Ibid. v. 20. — Ibid. v. 30.

XII. Ex Apoſtolo.

Et Apoſtolus: *Omnes nos manifeſtari opor-*

tet

133

Digitized by Google

2 Cor. 5. v. 10. Rom. 14. v. 12. Gal. 6. v. 5. *tet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Item idem: *Unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo.* Et alibi: *Unuſquiſque noſtrum ſuum onus portabit.*

XIII. Laus Sanctorum veteris Teſtamenti. Quia electi a Deo. Rom. 8. v. 33. Quia juſti. Matth. 23. v. 35. Luc. 11. v. 50. Sanctos autem veteris Teſtamenti a Deo juſtificatos, & ejus judicio ſæpe laudatos, accuſare non poſſumus, dicente Apoſtolo: *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat; quis eſt qui condemnat?* & Domino in Evangelio conteſtante: *Exquiretur a vobis omnis ſanguis juſtus qui effuſus eſt ſuper terram, a ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ.*

XIV. Quia dati Apoſtolis in exemplum. Matth. 5. v. 12. Unde & in alio loco ipſe Dominus, cum Prophetarum exemplo Apoſtolos ad patientiam roboraret: *Gaudete*, ait, *& exultate, quia merces veſtra magna eſt in cælis; ſic enim perſecuti ſunt & Prophetas, qui fuerunt ante vos.*

XV. Quia dei. Joan. 10. v. 35. Quodque his majus eſt, deos illos a David propheta dictos ſuo teſtimonio comprobavit dicens: *Ergo ſi illos dixit deos, ad quos ſermo fiebat Dei: Et non poteſt ſolvi Scriptura. Quem Pater ſanctificavit, & miſit in hunc mundum, vos dicitis: Blaſphemas; quia dixi: Filius Dei ſum.*

XVI. Quia juſtificati per fidem Chriſti, ut docet Chriſtus ipſe in Evangelio. Joan. 8. v. 56. Conſtat namque eos, per laborem proprium, & Chriſti fidem, juſtificatos, ſiquidem præviderunt Deum in carne eſſe venturum, ſicut Dominus ipſe aſſerit dicens: *Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum, & vidit, & gaviſus eſt.*

XVII. Paulus Apoſtolus. Hebr. 11. v. 39. Ibid. v. 24. Et Apoſtolus ait: *Et hi omnes teſtimonio fidei probati ſunt.* Et iterum: *Fide Moyſes grandis factus negavit, ſe eſſe filium Pharaonis, eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores exiſtimans divitias theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti; aſpiciebat enim in remunerationem.*

XVIII. Petrus Apoſtolus. 1 Petr. 1. v. 11. Unde & alius Apoſtolus: *De qua*, inquit, *ſalute inquiſierunt, qui ante nos fuerunt, quæ Prophetæ ſcrutantes, in quod, vel quale tempus annuntiaret eis ſpiritus Chriſti, eas, quæ in Chriſto ſunt, paſſiones, & poſteriores glorias.*

XIX. Quia regnum cœlorum adepturi. Matth. 8. v. 11. Regnum quoque illos adepturos cœlorum, ipſe Dominus probat, cum dicit: *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob in regno cælorum; filii autem regni hujus mittentur in tenebras exteriores.*

XX. Pſ. 138. v. 17. Igitur eligemus dicere cum Propheta: *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui, Deus; nimis confortati ſunt principatus eorum*; quam cum errantibus, & ſanctorum meritis, & teſtimonio Dei, ore temerario derogare.

PARS TERTIA.

Reprobatio alienorum dogmatum.

I. HIS omnibus ſecundum regulam fidei catholicæ, & auctoritatem divinarum ſcripturarum, rite confeſſis, conſequenter omnes hæreticos condemnamus; & præcipue, qui apud Latinos tam nomine proprio, quam errore comperti ſunt, quoſque impietate ſuæ aſſertionis horremus, id eſt,

Arianos divinam ſubſtantiam impie dividentes. II.

Sabellianos perſonarum proprietatem ſceleratius confundentes. III.

Eunomianos Filium Dei factum ex non extantibus aſſerentes. IV.

Macedonianos deitatem ſancto Spiritui denegantes. V.

Apollinariſtas, eorumque ſimiles, qui dicunt Dei Filium minus aliquid humanæ ſuſcepiſſe naturæ. VI.

Novatianos lapſis pœnitentiam denegantes. VII.

Jovinianiſtas, qui dicunt hominem poſt baptiſmum nullo modo poſſe peccare. VIII.

Manichæos etiam duo principia aſſerentes, id eſt, boni & mali, quique ex bono dicunt eſſe animam, ex malo vero carnem, & ob hoc compugnantia ſemper eſſe in utramque naturam. IX.

Eorum quoque ſimiles, qui ſub aſſertione naturalis pcocati aſſerunt, nuptias ab auctore diabolo extitiſſe, & illarum filios diabolicæ eſſe arboris fructus. X.

Quique dicunt uſque ad paſſionem Domini omnes, propter id, quod matrimonii voluntate * ſuſcepti ſunt, a diabolo jure æquiſſimo eſſe poſſeſſos. XI. * voluptate

Vel qui Filium Dei a tempore paſſionis tantummodo generi humano dicunt cœpiſſe prodeſſe. XII.

Quique aſſerunt, in baptiſmo non penitus peccata deleri. XIII.

Vel ſanctos veteris Teſtamenti cum peccato de hac luce migraſſe confirmant. XIV.

Qui etiam dicunt, hominem in peccatum neceſſitate præcipitari. XV.

Sed & illud ſimiliter execramur, Salvatorem neceſſitate carnis fuiſſe mentitum, & quod propter impedimentum carnis non omnia potuerit facere, quæ volebat. XVI.

Quique primas nuptias cum Manichæis, ſecundas cum Cataphrygis damnant.

Qui etiam, nec cum gratia Dei dicunt peccata poſſe vitari. Sed & ſi quis dicit, homines ſine Dei gratia, vel adjutorio poſſe peccata vitare, graviter deteſtamur. XVIII.

Vel qui negat parvulos baptiſmo indigere, aut aliis ſacramenti verbis aſſerit, quam in majoribus, debere celebrari. XIX.

Si quis etiam dicit, de duobus baptizatis natum, vel de muliere baptizata pronatum, baptiſmatis gratia non egere. XX.

Vel quicumque aſſerit, quod neque per Adam omne genus hominum moriatur, neque per Chriſtum omne genus reſurgat. XXI.

Vel ſi quæ ſunt alia, quæ vel contra fidem catholicam veniant, vel ad indiſciplinatas pertineant quæſtiones, ſimili exectatione damnamus. XXII.

PARS

PARS QUARTA.

Excuſatio Pelagianorum, provocatio ad plenariam ſynodum, prætextus non ſubſcribendi, reprehenſio ſummi Pontificis, detortum S. Chryſoſtomi teſtimonium adverſus peccatum originale, & epilogus.

I. Excuſatio Pelagianorum, quaſi non ſentiant quæ ipſis objiciuntur.

HÆc autem omnia, de quibus nunc agitur, id eſt, quæ in fine damnavimus, ipſi etiam, de quibus iſta jactantur, falſo ſibi objecta teſtantes, libellis propriis damnaverunt.

II. Provocatio ad plenariam ſynodum.

Hæc, ut nobis ſecundum regulam catholicam viſum eſt, veſtræ ſanctitati conſcripta tranſmiſimus, quæ ſi aliter putatis tenenda, reſcribite: ſin autem contradici iſtis non poteſt, & tamen aliquis voluerit contra nos ſcandalum concitare, certa ſit ſanctitas veſtra, nos ad audientiam plenariæ ſynodi provocaſſe.

III. Rationes non ſubſcribendi damnationi Pelagii & Cæleſtii.

1. Quia damnati ſunt & abſentes, & inauditi.

Exod. 23. v. 1. juxta Septuag.

Ibidem.

Eccleſ. 11. v. 7.

Illud autem ſanctitatem veſtram ſpecialiter admonemus, ne ad veſtram reprehenſionem factum putetis; quod ſic abſentum damnationem, ob Dei timorem, ſubſcribere non audemus, docti per Scripturas, humanam voluntatem præceptis Dei non debere præferri dicentis: *Non credes auditui vano, nec conſenties cum iniquo fieri teſtis injuſtus.* Et ne multitudini quis credendum putaret, adjunxit: *Non eris cum pluribus in malitia.* Et iterum: *Priuſquam interroges, ne vituperes quemquam.* Et iterum: *Quod viderunt oculi tui, loquere.*

IV. 2. Quia non eſt temere judicandum de iis, qui ſe catholicos libellis profitentur.

Matth. 7. v. 1.

Joan. 7. v. 51.

Item in Evangelio: *Nolite judicare, ut non judicemini; nolite condemnare, ut non condemnemini: in quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis; & qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.*

Item in alio Evangeliſta etiam Judæi fatentur, quod *lex noſtra non judicet hominem, niſi ab ipſo audierit & cognoverit, quid faciat.*

V. 3. Quia accuſatores non fuerunt præſentes in judicio, nec datus defendendi locus.

Act. 25. v. 16.

Et in actibus Apoſtolorum per gentiles Feſti ſimiles prolata eſt ſententia, quod *non ſit conſuetudo Romanis damnare aliquem, priuſquam qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat, ad abluendum crimina.*

VI. 4. Quia teſtes non fuere producti, prout exigit Apoſtolus in judicio presbyteri.

1 Tim. 5. v. 19.

Unde & ſanctus Apoſtolus Paulus judicandi regulam Epiſcopis ſanciens ait: *Adverſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.*

VII.

His igitur, & cæteris teſtimoniis confirmati, metuimus in abſentum, & nobis inauditorum capita dictare ſententiam, niſi cum præſentes fuerint confutati.

VIII. Tacita accuſatio ſummi Pontificis, quaſi contra ſacerdotale officium, & caritatem chriſtianam, ſtudio partium, metu, & inconſtantia animi judicaverit.

Quamvis igitur ſacerdotalis officii ſit, & chriſtianæ caritatis, eos, qui ſe libellis purgant, catholicos confitentur, & damnabilia ſibi objecta condemnant, libera auctoritate defendere, & in dubiis rebus de unoquoque meliora ſentire; tamen dudum promiſſam æqualitatis libram mediam inter utrumque ſervantes, nec damnamus inauditos, nec defenſamus abſentes.

Certum ſit igitur apud ſanctitatem veſtram, quia quantumlibet hoc mare ventis flantibus intumeſcat, & amatis in nos fluctibus efferatur, nunquam integri judicii domum, quæ ſupra juſtitiam Chriſti fundata eſt, poterit commovere. IX.

Illud etiam, ſancte ac venerabilis Frater & Pater * Auguſtine, neceſſario reſpondendum putavimus, quod beatæ memoriæ Epiſcopum Joannem in epiſtola ſanctitatis tuæ rectiſſime collaudaſti, non ſolum non deſtruxiſſe Eccleſias, ſed etiam confirmaſſe. Is namque ad Neophytos in libello, quid de baptiſmate infantium ſentiret, ipſius verbis ſubdidimus, ut etiam vos, o ſancte Frater, prædicti viri ſuper hac re ſententiam cognoſcatis. X.

* *cor.* Zoſime

XI. S *Joan. Chryſ. hom. ad Neophytos, quæ habetur tantum Latine.*

Benedictus Deus, inquit, *iterum dicamus, qui fecit mirabilia ſolus; qui fecit univerſa, & convertit univerſa. Ecce libertatis ſerenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo ante captivi, & cives Eccleſiæ ſunt, qui fuerant in peregrinationis errore, & juſtitiæ in ſorte verſantur, qui fuerant in confuſione peccati. Non enim tantum ſunt liberi, ſed & ſancti; non tantum ſancti, ſed & juſti; non ſolum juſti, ſed & filii; non ſolum filii, ſed & hæredes; non ſolum hæredes, ſed & fratres Chriſti; non tantum fratres Chriſti, ſed & cohæredes; non tantum cohæredes, ſed & membra; non membra tantum, ſed & templum; non tantum templum, ſed & organa ſpiritus. Benedictus Deus, qui fecit mirabilia ſolus. Vides quot ſint baptiſmatis largitates? & nonnullis quidem videtur cæleſtem gratiam in peccatorum tantum remiſſione conſiſtere. Nos autem honores computavimus decem: hac de cauſa etiam infantulos baptizamus, cum non ſint coinquinati peccatis, ut eis addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, ut ejus membra ſint, & ſpiritus inhabitatio fiant.*

XII. Epilogus.

Hæc igitur divinis, & ſacerdotalibus exemplis edocti, veſtræ ſuggeſſimus ſanctitati Veſtrum eſt, conſiderato judicio Dei, omnia diligenti examinatione perpendere, ut pax, quam nos a Chriſto Domino commendatam ſervare ſuſcepimus, nullo ſcandalo interveniente ſolvatur.

EXPLICIT LIBELLUS FIDEI S. I. C.

DISQUISITIO HISTORICA IN LIBELLUM FIDEI A JULIANO SCRIPTUM.

Ratio diſquiſitionis, & argumentum.

OPERÆ pretium eſt, imo neceſſarium, paulo diligentius inquirere in tempus, quo editus eſt libellus, & in auctorem, a quo ſcriptus; ſed quæſtio temporis ſolvi non poteſt, ſaltem omni ex parte, quin prius innotuerit, quorum nomine, & ad quem miſſus ſit: verum nec iſta poſſunt aliunde certo intelligi, quam ex ipſomet libello, in cujus parte quarta nonnulla animadvertenda ſunt, quibus ſic tanquam principiis, deinceps veritas probetur.

Libellus iſte, ſaltem aliqua ex parte, eſt epiſtola.

Num. 2.

Num. 12.

Primum, libellus iſte, ſaltem aliqua ex parte, epiſtola quædam eſt. *Hæc, ut nobis ſecundum regulam catholicam viſum eſt, veſtræ ſanctitati conſcripta tranſmiſimus, quæ ſi aliter putatis tenenda, reſcribite.* Et poſtea: *Hæc igitur divinis & ſacerdotalibus exemplis edocti, veſtræ ſuggeſſimus ſanctitati*, &c.

Scripta nomine Siculorum. Part. 3. num. 1.

Secundum, ejuſmodi epiſtola ſcripta eſt nomine hominum Latinorum, imo Siculorum. *Conſequenter omnes hæreticos condemnamus, & præcipue qui apud Latinos, tam nomine proprio, quam errore comperti ſunt.* Et in fine: *Explicit libellus fidei S. I. C.* id eſt, *Siculorum.*

Detrectantium ſubſcribere damnationi Pelagii & Cæleſt. 1. Part. 4. num. 3.

Tertium, homines illi pertinaciter detrectabant ſubſcribere damnationi Pelagii & Cæleſtii. Detrectantium verba ſunt: *Quod ſi abſentum damnationem ob Dei timorem ſubſcribere non audemus, docti per Scripturas, humanam voluntatem præceptis Dei non debere præferri.* Ibidem: *His igitur & cæteris teſtimoniis confirmati metuimus in abſentum & nobis inauditorum capita dictare ſententiam.* Et poſtea: *Certum ſit igitur apud ſanctitatem veſtram, quia quantumlibet hoc mare ventis flantibus intumeſcat, & amaris in nos fluctibus efferatur, nunquam integri judicii domum, quæ ſupra juſtitiam Chriſti fundata eſt, poterit commovere.* (Num. 9.)

Erant illi Epiſcopi.

Quartum, qui pertinaciter renuebant ſubſcribere, Epiſcopi fuerunt: dignitatem enim ſuam oſtendunt. Primo, cum Epiſcopum ad quem ſcribunt, Fratrem appellant: *Illud etiam, ſancte, ac venerabilis Frater,* &c. (Num. 10.) Deinde, cum rationem afferunt, cur ſubſcribere detrectent: *Unde & ſanctus Apoſtolus Paulus judicandi regulam Epiſcopis ſanciens,* &c. (Num. 6.) Denique, cum id ſibi aſſumunt, quod ſolis per ſe Epiſcopis convenit, jus nempe faciendi judicii, ſententiæque de doctrina fidei ferendæ: *Quamvis igitur ſacerdotalis officii ſit, & chriſtianæ caritatis, eos qui ſe libellis purgant, catholicos confitentur, & damnabilia ſibi objecta condemnant, libera auctoritate defendere, & in dubiis rebus de unoquoque meliora ſentire; tamen dudum promiſſam æqualitatis libram inter utrumque ſervantes, nec damnamus inauditos, nec defenſamus abſentes.* (Num. 8.)

Qui ſcribebant ad ſuum primatem. Num 9.

Quintum, Epiſcopi illi ſuo primati ſcribebant, id eſt, Epiſcopo majoris ſedis, cui ſuberant; eum enim Fratrem ſimul & Patrem vocant: *Sancte ac venerabilis Frater & Pater.* qua forma temporibus illis inferiores Epiſcopi ad ſuperiorem ſcribebant, cum alios, ſive inferiores, ſive æquales, *Fratres & Coepiſcopos* appellarent.

A quo per literas compulſi erant ad ſubſcribendum. Num. 13. Num. 17.

Sextum, reſpondebant Epiſcopi, de quibus agitur, epiſtolæ prius a ſuo primate acceptæ, qua jubebantur ſubſcribere damnationi Pelagii & Cæleſtii. *Illud etiam, ſancte ac venerabilis Frater & Pater, neceſſario reſpondendum putavimus. Hæc, ut nobis ſecundum regulam catholicam viſum eſt, veſtræ ſanctitati conſcripta tranſmiſimus, quæ ſi aliter putatis tenenda, reſcribite: ſin autem contradici iſtis non poteſt, & tamen voluerit aliquis contra nos ſcandalum concitare, certa ſit ſanctitas veſtra, nos ad audientiam plenariæ ſynodi provocaſſe. Illud autem ſanctitatem veſtram ſpecialiter admonemus, ne ad veſtram reprehenſionem factum puteris,* &c.

Primatis literæ honorificam faciebant ſancti Joannis Chryſoſtomi mentionem. Num 10.

Septimum, in primatis literis honorifica fiebat mentio Joannis Chryſoſtomi. *Beatæ memoriæ Epiſcopum Joannem in epiſtola ſanctitatis tuæ rectiſſime collaudaſti, non ſolum non deſtruxiſſe Eccleſias, ſed etiam confirmaſſe,* &c.

Scriptus eſt tempore intercedente inter annum 418. & 420.

Ex his ſeptem, quæ animadverſa ſunt, mihi videor poſſe quæſtionibus reſpondere, & concludere, quod pertinet ad tempus, ſcriptum fuiſſe libellum eo temporis intervallo, quod ab ann. Chriſti 418. ad 420. effluxit; imo ipſomet ann. 418. circiter autumnum, quod ita demonſtrare licet.

Ex 3. & 4. animadverſ. Refertur epiſt. diſſert. 3.

Scriptus certe eſt fidei liber, non tantum poſt impoſitam Epiſcopis neceſſitatem ſubſcribendi damnationi Pelagii & Cæleſtii, ſed etiam ante ejectos e ſuis ſedibus repugnantes Epiſcopos: at non prius impoſita eſt Epiſcopis ſubſcribendi neceſſitas, quam vel miſſa fuerit ad univerſum orbem a Zoſimo tractoria, vel Honorius imperator v. Idus Jul. Monaxio & Plinta coſſ. id eſt, ann. Chriſti 419. Ravennæ ſcripſerit ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum, *propter pertinaciam quorumdam Epiſcoporum corrigendam, qui pravas Pelagianorum diſputationes, vel tacito conſenſu aſtruerent, vel publica oppugnatione non deſtruerent;* mandaveritque *admoneri omnes, ut damnationi hæreticorum ſubſcriberent, ni vellent ſui epiſcopatus amiſſione mulctari.* Cum igitur nemo pertinax cenſeatur, niſi qui renuerit præſtare id, ad quod præſtandum prius fuerit compulſus: oportet Epiſcopos, quorum pertinaciæ dedit occaſionem imperialibus literis, prius compulſos fuiſſe ad ſubſcribendum, & auctoritate quidem idonea. Cujus illa vero fuit? An imperatoris Honorii? Dederat quidem Ravennæ, ante tredecim menſes, aliam ſanctionem ad Palladium P. P. ſed ea proſcribebantur tantum Pelagius & Cæleſtius; nihil de exigenda ſubſcriptione Epiſcoporum decernebatur. An Aurelii Carthaginenſis Epiſcopi, ipſiuſque Africanæ ſynodi, cui præfuerat? At neque in actis ſynodi quidquam legitur ſtatutum de ſubſcriptione ab omnibus Epiſcopis exigenda; neque ſi legeretur, ultra diœceſim Africanam vim haberet. Ergo Zoſimi ſummi pontificis, qui, miſſa ad omnes orbis Epiſcopos tractoria, a cunctis ſubſcribendum mandavit.

Qua primum auctoritate imperata ſubſcriptio. Non Imperatoris. Ibid. ad ann. 418. Non Aurelii. Sed Zoſimi.

Quod tradit Mercator in Comm. c. 2.

Id tradit Mercator. *Ob hoc a beatæ memoriæ Epiſcopo Zoſimo ſcriptis ampliſſimis, vel longiſſimis perdamnatus eſt Cæleſtius: in quibus & ipſa capitula, de quibus accuſatus fuerat, continentur; & omnis cauſa, tam de Cæleſtio ſupra ſcripto, quam de Pelagio magiſtro ejus pravıore, videtur eſſe narrata: quorum ſcriptorum & nos hic habemus exemplaria, & ad orientales Eccleſias, Ægypti diœceſim, & Conſtantinopolim, & Theſſalonicam, & Hieroſolyma ſimilia eademque ſcripta ad Epiſcopos tranſmiſſa eſſe ſuggerimus.* Et poſtea: *Hæc omnia ſupraſcripta capitula, ut jam ſuperius dictum eſt, continet illa beatæ memoriæ Epiſcopi Zoſimi epiſtola, quæ tractoria dicitur, qua Cæleſtius Pelagiuſque damnati ſunt: quæ & Conſtantinopolim, & per totum orbem miſſa ſubſcriptionibus ſanctorum Patrum eſt roborata; cui Julianus & reliqui complices ejus ſubſcribere detrectantes, conſentaneoſque ſe nolentes iiſdem Patribus facere, non ſolum imperialibus legibus, ſed & ſacerdotalibus ſtatutis depoſiti, atque ex omni Italia deturbati ſunt.*

Lib. Subnot. cap. 7.

Et alio in loco Julianum alloquens. *In epiſtola tua, quam ad ſedem apoſtolicam illo tempore auſus es mittere, quando conventus detrectaſti, cum univerſa Eccleſia per totum orbem, Pelagium Cæleſtiumque damnare.*

Quando miſſa tractoria Zoſimi ſummi pontificis.

Jam vero tractoria miſſa eſt in univerſum orbem ann. 418. ſiquidem Zoſimus eam nondum miſerat in Africam XII. Kalend. Aprilis ann. 418. quo tempore ſcripſit ad Africanos, ſe judicium Cæleſtii non abſolviſſe, ſed omnia ſuſtinuiſſe eo, quo erant, ſtatu, donec venirent ex Africa, qui coram reum accuſarent: quare cum Zoſimus diem ſuum obierit VII. Kalend. Januar. ejuſdem anni, neceſſe eſt tractoriam, quæ continebat definitivam ſententiam in Cæleſtium, eo temporis intervallo fuiſſe miſſam, quod a die 19. Martii ad 26. Decembris fluxit.

Martyr. Rom. & omnes cronologi.

Verum cum hancce tractoriam Auguſtinus Cæſaream Mauritaniæ proficiſcens ſecum aſportarit, eamque inde miſerit ad Optatum; cumque Cæſareæ exierit XII. Kalend. Octobris, Honorio XII. & Theodoſio VIII. AA. CC. ut habent geſta cum Emerito; fatendum eſt tractoriam Roma miſſam ſaltem ante initium Septembris.

Epiſt. 157. Tom. 6. oper. Auguſt.

Tandem, cum hæc ipſa tractoria recepta ſit a Patribus Africanis, in concilium, cui Auguſtinus interfuit, congregatis, ut tradit Proſper, debuit Roma mitti ante menſem Auguſtum, imo ante Kalend. Maias, ut oſtendimus in diſſertatione de ſynodis.

Lib. cont. Collat. c. 10.

Quando expulſi e ſuis ſedibus pertinaces Epiſcopi. Ibid. c. 41.

Denique Epiſcopi ſubſcribere detrectantes de ſuis ſedibus atque Italia non ſunt expulſi tardius ann. 420. ut confecimus diſſertat. 2. Scribit enim Proſper in hæc verba: *Sanctæ memoriæ Papa Bonifacius piiſſimorum Imperatorum catholica devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei, non ſolum apoſtolicis, ſed etiam regiis utebatur edictis.* Quid enim aliud eſt uti edictis, niſi ea executioni mandare? Aut quæ edicta intelligi poſſunt, præter duo illa Honorii, quæ antea memoravimus? Quid denique edicta imperabant Epiſcopis, niſi ſubſcriptionem condemnationi Pelagii atque Cæleſtii; id eſt, epiſtolæ a Zoſimo miſſæ, ut oſtenſum eſt diſſertatione præcedente.

In præf. adverſ. ſymb. a Theod. Mopſueſt. conſcripti.

Idipſum confirmat Mercator. *Julianus*, inquit, *ad Theodorum peragratis terris, & exarato mari, atque Oriente luſtrato, cum ſociis, & participibus, & eorum-*

[illegible] magnoniſu tanquam ad chriſtianorum dogmatum prædicatum magiſtrum tetendit, ut de hæreſi Pelagiana, ſeu Cæleſtiana, quam defendendam ac ſequendam ſuſcepit, ab ipſo confirmaretur, atque inde velut inſtructior eſſe contra fidem catholicam potius, quam contra ſanctæ memoriæ Auguſtinum, volumina illa, ut putat, prudentiſſima conderet. Cum enim Julianus in Ciliciam profectus ſit ann. 421. aut ſequente, nec tamen prius ſit profectus, quam dejectus de ſede, dejectum oportuit ante ano. 421. Sed libellum ſuæ fidei ſcripſit ante ejectionem, ut ex animadverſione quarta conſtat: ſcripſit igitur eo temporis intervallo, quod ab ann. 418. hujus ſæculi ad 420. ioterceſſit; quod autem ann. ipſo 418. demonſtrandum eſt, ſoluta prius quæſtione altera, quorum ſcilicet nomine Julianus ſcripſerit, & ad quem.

Siculorum nomine ſcriptus libellus.

Verum Siculorum nomine ſcripſiſſe, dubitare vix licet, cum id ſignificent aperte extrema ſubjunctæ clauſulæ verba: *Explicit libellus fidei S. I. C.* Quis enim oon videat tribus iſtis literis S. I. C. breviari aliquod nomen, nec aliud poſſe, quam Siculorum, ſi modo, quod proclivius eſt opinari, tres illæ literæ in unam ſyllabam coaleſcant?

Neque enim illis temporibus, ſi qua fides hiſtoricis & geographis, ulli inter Latinos extitere populi, quorum, vel nomen ab hac ſyllaba initium duceret, vel Epiſcopi pertinaces in errore Pelagiano extiterint. Nam quod alicui noo admodum attento venire poſſet in mentem, his literis indicari Campanos, Apuloſque Juliani provinciales, aut conterminos, qui olim Sicani, poſtremis temporibus Siculi cis Pharum, dicti ſunt, redarguitur facile ratione temporum: ſiquidem quinto ſæculo necdum inventa fuerat nova appellatio Siculorum cis Pharum, & vetus Sicanorum jamdudum obſoleverat.

Quid quod conveniunt apprime Siculis omnia, quæ pertinent ad præſens negotium? Nam & Cæleſtianam hæreſim, quæ ſola fere hoc in libello defenditur, plurimi ſequebantur: & ex Sicilia nonnulli ejecti ſunt, poſt edictum Imperatoris propter pertinaciam in errore: & Julianus multos in hac inſula habuit amicos, apud quos tandem obiit, quæ tria in elogio Juliani demonſtrata ſunt.

Scripſit porro Siculorum nomine ad eum Epiſcopum, qui poſſet auctoritate Siculos ad ſubſcribendum compellere, ut conſtat ex ſexta animadverſione.

Quatuor vero Epiſcopi extitere tunc temporis, id eſt, intervallo duorum annorum prædicto, qui id potuiſſe videri queant; duo propter dignitatem ſedis apoſtolicæ, Zoſimus & Bonifacius; duo itidem propter Imperatoris edictum ad ſe directum, Aurelius & Auguſtinus: (ſi tamen verum ſit eodem tenore, quo ad Aurelium, etiam ad Auguſtinum, directum fuiſſe edictum ab Imperatore, quod legebatur in codice illuſtriſſimi annalium ſcriptoris) ſed nulli iſtorum quatuor, præterquam Zoſimo, cooveniunt notæ, quæ continentur in animadverſionibus antea poſitis.

Tom. 5. annal. ad ann. 418.

Non ad Auguſtinum, quinque ob cauſas.

Neque enim conveniunt Auguſtino, pro quo tamen plurimum facere videtur Baronii codex. Qua enim de cauſa Siculi Auguſtinum nomine Patris compellaſſent? An propter obſervantiam? At erga illam erant infenſiſſimi, ob rem tam naviter geſtam adverſus ſuam hæreſim. An propter ætatem? At Florus unus ex ipſis nominatiſſimus, provectæ admodum ætatis erat. An propter ſedis dignitatem? At Hipponenſis civitas oeque per ſe præſtabat, neque tunc temporis primatum Numidiæ tenebat, ob ætatem ſui Epiſcopi.

Deinde animadverſum eſt, Epiſcopos Siculos ad eum reſcripſiſſe, a quo prius in epiſtola Chryſoſtomus laudatus eſſet. At nemo tradidit in hunc uſque diem, ab Auguſtino ullam alicujus momenti ſcriptam eſſe epiſtolam, vel de condemnatione totius hæreſis, vel de quæſtionibus Pelagianorum, in qua Chryſoſtomus dictus ſit, *non deſtruxiſſe, ſed confirmaſſe Eccleſias.* Et vero, ſi qua tanti momenti conſcripta eſſet, neque tacuiſſet Auguſtinus, cum ſua nonnullis, ſuper iis quæſtionibus, opera legenda præſcripſit; neque Poſſidius prætermiſiſſet in indiculo, ubi tam diligenter tractatus, epiſtoloſque Auguſtini adverſus Pelagianos recenſet.

Adde quod Siculi reſpondent ei, qui auctoritate ſubſcriptionem exigebat. Hanc vero qua auctoritate exigeret Auguſtious? noo quam faceret prærogativa ſedis, nam minimæ præerat; noo quam adderet reſcriptum imperiale, adderet enim in ſolos Numidiæ Epiſcopos, quorum io provincia erat Auguſtinus; non adderet in Siculos, qui Romana diœceſi cenſebantur.

Quid quod non mediocriter nutat fides codicis Baroniani, partim quia tunc temporis Auguſtinus io provincia Numidiæ ſenior non erat, nec proinde primas, ut ad eum dirigeretur Imperatoris mandatum, atque ita Valentino Alipioque, & aliis quatuor Auguſtino ſenioribus, facta fuiſſet injuria; partim quia tacent de re tanta hiſtorici, ipſique laudatores Auguſtini, imo & Pelagiani, non tacituri utique, oeque hi, neque illi, ſi tale quiddam contigiſſet.

Denique cum oihil Auguſtinus a Pelagianis ſcriptum, præſertim a Juliano, reliquerit ſine reſponſo; profecto, aut tam prolixam fidei confeſſionem, tamque audaciter provocatoriam ad plenariæ ſynodi audientiam refelliſſet, aut ejus ſaltem aliquando, nec infrequentem, nec levem mentionem feciſſet.

Quare corrigendum omnino eſt Sirmoodi apographum ad hæc verba: *Illud etiam, ſancte, ac venerabilis Frater & Pater Auguſtine;* vox enim ultima ſuppoſita eſt ab exſcribente, cum foret io veteri codice geminum SS. figuris inter ſe connexis, qua ratione veteres Latini Z Græcum pingebant, ſiquando uti breviatione vellent: putavit enim eſſe A, qua breviatione Auguſtious indicaretur.

Neque etiam ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum.

Sed neque etiam conveniuot Aurelio notæ, quas diximus, etſi litera prædicta favere videatur: nam licet ab Imperatore edictum acceperit, acceptoque epiſtolam dederit ad Epiſcopos, qua ſubſcribere damnationi hæreticorum mandaret; mandavit tamen pro juris ſui modulo, id eſt, ſolis Byzacenæ & Arzugitanæ provinciæ, aut ſummum, Africæ Epiſcopis. Deinde oulla ſit Chryſoſtomi mentio in epiſtola quam dedit. Denique ſi quid ejuſmodi accepiſſet a Pelagianis, procul dubio noo celaſſet Auguſtinum, nec Auguſtinus ipſe ſiluiſſet, cum omnia ioter conjuratos amicos eo uſque fuerint, hoc in negotio aliiſque ad eccleſiaſticum regimen pertinentibus, communia, ut Aurelii Auguſtinus fuerit pene mens, animuſque & manus.

Imo neque ad Bonifacium Papam.

Imo neque conveniunt eædem iſtæ notæ Bonifacio, licet ſummo Pootifici. Nam quamvis in ſua ditione haberet Siculos, & ſua ipſos auctoritate poſſet ad ſubſcribendum cogere; nullam tamen legitur epiſtolam ſcripſiſſe, ſive quæ mandatum ſobſcribendi, ſive quæ laudem Chryſoſtomi contineret. Quomodo enim ſi fuiſſet aliqua, ſiluiſſent hujus temporis ſcriptores, cæteroquin tam diligentes io recenſendis Pontificum, conciliorumque decretis adverſus Pelagianos? Quomodo prætermiſiſſet Proſper tam curioſus rerum Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, & Cæleſtini ſcrutator? Quomodo tacuiſſet Auguſtinus ipſe, cum tam avide uodecumque conquirat argumenta, quibus Pelagianos a ſede apoſtolica damnatos demonſtret.

Libris 4. ad Bonif.

Accedit, quod ſi Bonifacius ullam a Pelagianis accepiſſet epiſtolam tanti momenti, quanti iſta eſt, acceptam procul dubio miſiſſet ad Auguſtinum, perinde atque alias duas, refutandam.

Deinde, hoc primum libello videtur facta a Pelagianis appellatio ad œcumenicam ſynodum: ſcriptus eſt igitur ante duas Pelagianorum literas, quas Bonifacius per Alipium in Africam tranſmiſit ab Auguſtino confutandas. nam in libro quarto confutationis, capite ultimo, mentio ſit tum appellationis hujuſcemodi, tum exactæ, vel, ut aiebant hæretici, extortæ a ſimplicibus Epiſcopis ſubſcriptionis. Quod ſi exacta ſit ſubſcriptio ab Epiſcopis oonnullis, certe per epiſtolam, cui rebelles Siculi reſpondent. Verum

135

rum epiſtola iſta non fuit Bonifacii, ut jam oſtenſum eſt; neque vero eſſe potuit, alioqui debuiſſet ſcribi ante Kalend. Jul. ann. 419. quo tempore Bonifacius tradidit Alipio deferendas Auguſtino literas, in quibus Epiſcoporum pertinacia adverſus ſubſcribendi mandatum, utique jamdudum promulgatum, provocatioque ad ſynodum continebatur. Neque tamen ante Kalend. Jul. ſcribi potuit: quomodo enim Bonifacius auctoritate nondum ſatis probata, nondum victor de Eulalio, cujus partibus Pelagiani favebant, tantum decretum edidiſſet? vix enim Kalendis ipſis Juliis ann. 419. pacifice ſedem apoſtolicam, pulſo cum ſuis Eulalio, tenebat.

Sed ad Zoſimum, quod pluribus argumentis conficitur.

Reſtat igitur opinari, Zoſimo oblatum fuiſſe hunc libellum; & vero huic opinioni omnia admirabiliter conſentiunt.

Nam primo, habebat ſanctus Pontifex in ſua dioeceſi Siculos, apud quos agitabatur illa præcipue pars hæreſis Pelagianæ, propter quam defendendam ſcriptus videtur libellus.

Deinde, prolixiſſimam ad univerſos orbis Epiſcopos epiſtolam miſit, cui tanquam fidei regulæ, ſubſcribere deberent, quicumque ſuam fidem Eccleſiæ probatam vellent. In illa vero non tantum tota Pelagii Cæleſtiique cauſa continebatur, ſed etiam teſtimonia Patrum adverſus hæreſim damnatam.

In Comm. c. 1. & lib. Subnot. cap. 7. Lib. de pecc. orig. c. 21.

Id teſtatur Mercator in Commonitorio. Mercatori conſentit Auguſtinus in hæc verba: *Alia quoque ipſius Cæleſtii in urbe Roma, in qua diutiſſime vixerat, atque in his fuerat prius ſermonibus contentionibuſque verſatus, cura fidelium fratrum prolata patuerunt. Quæ literis ſuis, quas conſcripſit per totum orbem perferendas Papa Zoſimus, execranda, ſicut legere poteſtis, attexuit, ubi Pelagius*, &c.

Lib. 6. in Jul. c. 4. ſub. fin.

Tertio, paſſus eſt Zoſimus a Juliano calumniam, quaſi prævaricationis reus eſſet. Auguſtinus. *Quale eſt autem, quod beatæ memoriæ Zoſimum apoſtolicæ ſedis Epiſcopum, ut in tua perverſitate perſiſtas, prævaricationis accuſas, qui non receſſit a ſuo prædeceſſore Innocentio, quem tu nominare timuiſti, ſed maluiſti Zoſimum, quia egit primitus leniter cum Cæleſtio, quoniam ſe in his ſenſibus veſtris, ſi quid diſpiceret, paratum eſſe dixerat corrigi, & Innocentii literis conſenſurum eſſe promiſerat.*

Lib. 1. op. imperf. c. 17.

Denique Julianum Zoſimo duas miſiſſe epiſtolas, priuſquam adverſus Auguſtinum ſcriberet, unanimi conſenſu confitentur Julianus atque Auguſtinus. Cum enim Julianus dixiſſet: *Facit quoque Auguſtinus epiſtolæ mentionem, quam a me ait Romam fuiſſe directam; ſed verba, quæ poſuit, nequivimus, quo de ſcripto loqueretur, agnoſcere. Nam ad Zoſimum quondam illius civitatis Epiſcopum ſuper his quæſtionibus duas epiſtolas deſtinavi; verum eo tempore, quo adhuc libros exorſus non eram.* Auguſtinus reſpondet: *Hæc epiſtola non eſt ad Zoſimum, ſed ad eos ſeducendos, qui Romæ poſſent tali ſuaſione ſeduci; ſed ſi eam non cognoſcis, ecce non ſit tua, utinam & illi libri non eſſent tui, ſed alieni*, &c.

Scriptus vero eſt libellus ann. 418. circiter Septembrem, vel Octobrem menſem.

Ex his autem ita comprobatis, liquido patet, libellum fidei, de quo nunc agitur, ſcriptum fuiſſe ann. 418. circiter menſem Septembrem, aut etiam Octobrem: ſcriptus enim eſt, miſſuſque ad Zoſimom, poſt datas ab ipſo literas ad omnes orbis Epiſcopos; datæ ſunt vero XVI. Kal. Maias ejuſdem anni. Ergo cum Zoſimus obierit die 26. Decembris ejuſdem anni, & libellum tamen hunc acceperit ante obitum, nec acceperit priuſquam ſuæ dioeceſis Epiſcopis ſubſcribendum mandaſſet, non videtur poſſe tempus, quo conſcriptus eſt libellus, commodius collocari, quam in medio intervallo, quod ab miſſa tractoria Zoſimi ad ejuſdem obitum interceſſit.

Scriptum a Juliano ſex argumenta probant.

Jam vero ſcriptum a Juliano loquuntur hæ literæ quatuor, I. V. L. I. a Sirmondo, ut erant in codice manuſcripto, ex figuris pene evaneſcentibus expreſſæ; & ut literæ ſilerent, quem alium auctorem poſſet demonſtrare ratio temporis, ſcribendi occaſio, ſtylus, ſpiritus ſcribentis & doctrina, ac locus Chryſoſtomi laudatus?

Ratio temporis.

Et ratio quidem temporis: nam confectum eſt certis argumentis, libellum hunc ſcriptum eſſe, miſſumque ad Zoſimum ann. 418. Quo tempore duas ſe ad Zoſimum literas de quæſtionibus Pelagianorum dediſſe Julianus affirmat, ſimulque aperte negat, primam ex duabus, quas Auguſtinus refellit, ſuam eſſe. Secundam agnoſcit, ſed neutra eſt ad Zoſimum.

Occaſio ſcribendi.

Deinde occaſio ſcribendi: miſſus eſt enim ad Zoſimum libellus nomine eorum, qui cum ad ſubſcribendum damnationi hæreticorum, auctoritate ſummi Pontificis compellerentur, pertinaciter tamen detrectarent. Marius Mercator teſtatur literas, quas Julianus dedit ad Zoſimum, unas ſaltem, eadem occaſione conſcriptas; nec verbo tantum teſtatur, ſed unius quoque epiſtolæ fragmentum refert, Julianumque ita compellat: *Audi nunc & tu, & qui me, & te dignanter habuerint legere, quid contra hunc ſenſum tuum impiiſſimum, praviſſimum, impudentiſſimum, petulantiſſimumque olim ipſe pronuntiaveris, in epiſtola videlicet tua, quam ad ſedem apoſtolicam illo tempore auſus es mittere, quando conventus detrectaſti, cum univerſa Eccleſia per totum orbem, Pelagium Cæleſtiumque damnare.*

Lib. Subnot. cap. 7.

Stylus Juliani & ſpiritus.

Accedat, quod ipſemet Julianus prodat ſe ſatis, ſaltem eruditis oculis, non tantum ſtylo, quo utitur, metaphoris abundante, ſed etiam ſcribendi ſpiritu, qui ſæpe vel intumeſcit ad arrogantiam, vel in jactantiam vaneſcit.

In libel. par. 4. num. 9.

Quid enim iſta periodo metaphoricum magis? *Certum ſit igitur apud ſanctitatem veſtram, quia quantumlibet hoc mare ventis flantibus intumeſcat, & amaris in nos fluctibus efferatur, nunquam integri judicis domum, quæ ſupra Chriſti juſtitiam fundata eſt, poterit commovere.*

Quid arrogantius, jactantiuſque homine ſummum Pontificem, & caput totius Eccleſiæ ſic alloquente? *Hæc, ut nobis ſecundum regulam catholicam viſum eſt, veſtræ ſanctitati conſcripta tranſmiſimus, quæ ſi aliter putatis tenenda, reſcribite; ſin autem contradici iſtis non poteſt, & tamen aliquis voluerit contra nos ſcandalum concitare, certa ſit ſanctitas veſtra, nos ad audientiam plenariæ ſynodi provocaſſe.*

Ibid. num. 1.

Atque propria doctrina.

Nihil attinet dicere de doctrina, cum unicuique, vel obiter intuenti, conſtare poſſit, eamdem hoc in libello contineri, quæ in aliis Juliani libris indubitatis, & præſertim in epiſtola ad Rufum Theſſalonicenſem, ubi totus eſt in laude liberi arbitrii, naturæ humanæ, nuptiarum, & ſanctorum veteris Teſtamenti; iiſdemque utitur teſtimoniis Scripturæ, imo & iiſdem verbis, ut ex notis facile conſtabit.

Locus Chryſoſtomi laudatus.

Sed ut omnia alia indicia ancipitem facerent conjecturam, certam fidem facit prolatum Chryſoſtomi teſtimonium, quod contra peccatum originale in libello fidei primum, deinde in quarto libro adverſus S. Auguſtinum a Juliano allatum eſt: iiſdem enim verbis in utroque loco exponitur, prout videre eſt apud S. Auguſtinum.

Lib. 1. adverſ. Jul. cap. 6.

Cujuſmodi notæ ſubjunguntur.

Porro autem, annotare in librum nihil admodum eſt in animo, præterquam quæ eruditionis ſive hiſtoricæ, ſive alterius exquiſitioris fuerint, maxime cum ad alios fidei libellos animadverſa ſint hactenus plura, & in exponendis dogmatibus immorari nec deceat, nec etiam liceat. Id unum tamen conabor oſtendere, quo defendam Auguſtini judicium, Julianum Neſtorianæ hæreſis, ſin minus convinci, ſaltem in ſuſpicionem merito, eamque non levem vocari poſſe.

Multa Julianus, perinde ac Pelagius & Cæleſtius, ſuperflua proſecutus eſt.

Idipſum præſtitit Julianus in prima parte, quod Pelagius & Cæleſtius. *Multa, de quibus non interrogabatur, diſſeruit, & ab unitate Trinitatis, uſque ad reſurrectionem carnis, quod ab illo nemo quærebat, diſputationem quantam voluit, terminavit.*

Auguſt. lib. de grat. Chriſt. cap. 32.

Non ſecutus eſt Romanum ſymbolum, ſed orientale idque maligna mente.

CREDIMUS IN DEUM, &c.] Idem habet iiſdem verbis Pelagius atque Cæleſtius: omnes vero, quod forte quiſpiam miretur, non Romanum ſymbolum vetus, ut decebat Latinæ gentis homines, ſed Orientale, ſeu Nicænum ſecuti ſunt. Nam in vetere Romano, teſte Rufino Aquilegienſi, nulla mentio erat, neque *creatoris cæli & terræ*, neque *viſibilium & inviſibilium conditoris*; ſed ſimpliciter legebatur: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Verum inter-

In explicatione ſymboli.

intererat Pelagianorum Orientale ſequi, partim ut ſe conſortes facerent Nicænæ fidei; partim ut adverſus Manichæos ea præmitterent, ex quibus maligne poſtea ſumere conarentur argumenta, adverſus peccati originalis defenſores, quaſi in hac parte Manichæis faverent.

Iterum maligna mente ad faciendam catholicis invidiam.

Et in Dominum Jesum Christum, &c.] Pelagius cum Cæleſtio iiſdem quoque verbis, eandem ſententiam exprimunt, repetuntque, *omnia per Filium creata*; ut quanto magis invehuntur in Manichæos opinantes, inviſibilia a bono Deo, viſibilia a malo facta, tanto majorem catholicis, quos invidioſo Manichæorum nomine appellaturi ſunt poſtea, invidiam præparent.

De Spiritus ſancti proceſſione ſentit cum Theodoro Mopſueſteno.

Credimus et in Spiritum sanctum, &c.] Eadem verba ſunt apud Pelagium, atque Cæleſtium, dicunt vero communiter de Patre procedere Spiritum, & ſilendo negant, ut opinor, procedere a Filio; quippe ſecuti communem magiſtrum Theodorum Mopſueſtenum, cujus ſunt hæc verba: *Et in Spiritum ſanctum, quem neque Filium, neque per Filium exiſtentiam accepiſſe putamus.*

Part. 4. ſymboli.

Et forte cum Neſtorio de unione naturarum in Chriſto.

Non ut per conversionem Deus, &c.] Pelagius & Cæleſtius. *Aſſumendo hominem, non permutando deitatem.* Dicuntur iſta catholico ſenſu a Patribus adverſus Apollinarium, ut Theologi ſolent interpretari; non carent tamen hoc in loco ſuſpicione hæreſis, ubi afferuntur a Theodori diſcipulis, utique magiſtri ſenſum hæreticum catholica ſententia tegentibus. Certe vox aſſumptionis, prout uſurpata eſt primum a Theodoro, deinde a Neſtorio, ſuſpecta fuit ſancto Cyrillo, quippe quæ apud iſtos ſignificaret unionem pure moralem: quo ſenſu dicitur ab Evangeliſta Chriſtus *aſſumpſiſſe Petrum, Jacobum, & Joannem.* Unde Felix Papa & martyr laudatus in Epheſina ſynodo: *Filius Dei*, ait, *non aſſumpſit hominem, ut eſſet alius præter ipſum; cum eſſet Deus perfectus, factus eſt ſimul & homo perfectus*, &c. Qua loquendi forma aiunt Scholaſtici ſenſum catholicum ab hæretico diſtinctum fuiſſe, quia Filius Dei non aſſumpſit hominem, ſed humanitatem: homo enim perſonam ſignificat, humanitas naturam. Nam ſi aſſumpſiſſet hominem, aſſumens alius eſſet ab aſſumpto: at ſi aſſumpſit humanitatem, vere homo factus eſt, & non eſt alius aſſumens quam aſſumptus.

In reſponſ. ad Theodoretum & in epiſt. ad Succeſſum.
Luc. 9. v. 28.
1. part. actione 1.

Rurſus neſtorianizat.

Ut ascenderet ad Deum homo, &c.] His verbis, quæ catholico ſenſu adhibentur a Patribus, ad ſignificandam Verbi exinanitionem, & humanitatis evectionem, Neſtorius tamen cum aliis Theodori diſcipulis abuſus eſt, ad negandam ἕνωσιν φυσικὴν, & ὑποστατικὴν puram ſupponendam. *Videt Deus*, inquit, *naturam collapſam, eamque deitatis potentia apprehendit eliſam, & illam tenens, & manens quod erat, in altum ſublevavit. Exempli cauſa quod dicitur, noſce; ſi jacentem levare volueris, nonne continges corpus corpore, & te ipſum illi conjungendo, eliſum eriges, atque ita illi conjunctus ipſe manes, quod eras; ſic & illud Incarnationis ſacramentum.*

Sermone de Incarn. apud M. Mercat.

Suſpectus locus.

Ex duabus igitur substantiis, &c.] Eadem habent iiſdem fere verbis Pelagius atque Cæleſtius, niſi quod Theodori venenum minus occulte tradunt. Aiunt enim: *Sic confitemur in Chriſto unam Filii eſſe perſonam, ut dicamus duas eſſe perfectas atque integras ſubſtantias.* Quæ licet a catholicis paſſim uſurpata ſint adverſus Apollinarium, non carent tamen ſuſpicione erroris, cum proferuntur ab hiſce Theodori diſcipulis: his enim Theodorus atque Neſtorius texerunt hæreſim, qua duos in Chriſto filios aſtruere moliebantur, ut ſubtiliter animadvertit Marius Mercator. Ex vero cum Neſtorius unius in Chriſto perſonæ meminiſſet, reprehenſus eſt a Cyrillo, quia perſonæ nomen non phyſico, ut aiunt, ſenſu pro hypoſtaſi, ſed morali, prout ſignificat quiddam juris, ſumebat. Deinde non unam ſimpliciter veterator perſonam dixit, quod notandum, ſed unam Filii. quo dicto potuit cavillari more Theodori ita loquentis: *Et neque duos dicimus filios, nec duos dominos, quoniam unus Filius ſecundum eſſentiam, Verbum Deus, unigenitus Filius Patris, cui iſte conjunctus particepſque divinitatis, communionem habet filii nuncupationem & honorem: nihilominus qui Dominus ſecundum eſſentiam Deus Verbum eſt, cui quia conjunctus iſte & ſociatus eſt, communionem habet honoris cum illo; & propterea neque duos dicimus filios, neque dominos duos, quoniam in manifeſto exiſtente, qui ſecundum eſſentiam Dominus & Filius eſt, inſeparabilem habens ad eum conjunctionem & ſocietatem, is qui pro noſtra ſalute aſſumptus eſt, confertur tam nuncupationi quam honori & Filii & Domini, non ſicut unuſquiſque noſtrum ex ſe exiſtens appellatur filius Dei, unde & plures filii Dei dicimur ſecundum beatum Apoſtolum Paulum; ſed ſingulariter hoc habens, ideo quod Deo Verbo conjunctus eſt, dignitatis filii & dominationis particeps, aufert quidem omnino duorum dominorum & filiorum intelligentiam; præſtat autem nobis in conjunctione Dei Verbi omnem habere fidem, omnemque intellectum & contemplationem. Ob hæc & venerationem ex Dei ſocietate ab omni percipit creatura.*

In ref. ſymb. Theod.
Epiſt. 2. ad Cyrillum lib. de recta fide ad Reginas. num. 12.
Vide notas ad 1. tract. Neſtorii contra Pelag.
In ſymbol. n. 8.

Maligna cautio.

Absque sola peccati macula, quæ naturalis non est, &c.] Eadem verba poſuerunt Pelagius & Cæleſtius: omnes vero viam ſibi faciebant hac loquendi forma, ad peccatum originale abnegandum. Vide quæ dicta ſunt in notis ad caput 2. Subnotationum.

Pelagianus error de cauſa Incarnationis.

Illa scilicet ratione, ut universum mundum, &c.] Proprius hic Pelagianorum error, quanquam & ipſe a Theodoro acceptus eſt, veniſſe Chriſtum, non ut auxilio, ſed ut magiſterio atque exemplo prodeſſet. *Solent*, inquit Auguſtinus, *dicere nobis, in eo Chriſtum ad non peccandum præbuiſſe adjutorium, quia juſte ipſe vivendo, juſteque docendo, reliquit exemplum.*

Lib. de grat. Chriſt. c. 2. 35. 37. & 38. &c.

Calumnia in catholicos.

Non sui, sicut quidam volunt, causa peccati, &c.] Hac calumnia Cæleſtius catholicos onerabat, unde Auguſtinus. *Proinde iſte quod addidit nos dicere*, Chriſtum & a peccatis liberum non fuiſſe, ſed carnis neceſſitate mentitum, & aliis maculatum fuiſſe delictis; *viderit a quibus audierit, vel in quorum literis legerit. quod quidem fortaſſe non intellexit, & in ſenſus calumnioſos malitia fallente convertit.* Legere ſibi viſus erat in dialogo Hieronymi, quod fugit Auguſtinum benigne amici verba legentem. Vide quid obſervatum ſit ad libellum Pelagii.

Lib. 1. ad Boniſ. cap. 12.

Conſenſio cum Neſtorio.

Hunc igitur secundum carnem dicimus passum, &c.] Pelagius & Cæleſtius. *Nos autem dicimus ſuſceptum ita a Filio Dei paſſibile noſtrum*, &c. Duas paſſionis Chriſti cauſas Julianus affert, ut mortem deſtrueret, & nobis viam reſurrectionis aperiret, id eſt, propter remiſſionem peccatorum; & cœli viam aperiendam tacet, & tacendo reipſa negat mortuum ad promerendam nobis gratiam, qua non peccemus, & bene agamus. Pelagius vero perfecte νεστοριανίζει de impaſſibilitate Filii Dei, & de unione Verbi cum humana natura, quæ ſit pura ἐνοίκησις.

Tegitur Pelagianiſmus de gratia.

Unam vitam sanctorum omnium fore, &c.] Idipſum Pelagius Cæleſtiuſque iiſdem verbis, & eo conſilio, ut ex dogmate catholico evertere conarentur neceſſitatem gratiæ divinæ ad bene agendum, perinde quaſi ex gratiæ divinæ confeſſione foret conſequens, ut vel injuſtum, vel ſuperfluum eſſet Dei judicium, fatoque fierent omnia, quæ ad pietatem & ſalutem, operante gratia divina, pertinerent.

Et de peccato originali.

Baptisma secundum exemplum, &c.] Pelagius. *Baptiſma unum tenemus, quod iiſdem ſacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, aſſerimus eſſe celebrandum.* Cæleſtius. *Infantes debere baptizari in remiſſionem peccatorum, ſecundum regulam univerſalis Eccleſiæ, & ſecundum Evangelii ſententiam confitemur, quia Dominus ſtatuit regnum cœlorum nonniſi baptizatis poſſe conferri*, &c. Julianus iterum. *Baptiſma omnibus eſſe ætatibus neceſſarium confitemur.* Celebris eſt hic locus, & ſæpe a Auguſtino tractatus, nec immerito: continet enim medullam Cæleſtianæ fraudis. Nam licet hæretici, ut reſponderent argumentis catholicorum, ex baptiſmo parvulorum peccatum originale probantium, faterentur octo iſta, unicum eſſe baptiſmi ſacramentum a

In libel. fid. part. 13.
Lib. de pecc. orig. cap. 5.
Lib. 2. ad Boniſ. cap. 5.

 Chriſto

Chriſto inſtitutum; illud omnibus ætatibus neceſſarium, & quidem tum ad veniam peccatorum, tum ad regnum cœlorum obtinendum; iiſdem verbis celebrari in infantibus, atque in majoribus; infantes ipſos baptizari in remiſſionem peccatorum; eam eſſe regulam univerſalis Eccleſiæ, & Evangelii ſententiam; parvulos egere Chriſti redemptione; Chriſtum pro ipſis quoque mortuum: negaverunt tamen traduci peccatum ab Adamo in poſteros. Cæleſtius. *In remiſſionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur*, &c. imo ad declinanda catbolicorum argumenta, dicere ſolebant, BAPTISMI MEOICINAM NON ESSE MUTANDAM PRO CAUSIS, SED OPERARI PRO PERSONIS, HABERE IN INFANTIBUS GRATIAM QUOO ADOPTET, NON HABERE UNOAM QUOO ABLUAT; CHRISTUM QUOS FECIT CREANOO BONOS, FACERE INNOVANOO ADOPTANOOQUE MELIORES; NON BAPTIZARI PARVULOS IN REMISSIONEM PECCATORUM, SED IN REGNUM COELORUM; HOC REGNUM, QUOD NON HABENT VIRES NATURÆ, CONFERRI LARGITATE GRATIÆ; SCIRE SE QUO PARVULI SINE BAPTISMO MORIENTES NON EANT, NESCIRE QUO EANT.

In libell. Romam miſſo apud Aug. l. de pecc. orig. c. 6.

Lib. 1. oper. imperf. c. 51. Hypog. lib. 5. Lib. 1. op. imp. cap. 51. Lib. 1. ad Bonif. c. 22. Cæleſtius in libello.

Pelag. apud Aug. lib. de pecc. orig. c. 21.

Et de impeccantia, atque remiſſione peccatorum.

EUM QUI POST BAPTISMUM PECCAVERIT, &c.] Idipſum Pelagius adverſus Novatianos. Cæleſtius. *Eum qui poſt baptiſmum lapſus fuerit, primo per reconciliationem, deinde per pænitentiam credimus poſſe ſalvari.* Verum duplex vitium texerunt ſententia catholica. Alterum Cæleſtius, *quod pænitentibus venia non daretur ſecundum gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundum merita & laborem eorum, qui per pænitentiam digni fuerint miſericordia*; alterum communi omnes ſententia: inde nimirum efficere conati ſuam ἀναμαρτησίαν.

Lib. de geſt. Palæſt.

De canone librorum ſacrorum.

NOVUM ET VETUS TESTAMENTUM, &c.] Iiſdem verbis Pelagius & Cæleſtius, omnes maligne, licet in ſpeciem pie: cum enim Manichæi vetus Teſtamentum ex toto, novum ex aliqua parte rejicerent, conati ſunt Pelagiani defenſoribus peccati originalis, quos ſocietatis cum Manichæis accuſabant, eamdem invidiam facere, perinde quaſi ſentire deberent contra Pelagianos, etiam in hac parte. Vide quæ dicta ſunt in notis ad libellum Pelagii invidiam facientis S. Hieronymo.

Porro autem non nemini poſſet mirabile videri, quomodo aſſerant hæretici, ſe in illo numero librorum recipere ſacram ſcripturam, quem Eccleſiæ catholicæ tradit auctoritas: nam vel in Romanum canonem reſpiciunt, quem Innocentius I. ad Exuperium Tholoſanum miſit; vel in Africanum, qui Romano plane ſimilis babetur in concilio Carthaginenſi, quod tertium vulgo dicitur: uterque vero librum Sapientiæ inter canonicos complectitur, cum tamen non cenſeretur ab iis hominibus, de quibus Hilarius ad Auguſtinum ſcripſit. Verum admirationis cauſa facile tollitur, ſi Pelagiani ipſi a Maſſilienſibus diſcernuntur: illi enim librum Sapientiæ in canonem retulerunt, quamquam non admodum affirmanter, ut ex opere imperfecto de Juliano conſtat; illi rejecerunt, poſtquam ſuis rebus incommodare ſenſerunt. certe alius alibi canon ſacrorum librorum tunc temporis recipiebatur.

Epiſt. 3. cap. 7.

Epiſt. quæ præfigitur lib. de prædeſt. SS.

Quis fuerit ea tempeſtate in Eccleſia Gallicana.

Sed hinc oritur quæſtio, quem ea tempeſtate canonem Gallicana Eccleſia ſequeretur, an Hieronymianum, in quo liber Sapientiæ non cenſebatur; an Romanum, in quo erat. Reſpondendum puto, non eumdem apud omnes Galliarum Eccleſias ſervatum, ſed Hieronymianum in quibuſdam, in nonnullis alium: ideoque Exuperium in tanta differentia ab Innocentio petiiſſe, quem ſequi deberet.

Opinor igitur in ea ſaltem parte, ubi degebant illi, de quibus Hilarius ſcribebat, canonem Hieronymianum auctoritatem babuiſſe. Quis enim credat abhorruiſſe a communi ſenſu Eccleſiarum, in quibus vivebant, ſanctos illos viros, qui tunc in Galliis Auguſtino adverſabantur.

Epiſt. cit.

Quis in Italia.

Quod ſi quis iterum quærere voluerit, quem canonem ſequeretur ea tempeſtate Italia, reſponſum accipiet ab Innocentio I. reſcribente ad Exuperium: eumdem enim recenſet numerum librorum canonicorum, quem Tridentina ſynodus, & Eccleſia catholica nunc recipit. Unde redarguas hæreticorum hujus temporis audaciam, qui libros Machabæorum a *canone ſanctarum ſcripturarum* repellunt, cum initio quinti ſæculi in eo cenſerentur.

Epiſt. 3. c. 7.

Pars altera libelli reſpondet omni ex parte epiſtolæ a Juliano ad Rufum Theſſalonicenſem ſcriptæ eodem tempore, & eorumdem Epiſcoporum nomine. Continentur enim & in hac, & in illa *nebulæ*, verba ſunt Auguſtini, *quæſtionum, in quibus Pelagianorum apud homines ſimpliciores, ſive tardiores, ſive ſanctis literis minus eruditos, impietas deliteſcat. Hæ ſunt nebulæ de laude creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrii, laude ſanctorum, quaſi quiſquam noſtrum iſta vituperet, ac non potius omnia in honorem creatoris & ſalvatoris debitis laudibus prædicet.*

Qualis altera pars libelli.

Lib. 3. ad Bonif. c. 8.

Vide cap. 9. & cap. 10.

Obſervandum porro, quam ſubtiliter Auguſtinus omnes hæreſis Pelagianæ partes ad tria capita revocet, ad quæ confirmanda, oſtendat hæc & alia ejuſmodi plurima a Pelagianis referri; *ne ſit peccatum originale; ut gratia Dei, qua juſtificamur, non gratis, ſed ſecundum merita noſtra dari dicatur; ut in homine mortali tanta ſit aliquando juſtitia, ut ei non ſit neceſſaria, etiam poſt regenerationis lavacrum, donec vitam iſtam finiat, remiſſio peccatorum.*

Ibid.

Nam, ut ait, *in his omnibus quidquid dicunt de laude creaturæ atque nuptiarum, ad hoc referre conantur, ut non ſit originale peccatum. Quidquid de laude legis & liberi arbitrii, ad hoc, ut gratia non adjuvet, niſi meritum, ac ſic gratia jam non ſit gratia. Quidquid de laude ſanctorum, ad hoc, ut vita mortalis in ſanctis videatur non habere peccatum, nec ſit eis neceſſarium pro dimittendis debitis ſuis precari Deum.* Et poſtea: *Ad hæc tria mala homines incautos, & ineruditos quinque illorum bonorum fraudulenta laude ſeducunt. De quibus omnibus ſatis me exiſtimo reſpondiſſe eorum crudeliſſimæ, & impiiſſimæ, & ſuperbiſſimæ vanitati.*

Lib. 4. c. 1.

Ibid. c. 7.

DIVINÆ LEGIS MANOATA OE DEI JUSTITIAM.] Pelagius Juliano concinit: *Execramur etiam eorum blaſphemiam*, &c. in epiſtola ad Demetriadem. *Aſcribimus iniquitatem juſto, pio crudelitatem, dum eum primo impoſſibile aliquid præcepiſſe conquerimur. Deinde pro his damnandum putamus hominem, quæ vitare non potuit, ut quod etiam ſuſpicari ſacrilegium eſt, videatur Deus non tam noſtram ſalutem quæſiviſſe, quam pænam*, &c. Cæleſtius ratiocin. 15. *Certe Deus juſtus eſt, negari enim non poteſt. Imputat autem Deus homini omne peccatum; & hoc quoque confitendum puto, quia neque peccatum eſt, quidquid non imputabitur in peccatum. At ſi eſt aliquod peccatum, quod vitari non poſſit, quomodo juſtus Deus dicitur, ſi imputare cuiquam creditur, quod vitari non poſſit?*

De poſſibilitate præceptorum Dei. *Cap. 16.*

Apud Aug. lib. de perf. juſt.

FATEMUR UNIVERSA POSSE COMPLERI, &c.] Idipſum habet uterque alius hæreticus; ſed Pelagius omnium mentem aperuit in ſynodo Dioſpolitana. *Poſſe quidem hominem eſſe ſine peccato, & Dei mandata cuſtodire, ſi velit, diximus: hanc enim poſſibilitatem Deus illi dedit. Non diximus, quod inveniatur aliquis ab infantia uſque ad ſenectam, qui nunquam peccaverit; ſed quoniam a peccatis converſus proprio labore, & Dei gratia, poſſit eſſe ſine peccato, nec per hæc tamen in poſterum inconvertibilis.* Quæ verba cum examinaſſet Auguſtinus, ea non tantum ambigua, ſed etiam erroris plena demonſtravit.

De impeccantia.

Apud Aug. l. de geſt. c. 6.

Lib. de geſt. c. 7. & ſeqq. & lib. toto de gratia Chriſti.

QUÆ OMNIBUS BONIS ACTIBUS, &c.] Julianus de gratia Dei pauca ſcripſit, & ea quidem ex ſola fere occaſione, ſi librum de amore excipias, quippe qui Cæleſtianus magis fuerit, quam Pelagianus, ut dictum eſt. Objicienti certe Auguſtino, quod gratiam Chriſti tolleret, ita reſpondit, ut mentem proderet, gratiamque Chriſti, propter quam conferendam venit in hunc mundum, revocaret ad creationem, incarnationem, adoptionem in baptiſmo, exemplum, & remiſſionem peccatorum. Locus dignus eſt, qui conſulatur.

De gratia Dei.

Diſſert. 1. in Julianum.

Lib. 1. op. imperf. cap. 94.

QUAM TAMEN GRATIAM, &c.] His & conſequentibus verbis Julianus videri poteſt jeciſſe ſemina, ex quibus poſtea originem Semipelagianiſmus duceret: Legendus ſuper ea re Proſper, tum in epiſtola ad Auguſtinum, tum in libro contra Collatorem, & in

Semina Semipelagianiſmi.

Digitized by Google

& in reſponſionibus ad objecta contra gratuitam prædeſtinationem Dei. Non patitur hic locus de tam copioſo argumento diſſerere adverſus indoctas nonnullorum de Semipelagianorum erroribus aſſertiones.

Laus naturæ. Lib. 4. ad Bonif. c. 2.

NATURAM HOMINIS, &c.] Hunc locum admirabiliter illuſtrat Auguſtinus, ubi aperit quæ ad laudem naturæ humanæ dicerent Pelagiani, & quo conſilio ea congererent. *Laudem creaturæ*, inquit, *quod ad genus humanum attinet, unde nunc quæſtio eſt, his ſententiis exequuntur: quod naſcentium conditor Deus ſit, filiique hominum opus ſint Dei, & peccatum omne non de natura, ſed de voluntate deſcendat. Huic laudi creaturæ applicant, quod omnibus ætatibus dicunt eſſe baptiſmum neceſſarium; ut ſcilicet illa creatura in Dei filios adoptetur, non quod aliquid ex parentibus trahat, quod ſit lavacro regenerationis expiandum. Huic laudi adjungunt, & quod Chriſtum Dominum nulla dicunt macula peccati fuiſſe reſperſum, quantum attinet ad ejus infantiam; quia ejus carnem ab omni peccati contagione puriſſimam, non excellentia propria & gratia ſingulari, ſed communione naturæ, quæ omnibus ineſt infantibus, aſſerunt. Eo pertinet etiam, quod de animæ origine inferunt quæſtionem, ſic animæ Chriſti coæquare molientes omnes animas parvulorum, quas volunt eſſe ſimiliter nulla peccati macula aſperſas. Propter hoc etiam dicunt ex Adam nihil mali tranſiſſe per cæteros, niſi mortem, quæ non ſemper eſt malum, inquiunt, cum & martyribus ſit cauſa præmiorum, & vel bonam, vel malam mortem dici faciat, non reſolutio corporum, quæ excitabuntur in omni genere hominum, ſed meritorum diverſitas; quæ de humana libertate contingit.*

Laus item nuptiarum.

NUPTIAS DEO AUCTORE, &c.] Eadem ſcripſerat ad Rufum, referente Auguſtino in hæc verba. *Nuptias vero ſecundum Scripturas laudant, quia Dominus in Evangelio loquitur: Qui fecit ab initio, maſculum & feminam fecit eos; & dixit: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram; quamvis hoc non in eo loco Evangelii, ſed tamen in lege ſit ſcriptum. Addunt etiam: Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. quæ verba evangelica agnoſcimus.*

Matth. 19. v. 4. Geneſ. 1. 28.

Cap. 181.

PROPRIA DIGNITATE CARET, &c.] Eadem ſententia habetur lib. 4. oper. imperf. in quo Julianus Auguſtinum Joviniano componit, pejoremque oſtendere conatur his verbis: *Ille dixit boni eſſe neceſſitatem, tu mali. Ille ait per myſteria homines ab errore cohiberi; tu vero nec per gratiam liberari. Ille virginitatem Mariæ partus conditione diſſolvit; tu ipſam Mariam diabolo naſcendi conditione tranſſcribis. Ille meliora bonis æquat, id eſt, integritatem connubio; tu vero commixtionem conjugii morbidam vocas, & caſtitatem fœdiſſimæ rei collatione deprecias: nec gradum inter hæc addis, non utique bono virginitatem, ſed malo præferens. Eſt autem vilitatis extremæ, niſi teterrimo comparatum placere non poſſe*, &c.

Rejectio peccati originalis.

NATURALE PECCATUM.] Pelagiani peccatum maluerunt naturale dicere, quam originale, ut tanto facerent majorem invidiam peccati originalis defenſoribus, quanto viderentur propiorem habere cum Manichæis affinitatem, qui malam eſſe dicerent hominis naturam. Vide quæ attulimus ex Auguſtino in notis ad primam partem, num. 6.

Auguſtinus curioſe collegit non tantum teſtimonia Scripturæ, ſed etiam argumenta, quibus Pelagiani peccatum originale oppugnabant; idque præſtitit cum alibi paſſim, tum præcipue lib. 2. adverſ. Jul. *Dicitis*, inquit, *nos aſſerendo peccatum originale, diabolum dicere hominum naſcentium conditorem, damnare nuptias, negare in baptiſmo dimitti univerſa peccata, Deum crimine iniquitatis arguere, deſperationem perfectionis ingerere*, &c.

Cap. 8.

Cujuſmodi tertia pars libelli.

Tertiam partem libelli veteratorie poſuit Julianus in iis reprobandis, qui partim adverſus catholicam fidem de Trinitate, partim ſuis dogmatibus contraria ſentiebant: ſed tam nequiter id præſtat, ut facto magis quam verbo calumniam faciat catholicis ſibi adverſantibus, quaſi eadem cum hæreticis omnium odio laborantibus dicerent.

Maligna damnatio Arianorum.

ARIANOS, &c.] Ut Nicænæ ſynodo ſe cum ſuis conſentire oſtenderet, omni ex parte ὁμοούσιος confitetur, rejectis hæreticis, qui vel pluralitatem perſonarum, ut Sabelliani; vel divinitatem, ut Eunomiani; vel conſubſtantialitatem, ut Macedoniani & Ariani oppugnabant. Deinde ex omnibus aliis hæreſibus notis apud Latinos, quatuor eligit quas condemnet, Apollinaris, Novatiani, Joviniani, & Manichæi, ut inde faceret invidiam catholicis peccati originalis defenſoribus; perinde ac ſi ex hac defenſione foret conſequens, ut ſocietate conjungerentur, vel cum Apollinario, qui animas ſicut corpora traduci putabat; vel Novatiano & Joviniano, qui inflexibilem hominis voluntatem dicere videbantur; vel cum Manichæo, qui malam aſſerebat naturam.

Apollinariſtarum.

Hieron. ep. 25. apud Auguſt. Epiſt. 1. ad S. Celeſt. ubique paſſim.

APOLLINARISTAS EORUMQUE SIMILES.] Nota voces iſtas duas, *eorumque ſimiles*: indicant enim calumnioſam Juliani mentem. Nam cum duas Apollinarius fecerit ſuæ hæreſis partes, alteram, quod Chriſto Verbum fuerit pro mente humana; alteram, quod a parentibus non minus anima quam corpus traducatur; utramque catholicis affinxit hæreticus, ſed aliam cum Neſtorio, aut Theodoro potius magiſtro, catholicis omnibus, aliam Auguſtino, &c. cæteriſque peccati originalis defenſoribus.

Hinc autem intellige unam de tribus cauſis, cur Apollinarius voluerit Chriſto Verbum eſſe pro mente humana: non videbat quippe, quomodo, ſi anima eſſet ex traduce, quod omnino aſſerendum putabat, ut peccatum originale defenderetur, ſuum Chriſtus non haberet peccatum originale cum anima traductum. Intellige pariter cur Theodorus Mopſueſtenus tam acriter inſectaretur Apollinarium, nec tamen tanto ſtudio veritatis catholicæ, quanto amore ſuæ hæreſis, qua nullum dicebat eſſe peccatum originale, cui vehementer Apollinarius repugnabat.

Num. 5.

Seſſ. 14. c. 1.

NOVATIANOS, &c.] Et hic quoque maligne petuntur catholici: cum enim duas itidem ſive Novatus, ſive Novatianus voluerit eſſe ſui erroris partes, unam, ut teſtatur Tridentinum concilium, qua negaret, datam eſſe a Chriſto Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata poſt fidem, id eſt, poſt baptiſmum commiſſa; alteram, quæ colligitur ex veteribus ſcriptoribus, ne a Deo quidem remitti omnia peccata, ſed leviora tantum, graviora vero puniri ſemper, in utramque videtur reſpexiſſe Julianus, ut in crimen vocaret defenſores peccati originalis, quaſi vellent, neque per pœnitentiam cordis, neque per ſacramentum pœnitentiæ, peccata, vel omnia, vel omnino tolli; propterea quod, ob remanentem in homine concupiſcentiam, contenderent, neminem eſſe in hac vita, qui non egeat quotidie dicere: *Dimitte nobis debita noſtra.*

Jovinianiſtarum.

JOVINIANISTAS.] Pelagius paulo aliter: *Liberum ſic confitemur arbitrium*, &c. Etſi vero dixerit a Joviniano aſſeri, hominem non poſſe peccare, cum id ab eo non ſit aſſertum ſimpliciter; ſed cum hac exceptione, poſt ſuſceptum lavacrum regenerationis; non videtur tamen idcirco aliter ſenſiſſe de hac hæreſi, quam vel Auguſtinus, in libro *de hæreſibus*, vel Hieronymus, in operibus adverſus Jovinianum, vel Julianus ipſe, in confeſſione fidei, aliique ejuſdem ævi ſcriptores: verbo enim attigit, quod cum reſtrictione intelligi facile poſſet ab omnibus, non ignaris hæreſeos vix non adhuc vigentis.

Lib. 1. ad Bonif. c. 2.

Julianus Auguſtino objecit ſocietatem erroris cum Joviniano, propterea quod ſcripſiſſet, *non poſſe hominem boni aliquid velle, niſi adjuvetur ab eo, qui malum non poteſt velle.* Dictum enim interpretatus eſt, quaſi ſanctus doctor voluiſſet, ab eo, qui Dei gratiam accipit, non tantum voluntatem bonam, quam Deus habet, ſed etiam modum habendæ voluntatis bonæ, quæ neceſſitas, participari. Vide ſuper ea re prolixam inter Julianum & ſanctum Auguſtinum altercationem.

Lib. 4. op. imperf. c. 121. & ſ.

Manichæorum.

MANICHÆOS ETIAM.] de diſcernendis a fide catholica Manichæorum deliriis, ita diſputat in utroque opere adverſus Julianum ſanctus Auguſtinus, ut non ſit aliunde major lux ſperanda, qua pervideantur nefariæ impietatis myſteria. Porro Julianus ait Manichæos ſentire, animam hominis a bono Deo fluxiſſe, carnem

a malo,

137

Lib. de duabus animabus.

a malo, ideoque alteram alteri continenter pugnare: cum tamen ſanctus Auguſtinus hanc pugnam ſcribat a Manichæis refundi in diſparem duarum animarum in uno homine naturam. Verum potuit Julianus nomine carnis animam carnalem, quæ a malo Deo eſſet, intelligere.

Et catholicorum, quibus Julianus inſtruit calumnias novem.
Apud Auguſt. lib. 1. ad Bonif.

EORUMQUE SIMILES, &c.] Eadem omnino ſunt apud Cæleſtium in epiſtola ad clericos Romanos. Accedit vero Julianus ad faciendas catholicis defenſoribus peccati originalis novem calumnias: accuſat enim quaſi aſſererent, nuptias ab auctore diabolo extitiſſe; illarum filios diabolicæ arboris eſſe fructus; omnes uſque ad Chriſti paſſionem propter id, quod de matrimonii voluptate ſuſcepti ſunt, a diabolo jure æquiſſimo poſſideri; Filium Dei tantummodo a tempore paſſionis generi humano cœpiſſe prodeſſe; peccata non penitus deleri in baptiſmo; ſanctos veteris Teſtamenti cum peccato de hac vita migraſſe; hominem in peccatum neceſſitate præcipitari; Salvatorem neceſſitate carnis fuiſſe mentitum; & propter ejuſdem impedimentum non potuiſſe omnia, quæ volebat.

Cap. 53.

NUPTIAS AB AUCTORE DIABOLO, &c.] Hanc calumniam ut removeret a catholicis Auguſtinus, ſcripſit duos libros ad Valerium comitem, de quibus conſule lib. 2. Retractationum. Adverſus primum Julianus compoſuit quatuor libros; octo adverſus ſecundum, quibus reſpondit Auguſtinus utroque contra Julianum opere. Vide diſſert. I.

Locus emendatus.
Apud Auguſt. 1. cont. Jul. c. 15.

MATRIMONII VOLUPTATE.] Legebatur, *voluntate*, ſed vitioſe. Sic enim Julianus ipſe: *Si Apoſtolus de traduce peccati loquebatur, nuſquam congruentius diceret. Ideo pertranſiit peccatum, quia omnes ſunt de conjugum voluptate generati.*

Libell. part. 17.
Lib. 3. ad Bonif. c. 6.

SALVATOREM, &c.] Pelagius iiſdem fere verbis: *Anathematizamus etiam illos, qui Dei Filium neceſſitate carnis*, &c. Illud ipſum catholicis objicienti Juliano in epiſtola ad Rufum ita reſpondit Auguſtinus, ut ſimul oſtenderit, & quo ex loco Apoſtoli a catholicis allato deſumpta ſit objiciendi occaſio, & quomodo locus, alioquin difficilis, ſit intelligendus. *Quem juſtum advocatum*, ait, *abſit ut dicamus, ſicut iſti calumniantur, carnis neceſſitate mentitum; ſed dicimus eum in ſimilitudine carnis peccati de peccato damnaſſe peccatum. Quod fortaſſe iſti non intelligentes, & calumniandi cupiditate cæcati, quam diverſis modis peccati nomen in Scripturis ſanctis poni ſoleat, ignorantes, peccatum Chriſti affirmare nos jactant. Dicimus itaque Chriſtum, & nullum habuiſſe peccatum, nec in anima, nec in carne, & ſuſcipiendo carnem in ſimilitudinem carnis peccati de peccato damnaſſe peccatum. quod ſubobſcure ab Apoſtolo dictum duobus modis intelligitur*, &c.

Declinat invidiam objectorum a catholicis.

SED ET SI QUIS DICIT.] Accedit deinceps ad ea damnanda, quæ catholici ex Pelagianorum dogmatibus concludebant. I. Homines ſine Dei gratia, vel adjutorio poſſe peccata vitare. II. Parvulos vel baptiſmo non indigere, vel non iiſdem ſacramenti verbis debere ipſis, ac majoribus conferri. III. De duobus baptizatis natum, vel de muliere baptizata, non egere baptiſmatis gratia. IV. Neque per Adam omne genus humanum mori, neque per Chriſtum omne genus humanum reſurgere. Ea vero damnat verbis ſubdolis, ut pluribus in locis demonſtrat de aliis Pelagianorum ſcriptis Auguſtinus.

Argumenta quinque, quod Julianus cum Neſtorio ſenſerit de Chriſto.
Primum.

Priuſquam fiat tranſitus ad notas in quartam partem, exolvendam puto fidem, qua promiſi me oſtenſurum Neſtoriani erroris Julianum poſſe convinci, aut certe in ſuſpicionem vehementem vocari. Illud vero conficio quinque argumentis. Nam primo Julianus conjunctus eſt Theodoro Mopſueſteno Neſtorioque arctiſſima neceſſitudine: vixit enim apud utrumque familiariter, & apud Theodorum quidem in Cilicia, cum opus poſtremum contra Auguſtinum ſcriberet; apud Neſtorium vero, quamdiu per Imperatorem licuit eſſe Conſtantinopoli. Fuit autem utriuſque ea indoles, eaque hominum ſuas opiniones depereuntium inſania, ut neminem amarent, niſi conſentientem; omnes deſpicerent, qui aliter ſentirent; adverſantes furioſe odiſſent.

Secundum.
Theod. in ſymb. Neſt.
anath. 1.

Deinde in explicando Incarnationis myſterio, iiſdem cum utroque Chriſti hoſte verbis utitur: uſurpat enim *aſſumptionis* nomen, tunc temporis invidioſiſſimum, & ab utroque hæretico adhibitum. Illud ipſum nomen converſioni opponit, *non ut per converſionem Deus eſſe deſineret, ſed per aſſumptionem carnis inciperet eſſe homo.* Neſtorius. *Si quis ipſum Deum Verbum dixerit verſum eſſe in carnem, quam ſuſcepit, ut inveniretur ut homo*, &c. Julianus. *Ut adſcenderet ad Deum homo, Deus deſcendit ad hominem.* Neſtorius. *Vidit Deus naturam collapſam, eamque deitatis potentia apprehendit eliſam, eliſamque tenens, & manens quod erat, in altum ſublevavit*, &c. Quid multa? Non aliis verbis explicat œconomiam Incarnationis, quam quæ Theodorus & Neſtorius uſurparunt, ambiguis illis quidem, & in utramque partem flexibilibus, ſed tamen compoſitis ex arte Pelagianorum, quibus erat ſolemne ita loqui, ut pro tempore & loco conſonare poſſent auditorum menti.

Ibidem.
Serm. 1.

Tertium.

Tertio, rejicit nominatim hæreticos, qui contra Trinitatis fidem ſenſerunt, Arianos, Sabellianos, Eunomianos, Macedonianos, eiſque dicit anathema; quod non dicit tamen, neque Paulo Samoſateno, neque Photino, neque aliis ejuſmodi Chriſtum purum eſſe Deum blaſphemantibus.

Quartum.

Quarto, quos nominatim execratur hæreticos, Arianos, Apollinariſtas, & Manichæos, horum communionem Neſtoriani catholicis, per calumniam quidem, ſed frequenter & ubique paſſim objiciebant. Imo, quod animadverſione dignum, Apollinariſtas & Manichæos ita damnat, ut addat continuò EORUMQUE SIMILES, quod ſolebant Neſtoriani.

Quintum.

Quinto, non alium finem Incarnationis ſtatuit, quam qui aſſertus a Neſtorianis, nimirum ut Chriſtus præiret exemplo cæteris hominibus, ſibi ſimilibus.

Examinatur Auguſtini ratiocinium.
Lib. 4. oper. imperf. c. 83.

Quid cætera ſpeciatim perſequar, quæ quiſque legendo facile animadvertat? Auguſtinus certe graviter hominem hunc urget negantem, ut quidem videtur Auguſtino, in Virginis utero conjunctas eſſe naturas duas, ſed conjunctionem poſtea meritis voluntatis conceſſam eſſe. Dignus eſt locus, qui exſcribatur, licet prolixior: in eo enim Auguſtinus Julianum Deiparæ virginis hoſtem eſſe nititur oſtendere. *Dicis claro teſtimonio perdoceri*, quod ſuſcepti hominis juſtitia Filio Dei, non de naturæ diverſitate, ſed de voluntaria actione ſubſtiterit. *Itane vero, ne hoc quidem Chriſtus diverſum habuit in natura, quod ita ex Virgine natus eſt, ut jam eſſet, non ſolum hominis, ſed etiam Dei Filius? Ergone iſta ſuſceptio, quæ Deum & hominem unam fecit eſſe perſonam, nihil illi homini valuit ad excellentiam juſtitiæ, quam dicis ei de voluntaria actione ſubſtitiſſe? Siccine vos contra Dei gratiam defenſio liberi arbitrii præcipites agit, ut etiam ipſum mediatorem, ut eſſet Filius Dei unicus, voluntate ſua meruiſſe dicatis, & falſum eſſe, quod tota confitetur Eccleſia, credere ſe in* JESUM CHRISTUM, *Filium Dei Patris omnipotentis, unicum Dominum noſtrum, natum de Spiritu ſancto ex Maria virgine? Secundum enim vos non a Verbo Dei homo ſuſceptus eſt, ut ex Virgine naſceretur; ſed natus ex Virgine, ſuæ poſtea voluntatis virtute profecit, & fecit, ut a Verbo Dei ſuſciperetur, non talem ac tantum voluntatem illa ſuſceptione habens, ſed ad illam ſuſceptionem tali ac tanta voluntate præveniens. Nec Verbum caro factum eſt in utero Virginis, ſed poſtea merito ipſius hominis, & ejus humanæ voluntariæque virtutis. Ex quo vos ſequitur etiam illud, ut quomodo illum creditis a Verbo Dei propterea ſuſceptum eſſe, quia voluit: ſic multos credatis ita ſuſcipi potuiſſe, ſi etiam ipſi ſimiliter voluiſſent, vel poſſe, ſi velint, ac per hoc ſegnitia humanæ voluntatis fieri, ut ille unicus ſit, cum plures eſſe poſſent, ſi homines vellent. Hæc ſi dicitis, ubi eſt veſtra frons? Si non dicitis, ubi eſt hæreſis veſtra?*

Quod difficile videtur.

Verum difficile eſt intelligere, qua ratione ſanctus doctor ex verbis Juliani conficere potuerit, quod conatus eſt. Verba enim videtur accepiſſe in ſenſum alienum: nam Julianus id unum ſuis verbis ſignificare voluit, ut ex ipſo contextu apertum eſt, Chriſtum opera pietatis juſtitiæque, non neceſſitate naturæ, quam diverſam a noſtra nactus eſſet, ſed voluntate libera exer-

Digitized by Google

exercuiſſe quod verum eſt, & ad id quod agebatur, apprima conducens. Neque vero aliter ſentire potuit, ſiquidem naturarum conjunctionem, qua Chriſtus eſt Deus homo, factam dicere debuit io utero Virginis, cum ex Maria ſemper virgine natum aſſerat eum, qui ſecundum divinitatem nunquam defuit Patri. Poſſet igitur aliquis opinari, Auguſtinum idipſum ſenſiſſe de novis Pauli Samoſatem ſectatoribus, quod omnes communiter de Paulo, qui ſuis Chriſtum meritis profeciſſe docuit io appellationem Filii Dei: nec enim adhuc exercuerat ſeſe adverſus hoc hæreticorum genus, qui etſi Chriſtum putarent eſſe purum hominem, ex virgine tamen aſſerebant prodiiſſe conjunctum Verbo Dei, qualitercumque tandem conjunctus foret. Verum hac de re dicemus copioſius ad poſteriorem partem operum Mercatoris, ubi futura eſt diſſertatio de hæreſi Neſtorii, quam Caſſianus, ſcriptorque epitaphii hæreſis Neſtorianæ ac Pelagianæ, aliique non pauci, propter anticipatam opinionem, non ſatis intellexerunt.

Et forte præjudicio non certo innixum.

Pro Juliani defenſione afferre poſſet quiſpiam nonnulla confeſſionis verba, quibus contra Neſtorium loqui videatur: ait enim, *miſſum eſſe Dei Filium, natum ex Maria ſemper virgine, redemiſſe mundum patiendo, mortuum eſſe, ac ſurrexiſſe, ut mortem deſtrueret*; quæ Neſtoriani ferre non poterant. Verum cum hæc eadem verba Theodorus, imo & Neſtorius aliquando uſurpaverint, diſſimulare poſſunt hæreſim, purgare non poſſunt, ut ea, quam promiſimus, diſſertatione manifeſtum fiet.

Quæ in quarta parte libelli notanda.

Tota fere quarta pars libelli diſſertatione 4. quæ de ſubſcriptionibus eſt, explicatur: quare brevius ſingula attingenda ſunt, imo eatenus tantum, quatenus vel ad hiſtoriam ſpectant, vel iis, quæ ſunt apud Auguſtinum, reſpondent.

De libellis Pelagii & Cæleſtii.

Hæc autem omnia, &c.] Alludit ad libellos Pelagii, Cæleſtiique, & præſertim ad literas Pelagii ad Innocentium, quibus verſipellis hæreticus mentem ſuam ſic exponere videri voluit, ut perpetuum faceret fucum, verbis nempe ambiguis, & propter ſignificationis amplitudinem commutabilibus in varios ſenſus. Vide Auguſtinum *lib. de gratia Chriſti*, in quo & libellum, & literas Pelagii examinat.

Hæc ut nosta, &c.] Inſolens periodus, & ei ſimilis, quæ eſt in capite ultimo libri primi ad Bonifacium, quaque ſuam ad clericos Romanos epiſtolam Cæleſtius clauſit.

Provocatio ad ſynodum œcumenicam. *Lib. 4. ad Bonifac. c. ult.*

Nos audientiam plenariæ synodi, &c.] Huic provocationi reſpondit ſanctus Auguſtinus, ſimulque tria docuit notatu digniſſima. Primum, non eſſe opus ſynodo, ut hæreſis aperta damnetur; alterum, longe plures hæreſes judiciis particularibus, quam univerſalibus ſynodis extinctas; poſtremum, hæreticos propter ſuperbiam urgere, ut congregetur ſynodus, perinde quaſi tales ſint, propter quos totus orbis commoveri debeat.

Exprobratio iniqua conjecta in ſummum Pontificem.

Illud autem, &c.] Pleniſſimus eſt hic locus malignæ cujuſdam impudentiæ: exprobrat enim ſummo Pontifici impurus homo, quod in eo peccaſſet ipſe, in quo peccantes Africanos caſtigaſſet, quibus exprobraverat præceps in cauſa Pelagii & Cæleſtii judicium. Utitur quoque ad contumeliæ augmentum, iiſdem Scripturæ teſtimoniis, imo & iiſdem verbis, quæ uſurpaverat Zoſimus in epiſtola 2. ad Africanos, de cauſa Pelagii & Cæleſtii.

Apud Baron. in annal. ad ann. 417. num. 25.

De ſubſcriptionibus imperatis querela.

Sic absentum damnationem subscribere, &c.] Propter hæc aliaque ſuperiora verba, moveri poteſt non abs re quæſtio, an in alia quoque alterius hæreſis cauſa imperata ſit ſubſcriptio damnationi, non tantum dogmatum, ſed etiam auctorum, cum de ſenſu librorum ab ipſis ſcriptorum, non perinde ac Eccleſia, nonnulli auctorum patroni ſentirent, cauſarenturque ob Dei timorem & caritatis chriſtianæ legem, ſe non poſſe damnare, quos catholice ſentire crederent. Reſpondendum, id ipſum contigiſſe in cauſa Neſtorii, quod oſtendemus in obſervationibus, ad ſecundam partem operum Marii Mercatoris.

Locus Exodi illuſtratus.

Non credes auditui vano, &c.] Locus ille Exod. 23. qui ſecundum Septuaginta a Zoſimo quoque affertur, ſic ſe habet in vulgatis codicibus: *Non ſuſcipies voces mendacii, nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falſum teſtimonium. Non ſequeris turbam ad faciendum malum; nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies.*

Tractoria Zoſimi cujuſmodi fuerit.

Quod beatæ memoriæ Joannem, &c.] Opinor Zoſimum tres feciſſe partes tractoriæ ſuæ, quarum prima contineret totam Pelagii Cæleſtiique cauſam, cum omnibus utriuſque hæretici, ſive argumentis, ſive ſententiis; ſecunda definitionem fidei ad ſingulas controverſiarum motarum partes; tertia auctoritates ſanctorum, quibus definitio conſentiret. Quod de prima dicimus, probatum eſt diſſertatione 4. Quod de ſecunda, conſtat ex fragmentis hujus decretalis epiſtolæ, quæ idcirco *regularis auctoritas* appellata eſt. Quod de tertia, colligitur non obſcure ex hoc libelli loco.

Porro autem ex hac tractoria deſumptum videtur a conſequentibus, ſive ſummis Pontificibus, ſive Patribus, ſive conciliis, exemplum ſubjiciendi teſtimonia Patrum definitioni dogmatum, ut una omnium ætatum fides fuiſſe probaretur. Vide epiſtolam Leonis Magni ad Leonem Auguſtum de Neſtorio & Eutychete; tractatus Cyrilli de recta fide ad Theodoſium & ad Reginas; ejuſdem reſponſionem ad objecta adverſus anathematiſmos; concilium Epheſinum act. 1. Theodoretum in Eraniſte, &c.

Et vero hanc tenuit Eccleſia tunc temporis, imo ſemper, agendi rationem adverſus emergentes hæreſes, ut, quod aiebat Capreolus Carthaginenſis, *expugnata novitate antiquitas defenderetur*; &, quod ſcripſit Sixtus pontifex Joanni Antiocheno, *nihil liceret novitati, quia nihil addi conveniret vetuſtati*: ideoque ex libris majorum definitiones proferrentur, ſic tanquam ex ſacro quodam theſauro, in quo aſſervatur religioſe depoſitum illud divinum, de quo Apoſtolus ad cariſſimum diſcipulum: *O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Vide Vincentium Lirinenſem in Commonitorio, & ea parte maxime, qua exponit dictum Apoſtoli: *An a vobis Verbum Dei proceſſit? aut in vos ſolos pervenit?* &c.

2. part. conc. Epheſ. act. 1.

1 Tim. 6. v. 20.

1 Cor. 14. v. 36.

De homilia Chryſoſtomi ad Neophytos.

Benedictus Deus, &c.] In diſſertatione 1. diximus, hanc Chryſoſtomi homiliam, eadem verſione lectam fuiſſe temporibus Auguſtini, qua noſtris.

Fragmenta alterius epiſtolæ, a Juliano miſſæ ad Zoſimum. *Cap. 6. & 9.*

Non erit, opinor, alienum a loco, in quo ſumus, afferre quæ Mercator ex altera Juliani ad Zoſimum epiſtola excerpſit, & in librum Subnotationum conjecit: epiſtolas enim duas ſcripſiſſe ſe ad Zoſimum Julianus ipſe agnoſcit, apud Auguſtinum in opere imperfecto. Et ambæ in eundem ſcopum collineant, non una tamen ratione, ſiquidem prior profeſſionem fidei continet, poſterior damnationem quinque propoſitionum Cæleſtii, ſed alieno ſenſu acceptarum: ut videatur utraque, & ſummo Pontifici injurioſa, cui cenſuram ſuam exprobrat, velut iniquam; & Pelagium Cæleſtiumque excuſare, tanquam alio ſenſu, quam cenſores intellexiſſent, locutos; & factum approbare Juliani ſociorumque Epiſcoporum, qui pertinaciter detrectaſſent tractoriæ Zoſimi ſubſcribere, hoc eſt, ut ipſi aiebant, ferre ſententiam contra præceptum apoſtolicum in eos, qui ſe libellis purgarent, catholicos conſiterentur, & damnabilia ſibi objecta condemnarent. Poſterior certe videri poteſt alterius, ſin minus complementum quoddam neceſſarium ad rem peragendam, ſaltem vel appendix, quæ cognata ſit, vel nota, quæ illuſtret.

Lib. Subnot. cap. 6.

Mercator igitur hæc inde excerpſit: *Audi nunc quid olim ipſe pronunciaveris in epiſtola, quam ad ſedem apoſtolicam illo tempore auſus es mittere, quando conventus detrectaſti, cum univerſa Eccleſia per totum orbem, Pelagium Cæleſtiumque damnare: quæ antequam in manus ſanctæ illius Romanæ Eccleſiæ veniret antiſtitis, te agente, a nonnullis a te deceptis, per totam pene Italiam circumlata, & tanquam magnum aliquid multorum auribus inſinuata cognoſcitur. Ibi namque inter cætera.*

QUI eſt igitur aſſertor, quod neque per mortem Adæ omne genus hominum moriatur,

13

neque per reſurrectionem Chriſti, omne ge-
1 Cor. 15. v. 22. nus hominum reſurgat, contra Apoſtolum ſentit dicentem: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur.* Jure igitur improbatur, qui huic ſententiæ contra-
Ibid. v. 21. dicit: *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.*

Et hæc quoque ſententia, quod peccatum Adæ ipſum ſolum læſit, & non genus humanum, a nobis merito refellitur: non enim ſoli ipſi, ſed generi humano obfuiſſe credendum eſt.

Quod autem infantes in eo ſtatu ſint, in quo fuit Adam ante prævaricationem, inter indiſciplinatas reputo quæſtiones. Non enim per omnia in eo ſtatu ſunt, qui naſcuntur hodie, in quo Adam fuit ante peccatum: quamvis & illos opus Dei eſſe, ſicut & ille, negari non poſſit.

Adam etiam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, fuiſſet moriturus, non eſt ratione ſubnixum: credendum eſt enim, immortalem quidem factum, ſed qui ſi non peccaſſet, per guſtum ligni vitæ virtutem poſſet immortalitatis adipiſci. Male igitur dictum eſt, ſive peccaret, ſive non peccaret, fuiſſe moriturum.

Eadem fere Mercator repetit cap. 9. *In epiſtola tua, quæ, ut memoravimus, ad ſanctæ memoriæ Papam Zoſimum miſſa eſt, diſplicet tibi, eumque condemnas, qui ſentit*, ADAM MORTALEM FACTUM, &c.

Conſulat lector notas ad caput ſextum Subnotationum: inde enim intelliget cur huc epiſtolæ fragmenta afferri debuerint, quemadmodum & alia quæ ex epiſtola ejuſdem Juliani, eorumdem Epiſcoporum nomi-
Libris 3. poſterioribus ad Boniſ. ne, ad Rufum Theſſalonicenſem Auguſtinus decerpſit, quæque in formam epiſtolæ utcumque ita reſtitui poſſunt, ut facilius ſenſus, partibus recollectis, videatur.

Domino beatiſſimo ſanctiſſimoque fratri & conſacerdoti Rufo, Occidentis Epiſcopi temporibus orthodoxis pro fide catholica perſecutionem paſſi.

Lib. 2. ad Boniſ. cap. 1. COGIT *nos conditio rerum, quæ hic geruntur, Frater ſanctiſſime, literis per te* in auxilium noſtrum, & pro fide catholica, contra Manichæorum profanitatem conſenſionem orientalium Epiſcoporum expoſcere. Nobis enim movetur quæſtio, *viriſque potentibus*, propterea diſplicemus, quia damnamus eos,
1 Tim. 4. v. 2. quos prædixit Apoſtolus *receſſuros a fide, cauteriatam habentes conſcientiam, prohibentes nubere, abſtinentes a cibis*, quos immundos putant, nec putantes a Deo cuncta eſſe condita. Compellimur negare, quod omnis creatura Dei bona ſit, & nulla ſit ſubſtantia, quam non ſummus fecerit Deus,

Cogit nos, inquam, rerum conditio veſtrum implorare auxilium, quando hinc ſperare nihil licet: nam Papa ipſe Zoſimus priſtinam retractavit ſententiam. Cumque prius, *libello*
Cap. 3. *Cæleſtii tanquam catholico approbato*, præcepiſſet credi oportere, ſine ullo vitio peccati originalis hominem naſci, *aliquorum nunc, ſive artibus deluſus, ſive territus minis contrarium definivit.*

Romani clerici juſſionis terrore perculſi non Ibidem.
erubuerunt *cum ſuo præſule* prævaricationis crimen admittere, ut contra priorem ſententiam ſuam, qua geſtis catholico dogmati aſſuerant, poſtea pronunciarent, malam hominum eſſe naturam.

Aiunt ſcilicet, *quos adverſarios patimur*, Cap. 5.
peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periiſſe; Deum non eſſe naſcentium conditorem; a diabolo inſtitutas nuptias; ſub nomine gratiæ ita fatum aſſerunt, ut dicant, quia niſi Deus invito & reluctanti homini inſpiraverit boni, ipſius etiam imperfecti cupiditatem, nec a malo declinare, nec bonum poſſet arripere.

Legem veteris Teſtamenti dicunt, non ob Lib. 3. c. 2.
hoc datam fuiſſe, ut juſtificaret obedientes,
ſed ut gravior fieret cauſa peccati. Baptiſma Cap. 3.
quoque inquiunt non vere homines novos facere, id eſt, non plenam dare remiſſionem peccatorum: ſed ex parte filios Dei fieri, ex parte autem filios ſæculi, id eſt, diaboli remanere, contendunt.

Dicunt etiam, Spiritum ſanctum adjutorem Cap. 4.
virtutis in veteri Teſtamento non fuiſſe: imo aiunt, omnes Apoſtolos vel Prophetas non plene ſanctos extitiſſe, ſed in comparatione pejorum minus malos, & hanc eſſe juſtitiam, cui Deus teſtimonium perhibet, ut
quomodo dicit Propheta, juſtificatam Sodo- Ezech. 16.
mam comparatione Judæorum; ita etiam v. 46.
criminoſorum comparatione dicantur aliqui
ſancti exercuiſſe virtutem: *imo eo uſque bla-* Cap. 6.
ſphemiæ proruperunt, ut Chriſtum carnis neceſſitate mentitum aſſerant.

Aſſerunt pariter, post reſurrectionem ta-
les proceſſus futuros eſſe, ut ibi incipiant Cap. 7.
homines, quæ hic noluerint, Dei mandata complere.

Hæc & alia cum Manichæis ſentiunt: nos
autem, quibus longe a tanta impietate recedere Lib. 4. c. 2.
ſtatutum eſt, creaturæ Dei convitium inferre non novimus, ſed honorem, & laudem auctore dignam. Naſcentium igitur conditorem Deum bonum, per quem facta ſunt omnia, fatemur; fatemur & filios hominum opus eſſe Dei, ac peccatum omne non de natura, ſed de voluntate deſcendere; atque ita Manichæis malam naturam dicentibus cauſam eſſe peccati, hujus ſententiæ veritate reſiſtimus. Omnibus ætatibus dicimus baptiſmum eſſe neceſſarium, ut ſcilicet illa creatura in Dei filios adoptetur, non quod aliquid ex parentibus trahat, quod ſit lavacro regenerationis expiandum. Atque hinc Chriſtus Dominus, qui *voluit ſecundum humanitatem nobis fieri conformis*, nulla macula peccati fuit reſperſus, ipſiuſque caro ab omni peccati contagione puriſſima fuit, jam inde ab infantia, non excellentia propria & gratia ſingulari, ſed communione naturæ, quæ omnibus ineſt infantibus. Quomodo autem ab Adam peccatum in cæteros tranſiſſet, niſi animæ, quod

Eccleſia execratur, proinde ac peccati tradux foret? Ex Adam dicimus, nihil mali tranſiſſe per cæteros, niſi mortem, quæ non ſemper eſt malum, cum & martyribus ſit cauſa præmiorum, & vel bonam, vel malam mortem dici faciat, non reſolutio corporum, quæ excitabuntur in omni genere hominum, ſed meritorum diverſitas, quæ de humana libertate contingit.

Nuptias vero ſecundum Scripturas laudamus, quia Dominus in Evangelio loquitur:
Matth. 19. v. 4. *Qui fecit ab initio, maſculum & feminam*
Geneſ. 1. v. 28. *fecit eos*; & dixit: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*; ſtatimque ad-
Matth. 19. v. 6. dit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

Veterem legem, quam Manichæi execran-
Rom. 7. v. 12. tur, dicimus ſecundum Apoſtolum juſtam, & ſanctam, & bonam cuſtodientibus mandata ſua; ac per fidem juſte viventibus, ſicut Prophetis & Patriarchis omnibuſque ſanctis, vitam potuiſſe conferre perpetuam.

Aſſerimus liberum arbitrium non periiſſe,
Iſa. 1. v. 19. cum loquatur Dominus per Prophetam: *Si volueritis & audieritis me, quæ bona ſunt terræ edetis. Si volueritis, & non audieritis, gladius vos comedet.* Ac per hoc gratiam dicimus uniuſcujuſque bonum propoſitum adjuvare; non tamen reluctanti ſtudium virtutis immittere, quia *perſonarum acceptio non eſt apud Deum.*

Sanctos laudamus tanquam criminis pu- *Rom. 2. v. 11.*
ros, quippe cum baptiſma perfecte homines innovet: ſiquidem Apoſtolus per lava- *Epheſ. 5. v. 27.*
crum aquæ Eccleſiam de gentibus ſanctam fieri immaculatamque teſtatur. Sanctum quoque Spiritum aſſerimus mentes bonas in antiquis adjuviſſe temporibus, dicente Propheta ad Deum: *Spiritus tuus bonus dedu-* *Pſal. 142. v. 10.*
cet me in viam rectam. Omnes quoque Prophetas, & Apoſtolos, vel ſanctos, tam novi quam veteris Teſtamenti, quibus Dominus teſtimonium perhibet, non in comparatione ſceleratorum, ſed regula virtutum juſtos fuiſſe; in futuro autem tempore mercedem eſſe tam bonorum quam malorum. Cæterum neminem poſſe quæ hic contempſerit, illic mandata perficere, cum dixerit Apoſtolus:
Oportet nos manifeſtari ante tribunal Chriſti, *2 Cor. 5. v. 10.*
ut reportet unuſquiſque propria corporis ſecundum quod geſſit, ſive bonum, ſive malum.

Atque hæc cum adverſus Manichæos ca- *Cap. 8.*
tholica fide confitemur, tum inimici noſtri in hujuſce veritatis odium dicta Auguſtini ſuſceperunt; & toto penitus Occidente non minus ſtultum quam impium dogma receptum eſt, atque a ſimplicibus Epiſcopis, ſine congregatione ſynodi in locis ſuis ſedentibus, ad hoc confirmandum extorta eſt ſubſcriptio.

DISSERTATIO VI.

QUÆ CHRONOLOGICA,

DE

SCRIPTIS A DEFENSORIBUS FIDEI

ADVERSUS HÆRESIM PELAGIANAM

ANTE MORTEM SANCTI AUGUSTINI.

In hæc verba Mercatoris: *Contra pueriles auſus ejus ſanctæ recordationis Auguſti-* *Præf. in lib. Subnotat.*
nus Epiſcopus diverſis temporibus diverſos condidit libros, &c.

Ratio & neceſſitas diſſertationis. POSTQUAM præcedenti diſſertatione expoſitum eſt, quid hoſtes fidei ediderint, ad ſuos errores, ſi qua ratione poſſent, perſuadendos, menteſque catholicas, verbis in ſpeciem orthodoxis fallendas, ut imprudentes venenum haurirent, quod per ſe exhibitum ſtatim horruiſſent; operæ pretium videtur per ſynopſim, ſervata temporum ratione, exponere quidquid ab exortu hæreſis ad obitum Auguſtini, fidei catholicæ defenſores ſcripſerint, ut nemo non poſſit facile intueri, quibus ſe quaſi gradibus veritas videndam obtulerit, quibuſque pugnantibus de falſitate triumphaverit.

Quorum ſcripta recenſenda ſint. Sunt autem omnino quinque defenſores fidei, qui definito ſpatio temporis pro Eccleſia cum ipſiſmet hæreticis ſcripto pugnarunt, quorumque opera ad nos pervenerunt, Hieronymus, Auguſtinus, Oroſius, Sixtus & Mercator. Sed Hieronymus tanquam dux quidam inclytæ ſenectutis, & ſuarum pondere palmarum gravis, poſtquam pugnaſſet ſatis, ad priſtinam fortitudinem probandam, locum ceſſit Auguſtino, *cujus ductu viginti amplius annis contra inimicos* *Proſp. lib. cont. Collat. c. 1.*
gratiæ Dei, catholica acies ita pugnavit & vicit, ut non paſſa fuerit reſpirare quos vicit, & in quorum excidium unam cunctorum ſacerdotum manu ſententiam conſcripſit. Reliqui tres, vel Auguſtino duce dimicarunt, vel ſaltem vincenti collaborarunt.

Dixi vero, *fidei defenſores.* Scio enim Neſtorium in eamdem hæreſim habuiſſe ſermones, quos ſanctus Cæleſtinus laudavit, quoſque Mercator ereptos vin-

dicibus Imperatorum flammis ad nos uſque tranſmiſit: ſed hæreſiarcham defenſoribus fidei accenſere religioſum fuit.

Dixi etiam, *quorum ſcripta ad nos pervenerunt.* Neque enim ignoro a quibuſdam aſſeri, ſanctum Paulinum elaboraſſe adverſus Pelagianos librum ab Auguſtino commendatum. Quæ ſi vera eſſet opinio, fateri oporteret, tanti viri opus, vel temporum edacitate conſumptum eſſe, vel bibliothecarum tenebris inſepultum latere. Verum homines illi ab eo decepti ſunt, qui titulum appoſuit epiſtolæ 106. Auguſtini, & pro libro epiſtolam 8. Paulini ad Severum acceperunt; in hac enim reperitur totus ille locus ab Auguſtino laudatus: *Pauper ego & dolens, qui adhuc terrenæ imaginis ſqualore concretus ſum*, &c.

Dixi denique, *qui definito temporis ſpatio*, &c. Nam Proſper, præterquam quod adverſus Semipelagianos fere ſolos ſcripſit, ante obitum Auguſtini nihil indubitatum edidit, præter epiſtolam, quæ præponitur libro *de prædeſtinatione ſanctorum*, & carmen *de Ingratis*, quod vivente Auguſtino elaboratum oſtendimus.

Utinam vero ſupereſſet Zoſimi tractoria, leniret illa, imo pleniſſime ſarciret aliorum operum jacturam, ut quæ continebat non ſolum totam Pelagii Cæleſtiique cauſam, ſed etiam argumenta, ſive quibus oppugnarunt fidem hæretici, ſive quibus ab Eccleſia convicti ſunt, ut ex Auguſtino atque Mercatore diſcimus.

Viſum eſt diſſertationi de libris defenſorum fidei ſubjicere nonnihil de oppugnatorum fidei operibus, quæ extant, ut quiſque facile intelligat, quid ex omnibus ſuperſit, & quo ſingula tempore compoſita ſint, indeque certum ferat judicium de quibuſdam commentis vulgo receptis, quaſi Pelagiana hæreſis eas induerit formas, eaſque varietates experta ſit, quas concinne excogitatas Gerardus Voſſius, aliique pro veris quibuſdam ſtatibus ſupponere conati ſunt.

CAPUT I.

De ſcriptis a ſancto Hieronymo adverſus Pelagianos.

Quæ ſcripſerit Hieronymus adverſus Pelagianos.

HIERONYMUS de re Pelagiana quinque ſcripſit epiſtolas, tres dialogorum libros cum præfatione communi, & prologos ad quatuor libros commentariorum in Hieremiam. Nihil fere præterea: nam quæ in Rufinum, Jovinianum, & Vigilantium compoſuit, ea per ſe non petunt Pelagium, quem unum maxime inſectatur; ſed ex accidente tantum, quatenus nonnulla ſui dogmatis parte cum præfatis Hieronymi hoſtibus confœderari viſus eſt.

Quid illa contineant, & quanti ſint pretii.

Illæ vero ſancti doctoris elucubrationes, etſi nec multæ ſint, nec prolixæ, continent tamen plurimum hiſtoriæ, quod unum fere in præſenti quærimus; neque tam parum dogmaticæ doctrinæ, quin eruditus ſenex videatur, vel prævertiſſe omnia, quæ fuſius poſtmodum alii tractarunt; vel aperuiſſe fontem, unde cæteri, etiam Auguſtinus, abunde haurirent.

Epiſtolarum una eſt ad Marcellinum tribunum, de origine animarum: altera de quæſtionibus Pelagianorum ad Cteſiphontem: tertia ad Alipium & Auguſtinum gratulatoria de profligata hæreſi Cæleſtiana: reliquæ duæ breves ad Auguſtinum, quæ propter ænigmata difficile intelliguntur.

Dialogi maximam partem pugnant adverſus impeccantiam a Pelagio defenſam, nec niſi ſub finem tertii de baptiſmo parvulorum agitur, & ita quidem, ut quæſtio moveatur magis, quam ſolvatur, lectorque ad libros Auguſtini erudiendus remittatur. In præfationibus ea fere continentur, quæ pertinent ad illuſtrandam, ſive hiſtoriam rerum Pelagianarum, ſive rationem temporum, aliunde non mediocriter obſcuram.

Epiſtola ad Marcellinum tribunum, quæ LXXXII. *apud Hieronymum*, XXVII. *apud Auguſtinum.*

Non eſt ſcripta ante annum 411.

SCRIPTA eſt ann. 411. neque enim potuit ante adventum Marcellini in Africam, quandoquidem continet reſponſionem ad literas ab eodem Marcellino ad Hieronymum ex Africa datas. *Tandem*, inquit Hieronymus, *ex Africa veſtræ literas unanimitatis accepi.* Marcellinus vero in Africam venit, aut ſub finem anni 410. quod vix opiner, propter tempeſtuoſum mare, aut verna tempeſtate conſequente, quod ſimilius vero. Nam edictum Honorii, quo ſanctus ille pariter ac eruditus Tribunus jubebatur collationi catholicos inter ac Donatiſtas habendæ, velut cognitor intereſſe, datum reperitur Ravennæ IV. Idus Octob. Varane conſule, quo conſignatur annus Chriſti 410.

L. 3. de relig. cod. Theod.

Neque poſt eundem annum.

Neque etiam poſtea dari potuit, nam primo ſcripta videtur, antequam vel collatio haberetur, vel habitæ fama perveniſſet in Palæſtinam: neque enim alioquin de ea ſiluiſſet Hieronymus, qui tam honorifice de Auguſtino, totius collationis quaſi mente, locutus eſt, ut ad eum remittat Marcellinum, *tanquam ad virum ſanctum & eruditum, qui viva voce docere poſſet, & ſuam, imo & quæ Hieronymi, explicare ſententiam.*

Reſponſio eſt ad quæſtionem de origine animarum.

In ea porro referuntur quinque opiniones de origine animarum, nempe, quod vel in corpora labantur e cœlo, ubi præextiterint, vel ex divina ſubſtantia tanquam particulæ defluant, vel ex theſauro educantur ubi olim conditæ, vel a Deo quotidie fiant, vel ſint ex traduce. Priores duæ rejiciuntur velut hæreticæ, rejicitur & tertia, tanquam *eccleſiaſticorum nonnullorum ſtulta perſuaſio.* Quartam amplectitur Hieronymus ut ſuam, quintam *maximæ parti Occidentalium* tribuit, quo jure, ipſe viderit. Obſerva Hieronymo adhæſiſſe Rufinum Syrum, diſcipulum magiſtro, adhæſiſſe pariter Julianum, Rufini ſectatorem: ſed Hieronymum modeſte, ut catholicum decuit, ſententiam expoluiſſe, Rufinum contradicenti anathema dixiſſe, Julianum legis ſacræ Eccleſiæque catholicæ confirmatam auctoritate jactaſſe.

Anathem. 12. Op. imperf. l. 2. c. 25.

Epiſtola ad Cteſiphontem quæ LXVII. *apud Hieronymum.*

Non eſt ſcripta poſt ann. 413. aut initium ſequentis.

SCRIPSIT Hieronymus ad Cteſiphontem ann. 413. ſub finem, vel initio ſequentis: neque enim dici poteſt poſt hoc tempus ſcripſiſſe. Nam Oroſius, cum feciſſet in conventu Presbyterorum Hieroſolymitano, cum iſtius epiſtolæ, tum alterius ab Auguſtino ad Hilarium Syracuſanum datæ memoriam, utramque dixit *nuper* ſcriptam. Cum igitur Oroſius ex Africa non tardius ſolverit in Palæſtinam, quam verna tempeſtate ann. 415. cumque ſecum epiſtolam Auguſtini ad Hilarium detulerit, atque in conventu memorato legerit, ipſam procul dubio fateri oportet ab Auguſtino datam eſſe ann. 414. aut ſub finem præcedentis, igitur & epiſtolam Hieronymi ad Cteſiphontem, quippe cum ambæ eodem tempore exaratæ ſint.

Apolog. c. 3.

Neque etiam ante illud tempus.

Non poteſt etiam ſcripta dici ante hoc tempus: nam Cteſiphon Hieronymo literas dedit, poſt adventum Pelagii in Orientem, ejuſque non parvam in Palæſtina moram, qua nimirum opus fuit ad diſſeminandum errorem, qui timide primum tradebatur apud paucos fideles, nec prodibat in publicum, niſi *cum ſilen-*

ſilentia magiſtrorum rabies diſcipulorum proderet. Cum ergo Pelagius in Orientem non venerit ante finem anni 411. ut confectum eſt in ipſius elogio; nec Hieronymus Cteſiphonti reſcripſerit, niſi poſtquam *pleroſque in Oriente, ante ipſas quoque literas Cteſiphontis, quæſtio decepiſſet, & per ſimulatam humilitatem plurimi ſuperbiam didiciſſent*: fatendum eſt, inter adventum Pelagii & epiſtolam Hieronymi, duos fere annos interfluxiſſe, ſiquidem breviori tempore contingere vix potuerint, quæ diximus.

Atque hinc refellas opinionem Baronii epiſtolam hanc volentis ſcriptam eſſe ann. 411. Argumentum vero quo utitur, refutat ſuo facto Auguſtinus, imo & Hieronymus. Scriptam enim ait antequam propalarentur hæreſis auctorum nomina; propalata vero, ſaltem Cæleſtii, poſt judicium Carthaginenſe habitum ab Aurelio ann. 412. Verum dialogos Hieronymus, Auguſtinus librum *de natura & gratia* ſcripſit ann. 415. nec tamen uterque appellandum putavit de nomine hominem, contra quem ſcriberet, idque conſilio ſe feciſſe uterque declaravit.

Argumentum epiſtolæ.

Hac epiſtola ſanctus doctor diſputat adverſus librum Pelagii *de natura*, quem quintum ſaltem citat, & librum *titulorum*, cujus meminit; quintum, & librum Cæleſtii, de quo fit ſermo in geſtis Palæſtinis. Impugnat vero vehementer Pelagii *ἀπάθειαν & ἀναμαρτησίαν*, eamque definit id ipſum eſſe, *quod meditatione & exercitatione ita poſſe extirpari paſſiones, ut nulla fibra, nulla radix vitiorum in homine omnino reſideat*; atque ita non tantum non peccetur culpabiliter, ut aiunt, ſed neque ulli motus repugnantes legi mentis oriantur, quod non incurioſe prætereundum eſt.

Hujuſmodi commentum refellit pluribus, ſed hoc maxime Apoſtoli teſtimonio: *Video aliam legem in membris meis ducentem me in captivitatem*, &c.

Rom. 7.

Oſtendit poſtea, quos hæreſis τῆς ἀπαθείας parentes habuerit, philoſophos nimirum, Manichæum, Priſcillianum, Evagrium Ponticum, Xiſtum Pythagoricum, Origenem, & Jovinianum.

Profert deinde ſententias quatuor, quibus Pelagianus error continetur. *Homo poteſt eſſe ſine peccato, ſi velit. Gratia Dei, ſine qua ad homo poteſt, ipſum eſt liberum arbitrium, & lex Dei. Unuſquiſque ſuo regitur arbitrio. Faciles ſunt Dei mandata.*

Refert etiam Pelagianorum veſaniam calumniantium catholicis, quod cum Manichæis malam dicerent eſſe naturam, & prædicatione gratiæ tollerent liberum arbitrium.

Explicat quoque artes, quibus hæreſis ſe promoverit, ſcilicet occulte tradi, & in cubiculis tantum: apud mulieres, præſertim potentes, & in ſpeciem pias: verbis ambiguis, quæ contorqueri poſſent in varios ſenſus, pro tempore, perſonis, & locis: magiſtrum vel tacere omnino, vel loqui per diſcipulos, ut ſi placuiſſet auditoribus, quod illi dixiſſent, referretur ad laudem magiſtri, ſi diſplicuiſſet, culpa diceretur diſcipuli: deterrere comminatione repentinæ reſponſionis eos, quibus animus eſſet, pro veritate ſcribere, &c.

Habet tandem gravia quædam dicta, cujuſmodi ſunt: *Eccleſiæ victoria eſt, hæreticos aperte dicere quod ſentiunt. Duplex ſexus utrumque ſupplantat*, &c.

Denique Cteſiphonti, Pelagii, ut videtur, receptori, datur monitum omnibus ſæculis profuturum. *Sciant qui hujuſcemodi hominibus opes ſuggerunt, hæreticorum multitudinem ſe congregare, & Chriſti hoſtes facere, & enutrire adverſarios ejus, fruſtraque aliud lingua prætendere, cum manu ſentire aliud comprobentur.*

Sub finem quæſierit forte quiſpiam, quid ſignificent hæ voces: *Ne per unum, aut, ut multum, tres homunculos ſuſcipiant tantarum faces hæreſeon.* Qui tres illi homunculi, quos cavendos monet Hieronymus? Tres illos opinor eſſe, Pelagium, Anianum, & Valerianum. Cæleſtius enim tunc temporis Rhodi verſabatur, aut Epheſi potius, ut oſtenſum eſt diſſert. 1. tres enim illos Cteſiphonte vel receptore vel adjutore uſos nullus fere dubito, ſiquidem Pelagius irrepſerat in ipſius amicitiam; alii duo Pelagium ſequebantur velut umbræ, ille ut ſtylum, ut artes iſte, ambo ut ſeni auxilium commodarent. De Aniano dictum ſatis, citata diſſertatione; de Valeriano dictum pariter pluribus in locis. Id unum hic noto, Valerianum vocatum videri, quod Valerii comitis ſervus fuerit, aut libertus potius, qui Pelagium ſecutus in Palæſtinam, inde Alexandriam profectus ſit, eaque expulſus a Cyrillo redierit in Italiam, ſuoque patrono excerpta dederit ex libro primo Juliani contra Auguſtinum, quæ Valerius Auguſtino refutanda miſit: unde natus eſt ſecundus liber *de nuptiis & concupiſc.*

Dialogi tres adverſus Pelagianos.

Libri tres dialogorum ita confecti ſunt ann. 415. ut inchoati fuerint ante diem 30. Julii, abſoluti ante menſem Decembrem: Hieronymus enim acceſſit ad opus. *Poſt crebram fratrum expoſtulationem, cur promiſſum in epiſtola ad Cteſiphontem plenius opus, ultra quam pollicitus fuerat, differret.* Elaborabat vero die 30. Julii, cum Oroſius in conventu Presbyterorum III. Kal. Auguſti Hieroſolymis loqueretur in hæc verba: *Hoc beatus Hieronymus, & in epiſtola ſua, quam nuper ad Cteſiphontem edidit, condemnavit. Similiter & in libro, quem nunc ſcribit, collata in modum dialogi altercatione, confutat.*

Conſcripti ſunt ann. 415. inchoati ante diem 30. Julii. In præf. initio.

In apolog. c. 3.

Oportet igitur hoc ipſo anno ante finem Julii inchoatum fuiſſe opus; ſed cum in eo nulla fiat mentio Dioſpolitanæ Synodi ſub Eulogio, cujus certe non minus quam Carthaginenſis ſub Aurelio Hieronymus meminiſſet: imo cum ſermo fiat de impoſito a Joanne partibus ſilentio, & de pace in ſpeciem facta inter eos, qui propter Pelagium tumultuabantur, procul dubio dialogi abſoluti ſunt eo temporis intervallo, quod inter conventum Hieroſolymitanum & Dioſpolitanum concilium interjectum eſt.

Abſoluti ante Decembrem.

Hæc cum certo conſtent, latet me profecto, quid cauſæ fuerit, cur cardinalis Baronius hoſce dialogos ſcriptos voluerit poſt ſynodum Dioſpolitanam: nam quod auctorem adducit Proſperum, qui poſt mentionem factam ſynodi Dioſpolitanæ, meminit ſcriptorum ab Hieronymo adverſus Pelagianos, nihil omnino evincit. Si enim ordo iſte præjudicium faciat temporis, quo ſcripta ſint ſingula quæ recenſentur opera, Dioſpolitanam ſynodum epiſtola ad Cteſiphontem ſecuta eſſet, Innocentii ſententia præceſſiſſet, quod nemo ſane dixerit: hanc enim ante ſynodum Proſper meminit, illam poſtea.

Baronii de tempore opinio.
In Annal. ad ann. 415. num. 25.
Carm. de Ingr. cap. 2.

Latet me pariter, cur dialogos, quos ſynodo poſteriores credit, anno tamen 415. compoſitos velit: nam qui potuit tantum opus, tamque elaboratum abſolvi novem diebus? neque enim plures a fine ſynodi ad finem Decembris effluxerunt, ut certa ratione temporis concluſum eſt in diſſertatione de ſynodis.

Porro autem libellus fidei, quem Pelagius poſt ſynodum miſit ſedi apoſtolicæ, totus fere eſt adverſus epiſtolam ad Cteſiphontem & hoſce dialogos, qua parte attingit quæſtiones in ipſis agitatas, ut in notis obſervatum eſt.

Libellus fidei a Pelagio ſcriptus totus fere eſt adverſus hos dialogos.

Hæc dialogorum quaſi chronologia facit, ut ſi minus certam, ſaltem non contemnendam, de cauſis & auctoribus concilii Dioſpolitani ſententiam afferri poſſe credam: videtur enim iſtud concilium per ſe quidem propter ordinandum loci Epiſcopum conveniſſe; accidiſſe vero, ut hanc Pelagii abſolvendi Joannes Hieroſolymitanus, accuſandi per Gallicanos Epiſcopos Hieronymus, occaſionem ſumpſerit: quæ tria idoneis rationibus probari poſſunt.

Et primum quidem, quod ſynodus ea, quam dixi, de cauſa coiverit, inde conſtat, quod duorum fuerint olim generum ſynodi provinciales, ordinariæ ſcilicet, atque extraordinariæ. Cogebantur illæ, ut pareretur canoni Nicæno jubenti, ſingulis annis bis congregari Epiſcopos cujuſcumque provinciæ, ſemel ante Quadrageſimam, iterum circa tempus autumni; iſtæ convocabantur, vel propter dedicationem Eccleſiæ, ut ſecunda ſynodus Arauſicana; vel ad ordinandum Epiſcopum, quod admodum frequens in hiſtoria eccleſiaſtica; vel ob mandatum ſuperioris alicujus poteſtatis,

Probatur primum.

De cauſis cogendarum ſynodorum extraordinariarum.

Digitized by Google

quod itidem contigit ſæpe. At ſynodus Dioſpolitana ordinaria non fuit: neque enim habita eſt legitimo tempore, ſed quo impendebat Epiſcopis neceſſitas celebrandi ſuis in Eccleſiis feſta natalitia; neque propter dedicationem Eccleſiæ contracta eſt, abenum enim eſt a ratione propter cauſam tam levem, & io alud tempus commode differendam, media hieme, imminentibus feſtis ſolemnioribus, ipſiſque etiam Epiphaniæ baptiſmo, primatem Eulogium jam longævum, ſenemque Joannem, & pene effœtum Porphyrium Gazenſem, alioſque Epiſcopos in coocilium contractos eſſe. Neque ullum ſuperioris poteſtatis mandatum compulit ſynodum: ſi quod enim impuliſſet, qua ratione Auguſtinus aut illud ignoraſſet, cum referente Oroſio, ſingula quæque hujuſce negotii didicerit; aut notum ſiluiſſet, cum ad rem ſuam non contemnendum foret momentum.

Synodus Dioſpolitana coacta propter ordinandum Epiſcopum.

Reſtat igitur opinari ad ordinationem Epiſcopi veniſſe Patres: nam & ſuum habuit Dioſpolis Epiſcopum, ut conſtat ex concilio Calchedonenſi, atque notitia Epiſcoporum Palæſtinæ, & vidua relinqui non debuit Eccleſia, imminente ſolemni baptiſmo, & ea cauſa ſolebat extraordinarias ſynodos cogere, & primatis erat ordinare ſibi ſyncellum, id eſt, ſuæ provinciæ Epiſcopum. Patet igitut id, qnod primum aſſerrum eſt, non inſtituendi de Pelagio judicii cauſa, per ſe coactam ſynodum Dioſpoli, ſed propter ordinandum Epiſcopum.

Probatur ſecundum.

Jam vero, quod fuit io partitione ſecundum, arreptam hanc a Joanne purgandi Pelagii occaſionem, facile conficitur ex diſſertatione de ſynodis: inde enim conſtat quo conſilio venerit Joannes Hieroſolymitanus ad ſynodum, quibuſve artibus tentaverit per Epiſcopos ſibi addictos rem promovere Pelagii, quem Hieronymo ſciebat inviſum; ſed hoc Joannis conſilium arteſque ſatis Hieronymus cum perſpiceret, voluit, opinor, Epiſcopos Epiſcopis oppoœre, reumque oblatis libellis peragere, quem Joannes integrum famæ præſtare vellet. Id ego, quod tertium eſt, qua ratione opiner, ita oſtendo.

Probatur tertium.

Accuſationis libellus Eulogio Cæſarienſi, atque provinciæ primati ab Erote & Lazaro oblatus, apud Hieronymum quicum verſabatur Oroſius, procul dubio compoſitus eſt. Nam cum Pelagio objecta ſint, quæ libello continebantur, & alia ex libris Pelagii, ſive de actuali converſatione, ſive de conſolatione & exhortatione viduæ, alia ex libello quem cootra Cæleſtium Paulinus diaconus Aurelio Carthaginenſi dedit, alia ex literis Hilarii monachi ad Auguſtinum, alia ex libro quodam Cæleſtii pluribus capitibus diſtincto, deſumpta ſint; quæ primi generis, eadem iiſdemque verbis in primo & tertio Hieronymi dialogo leguntur; quæ ſecundi & tertii, ſuppeditavit Oroſius, ut ex Apologia facile conficitur; quæ quarti, non iiſdem quidem verbis, ſed eodem ſenſu in dialogis habentur. Quod tamen facere difficultatem oon debet, ſiquidem monuit Auguſtinus, utique Oroſii teſtimonio, noo in ipſo quidem concilio eadem verba ex hoc Cæleſtii libello, ſed eaſdem tantum fere ſententias relatas eſſe.

Inde conficiuntur octo conſectaria. Primum.

Hæc ſi vera ſint, ut eſſe vix ullus prudens rerum negaverit, plurium rerum cauſæ hactenus aut ignotæ, aut ſaltem dubiæ apparent; & primo quidem, cur Oroſius non autumno redierit in Africam, quod tempeſtas ſuadebat, imo & promiſſa fides poſcebat; ſimul enim & apologiam ſibi, & Pelagio litem, & Joanni vicem parabat; aut certe inteatus in omnem occaſionem excubabat, ſi qua poſſet ratione, Pelagio dolos cogitanti occurrere, quod & præſtitit, ex occulto, alienaque perſona accuſans.

Secundum.

Deinde vero, cur Hieronymus petenti Critobulo, cur non accuſaret in judicio, quem hæreſis ſecreto argueret, reſponderit perplexe, atque ita, ut judicium videatur minari: cogitabat enim de Gallicanis Epiſcopis & inſtruendis ad rem agendam, & impellendis ad fidem catholicam defendendam.

Tertium.

Tertio, cur Hieronymos & Oroſius accuſare per ſe noluerint, ſed Epiſcoporum duorum perſona uti maluerint: metuebant ſcilicet primo, ne invidia viderentur eo impelli; deinde defendenti Epiſcopo Epiſcopi duo opponendi erant, iique transmarini, quo peritiores crederentur rerum Pelagii transmarini monachi. Hanc ſuam Hieronymus ſive induſtriam, ſive diligentiam vix non prodidit, cum poſtea inter domitores hæreſis Auguſtino Alipioque accenſet, & communionem odii Pelagiani ſibi cum iiſdem congratulatur.

Quartum.

Quarto, cur Gallicani duo Epiſcopi obtulerint quidem Eulogio libellum, a judicio tamen, allata excuſatione, abſuerint: quam excuſatiooem aliter alios tunc temporis interpretatos eſſe, ſatis indicat Auguſtinus, cum probabilius ait abſentiam contigiſſe propter alterius morbum. *Lib. de geſt. Pelag. c. 1.* Verumtamen quiſpiam non improbabiliter opioetur, affectatam fuiſſe, primo ne viloſceret dignitas Epiſcoporum, tum accuſatorum nomine, tum contentione cum monacho; deinde ne impari ſorte contenderent coram Græcis judicibus, cum cogerentur loqui per interpretem, Pelagius per ſe Græce reſponderet; poſtea ut Joannem Pelagii patronum ne offenderent, ſi forte cum ipſo altercari contingeret; tandem ne libellum aliena opera confectum exponere deberent, aut etiam rem ſibi non notiſſimam urgere; denique ne pudore ſuffunderentur, cum audirent afferri cauſas ſui teſtimonii rejiciendi, quas allatas, & eas quidem probroſas & ſane graves indicat Auguſtinus. *Ibid. c. 16.* *Jam quidquid dixit Epiſcopus Joannes de abſentibus fratribus noſtris ſive coepiſcopis Erote ac Lazaro, ſive de presbytero Oroſio, ſive de aliis, quorum ibi non ſunt nomina expreſſa, credo quod intelligat ad eorum præjudicium non valere: ſi enim præſentes eſſent, poſſent eum fortaſſe, abſit ut dicam convincere de mendacio, ſed forte commemorare, quid forte fuiſſet oblitus, aut in quo eum fefellerit Latinus interpres, licet ſine ſtudio mentiendi, certe alienæ linguæ minus intellectæ nonnulla difficultate; præſertim quia non in geſtis agitatur, quæ, improbi ne mentiantur, boni autem ne aliquid obliviſcantur, utiliter inſtituta ſunt. Si quis autem memoratis fratribus noſtris ex hoc aliquid quæſtionis intulerit, eoſque ad judicium Epiſcopale vocaverit, ſibi, ut poterunt, aderunt: nobis laborare quid opus eſt, quando ne ipſi quidem judices poſt coepiſcopi noſtri narrationem aliquid inde pronuntiare voluerunt?*

Quintum.

Quinto, cur Gallicani duo illi Epiſcopi, quorum vel ipſa nomina Zoſimus pontifex infanda dixit, laudibus ornati ſint ab Africanis. In hanc opinionem Oroſius Epiſcoporum amicus Africanos induxerat, quaſi vel mercedem oblati libelli rependeret, vel beneficium referret.

Sextum.

Sexto, cur Hieronymus ſynodum Dioſpolitanam miſerabilem ſcripſerit, io qua nempe, licet fides vicerit, vicit tamen induſtria Joannis Pelagium volentis purum hæreſis præſtare, ſuiſque, ut ipſe quidem aiebat, æmulis ſuperiorem.

Septimum.

Septimo, cur rebus, ut fit, patefactis Hieronymi pars a Pelagii ſectariis non mediocriter vexata ſit, imo ipſe Hieronymus in vitæ diſcrimen venerit, quod declinare non aliter potuit, quam turris munitioris præſidio.

Octavum.

Poſtremo denique, cur de Joanne veluti perſecutionis auctore ad Innocentium Papam delatæ ſint querelæ, nec tamen hujuſmodi, ut appellatis nominatim perſonis, poſſet Pontifex legitimum judicium exercere: interfuit enim ita ſecuritati ſuæ inpoſterum conſulere, ut cauſæ tamen negotii non clariſſime paterent.

Quarum Eccleſiarum Epiſcopi convenerint.

Sub finem addi poteſt, quod in diſſertatione de ſynodis omiſi, Epiſcoporum quatuordecim provinciæ Palæſtinæ primæ, qui concilio adfuerunt, ſedes notas eſſe, ſi modo quinque excipias, Ammonianum, Porphyrium juniorem, Zoſimum, Nymphidium, & Chromatium: nam Eulogius Cæſarienſi Eccleſiæ præfuit, Joannes Hieroſolymitanæ, Porphyrius Gazenſi, Eutonius Hierichontinæ, Zobœnus Eleutheropolitanæ, Fidus Joppenſi, Jovinus Aſcalonitanæ, Eleutherius Sebaſtenæ, Clematius, ut videtur, Dioſpolitanæ.

Præfationes ad libros commentariorum in Hieremiam.

RATIO temporis, quo conſcriptæ ſunt præfationes quatuor in libros commentariorum in Hieremiam, non aliunde certius quam ex ipſiſmet inibitur.

Prima edita circiter annum 413.

Prima ſiquidem edita eſt, *cum nuper indoctus calumniator erupiſſet, præcurſore Grunnio, qui nimia ſterteret vecordia, utpote ſtoliditiſſimus, & Scotorum pultibus prægravatus, qui etiam commentarios Hieronymi in epiſtolam Pauli ad Epheſios reprehendendos putaret.* Hæc autem in Pelagium conveniunt, Rufini, quem Grunnium Hieronymus nominat, diſcipulum, oriundum ex Britannia, hominem corpulentum, & Hieronymianæ prolixitatis in commentariis præ ſua brevitate reprehenſorem. Hæc igitur præfatio edita eſt ann. circiter 413. quo Pelagius commentarios in epiſtolas Pauli in Oriente vulgabat, & eis propter ſimplicitatem & brevitatem præ Hieronymianis pretium apud multos fecerat: atque hinc factum procul dubio, ut Hieronymus ſingulis fere præfationibus in libros poſt hanc reprehenſionem compoſitos, brevitatem promiſerit. Sic enim habet in ſecunda præfatione: *Dictandi commentarioli, nec nimia longitudine extendentes opus.* In tertia: *Conabor latiſſimos explanationis campos anguſta commentariorum ſemita coarctare.* In quarta: *Quartum breviter tranſcurrentes, in his tantum, quæ obſcura fuerint, immoremur.*

Notanda vero generoſa mens ſanctiſſimi ſenis parvipendentis *obtrectatorum rabiem, qui non ſolum verba, ſed ſyllabas quoque verborum calumniarentur; in eo ſe ſcire aliquid arbitrantes, ſi de alienis operibus detraherent.*

Secunda ann. 414.

Secunda ſuum habet certum characterem, ſcribit enim Hieronymus: *Secundum librum celeri ſermone dictamus, avertentes parumper aures, ne audiamus judicium ſanguinis, & interfectorum animas deploremus, qui opinione virtutum quotidie corruunt in ſuperbiam, & Deo ſe ſimiles arbitrantur*, &c. *quorum furori reſpondimus, ut potuimus, & ſi Dominus vitam dederit, plenius reſponſuri ſumus.*

Scripta eſt igitur, poſt epiſtolam ad Cteſiphontem, ubi eadem fere verba inveniuntur, & ante dialogorum plenius opus, quod promittitur, atque ita anno 414.

Tertia eodem tempore.

Tertia eamdem præfert notam: *Latrat*, inquit Hieronymus, *per Albinum canem, grandem & corpulentum*, &c. *Verum hoc alias*, cum nempe pleniori opere (dialogorum tribus libris) tria Cerberi capita contrivit: eodem igitur anno ac præcedens ſcripta eſt.

Nota hæreticorum indolem.

Verba autem, quibus ſolitam hæreticorum in catholicos verſutiam fidei defenſor exemplo ſuo probat, digna ſunt omnino quæ notentur. *Id agit diebus & noctibus, & aperte, & per inſidias, vera falſa miſcendo; imo univerſa mendacia ſubdolo melle circumlinient, ut qui audit verborum dulcedinem, venena pectoris non formidet; pacem pollicetur, ut graviora bella exerceat; ridet, ut mordeat; manum offert, ut ex improviſo ſimplicem interficiat Abner. Nimirum hoc illud eſt, quod & Apoſtolus loquebatur.* Non enim ejus ignoramus aſtutias. *Hic tacet, alibi criminatur; mittit in univerſum orbem epiſtolas biblinas, prius auriferas, nunc maledicas, & patientiam noſtram de Chriſti humilitate venientem, malæ conſcientiæ ſignum interpretatur.*

2 Cor. 2. v. 11.

Quarta eodem pariter tempore.

Quarta eodem tempore conſcriptam ſe manifeſtis indiciis probat: exponit enim hæreſis Pelagianæ originem, arteſque hominum occulta venena ſpargentium, contra quos tacito nomine opus confectum ſit, nec tamen adhuc editum, propter iniquitatem temporum, & Joannis Hieroſolymitani impotens erga Pelagium ſtudium. Sed juvat totam hic exhibere, quoniam continet plurima magni ad hoc negotium momenti, & per ſe digniſſima, quæ ſciantur. *Multis & de toto orbe confluentium turbis, & ſanctorum Fratrum monaſteriique curis occupatus, commentarios in Hieremiam per intervalla dictabam, ut quod deerat otio, ſupereſſet induſtriæ; cum ſubito hæreſis Pythagoræ & Zenonis ἀπαθείας ϗ ἀναμαρτησίας, id eſt, impaſſibilitatis & impeccantiæ, quæ olim in Origene, & dudum in diſcipulis ejus Grunnio, Evagrioque Pontico, & Joviniano jugulata eſt, cœpit reviviſcere, & non ſolum in Occidentis; ſed & in Orientis partibus ſibilare, & in quibuſdam inſulis, præcipueque Siciliæ & Rhodi, maculare pleroſque, & creſcere per dies ſingulos, dum ſecreto docent, & publice negant: cui reſpondere, diu tacens, & dolorem ſilentio devorans, crebra Fratrum expoſtulatione compulſus ſum; nec tamen huc uſque prorupi, ut auctorum nomina ponerem, malens eos corrigi, quam infamari. Nec enim hominum, ſed erroris inimicus ſum: qui mihi ut vicem talionis & gemitum ſui doloris illiderent, veteres magiſtrorum ſuorum calumnias concinentes, in tantum elingues & miſeri demonſtrati ſunt, ut ne maledicere quidem ſuis verbis potuerint: quorum tunc temporis, editis adverſus eos libris, neniæ confutatæ ſunt; quos qui legere voluerint, liquido pervidebunt, canes eos juxta Iſaiam eſſe mutos, qui latrare neſciant, habentes quidem voluntatem & rabiem mentiendi, ſed artem fingendi & latrandi non habentes. Quibus loquar compendio: Aut bona ſunt, quæ docetis, aut mala. Si bona, defendite libere; ſi mala, quid occulte miſeros jugulatis errore, rectæque fides, ad decipiendos ſimplices queſque, jactatis expoſitionem? Quæ ſi vera eſt, cur abſconditur; ſi falſa, cur ſcribitur? Rogo, quæ eſt iſta infamia? Præcipiente Apoſtolo, ut parati ſimus ad ſatisfaciendum* omni poſcenti nos rationem de ea quæ in nobis eſt ſpe; *& Propheta clamante:* Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non confundebar. *Iſti publicum fugiunt, & ſuſurrant in angulis perditorum, dolentque quaſi pro ſuis, quæ ſua metuunt confiteri. Cumque generaliter adverſum vitia quid & hæreticos dixerimus, ſe pati queruntur, malumque conſcientiæ diſſimulata diu indignatione pronuntiant. Quod ſi cavendum nobis eſt, ne veterem lædere videamur neceſſitudinem, ſi ſuperbiſſimam hæreſim ſpirituali mucrone truncemus, ergo ſuſtinendæ erunt nobis cruces proditæ fides, & dicendum cum Propheta:* Verſatus ſum in miſeria, dum mihi infigitur ſpina. *Quin potius audiant illud apoſtolicum:* Obedire Deo magis oportet, quam hominibus. *Et iterum:* Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. *Verum hæc in proprio, niſi tacuerint, opere plenius exequimur.*

1 Pet. 3. v. 15.
Pſ. 118. v. 46.
Pſ. 31. v. 4.
Act. 5. v. 29.
Gal. 1. v. 10.

In commentariis ad caput 23. de Pelagianis loquitur, non item de Palladio Galata, quod ſuſpicatus tamen Baronius, cum ait, non omittendum monere lectorem, præfationem in ſextum librum commentariorum in Ezechielem videri pertinere ad hiſtoriam Pelagianam, ſcriptamque poſt mortem Rufini Aquilegienſis, quaſi ex ejus buſto Pelagiani enaſcerentur. Sic enim habet: *Putabam quod medio ſerpente confoſſo, non reviviſcerent hydræ novella plantaria, & juxta fabulas poëtarum, Scylla mortua, nequaquam in me Scyllæi ſævirent canes, qui latrare non ceſſant; & hæreticis Dei percuſſis manu, ne tentarentur*, ſi fieri poteſt, etiam electi Dei. * *Hæreſis ipſa non moritur, hæreditariis contra nos odiorum ſuorum catulis derelictis, qui noſtra ſimulantes, genitricis antiquæ & pellacis Ulyſſis venena non deſerunt, labiaque tantum melle circumliniunt, & juxta eloquia Scripturarum*, mollierunt verba ſua ſuper oleum, ipſi autem ſunt jacula, *& jacula ignita, quæ ſcuto fidei repellenda ſimul & extinguenda ſunt.*

Præf. in 6. lib. comm. Ezechielis.
Deeſt aliquid; forte, pax exiſteret.
Matth. 24. v. 22.
Pſ. 54. v. 22.

Quis ſtatus rei Pelagianæ in Palæſtina ab adventu Pelagii ad ſynodum Dioſpolitanam.

Ex his præfationibus Hieronymi, aliiſque operibus jam memoratis intelligere eſt, quis ſtatus fuerit rei Pelagianæ in Palæſtina ab adventu Pelagii uſque ad ſynodum Dioſpolitanam, quibuſque artibus promoveretur, præſertim apud nobiles feminas, ipſo per ſe agente Pelagio cum Anniano: coibat nempe factio toti orbi perniciem factura, pietatis atque humilitatis ſpecie, ſeverioris diſciplinæ jactantia, alienorum operum reprehenſione, occultis conventibus in cubiculis, adulatione potentium viduarum, facundiæ oſtentatione, callida doctrinæ expoſitione, minis in eos, qui contra ſcriberent, quaſi reſponſionum mole obruendi forent; querela continua, quod invidiam paterentur homines evangelicæ regulæ

tena-

141

Digitized by Google

tenaciſſimi; clericorum ſciſſione in partes, inſpirato parti ſuo oomine donatæ odio erga ſanctos, qui cum Hieronymo in monaſterio ſerviebant Deo, &c.

Reliquæ tres epiſtolæ.

Epiſtola ad Alipium & Auguſtinum ſcripta ann. 419.

EPISTOLA ad Alipium & Auguſtinum paulo ante mortem Hieronymi ſcripta eſt, nimirum ann. 419. ſub finem: namque io ea fit mentio, & ſynodi Dioſpolitanæ, quæ coacta eſt ano. 415. ſub finem; & commorantium in Palæſtina Piniani & Melaniæ, qui eum Albina advenerant ann. 416. & jugulatæ hæreſis Cæleſtianæ, quod cootigit ann. 418. & obitus ſanctæ Euſtochii, quæ tranſiit ad Deum die 28. Septembris ann. 419. & redeuntis poſt annum in Africam Innocentii presbyteri, qui miſſus fuerat ann. 418. Alexandriam ab Africana ſynodo ad conquirendos eanones Nicænos; rediit vero ann. 419. ſtatimque Romam miſſus eſt, cum canonibus ad Bonifacium VI. Kalend. Decembris.

Quamquam, ut ingenue fatear, difficile creditu mihi videtur, Innocentium *ex ſancta Bethleem profectum aliquanto temporis intervallo, poſt dormitionem Euſtochii, qua ſe pridem doluiſſe* ſcribit Hieronymus, Carthaginem veniſſe hiemis tempore, & VI. Kalend. Decembris miſſum fuiſſe Romam. Quare vel mors Euſtochii in annum priorem referri debet, quod minus reor; vel Innocentius, qui literarum Hieronymi portitor, non fuit idem ac qui Alexandriam legatus eſt ab Africanis, quod non illibenter fatear, propter hæc Hieronymi verba: *Sanctus Innocentius presbyter, qui hujus ſermonis eſt portitor, anno præterito, quaſi nequaquam in Africam reverſurus, mea ad dignationem veſtram ſcripta non ſumpſit.* At qui legatus fuerat Innocentius, utique reverſus erat.

Etſi hæc epiſtola contineat reſponſionem ad quæſita Alipii & Auguſtini de libris ab Aoniano adverſus epiſtolam Hieronymi ad Cteſiphontem dialogoſque ſcriptis; meliori tamen ex parte poſita eſt in gratiis magnifice utrique agendis, *quod ipſis cooperatoribus & auctoribus hæreſis Cæleſtiana jugulata eſſet.*

Sectatorum Pelagii vix noo io rabiem verſorum, ob condemnationem magiſtri, meminit his verbis: *Cum ſuperatos damnatoſque eſſe ſe ſentiant, tamen venena mentium non omittunt, &, quod ſolum poſſunt, nos oderunt, per quos putant ſe libertatem docendæ hæreſis perdidiſſe.*

Habet plura de Anoiano quæ non parum conducunt ad hiſtoriam & criticam, ſed hæc retulimus in Anniani elogio.

Duæ ſuot adhuc epiſtolæ ad Auguſtinum, ſed breves admodum, atque ænigmaticæ, ut antea dictum eſt; altera apud Auguſtinum vigeſima quinta numeratur; altera vigeſima ſexta. Illa videtur ſtatim poſt ſynodum Dioſpolitanam data, quando *graſſante neſcio quo perditorum cuneo, qui valde in perverſum niteretur Pelagio ſuffragari, vix munitior turris Hieronymum ab impetu & incurſu impiorum tueri potuit.* Iſta paulo poſt auditam in Palæſtina condemnationem utriuſque hæretici a Zoſimo: id enim ſignificant verba mox afferenda.

25. quæ ad Auguſtinum, data eſt paulo poſt ſynodum Dioſpolitanam. *Lib. de geſtis Palaſt. c. ult.* 26. poſt damnationem hæreſis a Zoſimo Papa.

In priore eximium iſtud eſt: *Macte virtute in orbe celebraris; catholici te conditorem antiquæ rurſum fidei venerantur atque ſuſpiciunt, &, quod ſignum majoris gloriæ eſt, omnes hæretici deteſtantur, & me pari perſequuntur odio, ut quos gladiis nequeunt, voto interficiant.*

Eximium quiddam ex utraque.

Eximium hoc etiam in altera. *Multi utroque claudicant pede, & nec fractis quidem cervicibus inclinantur, habentes affectum erroris priſtini, cum prædicandi eamdem non habeant libertatem.*

Tres epiſtolæ oſtendunt rei Pelagianæ ſtatum in Palæſtina a ſynodo Dioſpolitana uſque ad annum 419. nempe inſoleſceotes hujus factionis homines, propter ſuffuratam a Pelagio per mendacia abſolutionem ab Epiſcopis, ſuam hæreſim approbatam, epiſtolis in provincias miſſis, mentiti ſunt, ſuiſque adverſariis apertam vim intulerunt, *ut Hieronymum vix munitior turris tueri potuerit, Dei ſervi & ancillæ ad curam Hieronymi pertinentes ſceleratiſſima cæde afficerentur, diaconus occideretur, & ædificia monaſteriorum incenderentur.* Sed audita condemnationis fama, inſolentiaque io rabiem verſa, nihil oon commenti ſunt, nihil non machinati adverſus eos, quos ſuæ damnationis auctores crederent, metuque imperialium ſanctionum compreſſi, noo evomuerunt venenum, ſed occultius foverunt.

Lib. de geſt. cap. ultim.

CAPUT II.

De ſcriptis ab Auguſtino adverſus Pelagianos.

Laus Auguſtini ab Hormiſda Papa.

HACTENUS de Hierooymo, qui bello Eccleſiæ contra Pelagianos velitatus eſt, eo fere modo, quo ſolent veterani duces, fama potius quam manu. Totam capeſſivit pugnam Auguſtinus, de quo non honorificentius, quam prudentius Hormiſdas Papa dixit: *Quid Romana aſſeveret Eccleſia de libero arbitrio & gratia Dei, ex variis Auguſtini libris, & maxime ad Hilarium & Proſperum, cognoſci poſſe.* id eſt, ut ego quidem ioterpretor, poſſe quidem, vel ex uno ſatis Auguſtino conſtare, quid columna veritatis, quid os Spiritus ſancti loquatur. Sed tanti nihilominus viri ſententiam, ooo ex quibuſcumque operibus æqualiter, verum ex poſtremis potiſſimum, intelligendam. Atque hæc pars ſententiæ Pontificis eum talis ſit, ut ad alicujus doctoris commendationem brevius oihil, cumulatiuſque dici poſſit; altera tamen neceſſariæ cujuſdam prudentiæ monitum graviſſimum continet, ne dum auctoritatem ita commendatam ſequimur, veluti regulam catholici ſenſus, unam omnibus ſine delectu operibus fidem præſtemus, atque ita imprudentes ab ipſomet magiſtro aberremus. Quamvis enim Auguſtinus aſſecutus ſit aliquando tantam divinorum gratiæ myſteriorum intelligentiam, quantam forte nemo alius, præter Apoſtolos; non tamen conſtitit ſtatim in ſummo, ſed per gradus nitendo, difficultatum tenebras, prout divina lux ſe infundebat, obſtantes perrupit.

Prudens ejuſdem Papæ cautio.

Id de ſe ipſe cordate ſincereque teſtatus eſt, nec uno io loco, nec uno tempore; ideoque ſui ſtudioſus jubebat ita ſuis io operibus legendis verſari, ut ſecum proficere, & iiſdem quaſi paſſibus ad veritatem accedere ſtuderent.

Ab ipſomet Auguſtino allata. *Epiſt. 7. & Lib. bon. perſev. c. 21. &c.*

Ego certe, cum primum animum applicui ad quæſtiones gratiæ penitius ſerutandas, ſanctiſſimi doctoris præcepto obediendum putavi, hauriendamque ex eo fonte veritatem, quem mihi puriſſimum veritatis magiſtra Eccleſia indicabat. Eam ob rem diligentius inquiſivi, quæ vera forent Auguſtini opera, quæ ſuppoſita; quæ ad negotium gratiæ per ſe pertinerent, quæ id obiter tantum attingerent; quo denique ſingula tempore conſcripta ſint, & qua ſcribentis experientia, ut preſſis veſtigiis doctorem ab Eccleſia mihi datum ſequerer, ejuſque ductu, & quaſi methodo, facilius eo pervenirem, quo tendebam.

Erit forte, qui ſuperflua me diligentia laboraſſe putet, eum toto hoc labore ſanctus doctor defunctus videatur, recenſitis ordine ſuis operibus. Verum in Retractationum libris, neque epiſtolæ recognitæ ſunt, oeque homiliæ; ſed tractatos dumtaxat, in quibus tamen ordinem temporis exacte non ſervari, vel ex hoc uoo quiſque facile cognoſcet, quod adhuc incertum ſit apud eruditos, quo anno liber *de gratia & libero*

Non ſuperflua inquiſitio temporis quo ſingula Auguſtini opera conſcripta ſunt.

Digitized by Google

libero arbitrio, quoque alius *de octo Dulcitii quæſtionibus* conſcriptus ſit. Neque illud mirum, cum Auguſtinus inter retractandum, ea ſæpe conjunxerit, propter cognationem argumenti, quæ temporis ratione diſtarent; & forte nonnunquam acciderit, ut ſenem ſeptuagenario majorem memoria deficeret.

Quæ ſcripta ſint

ANTE ANNUM CCCCXII.

Libri tres de libero arbitrio.	Tomo I.
Liber unus de duabus animabus.	Tomo VI.
Expoſitio quarumdam propoſitionum ex epiſtola ad Romanos.	Tomo IV.
Libri duo ad Simplicianum	Tomo IV.

TESTATUR Auguſtinus, ſe nihil ante hunc annum in hæreſim Pelagianam ſcripſiſſe, *contra quam prius, cum opus fuerat, non ſcripturis, ſed ſermonibus & collocutionibus agebat.*

Lib. 2. Retract. cap. 33.

Videtur tamen naſciturum hoc monſtrum quaſi præſocaſſe, tribus libris de libero arbitrio, quos partim Romæ inchoavit laicus, partim in Africa presbyter abſolvit: libro uno de duabus animabus, & expoſitione quarumdam propoſitionum ex epiſtola ad Romanos, quod utrumque opus elaboravit adhuc presbyter; tandem duobus libris ad Simplicianum, quos edidit jam factus Epiſcopus.

Lib. 1. Retract. cap. 9.
Ibid. c. 15. & 22.
Lib. 1. Retract. cap. 1.

Inquirendum in ea tantum opera quæ octodecim annis ſcripta ſunt.

Atque hinc conſtat, inquirenda nobis eſſe tempora eorum tantum operum, quæ ſcripta ſunt octodecim annorum ſpatio: quot nempe effluxerunt ab opere primo ad Marcellinum, ad mortem Auguſtini quæ contigit ann. Chriſti 430. V. Kalend. Septembris.

ANNO CCCCXII.

Libri tres ad Marcellinum de peccatorum meritis & remiſſionibus.	Tomo VII.
Liber de ſpiritu & litera ad eumdem.	Tomo III.
Epiſtola ad Honoratum.	Tomo II.

Diſſert. de ſynodis.

SCRIPTI ſunt hi quinque libri, nam epiſtolam Auguſtinus librum quoque vocat, poſt judicium Carthaginenſe de Cæleſtio, quod ann. 412. ante Quadrageſimam factum eſt; & ante mortem Marcellini, qui *ſub invidia tyrannidis Heraclianæ ab hæreticis innocens cæſus eſt*, ann. 413. VIII. Id Aprilis.

Hieron. dialog. 3. ſub finem.

Libri tres ad Marcellinum quo nomine cenſeantur ab Auguſtino & Hieronymo.

Primi omnium prodierunt duo, qui etſi præferant vulgarem titulum *de peccatorum meritis & remiſſionibus*; ab Auguſtino tamen *de baptiſmo parvulorum, & perfectione hominis*; ab Hieronymo *de infantibus baptizandis*, ſumpta appellatione a præcipua parte, nominantur.

Lib. de geſt. Palæſt. c. 11.
Dialog. 3. ſub finem.
Lib. de geſt. cap. 11.
Lib. 2. Retract. cap. 33.

Scribendorum cauſa narratur, partim in libro de geſtis Palæſtinis, partim in Retractationibus, *ferventibus ſcilicet contentioſiſſima aſſertione quæſtionibus* de mortalitate Adami, baptiſmo parvulorum, & *ἀναμαρτησίᾳ*: Marcellinoque tribuno, qui *moleſtiſſimos patiebatur diſputatores adverſus antiquam traditionem*, per literas Auguſtinum conſulente, coegit ſanctum doctorem *ſollicitudo caritatis, quam erga Chriſti Eccleſiam per gratiam Dei habebat*, ut ad eumdem Tribunum mitteret duos primum libros, deinde tertium. Sic enim ait: *Poſt dies pauciſſimos a miſſis libris, legi Pelagii quædam ſcripta, viri, ut audio, ſancti, & non parvo profectu chriſtiani, quæ in Pauli Apoſtoli epiſtolas expoſitiones breviſſimas continerent; atque ibi comperi, cum ad illum veniſſet locum, ubi dicit Apoſtolus:* Per unum hominem peccatum intraſſe in mundum, & per peccatum mortem, atque ita in omnes homines pertranſiiſſe; *quamdam eorum argumentationem, qui negant, parvulos peccatum originale geſtare, &c. Quapropter quoniam illi operi, quod jam certo fine concluſeram, nihil addere volui, & ipſum eiſdem verbis, quibus eam legi, & quid mihi contra videatur, huic epiſtolæ inſerendum putavi.*

Cur ad duos tertius acceſſerit.
Lib. 3. de pecc. meritis, &c. cap. 1.
Rom. 5. v. 12.

Ratio temporis quo ſcripti ſunt.

Poſt judicium Carthaginenſe compoſitos a ſe teſtatur Auguſtinus, ſed ante mortem Marcellini. *Cæleſtius, diſcipulus ejus, jam propter tales aſſertiones apud Carthaginem in epiſcopali judicio, ubi ego non interfui, excommunicationem meruerat.* Et alio in loco: *Ad quem*, inquit, *ſcripſeram tres libros, quorum titulus eſt, de peccatorum meritis & remiſſione, ubi diligenter diſputatur etiam de baptiſmo parvulorum, reſcripſit mihi ſe fuiſſe permotum, quod dixerim*, &c. Legenda in eamdem ſantentiam epiſtola 158. ad Marcellinum.

Lib. 2. Retract. cap. 33.
Ibid. c. 37.

Hæc cum certa ſint, ruere oportet opinionem Baronii tres ejuſmodi libros referentis ad annum 411. judicium enim de Cæleſtio habitum eſt ann. 412. ante Quadrageſimam.

Refutatur opinio Baronii.

Liber *de ſpiritu & litera* indubitatam præfert temporis notam; ſcriptus ſiquidem eſt poſt libros *de peccatorum meritis*, & ante mortem Marcellini, atque adeo, vel ſub finem præſentis anni, vel initio conſequentis.

Ratio temporis, quo ſcriptus etiam liber de ſpiritu & litera.
Ibidem.

Nec minus evidenti charactere inſignitur epiſtola ad Honoratum *de gratia novi Teſtamenti:* ſic enim Auguſtinus Marcellino, poſt miſſos, atque etiam, nonnulla facta recognitione, remiſſos, tres libros de peccatorum meritis. *Nunc*, inquit, *in manibus habeo librum ad Honoratum noſtrum de quæſtionibus quibuſdam quinque, quas mihi propoſuit, & per literas intimavit.* Et alio in loco: *Eo ipſo tempore, quo contra Donatiſtas vehementer exercebamur, & contra Pelagianos exerceri jam cœperamus, amicus quidam miſit mihi quinque a Carthagine quæſtiones, & rogavit, ut eas illi ſcribendo exponerem*, &c.

Quoque liber ſeu epiſtola ad Honoratum.
Epiſt. 120.
Epiſt. 158.
Lib. 2. Retract. cap. 36.

ANNO CCCCXIII.

Sermo in die natali ſancti Joannis præcurſoris. Tomo II. Suppl.
Sermo XIV. de verbis Apoſtoli. Tomo X.

HOc anno habiti ſunt Carthagine duo ſermones ad populum, de baptiſmo parvulorum: primus in natali ſancti Joannis, menſe Junio, alter poſt natale ſancti Joannis, in feſto martyris, menſe Julio. Ille editus eſt nuper ex bibliotheca regia; iſte jamdudum cenſetur decimo quarto loco inter ſermones de verbis Apoſtoli.

2 part Suppl. pag. 338.

De primo hæc habet Auguſtinus. *Natali ſancti Joannis, inter cætera, quæ dicenda videbantur, ad baptiſmum parvulorum noſter ſermo deductus eſt; & quia jam prolixus erat, & de illo terminando cogitabatur, non tanta dicta ſunt de tanta quæſtione, quanta in periculo tanto a ſollicitis dici debuerunt: ſollicitos autem nos facit, non ipſa ſententia jam olim in Eccleſia catholica ſumma auctoritate fundata, ſed diſputationes quorumdam, qui modo crebreſcere, & multorum animas evertere moliuntur.* Quibus verbis nemo non agnoſcet ſignificari ſermonem nuper editum, qui voluerit, vel leviter ipſum oculis luſtrare.

Serm. 14. de verbis Apoſtoli.

De ſecundo ita idem Auguſtinus, poſt factam mentionem librorum de baptiſmo parvulorum, ad Marcellinum ſcribit. *De quo etiam, baptiſmo parvulorum, poſtea te jubente* (Aurelium alloquitur) *in baſilica Majorini, geſtans in manibus epiſtolam glorioſiſſimi martyris Cypriani, & de hac re verba ejus recitans atque pertractans, ut error iſte nefarius de quorumdam cordibus auferretur, quibus perſuaſa fuerant, quæ in his geſtis vidimus damnata, adjutus orationibus tuis, quantum potui, laboravi.*

Lib. de geſt. Palæſt. c. 11.

Habitus eſt, ut mox dixi, poſt feſtum natale ſancti Joannis, & in die ſolemni martyris cujuſdam, Felicitatis opinor, non quæ ſociam habuit Perpetuam, & Tuburtæ paſſa eſt, ſed alterius ſeptem filiorum martyrum matris, cujus memoria VI. Idus Julii in Africa quoque celebrabatur. Sic enim Auguſtinus poſt ea, quæ pertinent ad priorem ſermonem mox allata, pergit: *Hodie ergo adjuvante Domino placuit vobis hinc loqui. Diem quidem ſolemnem martyris celebramus, ſed major cauſa eſt omnium fidelium, quam tantummodo martyrum*, &c. Verbum Apoſtoli, quod tractatum eſt, fuit iſtud procul dubio, quod in primo

Poſt feſtum S. Joannis.
Die 10. Julii.
Serm 14. de verb. Apoſt.

mo ſermone allatum eſt: *Per Adam enim peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, atque ita in omnes pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.*

Ibid. Argumentum exponitur his verbis: *Concedunt parvulos baptizari oportere; non ergo quæſtio eſt inter nos & ipſos, utrum parvuli baptizandi ſint: ſed de cauſa quæritur, quare baptizandi ſint,* &c. *Nos dicimus, eos aliter ſalutem & vitam æternam non habituros, niſi baptizentur in Chriſto: illi autem dicunt, non propter ſalutem, non propter vitam æternam, ſed propter regnum cælorum,* &c.

Lib. 3. ep. 8. ad Fidum de baptiſmo infant. Re multis rationibus confecta, adjunxit Auguſtinus auctoritatem ſancti Cypriani, cujus epiſtolam audienti populo integram prælegit, partim in primo, partim in ſecundo ſermone. Videtur autem Hieronymus, vel utrumque legiſſe ab Oroſio ex Africa delatum, vel narrantem Oroſium audiviſſe: *Dialog. 3. adverſ. Pelag.* ejuſdem enim epiſtolæ, quam perinde ac Auguſtinus deſcripſit, auctoritate uſus eſt.

ANNO CCCCXIV.

Liber ſive epiſtola ad Hilarium Monachum. Tomo II.
Liber de perfectione juſtitiæ. Tomo VII.

Liber ad Hilarium Syracuſanum monachum. AUGUSTINUS Hilario Syracuſis interroganti de quæſtionibus Pelagianorum, reſpondit epiſtola, quam ipſe propter prolixitatem librum vocat. Fuit vero Hilarius laicus tantum, quippe quem Auguſtinus *Epiſt. 89.* filium nominat, monachum Hincmarus.

Lib. de geſt. c. 11. *Lib. de prædeſtinat.* Ratio temporis, quo ſcriptam dicimus epiſtolam hanc, facile inde conficitur. Ab Oroſio in Palæſtinam delata eſt, lectaque in conventu presbyterorum die Quo tempore ſcripta. 30. Julii anni 415. ab Hieronymo memoratur in 3. *Oroſius in apolog. c. 3.* dialogo, quem abſolutum eſſe ante ſynodum Dioſpolitanam oſtendimus; in eadem ſynodo inde Pela- *Dial. 3 ſub fin.* gio quædam objecta ſunt. *Lib. de geſt. cap. 11.* Cum ergo Oroſius in Palæſtinam venerit verna tempeſtate ann. 415. cumque ipſe de hac epiſtola Auguſtini, & de alia Hieronymi ad Cteſiphontem loquens, utramque nuper ſcriptam dixerit, certe cum epiſtola Hieronymi, vel ſub finem anni 413. vel hujuſce 414. initio data ſit; fatendum quoque eſt, Auguſtini epiſtolam, vel exeunte anno 413. quod minus reor; vel ineunte iſto 414. ſcriptam fuiſſe.

Neque vero prius ſcribi potuit, cum in ea fiat mentio, tum judicii de Cæleſtio facti Carthagine, ſub initium anni 412. tum librorum *de peccatorum meritis*, & libri *de ſpiritu & litera*, qui editi ann. 412. ſub finem, tum denique eccleſiaſticorum ſermonum, de quæſtionibus Pelagianorum, quorum præcipui fuerunt illi duo, qui habiti ann. 413. circa medium.

Notatus Baronius. Inde vero evertitur opinio Baronii, epiſtolam hanc volentis ſcriptam fuiſſe ann. 411. id eſt, ante judicium de Cæleſtio exercitum Carthagine, & ſcriptos ad Marcellinum libros.

Ad idem ipſum tempus, ſi tamen non ad ſuperius *Libro de perfectione juſtitiæ.* pertinet liber *de perfectione juſtitiæ*, quo reſpondit Auguſtinus libro, quem ex Sicilia acceptum Paulus & Eutropius Hiſpaniarum Epiſcopi, ad ipſum miſerant. Erat ille Cæleſtii, ut dicebatur, continebatque definitiones ſexdecim, ſeu ratiocinationes de ἀναμαρτησίας, cum ſuis e Scriptura teſtimoniis, objectorumque ſolutionibus. Ratio temporis mihi videtur inde poſſe non Quo tempore ſcriptus. improbabiliter concludi. Nam Oroſius, in ſua ad Auguſtinum de Priſcillianiſtis conſultatione, meminit Commonitorii, ut loquitur, de hæreſibus Auguſtino ab iſtis duobus Epiſcopis directi; nec aliud videtur nomine Commonitorii ſignificaſſe, quam literas cum definitionibus miſſas: ſi enim aliud ſignificatum voluiſſet, id procul dubio non tacuiſſet Auguſtinus, ut ex rerum adjunctis manifeſtum eſt. Cum ergo conſultatio non exiguo tempore præceſſerit Oroſii, ſive ex patria ad Auguſtinum, ſive ex Africa ad Hieronymum profectionem, cumque ſcriptus ſit liber *de perfectione juſtitiæ*, & ante reditum Oroſii ex Oriente in Africam, & poſtquam Auguſtinus Hilarii, ut opinor, de accepta epiſtola gratias agentis reſponſione didiciſſet, Cæleſtium non eſſe in Sicilia, neceſſe eſt tunc temporis fuiſſe confectum.

Objectio. Verum contra hanc rationem temporis pugnat objectio ſane gravis. Nam ſi liber iſte jam tunc temporis fuiſſet conſcriptus, cum Oroſius Palæſtinam profectus eſt, ab ipſo delatus eſſet, una cum aliis operibus tunc abſolutis, libris nempe tribus *ad Marcellinum*, ſermone XIV. *de verbis Apoſtoli*, & epiſtola *ad Hilarium*: neque enim minoris momenti videri potuit ad rem fidei contra Pelagium defendendam. Delatum vero non fuiſſe ex eo conſtat, quod & Hieronymus de impeccantia diſputans ipſius non meminit, non oblitus, cum de baptiſmo parvulorum ageret, librorum ad Marcellinum; & de ipſo nihil Oroſius legerit in ſynodo Joannis, cum tamen opportunum admodum eſſet; & inde nihil objectum ſit Pelagio Dioſpoli, etſi longe plura pravioraque contineat, quam libellus Epiſcoporum.

Facit hæc objectio, ut ſententiam meam non indubitabilem opiner; non facit tamen ut falſam rear: po- Solvitur. tuit enim fieri, ut quemadmodum librum *de ſpiritu & litera* Oroſius vel non detulit, vel non meminit, ita nec iſtum, licet uterque multum conducat ad fidem tuendam. Potuit pariter fieri, ut eadem cauſa, cur Auguſtinus hunc inter recenſendos libros prætermiſerit, memor tamen epiſtolæ ad Hilarium, vetuerit ne ipſum Oroſius ſecum deportaret, forte nimium miſſæ ad Paulinum & Eutropium reſponſionis apographum, vel nullum Hippone ſervatum, vel amicis commodatum ut deſcriberetur, communi cum aliis, quorum meminit Poſſidius, libris fato, recuperari non potuit.

ANNO CCCCXV.

Duæ epiſtolæ ad Hieronymum. Tomo II.
Liber de natura & gratia. Tomo VII.

AUGUSTINUS duas dedit ad Hieronymum Duæ ad Hieronymum epiſtolæ per Oroſium delatæ. epiſtolas; alteram de origine animarum; alteram de loco Jacobi: *Qui offenderit in uno, factus eſt omnium reus.* Utramque detulit ſecum Oroſius, de quo Auguſtinus. *Venit ad me religioſus juvenis catholica pace* *Epiſt. 28.* *frater, ætate filius, honore compresbyter noſter Oroſius,* *Epiſt. 29.* *vigil ingenio, paratus eloquio, flagrans ſtudio, utile vas in domo Domini eſſe deſiderans, ad refellendas falſas pernicioſaſque doctrinas, quæ animas Hiſpanorum multo infelicius, quam corpora barbaricus gladius trucidarunt. Nam inde ad nos uſque ab oceani litore properavit, fama excitus, quod a me poſſet de iis quæ ſcire vellet, quidquid vellet audire. Neque nullum cepit adventus ſui fructum. Primo ne de me multum famæ crederet: deinde docui hominem, quod potui; quod autem non potui, unde diſcere poſſet admonui, atque ut ad te iret hortatus ſum. Qua in re conſilium vel præceptum meum, cum libenter & obedienter acciperet, rogavi eum, ut abs te veniens, per nos ad propria remearet. Quam ejus pollicitationem tenens, occaſionem mihi credidi a Domino eſſe conceſſam, qua tibi ſcriberem de iis, quæ per te ſcire cupio,* &c.

Librum *de natura & gratia* inchoaverat quidem Liber de natura & gratia, quo tempore ſcriptus. antequam Oroſius Hippone ſolveret, ſed nondum abſolverat. Unde in Retractationibus. *Lib. 1. Retract. cap. 42.* *Venit etiam tunc in manus meas quidam Pelagii liber, ubi hominis naturam contra Dei gratiam, qua juſtificatur impius, & qua chriſtiani ſumus, quanta potuit argumentatione defendit: librum ergo, quo huic reſpondi, defendens gratiam, non contra naturam, ſed per quam natura liberatur & regitur, de natura & gratia nuncupavi,* &c. Et ad Innocentium Papam nomine quinque Epiſcoporum. *Epiſt. 95.* *Miſimus reverentiæ tuæ librum, quem dederunt quidam religioſi & honeſti adoleſcentes ſervi Dei, quorum etiam nomina non tacemus, qui ſicut audivimus, & jam noſſe dignaris, ipſius Pelagii exhortatione, ſpem quam habebant in ſæculo, reliquerunt, & nunc continenter Deo ſerviunt: qui cum eodem errore tandem aliquando, per qualemcumque operam noſtram, Domino inſpirante, caruiſſent, protulerunt eumdem librum, Pelagii eſſe dicentes, & ut ei reſponderetur, impendio rogaverunt. Factum eſt. Ad eoſdem reſcripta eſt ipſa reſponſio. Agentes gratias reſcripſerunt. Utrumque miſimus, & cui reſcripta eſt, & quo reſponſum eſt. Et ne nimium eſſemus oneroſi, ſigna fecimus his locis, ubi petimus inſpicere non graveris.*

In libro de geſtis Palæſtinis narrat totam libri ve- *Cap. 23. 24. & 25.*
lut

Epiſt. 252. lut hiſtoriam, quam contexuerat etiam ſcribens ad Joannem Hieroſolymitanum.

Apolog. c. 3. Unde ipſe quoque Oroſius. *Expoſui*, inquit, *coronæ veſtræ breviter, ut potui, Cæleſtium jam ad honorem presbyterii ſubrepentem, apud Carthaginem plurimis Epiſcopis judicantibus proditum, auditum, convictum, deteſtatumque ab Eccleſia, ex Africa profugiſſe; contra librum vero Pelagii B. Auguſtinum, diſcipulis ipſius Pelagii prodentibus ac petentibus, pleniſſime reſpondere.* Et poſtea: *Hoc in Cæleſtio Africana ſynodus deteſtata eſt. Hoc Auguſtinus Epiſcopus ſcriptis ſuis, ſicut audiſtis, exhorruit. Hoc in ipſius nunc Pelagii ſcriptis ſua reſponſione condemnat.*

Inchoatus ante Quadrageſimam. Ex his concludere licet, librum, de quo nunc agitur, oon tantum antequam Oroſius ab Auguſtino diſcederet Africa, id eſt, ann. 415. verna tempeſtate; ſed etiam propinquante Quadrageſima fuiſſe inchoatum, abſolutum vero æſtivo tempore. Unde Auguſtinus ad Evodium. *Epiſt. 102.* *Scripſi etiam grandem quemdam librum adverſus Pelagii hæreſim, cogentibus nonnullis fratribus, quibus contra gratiam Chriſti opinionem pernicioſiſſimam perſuaſerat. Hæc omnia ſi habere volueris, aliquem mitte, qui tibi cuncta deſcribat.* Dixerat antea: *Si ea quæ me magis occupant, a quibus in aliud averti nolo, ſanctitas tua noſſe tanti habet, mitte aliquem qui tibi deſcribat. Jam enim plura perfecta ſunt, quæ hoc anno ante Paſcha, propinquante Quadrageſima, a nobis fuerant inchoata.* Abſolutus æſtiva tempeſtate.

Notatus Baronii locus. Ex his vero emendari debet, quod ſcripſit Baronius ad annum 414. de hoc libro, atque etiam de epiſtola 102. ad Evodium, aliiſque operibus Auguſtini: nam ut de aliis taceam, liber nondum *de natura & gratia* abſolutus erat, cum ex Africa ſolveret Oroſius, quod ipſe teſtatur, atque etiam Hieronymus in tertio dialogo. Solvit autem anno tantum 415.

ANNO CCCCXVI.

Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum.	Tomo II.
Sermo.	Apud Eugyppium.
Epiſtola ad Mercatorem.	Tomo IV.
Tres ad Innocentium epiſtolæ.	Tomo II.
Epiſtola ad Hilarium Epiſcopum.	Tomo II.

Epiſt. 30. inter Auguſt. Synod. concil. Milevitani. Mercator in Commonit. Lib. de geſt. cap. 32. Ibid. cap. 30.

OROSIUS in Africam rediit menſe Majo, liteſraſque, tum Hieronymi ad Auguſtinum, tum Erotis & Lazari ad Africanos Epiſcopos de rebus Dioſpoli geſtis, reddidit: detulit quoque orientalis diaconus, civis Hipponenſis, miſſam a Pelagio ad Auguſtinum defenſionis ſuæ chartulam: vulgata eſt pariter Pelagii epiſtola ad amicum quemdam presbyterum, qua *gloriabatur ſuam definitionem*, quod poſſit homo ſine peccato eſſe, & Dei mandata facile cuſtodire, ſi velit, *quatuordecim Epiſcoporum ſententia comprobatam*.

Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum Pelagii ſtudioſum. Poſt hæc Auguſtinus, & præſertim poſt relationem familiarem Oroſii, de gratia Pelagii apud Joannem Hieroſolymitanum, ad eumdem Epiſcopum ſcripſit, queſtus primum, quod reſponſionem literis, utique per Oroſium datis, ab eo non accepiſſet: deinde monens fraterna caritate, ne permitteret ſibi a Pelagio illudi, cujus nonnihil ex libro *de natura* protulit in ſpecimen impietatis: denique ſuum offerens librum *de natura & gratia*, & viciſſim petens, Epiſcoporum plurium nomine, geſta ſynodi Dioſpolitanæ in Africam tranſmitti.

Epiſtola igitur ad Joannem, (qui obiit ann. 417. die 10. Januarii) & poſt Concilium Dioſpolitanum habitum, ann. 415. menſe Decembri ſub finem; & ante duas ſynodos, Carthaginenſem ac Milevitanam, autumni tempore ann. 416. congregatas; & poſt Oroſii in Africam reditum, menſe Majo ejuſdem anni; atque ita circiter menſem Julium ann. 416. ſcripta eſt: Emendatus Baronii locus. quare oportet minus attendiſſe Baronium ad has temporis notas, cum ſcriptam tradit anoo ſuperiore.

Sermo apud Eugyppium. Tom. 2. c. 288. Per idem tempus habitus eſt ſermo, cujus partem refert Eugyppius, hæc enim verba leguntur ſub finem: *Hoc agit hodie ſatanas, quomodo per venena hæreticorum ejiciat homines de Eccleſia, ſicut per venena ſerpentis ejecit de paradiſo. Illum nemo dicat, abſolutum eſſe ab Epiſcopis. Abſoluta eſt ſed confeſſio, quaſi correctio ipſa eſt abſoluta, quia ea quæ dixit ante Epiſcopos, catholica videbantur. Quæ autem ſcripſit in libris ſuis, Epiſcopi qui abſolverunt, neſcierunt, & forte correctus eſt. Deſperare enim de homine non debemus, qui forte fidei catholicæ adjungi ſe maluit, & ad Dei gratiam auxiliumque confugit: forte hoc factum eſt. Tamen non hæreſis eſt abſoluta, ſed homo hæreſim negans, &c.*

Habitus eſt igitur, oon ſolum ante ſynodos, de quibus non tacuiſſet Auguſtious, quemadmodum nec tacuit ſermone ſecundo *de verbis Apoſtoli*; ſed etiam poſt jactatam de Pelagii abſolutione famam, fidemque quam fecerat *epiſtola carnalis ventoſitatis & elationis, quæ geſtorum tarditatem procuratam præcedens in manus hominum prævolaret.* Quo tempore habitus. *Lib. de geſt. cap. 30.*

Intelligimus porro non obſcure ex hoc ſermone, quis ille fuerit Epiſcopus, quicum Pelagius Romæ vix non jurgatus eſt, propter dictum Auguſtini Deum alloquentis: *Da quod jubes, & jube quod vis*; nec enim alius fuit quam Urbanus Siccenſis, de quo Auguſtinus. *Sanctus frater & coepiſcopus meus, Urbanus noſter, qui hic presbyter fuit, & modo eſt Siccenſis Epiſcopus, cum remeaſſet ab urbe Roma, & ibi cum quodam talia ſentiente confligeret, vel ſe conflixiſſe referret, cum urgeretur pondere orationis dominicæ; (urgebat enim eum, & dicebat: Si in noſtra poteſtate eſt non peccare, & in noſtra poteſtate eſt omnes peccatorum tentationes ſolis voluntatis noſtræ viribus ſuperare, quare Deo dicimus:* Ne nos inferas in tentationem? *) quid eum putatis reſpondiſſe? Rogamus, inquit, Deum, ne nos inferat in tentationem, ne aliquid mali patiamur, quod non habemus in poteſtate; ne ruam de equo, ne frangam pedem, ne latro me interficiat: hæc enim non habeo in poteſtate*, &c. Quis ille Epiſcopus cum quo Romæ jurgatus Pelagius.

Eodem anno ſcriptam fuiſſe epiſtolam ad Mercatorem, cum conſuluiſſet *de quæſtionibus quibuſdam Pelagianorum, qui negant mortem peccati eſſe retributam*, demonſtravimus io notis. Epiſtola ad Mercatorem. *Lib. de 8. quæſt. ad Dulcitium.*

Circiter menſem Octobrem tres ad Innocentium epiſtolæ directæ ſunt. Una Patrum Carthaginenſium, altera Milevitanorum, tertia quinque Epiſcoporum; omoes, ſi Mercatori credimus, ſynodicæ; omoes, ſi qua fides ſtylo & eloquendi formæ, ab Auguſtino conſcriptæ. Prima eſt inter Auguſtinianas 90. ſecunda 92. tertia 95. De ſingulis dictum eſt abunde in diſſert. de ſynodis. Epiſtolæ tres ad Innocentium Papam. *Epiſt. 90. Epiſt. 92. Epiſt. 95. In Commonit. cap. 1.*

Statim vero datis epiſtolis, quas ad ſedem apoſtolicam Julius Epiſcopus deferret, Auguſtinus ſcripſit Hilario Epiſcopo, qui Syracuſano monacho multum diſtat, monuitque primum de cavenda hæreſi; deinde addidit: *Cum iſta ſcriberem, cognoveramus, in Eccleſia Carthaginenſi, adverſus eos epiſcopalis concilii conditum fuiſſe decretum per epiſtolam ſancto & venerabili Papæ Innocentio dirigendum; & nos de concilio Numidiæ ad eamdem apoſtolicam ſedem jam ſcripſeramus.* Epiſtola ad Hilarium Epiſcopum. *Epiſt. 90.*

Notanda porro verba hæc: *Adverſus eos epiſcopalis concilii conditum fuiſſe decretum.* Dubitaverit enim forte quiſpiam, quid ſignificent, cum oihil iſtius concilii habeatur, præter relationem ad ſummum Pontificem. Verum manifeſte ſatis indicari videtur decretum his verbis: *Communi deliberatione cenſuimus, hujuſmodi perſuaſionis auctores, quamvis ad presbyterium idem Cæleſtius poſtea perveniſſe dicatur, niſi hæc apertiſſime anathematizaverint, ipſos anathematizari oportere*, &c. *Hoc itaque geſtum, domine frater ſancte, caritati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas*, &c. Vide quæ dicta ſunt io notis ad reſcriptum Honorii. Notanda epiſtolæ verba. *Diſſert. 4.*

Nullus porro dubito, quin Epiſcopus Hilarius, ad quem ſcripſit Auguſtinus, ſit ille ipſe qui in collatione Carthaginenſi dicitur Boſetanus: ſed qua in provincia Boſetana Eccleſia cenſeri debeat, plane ſum neſcius, cum me deficiant indices, quibus inveſtigandis Epiſcoporum Africæ ſedibus ac provinciis hactenus uſus ſum. Neque etiam valui in hunc diem invenire, cujus vel Eccleſiæ, vel provinciæ Epiſcopus fuerit Julius, ſynodicarum trium delator, etſi videatur certum ad Africam pertinuiſſe: neque enim legatione duarum provinciarum, aut alienigena

quiſpiam tranſmarinus, aut Afer alterius provinciæ, honeſte functus eſſet.

Anno CCCCXVII.

Tres epiſtolæ ſancti Innocentii. Tomo II.
Sermo ſecundus de verbis Apoſtoli. Tomo X.
Liber de geſtis Palæſtinis. Tomo VII.
Epiſtola ad Julianam. Tomo II.
Epiſtola ad Dardanum. Tomo II.

Tres epiſtolæ S. Innocentii. *Epiſt. 91. 93. 96. inter Auguſtinianas.*

TRIBUS epiſtolis ex Africa acceptis totidem reddidit Innocentius, unam Carthaginenſi concilio, alteram Milevitano, tertiamquinque Epiſcopis, omnes eadem temporis nota, v. Kal. Febr. poſt conſulatum Theodoſii Aug. VII. & Junii Quarti Palladii V. C. Ipſas hoc in loco memoramus, propterea quod inter Auguſtinianas babentur.

Sermo ſecundus *de verbis Apoſtoli.*

Paulo poſt acceptas, babuit Auguſtinus ſecundum ſermonem de verbis Apoſtoli, ſic enim ait: *Jam de bac cauſa duo concilia miſſa ſunt ad ſedem apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt, utinam aliquando finiatur error. Ergo ut advertant, monemus: ut inſtruantur, docemus: ut mutentur, oremus.*

Liber *de geſtis Palæſtinis* ſcriptus ſub initium anni 417.

Acceperat, opinor, ſub finem prioris anni Auguſtinus geſta Palæſtina, mittente, ut par eſt credere, cum reſcriberet, Joanne Hieroſolymitano: quare ſub initium bujuſce decimi ſeptimi librum ſcripſit ad Aurelium Carthagineoſem Epiſcopum, *terminata*, ut ait, *cunctatione, qua differere aliquid plenius atque fidentius de ipſa Pelagii defenſione dubitabat.*

Ratio temporis.

Ratio temporis inde conſtat, quod eadem geſta noodum perveniſſent in Africam, cum haherentur concilia Carthagine & Milevi, ut ex ſynodicis patet: neque etiam cum ad Joannem Hieroſolymitanum Auguſtinus daret literas, ea enim poſtulat ſibi mitti. Perveoerant vero priuſquam Alipius & Auguſtinus communes literas ad Paulinum Nolanum mitterent, io iis quippe referuntur ex geſtis longe plurima. Neceſſe eſt igitur librum de geſtis Palæſtinis eo tempore confectum, quo diximus, ſiquidem literæ ad Paulinum, hoc ipſo anno inclinante, miſſæ ſunt, aut potius conſequentis initio.

Libri præſtantia.

Quanti momenti ſit liber iſte, vel ex hoc uno quilibet facile intellexerit, quod celeberrimæ ſyoodi acta, quæ ſpectant Pelagium, continet, eaque ab Auguſtino recenſita, & quidem ad demonſtrandum, quomodo Pelagius illuſiſſet Patribus Græcis, quoad ſuam perſonam; & dogma tamen catholicum conſiteri coactus eſſet, quod poſtmodum ſuis libris perfidioſe oppugnaret. Certe Auguſtinus bac ſynodo vult Eccleſiam primum de bæreſi victoriam retuliſſe, etſi dux hæretici agminis per mendacia ſe ſubduxerit triumpho.

Epiſtola ad Julianam Demetriadis matrem, quo tempore ſcripta. *Epiſt. 143.*

Ad bunc etiam annum pertinet, aut ad initium ſequentis, epiſtola ad Julianam Demetriadis matrem. Data enim eſt, poſt acceptas in Africa Pelagii literas ad Innocentium, in quibus utebatur teſtimonio ſuæ ad Demetriadem epiſtolæ, ut ſe defenderet. *In quadam ſua epiſtola Pelagius*, verba ſunt Auguſtini, *ubi & nomen ſuum apertiſſime ponit, nec nomen ſacræ virginis tacet, dicit ad eam ſe ſcripſiſſe, & ejuſdem ſui operis teſtimonio probare nititur, ſe gratiam Dei, quam vel tacere, vel negare aſſeritur, apertiſſime confiteri.* At Pelagii literæ, de quibus ſermo eſt, ſcriptæ ſunt in Oriente, initio anni 417. acceptæ a Zoſimo Romæ, initio menſis Septembris, miſſæ in Africam ejuſdem menſis die 20. acceptæ in Africa circiter initium Octobris. Non potuit igirur Auguſtinus ad Julianam ſcribere ante dictum tempus: quod tamen factum quatuor ante annis ſaltem putavit Baronius in annalibus ad ann. 413. ubi multa poſuit, quæ vix ullus poſſit, quantumcumque conetur, cum vera temporum ratione conciliare. Looge plura Binius in notis ad epiſtolam Innocentii ad Julianam commentatus eſt aliena a vero: neque enim Pontifex ſcripſit Demetriadis matri poſt cooſecratam filiam, ſed poſt obitum conjugis, cum ſanctum viduitatis ſtatum profeſſa eſt.

Sub fin. epiſt. 143.

Notatus Baronius de tempore hujuſce epiſtolæ. Notatus etiam Binius.

Neque vero potuit aliquanto poſt tempore: nam de condemnatione Pelagii Cæleſtiique a ſede apoſtolica noo ſiluiſſet Auguſtinus, ſi modo jam in Africam tractoria Zoſimi perveniſſet, cum magnum inde præſidium ſuæ cauſæ poſſet accerſere. Pervenit autem io Africam decretoria ſedis apoſtolicæ ſententia in hæreticos anno tantum ſequente, circiter medium.

Qua occaſione.

Porro diſſimulare non poſſum hoc in loco, quod mihi ſæpe admirationem fecit, ea ſuper epiſtola, cur nempe Auguſtinus Julianæ potius matri ſcripſerit, quam Demetriadi filiæ, cui propoſitum ſanctimoniæ virginalis inſpiraverat. Cur etiam Julianæ ita ſcripſerit, ut nihil acerbius diceret adverſus Pelagium; quemadmodum nec in libro *de bono viduitatis* ante duos aut tres annos ad eandem edito. Cur denique non deſtiterit continenter mooere Julianam, de cavendis Pelagianorum artibus atque erroribus. Admirationem augebat, quod Demetrias tanta olim totius orbis gratulatione virginitatem profeſſa, poſtmodum latuerit in obſcuro, nec ulli penitus laudata ſit, niſi forte cuidam Proſpero, a quo tamen rurſum monenda fuit, de vitandis Pelagii reliquiis, & ſuperbia ſugienda, quaſi tota hæc familia non deſtiterit in Pelagii partes propendere, imprudentius quam malignius. Verum cum cogitarem Julianum Eclanenſem, & Pelagio incredibiliter addictum fuiſſe, & Jam duxiſſe uxorem ex Æmilia familia, & Æmiliam familiam Anicianæ junctam eſſe, & inde natam, patre Olybrio, matre Juliana, Demetriadem, viſus ſum mihi videre cauſam rei, quam admirabar: nempe Julianus affini familiæ venenum ſuum afflaverat, illudque Demetrias, ut erat gloriolæ amantior, facilius excepit, favitque, contemptrix opum ac mundi, ſed admiratrix ingeniorum, hominibus, qui ſeverioris diſciplinæ ita præferrent ſpeciem, ut tamen amareot videri dicendi ſimul & evangelicæ perfectionis principatum tenere.

Notanda quædam de Juliano & Demetriade.

Quid quod ſanctus ipſe Paulinus, cum foret Aniciæ gentis, & epithalamium Jæ a Juliano ductæ propter cognationem cecinit, & Pelagiaois Nolæ in Campania exiſtentibus favit, & Pelagii ipſius amicitiam, Juliano conciliatore, coluit, & eo quidem uſque, ut ab Auguſtino debuerit moneri graviter de periculo, in quo verſaretur.

Et de ſancto Paulino. *Epiſt. 106.*

Sub idem tempus miſſa videtur, inclinante æſtate, epiſtola ad Dardanum, quam Auguſtinus inter libros recenſet. *De præſentia Dei*, inquit, *ſcripſi librum, ubi noſtra intentio contra bæreſim Pelagianam maxime vigilat, non expreſſe nominatam; ſed in eo etiam de præſentia Dei naturæ, quem Deum verum & ſummum dicimus, & de templo ejus, operoſe ac ſubtiliter diſputatur.*

Epiſtola ad Dardanum. *Lib. 2. Retract. cap. 49.*

Anno CCCCXVIII.

Epiſtola ad Paulinum Nolanum. Tom. II.
Epiſtolæ duæ ad Sixtum. Tom. II.
Epiſtola ſive liber ad Optatum. Tom. II.
Liber primus de nuptiis & concupiſcentia. Tom. VII.
Libri duo ad Albinam, Pinianum & Melaniam. Tom. VII.

Epiſtola ad Paulinum Nolanum. *Epiſt. 106.* Qua occaſione ſcripta.

ALIPIUS & Auguſtinus communibus literis Paulinum Nolæ Epiſcopum, virum quidem ſanctum, ſed Pelagii, ut mox dictum eſt, amantiorem, fallique facilem ab homine larvam pietatis induto, docuerunt de omnibus bæreſis partibus, ſingularumque proprio veneno.

Quo tempore.

Habent illæ literæ ſuam temporis certam notam, cum datæ ſint, poſt accepta Palæſtina geſta, & ante allatam in Africam Zoſimi tractoriam, quippe quam perinde ac alias Innocentii literas Auguſtinus miſiſſet, ſi copia fuiſſet. *Miſſæ ſunt*, inquit, *de hac re ex duobus conciliis, Carthaginenſi & Milevitano, relationes ad apoſtolicam ſedem, antequam geſta eccleſiaſtica, quibus apud Epiſcopos provinciæ Palæſtinæ Pelagius perhibetur eſſe purgatus, vel in manus noſtras, vel in Africam perveniſſent. Scripſimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium præter conciliorum relationes, literas familiares, ubi de ipſa cauſa aliquanto diutius egimus. Ad*

omnia

omnia nobis ille reſcripſit eodem modo, quo fas erat atque oportebat apoſtolicæ ſedis Antiſtitem: quæ omnia modo legere poteris, ſi eorum forte ad te, vel nulla, vel non cuncta pervenerint, &c.

Continet epitomen errorum Dioſpoli damnatorum.

Geſtorum vero Palæſtinorum mentio ſit ſub finem; ubi & omnia catholicæ fidei capita ex eiſdem geſtis ſummatim recenſentur, & teferuntur Scripturæ teſtimonia, quibus Joannes Hieroſolymitanus ad gratiæ divinæ neceſſitatem aſtruendam uſus eſt.

Non eſt ſcripta ante annum 418.

Quod ante hunc annum miſſa non fuerint, oſtendunt iſta Auguſtini verba: *Quod etiam quibuſdam literis agit ad tuam venerationem datis, ubi dicit ſe non debere exiſtimari ſine gratia Dei defendere liberum arbitrium, cum poſſibilitatem volendi atque operandi, ſine qua nihil boni velle, atque agere valeremus, a creatore nobis inſitam diceret*, &c. Spectant enim ad ea, quæ Pelagius in literis ad Innocentium ſcripſerat: *Legant illam epiſtolam, quam ad ſanctum virum Paulinum Epiſcopum, ante duodecim fere annos, ſcripſimus, quæ trecentis forte verſibus nihil aliud quam Dei gratiam & auxilium confitetur, noſque nihil omnino boni facere poſſe ſine Deo.*

Lib. de grat. Chriſt. cap. 35.

Cum igitur literas Pelagii ad Innocentium non habuerit Auguſtinus, ante finem ann. 417. quo miſſæ ſunt a Zoſimo Roma, XI. Kalend. Octobris, ad Patres Africanos; neceſſe eſt fateri epiſtolam hanc Paulino ſcriptam eſſe initio hujus anni: neque enim potuit tardius, cum tractoriæ Zoſimi adventum in Africam prævenerit. Inde vero conſtat, nullam fuiſſe idoneam Baronio cauſam, cur epiſtolam hanc referret ad annum priorem: quam enim adhibet, velut ex hiſtoria petitam, vix ullius momenti eſt, nam poſt Zoſimum evectum in ſedem apoſtolicam, ſcripſit Auguſtinus.

Baronii locus diſcuſſus.

Et illa vero plane eximia, nullique Auguſtini operi contra Pelagianos non comparanda: neque hoc mirum, quandoquidem ſcribebatur viro totius orbis fere ſanctiſſimo nobiliſſimoque, & cujus familiaris Severus Sulpitius imprudenter illuſus fuerat artibus Pelagii.

Cur Alipii quoque nomen præferat.

Venerit forte in mentem alicui inquirere, quid cauſæ fuerit, cur Auguſtinus non ſuo ſolius nomine, ſed Alipii quoque ſcripſerit. Credo equidem, ut epiſtola eo plus haberet virium ad eripiendum amicum ex imminente periculo, quo a duobus neceſſitate conjunctioribus veniret, & ab Alipio præſertim, tum notiore propter frequentes in Italiam ex Africa legationes, tum per ſe cariſſimo, magnæque apud Paulinum auctoritatis, propter opinionem ſanctitatis.

Epiſt. 45. Paulini.

Brevior epiſtola ad Sixtum.
Epiſt. 104.

Poſt damnationem Pelagii Cæleſtiique factam a ſede apoſtolica, dataſque a Zoſimo ſuper ea re literas, tum communes univerſis orbis Epiſcopis, tum peculiares ad Africanos, per Leonem acolythum, venit a Sixto Romanæ Eccleſiæ presbytero per Firmum presbyterum epiſtola ad Alipium ſimul & Auguſtinum, cui Auguſtinus binis literis reſpondit, brevioribus primum per Albinum acolythum, deinde prolixioribus per Firmum redeuntem. Priores autem videtur ſcripſiſſe, ante ſuam legationis apoſtolicæ profectionem in Mauritaniam: neque enim poterat continere animo gaudium, de probata publico exemplo Sixti fide. Poſteriores vero poſt reditum a legatione: nam vix, ac ne vix quidem tam prolixæ, tamque eruditæ, & de tanto argumento, quantum eſt prædeſtinationis gratuitæ, ab homine occupatiſſimo conſcribi potuerunt. Ambas denique poſt menſem Junium, quo tempore ſententia ſedis apoſtolicæ damnantis Pelagium & Cæleſtium, in Africam delata eſt.

Scripta ann. 418. ante autumnum.

Prolixior poſt autumnum.

Quid enim loquuntur aliud, vel iſta priorum verba, quibus traditur modus agendi cum Pelagianarum partium hominibus? *Nonnulli eorum, antequam iſta peſtilentia manifeſtiſſimo etiam ſedis apoſtolicæ judicio damnaretur, vobis innoteſcere potuerunt, quos nunc repente reticuiſſe perſpicitis: nec utrum ſanati ſint, ſciri poteſt, niſi cum non ſolum dogmata illa falſa tacuerint, verum etiam illis vera contraria, eo quo illa ſolent ſtudio, defenſaverint: qui tamen lenius profecto ſunt tractandi. Quid enim eos terreri opus eſt, quos ſatis territos ipſa taciturnitas monſtrat? nec ideo tanquam ſani prætereundi ſunt diligentia medicinæ, quorum vulnus in abdito eſt.*

Epiſt. 104.

Vel hæc poſteriorum: *Fatendum eſt caritati tuæ, triſtes eramus animo nimis, cum fama jactaret, inimicis chriſtianæ gratiæ te favere. Sed ut hæc triſtitia de noſtris cordibus tergeretur, primo te priorem anathema eis in populo frequentiſſimo pronuntiaſſe, eadem fama non tacuit. Deinde cum literis apoſtolicæ ſedis de illorum damnatione a. Africam miſſis, tuæ quoque literæ ad venerabilem ſenem Aurelium conſecutæ ſunt, quæ tametſi breves erant, tuum tamen vigorem adverſus eorum errorem ſatis indicabant.*

Epiſt. 105.

Ipſo legationis tempore, de origine animarum ſcripſit prolixe admodum ad Optatum Epiſcopum, quem, miſſis Zoſimi literis, admonet damnationis hæreticorum. *Quamvis*, inquit, *tuæ ſanctitatis nullas ad me ipſum datas acceperim literas; tamen quia illæ, quas ad Mauritanum Cæſarienſem miſiſti, me apud Cæſaream præſente, venerunt, quo nos injuncta nobis a venerabili Papa Zoſimo, apoſtolicæ ſedis Epiſcopo, eccleſiaſtica neceſſitas traxerat: factum eſt, ut ea quæ ſcripſiſti, etiam ipſe perlegerem, tradente mihi eandem epiſtolam tuam famulo Dei ſancto Renato, quo petente, & mihi, licet aliis occupato, vehementer inſtante*, &c. Et poſtea: *Te autem, ſi libenter, vel patienter admittis, cariſſime frater, admoneo, ne hæreſim novam minus cautus incurras, quæ antiquiſſimæ fidei ſtabilita molitur fundamenta convellere, adverſus gratiam Dei diſputando, cujus vel auctores, vel certe acerrimi notiſſimique ſuaſores, cum Pelagius & Cæleſtius extitiſſent, conciliorum epiſcopalium vigilantia, in adjutorio Salvatoris, qui ſuam tuetur Eccleſiam, etiam a duobus venerabilibus antiſtitibus apoſtolicæ ſedis Papa Innocentio, & Papa Zoſimo, niſi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto chriſtiano orbe damnati ſunt. De quibus exempla recentium ſcriptorum, ſive quæ ſpecialiter ad Afros, ſive quæ univerſaliter ad omnes Epiſcopos, de memorata ſede manarunt, ne forte ad veſtram ſanctitatem nondum pervenerint, vobis curavimus mitti*, &c.

Epiſtola ſeu liber ad Optatum de origine animarum.
Epiſt. 157.
Ratio temporis.

Accedit nota conſulum, qua conſignantur acta cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo, Cæſareæ in Mauritania, ſic enim incipiunt: *Glorioſiſſimis imperatoribus Honorio XII. & Theodoſio VIII. AA. CC. XII. Kal. Octobris, Cæſareæ in majori Eccleſia, cum Deuterius Epiſcopus metropolitanus, una cum Alipio Tagaſtenſi, Auguſtino Hipponenſi, Poſſidio Calamenſi, Ruſtico Carteritano, Palladio Tagabitano, & cæteris Epiſcopis, in exedram proceſſiſſet*, &c.

Unde obiter intelligimus, quinque Epiſcopos totius Africæ celeberrimos legatione ſedis apoſtolicæ tunc temporis functos eſſe, quod operæ pretium eſt animadvertere, adverſus importunas nonnullorum quæſtiones.

Nota de præſtantiſſimis Africæ Epiſcopis legatione ſedis apoſtolicæ functis tunc temporis.

Eſt qui Optatum hunc dixerit Milevitanum, qua ratione ipſe viderit: nam celebris ille librorum ſcriptor obiit circiter annum 370. id eſt, dimidio fere ſæculo, ante ſcriptam ab Auguſtino epiſtolam, & Severus, tunc cum ſcriberet Auguſtinus, Milevitanam regebat Eccleſiam.

An Optatus, ad quem ſcribit Auguſtinus, ſit Milevitanus libris celebris.

Eodem tempore Auguſtinus miſit poſteriorem Sixto epiſtolam, & Valerio comiti librum primum *de nuptiis & concupiſcentia*. Nam per Firmum presbyterum a Sixto ſimul & Valerio literas acceperat, & per eumdem utrique reſpondit, ut facile conficitur ex literis ad utrumque datis.

Liber primus de nuptiis & concupiſcentia.
Epiſt. 105. ad Sixtum.

Quid quod Auguſtinus ipſe tradit, ſe ſcripſiſſe Valerio, poſt damnationem Pelagii & Cæleſtii. *Librum*, inquit, *meum, contra quem ſe quatuor libellis reſpondiſſe commemorat, poſt damnationem Pelagii Cæleſtiique conſcripſi, quod ideo dicendum putavi, quoniam iſte dicit ab inimicis ſuis in odium veritatis dicta mea fuiſſe ſuſcepta: ne ideo quiſpiam exiſtimet propter hunc librum meum inimicos gratiæ Chriſti novos hæreticos fuiſſe damnatos; in eo autem libro defenſio eſt potius, quam reprehenſio nuptiarum.*

Epiſt. ad Valer. comit. præfixa lib. 1. de nupt. &c.
Quo tempore ſcriptus.
Lib. 1 ad Bonif. cap. 5.

Non poteſt igitur liber hic pertinere ad tempus ullum prius, neque etiam ad poſterius. Nam contra ipſum quatuor libros Julianus ſcripſit, quorum ex primo excerpta quædam ſibi miſſa Valerius Alipio miſit Ravenna Romam; Auguſtinus ab Alipio una cum duabus Pelagianorum epiſtolis accepit. Cum ergo Alipius in Africam redierit ann. 419. ſub finem, nec Julianus

Lib. 2. de nupt. &c. c. 1.

exiguum tempus poſuerit in his quatuor libris elaborandis, cumque eos neget ſe ante autumnum ann. 418. inchoaſſe; imo cum ipſos tempore ſchiſmatis ab Eulalio concitati adverſus Bonifacium elucubraverit; cum denique nonnullo tempore fuerit opus, ut excerperentur ea, quæ ad Valerium delata ſunt: fatendum eſt profecto primum hunc librum *de nuptiis* ab Auguſtino compoſitum fuiſſe, ſtatim obita legatione, id eſt, circiter medium Octobrem ann. 418.

Libri duo ad Albinam, Pinianum & Melaniam de gratia Chriſti & de peccato originali, quo tempore ſcripti.

Hæc autem cum certa ratione conſtent, oportet libros duos, qui ſunt ad Albinam, Pinianum & Melaniam, *de gratia Chriſti, & peccato originali*, hoc eodem anno conſcriptos eſſe, circiter menſem Auguſtum, quando nimirum Auguſtinus, poſt ultimum concilii Africani conſeſſum, Carthagine remanſit. Elaboratos enim docet, primum Carthagine. *Feſtinante perlatore inter occupationes noſtras, multo apud Carthaginem, quam ubicumque alibi denſiores, quantum Deus donare dignatus eſt, ut potuimus, iſta dictavimus*, &c. Deinde, poſt editum *de geſtis Palæſtinis* librum ann. 417. *Quod autem ſcitis, & quod in eo etiam libro poſui, quem de geſtis Palæſtinis ad venerabilem ſenem noſtrum Aurelium ſcripſi.* Tertio, poſt literas Pelagii in Africam a Zoſimo Papa xi. Kal. Octob. ann. 417. directas. *In literis quas Romam miſit ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, quoniam in corpore eum non invenerunt, & ſancto Papæ Zoſimo datæ ſunt, atque inde ad nos directæ, dicit*, &c. Denique, poſt decretoriam ſententiam a Zoſimo latam. *Poſteaquam Pelagiana hæreſis cum ſuis auctoribus ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zoſimo, cooperantibus Africanorum literis, convicta atque damnata eſt, ſcripſi duos libros adverſus eam, unum* de gratia Chriſti, *alterum* de peccato originali, &c.

Lib. de grat. Chriſti c. 1.
Lib. de pecc. orig. c. 14.
Lib. de pecc. orig. c. 17.
Lib. 2. Retract. cap. 50.

Differt. de ſynod.

Cum ergo ſummi Pontificis decretoria ſententia in Africam delata ſit circiter menſem Junium ann. 418. Auguſtinum oportet, hos libros poſt præfatum menſem conſcripſiſſe Carthagine, & ante Septembrem, cujus die 20. Cæſareæ in Mauritania verſabatur.

Quominus autem rejiciantur in ſequentem annum, obſtat id maxime, quod ſcripti ſunt ad Albinam, Pinianum & Melaniam in Palæſtina exiſtentes, miſſique, ut credibile eſt, cum nondum mare hiems clauſiſſet. At Pinianus & Melania, relicta Hieroſolymis Albina annis gravi, profecti ſunt ann. 419. verna tempeſtate in Ægyptum, ut conſtat ex actis ſanctæ Melaniæ, die 31. Januarii apud Surium.

Lib. 4 op. imperf. c. 87.

Crediderim facile a Piniano & Melania de acceptis libris actas eſſe gratias literis, quibus ſuam in Ægyptum profectionem ſignificarent; Auguſtinum vero reſpondiſſe mutuis literis Alexandriam directis. In eam me opinionem non leviter inducunt Juliani verba. Hic enim poſtquam meminit dialogorum Hieronymi: *De quo opere*, inquit, *ta in illa epiſtola, quam Alexandriam deſtinaſti, ita gloriaris, ut dicas Pelagium ſcripturarum ab eo oppreſſum molibus, arbitrium liberum vindicare non poſſe. Verum illi operi a catholico viro, qui pulſatus fuerat, obviatum eſt.* Quamquam in alium ſenſum accipi poſſunt Juliani verba, ſi modo, quod eſt admodum probabile, Auguſtinus per Innocentium presbyterum, ab Africanis Alexandriam miſſum ad canones Nicænos requirendos, Cyrillo ſcripſerit de Pelagianis e ſua civitate pellendis: quo fere tempore eidem Cyrillo Euſebius, ut creditur, Cremonenſis literas ejuſdem argumenti miſit.

Sub finem porro convellenda eſt popularis opinio multorum, qui Baronium ſecuti Albinum pro Albina legere voluerunt, tum quia nomen hoc Piniano presbytero præponitur, tum quia fratres Auguſtinus eos vocat, quibus librum edit. Verum cum Albina fuerit Melaniæ mater, & ſocrus Piniani, utrique præferri debuit; cumque e tribus nominibus unum viri fuerit, & illius quidem presbyteri, ad genus ſuum fratrum appellationem traxit.

ANNO CCCCXX.

Libri quatuor de anima & ejus origine.	Tomo VII.
Liber ſecundus de nuptiis, &c.	Tomo VII.
Epiſtola ad Vitalem.	Tomo II.
Libri quatuor ad Bonifacium.	Tomo VII.

Libri quatuor de anima & ejus origine.
Lib. 2. Retract. cap. 56.

AD annum 420. referendi ſunt quatuor libri *de anima & ejus origine:* quorum primus ad Renatum monachum, a quo acceperat Auguſtinus libros Vincentii Victoris, adverſus unum de ſuis opuſculis, ſuper ea quæſtione; ſecundus ad Petrum presbyterum, Vincentii laudatorem; reliqui duo ad ipſummet Vincentium, juvenem plurima delirantem de animæ origine & baptiſmo parvulorum.

Ratio temporis.
Epiſt. 157. ad Opt.
Lib. 1. ad Renatum c. 1.

Ratio temporis hinc conficitur. Auguſtinum Cæſareæ in Mauritania legatione ſedis Apoſtolicæ fungentem Septembri menſe anni 418. convenit Renatus, legitque acceptas ab Optato literas, & de origine animæ conſuluit, quod Optato reſcriberet. Tunc vero temporis nondum pervenerant in Renati manus Vincentii Victoris libri duo adverſus Auguſtinum, alioqui eos procul dubio tradidiſſet præſenti: miſit autem, cum primum accepit, Hipponem æſtate conſequentis anni, nec tamen Auguſtino redditi ſunt, præterquam in fine autumni. Non potuit igitur ad ſcribendum accedere Auguſtinus ante annum 420.

Liber ſecundus de nuptiis & concupiſ.
Lib. 2. Retract. cap. 53.

Miſſus eſt ad Valerium comitem eodem anno liber ſecundus *de nuptiis & concupiſc.* neque enim prius potuit: nam cum primus veniſſet in Juliani Pelagiani manus, ſcripſit ille adverſus eum libros quatuor, eoſque non exiguos, ex quibus nonnulla quidam decerpſit, & comiti Valerio miſit, quæ & ipſe miſit Alipio, Alipius Auguſtino, qui alio libro ad ea ipſa reſpondit. Hæc totidem pene verbis Auguſtinus.

Quando miſſus ad Valerium.
Lib. 1. op. imperf. c. 6.

Cum ergo Alipius in Africam redierit ſub finem ſuperioris anni, ut jam antea dictum eſt, non potuit procul dubio ſecundus iſte liber, aut omnino fieri, aut ſaltem mitti ad Valerium in Italia conſtitutum, ante initium hujuſce anni, imo nec ante finem Aprilis: ipſum enim ad Valerium retulit ipſemet Alipius, veluti affirmat, Auguſtino non contradicente, Julianus. *Popoſciſti*, (Florum alloquitur) *imo indixiſti auctoritate patria, ut libro tractatoris Pœni, quem ad Valerium comitem vernula peccatorum ejus Alipius nuper detulit, obviarem*, &c. Alipius vero non videtur ante vernam tempeſtatem, aut etiam ante feſtos dies Paſchatis peractos, in Italiam navigaſſe, Ravennæque Valerium conveniſſe. Cum ergo inciderit hoc anno dies Paſchatis in vigeſimum tertium Pharmuti, ſecundum Cyrillum, qui decimus octavus Aprilis apud Latinos, atque ita feſtorum abſolutio fuerit die 25. Aprilis, ante quod tempus religioni ducebant ſanctiſſimi olim Epiſcopi abeſſe a ſuis Eccleſiis: librum oportuit a Valerio accipi, quam citiſſime, ſub finem Maji, ab Auguſtino ſcribi ante Paſcha.

Cur Alipius iterum Ravennam profectus ſit. Notatus Baronius.

Sed quorſum, quæret aliquis, Alipius iterum ad comitatum profectus eſt, cum anno ſuperiore ſub finem inde reveniſſet? Opinatur Baronius poſtulatum iviſſe ab Imperatore auxilium, adverſus Pelagianos in Africa tumultuantes, eaque occaſione mentionem facit Vitalis diaconi Carthaginenſis, ad quem eſt centeſima ſeptima Auguſtini epiſtola. Verum quid opus fuit auctoritate imperiali, poſt epiſtolam Honorii ad Aurelium, de exigenda ab omnibus ſubſcriptione damnationi Pelagianorum, & pellendis de ſede Epiſcopis qui detrectarent?

Lex contra Agapetas.
L. 44. de Epiſc. cod. Theod.
Epiſt. 22. de cuſtod. virg.

Credo equidem eo conſilio Alipium Ravennam veniſſe, ut ab Imperatore obtineret legem de extranearum mulierum conſortio eccleſiaſticis interdicto, &c. datam Ravennæ VIII. Id. Maji, Theodoſio Auguſto IX. & Conſtantio coſſ. nam tunc temporis, cum in aliis provinciis non infrequenter, tum in Africanis communiter, graſſabatur malum illud, cujus Hieronymus, ſive originem, ſive turpitudinem miratur, ſcribens ad Euſtochium: *Unde in Eccleſias Agapetarum peſtis introiit? unde ſine nuptiis aliud nomen uxorum?* &c. Eo mihi videtur credibilior iſta conjectura, quod & Alipius atque Auguſtinus tantum clericorum vitium profeſſo odio proſequebantur; & in concilio generali Africano ſuperioris anni recenſiti fuerant Carthaginenſis tertii & quarti canones adverſus clericorum ſorores, ſeu extraneas mulieres; & propter inolitam vim morbi, ſperari non poterat remedium, niſi ab imperiali poteſtate improbos pœnis coercente; & Valerius apud Imperatorem gratioſus, partim ſuo religionis ſtudio, partim propter amicitiam ſingularem cum Alipio & Auguſtino,

ſtino, tanti momenti reſcriptum impetrare poterat; & denique lex his verbis lata eſt, quibus canonem 17. concilii tertii Carthagineoſis ſpectare videtur.

Epiſtola ad Vitalem.

Verum lex illa malum potuit ad tempus cohibere, evellere non potuit: nam turpis Africanarum, etiam virginum, commercia cum clericis Arianos exprobraſſe, teſtis eſt Victor Uticenſis.

Sed quoniam Vitalis memioit Baronius, & incertus eſt annus, quo ad hunc diaconum Auguſtinus ſcripſit, non importune hoc in loco de epiſtola dicemus, nulli fere alteri ſecunda, in qua gratiæ prævenientis arcanum myſterium retegitur, traduntur que duodecim regulæ, quibus catholica ſuper ea quæſtiooe ſententia continetur.

Sæpe vero miratus ſum, ab his regulis Arauſicanos octo canones parum differre, plurimum octo Africanos; cum illi tamen tempore ſint remoti, iſti admodum vicini. An non poſſet aliquis inde conjicere, vel Auguſtinum ejuſmodi regulas Vitali tradidiſſe, ante conditos canones Africanos; vel ex Vitali parente ortum eſſe Gallorum errorem, qui Arauſicanis canonibus damnatur? Primum iſtud etſi non improbabile opinor, alterum tamen magis probo.

Quot canones reipſa ſynodi Arauſicanæ II.

Sed quæſiverit forte aliquis, cur Arauſicanos canonas octo dixerim, cum viginti quinque numerari vulgo ſoleant. Reſponſio facilis eſt atque dilucida, formam enim canonum octo ſoli priores habent: qui dicuntur poſtremi tredecim, oon tam canones per ſe videri poſſunt, quam priorum octo confirmationes quædam, ab Auguſtini teſtimonio petitæ.

Libri 4. ad Bonifacium contra duas epiſtolas Pelagii.
Lib. 2. Retract. cap. 61.
Cujus ſit prima, & ad quos.
Lib. 1. op. imperf. cap. 17.
Cujus ſecunda, & quorum nomine.
Ibid. c. 178.

Per idem tempus Auguſtinus quatuor libris ad Papam Bonifacium ſcriptis refellit duas Pelagianorum epiſtolas, ab eodem Pontifice per Alipium anno ſuperiore ſibi miſſas: prima eſt ad clericos Romæ poſitos, ſecunda ad Rufum Theſſalonicenſem Epiſcopum. Utramque credebat Auguſtious eſſe Juliani: ſed ille primam abnegavit, nec immerito, cum Cæleſtium habeat auctorem; ſecundam agnovit, ſed quam nomine octodecim Epiſcoporum, & noo ſuo tantum ſolius miſiſſet. Illa primo libro, iſta reliquis tribus confutatur.

Quando ſcripti libri, quibus refelluntur.

Temporis ratio inde conſtat. Alipius ex Italia revertens haſce duas epiſtolas, una cum excerptis quibuſdam a Valerio tranſmiſſis, attulit in Africam, rurſuſque ex Africa Ravennam proficiſcens libros reſponſionis deportandos accepit. Cum ergo ex Italia in Africam ſub finem ann. 419. ex Africa rurſus in Italiam reverterit ann. 420. poſt feſtos dies Paſchatis, id eſt, ſub finem Aprilis, oportet intermedio tempore hoſce quatuor libros fuiſſe compoſitos.

Quam præſtantes, etiam in re hiſtorica.

Sunt illi vero plane eximii, ut qui plurima continent, non dogmatica ſolum, ſed etiam hiſtorica, præſertim de rebus cum Cæleſtio Romæ geſtis a ſummo Pontifice, & de Pelagianorum querelis, eorumque appellatione a ſedis apoſtolicæ judicio ad ſynodum generalem, quibus Auguſtinus abunde ita ſatisfecit, ut noo admodum opus ſit alterius cujuſcumque reſpooſione.

Lib. 4. ad Boniſac. c. 8 & 12.

ANNO CCCCXXI.

Enchiridion ad Laurentium. — Tomo IV.
Libri ſex contra Julianum. — Tom. VII.

Liber *de fide, ſpe & caritate*, ſeu Enchiridion ad Laurentium.

AD ann. 421. procul dubio pertinet Enchiridion ad Laurentium, opus pene divinum, quod non immerito quiſpiam dixerit theologiæ Auguſtinianæ ſpecimen, & conſecuturæ ſcholaſticæ, ſive methodicæ, primam deſignationem.

Ratio temporis.
Cap. 87.

Ad hunc, inquam, annum pertinet: neque enim poteſt ad priorem, quandoquidem in eo fit mentio Hieronymi fato functi: *Sanctæ memoriæ Hieronymus presbyter ſcriptum reliquit*, &c. Obiit vero Hieronymus ann. 420. pridie Kalend. Octobr. neque etiam ad poſteriorem; nam ex eo quædam excerpſit Auguſtinus, quibus ſolveret primam quæſtionem Dulcitii. *In eo libro, cujus titulus eſt, de fide, ſpe & caritate, quem ſcripſi ad filium meum, fratrem tuum Laurentium, iſta de hac re verba mea ſunt*, &c. & ad ſecundam quæſtionem. *Dixi etiam tale aliquid ad Laurentium, quod ita ſe habet.* Atqui liber de octo quæſtionibus Dulcitii certa ann: 422. nota conſignatur, ut mox oſtenſuri ſumus.

Lib. de 8. Dulcit. quæſtion.

Libri ſex contra Julianum eodem anno ſcripti.

Huc etiam referri debent libri ſex adverſus Julianum, ut annus iſte eximiis duobus operibus nobilis ſit. Nam dum ſcriberentur libri quatuor ad Bonifacium, venerunt, mittente Claudio Epiſcopo, in manus Auguſtini libri quatuor Juliani, ex quorum primo decerpta fuerant, quæ Alipius attulerat, quæque libro ſecundo *de nuptiis & concupiſcentia* Auguſtinus refutaverat. *Sequuntur libri quatuor, quos contra duas epiſtolas Pelagianorum ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ Bonifacium ſcripſi; quia cum in manus ejus veniſſent, ipſe mihi eas miſerat, inveniens in illis calumnioſe tunc poſitum nomen meum. Hoc opus ſic incipit:* Noveram te quidem fama. *Interea libri quatuor Juliani Pelagiani, quos ſupra commemoravi, venerunt etiam in manus meas, in quibus comperi illa, quæ ex eis decerpſerat, qui ea comiti Valerio miſerat, non omnia eodem modo, quo a Juliano dicta ſunt, ad eundem Comitem ſcripta, ſed nonnulla eorum aliquantum fuiſſe mutata: ſcripſi ergo ſex libros adverſus illos quatuor.*

Lib. 2. Retract cap. 61. & 62.

Ratio temporis.

Non igitur ante hunc annum prodiit elucubratiſſimum iſtud opus, ut appellat Auguſtious; neque etiam in conſequentem rejici poteſt, ſiquidem credibile non eſt, virum tanti animi, tamque excelſi, & cujus fama niti videbatur nomen fidei catholicæ, ferre diu potuiſſe patienter, ſibi, imo catholicis omnibus, quorum dux quidam erat, vitio verti exceptoris ſive fraudem ſive incuriam: quin potius certum eſſe debet; quam primum licuit, reſponſum eſſe hæreticis, cum illi utrique, nec ſine ſpecie veri, imo certa librorum fide, quererentur apud omnes, Juliano, quod dictis contrarium foret, ab Auguſtino imponi.

Præſtantia operis.

Fruſtra ego fuerim, ſi tentavero laude pretium facere operi, quod auctor modeſtiſſimus pariter & doctiſſimus elucubratiſſimum dixerit, id eſt, par omnibus ſui ingenii viribus, par doctrinæ Auguſtini.

Argumentum & partitio.

Duo priores libri poſiti ſunt in repellenda calumnia Juliani accuſantis catholicos Manichææ impietatis: poſteriores quatuor ſinguli ſingulis Juliani libris adverſus primum Auguſtini, *de nuptiis & concupiſcentia*, reſpondent.

ANNO CCCCXXII.

Liber de octo Dulcitii quæſtionibus. — Tomo IV.

Liber *de octo Dulcitii quæſt.* ſcriptus hujus anni menſe Julio.

LIBRUM de octo Dulcitiii quæſtionibus hoc ipſo anno ſcriptum fuiſſe, & menſe quidem Julio, demonſtrant aperte præfationis verba, ſi modo legantur ſine vitio, quod habent in omnibus editis codicibus, in quibus hæc ſic habentur: *Quantum mihi videtur, dilectiſſime mi Dulciti, non tardavi reſpondere interrogationibus tuis; per Paſcha quippe hoc anno, quo dominicus ejus fuit* III. KALEND. APRILIS, *a Carthagine mihi miſſas literas tuæ dilectionis accepi. Poſt eos autem dies ſanctos, confeſtim Carthaginem ſum profectus, in qua civitate nihil me dictare permiſit occupationum, quæ ibi non poteſt deeſſe, nimia multitudo. Sed poſteaquam inde regreſſus ſum, peractis apud noſtros quindecim diebus, qui me poſt abſentiam diuturnam curare alia compulerunt: nam* POST TRES MENSES, *ubi redire permiſſus ſum, reſcribere iſta non diſtuli, & abs te miſſis quæſtionibus, quæ a me per diverſa opuſcula mea jam fuerant pertractata, ex eiſdem opuſculis reddere, vel ſolutionem, vel certe diſputationem meam.*

Emendatus Auguſtini locus.

Dixi vero, ſi legantur ſine vitio: debet enim corrigi nota Paſchatis, cujus dominicus dies fuiſſe ſcribitur III. Kalend. Aprilis, cum fuerit VII. Kalend. Fuit autem facile ex vetuſtis literis VII. detrita prioris una lineola, pro VII. ſcribi III.

Emendationis certa ratio.

Correctionis autem neceſſitas hinc demonſtratur. Liber octo quæſtionum poſt Enchiridion ſcriptus eſt; enchiridion poſt mortem Hieronymi; mors Hieronymi contigit pridie Kalend. Octobr. ann. 420. fatendum igitur librum octo quæſtionum poſt ann. 420. conſcriptum fuiſſe.

Verum

Verum homiliæ paſchales Cyrilli, certaque temporum ratio probat, fieri non potuiſſe, ut poſt ann. 420. Paſchatis dominicus dies incideret in menſem Martium, niſi vel ann. 430. quo obiit Auguſtinus, vel ano. 422. Cum ergo liber octo quæſtionum elahoratus non fuerit ann. 430. ſiquidem in Retractationibus ann. 427. abſolutis, de eo mentio fit: pertinet certe ad ann. 422. cujus litera dominicalis fuit A, & proinde dominicus dies Paſchatis 30. menſis Phamenoth, ſecundum Ægyptios, 26. Martii, ſecundum Latinos.

Jam vero cum Auguſtinus, tribus poſt acceptas Dulcitii literas menſibus elapſis, reſponderit, literaſque poſt Paſcha receperit, reſpondiſſe oportet menſe Julio, Aprili nimirum, Majo, & Junio elapſis.

Tria notatu digna. Primum.

Ex his tam accurate oſtenſis, utile forte fuerit colligere nonnulla: & primum quidem, quanta religione olim Epiſcopi dies feſtos paſchales vellent peragere cum ſuis, id eſt, ſuis in Eccleſiis, & in iis eo uſque remanere, donec recens baptizati albam veſtem depoſuiſſent.

Secundum.

Deinde nomine dierum feſtorum Paſchatis eos etiam intelligi, quibus ante dominicum, imo ante pervigilium dominici, pœnitentes reconciliabantur, & catechumeni ad baptiſmum certis ceremoniis initiabantur.

Tertium.

Denique ordinem, quo libri in Retractationibus diſponuntur, non ſufficere per ſe ſolum ad temporis notam conſignandam: neque enim hic, de quo agimus, ſuo in tempore collocatus eſt.

Anno CCCCXXIV.

Liber de gratia & libero arbitrio.	Tomo VII.
Duæ epiſtolæ ad Valentinum.	Tomo II.

Liber *de gratia & libero arbitrio*, cum duabus epiſtolis. Non eo ſcriptus tempore, quo vel cardinalis Baronius, vel Janſenius Iprenſis credidit.

DEFINIRE vix auſim, quem ad annum, utrum ad hunc, an ad conſequentem referri debeat liber *de gratia & libero arbitrio*, cum duabus ad ipſum pertinentibus epiſtolis ad Valentinum & Adrumetinos monachos: certum tamen puto ad alterutrum referri debere; atque ita neque illuſtriſſimi annalium ſcriptoris, qui ad ann. 418. refert; neque Epiſcopi Iprenſis, qui toto decennio Baronium deceptum credidit, opinionem ſtare poſſe: ille enim citius quam oportet, iſte tardius collocat.

Qua occaſione compoſitus
Epiſt. 105.

Certum etiam reor, elaboratum fuiſſe hoc opus, ad componendas controverſias Adrumeti motas, occaſione epiſtolæ Auguſtini ad Sixtum, in qua cum prædeſtinationis gratuitæ myſterium aperte exponeretur, veluti modus quidam explicandæ facili negotio veritatis catholicæ de gratia, factum eſt, ut animi monachorum ſuper ea re, propter inopiam intelligentiæ, ſcinderentur in partes, aliis libertatem voluntatis humanæ inde tolli cauſantibus, aliis incredibilem jactantibus Auguſtini de gratia Dei doctrinam. Quare Adrumeto Hipponem duo ex ipſis venerunt, Creſconius & Felix, qui concordiam liberi arbitrii & gratiæ ab ipſomet Auguſtino docerentur, doctique ſuos erudire poſſent. Eos vero, etſi reverti properantes, aliquandiu apud ſe retinuit benigniſſimus doctor, ut ipſi per ſe, lectis cum tanto interprete libris ad quæſtionem pertinentibus, inſtructiores redirent.

Cur duæ epiſtolæ ſimul miſſæ.

Certum denique eſt, ambas epiſtolas cum libro miſſas ſimul fuiſſe, quarum prior tamen monachis, tanquam citius redituris ad diem feſtum in monaſterio peragendum, ante Paſcha data ſit: poſterior poſt Paſcha, Auguſtino nimirum, mutata ſententia, accinctos ad reditum tamdiu retinendos credente, donec per otium erudirentur, & peractis Hippone feſtis, eruditiores remitterentur cum libro, aliiſque ad ſolvendam quæſtionem neceſſariis. *Scripſi*, inquit Auguſtinus, *ad vos librum, quem ſi adjuvante Domino diligenter legeritis, & vivaciter intellexeritis, nullas exiſtimo inter vos de hac re diſſenſiones ulterius jam futuras. Portant autem ſecum & alia, quæ vobis dirigenda eſſe credimus, quibus cognoſcatis, quemadmodum catholica Eccleſia, in Dei miſericordia, Pelagianæ hæreſis venena repulerit. Quod enim ſcriptum eſt ad Papam Innocentium, Romanæ urbis Epiſcopum, de concilio provinciæ Carthaginenſis, & de concilio Numidiæ, & aliquanto diligentius a quinque Epiſcopis, & quæ ipſe ad tria iſta reſcripſit; item quod Papæ Zoſimo de Africano concilio ſcriptum eſt, ejuſque reſcriptum ad univerſos totius orbis Epiſcopos miſſum, & quod poſteriori concilio plenario totius Africæ contra ipſum errorem breviter conſtituimus, & ſupra memoratum librum meum, quem modo ad vos ſcripſi: hæc omnia & in præſenti legimus cum ipſis, & per eos miſimus vobis*, &c.
Epiſt. 47.

Refellitur opinio cardinalis Baronii.

Cum vero certa ſint hæc tria, neque minus aperte conſtet, epiſtolam ad Sixtum occaſionem dediſſe, tum Adrumetinis turbis, tum libro de quo nunc agimus; cum conſtet etiam ejuſmodi epiſtolam ſcriptam eſſe ann. 418. ſub finem, & Adrumetinos duos veniſſe ad Auguſtinum ante Paſcha alicujus anni conſequentis tempus datæ epiſtolæ: procul dubio opinio Baronii vera eſſe non poteſt, ſiquidem oportuit librum *de gratia & libero arbitrio*, eo temporis intervallo componi, quod inter duas ad Valentinum epiſtolas, quarum una ante Paſcha ſcripta eſt, altera poſt Paſcha, interceſſit, ut aperte colligitur ex ambabus inter ſe collatis, certaſque habentibus temporis notas.

Refellitur opinio Janſenii Iprenſis.
Lib. 1. de hær. Pelagiana.

Nihilo verior eſt opinio Janſenii Baronium accuſantis, quod *longiſſime fallatur, quaſi facile decennio poſt lucubrationes illas eſſe exaratas, ex Auguſtino & Proſpero, non dubiis argumentis colligatur.* Nam liber *de correptione & gratia* editus eſt teſte Auguſtino, poſt librum *de gratia & libero arbitrio.* Pervenerat vero liber *de correptione & gratia* in Gallias, antequam Proſper & Hilarius ad Auguſtinum ſcriberent. *Evenit*, inquit Proſper, *ex diſpoſitione miſericordiæ Dei, ut cum quoſdam intra Africam ſimilia moviſſent, librum de correptione & gratia plenum divinæ auctoritatis emitteres: quo in notitiam noſtram inſperata opportunitate delato, putavimus omnes reſiſtentium querelas ſopiendas*, &c.
Lib. 2. Retract. c. 67. & lib. de corrept. & grat. cap. 1.
Epiſt. ad Aug. num. 3.

Hilarius. *Deinde moleſte ferunt ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perſeverantiam, non qua fieret ut perſeveraret, ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc vero ſanctis in regnum per gratiam prædeſtinatis, non tale adjutorium perſeverantiæ detur; ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur: non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint; verum etiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint. His verbis ſanctitatis tuæ ita moventur*, &c.
Epiſt. ad Aug. num. 17.
De corrept. & grat. c. 11. & 12.

Oportet igitur, editum fuiſſe in Africa librum *de corrept. & gratia*, ante ann. 426. quo nimirum tempore ſcribebant Proſper & Hilarius, quoque Retractationes Auguſtinus moliebatur, & Honoratus nuper ſummum ſacerdotium Arelatenſis Eccleſiæ adeptus erat. Atqui Retractationes moliebatur Auguſtinus ann. 426. & eodem Honoratus ſucceſſit in locum Patrocli, a barbaro tribuno interfecti. Igitur ex decennio Janſeniano detrahendi ſunt tres ſaltem anni, ſi agitur de libro *de correptione & gratia*: quatuor vero, ſi de libro *de gratia & libero arbitrio.*
Hilar. epiſt. num. 18.
Proſp. epiſt. num. 18.

Id vero ita facile conficitur. Monachi illi duo Adrumetini, Creſconius & Felix, redierunt ad ſuos, poſtquam peractis Hippone feſtis, per otium eruditi ſunt, ita ut cum ipſis Auguſtinus legerit, quod ſcriptum eſt *ad Papam Innocentium, Romanæ urbis Epiſcopum*, &c. legerit *etiam librum beatiſſimi martyris Cypriani de oratione dominica, & oſtenderit quemadmodum docuerit omnia, quæ ad mores noſtros pertinent, quibus recte vivimus, a patre noſtro, qui in cælis eſt, eſſe poſcenda*, &c. legerit denique ſuam epiſtolam ad Sixtum Romanæ Eccleſiæ presbyterum, quam ſecum attulerant, & oſtenderit *adverſus eos eſſe conſcriptam, qui dicunt gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, hoc eſt, adverſus eoſdem Pelagianos.* Hæc autem qua ratione peragi potuerint a viro occupatiſſimo, cum hominibus, neque per ſe intelligentiſſimis, neque voluntate optime affectis erga veritatem, quin aliqui menſes effluxerint? Credibile igitur eſt, eos Adrumetum rediiſſe circa menſem Junium, ſecumque libros detuliſſe, quos cum alii avide perlegerent, ſed non perinde intelligerent, motus prioribus graviores exorti ſunt.
Epiſt. 47.

De tempore quo ſcriptus liber *de corrept. & grat.*

Atque hinc nata eſt rurſus neceſſitas conſulendi Auguſtinum, rurſuſque mittendi ad magiſtrum homines, qui ſecus ac deberent, ſentire viderentur de gratia, imo & rurſus novo libro erudiendi Adrumetinos, ut

ne de-

Lib 2 Retract. cap 67.

ne deciperentur ab eo, qui dicebat, *neminem corripiendum, ſi Dei præcepta non faciat; ſed pro eo, ut faciat, tantummodo orandum.* Quæ omnia cum facile tenuerint, quidquid anni reliquum fuit, aut etiam aliquid ſequentis, non immerito quiſpiam dixerit librum *de gratia & libero arbitrio* editum ann. 424. uno ſcilicet anno ante librum *de correptione & gratia.*

Solvuntur objecta in contrarium.

Afferuntur nonnulla quidem in contrarium, ſed levia: nam quod ait Iprenſis, Semipelagianorum hæreſim ortam, vergente in occaſum Auguſtino; librumque *de correptione & gratia*, occaſionem fuiſſe tumultuum, quos hujus hæreſis homines excitarunt, atque id teſtari Proſperum in epiſtola ad Auguſtinum, vix intelligo, qui potuerit venire in mentem homini profitenti ſe ſcriptorem Pelagianæ hiſtoriæ. Quid enim nomine hæreſis ſignificare voluit? Errorem, an ſectam? Si errorem; novit ſane Auguſtinum ipſum in eo, antequam Epiſcopus fieret, magna ex parte verſatum. Si ſectam; quis ignorat longe poſt tempora Auguſtini, hujus erroris defenſores in ſectam coiviſſe, ſi tamen unquam coiverint? Deinde quomodo fieri potuit, ut liber *de correptione & gratia*, occaſionem daret tumultibus, quos ait Iprenſis; ſiquidem viſus ſit Proſpero ad exortas antea contentiones ſedandas, *ex diſpoſitione miſericordiæ Dei* in Gallias delatus? Denique, qua fide Proſper adducitur in teſtem, cum ſint iſta ipſius verba, quibus auctos quidem, ſed non primum ortos, Maſſilienſium tumultus, occaſione libri *de correptione & gratia*, teſtatur? *Multi ſervorum Chriſti, qui in Maſſilienſi urbe conſiſtunt, in ſanctitatis tuæ ſcriptis quæ adverſus Pelagianos hæreticos condidiſti, contrarium putant Patrum opinioni, & eccleſiaſtico ſenſui, quidquid in eis de vocatione electorum ſecundum Dei propoſitum diſputaſti. Et cum aliquandiu tarditatem ſuam culpare maluerint, quam non intellecta reprehendere, quidamque eorum lucidiorem ſuper hoc atque apertiorem beatitudinis tuæ expoſitionem voluerint poſtulari, evenit ex diſpoſitione miſericordiæ Dei, ut cum quoſdam intra Africam ſimilia moviſſent,* librum de correptione & gratia, *plenum divinæ auctoritatis emitteres, quo in notitiam noſtram inſperata opportunitate delato, putavimus omnes querelas reſiſtentium ſopiendas, quia univerſis quæſtionibus, de quibus conſulenda erat ſanctitas tua, tam plene illic abſoluteque reſponſum eſt, quaſi hoc ſpecialiter ſtudueris, ut quæ erant apud nos turbata, componeres.*

Epiſt. ad Aug. num 2.

Unde nati motus in Galliis adverſus Auguſtini doctrinam.

Unde ergo nati ſunt primum motus in Galliis? Hinc unde primum quoque orti apud Adrumetinos? Ex epiſtola Auguſtini ad Sixtum: nam ſtatim atque prædeſtinationis gratuitæ doctrina propoſita eſt, mirum quam multorum oculos non fortiſſimos ſua luce perſtrinxerit. Mirum quoque, quantum negotii adverſantibus faceſſiverit Sapientiæ locus, quo prædeſtinatio gratuita demonſtrari videtur: *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, & ne fictio deciperet animam ejus*; quemque adhibuit tunc primum Auguſtinus, cum Sixto ſcriberet, & conſequentibus operibus preſſe argumentatus eſt.

Sap. 4. v. 11. Lib. de correp. & grat. c. 8. Lib. de prædeſt. ſanct. c. 14. &c.

At unde in Gallias liber venit? Roma, opinor, miſſus a Leone tunc acolytho, Sixtique amiciſſimo, & ſtudiorum ſocio, ac Caſſiani inprimis ſtudioſo. Nam ut Sixti ad Auguſtinum literas detulerat, cum tractoria Zoſimi ad Africanos, ſic Auguſtini ad Sixtum reſponſionem vidit, & Caſſiano communicavit, quem ſciebat ejuſmodi rerum & peritum & cupidum. Caſſianus vero, cum teneret quaſi principatum doctrinæ in Galliis ea tempeſtate, reprehendit nonnulla, quæ facerent pro gratuita prædeſtinatione, ſuaſque in partes traxit Epiſcoporum presbyterorumque plures, quibus cum obſiſterent Proſper & Hilarius, laicorumque alii, contentiones ortæ ſunt, turbæque, quas delatus liber *de correptione & gratia*, non compoſuit, ſed auxit.

Epiſt. 105.

ANNO CCCCXXV.

Liber de correptione & gratia. Tomo VII.

Liber *de corrept. & grat.*

OCCASIONE libri *de gratia & libero arbitrio*, confectum eſt, ad hunc, quem titulus præfert, annum pertinere librum *de correptione & gratia*, opus plane admirabile, & ſpecimen ingenii divina gratia adjuti. Quanti fieri debeat, argumenti dignitas oſtendit; quam reconditam doctrinam contineat, theologorum concertationes hinc ortæ probant; quam vacuum a præjudiciis lectorem poſtulet, quamque proficiendi cupidum, experientia teſtatur.

Ratio temporis. Laus operis.

ANNO CCCCXXVI.

Libri duo Retractationum. Tomo I.

AUGUSTINUS, Eradio ſucceſſore deſignato, & in partem muneris aſcito, cum ſibi videretur, vel ex parte liber, vel certe jam non obrutus mole negotiorum, recenſere cœpit opera, quæ ſive laicus, ſive presbyter, ſive Epiſcopus compoſuerat. Acta quibus Eradius electus eſt, conſignantur, Theodoſio XII. & Valentiniano Auguſto II. CC. VI. Kalend. Octobr. id eſt, ann. 426. die 26. Septembris.

Libri duo Retractationum.

Inter ep. Aug. num. 110.

Porro Retractationum opus comprehenſurus erat Auguſtinus pluribus libris, & jam duos abſolverat, teſte Poſſidio, priuſquam Vandali irrumperent in Africam. (irrupiſſe autem ano. 428. menſe Majo, conſtans eſt omnium opinio) Cumque in eo eſſet, ut alios adderet, quibus epiſtolæ & tractatus, cæteraque ejuſmodi recognoſcerentur, probibitus eſt ultra pergere partim temporum conditione, partim indiſſimulabili neceſſitate urgentiora ſcribendi. Pertinent igitur Retractationum libri duo ad ann. 426. & ſequentem.

Lib. de vita Aug. c. 28.

ANNO CCCCXXVII.

Liber de prædeſtinatione ſanctorum. Tomo VII.
Liber de bono perſeverantiæ. Tomo VII.

HOc anno confecti ſunt libri duo, alter *de prædeſtinatione ſanctorum*, alter *de bono perſeverantiæ*, quibus Auguſtinus, poſtulatione Proſperi & Hilarii, quæſtionibus Maſſilienſium reſpondet.

Liber *de prædeſt. ſanct.* & liber *de bono perſeverantia.*

Non potuerunt prius confici, ſiquidem ad eos ſcribendos ſe acceſſiſſe Auguſtinus, poſt abſolutos Retractationum libros, teſtatur. *Cum mea*, inquit, *opuſcula retractarem, eamque retractationem ſtylo proſequerer, cujus operis jam duos abſolveram libros, antequam ſcripta veſtra prolixiora ſumpſiſſem*, &c.

Uterque ſcriptus hoc anno ſub finem. *Lib. de prædeſt. ſanct. c. 3.*

Neque etiam poſterius, cum elaborati videantur ante opus poſtremum, quo ſanctiſſimus ſenex reſpondit Juliano: alioquin reſcribens Quodvultdeo librum de hæreſibus petenti, non una tantum excuſatione, inſtantis ſcilicet Alipii ut Juliano reſponderet; ſed altera etiam, nec ea quidem minore, efflagitantium Gallorum in Maſſilienſes tractatum, uſus eſſet.

ANNO CCCCXXVIII.

Opus imperfectum adverſus Julianum. Suppl. parte II.

AD hoc tempus pertinet Opus imperfectum, de quo cum ad præfationem libri *Subnotationum* Marii Mercatoris abunde diſputatum ſit, addere plura de tempore, nomine, & librorum numero ſupervacaneum eſt.

Opus imperfectum adverſus Julianum.

ANNO CCCCXXIX.

Liber de hæreſibus. Tomo VI.

LIBER de hæreſibus ad Quodvultdeum Carthaginenſem diaconum hoc tempore elaboratus eſt, ſiquidem ad ſcribendum acceſſit Auguſtinus, poſt abſolutam reſponſionem ad quintum librum Juliani. *Quando*, inquit, *id explicavero, quintoque reſpondero, ſi tres non ſupervenerint, diſpono, ſi Deus voluerit, ea quæ poſcis, incipere, ſimul agens utrumque, & hoc ſcilicet, & illud de*

Liber *de hæreſ.*

Epiſt ad Quodvult.

Ii re-

retractatione opuſculorum noſtrorum, nocturnis & diurnis temporibus in ſingula diſtributis.

Obſervandum diligenter, hoc opere omnium poſtremo Auguſtinum morti proximum recenſuiſſe ita Pelagianorum errores, ut quinque tantum faceret iſtius hæreſis partes: nempe gratiam Dei, ſine qua fieri non poſſunt mandata, neque a natura diverſam eſſe, neque a lege: quæ præterea conceditur, eam & ex meritis dari, & ad facilius agendum; hominem poſſe ad tantum perfectionis gradum pervenire in vita mortali, ut non egeat dicere Deo: *Dimitte nobis debita noſtra*; parvulos non baptizari propter tollendum peccatum originale; Adamum, ſive peccaſſet, ſive non peccaſſet, fuiſſe moriturum.

Ex hac obſervatione conſtat, his quinque capitibus contineri totum Pelagianiſmum, cujus proinde purus fuerit, judice Auguſtino, quiſquis hæc ipſa capitula damnaverit, & contradicentia quinque dogmata defenderit.

Atque hæc de Auguſtini libris, brevius quidem, quam forte quiſpiam optaret, ſed abunde, opinor, pro negotio & loco: neque enim voluimus hanc diſſertationem augere prodigioſum in modum, additis, quæ laboriola olim diligentia præſtitimus, noſtra & ſtudioſorum cauſa. Nam opera quæ recenſuimus, ſingula partiti ſumus in ſua veluti membra, quibus componuntur; hiſtorica diſtinximus a dogmaticis, & argumentis, quibus dogmata probantur, ſuum robur aſſeruimus, oratione ad methodi leges redacta: oſtendimus etiam, quid quovis tempore in Pelagianis ſanctiſſimus magiſter arguerit, & unde in dies profecerit. Sed hæc omnia diſſertationis anguſtiis contineri non poſſunt, neque ſi poſſint, deberent tamen nunc temporis, ne viderer his de rebus diſputare, quæ nonnullos commovere ſolent.

C A P U T III.

Quid ſcripſerit Paulus Oroſius adverſus Pelagianos.

Laus Apologiæ ab Oroſio ſcriptæ.

UNAM Oroſius apologiam ſcripſit, & illam quidem oon grandem opere, ſed rerum dogmatumque ita plenam, ut nulli fere ejuſdem ævi lucubrationi cedat, multis præſtet, ad invidiam uſque nonnullorum. Inquirendum vero, qua occaſione ſcripta ſit, quove loco & tempore, ſimulque repellendæ, ſive objectiones, ſive calumniæ, quibus immerito in ſuſpicionem vocatur. Verum tota quæſtio de cauſa, tempore, & loco non difficilem habet ſolutionem, poſt ea quæ diximus in diſſertatione de ſynodis; ſiquidem Oroſius in Palæſtina poſitus, ooo tam liberi arbitrii apologiam, quam ſuam ſcripſit ann. 415. per id temporis, quod a fine Septembris ad Decembrem effluxit. Conſtat hæc nota temporis ex occaſione ſcribendi; nempe Joanoes Hieroſolymorum Epiſcopus, cum faveret Pelagio, ejuſque cauſa cerneret diviſum in partes clerum, contraxit presbyterium, ut ſi qua poſſet ratione Pelagium, aut abſolveret, aut aliis ſaltem diſſideotibus conciliaret. Ad conventum, qui habitus eſt quioque fere menſibus ante concilium Dioſpolitanum, die 30. Julii, venit Oroſius a presbyteris evocatus ex Betbleemitico ſeceſſu, quo paucis ante menſibus ſe receperat; venit & Pelagius a Joanne introductus, juſſuſque, etſi laicus foret, conſidere inter presbyteros.

Quo tempore ſcripta.

Occaſio ſcribendæ.

Retulit Oroſius inter alia, ſe audiviſſe Pelagium, cum diceret, *poſſe hominem eſſe ſine peccato, & mandata Dei facile cuſtodire, ſi velit.* Excepit Pelagius, id quidem ſe dixiſſe, ſed *non ſine adjutorio Dei.* Verum urgente nihilomious acriter Oroſio, qui cavillationes hæretici noverat, Joannes ſive maligne, ſive ab interprete deluſus, Oroſii inſtantiam perinde interpretatus eſt, ac ſi contenderet, *mandata, nequidem cum adjutorio Dei, poſſe ab homine ſervari.*

Hinc factum, ut poſt quadraginta & ſeptem dies, cum primo encæniorum die, qui decimus quartus Septembris, Oroſius ad obſequium Joannis, propter ſolemnitatem feſti veniſſet, ab irato paſſus ſit repulſam, juſſuſque procul abſcedere, ut qui per ſummam blaſphemiam aſſeruiſſet, *hominem, nequidem cum Dei adjutorio, poſſe eſſe ſine peccato, & mandata Dei obſervare.* Ut calumniam repelleret vir apprime catholicus, apologiam conſcripſit, non ſua tantum cauſa, ſed fidei, maxime hortantibus presbyteris recte ſentientibus; eaque occaſione voluntatis humaoæ poteſtatem ad bene agendum, ſive libertatem admirabiliter explicuit: unde ortum libri oomen, APOLOGETICUS CONTRA PELAGIUM DE ARBITRII LIBERTATE.

Operis nomen.

Objectiones eorum, qui Apologiam jactant Oroſio ſuppoſitam.

Sunt qui dicant, totum hoc opus ſuppoſititium eſſe, factumque exercitationis cauſa ab aliquo, qui nomen Oroſii ementitus commentari voluerit nonnihil de rebus Dioſpoli geſtis, cum tamen veri eſſet hiſtoriæque admodum ignarus. Id autem aſſerunt, partim qui ſuis reb... incommodare ſentiunt dicta quædam Apologetici; partim quod ſatis non advertant, librum hunc magnam habere ab Auguſtini teſtimonio auctoritatem, & certam fidem.

Unde ortæ. *Lib. de geſt. Palæſt.*

Quatuor partibus contextæ.

Ut objectum a ſe crimen ſuppoſitionis probent, quatuor præſertim argumentis utuntur, quæ ſi tam vere proferrentur, quam affirmanter, levia neutiquam videri poſſent. Auctorem enim libri crimioantur. Primo peccare contra fidem hiſtoriæ ab Auguſtino aliiſque teſtibus oon improbabilioribus traditæ. Deinde Neſtoriaoæ impietatis ſuſpicione laborare. Tertio Novatianis erroribus adhæſiſſe. Depique injurioſum eſſe in Epiſcopum Joannem, virum, ut illi quidem aiunt, integræ famæ.

Ex his vero, ſimodo, ut par eſt, confirmarentur, auctor Apologetici reus teneretur ſuppoſiti oominis, & quaſi ſtellioaatus: ſiquidem verus Oroſius procul abfuit ſemper & ab omni ſuſpicione mendacii in hiſtoria conſcribenda, & erroris cujuſcumque io fidem, & oeglecti io Epiſcopos officii.

Criminatiooum ejuſmodi partem affert Janſenius Iprenſis, partem Petrus Vaſtelius, quamquam ille paucis & timide, quia forte intelligebat ſe veritati pugnare; iſte infinito pene ſermone, propter dilectum Joannem, quem purum erroris, culpæque præſtare conatur, etiam adverſus omnes quinti ſæculi auctores.

Lib. 1. de hær. Pelag.

Tom. 2. vindic. lib. 3. ſect. 5.

Primum objectum, quod Apologiſta in hiſtoriam ſæpties peccet.

Primum illud Iprenſis Vaſteliuſque communiter objiciunt, quod auctor Apologiæ ſcribat, habitam fuiſſe Hieroſolymis ſyoodum quadraginta & ſeptem diebus ante primum diem eocæniorum, id eſt, die 30. Julii; huic præſediſſe Joannem; conveniſſe presbyteros, ſeque ioterfuiſſe, & cum Pelagio verbis contendiſſe; definitivam ſententiam a Joanne latam, parteſque ad Innocentium Papam remiſſas, ut ejus judicio ſtarent. At hæc omnia videntur ipſis pugnare cum veritate hiſtorica: nam in cauſa Pelagii nulla, inquiunt, legitur in Oriente congregata ſynodus, præter eam, cujus geſta recenſuit Auguſtinus. Hæc autem non Hieroſolymis habita eſt, ſed Dioſpoli; huic non præſedit Joannes, ſed Eulogius jure ſedis Cæſarienſis; oon ſoli presbyteri interfuerunt, ſed quatuordecim Epiſcopi, quorum nomioa recenſet Auguſtinus; noo accuſavit Oroſius, ſed Gallicani duo Epiſcopi, Eros & Lazarus; abfuit Oroſius, imo & accuſatores, ſoliſque ſcriptis cum Pelagio actum eſt, quemadmodum teſtatur Auguſtinus; oec quidquam io actis reperitur, de cauſa ad Innocentium Papam remiſſa, partibuſque in id conſentientibus.

Lib. de geſt. Palæſt. c. 1.

Diluitur tribus Auguſtini teſtimoniis.

Verum hanc rationem, quamtumvis pluribus hinc & inde teſtimoniis fulcitur, ruere neceſſe eſt, ſi ſubverſum fuerit fundamentum, cui tota incumbit, id eſt, ſi demonſtratum fuerit Auguſtini teſtimoniis, duos in Palæſtina conventus habitos, alterum Hieroſolymis, alterum Dioſpoli; illi interfuiſſe Oroſium, ab iſto abfuiſſe. Id vero tribus locis Auguſtinus tradit.

Primo.

Lib. de geſt. Palæſt. c. 14. Primo. *Sanctus Joannes Hieroſolymitanæ antiſtes Eccleſiæ, ſicut interrogatus, quæ* APUD ILLUM *ante judicium geſta fuerint, coepiſcopis noſtris, qui ſimul in illo judicio præſidebant, ipſe narravit. Ait enim, tunc quibuſdam ſuſurrantibus & dicentibus, quod ſine Dei gratia diceret Pelagius, poſſe hoc perfici, idem quod ſuperius dixerat; eſſe poſſe hominem ſine peccato. Culpam, inquit, ſuper hoc etiam intuli; quia & Apoſtolus multum laborans, ſed non ſecundum ſuam virtutem, ſed ſecun-*
1 Cor. 15. v. 10. *dum gratiam Dei dixit:* Amplius omnibus illis laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum. *Et iterum:*
Rom. 9. v. 16. Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.
Pſ. 126. v. 1. *Et illud:* Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam; *& alia multa ſimilia diximus, inquit, de ſcripturis ſanctis. Illis autem non ſuſcipientibus, quæ dicebantur a nobis de ſcripturis ſanctis, ſed adhuc ſuſurrantibus, dixit Pelagius: Et ego ſic credo. Anathema ſit, qui dicit, abſque adjutorio Dei poſſe hominem ad prefectum omnium venire virtutum. Hæc narravit Epiſcopus Joannes, audiente Pelagio.*

Ibid. c. 16. Secundo. *Epiſcopus Joannes plane iſtam ſententiam Apoſtoli cognovit, eamque ideo commemoravit, ne Pelagius ſine Dei gratia non peccare quemquam putaret, & dixit reſpondiſſe Pelagium: Et ego ſic credo. Neque, cum hoc præſens audiret, reſpondit: non ſic credo. Oportet illam expoſitionem perverſam, ubi hoc non ſenſiſſe Apoſtolum, ſed potius redarguiſſe, intelligi voluit, ut ſuam neget, aut corrigere atque emendare non dubitet. Nam quidquid dixit Epiſcopus Joannes de abſentibus fratribus noſtris, ſive coepiſcopis Erote ac Lazaro, ſive de presbytero Oroſio, ſive de aliis, quorum ibi non ſunt nomina expreſſa, credo quod intelligat ad eorum præjudicium non valere. Si enim præſentes eſſent, poſſent eum fortaſſe, abſit ut dicam convincere de mendacio; ſed forte commemorare, quid forte fuiſſet oblitus, aut in quo eum fefellerit Latinus interpres, & ſine ſtudio mentiendi, certe alienæ linguæ minus intellectæ nonnulla difficultate, præſertim, quia non in geſtis agitatur, quæ, improbi ne mentiantur, boni autem ne aliquid obliviſcantur, utiliter inſtituta ſunt. Si quis autem memoratis fratribus noſtris ex hoc aliquid quæſtionis intulerit, eoſque ad judicium epiſcopale vocaverit, ſibi, ut poterunt, aderunt. Nobis laborare quid opus eſt, quando ne ipſi quidem judices, poſt Coepiſcopi noſtri narrationem, aliquid inde pronuntiare voluerunt?*

Ibid. c. 30. Tertio. *Superius etiam in narratione ſancti Joannis Epiſcopi ita commemoratum eſt: Illis, inquit, inſtantibus & dicentibus, quia hæreticus eſt. dicit enim quoniam poteſt homo, ſi voluerit, eſſe ſine peccato; & de hoc interrogantibus nobis eum, reſpondit: Non dixi, quoniam recipit natura hominis, ut impeccabilis ſit; ſed dixi, quoniam qui voluerit propria ſalute laborare, & agonizare, ut non peccet, & ambulet in præceptis Dei, habere eum hanc poſſibilitatem a Deo. Tunc quibuſdam ſuſurrantibus & dicentibus, quod ſine Dei gratia, dicente Pelagio, poſſet hoc perfici: Culpam, inquit, ſuper intuli, quia & Apoſtolus Paulus multum laborans, ſed non ſecundum ſuam virtutem, ſed ſecundum gratiam Dei, dixit:* Amplius omnibus illis laboravi; non ego autem, ſed gratia Dei mecum; *& cætera, quæ jam commemoravi.*

Conſonantia Apologiæ & Auguſtini quintuplex. Ex his notanda potiſſimum quinque adeo Apologiæ conſona, ut Auguſtinus videatur ad ipſa Oroſii verba inter ſcribendum intendiſſe.

Prima. Apol. c. 3. I. Auguſtinus. *Joannes interrogatus, quæ apud illum ante judicium geſta fuiſſent, narravit,* &c. Oroſius. *Latebam in Bethleem, inde Hieruſalem, vobis accerſentibus, vocatus adveni, dehinc in conventum veſtrum una vobiſcum, Joanne Epiſcopo præcipiente, conſedi,* &c.

Secunda. II. Auguſtinus. *At enim tunc quibuſdam ſuſurrantibus & dicentibus, quod ſine Dei gratia diceret Pelagius hoc poſſe perfici, id eſt, quod ſuperius dixerat; hominem eſſe ſine peccato,* &c. Oroſius. *Ad quod ille diu diſputans,*
Ibid ſub fin. capitis *& noſtris propter imperitiam ignoti nobis interpretis, actionibus vel interpolatis plerumque, vel tacitis, Epiſcopus Joannes ait: Si ſine adjutorio Dei hoc hominem poſſe diceret, peſſimum & damnabile erat; nunc autem cum adjiciat, poſſe hominem eſſe ſine peccato, non ſine adjutorio Dei, vos quid dicitis? An forte vos Dei adjutorium denegatis?* &c.

Tertia. III. Auguſtinus. *Illis autem non ſuſcipientibus, quæ dicebantur a nobis de ſanctis ſcripturis, ſed adhuc ſuſurrantibus, dixit Pelagius: Et ego ſic credo. Anathema ſit, qui dicit, abſque adjutorio Dei poſſe hominem ad profectum omnium venire virtutum.* Oroſius. *Scribis, poſſe hominem eſſe ſine peccato, & facile Dei mandata ſerva-* Ibid. c. 9.
re, ſi veiit; noviſſime quaſi ex graviſſimo ſomno expergiſcens, adjicis, non ſine adjutorio Dei.

IV. Auguſtinus. *Quidquid dixit Epiſcopus Joannes* Quarta.
de presbytero Oroſio, ſive de aliis, quorum ibi non ſunt nomina expreſſa, credo quod intelligat ad eorum præjudi-
cium non valere, &c. Oroſius. *Epiſcopus Joannes dixit:* Ibid. c. 3.
Vos quid dicitis? An forte vos Dei adjutorium negatis? Cui reſpondi: Anathema ei, qui negat adjutorium Dei, ego certe non nego. Et poſtea: *Epiſcopus reſpondit: Ego te audivi dixiſſe, quia nec cum Dei adjutorio poteſt homo eſſe ſine peccato,* &c.

V. Auguſtinua. *Si enim præſentes eſſent, poſſent eum* Quinta.
fortaſſe, abſit ut dicam convincere de mendacio, ſed forte commemorare, quid fuiſſet oblitus, aut in quo eum fefellerit Latinus interpres, &c. Oroſius. *Concedendum magis, ut interpres erraſſe dicendo, quam Epiſcopus audiendo finxiſſe videatur, & nunc ad vicem me cedis, quam hæreticis præſtitit, exigendæ, falſos in adjutorium ſui teſtes quærere. Sed hæc utrum ab Epiſcopo temere credita, an malitioſe ficta, an ignare ſubaudita videantur, Chriſto judici diſcutienda commendo. Abſit a me, ut Epiſcopum, & præſertim Hieroſolymæ audeam ad Epiſcopos provocare, id eſt, calumniæ accuſare,* &c.

Atque his convictus Vaſtelius fatetur tandem, *clarum eſſe, ante judicium Dioſpolitanum aliqua fuiſſe geſta, circa cauſam Pelagii, apud ipſum Joannem, ſed abſque aliquo conſeſſu: quanquam in præſentia Erotis & Lazari Epiſcoporum, Pelagii accuſatorum, illiſque adhærentium aliquot Latinorum, inter quos quoque contigit adeſſe Oroſium,* &c.

Sed quod ait adfuiſſe Erotem & Lazarum, dicenti aſſentiri non poſſum, cum Oroſius miouta quæque hujuſce conſeſſus memorans, ne verbo quidem id ſignificet.

Quoad ſecundum criminatioois caput, Vaſtelius Diluitur Ob-
jam non Iprenſi adjunctus, ſed per ſe ſolus, hæ- jectum ſecun-
reſim Novatianam auctori Apologiæ objicit his fe- dum.
re verbis: *Novatianus error fuit, non aliam eſſe da-* Quod Apologiſta ſit infectus hæreſi Novatiana.
tam Eccleſiæ a Chriſto poteſtatem remittendi peccata, quam quæ eſt conferendi baptiſmi; & proinde a ſacerdotibus non poſſe, ſed a ſolo Deo remitti peccata a chriſtianis poſt fidem commiſſa. Hic autem error Cypriani, Hilarii, Ambroſii atque Auguſtini teſtimoniis cognoſcitur. Apologiſta vero id totum affirmat, nam alloquens Pe-
lagium: Dicis, *inquit,* hominem eſſe ſine peccato Apoleg. c. 11.
cum Dei adjutorio; tu dicis: Poteſt homo; ego di-
co: Poteſt Deus. *Et poſtea:* Scribæ non intelligentes Ibid.
veritatem, murmurant & dicunt: QUIA POTEST Luc. 5. v. 21.
DIMITTERE PECCATA, NISI SOLUS DEUS? & hic abolita eſſe judicat, quæ Deum neſciat dimi-
ſiſſe. *Et iterum:* Eum poſſe eſſe ſine peccato, qui Apoleg. c. 10.
aliquando peccaverit, impoſſibile eſt abſque ſola gratia baptiſmi, ubi ex perſona Domini dicitur: REMIS-
SA SUNT TIBI PECCATA TUA. *Iterum:* Ego in Ibid.
poteſtate habui peccare, liberari a peccato in poteſtate non habeo. *Denique:* Peccare meum eſt, abſolvi non meum.

Vix ac ne vix quidem perſuadere mihi poſſum, Vaſtelium rem ſerio egiſſe, cum argumentaretur in hunc modum. Novatianus error eſt, miniſtrorum Eccleſiæ non eſſe, ſed ſolius divinæ poteſtatis, dimittere peccata poſt fidem commiſſa, neque Eccleſiæ a Chriſto relictam eſſe poteſtatem ullam remittendi peccata, niſi quæ per baptiſmum, id eſt, per unicum ſacramentum remiſſionis peccatorum exerceatur. Atqui auctor Apologiæ ait, hominem non poſſe eſſe ſine peccato, poſſe Deum; ſoli Deo tribuit Chriſtoque poteſtatem, qua homo dicitur poſſe fieri ſine peccato, dicit inſuper, neminem poſſe eſſe certum, niſi in die judicii, quod ſit ſine peccato: reus igitur Novatiani erroris tenetur. Qui enim potuit vir doctus ignorare, aut quæ ſint argumentationis leges, aut qui fuerit Novatianorum error de pœniteotia, aut quæ fidei ſententia de impeccantia, ac poſſibilitate implendi mandata? Voluit Pelagius tam facilia eſſe mandata Dei, ut homo, ſi voluerit, ipſa omni ex parte impleat, nec ad id præſtandum Dei omnia

147

potentis adjutorio, ſed ſola ſua vi nativa egeat. Pelagio id volenti reſpondet Oroſius, poſſe quidem hominem obſervare, imo & implere mandata; ſed poteſtatem, qua id poſſit, ſuam non eſſe, id eſt, inſitam a natura, ſed Dei propriam, quæ miſericorditer commodetur pro tempore & loco. Voluit Pelagius, hominem poſſe hac in vita carere omni peccato, nec ad id quidquam amplius requiri, quam ut velit. Contendit Oroſius, poſſe quidem hominem carere peccato hac in vita, ſi Deus voluerit: id enim homini præſtare poteſt, etſi nemini præſtiterit hactenus, præterquam uni Chriſto. Quid illud autem ad rem Novatianorum?

Diluitur tertium objectum, Quod auctor Apologiæ reus ſit Neſtorianæ blaſphemiæ.

Pergit Vaſtelius, tertiumque caput criminationis affert non minus admirabile quam ſecundum, ſiquidem auctorem Apologiæ reum facit Neſtorianæ quoque blaſphemiæ, non contentus ſcilicet accuſaſſe crudelitatis in peccatores, quibus pœnitentiam neget, niſi inſimulet impietatis in peccatorum redemptorem, cui divinitatem eripiat. *Aſſerit Chriſtum*, inquit, *non dici Deum, niſi denominative, atque ita exiſtere purum reipſa hominem, quæ Neſtoriana blaſphemia: neque enim vult aliter eſſe Deum, quam ut Dei adjutorio, perinde ac homines, indigeat.* Tam incredibilem accuſationem conficere ſibi videtur his Apologiſtæ verbis Pelagium alloquentis: *Dicis poſſe in hoc ſæculo eſſe hominem ſine peccato cum Dei adjutorio; tu dicis: Poteſt homo; ego dico: Poteſt Deus.* Sic enim per admirabilem quandam ſententiæ ſyntaxim legendum jubet: *Dicis: Poteſt homo eſſe ſine peccato cum Dei adjutorio; ego dico: Poteſt Deus eſſe ſine peccato cum Dei adjutorio.*

Apolog. c. 10.

Verum jocari iſtud eſt, quod in re ſeria non decet, ſi quidem nemini non eſt obvius Apologiſtæ ſenſus. Cum dicitur homo poſſe eſſe ſine peccato cum Dei adjutorio, aliqua procul dubio poteſtas ſignificatur, eaque alicujus propria, atque ita vel Dei, vel hominis quaſi nativa. Dicit hominis Pelagius, quod hæreticum eſt; Dei dicit Oroſius, quod ſumme catholicum.

Vaſtelius, ut accuſationem confirmet, adjungit aliud quiddam, ſed nihilo gravius. *Nullo*, inquit, *alio nomine Chriſtum appellavit, quam quo poſſet Neſtorianus quiſque; nec uſquam vocat Filium Dei, Deum Chriſtum, & Verbum incarnatum.* Sit ita ſane: ſed ipſimet novi Teſtamenti ſcriptores, cum de Chriſto loquerentur, non alio nomine uſi ſunt, quam quo poſtmodum abuſi Neſtoriani. An continuo participes ſunt erroris? Deinde neque neceſſitas ſemper exigit, neque aliquando patitur locus, aut tempus, ut tam expreſſis verbis de Chriſti divinitate ſermo fiat. Certe tunc temporis nihil erat cauſæ, tam explicite loquendi, cum neutra pars, Pelagium dico & Oroſium, de Chriſti divinitate contenderet.

Apolog. c. 29.

Denique Vaſtelius ipſe tandem agnoſcit, cogente veritate, hæc eſſe Apologiſtæ verba: *Hic ergo Chriſtus Dominus noſter, hic, inquam, Filius Dei, in virtute Patris & gloria, quæ in principio condidit, redemit in medio, etiam in noviſſimo judicabit*, &c. Et paulo antea: *Ipſe eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus* Jesus, *de quo Joannes uſque ad ipſam pene inacceſſibilem lucem introductus exclamat*: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt. *Ac poſt paululum expoſita divini operis veritate ſubjungit*: Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus honorem ejus, gloriam tanquam unici nati a Patre, plenum gloria & veritate, &c.

Ibid.

Joan. 1. v. 1.

Quid vero expreſſius, vel ſancivit unquam Eccleſia, vel Scriptura dixit, quo divinitatem Chriſti demonſtraret?

Diluitur quartum objectum.

Objicit quarto Vaſtelius, queriturque injuriam ab auctore Apologiæ factam Joanni Hieroſolymorum Epiſcopo, quem Auguſtinus colit, ſanctumque vocat. Quam vero factam injuriam queritur? Epiſcopum, ait, verbis paulo durioribus accuſavit. Sit ita ſane: quis blaſphemiæ per calumniam inſimulatus non veniam mereatur, ſi calumnianti ſubiracundius loquatur? Verum quibus verbis Epiſcopum accuſavit? An durioribus acerbioribuſque, quam aut ſuus magiſter Hieronymus, epiſtola 61. de erroribus Joannis Hieroſolymitani; aut Epiphanius, data ad ipſummet Joannem epiſtola? Clamat Vaſtelius, utrumque opus ſuppoſititium eſſe. Utrumque genuinum eſſe reclamant, quotquot ſunt eruditi, reclamant & ipſimet Patres illi duo adverſus hominem bona, quibus gloriantur, ſubducere tentantem. Deinde cujus criminis accuſavit Epiſcopum? Quod hæretico faveret? Fecit Auguſtinus. Quod mentiri viſus ſit? Fecit pariter Auguſtinus. Quod illudi ſe paſſus fuerit a Pelagio? Fecit Auguſtinus? Quod calumniam Oroſio intulerit? Fecit & Auguſtinus. Denique apud quos accuſavit? nempe apud ſolos presbyteros totius rei geſtæ conſcios, quos non judices appellat, ſed teſtes tantum, & quibuſcum ſolatur communem ab Epiſcopo injuriam. Unde mirari ſatis non poſſum Oroſii modeſtiam, qui cum neceſſitate compelleretur ſe blaſphemiæ accuſatum purgare, non tam defendit ſe, ut par erat, fide imperante, quam retinente caritate, conqueſtus eſt apud ſolos rei teſtes: quare opinor inde factum, ut liber, quem præ modeſtia publicari noluerit, ne famam Epiſcopi minueret, rarior ſimul & ignotior etiam ſuo ſæculo extiterit.

Quod peccaverit in Joannem Hieroſolymorum Epiſcopum.

Epiſt. 61. inter Hieronym.

Concludit Oroſium eſſe auctorem Apologiæ.

His ita diſputatis apertum eſt atque manifeſtum, nihil eſſe cauſæ, cur liber apologeticus *de libertate arbitrii adverſus Pelagium*, abjudicetur Oroſio; plurimum contra eſſe rationis, cur eidem tribuatur: nam ab Auguſtino teſtimonium habet, ſtylus auctorem demonſtrat, manuſcripti codices Oroſii nomen præferunt, eruditi quique conſentiunt, & ii ſoli repugnant, quorum intereſt a tanto viro, tamque antiquo ſcriptore, & quod præcipuum eſt, tam nobili diſcipulo Hieronymi, atque Auguſtini, arma non ſuppeditari, quibus & ipſe olim Pelagium vicerit, & ipſi nunc viciſſim a catholicis vincantur.

Quot partes Apologiæ.

Oroſius porro duas fecit Apologetici partes; alteram hiſtoricam, alteram dogmaticam: illa res geſtas in conventu Hieroſolymitano continet, & ſimul ſcribendi cauſam; iſta plane eximia eſt, ſuoque auctore digna, nec immerito videri poteſt, quoddam quaſi compendium traditæ ab Hieronymo & Auguſtino doctrinæ.

A cap. 3. uſque ad 22.

Quæ tertia pars nonnullis credita eſt, habetque rationem appendicis, ex libro Auguſtini *de natura & gratia*, forte non eſt addita ab Oroſio, cum importune inſeratur; ſed a librario potius, qui mentionem libri *de natura & gratia*, factam initio legerat: quamquam potuit Oroſius aliquid operis hujuſce Auguſtiniani deferre ſecum in Orientem, quippe cum teſtetur inchoatum fuiſſe, quo tempore ex Africa profectus eſt. Utut ſe res habeat, non fecit imprudenter Schottus, cum additamentum illud recidit, priuſquam totum opus in Bibliotheca ſanctorum Patrum ederetur.

Quæ tractentur quæſtiones.

Epiſt. ad Cteſip. & 3. dial.

Quæſtionum a Pelagio motarum duæ tantum hoc in libro tractantur; altera de poteſtate liberi arbitrii, altera de perfectione hominis in vita mortali: quas unas Hieronymus in Oriente agitabat, ſuarumque partium presbyteris perſuaſerat, ita ut Pelagio magnam inde invidiam facerent. Ambæ vero tam ſubtiliter, ad Scholæ ἀκρίβειαν, tamque ſolide, ad fidei regulam ſolvuntur, ut affirmare non dubitem, nihil fere melius ſcriptum olim primis temporibus, nihil veterum monimentorum ſupereſſe conſequentibus temporibus utilius.

C A-

CAPUT IV.

De libris ſex Hypognoſticon

Proponitur quæſtio de auctore librorum Hypognoſticon.

REJECTUM eſt in finem ſeptimi tomi operum S. Auguſtini, opus adverſus Pelagianos, ſex libris comprehenſum, quod etſi Remigius Lugdunenſis ὑπομνηστικὸν vocet, veluti memoratorium, ſeu potius commonitorium, vulgo tamen Hypognoſticon dicitur, quaſi ſubnotationum.

Cujus nomen hactenus aut ignotum, aut dubium fuit.

Latuit ad hunc uſque diem auctoris nomen, gens, & ætas: in ea tamen fas eſt, opinor, inquirere, ſine temeritatis nota, cum forte ſint in obſcuro propter incuriam. Certe hanc a nobis diligentiam exigit argumentum, in quo verſamur, ut ſi qua ratione licet, inveniamus aliquid, ſin minus omnino certum, quod eruditi viderint, ſaltem minus improbabile, quam quod hactenus allatum eſt.

Modus ſolvendæ quæſtionis.

Videtur autem aptus ille inquirendi modus, quo ex ipſis Hypognoſticon libris ſingula primum diligenter colligantur, quibus poſſit ratio inniti; tum ex inventis indiciis concludatur, quis Hypognoſtes fuerit, qua vixerit ætate, & qua occaſione ſcripſerit.

Animadvertenda quædam in libris Hypognoſticon. Primum, quæ ſcribendi occaſio fuerit. *In præf. Hypog.*

Primum, quam habuerit Hypognoſtes ſcribendi cauſam, exponit ipſe ſtatim initio, cum ait: *Adverſarii fidei catholicæ, dum contra regulam veritatis diabolicis armis pugnare nituntur, nos ſollicitudine reſpondendi faciunt cautiores; ſi vero decipiunt, antequam noſtrorum valeant aliquem vulnerare: cum enim cæci evacuare theſauros fidei concertant, ſpe fidei evacuati, faciunt plenitudinem fidei Eccleſiæ, opitulante Dei gratia gloriari. Et dum in hypocriſi vigilant nocituri, de quibus propterea dictum eſſe puto per Prophetam:* Ablatus eſt ſomnus ab oculis eorum, non enim dormiunt, niſi male fecerint; *nos quodammodo excitant dormientes, ut arrepto clypeo veritatis, falſitati eorum corde reſiſtente vigilemus, evangelica tuba noſtris auribus inſonante:* Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

Prov. 4. v. 16.

Matt. 24. v. 38.

Secundum, quæ ſint illæ quinque a Pelagianis motæ quæſtiones. *Ibid.*

Proponit deinde agitandas quinque Pelagianorum quæſtiones. *Hujuſmodi ergo dogmatis iſta eſt nefanda blaſphemia: Adam inquiunt, ſive peccaſſet, ſive non peccaſſet; moriturum fuiſſe. Item peccatum ejus neminem, niſi ſolum nocuiſſe ipſum. Et poſſe hominem per liberum arbitrium, tanquam per ſe ſibi ſufficiens implere quod velit, vel etiam meritis operum a Deo gratiam unicuique dari. Libidinem naturale eſſe bonum, nec in ea eſſe quod pudeat. Et parvulos baptizatorum filios non trahere originale peccatum, neque perituros a vita æterna, ſi ſine ſacramento baptiſmi ex hac vita migraverint.*

Epiſt. 88. apud Aug. Lib. de geſt. c. 11. In præf. l. Subnot.

Notandum vero, totidem quæſtiones recenſuiſſe aliquando curioſius Hilarium Syracuſanum, Paulinum diaconum, Mariumque Mercatorem, nec tamen meminiſſe quartæ de libidine, *an ſit naturale bonum, & utrum in ea ſit quod pudeat.* Imo hac de quæſtione diſputatum per ſe non videri, ſed ex occaſione tantum, priuſquam Julianus cauſam Pelagianam defendendam ſuſciperet.

Tertium, quod Pelagii Cæleſtiique nomen ſæpe appellatur, Juliani nunquam.

Poſtea, Hypognoſtes nomen Pelagii atque Cæleſtii appellat ſæpe, nuſquam Juliani, cum tamen poſt damnationem Pelagianorum, aut ſaltem poſt 420. de quæſtionibus peccati originalis nemo egerit, quin Juliani meminerit, veluti partium hæreticarum principis.

Quartum, quod Hypognoſtes ſingularem aliquem hominem inſequatur.

Adde quod auctor Hypognoſticon, etſi Pelagii, ut dictum eſt, Cæleſtiique frequenter mentionem fecerit, eos tamen non videatur directe inſequi, ſed ſingularem potius aliquem hominem, cujus modo reſponſiones ad argumenta catholicorum refellit, modo declinationes præcludit, modo calumniis reſpondet.

Quintum, quod ſingularis ille homo inducatur velut Cæleſtianus magis, quam Pelagio addictus.

Quidquod hoſtis ille ſingularis, quem ſibi committit Hypognoſtes, inducitur velut Cæleſtiana quædam perſona, quæ & longe plura de Cæleſtiano errore diſputet quam de Pelagiano, & ex quæſtionibus quinque, unicam de gratia, quatuor de peccato originali proponat, imo & proferat eadem fere omnia, quæ Julianus, Cæleſtio in primis addictus, ſuis in libris afferre ſolet.

Sextum, quod quæſtiones ſolvat alia ratione, quam vel Auguſtinus, vel Mercator. *Sap. 1. v. 13.*

Deinde, quæſtiones ſingulas longe aliter ſolvit Hypognoſtes, quam vel Auguſtinus, vel Mercator: nam ut alia omittam longe plura, locum hunc Sapientiæ, *Deus mortem non fecit*, vehementer urget adverſus naturalem Adæ mortalitatem; quem tamen auctores illi duo breviter perſtringunt, quaſi magnum ibi præſidium cauſæ non ponant.

Septimum, quod Hieronymum ſequatur in citandis ſcripturis ſacris.

Deinde, crebra quidem adhibet Scripturæ teſtimonia, ſed deſumpta tum ex tranſlatione veteris Teſtamenti, quam Hieronymus ex Hebræo accuravit: tum ex Evangelii lectione, quam idem Hieronymus, Damaſi rogatu, recognovit. Id unum exempli ſufficiat, Pſalm. 114. *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit mihi. Quoniam eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapſu; placebo Domino in regione vivorum.* Hæc aliter leguntur apud Auguſtinum: *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit* tibi. *Quoniam* exemit *animam meam a morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapſu. Placebo* in conſpectu Domini, *in regione vivorum.*

Octavum, quod nullius Patris teſtimonium adhibeat.

Deinde, nullius Patris teſtimonium adhibet; ſed ſola pugnat vel Scripturæ auctoritate, vel rationibus: cum tamen nullus fere de rebus iſtis ſcripſerit tunc temporis, quin contra novitatem erroris Patres adduxerit, tanquam ſacros antiquæ fidei teſtes.

Nonum, quod nullius ſynodi meminerit, nulliuſque ſummi Pontificis.

Deinde, nullius meminit, aut ſynodi, aut ſummi Pontificis, cujus ſententia damnati ſint errores, quos impugnat; quamvis poſt Pelagii Cæleſtiique condemnationem ab Eccleſia, id eſt, poſt ann. 418. nemo ſcripſerit ea de cauſa, qui religioni non duxerit, tantum præjudicium ſilere.

Decimum, quod inæqualem ſervet orationis modum. &c. *In fin. præf.*

Deinde, inæqualem ſervat orationis modum: nihil illo quandoque grandius, nihil mox humilius: quam grandia ſunt iſta! *O malum dogma, quod pacis inimicus invenit! o dogma, per quod ſcinditur matris unitas Eccleſiæ a regeneratis! o dogma, quod ſub nomine Chriſti evertere, & mutare nititur Chriſti fundamenta! o dogma, cui nefanda ſunt nomina mille, mille nocendi artes! arma contra legem ſumit ex lege: impugnat Evangelium ex Evangelio, pugnans & in ſui perniciem: de veris mendacia fingens, provocat ad mendacium veritatem. Sed hæc ſunt ſibi pœna, quæ inordinate proferens putat eſſe victoriam, ut in eis, quod ſcriptum eſt, impleatur:* PER QUÆ QUIS PECCAT, PER HÆC ET TORQUETUR. Quam humiliter dicta! *Abbreviatum hunc facere libellum curavi: quem ſi quis legere voluerit, non verborum mediocritatem contempletur, ſed fidei rationem; & ſi placet, ad Deum, qui docet hominem ſcientiam, gratias referat. Si qua vero ſunt, in quibus nolentes erravimus, ſi tamen aliqua ſint corrigenda, intuitu caritatis, Deo judice, corrigat, ſed is, cui cenſus eſt catholicus corrigendi. Si autem nihil ſciens vel invidioſus fuerit, vitiare, quæ ſana ſunt, non præſumat.*

Sap. 11. v. 17. Ibid.

Lib. 4. Hypog. ſub fin.

Quam vehemens amplificatio hæc eſt in libidinis laudatores, *Audite breviter non brevia, ſed crimine ingentia, caloris veſtri amantiſſimi opera, quibus in illicitum coire præcipitat hebetata corda mortalium, & erubeſcite & conticeſcite tandem. Iſto calore ſuccenſus, & turpiter illectus, nonnumquam pater inclinat filiam, & operatur inceſtum: filius etiam patris torum maculat, cum matri vel novercæ aliquando miſcetur: in ſororem frater cupidine ductus incurrit, & cognatam non erubeſcit opprimere: virgo licentiam non ſuſtinet nuptiarum, ſed ſtuprum tempore concupiſcit illicito. Maritus minime contentus licitis uxoris amplexibus, uteres contaminat alienos. Similiter & uxor immemor proprii mariti cubilis, adulterino amore uxoris torum occupat alienæ. Quid de ruina aliquantorum ſervorum Dei, & ſacrarum virginum dicam, quæ hac tempeſtate*

naufragia patiuntur? quid de diverſis immunditiis, in quibus earum auctorem ipſum ſibi puto pro vobis diabolum diſplicere? Ecce calor ille amantiſſimus veſter, in quas ignominiarum ſordes humanas ire illicit & præcipitat mentes? Ecce quam illuviem etiam in ſanctis Chriſti membris fuiſſe, dicere non tremuiſtis? Ecce cujus obſcænitatis & turpitudinis eſtis acerrimi laudatores, impudentiſſimi defenſores, &, ſi non fallor, cum adhuc non diſplicet, forſitan & factores.

Lib. 1. Hypog. ſub fin.

Quam lenis e contrario, quamque abjecta & humilis diſputatio! *Soles dici, ut præfatus ſum, a plurimis, dum aliquid deſpicitur, aut pro parvo æſtimatur, vel certe quod penitus non ſit: Nihil eſt. Cum ergo dicimus, nihil, nomen inſubſtantiale nominamus; cum vero addimus, eſt, rem ſignificamus. Cur ergo nomen inſubſtantiale, id eſt, tanquam vere aliquid ſit, dicimus, addendo, eſt? omne enim quod dicimus, eſt, eſſe aliquid æſtimamus; tamen cum aliquotiens dicimus, nihil eſt, pro conſuetudine locutionis addimus, eſt, ad, nihil, cum nomen tantum ſit nihil, & non res.*

Undecimum quod atatur vocibus peregrinis.

Deinde, vocibus utitur peregrinis, ioſolentibus, atque etiam barbaris, cujuſmodi ſunt, PROTOPLASTUS, EXULATUS, DESOLATUS GRATIA, REFELLITUS, REPEDARE, &c.

Duodecimum, qualis ſit liber ſextus.

Poſtremo, ſextus liber videri poteſt aut ſuppoſititius, aut ſaltem addititius, ſiquidem in eo mentio ſit ſexti articuli, quamvis in præfatione quinque tantum propoſiti ſint. Et certe quintus liber, qui articulo quinto reſpondet, hanc habet clauſulam, quæ totius operis dici poteſt abſolutio: *Nos vero anathematizantes vos, Paulum, in quo locutus eſt Chriſtus, auſcultamus prædicantem, & ſequimur, qui unum corpus & unum ſpiritum eſſe dixit Eccleſiæ catholicæ in Chriſto, unam fidem, unum baptiſmum, unum Deum & patrem omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.*

Lib. 5. Hypog. in fine.

Adde quod liber ille ſextus invenitur aliquando in codicibus tum manuſcriptis, tum impreſſis, ſejunctus ab aliis quinque. Solus certe erat in codice Remigii Lugdunenſis cauſantis idcircn præfatione carere hypomneſticum, quem obſerva ſingulari oumero appellari. Viſus eſt a me non ſemel ab iiſdem ſeparatus in antiqua editione opuſculorum quorumdam de gratia. Soli ſunt priores quinque in manuſcripto codice bibliothecæ ſancti Victoris ad muros urbis Pariſienſis; nulluſque dubito, quin aliis in codicibus perinde ſe res ut plurimum habeat.

Conſectaria ex animadverſionibus.
I.
Opus hoc contra Julianum ſcriptum eſt.

Ex his animadverſionibus concludi poſſe arbitror, primum, Hypognoſtis adverſarium non eſſe alium a Juliano Eclanenſi Epiſcopo, quem oemo neſcit Cæleſtianum in primis fuiſſe, libidiois tanquam naturalis boni laudatorem, fidei, qua creditur peccatum originale, profeſſum impugnatorem, qui de gratia nonniſi per tranſennam dixerit, & ea omnia, ſi credimus Auguſtino, jactare ſolitus ſit, quæ adverſarius Hypognoſtis adducit. Cur ergo appellatus non eſt de nomine? Conſtabit ratio, ubi actum fuerit de tempore conſcripti operis.

II.
Poſt ſententiam Zoſimi, & ante dejectionem Juliani.
In præf.

Secundum, opus boc ſcriptum eſſe, poſt judicium Zoſimi factum ano. 418. ſed ante manifeſtam Juliani de ſua ſede ejectionem, quæ contigit circiter ann. 420. Tempus ejectione prius clare ſatis eloquitur ipſummet de Juliani nomine ſilentium, at tempus judicio poſterius ſignificant bæc verba: *Contra Pelagianos & Cæleſtianos hæreticos, quos Dominus tales futuros ſuo vitio ante conſtitutionem mundi præſcivit, & exortos in mundo judicio juſto damnavit, ſermo nobis eſt reſpondendi.* Quid enim tunc Julianus molitus non eſt, ut judicium retractari faceret? Quid non cauſatus adverſus catholicam Zoſimi definitionem?

Cauſa cur Juliani nomen in Hypognoſticis taceatur.

Atque hæc cauſa fuit, cur taceretur io libris Hypognoſticis Juliani nomen, oe animus Epiſcopi exacerbaretur, qui cum noodum dejectus eſſet de ſede, ſpem faceret revertendi ad fidem, quam ſub Innoceotio ordinatore ſuo profeſſus erat; quamquam & iſta quoque ſilentii cauſa eſſe potuit, quod ut Sixti nomini Julianus, dum inveheretur in catholicos; ita & Sixtus, cum Pelagianos inſectaretur, Juliani nomini pepercerit, timore tamen Julianum, caritate Sixtum impellente. Sic enim Juliano Auguſtinus. *Neſcio quos etiam,*

Lib. 6. contra Jul. cap. 4.

inquit, *quaſi deſertores dogmatis veſtri, ad fidem catholicam converſos arguis vel reverſos: quos tamen ſignificaſti ita te metuere, ut eorum nomina exprimere non auderes.* Quo ex loco, qui procul dubio de Sixto debet intelligi, non obſcure colligitur, presbyterum hunc cum Pelagianis aliquando ſenſiſſe.

III.
Ab uno ex nobilibus fidei defenſoribus.

Tertium, opus hoc ab uoo aliquo nobilium fidei defenſorum elucubratum fuiſſe: nullo certe, ſi ratio doctrinæ habeatur, indignum eſt. Pugnabant vero ea tempeſtate Hieronymus, Auguſtinus, Paulinus uterque, id eſt, Epiſcopus & diaconus, Oroſius, Mercator, Zoſimus pontifex, Sixtus presbyter Romanus, & Afrorum forte quidam, ut Aurelius, Alipius, & auctor ſive librorum *de vocatione gentium*, ſive epiſtolæ *ad Demetriadem* Proſpero tributæ.

IV.
Non ab Hieronymo.

Quartum, elucubratum non fuiſſe ab Hieronymo, nam tunc temporis ſcribere deſierat de quæſtionibus, præ ſumma ſenectute: res Juliani, ne auditu quidem, noverat: uſus fuiſſet latiniore dictione: de ſynodis non ſiluiſſet, quas in epiſtola etiam breviſſima tacere non potuit: de Auguſtino non omiſiſſet dicere, quem in tertio dialogo tam magnifice, poſt unicum opus lectum, laudibus extollit: aliquid more ſuo eruditionis aſperſiſſet: denique habuiſſet orationem non deſultoriam, ut Hypognoſtes, ſed æquabilem, ut ſolet.

V.
Non a Paulino Epiſcopo Nolæ.

Quiotum, abjudicari pariter Paulino Epiſcopo Nolano, partim propter aliquot rationum allatarum; partim quia de quæſtionibus non ſcripſit, ſcripturus utique, & latinius, & æqusbilius, ſi tentaſſet. Deinde res Juliani vix habuit perſpectas, cum ne Pelagianas quidem ſatis ſciret, etſi Pelagii amicus: unde indiguit erudiri ab Auguſtino, oe errorem ſibi perſuaderi permitteret, vel a Pelagio per literas, cum facilis eſſet decipi ſpecie pietatis, vel ab obſtinatis non tam Pelagii, quam pravi dogmatis, defenſoribus, quos Nolæ patiebatur, impotens iraſci etiam improbis. Denique popularis opinio de libro Paulini adverſus Pelagianos, ortum duxit ab errore hominis, qui argumentum 106. epiſtolæ Auguſtini ad Paulinum præfixit. Sumpſit enim epiſtolam ad Severum Sulpitium, eamque breviſſimam, pro libro, & ſententiam, quam Auguſtinus laudatam in Pelagianos argumentatur, in eoidem a Paulino dictam putavit, qusmvis prolata ſit a viro ſancto & ſui deſpicientiſſimo, eo tantum fine, ut depingens animæ ſuæ formam, quam credebat miſerabilem, illuderet urbane amico, qui depictam vultus ſpeciem mitti ſibi poſtulaſſet.

Depulſio popularis opinionis.

Epiſt. 8.

VI.
Non ab Aurelio & Alipio Africanis Epiſcopis.

Sextum, neque etiam poſſe tribui Aurelio & Alipio Africanis, qui etſi fortiter ſteterint pro cauſa fidei adverſus inimicos crucis Chriſti, ille babendis ſynodis, iſte obeundis legationibus, nihil tamen feruntur ſcripſiſſe, præter epiſtolas; in quibus tamen ita elucet ingenium, doctrina, & ſtylus Auguſtini, ut illius non immerito dici poſſint. Deinde locus Oroſii, ex quo quiſpiam concluderet utcunque, Aurelium contra Pelagium ſcripſiſſe: *Qui ſunt*, inquit, *columnæ & firmamenta Eccleſiæ catholicæ, Aurelius, Auguſtinus & Hieronymus, multa jam adverſus hanc nefariam hæreſim abſque deſignatione nominum hæreticorum ſcriptis probatiſſimis ediderunt*, &c. pertioet ad tempora longe priora, quippe ipſam quoque ſynodum Dioſpolitanam præcedentia.

Apolog. c. 1.

Notatus Rivius.
In vita S. Auguſtini.

Neſcio, utrum Rivius ſatis attenderit ad hunc locum, cum ſcriberet, ex eo nobis primum innoteſcere prænomen Aurelii Auguſtino fuiſſe: Carthaginenſis enim Epiſcopus eo loci Auguſtino & Hieronymo accenſetur, ut tribus vita functis defenſoribus fidei, Cypriano, Hilario, & Ambroſio, totidem vivæ reſponderent Eccleſiæ columnæ.

VII.
Non a Proſpero, &c.

Septimum, auctorem ſive librorum *de vocatione gentium*, ſive epiſtolæ *ad Demetriadem* Proſpero tributæ, longe ab Hypognoſte diverſum eſſe, latinitatis, ſtyli, opinionumque diſſenſione: uterque enim purioris eſt dictionis, grandioris orationis, & mitioris in parvulos ſententiæ.

VIII.
Non a Paulino diacono.

Octavum denique, cum reſtet inquirendum de Auguſtino, Paulino diacono, Mercatore, Zoſimo Papa, & Sixto, de Zoſimo facile eſſe ex eo ipſo io partem negantem ſentire, ex quo præjudicium aliquod ſumi poſſet,

In Commonit. cap. 3. num. 6.

poſſet, nimirum ex Mercatoris verbis: *Cæleſtius ab hoc a beatæ memoriæ prædicto Zoſimo Epiſcopo ſcriptis ampliſſimis vel longiſſimis perdamnatus eſt, in quibus & ipſa capitula, de quibus accuſatus fuerat, continentur, & omnis cauſa tam de Cæleſtio ſuprascripto, quam de Pelagio magiſtro ejus praviore videtur eſſe narrata*, &c. Quæ enim prolixiſſima ſcripta dicuntur a Zoſimo in univerſum orbem miſſa, continebant certa *prædicta capitula*, id eſt, excerpta ex libris Pelagii, quæ Mercator refert: at nullum ejuſmodi excerptum in libris Hypognoſticon continetur. Supereſt igitur inquirendum de quatuor reliquis, Auguſtino, Paulino diacono, Mercatore, & Sixto presbytero Romano.

IX. Non ab Auguſtino, quod creditum nono ſæculo, & ante.

Nono certe ſæculo indubitatum erat, libros Hypognoſticon eſſe Auguſtini, donec orta contentio eſt Hincmarum inter & Remigium Lugdunenſem. Nam cum Gotheſcalcus libros illos laudaſſet, velut apertos gratiam inter & liberum arbitrium judices, eoſdem Hincmarus adhibuit, ut Prædeſtinatianam Goteſchalci hæreſim confutaret.

Diſputarunt ea de re Hincmarus Rhemenſis, & Remigius Lugdunenſis. *Lib. de trib. epiſt. cap. 35.* Octo rationes Remigii.

Hincmarum arguit Remigius Lugdunenſis, & libros, quibus ſe ſentiebat graviter urgeri, ſuppoſitos dixit Auguſtino. Dictum ex eo conficere ſibi videbatur, quod neque in retractationibus cenſeantur, neque in indiculo Poſſidii. Quod præfatione careant, qua doceat Auguſtinus ſuo more, cujus impulſu, vel quam ob cauſam ad ſcribendum acceſſerit. Quod argumentum toties aliis in libris tractatum nullo operæ pretio retractatum fuiſſet. Quod ſermo ab Auguſtiniano differat. Quod diſſona ſit doctrina, nec in ipſis modeſtia Auguſtini eluceat. Quod ex translatione Hieronymi teſtimonia Scripturæ proferantur, cum verſione communi antiqua Auguſtinus uti eſſet ſolitus.

Conjectura Remigii de tempore & cauſa ſcribendi Hypognoſtica.

Addebat Remigius, videri ſibi opus hoc, *non parvo ſpatio poſt obitum Auguſtini, ab aliquo ſcriptum, nova poſtmodum Pelagianorum inſurgente calumnia, velut, per prædeſtinationem reproborum ad interitum, doceret Eccleſia, a Deo, ſua prædeſtinatione, neceſſitatem imponi hominibus in ſuis impietatibus permanendi, & in æternum pereundi: fronti vero nomen Auguſtini præfixum, quia magna ex parte ipſius ſenſus brevi hocce opuſculo quaſi in unum collegiſſet auctor; aliquos autem, cum id ſatis non intelligerent, exiſtimaſſe, opus ipſum ab Auguſtino elaboratum, tanquam* ὑπομνηστικὸν, *ſeu commonitorium*.

Reſponſiones Hincmari ad rationes Remigii. *Lib. de prædeſt.*

Remigio Hincmarus reſpondit, fidem publicam, & pene communem, qua fretus, ex hiſce libris ab adverſario receptis, teſtimonium adhibuerat, tueri conatus eſt, ſed argumentis ſane non optimis, ut neque validiſſimis oppugnabatur. Contendit enim, Auguſtinum, primum, ſcripſiſſe libros Hypognoſticon, ſaltem ſextum, ne crederetur tradita prædeſtinationis in bonum doctrina, qua funditus Pelagianiſmum cum ſuis reliquiis everterat, aſtruere prædeſtinationem hominum in malum, quæ infanda quædam blaſphemia eſt. Deinde, ſuſcepiſſe hunc laborem ſub finem vitæ, quo tempore ex libris ſuis male intellectis videbat Prædeſtinatianam hæreſim oriri. Denique, pluribus in locis mentionem feciſſe operis ad Proſperum & Hilarium miſſi. Ex hac Remigii Hincmarique contentione certo conſtat, libros de quibus agitur, ante nonum ſæculum Auguſtino communiter tributos fuiſſe. Quo vero tempore tribui cœperint, incertum eſt, niſi quod diuturnum eſſe oportuit, cum omnes codices ita ferrent, nec inficias ierit Remigius, quin ita vulgo crederetur, ac putabat Hincmarus: nam popularis credulitatis cauſas quæſivit paulo accuratius.

Ex conflictu conſtat nono ſæculo creditum fuiſſe, Hypognoſticos libros eſſe Auguſtini.

Cum Remigio ſenſit Eraſmus. *In cenſura libri præfixa.*

Cum Remigio ſenſit Eraſmus, & inde cenſuram ejuſmodi inuſſit operi, *hoc opus non eſſe Auguſtini. Primum illud arguit, quod cum ſit juſti voluminis, non commemoratur in Retractationibus. Deinde titulus inſolens,* ὑπομνηστικὸν, *quaſi dicas Subnotationum: neque enim ſolet ille titulos Græcos indere ſuis libris, multo minus eos qui non indicant argumentum. Poſtremo nec ſtylus per omnia congruit, licet hominis eruditi facundique videatur. Clamoris plus habet, ſolidæ argumentationis minus quam Auguſtinus. Videtur fuiſſe quiſpiam, qui quæ ſparſim ab Auguſtino diſſerta ſunt contra Pelagianos, ſtuduerit in unum contrahere.*

Ego quidem, in abjudicandis Auguſtino quinque hiſce libris, aſſentior libens Remigio atque Eraſmo: cenſeo tamen revocari debere ad examen, quæ a tribus iſtis hominibus adhibeantur ad ſuam ſententiam ſtabiliendam, ne aut falſis verum juvari, aut Hincmarus, magnæ vir auctoritatis, indicta cauſa, damnari videatur.

Uterque bene ſenſit, ſed non bonis rationibus. Quæ examinantur.

Atque ut inde exordium ducam, nihil præjudicat Hincmari ſententiæ, quod Auguſtinus non meminerit hujuſce operis ſuis in Retractationibus: quam multa enim alia prætermiſit! Non meminit certe librorum *de prædeſtinatione ſanctorum*, & *de bono perſeverantiæ*, & *de perfectione juſtitiæ*: illos tamen quis neget, veros ac germanos fœtus tanti parentis, ſed jam ſenis? Diceret ergo aliquis eamdem ſortem nactos eſſe Hypognoſticos, quippe natu æquales, & ſi credimus Hincmaro, poſt Retractationes editos.

Et prima quidem, quod non retractati ſint hi libri ab Auguſtino.

At, inquit Remigius cum Eraſmo, carent præfatione, qua auctor ſcribendi cauſas afferat, quod ſolet Auguſtinus; imo habent, eamque prolixiſſimam, quam oportuit deſiderari in codice, quo uſus eſt Remigius; nec enim alia ratione poſſit mendacium excuſare, quod omnium oculis facile revincendum ſit. Deinde quam præfationem præferunt libri *de magiſtro*, *de immortalitate animæ*, &c. an idcirco laborant ſuſpicione ſuppoſitionis?

Secunda, quod careant præfatione.

Pergit Remigius. Nulla fit hujuſce operis mentio in indice Poſſidii, cum tamen curioſe, ut multorum annorum familiarem decebat, omnia Auguſtini & noverit, & recenſuerit. Verum hæc ratio imbecilla per ſe eſt; nam Poſſidius primum fatetur, ſe non omnia enumeraſſe. Deinde poſſet aliquis a Poſſidio recenſitum contendere: nam in omnibus editis indicibus leguntur hæc verba, LIBER UNUS CONTRA QUÆSTIONES PELAGIANISTARUM. Quis enim unus ille liber? Nullus certe eorum, qui vel ſeptimo tomo, vel ſupplemento continentur, cum ſuo ſinguli nomine appellentur in indice, & unus ille inſuper. Æſtiment viri docti hujuſce argumenti pondus, & conjiciant, ſi quid valent, ſuper ea re, quæ me profecto latet, atque etiam cruciat, niſi forte veraſit conjectura poſtmodum afferenda.

Tertia, quod non ſint in indice Poſſidii.

Addit Eraſmus, ſolitum non eſſe Auguſtinum ſuis opuſculis Græcum nomen imponere, præſertim quod non explicet argumenti qualitatem. Mentem abſque dubio Eraſmus, cum ita ſcriberet, non intendebat, vel in librum *de fide, ſpe & caritate ad Laurentium*, quem *Enchiridion* Auguſtinus dixit; vel in tractatus ad populum, quas *homilias* vocavit: quæ duo nomina, niſi fallor, Græca ſunt. Deinde operis argumentum ſatis explicari nomine *Hypognoſticon*, Eraſmus ipſe abunde probat, cum *ſubnotationes* interpretatur, *quibus nempe auctor, quæ ſparſim ab Auguſtino diſſerta ſunt contra Pelagianos, ſtuduerit in unum contrahere.*

Quinta, quod Græco nomine ſint inſcripti.

Interrogat Remigius, quæ tandem neceſſitas Auguſtinum coëgerit, materiem iterum verſare toties antea, totque libris tractatam. Interroganti videri poteſt reſpondere auctor tota præfatione, *adverſarios* nempe *fidei catholicæ, dum contra regulam veritatis diabolicis armis pugnare nituntur, catholicos ſollicitudine repugnandi facere cautiores, dum in hypocriſi vigilant nocituri, excitare catholicos dormientes, ut arrepto clypeo veritatis, falſitati eorum corde reſiſtente vigilent*, &c. Addiderit aliquis, e re fuiſſe Auguſtini, ſcripto amoliri a ſe invidiam naſcentis *ex ſuis libris male intellectis Prædeſtinatianæ hæreſis.*

Sexta, quod nulla neceſſitate ſcripti forent.

Quanquam hæc ſive Remigii, ſive Eraſmi argumenta nihil admodum momenti habeant ad Hincmarum refellendum, ſunt tamen alia ſeptem, quæ rem penitus conficiant. Nam inter capitalia quinque Pelagianorum dogmata, recenſet Hypognoſtes, quod *libido ſit naturale bonum*; nunquam recenſuit Auguſtinus, etiam cum de hæreſibus ſub finem vitæ ſcriberet. Aliter Hypognoſtes, aliter Auguſtinus prædeſtinationem explicat. Multum Auguſtinus modeſtia orationis, plurimum latinitate Hypognoſtem vincit. Auguſtinus ex antiqua communi tranſlatione Scripturæ teſtimonia profert; Hypognoſtes ex Hebraica Hiero-

Reliquæ rationes approbantur, & certis aliis confirmantur.

Digitized by Google

Hieronymi. Nunquam ſiluiſſet Auguſtinus de Patrum tradiiione, & Eccleſiæ judicio ad ſtabiliendam fidem; ſiler omnino Hypognoſtes. Auguſtinus Juliani oomen, quod alias tam frequenter appellat, hoc utique in loco non reticuiſſet; reticet Hypognoſtes, quantumcumque vehementer hominem impugnet. Denique Auguſtinus, ſi modo operis auctor eſſet, hoc certe edidiſſet in lucem eo tempore, quo editum reipſa oſtendimus: recenſuiſſet ergo cum aliis ejuſdem ætatis.

Marius Mercator non eſt auctor Hypognoſticon; quod tamen ſuſpicari quis poſſet.

Credere poſſet aliquis, aut ſaltem ſuſpicari, id operis tribuendum Mercatori, ſuſpicionemque firmaret his fortaſſe argumentis. Librum Mercator eodem titulo fecit, quo Hypognoſtes: ὑπογνωστικὰ enim Eraſmus ipſe interpretatur ſubnotationes; nec incredibile eſt, hominem Græcæ linguæ in paucis peritum operi ſuo Græcum nomen dediſſe. Deinde eodem tempore uterque auctor vixit, nec videtur Mercator, cum catholicæ fidei defendendæ tam ardenter ſtuderet, a ſcribendo vacaſſe, quamdiu ferverent quæſtiones, de quibus ſollicite Auguſtinum conſuluit. Accedit quod idem utriuſque fuerit erga Julianum odium, idem erga Auguſtinum animus. Eadem fere utriuſque latinitas, parum oempe caſtigata. Utrique placent inſolentes & peregrinæ voces: utrique exclamationes crebræ, & aliæ orationis paulo vehementioris figuræ. Ambo denique Pelagianis vitæ turpitudinem aperte exprobrant, aculeatis ſane ac pene iracundis verbis. Legendum ſuper hac re caput 4. & 5. Subnotationum, ubi Mercator domeſtica Juliani propudia retegit. Hypognoſtes. *Impudenti fronte laſcivientis libidinis motum; ſic procaci lingua laudatis in publico, ut cunctis pateat, quid a vobis geratur in ſecreto, ſi tamen, quæ laudare publice non pudeat, eligant vel ſecretum.* Et poſtea: *Pergite adhuc per campos loquacitatis veſtræ, qua tantæ turpitudinis calorem laudare non erubeſcitis, & clamate, ſecundum conſuetudinem veſtram dicentes: Libido calor bonus eſt genitalis, nec eſt in ea quod pudeat, quia ſi malum eſſe dicatur, nuptiæ jam damnabuntur; ſine illa enim non poterit proles exiſtere. Ex hoc advertant dilectæ veſtræ caſtiſſimi expugnatores, quantum libet, quod tantum laudare delectat: aut ſi non libet, cur ſuadetis, ut libeat, & caſtitas expugnetur a vobis? cur bonum prædicatis, quod in vobis adverſum eſſe ſentitis? Rogo, erubeſcite. Nemo unquam quod ſibi eſt inimicum, bonum dicere delectatur, & laudum præconiis adornare. Fallimini prorſus, & fallitis, imo decepti eſtis, & decipitis. Non eſt iſte calor bonus, nec genitalis in bonis genitalibus membris, quæ formavit Deus; ſed malus, ut ſæpe dictum eſt, auctore diabolo, præcedente peccato. Iſto calore ſi vigor mentis veſtræ ad illicita non diſſolveretur, non a vobis tam licite laudaretur.*

Lib. 4.

Refellitur ſuſpicio validis tribus argumentis.

Verum, ut in his quæ dicta ſuot, Hypognoſtes & Mercator conveniant, quod tamen in dubium, nec immerito, vocaverit quiſpiam: certe in tranſlatione Scripturæ diſſentiunt, quod omnino capitale eſt, ubi de ſcriptoribus eccleſiaſticis agitur. Unus de multis locus Pauli ſufficiat. Hypognoſtes. *Abſorpta eſt mors in victoria, ubi eſt, mors, victoria tua? Ubi eſt, mors, ſtimulus tuus?* Mercator. *Abſorpta eſt mors in victoriam? ubi eſt, mors, aculeus tuus? Ubi eſt, mors, contentio tua?* Deiode apud Hypognoſtem occurrit ubique paſſim vox *protoplaſti*, ut affectata videri poſſit; nuſquam reperitur apud Mercatorem, niſi forte cum Græca interpretatus eſt. Denique vix quidquam Mercator ſcripſit, vel de gratia Chriſti, vel de libidinis naturali bono, vel de libero arbitrio, cum tamen occaſio ſcribendi ſæpius ſe dederit; plura Hypognoſtes libro tertio & quarto, imo & ſexto, ſi tamen habeat eundem cum prioribus aoctorem.

1 Cor. 15. v. 54.

Neque etiam Paulinus diaconus eorumdem eſt auctor.

Paulini diaconi duo tantum habemus opera, vitam ſancti Ambroſii, & libellum in cauſa Cæleſtii miſſum ad Zoſimum Papam. Ex neutro licet coocludere quidquam in rem noſtram, cum utrumque in argumento longe diſcrepante verſetur. Vita certe Ambroſii ſtylo plurimum differt ab Hypognoſticis, & libellus videtur eſſe hominis aptioris ad contentionem fori, quam ad tractationem quæſtionis de fide.

Adde quod Paulino nihil negotii cum Juliano fuit, ſed cum Cæleſtio tantum; ſi vero fuiſſet aliquid, non ſiluiſſet utique de Patribus, ſedisque apoſtolicæ judiciis, & aliis ſynodis, quandoquidem in libello, quamvis exiguo, tam magnifice omnium meminerit, tam copioſe. *Contra quæ etiam*, inquit, *magiſter ſuus litigat Pelagius, qui illa ipſa damnavit in judicio orientali, quæ iſte in ſedis apoſtolicæ cœtu conatur aſtruere. Habet adverſum ſe etiam veteres Eccleſiarum doctores catholicos plurimos, orientalis & occidentalis, meridianæ partis & ſeptemtrionalis, qui in libris ſuis illum de originali peccato, ſi ſanari deſiderat, poſſunt docere. Habet beatum Cyprianum martyrem, beatum Ambroſium confeſſorem, Gregorium Nazianzenum, beatum Papam Innocentium. Habet etiamnum, qui in corpore ſibi colluctentur, ſi ille tamen hos tanto certamini habiles judicat, aut certe quos ſequi debeat, ſi vult magis recta diſcere, quam prava docere. Habet, quod primum eſt, beatitudinem tuam, cujus illum oportuerat obedire ſententiæ, cum audiret, damna. Habet poſtremum ipſos lactentes, quibus miſereri debeat, ſi ſibi non vult: quibus, ut verbis martyris utar, non propria, ſed aliena dimittuntur peccata.*

Sixtus presbyter Romanus, qui Cæleſtino ſucceſſit in ſedem apoſtolicam, verus auctor Hypognoſticon.

Reſtat opinari Sixtum presbyterum Romanum, qui Cæleſtino ſucceſſit in ſedem apoſtolicam, auctorem eſſe Hypognoſticon. Verum quia hanc primi opinionem defendimus, veluti admodum probabilem, imo pene certam, viſæ ſunt afferendæ, lectorumque judicio ſubjiciendæ rationes, quæ in hanc ſententiam, non inclinaruot modo me, ſed ferme adegerunt. Ortæ ſunt illæ vero ex attenta animadverſione eorum, quæ totum hoc negotium ſpectant, quæque ut ſingulæ infirmari poſſint, ſaltem a contentioſo, omnes una conjunctæ, vix poſſunt a cordato oon obtinere aſſenſum.

Sixtus Pelagianis patrocinium aliquando impendit.

I.

Prima hæc igitur ratio me movit. Conſtat, teſte Auguſtino, Sixtum olim Pelagianis faviſſe, ſuumque ipſis aliquamdiu impendiſſe patrocinium, quod magoi momeoti erat, non Romæ tantum, ubi rerum potiebatur, ſed ubique terrarum, quo Romæ exemplum pertinebat. Id teſtatur Auguſtinus, cum fidei ſuſceptam cauſam adverſus gratiæ inimicos Sixto gratulatur. *Quid gratius*, inquit, *legi vel audiri poteſt, quam gratiæ Dei tam pulcra defenſio adverſus inimicos ejus, ex ore ejus, qui eorumdem inimicorum* MAGNI MOMENTI PATRONOS *anteiactabatur?* Et alio in loco: *Fatendum eſt caritati tuæ, triſtes eramus animo nimis, cum fama jactaret,* INIMICIS CHRISTIANÆ GRATIÆ TE FAVERE. *Sed ut hæc triſtitia de noſtris cordibus tergeretur, primo te priorem anathema eis in populo frequentiſſimo pronuntiaſſe, eadem fama non tacuit. Deinde cum literis apoſtolicæ ſedis*, &c.

Epiſt. 104.

Epiſt. 105.

II.

Hoc patrocinium magni momenti fuit.

Secunda. Impenſo huic Pelagianis patrocinio, tantum momentum, quantum memorat Auguſtinus, tria præcipue faciebant, nomen Sixti doctrina celebre: munus quod gerebat, docendi populum de rebus fidei: & poteſtas, qua totam fere Eccleſiam Zoſimi auctoritate regebat. Hæc tria docet aperte Auguſtinus, in utraque ad Sixtum epiſtola.

Partim cum ſcribit, Sixti literis fidem ipſam Romanæ Eccleſiæ loqui. *Nunc vero, cum apertius & latius, quid de illo dogmate contraque ſentires,* UT LITERIS TUIS FIDES IPSA NOBISCUM ROMANÆ ECCLESIÆ LOQUERETUR. *Cui potiſſimum beatus Apoſtolus Paulus, de gratia Dei per* JESUM CHRISTUM *Dominum noſtrum, multa & multipliciter eſt locutus*, &c.

Epiſt. 105.

Partim cum ad Sixtum refert de omnibus, velut ad rerum moderatorem. *Quapropter, domine venerabilis, & in Chriſti caritate ſuſpiciende ſancte frater, quamvis optime facias, cum de hac re ſcribis ad fratres, apud quos ſe illi de tua ſolent efferre amicitia; tamen hæc cura major tibi reſtat, ut non ſolum ſalubri ſeveritate plectantur, qui errorem illum chriſtiano infeſtiſſimum nomini audent garrire liberius, ſed etiam ii diligentiſſime caveantur vigilantia paſtorali, propter infirmiores & ſimpliciores dominicas oves, qui eum preſſius quidem atque timidius: ſed tamen inſuſurrare non ceſſant, penetrantes domos, ſicut ait Apoſtolus, & cætera quæ ſequuntur, exercitata impietate facientes; nec illi negligendi ſunt, qui uſque ad profundum ſilentium ſupprimunt timore quod ſentiunt, ſed tamen eandem perverſitatem ſentire non deſinunt. Nonnulli quippe eorum, antequam iſta peſtilentia manifeſtiſſimo etiam ſedis apoſtolicæ judicio damnaretur, vobis innoteſcere*

Epiſt. 104.

poterunt,

Digitized by Google

potuerunt, quos nunc repente reticuiſſe perſpicitis. Nec utrum ſanati ſint, ſciri poteſt, niſi cum non ſolum dogmata illa falſa tacuerint, verum etiam illis vera contraria, eo quo illa ſolent ſtudio, defenſaverint, qui tamen lenius profecto ſunt tractandi. Quid enim eos terreri opus eſt, quos ſatis territos ipſa taciturnitas monſtrat? Nec ideo tanquam ſani prætereundi ſunt diligentia medicinæ, quorum vulnus in abdito eſt. Etſi enim terrendi non ſunt, tamen docendi ſunt & quantum exiſtimo facilius poſſunt, dum in eis timor ſeveritatis doctorem adjuvat veritatis, ut opitulante Domino, gratia ejus intellecta atque dilecta, etiam loquendo expugnent, quod jam loqui non audent.

Partim etiam, cum narrat, ab eo literas cum apoſtolicis ad Aurelium Africæ primatem ita datas, ut idem perlator foret Sixti literarum, qui tractoriæ ſummi Pontificis, Leo acolythus.

Ibid.

Si enim breviſſimam epiſtolam tuam, quam de hac ipſa re ad beatiſſimum ſenem Aurelium, per Leonem acolythum direxiſti, exultanti alacritate deſcripſimus, & quibus poteramus magno ſtudio, legebamus: ubi nobis expoſuiſti, quid de illo pernicioſiſſimo dogmate, vel quid contra de gratia Dei, quam puſillis magniſque largitur, cui eſt illud inimiciſſimum, ſentias: quanta nos putas iſta tua prolixiora ſcripta, vel exultatione legiſſe, vel cura, ut legantur, quibus valuimus aliis obtuliſſe, atque adhuc quibus valemus offerre.

Partim denique, cum presbyterum hortatur ad docendos PASTORALI CURA, quos ſatis hactenus terruerat POTENTIA; cumque ei auctori tribuit, quæ ſummi Pontificis nomine geſta fuerant.

Epiſt. 105.

Aliquanto diutius tecum ſermocinamur, admonentes, ut docendis inſtes, quibus terrendis ſatis, quantum comperimus, inſtitiſti. Sunt enim quidam, qui juſtiſſime damnatas impietates adhuc liberius defendendas putant; & ſunt qui occultius penetrant domos, & quod in aperto jam clamare metuunt, in ſecreto ſeminare non quieſcunt. Sunt autem, qui omnino ſiluerunt, magno timore compreſſi, ſed adhuc in corde retinent, quod ore jam proferre non audent: qui tamen eſſe poſſunt fratribus, ex priore ipſius dogmatis defenſione, notiſſimi. Proinde alii ſeverius coërcendi, alii vigilantius veſtigandi, alii tractandi quidem lenius, ſed non ſegnius ſunt docendi: ut ſi non timentur, ne perdant; non tamen negligantur, ne pereant.

III.
Scripſit in Africam quibus ſe purgaret crimine ſocietatis cum Pelagianis.
Ibid.

Tertia ratio fuit ejuſmodi. Sixtus ad tria Eccleſiæ Africanæ columina dedit literas breves ad Aurelium, prolixiores ad Alipium atque Auguſtinum, quibus ſtuduit, & a ſe amoliri invidiam præſtiti hæreticis favoris, & expurgare ſuſpicionem conſenſionis, & famam ſuam abſolvere apud catholicos, & ora occludere Pelagianis de ſua ſe amicitia efferentibus. *Deinde cum literis apoſtolicæ ſedis de illorum damnatione ad Africam miſſis, tuæ quoque literæ ad venerabilem ſenem Aurelium conſecutæ ſunt, quæ tametſi breves erant, tuum tamen vigorem adverſus eorum errorem ſatis indicabant.*

IV.
Hæ literæ non ſunt viſæ Auguſtino ſufficere ad purgandam priſtinam famam.
Epiſt. 104.

Quarta. In prolixioribus literis continebatur defenſio gratiæ Dei adverſus inimicos ejus, præclara illa quidem, ſed nondum tamen viſa Auguſtino decere ſummi Pontificis quaſi vicarium: unde licet Sixti literas præ gaudio ſanctus Epiſcopus omnibus oſtentaret, veluti catholicam profeſſionem viri nobiliſſimi, exponentis, *quid ſentiret de pernicioſiſſimo dogmate, vel quid contra, de gratia Dei, quam puſillis magniſque largitur.* Aperienda nihilominus ipſi adhuc putavit abditiſſima prædeſtinationis myſteria, ut quas Pelagianorum quæſtiones Sixtus in literis poſuerat, quaſi *ſubdifficiles*, eas inde ſolvere poſſet facile, poſt explicatam Scripturarum intelligentiam. Id totum Auguſtinus ingenioſe prudenterque, ne dicam artificioſe, præſtitit, ut dum validis rationibus oſtendit, quanto jure victi ſint, Sixti opera, damnatique hæretici, victori callide ſubminiſtraret arma, quibus abſolveret, omni ex parte victoriam: nec enim perfecta dici merito poterat, quamdiu illam dediſſe hoſtis fuga potius, juriſque forma, quam vel doctrina judicum, vel convictorum aſſenſio videretur. *Non ſegnius*, Inquit, *ſunt docendi, ut ſi non timentur, ne perdant; non tamen negligantur, ne pereant: quod enim putant auferri ſibi liberum arbitrium, ſi nec ipſam bonam voluntatem, ſine adjutorio Dei, hominem habere conſenſerint*; & cætera, quibus ſolvit Pelagianorum quæſtiones.

V.
Sed opus eſſe ſcriptis ſcripta ſua refellere.

Quinta, monitus eſt ab Auguſtino Sixtus, & acriter quidem, licet ſub aliena perſona, non facere ſatis officio, qui cum prius errorem Pelagii vehementius defendiſſet, ipſum quidem poſtea damnaret; non tamen impenderet tantum ſtudii in aſſerenda veritate cognita, quantum prius in propugnanda falſitate.

Epiſt. 104.

Nonnulli eorum, antequam iſta peſtilentia manifeſtiſſimo etiam ſedis apoſtolicæ judicio damnaretur, vobis innoteſcere potuerunt, quos nunc repente reticuiſſe perſpicitis: nec utrum ſanati ſint, ſciri poteſt, niſi cum non ſolum dogmata illa falſa tacuerint, verum etiam illis vera contraria eo, quo illa ſolent, ſtudio defenſaverint. Quibus verbis procul dubio vir ſanctiſſimus ipſummet Sixtum alieno nomine, vel unum, vel potiſſimum convenit, monetque, ut quoniam non favore tantum, ſed ſermonibus etiam, imo & ſcriptis errorem juverat, eum nunc, non verbo ſolum & anathemate, ſed tractatibus quoque libriſque expugnaret: neque enim aliter, quod alibi docet, impleri poſſe illud Apoſtoli, longe latius patens, quam verba per ſe ſignificent: *Sicut exhibuiſtis membra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.*

Rom. 6. v. 19.

Lib. de geſtis Paleſt. cap. 19.

Hæc opinio alte inſederat animo Auguſtini, neque tunc primum venerat ipſi in mentem, cum ſcriberet Sixto. Cum enim ſuſpectam haberet Pelagii, ut erat revera doli mali plena, purgationem Dioſpoli factam: *Pelagius*, ait, *de quorumlibet ſanctorum amicitia ſe jactaverit, quorumlibet de ſuis laudibus literas legerit, quælibet purgationis ſuæ geſta protulerit, niſi ea quæ contra Dei gratiam, qua vocamur & juſtificamur, poſuiſſe in ſuis libris idoneorum teſtium fide probatur, confeſſus anathematizaverit, ac deinde contra hæc ipſa ſcripſerit & diſputaverit, nequaquam his, quibus plenius notus eſt, videbitur eſſe correctus.*

VI.
Sixtus pro Pelagianis ſcripſerat.

Sexta, Sixtum juviſſe ſcriptis Pelagianum errorem, Inde mihi perſuaſi, quod libri tres *de divitiis, de operibus fidei, & caſtitate*, a Salvatore Salonio ante annos fere centum e bibliotheca Vaticana in lucem editi, non tantum Sixti noſtri ſint, quod, præter fidem antiquorum codicum, probat Salonius; ſed etiam Pelagianos errores contineant, quod eruditi jamdudum adverterunt.

Scio equidem, libros iſtos Sixto abjudicari a Baronio; ſcio & a Bellarmino, & ab aliis Salonii judicium veterumque codicum teſtimonium rejici: ſed cur id fieret, id unum cauſæ hactenus allatum eſt, quod errores Pelagianos continerent. Sed quid inde conſequens? Quaſi vero religionis ſit, opinari, ab homine in ſummum pontificatum aliquando evecto ſcriptum quiddam olim, quod ipſe poſtea damnaverit, & ab omnibus damnandum curaverit, longe antea quam in ſedem apoſtolicam, apicemque columnæ veritatis aſcenderet? An non Auguſtinus ipſe, priuſquam Epiſcopus fieret, ſecutus eſt errorem, quem poſtea in Maſſilienſibus damnavit?

VII.
Sixtus videtur paruiſſe monitis Auguſtini.

Septima, videtur ergo Sixtus, poſteaquam ab Auguſtino, & amice monitus eſt, & plene eruditus, libros ſcripſiſſe: quibus partim officio pareret, omnibuſque clarum faceret, quam procul abeſſet a priſtinis erroribus; partim Julianum, quem totius agminis ducem factum ſciret, unum pro cunctis, tacito licet nomine, oppugnaret; partim quoque tractoriam Zoſimi, quæ ipſius impulſu, & forte manu, atque etiam opera confecta fuerat, adjunctis velut commentariis, probaret; partim denique, pro epiſtolis, Zoſimi nomine, in gratiam Cæleſtii Pelagiique ſcriptis in Africam, non tantum ſatisfaceret per literas ad Aurelium Alipiumque & Auguſtinum datas, ſed additis etiam libris, quidquid peccatum fuerat, cumulatius corrigeret. Qua vero de cauſa dixerim, epiſtolas Zoſimi ad Afros compoſitas fuiſſe a Sixto, mox aperiam, ubi ventum fuerit ad examen ſtyli, quo libri Hypognoſticon ſcripti ſunt.

Et ſcripſiſſe opus Hypognoſticon, quod probatur quatuor argumentis.
Epiſt. 105.

Quos autem libros Sixtus ſcripſit, plane ſentio eſſe Hypognoſticos: quam opinionem ut perſuadere pergam, nota, lector, Hypognoſtem, quod mirum fortaſſe cuipiam videatur, inde feciſſe initium libri, ubi Auguſtinus finem fecit epiſtolæ prolixioris ad Sixtum, quaſi quod verbo ſilet, facto diceret, ſe monitis

Primum petitur a præfatione operis. *Ibid.*

Auguſtini parere, eumque præeuntem ſequi, & librum epiſtolæ conſonum edere. *Si qua illos alia*, inquit Auguſtinus, *excogitare adverſus fidem catholicam ſcieritis, & quæcumque adverſus eos, ne dominici gregis infirma devaſtent, vos quoque fideli, & plane paſtorali dilectione diſſeritis, nota facite nobis. Hæreticorum quippe inquietudine, ut Scripturas vigilantius perſcrutemur, unde ne ovili Chriſti noceant, eis poſſit occurri, tanquam de ſomno ignaviæ noſtræ excitatur induſtria: ita per multiplicem gratiam Salvatoris, etiam quod inimicus in perniciem machinatur, Deus convertit in adjutorium.*

In præf. lib. Hypog.

Hypognoſtes: *Adverſarii fidei catholicæ, dum contra regalem veritatis diabolicis armis pugnare nituntur, nos ſollicitudine reſpondendi faciunt cautiores; ſi vero decipiunt, antequam noſtrorum valeant aliquem vulnerare: cum enim cæci evacuare theſauros fidei concertant, ſpe fidei vacuati, faciunt plenitudinem fidei Eccleſiæ, opitulante Dei gratia, gloriari; & dum in hypocriſi vigilant nocituri, de quibus propterea dictum eſſe puto per Prophetam:*

Prov. 4. v. 16.

Ablatus eſt ſomnus ab oculis eorum, non enim dormiunt, niſi male fecerint; *nos quodammodo excitant dormientes, ut arrepto clypeo veritatis, falſitati eorum corde reſiſtente vigilemus, evangelica tuba noſtris auribus reſonante:*

Marc. 14. v. 38.

Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. *Confidunt ergo hæretici, catholicam fidem impugnantes in virtute ſua, id eſt, in audacia cordis ſui, gratia deſolati, & in abundantia divitiarum ſuarum,*

Pſal. 52. v. 6.

in operibus ſcilicet voluntatis ſuæ gloriantes. Sed Deus diſſipavit oſſa hominum ſibi placentium; confuſi ſunt, quia Dominus ſprevit eos. *Confidamus & nos reſiſtentes eis, in gratia Domini, quæ eſt gloria noſtra, redimens nos a circumdantibus nos, & intellectum dans nobis, & inſtruens nos in via hac quam ingredimur, confirmando ſuper nos oculos ſuos, quia in Deo ſalutare noſtrum, & gloria noſtra, Deus auxilii noſtri, & ſpes noſtra in Deo eſt.*

Deinde vide, an non tempus, locus, argumentum, aliaque adjuncta trahant cogitantis animum in partes Sixti.

Alterum, a tempore ſcriptionis. *Cap. 2. hujus diſſert.*

Scripſit Hypognoſtes eo fere tempore, quo literæ Auguſtini ad Sixtum perlatæ ſunt, ſiquidem id operis compoſitum eſt, anno circiter 419. & poſteriores literæ ab Auguſtino ad Sixtum miſſæ ſunt, vel ſub finem ann. 418. vel initio conſequentis.

Tertium, a loco.

Scripſit Romæ, quandoquidem ea utitur Scripturæ verſione, quæ Romæ tantum in uſu tunc fuit: & iis quidem de quæſtionibus, quæ Eccleſiam Romanam exercerent, atque in tractoria Zoſimi continerentur.

Quartum, a perſona quæ impugnatur. *Epiſt. 105.*

Scripſit denique contra Julianum nondum depoſitum, ſed unum tamen de iis, quos Romæ verſantes Auguſtinus conqueritur *damnatas juſtiſſime impietates adhuc liberius defendere.*

Concluditur ex argumentis adductis.

Cum igitur nihil vetet, quominus hi libri tribuantur Sixto, non locus, non tempus, non argumentum, non alia adjuncta; cumque tribuendos multa ſuadeant, admonitio Auguſtini, officium Sixti, conformitas præfationis Hypognoſticon cum fine epiſtolæ 105. &c. imo cum ita ſentire cogat auctoritas Auguſtini, qui Sixto aſcribens acta Zoſimi, non obſcure indicat, literas Zoſimi ab eodem Sixto exaratas; & ut non indicaret, eas tamen ejuſdem eſſe auctoris, cujus libri Hypognoſticon, demonſtret utriuſque operis idem ſtylus, unus quaſi ſpiritus, eædem ſententiæ, & eædem pene voces, exempli gratia: *Ante tribunal Chriſti omnes ſtabimus*, &c. *Mecum ſtabis ante tribunal Chriſti, rationem redditurus, quiſquis ille fuerit*, &c. Veriſimillimum eſt, ſi non certum, a Sixto Hypognoſticos libros eſſe compoſitos.

Epiſt. 2. ad African.
In præf. Hypog.

Proponitur gemina objectio.

Non me fugit, adverſus ea, quæ huc uſque allata ſunt, objici poſſe duo. Alterum, quod libri tres, quos diximus, DE DIVITIIS, OPERIBUS FIDEI, ET CASTITATE, non eodem ſtylo ſcripti videantur, atque Hypognoſtici, atque ita & Sixto alterutrum opus abjudicandum ſit, & noſtræ rationis fundamentum aliquatenus labefactandum. Alterum, quod Sixtus vix unquam purgare potuerit ſuſpicionem propenſi erga Pelagianos animi, ſiquidem factus etiam ſummus Pontifex, poſt duodecim annos, dictus ſit a nonnullis & creditus a multis, Neſtorio favere Pelagianorum amico: ſuſtuliſſet vero penitus totam hanc ſuſpicionem, ſi opus tam vehementer contrarium edidiſſet.

Solvitur prima.

Verum quod ad primum ſpectat, non diffiteor, quin inter utrumque opus præfatum, aliqua ſit, tum ſtyli, tum ſpiritus diſſimilitudo: at nemo non mihi viciſſim concedet, aliud eſſe polemicum ſcribendi genus, quod in Hypognoſticis adhibetur; aliud didacticum, quod in aliis libris: illud vehementius, iſtud lenius eſſe oportet; nec iiſdem verbis quiſquam adverſarin iraſcitur, quibus amicum docet: detractis porro, quæ ab argumenti natura oriuntur, differentiis, vix ulla ſupererit, tum latinitatis, tum orationis diſparitas.

Solvitur altera.

Jam vero alterum vix ullius eſt momenti. Nam Sixtus potuit hanc pati calumniam a quibuſdam deluſis arte Pelagianorum, qui cum ante damnationem ſe de ejus amicitia efferrent, mentiti ſint poſtea, ipſum ſibi non pugnare ex animo, ſed lingua tantum, ut ſerviret tempori, atque averteret a capite ſuo imminens ab ira, cum Imperatoris, tum ſummi Pontificis, periculum.

Quomodo Pelagiani erga Sixtum ſe geſſerint.

Sic enim habendum eſt, Sixtum, qui poſt obitum Zoſimi, quo Pontifice nihil non poterat, a Bonifacio ſucceſſore redactus eſſet velut in ordinem, cavere debuiſſe, ne apud ſummum Pontificem Afris apprime addictum, opinione favoris erga Pelagianos, juvaret invidiam poteſtate priſtina collectam, ideoque in ipſos iracundius ſcripſiſſe, nec id latuiſſe Pelagianarum partium duces, Julianum & Cæleſtium, Sixti factum perinde interpretatos, quaſi rem non ſerio ageret: atque ita reconciliari poſſet aliquando, ſi neque interim appellaretur nomine, inter oppugnandos catholicos, neque alia ratione irritaretur; ſed patientius ferrentur, quæ durius ipſe diceret, ſolique Afri laceſſerentur, non admodum aliunde erga Romanos ipſumque in primis Sixtum, bene affecti propter cauſam Apiarii, Zoſimique literas a Sixto ſcriptas.

Locus Auguſtini illuſtratus. *Lib. 6. contra Jul. cap. 4.*

Hanc conjecturam non obſcure confirmant verba Auguſtini Julianum alloquentis: *Neſcio*, inquit, *quos etiam quaſi deſertores dogmatis veſtri ad fidem catholicam converſos arguis vel reverſos; quos tamen ſignificaſti ita te metuere, ut eorum nomina exprimere non auderes, ne forte audientes abs te ſua falſa crimina, mox tibi, ſi non vera, certe credibiliora reponerent. quod quidem quicumque ſunt iſti, qui graviter ſapiunt, non facerent, & parcerent tibi ſecundum Apoſtolum:* NON REDDENTES MALEDICTUM PRO MALEDICTO. Iſthæc enim verba Sixtum ſpectant, qui tunc rerum potiebatur, cum iſta ſcriberentur paulo poſt Zoſimi obitum.

Elucidatus Proſperi locus. *Contra Collat. cap.*

Atque hinc etiam fortaſſe Proſper, poſt relata magnifice, quæ a Sixti prædeceſſoribus quatuor geſta fuerant contra Pelagianos. *Confidimus*, inquit, *protectione Dei præſtandum, ut quod operatus eſt in Innocentio, Zoſimo, Bonifacio, Cæleſtino, operetur in Sixto, & in cuſtodia dominici gregis hæc ſit pars gloriæ huic reſervata paſtori, ut ſicut illi lupos abegere manifeſtos, ita hic depellat occultos: illo auribus ſuis doctiſſimi ſenis inſonante ſermone, quo collaborantem ſecum hortatus eſt*, &c. Quæ prudens loquendi forma, orationiſque callidæ modus prodit, niſi fallor, ſubdubitantem Proſperi animum de zelo præceſſorum æquali, in cauſa quam agebat.

Cur nullus veterum Hypognoſtici meminerit.

Mirabile vero quiſpiam putet, nullam fuiſſe factam ejuſmodi librorum mentionem a veteribus, ſive Sixti amicis, qualis Auguſtinus; ſive ejuſdem operum cenſoribus, ut Gennadius; ſive ætate paribus aut vicinis, ſicut Proſper & Fulgentius.

Verum amicus fuit Hieronymi Auguſtinus: ubi tamen mentionem fecit, aut epiſtolæ ad Cteſiphontem, aut dialogorum, quibus nihil melius contra Pelagianos editum eſt? Deinde recenſuit quidem Gennadius opera Sixti, ſed incurioſe, & quaſi per tranſennam, quemadmodum & opera Celeſtini, attingens ſcilicet ea tantum, quæ contra Neſtorium facerent. Proſper denique totus eſt in ſuo Auguſtino, totus quoque Fulgentius, ut reliquorum uterque videatur oblitus; nec immerito, cum diſcipulos deceat eſſe magiſtri cultores.

Quidquod de Sixto & Gennadius loqui noluit, & Auguſtinus ſilere debuit: Gennadius enim ſolitus eſt auctores,

ctores, qui contra Pelagium, aut certe contra Pelagii reliquias pugnaſſent, vel prætermittere ſilentio, quantumvis nobiles, ut Hieronymum; vel invito animo memorare, ut Proſperum; vel malignis laudibus afficere, ut Auguſtinum. Ipſe vero Auguſtinus aliter alias erga Sixtum ſe geſſit: nam ut tunc laudaret, cum rerum potiretur Romæ, fecit temporum neceſſitas; ut poſtmodum abſtineret a laudando, ſuaſit converſio rerum ab obitu Zoſimi; ut libros non vehementer commendaret, in cauſa fuit Hypognoſticorum qualitas, quibus melius quiddam proferre poterat, ſi quando vellet, de libris adverſus Pelagianos legendis, monere.

Adde quod vir tantus, quantus procul dubio fuit Auguſtinus, licet omnium, quod aiebat ille, laudum capax, nihilominus, ut erat natus in Africa, ita ad extremam uſque diem patrii neſcio quid, aut veneni, aut ingenii potius, retinere viſus ſit, quo ſolebant Afri ſua ſuorumque præ alienis laudare. Equidem non memini me legere ullum uſpiam ab Auguſtino ſponte laudatum ſcriptorem, præter ſuum Cyprianum; laudavit alios ſemel ac iterum, ſed cogente neceſſitate, ut reſponderet, tum Pelagio jactanti dogma ſuum auctoritate ſanctorum confirmari, tum Juliano objicienti, conſentire ſecum Orientales, novamque eſſe peccati originalis opinionem, & recens in Africa confictam.

Lib. de grat. Chriſti, &c.

Libris utriuſque reſpon.

Conjectura, cur Poſſidius Hypognoſticum poſuerit inter libros,

Non eſt omittenda ſub finem conjectura, quæ etſi levis in ſpeciem videri queat, ſuo tamen revera non caret pondere. Poſſidius dum recenſet Auguſtini opera, meminit *libri unius adverſus quæſtiones Pelagianiſtarum*: quæritur quis unus ille liber. Scimus ab Auguſtino ſcripta eſſe plura opuſcula de quæſtionibus Pelagianiſtarum, tres nempe libros ad Marcellinum, epiſtolam unam ad Hilarium, librum de perfectione juſtitiæ ad Paulum & Eutropium, epiſtolam unam ad Optatum, libros duos ad Albinam, Pinianum & Melaniam, epiſtolam unam ad Paulinum, unam quoque ad Mercatorem, libros duos ad Valerium comitem: hæc & alia, quæ ſecunda pars tomi ſeptimi continet, recenſentur in indiculo, & præterea *liber unus contra quæſtiones Pelagianiſtarum*. Nullum autem novimus *de Pelagianiſtarum quæſtionibus* librum præter Hypognoſticum, qui totus eſt in his ſolvendis: hunc autem, ut opinor, Poſſidius, quia reperit inter Auguſtinianos abſque nomine, accenſuit cæteris, eumdem omnium auctorem ratus; reperit vero, ut conjicere eſt, quia miſſus fuerat a Sixto ad Auguſtinum velut ad amicum, id eſt, ſine auctoris nomine, quippe ſatis aliunde noto.

Auguſtini. *In indiculo op. Auguſt.*

Ex hoc Poſſidii facto profluxiſſe reor popularem errorem, quo a cenſoribus minus curioſis, jam inde ab eo tempore opus Hypognoſticum pro Auguſtiniano habitum eſt.

Et unde natus olim popularis error.

Id in contrarium objici poſſe intelligo, in codicibus editis non unum eſſe librum Hypognoſticon, ſed ſex numero, unius tamen libri meminiſſe Poſſidium. Verum ipſimet oculi objectionem diluunt, cum meliores manuſcripti codices nullam exhibeant librorum diſtinctionem, ſed partes tantum eo titulo diviſas, *Ad articulum primum, ad articulum ſecundum*, &c.

Diluitur objectio.

APPENDIX

AD DISSERTATIONEM VI.

DE SCRIPTIS AB HOSTIBUS FIDEI, pro hæreſi Pelagiana, vivente ſancto Auguſtino.

Appendicis cauſa.

VISOM eſt hactenus, quæ vivente Auguſtino, quibuſve temporibus ſcripſerint adverſus hæreſim Pelagianam ſanctiſſimi quinque fidei defenſores, nam Mercatorem quatuor aliis accenſere neceſſum eſt. Videndum deinceps, quæ hoſtes fidei ſex interim ediderint, & quid ex ipſorum libris ſupereſſe Deus voluerit, ſic tanquam trophæum de opimis hoſtium ſpoliis gratiæ Chriſti erectum.

Et utilitas.

Id totum laboris, quod in conquirendis ondique fractorum velut armorum reliquiis poſitum eſt, fructum aliquem afferre poteſt, ſi quidem inde conſtabit, quæ quibus temporibus quæſtiones ferbuerint, qua libri occaſione ſcripti, & quibus incrementis hæreſis aucta ſit; quamquam tertium iſtud ad conſequentem potius diſſertationem pertinet, cui hæcce appendix materiem ſufficiet.

Id vero circa hoſtium fidei ſcripta notandum imprimis eſt, a variis auctoribus varia opera, non uno tempore eſſe edita, unum tamen in omnibus ineſſe ſpiritum, ſuperbum ſcilicet, mendacem, & vafrum. Nemo enim hujuſcemodi hominum, ſe ſuoſque non jactat; nemo non deſpicit alios; nemo contumelus adverſantes non onerat; nemo non adulatur potentibus, non querulis mendaciis injuriam quam facit, pati ſe clamat, nemo mentem non diſſimulat, Patrumque traditionem obtendit; nemo non Scripturæ intelligentiam ſibi, contradicentibus imperitiam, tarditatem ingenii, inſaniam & morum perverſitatem tribuit.

Scriptorum Pelagianorum ſpiritus.

CAPUT I.

Quæ ſcripta ſint a Theodoro Mopſueſtiæ Epiſcopo, & Rufino Palæſtinæ provinciæ presbytero, Theodori diſcipulo, Pelagii magiſtro.

Quæ Theodorus Rufinuſque ſcripſerint.

OPERUM, quæ uterque auctor pro Pelagianis dogmatibus compoſuit, nihil ſupereſt, præter Theodori quinque libros, aut fragmenta potius librorum adverſus Auguſtinum: & Rufini libellum fidei, atque anathematiſmos duodecim. Nam quæ Theodori fragmenta in poſteriore parte operum Mercatoris exhibebimus, ex libris ea quindecim *de Incarnatione*, cæteriſque eodem ſpectantibus, collecta ſunt.

Circa quæ ob-

Quoniam vero de confeſſione Rufini, amborumque hæreticorum opuſculis reliquis, dictum ſatis eſt ſuo uniuſcujuſque loco, obſervanda impræſentiarum puto hæc quinque breviter.

ſervantur quinque.

Primum, cum a Pelagianis motæ ſint quæſtiones quatuor præcipuæ, unde mortalitas humani generis? An peccatum primi parentis traducatur ad poſteros? Quid per ſe valeat natura humana ad opus bonum? An gratia Dei detur ex meritis? ſolas priores duas a Theodoro & Rufino diſputatas eſſe: quamquam Rufinus de perfectione juſtitiæ nonnihil attigit anathematiſmo ſecundo, quem dixit affirmantibus, QUEMVIS

Primum.

VIS SANCTUM VIRUM, SIVE PROPHETALEM, SIVE APOSTOLICUM, SINE AUXILIO DEI POSSE ESSE PERFECTUM. In quo videtur præiviſſe Juliano, aliiſque poſtea inchoationem juſtitiæ libero arbitrio, perfectionem auxilio Dei aſcribentibus.

Secundam. Secundum, Theodorum Rufinumque arma, quibus defenſores utriuſque præfati dogmatis catholici peterentur, fabricatos eſſe, ſuiſque ſequacibus tradidiſſe, ſive quæ ex Scriptura pravos in ſenſus detorta, ſive quæ ex humana ratione collegiſſent: ut merito Theodorus Pelagii Cæleſtiique & Juliani, cum a Mercatore, tum a Joanne Maxentio, magiſter dictus ſit; merito quoque Mercator tres illos homines Rufini diſcipulos vocaverit.

Tertium. Tertium, Pelagianos conſequentibus temporibus vix ullas exceptiones, ullaque effugia tentaſſe, quæ non didiciſſent a Rufino, ut Pelagianæ impietatis Theodorus, calliditatis Rufinus auctor jure appelletur.

Quartum. Quartum, hæreſis Pelagianæ, priuſquam in Occidentem veniret, ſtatum hunc fuiſſe in Oriente, ut de duobus præcipuis dogmatibus vehementer, de tertio remiſſius ageretur. Fuit vero iſte, quem diximus, in Oriente ſtatus ante ann. 400.

Quintum. Quintum denique, Theodorum, quamvis opus ἀντιῤῥητικὸν contra ſanctum Auguſtinum elaboraverit, paucis ante annis, quam moreretur; ſua tamen tradidiſſe dogmata, vel ſcriptis, quæ interierint, vel familiari ſermone apud diſcipulos, indeque profeciſſe Rufinum, alioſque deinceps ex Rufino. Opus porro Theodori, quod dixi, re attentius conſiderata, cenſeo, in Auguſtinum ſolum ſcriptum eſſe; ſed ita tamen, ut dogmatis auctorem Hieronymum, Auguſtinum defenſorem Theodorus faciat: qua ratione tollitur quidquid pugnæ diſſidiique Mercatorem inter & Photium apparet. Vide notas ad operis fragmenta.

C A P U T II.

Quæ ſcripta ſint a Pelagio monacho, Rufini diſcipulo, & Cæleſtii magiſtro.

Quid præſtandum hoc in capite. *Diſſert. 1. c. 4.* QUÆ ſcripta ſint a Pelagio, quorumque auctorum teſtimonio opera ſingula ipſi tribuantur, dictum eſt: nunc, quod promiſſum fuit, afferenda quæ ſuperſunt, & ſuæ ſingulis temporum notæ aſcribendæ.

De Trinitate libri tres.

De tempore ſcripti nis. *Cap. 42.* *Diſſert. citata.* GENNADIUS libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis. *Pelagius hæreſiarcha*, inquit, *antequam proderetur hæreticus, ſcripſit ſtudioſis viris neceſſarios tres de fide Trinitatis libros*, &c. Hinc tempus ſcriptionis utcumque collegimus: nempe ante adventum Rufini Syri in Urbem, quo erroris magiſtro Pelagius uſus eſt, atque adeo ante tempora Anaſtaſii Papæ, non tamen Siricii, nec enim adhuc viveret Damaſus, & Hieronymum inter atque Pelagium neceſſitudo eſſet; alioquin Hieronymus Pelagii tunc amici nomen non ſiluiſſet in catalogo ſcriptorum, quem ann. 392. abſolvit, id eſt, Theodoſii ann. 14. Siricii ann. 8. quo tempore Pelagius hæreſim nondum prodiderat, ſed fama ſanctitatis ac doctrinæ fruebatur.

Cur ſcripti libri. Ex his tribus libris nihil ſupereſt, præter Gennadii memoriam; omnes vero quicunque audire volebant tractatores eccleſiaſtici, ea ætate *de Trinitate* libros edebant, propter hæreſes duas, Arianam & Macedonianam, nondum penitus extinctas: quiſque enim avebat ſymbolum Nicænum atque Conſtantinopolitanum defendere, eoque pacto ſe orthodoxum probare; ſiquidem tunc temporis, ut veterum teſtimonio conſtat, ὁμοουσίου confeſſio, ὀρθοδοξίας certa erat publicaque profeſſio.

Quæ Pelagii ſententia de Trinitate. Pelagius porro quid de Trinitate ſentiret, aperuit non obſcure in libello fidei. Quanquam de proceſſione Spiritus ſancti Theodoro Mopſueſteno aſſentitur, licet errorem celet. *Credimus*, inquit, *& in Spiritum ſanctum, verum Deum ex Patre procedentem.* Vide notas ad libellum fidei.

Expoſitiones breves in omnes epiſtolas Pauli Apoſtoli.

Pelagius verus auctor hujus operis. HUJUSCE operis meminerunt Auguſtinus lib. 3. *de peccator. meritis & remiſſionibus*, cap. 1. & 12. & lib. *de geſtis Palæſtinis*, cap. 16. Mercator *in Commonitorio* cap. 2. & *in præfatione Subnotationum*; auctor Prædeſtinati *hæreſi* 88. Caſſiodorus *divinarum lectionum* cap. 8. illudque Pelagio tribuerunt tanquam indubitato parenti, quod nunc extra controverſiam verſatur.

Quod olim ſuppoſitum Hieronymo. Fuit tamen olim ſuppoſitum Gelaſio, ut quidem videntur ſibi aliqui colligere ex verbis Caſſiodori. Certe credula antiquitas Hieronymo tribuit, ejuſque operibus inſeruit, quemadmodum & reliqua fere Pelagii, ut libellum fidei, ut epiſtolam ad Demetriadem: eoque pacto ad nos uſque tranſmiſit, alioquin facile peritura, niſi dignum æternitate nomen mentita eſſent.

Neque fuit iſta ſive credulitas, ſive ſuppoſitio, recentioris ævi flagitium: Primaſius enim commentarios iſtos breves non obſcure mihi videtur adjudicaſſe Hieronymo, (vivebat Primaſius ſexto ſæculo) cum ad verba iſta Pauli Rom. 3. SICUT SCRIPTUM EST, UT JUSTIFICERIS IN SERMONIBUS TUIS, &c. ita loquentem Davidem inducit: *Dum me immanis commiſſi reum arguis, per Prophetam probas te habere de noſtris operibus curam, & vincis eos, qui te incurioſum humanorum actuum judicabant.* Quibus addit: *Ideo de iſto ſenſu Apoſtoli totam expoſitionem cujuſdam ſancti viri poſui, ut plenius lectoris ſollicitudo imbueretur; & ubicumque ſic inveni, paginas plenas pro inſtructione hic poſui.* Vir ille porro quem laudat, cujuſque plenas paginas in opere ſuo poſuit, neque Ambroſius fuit, ut qui tale nihil dixerit; neque Auguſtinus, ſive ob eandem cauſam, ſive quia nominatim ipſum ſolet appellare: ergo viſus eſt Hieronymus. Ex his enim tribus commentarios ſuos ſumere voluit. Atqui verba, quæ attulit, leguntur apud Pelagium, in expoſitione ejuſdem loci, ſic enim ſcripſit: *Probaſti te curam de hominibus habere, qui per Prophetam mea abſcondita revelaſti, & viciſti eos, qui te incurioſum humanorum actuum eſſe confingunt.* Pelagium ergo pro Hieronymo ſumpſit, alteriuſque expoſitiones alteri attribuit, non privato, reor, judicio, ſed fide publica. Sexto igitur ſæculo jam ſuppoſitæ fuerant Hieronymo expoſitiones illæ breves Pelagii. Jam inde a ſexto ſæculo.

Conjecturam juvat, quod opus hoc, unde tranſtulit adductam ſententiam, vocat expoſitiones, quo nomine inſcribuntur Pelagii ſcholia; & paginas inde plenas ſubinde ſe poſuiſſe ait: poſuit vero ex Pelagio integras.

Lectum dixi opus iſtud ab Auguſtino, & diligenter quidem, cum plura hinc & inde attulerit diverſis temporibus: duo tamen reprehendit, alterum, quod aliena perſona dictum, contra peccatum originale; alterum, quod propria, de intelligentia hujus ſententiæ apoſtolicæ: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*; nihil de gratia & libero arbitrio arguit, nihil de lege & perfectione juſtitiæ, nihil de concupiſcentia peccati frutice, ut mirum ſit, Voſſium, & qui Voſſium pene exſcripſerunt, oculatiores fuiſſe ſuo, quo ſe jactant, magiſtro; audenterque ſcripſiſſe dogmata, de quibus Pelagius redargutus fuit, pleraque clariſſimis verbis, ſine ullis ambagibus, in his breviſſimis expoſitionibus contineri. *Lib. 3. ad Marcell. c. 1.* *Lib. de geſt. Palæſt. c. 15. & 16.*

Lectum quoque eſt, niſi mea me fallit opinio, ab Hiero-

Hieronymo: qui enim latuiſſet virum diligentem opus tanto ambitu a Pelagii ſectariis prædicatum, ſuamque præſertim ob brevitatem Hieronymianæ prolixitati collatum? Inde tamen nihil excerptum eſt, quod in libellum accuſationis, utique compoſitum apud Hieronymum, conferretur: ſive quia nihil reprehenſione dignum viſum eſt lectoribus, ſive alia fuerit cauſa, & ea maxime, quod de his libris, ab Anniano non recognitis, valere poſſet Pelagii querela, quod opuſcula quædam ſibi, antequam emendarentur, aut dolo ſubrepta eſſent, aut precibus extorta.

Lectum certe eſt, atque ex parte emendatum a Caſſiodoro, ut oſtendimus in notis ad caput 2. Commonitorii: ſuſtulit enim vir apprime doctus ex commentariis in epiſtolam ad Romanos, quæ contra fidem catholicam Pelagius haberet, deditque ſuis exemplum, & pene mandatum, idipſum in aliis aliarum epiſtolarum expoſitionibus præſtandi, quo ſecurius legi poſſet opus ſubtiliſſimum pariter ac breviſſimum. Credibile vero eſt, ſi non certum, eos quos habemus, ſive in editis, ſive in MM. SS. codicibus, commentarios, ex correctione Caſſiodori atque diſcipulorum exſcriptos eſſe. Quæ res admirationem mihi fecit cogitanti, a quibuſdam has ipſas expoſitiones in epiſtolam ad Romanos, etiam a Caſſiodoro viro inprimis catholico repurgatas, dici *lernam quandam eſſe Pelagianarum hæreſeon, & cloacam ſordium, quas impurus hæreſiarches evomuit.*

Quidquod ex iis ipſis locis, quæ arguuntur erroris, plurima ſuos in commentarios tranſtulit, aut exſcripſit potius, Primaſius ſancti Auguſtini, perinde ac Fulgentius, addictiſſimus diſcipulus.

Legere vero nemo poteſt, quin facile judicet, iſtud opus humilioris eſſe ſtyli, quam vel liber *de natura*, vel epiſtola ad Demetriadem, vel libri *de libero arbitrio*: hæc enim alieno ſtylo, illud ſuo edidit, quod pluribus in locis oſtendimus, ut Hieronymi judicium de infantia Pelagii, cum aliorum laudibus de facundia, non pugnet: Hieronymus enim, quid per ſe poſſet Latino ſermone barbarus de Scotia; alii, quid elucere t in operibus præfatis, æſtimarunt.

Elucubratum id operis oportet a Pelagio ante ann. 412. tunc enim ab Auguſtino lectum eſt cum ſcriberet ad Marcellinum ann. 412. Tradit Mercator editum ante vaſtationem Urbis, quæ contigit ann. 410. imo compoſitum, ſtatim atque Pelagius a Rufino Syro edoctus eſt dogma catholico contrarium, de mortalitate generis humani, & traduce peccati, quod contigit temporibus Anaſtaſii Papæ.

Ut autem pateat quantum mutationis Caſſiodorus fecerit, viſum opponere παραλλήλως, & ea quæ in vulgatis codicibus habentur, Caſſiodoro emendatore, & quæ Pelagius ſcripſerat, relatore Mario, atque etiam Auguſtino.

PELAGIUS APUD MERCATOREM.

Rom. 5. v. 12. PER *unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Exemplo, inquit, ſeu imagine uſus eſt, quia ſicut cum non eſſet peccatum, per Adam ſubintravit; ſic & cum non remanſiſſet juſtitia apud aliquem, vita per Chriſtum reparata eſt.

Ibidem. *Et in omnes homines mors pertranſiit.* Cum
ſic, inquit, qui peccant, ſimiliter & moriuntur:
neque enim aut in Abraham, aut in Iſaac, aut
in Jacob mors pertranſiit, de quibus Dominus
Luc. 20. v. 38. ait: *Huic omnes vivunt.* Hic autem, inquit,
propterea dicit omnes mortuos, quoniam
multitudine peccatorum non excipiuntur pau-
Pſalm. 52. v. 2. & 4. ci juſti; ſicut & ibi inquit: *Non eſt qui fa-*
ciat bonitatem, non eſt uſque ad unum. Et ite-
Pſ. 115. v. 11. rum illud inquit: *Omnis homo mendax.* Aut
certe in illos omnes pertranſiit, qui humano
ritu, non cæleſti, ſunt converſati.

PELAGIUS IN CODICIBUS EMENDATIS A CASSIODORO, QUALES NUNC HABENTUR.

SICUT *per unum hominem*, &c. Si per unum hominem Evam peccatum intravit in mundum, inſaniunt, qui dicunt, antequam deceperit diabolus Evam, peccatum fuiſſe in mundo. Item, hic oſtendere vult, propterea Chriſtum paſſum, ut qui ſequentes Adam diſceſſeramus a Deo, per Chriſtum reconciliemur Deo. *In hunc mundum peccatum*, &c. Exemplo vel forma. Quomodo cum non eſſet peccatum, per Adam advenit, ita etiam cum pene apud nullum juſtitia remanſiſſet, per Chriſtum eſt revocata; & quomodo per illius peccatum mors intravit, ita & per hujus juſtitiam vita eſt reparata, futura, non præſens.

Et ita in omnes, &c. Dum ita peccant, ſimiliter moriuntur: non enim in Abraham & Iſaac & Jacob pertranſiit, de quibus dicit Dominus: Omnes enim illi vivunt: Hic autem ideo dicit omnes mortuos, quia in multitudine peccatorum non excipientur pauci juſti, ſicut ibi: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum: & omnis homo m[e]ndax*; ſive in eos omnes pertranſiit, qui humano, non cæleſti, ritu vivebant. Item, nunc Apoſtolus mortem animæ ſignificat: quia Adam prævaricans mortuus eſt, ſicut & Propheta dicit:
Anima quæ peccat, ipſa morietur. Tranſivit Ezech. 18. v. 4.
enim & in omnes homines, qui naturalem legem prævaricati ſunt.

In quo, &c. Hoc eſt, in eo, quod omnes peccaverunt, exemplo Adæ peccat*. *fort. peccantis.

Uſque ad legem, &c. Lex peccati vindex advenit, ante cujus adventum liberius * vel præſentis vitæ longitudine fruebantur; erat quidem ante legem peccatum, ſed non ita putabatur eſſe peccatum, quia jam pene obliteratum fuerat in natura. Item dicens, uſque ad legem, Moyſi ſignificat, inferens autem, *fort. peccabant, quia, &c.

 pecca-

Rom. 5. v. 14. *Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſem, etiam in eos qui non prævaricaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ.* Sive cum nnn eſſet, inquit, qui inter juſtum & injuſtum diſcerneret, putabat mnrs ſe nmnium dominari, ſive in eos qui mandatum, tanquam Adam prævaricati ſunt, hoc eſt, de filiis Noë, quibus præceptum eſt, ut animam in ſanguine nnn manducarent, & de filiis Abraham, quibus circumciſio mandata eſt, ſed in eos qui præter mandatum legem contempſerant naturalem.

Ibidem. *Qui eſt forma futuri.* Quoniam, inquit, ſicut Adam præter coitum a Deo formatus eſt: ſic & Chriſtus a Virgine, fabricante Spiritu ſancto, proceſſit. Sive, ſicut quidam dicunt, forma a cnntrario, hoc eſt, ſicut ille caput peccati, ſic etiam iſte caput juſtitiæ eſt.

Ibidem. *Sed non ſicut delictum, ita & donum;* ne in forma, inquit, æqualitas putaretur.

Ibid. v. 15. *Si enim in unius prævaricatione multi mortui ſunt, multo magis donum & gratia Dei per unum hominem Chriſtum in multos abundavit.* Plus valuit, inquit Apoſtnlus, gratia in vivificando, quam peccatum in oc. idendo, quia Adam non ſe ſnlum, ſed & ſuns poſteros interſecit: Chriſtus vero & eos, qui tunc erant in corpore, & eos qui poſtea futuri erant, liberavit.

Hi autem, inquit, *qui contra traducem peccati ſentiunt, acriter eos qui defendunt traducem, impugnare conantur.* Si peccatum, *inquiunt*, Adæ etiam non peccantibus nocuit: ergo & Chriſti juſtitia nnn credentibus prodeſt; quoniam ſimiliter, imo plus dicit Apoſtolus, per unum liberari, quam per unum ante perierat. *Deinde dicunt*: Si baptiſmus mundat antiquum illud veternoſumque peccatum, qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccatn; non enim poterunt ad poſteros tranſmittere quod ipſi minime habuerint. *In hoc addunt*: Quoniam ſi anima non eſt ex traduce, ſicut nec eſt, ſed ſnla caro habet traducem peccati, ſola & pœnam meretur; injuſtum enim, ut hodie anima nata non ex maſſa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum: quin & rationabile eſt, ut Deus, qui propria peccata dimittit, non imputet alienum

Et iterum in alio ſermone ſuo Pelagius: Si peccator, *inquit*, genuit peccatorem, ut parvulo ejus peccatum originale in baptiſmi

peccatum non imputatur, cum lex non eſt. Naturalem iterum oſtendit legem, per quam prævaricatus eſt Cain, & poſt ipſum, qui naturalem legem prævaricati ſunt.

Peccatum autem, &c. Quomodo mors regnabat, ſi non imputabatur peccatum? niſi ſubaudias, in præſenti non imputabatur.

Sed regnavit mors, &c. Sive dum non eſſet, qui inter juſtum & injuſtum anre diſtingueret, putabar ſe omnibus dominari; ſive non ſolum in eos qui præceptum ſicut Adam tranſgreſſi ſunt, hoc eſt, de filiis Noë quibus juſſum eſt, ne animam in ſanguine manducarent, & de filiis Abrahæ, quibus circumciſio mandata eſt; ſed etiam in eos, qui ſine præcepto legem contempſere naturæ.

Etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudin.m, &c. Hi ſunt qui non in ſimilitudinem prævaricatinnis Adæ peccaverunt, qui per naturalem legem tranſgreſſi ſunt, & non ſicut Adam per mandatum.

Qui eſt, &c. Sive ideo forma fuit Chriſti, quia ſicut Adam ſine coitu a Deo factus eſt, ita ille ex Virgine, Spiritu ſancto nperante, proceſſit. Quidam dicunt forma e contrario hoc eſt; ſicut ille peccati caput, ita & iſte juſtitiæ. Item forma Chriſti Adam factus eſt: ſicut enim Adam primus mandatum Dei prævaricans exemplum eſt, legem Dei prævaricare vnlentibus, ſic & Chriſtus vnluntatem Patris complens, exemplum eſt imitari eum cupientibus.

Nam non, &c. ne in forma æqualitas putaretur.

Si enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis JESU CHRISTI *in plures*, &c. Hic manifeſte docet, quia nnn generaliter de nmni hnmine dicit, dicens: *Unius delicto multi mortui ſunt;* quia communi & naturali morte, non ſolum peccantes, ſed & juſti moriuntur.

acce-

acceptione ſolvatur, juſtus ergo juſtum gignere debuit. Si parentes, *inquit*, poſt converſionem propria peccata non lædunt, multo magis filiis eorum per eos nocere non poterunt. Si priorem hominem contigit, cauſam mortis fuiſſe: ergo per Chriſti adventum mori jam non oportebat. Si per peccatum Adæ mors orta eſſet, nunquam poſt remiſſionem peccatorum, quam nobis liberator donavit, moreremur. Plus ergo valuit peccatum Adæ, omnes omnino homines occidendo, quam Chriſti gratia in ſalvando, quæ non in omnibus, ſed tantum credentibus profuit: neque enim omnes qui naſcuntur ex Adam, ii etiam renaſcuntur in Chriſto.

Teſtimoniorum liber unus.

GENNADIUS loco mox citato. *Scripſit & pro actuali converſatione eulogiarum ex divinis ſcripturis librum unum, capitulorum indiciis in modum ſancti Cypriani martyris, præſignatum.* Circa hoc opus obſervanda videntur iſta ſeptem.

Primum, Pelagium ſe imitatorem, imo expletorem operis beati martyris Cypriani, ad Quirinum ſcribentis, profeſſum eſſe. Unde Auguſtinus. *Lib. 4. ad Bonifac. c. 8.* *Hæreſiarches iſtorum Pelagius cum debito certe honore commemorat Cyprianum, ubi teſtimoniorum librum ſcribens, eum aſſerit imitari, hoc ſe dicens facere ad Romanum, quod ille fecerit ad Quirinum.* Sententias igitur ſingulis titulis propoſuit, quas ſubjunctis Scripturæ teſtimoniis probaret more ſancti martyris: atque hæc cauſa eſt, cur unum opus, modo Eulogiarum nomine, modo Teſtimoniorum, modo Titulorum & Capitulorum dicatur.

Secundum, cum tres ſint teſtimoniorum libri a Cypriano ſcripti, videri additum a Pelagio quartum, qui tertium martyris expleret, unumque ſimul conflaret abſolutum opus, a ſtudioſis vitæ ſanctioris legendum, tanquam *breviarium cæleſtium præceptorum.* *Cyp. in præf. ſui operis.* Nam duo priores apud Cyprianum pugnant adverſus Judæos de fide, tertius in religioſa diſciplina verſatur, vel, ut loquitur Gennadius, *in actuali converſatione.*

Tertium, maligne id totum feciſſe Pelagium, ut Cypriani lectione imprudentes animos ſenſim ſine ſenſu in ſuas partes adduceret, multis, quæ a ſancto martyre dicta ſunt catholice, ſed ambigue, in pravam ſententiam deflexis, cujuſmodi eſt duodecimus titulus: *Non eſſe jurandum*; & quadrageſimus ſecundus: *Fidem in totum prodeſſe, & tantum nos poſſe, quantum credimus*; quadrageſimus nonus: *Inimicos quoque diligendos*: quinquageſimus ſecundus: *Credendi, vel non credendi libertatem in arbitrio poſitam*; ſexageſimus primus: *Poſſidendi concupiſcentiam, & pecuniam non appetendam*; ſexageſimus quintus: *Omnia delicta in baptiſmo deponi*; ſeptuageſimus ſeptimus: *Peccantem publice objurgandum*, &c. Tunc enim parturiebat hæreſim orbe toto graſſaturam.

Quartum, in eo ipſo libro contenta fuiſſe duo, quæ Auguſtinus in epiſtola ad Hilarium refutat, nempe: *Jurari omnino non debere, & divitem viventem in divitiis ſuis regnum Dei non poſſe ingredi, niſi omnia ſua vendiderit, nec prodeſſe eidem, ſi forte ex ipſis divitiis mandata fecerit.* Utrumque vero Pelagius voluit videri ex Cypriano ſumpſiſſe, & prius quidem iiſdem verbis ex libro tertio, titulo 12. ſententia parumper detorta atque etiam corrupta.

Quintum, ex hoc eodem libro deprompta eſſe magnam partem, quæ Gallicani Epiſcopi objecerunt Pelagio, ut mirabile ſit, quod ſcripſit Gennadius, hoc opus eſſe neceſſarium ſtudioſis viris. Annon potius inde ipſe Gennadius ſuum prodit in Pelagium ſtudium, ſuamque facit ſuſpectam fidem?

Sextum, ea quæ inde Pelagio objecta ſunt, ab ipſo ita ſubdole fuiſſe expoſita, ut tolerabilem viſa ſint Patribus Dioſpolitanis habere ſenſum, quanquam haberent reipſa perverſiſſimum, ut ſubtiliter Auguſtinus perſpexit: eam ob rem ſingulis titulis ſubjicietur interpretatio Pelagii, ſicubi adhibita ſit.

Poſtremum, hoc opus a Gennadio inſcriptum *Eulogiarum*, ſive *de actuali converſatione*, id eſt, *de vita activa*, vel *de officiis virtutum*, quæ non jam Deum, ſed proximos ſpectarent: qua vocis notione uſus eſt Julianus Pomerius in libro ſecundo operis, quod vulgo dicitur, de vita contemplativa, tribuiturque, quod mirabile videtur eruditis, etiamnum a quibuſdam Proſpero, contra manifeſtam, tum Iſidori auctoritatem, tum MM. SS. codicum fidem. Affixus porro apud Hieronymum titulis numerus, procul dubio vitioſus eſt: *Lib. de ſcript. eccleſ. c. 12.* ſed emendari non potuit ſine laborioſa codicum MM. SS. collatione, cujus operæ minimum videtur pretium. Eſt vero non mediocre, ſiquis animadverſiones Hieronymi ad ſingulos titulos conſideret paulo attentius: perſpiciet enim non ſine animi voluptate, quod noſtris etiam temporibus multum proſit. Conducet quoque non parum conſulere Auguſtini in libro *de geſtis Palæſt.* obſervationes ad ſingulas Pelagii interpretationes.

TITULUS.

NON poſſe eſſe ſine peccato, niſi qui ſcientiam legis habuerit. Interpret. Pelag. *Ego quidem dixi, ſed non ſicut illi intelligunt. Non dixi non poſſe peccare, qui ſcientiam legis habuerit; ſed adjuvari per legis ſcientiam ad non peccandum, ſicut ſcriptum eſt:* Legem in adjutorium dedit illis.

Hieron. dial. 1. Aug. l. de geſt. Palæſt. c. 1. Iſa. 8. v. 20. juxta LXX.

TITULUS.

ETIAM feminas debere habere ſcientiam legis, debere & Deo pſallere. *Hieron. ibid.*

TITULUS XIV.

SERVUM Dei nihil amari de ore ſuo, ſed ſemper quod dulce eſt & ſuave, proferre debere. *Ibidem.*

TITULUS XXI.

SACERDOTEM ſive doctorem omnium actus ſpeculari debere, & fiducialiter corripere peccantes: ne pro iiſdem rationem reddat, & eorum ſanguis de ſuis manibus requiratur.

TITU-

153

TITULUS XXXI.

SACERDOTEM ſive doctorem nemini adulari debere, ſed audenter omnes corripere, ne & ſe & eos, qui eum audiunt, perdat.

TITULUS LXXII.

Aug. l. de geſt. Palæſt. c. 2. OMNES voluntate propria regi, & ſuo deſiderio unumquemque dimitti.

Sap. 7. v. 1. & ſeqq. De hoc ipſo ſapientia Salomonis. *Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro decem menſium tempore, coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine hominis & delectamento ſomni conveniente, & ego natus accepi communem aerem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus: propter hoc optavi, & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.*
Pſ. 108. v. 18. Et Pſalmiſta: *Dilexit maledictum, & veniet ei; & noluit benedictionem, & elonga-*
Eccli. 15. v. 17. *bitur ab eo.* Et Eccleſiaſticus: *Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quodvis porrige manum tuam. Ante hominem bonum & malum, vita & mors; quod placuit ei, dabitur illi.* Interpret. Pelag. Hoc dixi propter liberum arbitrium, cui Deus adjutor eſt eligenti bona: homo vero peccans ipſe in culpa eſt, quaſi liberi arbitrii.

TITULUS LXXIII.

Hieron. ibid. Aug. ibid. c. 3. IN die judicii iniquis & peccatoribus non eſſe parcendum, ſed æternis eos ignibus exurendos: ſcriptum eſt enim pſalmo 103. Deficiant peccatores a terra, & iniqui, ita ut non ſint. Et in Iſaia: Comburentur iniqui & peccatores ſimul, & qui relinquunt Deum, conſummabuntur. Interp. Pelag. *Secundum Evangelium dixi; ubi dicitur de peccatori-*
Matth. 25. v. 46. *bus*: Iſti ibunt in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam. *Et ſiquis aliter credit, Origeniſta eſt.*

TITULUS LXXXI.

Hieron. ibid. SAPIENTIAM & intellectum Scripturarum, niſi qui didicerit, ſcire non poſſe: & ſcientiam legis uſurpare non debere indoctum.

TITULUS LXXXIII.

CHRISTIANUM illius debere eſſe patientiæ, ut ſiquis ſua auferre voluerit, gratanter amittat: & gloriam veſtium ac ornamentorum Deo eſſe contrariam. Ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.

TITULUS CLXIV.

INIMICOS ut proximos diligendos. Lucæ 5. *Diligite inimicos veſtros: benefacite his qui oderunt vos: benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.*

TITULUS CLXV.

INIMICO numquam eſſe credendum.

TITULUS CLXV. *Hieron. ibid. Aug. ibid. c. 5.*

REGNUM cælorum etiam in veteri Teſtamento repromitti. Interp. Pelag. Hoc & per Scripturas probare poſſibile eſt; hæretici autem in injuriam veteris Teſtamenti hoc negant: ego vero Scripturarum auctoritatem ſecutus dixi, quoniam in propheta Daniele ſcriptum eſt: *Et accipient ſancti regnum altiſſimi.* *Dan. 7. v. 18.*

TITULUS C.

POSSE hominem ſine peccato eſſe, & Dei mandata facile cuſtodire, ſi velit. Interp. Pelag. Poſſe quidem hominem ſine peccato eſſe, & Dei mandata cuſtodire, ſi velit, diximus. Hanc enim poſſibilitatem Deus illi dedit: non autem diximus, quod inveniatur aliquis ab infantia uſque ad ſenectam, qui nunquam peccaverit; ſed quoniam a peccatis converſus, proprio labore & Dei gratia, poſſit eſſe ſine peccato, nec per hoc tamen in poſterum inconvertibilis. *Hieron. ibid. Aug. ibid. c. 6.*

TITULUS CXXIII.

NE leviter quidem eſſe peccandum.

TITULUS CXXXI.

MALUM vero nec cogitandum. Matthæi 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo.* Interp. Pelag. Hoc non ita poſuimus, ſed diximus, debere ſtudere chriſtianum, ne male cogitet. Scilicet Gallicani Epiſcopi objecerant, quaſi dixiſſet, malum nec in cogitationem venire.

Epiſtola ad ſanctum Paulinum Nolanum Epiſcopum.

DE hac epiſtola facit mentionem Auguſtinus ſcribens Paulino in hæc verba: *Quod etiam quibuſdam literis agit ad tuam venerationem datis, ubi dicit, ſe non debere exiſtimari, ſine gratia Dei defendere liberum arbitrium, cum poſſibilitatem volendi atque operandi, ſine qua nihil boni velle atque agere valemus, a creatore nobis inſitam diceret, ut videlicet hæc intelligatur, doctore ipſo, gratia Dei, quæ paganis atque chriſtianis, impiis & piis, fidelibus atque infidelibus communis eſt.* *Facit mentionem Auguſtinus epiſt. 106.*

Facit quoque in libro *de gratia Chriſti*, cap. 35. quod exſcribendum videtur. *Legant*, inquit, *illam epiſtolam, quam ad ſanctum virum Paulinum Epiſcopum, ante duodecim fere annos ſcripſimus, quæ trecentis forte verſibus nihil aliud quam Dei gratiam & auxilium confitetur, noſque nihil omnino, boni facere poſſe ſine Deo. Hanc ergo epiſtolam legi, & inveni eum pene per totam non immorari, niſi in facultate & poſſibilitate naturæ, & pene ibi tantum Dei gratiam conſtituere; chriſtianam vere gratiam, tanta brevitate ſola nominis commemoratione, perſtringit, ut nihil aliud videatur, quam eam tacere timuiſſe. Utrum tamen eam in remiſſione peccatorum velit intelligi, an etiam in doctrina Chriſti, ubi eſt & ejus converſationis exemplum, quod ali-* *Facit & lib. de gratia Chriſti.*

quot

quot locis ſuorum opuſculorum facit, an credat aliquod adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ, per inſpirationem flagrantiſſimæ & luminoſiſſimæ caritatis, non apparet omnino.

Hinc quatuor colliguntur. Primum.

Atque hinc conſtat primo, tempus ſcriptæ epiſtolæ: quæ enim mox attulimus ſcribebat Pelagius ann. 417. quam igitur epiſtolam dederat ante duodecim fere annos, datam oportet ann. 405.

Secundum.

Conſtat & iſtud, Pelagium tunc temporis ita occultaſſe mentem ſententiamque ſuam de gratia Chriſti, ut oe Auguſtinus quidem intelligere valuerit, quid in animo haberet. Unde mirari quiſpiam jure poſſit eorum perſpicacitatem, qui viderint in expoſitionibus Pelagii errores, quos nec Auguſtinus deprehenderit, nec Pelagius aperire, etiam plures poſt annos, voluerit. Quad ergo ſcribens ad Paulinum arguere videtur, aliunde magis, quam ex ipſa epiſtola, præjudicio quodam ſuſpicatur.

Tertium.

Conſtat pariter, qua occaſione Auguſtinus ad Paulinum ſcripſerit. Vidit ſcilicet, quid periculi a Pelagio fieret viro ſpecie pietatis capi facili: idque ut erat fidei pariter ac Paulini amans, prævertendum ratus, adhibuit cautionem eo magis neceſſariam, quo ſuſpectior potuit eſſe merito Paulinus, ut qui diu celaſſet amicum, tot literis interpellatum, quam gereret cum Pelagio neceſſitudinem, cujus diſcipulos, etiam pertinaciſſimos, pateretur Nolæ ſua libere dogmata tueri. Verum quia nihil erat in epiſtola Pelagii, quod aperte gratiam Dei oppugnaret, eam Auguſtinus per ſingulas partes oon refellendam ſuſcepit, ſed altiſſimum gratuitæ prædeſtinationis myſterium explicuiſſe contentus, de damnatione Pelagii a Patribus Dioſpolitanis, atque apoſtolica ſede, dogmatibuſque confitendis, ut catholica fides retineatur, admonuit.

Quartum.

Conſtat denique, quis eſſet hæreſis Pelagianæ ſtatus ano. 405. Timide agebatur de gratia, verbiſque ambiguis prætentabantur animi, ut poſtquam ſeſe aliquatenus implicuiſſent quæſtionibus de initio fidei, aliiſque in ſpeciem levioribus, poſtmodum ſenſim ſine ſenſu deducerentur in errorem, de viribus naturæ ad opera pietatis, propter ioeluctabilem, ut ait Auguſtinus, dogmatum ex ſeſe reciproce aptorum quaſi catenam.

Epiſtola ad Conſtantium Epiſcopum.

Fit mentio apud Auguſtinum.

NUSQUAM mentio fit hujuſce epiſtolæ, quod ſciam, præterquam in libro *de gratia Chriſti*, cujus io capite 36. hæc ſunt ſive Pelagii, ſive Auguſtini verba: *Legant etiam*, inquit, *ad ſanctum Conſtantium Epiſcopum, ubi breviter quidem, ſed plane libero hominis arbitrio Dei gratiam auxiliumque conjunxi. Hanc epiſtolam, ut ſuperius dixi, non legi, ſed ſi non eſt diſſimilis cæteris, quæ mihi nota commemorat, non habet etiam ipſa, quod quærimus.*

Quis ille Conſtantius.

Quis porro Conſtantius fuerit, & cui Eccleſiæ præfuerit, divinare nemo queat, cum oullæ ſint habitæ in Italia tunc temporis ſynodi, quarum acta ad nos pervenerint; conjicio tamen, illuſtrem fuiſſe, ſive generis nobilitate, ſive ſanctitatis fama: ad hujuſcemodi enim homines ſcribebat Pelagius, ut, quod non ſemel notavimus, vel ſibi opinionem viri boni, vel ſuæ impietati patrocinium faceret.

Cur trium epiſtolarum ſuarum teſtimonio ſe defendere conatus ſit.

Notandum vero, verſipellem hæreticum, ut rectæ fidei ſe mentiretur, ad eas epiſtolas provocaſſe, quas tribus dederat, nominis claritate perculſuris adverſariorum oculos; ſiluiſſe vero de libris, unde poterat oon magno negotio convinci: epiſtolæ nimirum ea arte compoſitæ fuerant, ut cum flexibiles forent in oppoſitos ſenſus, catholicis catholicum exhiberent, hæreticis hæreticum.

Quando ſcripta epiſtola ad Conſtantium.

Scriptam oportet epiſtolam hanc, poſt literas ad Paulinum, ſed ante librum de inſtitutione virginis ad Demetriadem: videtur enim ordo temporis io recenſione ſervatus; apparet ergo ſcripta, priuſquam fugam Pelagius ex urbe Roma, ann. 408. cepiſſet, tunc enim incœperat apertius loqui: ergo circiter ann. 406. Ex ipſa porro, cum nihil ſuperſit, ſtatus hæreſis, adhuc ſe tegentis, patefieri oon poteſt.

Liber unus, vel etiam alter ad viduam conſolatorius atque exhortatorius.

Qui meminerit hujuſce operis.

OPERIS hujus meminit Hieronymus *dialogo tertio*, Auguſtinus lib. *de geſtis Palæſtinis*, cap. 6. Mercator *in commonitorio*, cap. 4. quem ad locum obſervavimus non pauca in hanc rem, quæ tu vide..

Ad quam viduam ſcriptum ſit.

Inde agnoſces, viduam, cui inſcribitur id operis, dictam quidem a Mercatore Livaniam, creditam vero a quibuſdam, vel Melaniam ſeniorem, vel Julianam Memorii conjugem; cognoſces pariter, viduam ita demiſſe adulatorieque laudatam fuiſſe, ut Pelagius ipſe, quidquid id eſt, erubuerit fateri ſuum, imo auctorem ſtultiloquii damnaverit: in quo tamen mentitum, libri ab Auguſtino, & ab hominibus fide dignis Pelagii amicis, conſulti probarunt.

Suam negat Pelagius, ſed mendaciter.

Vidua illa videtur eſſe Demetriadis mater.

Verum de vidua occurrit modo conjectura non improbabilis, ipſam nimirum eſſe, vel Julianam Demetriadis matrem, vel Albinam Piniani ſocrum. Nam quod ad Julianam ſpectat, credibile eſt, ipſam a Pelagio popoſciſſe idcirco Demetriadi filiæ inſtitutionem virginis, quia viduæ prius regulam ab eodem accepiſſet. Quidquod ad Julianam de viduitate ſcripſerunt plures viri, doctrina & pietate inſignes, quos inter videri voluit Pelagius, cum ſua ipſius vanitate, tum nonnulla erga Auguſtinum æmulatione. Jam vero Albina Pelagio jam tum Romæ conſtituto conjuncta erat, pio quodam neceſſitatis vinculo: unde ſtatim ac ipſum licuit coram affari Hieroſolymis, inſtanter egit, ut invidiam hæreſis ſibi factam amoliretur, ab eoque expreſſit, noo confeſſionem tantum, quæ capite primo libri de *gratia Chriſti* continetur, ſed forte etiam totum id purgationis quod Romam miſit.

Quid ſi duo fuerint libri ad viduam, alter conſolatorius, alter exhortatorius, & uterque ad Julianam aliquam miſſus dicatur; ſed conſolatorius ad Memorii conjugem, exhortatorius ad Demetriadis matrem: neutri certe inſcriptum fuiſſe oomen viduæ, conſtat ex codice, quem Auguſtinus legit: quanquam videri poteſt levis tota hæc conjectura de duobus libris, cum unus potuerit ſimul eſſe, & conſolatorius in obitu viri, & exhortatorius ad vitam vidua chriſtiana dignam. Sed iſtud longe gravius, imo tanti ponderis, ut fere me cogat, deſerta priſtina opinione de Juliana Memorii conjuge & Juliani hæretici matre, ire in oppoſitam de parente Demetriadis, cujus vir Olybrius ante urbis excidium, teſte Hieronymo, vita exceſſit. Ea vero conjectura, ſi probabilis videatur, ut valde eſt, opus iſtud ad viduam conditum dici debet, vel Romæ, antequam inde Pelagius cum trepidantibus aliis exiret, vel in Sicilia, ubi primum advenit; hac autem ratione pertinebit ad anoum aut 408. aut conſequentem.

Quæ ſuperſunt hujuſce libri apud auctores ejuſdem ævi.

Apud Marium Mercatorem. In Commonit.

SIMPLICITATEM ſequi Chriſti famulam decet, non hanc, quæ ſtultitia magis eſt quam ſimplicitas, ſed illam, de qua Scriptura dicit: *Benedicta enim omnis ſimplex*; dicente alibi Scriptura: *Maledictus omnis homo qui non permanet in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.* Hinc oſtenditur, non eſſe ſimplicitatem veram, quæ Dei mandata inſenſata ſecuritate contemnit, ſed eam quæ legis præcepta ſapienti timore cuſtodit: dicente enim, maledictum eſſe eum, qui non permanet in his, quæ ſcripta ſunt; a contrario benedictum eſſe non vult, qui non omnia præcepta ſervaverit; & ſi omnis ſimplex benedictus eſt: ergo ſimplex ille eſt, qui omnia præcepta legis impleverit.

Prov. 11. v. 25. ſecund. LXX. Deut. 27. v. 26. & Gal. 3. v. 10.

L l　　　　Odiſſe,

154

Apud eundem.

Odiſſe, maledicere, & invidere, mentiri, detrahere, & detrahentibus credere, leve, aut nullum putatur eſſe peccatum; ſed hi, qui hoc putant, obliti ſunt, quoniam & levis præcepti violationi obnoxios gehennæ legimus eſſe mancipandos. Dixiſſe enim Dominum manifeſtum eſt: *Quicumque dixerit fratri ſuo, fatue, vel racha, reus erit gehennæ.*

Matth. 5. v. 22.

Lib. de geſt. Palaeſt. c. 6.

Inveniat apud te pietas, quem nuſquam invenit locum: inveniat ubique peregrina apud te ſedem juſtitia: veritas, quam jam nemo cognoſcit, domeſtica tibi & amica fiat: lex Dei, quæ ab omnibus prope hominibus contemnitur, a te ſola honoretur.

Apud Hieronymum. *Dial. 3.*

O te felicem & beatam, ſi juſtitia, quæ in cælo tantum eſſe credenda eſt, apud te ſolam inveniatur in terris!

Ibidem.

Ille enim merito ad Deum extollit manus, ille preces bona conſcientia fundit, qui poteſt dicere: Tu enim noſti, Domine, quam ſanctæ, quam innocentes, quam puræ ſint ab omni fraude, & injuria, & rapina, quas ad te expando manus: quam juſta, quam immaculata labia, & ab omni mendacio libera, quibus tibi, ut mihi miſerearis, fundo preces.

Paulo aliter in libro *de geſt. Palaeſt.*

Hæc paulo aliter in libro de geſtis Palæſtinis leguntur. Ille ad Deum digne elevat manus, ille orationem bona conſcientia effundit, qui poteſt dicere: Tu noſti, Domine, quam ſanctæ & innocentes & mundæ ſint ab omni malitia, & iniquitate, & rapina, quas ad te extendo manus: quemadmodum juſta, & munda labia, & ab omni mendacio libera, quibus offero tibi depreeationem, ut mihi miſerearis.

Liber de natura.

Qui meminerint hujus operis, Pelagioque tribuerint.

HUJUSCE operis meminit Auguſtinus tribus maxime in libris, *de natura & gratia*, *de geſtis Palaeſtinis*, *cap.* 33. *Retractationum cap.* 4. Meminerunt quoque breviter Oroſius *in Apologetico*, & Hieronymus *dial.* 3.

Scriptum in Sicilia, unde miſſum Auguſtino.

Compoſitum eſt a Pelagio in Sicilia, vel Aniani, vel Cæleſtii opera, traditumque clam fidis manibus; unde a Jacobo & Timaſio, adoleſcentibus duobus ad vitæ ſanctioris ſtudium, exhortatione Pelagii, converſis, atque errorem cum pietatis inſtituto imbibitum dedoctis, Auguſtino miſſum, a quo libro *de natura & gratia* confutatum eſt.

A quinque Epiſcopis poſtea tranſmiſſum ad ſedem apoſtolicam, cum reſponſione Auguſtini. *Epiſt. 95.*

Librum hunc Epiſcopi Africani quinque cum ſuis literis ad Innocentium Papam legendum tranſmiſerunt. *Miſimus reverentiæ tuæ librum, quem dederunt quidam religioſi & honeſti adoleſcentes ſervi Dei, quorum etiam nomina non tacemus; nam Timaſius & Jacobus vocantur, qui, ſicut audivimus, & jam noſſe dignaris, ipſius Pelagii exhortatione ſpem, quam habebant in ſæculo, reliquerunt, & nunc continenter Deo ſerviunt. Qui cum eodem errore tandem aliquando per qualemcumque operam noſtram, Domino inſpirante, caruiſſent, protulerunt eumdem librum, Pelagii eſſe dicentes, & ut ei reſponderetur, impendio rogaverunt. Factum eſt, ad eoſdem reſcripta eſt ipſa reſponſio. Agentes gratias reſcripſerunt. Utrumque miſimus, & cui reſponſum eſt, & quod reſponſum eſt: & ne nimium eſſemus oneroſi, ſigna fecimus his locis, ubi petimus inſpicere non graveris, quemadmodum ſibi objecta quæſtione, quod gratiam Dei negaret, ita reſpondit, ut eam eſſe non diceret, niſi naturam, in qua nos condidit Deus.*

Cenſura notatum a ſummo Pontifice.

Reſcripſit ſummus Pontifex, & libro, quem legerat, cenſuram graviſſimam inuſſit. *Librum*, inquit, *qui ejus eſſe dicebatur, nobis a veſtra caritate tranſmiſſum evolvimus, in quo multa blaſphemia, nihil quod placeret, nihil quod non penitus diſpliceret, a quovis damnandum atque calcandum, cui ſimilia, niſi qui iſta ſcripſerat, nemo alter in mentem reciperet, atque ſentiret.*

Epiſt. 96. inter Auguſt.

Exhibetur ex libro S. Auguſtini *de natura & gratia.*

Ex libro ſancti Auguſtini *de natura & gratia* excerptum exhibemus, addita præfatione ex Salluſtio, unde ſumptam tradit Auguſtinus, additis etiam aliis, ſed admodum paucis, quæ ad ſenſum perficiendum neceſſaria viſa ſunt: ſed hæc ipſa diverſo charactere, ne fraudem facerent, notata ſunt.

SUNT qui cum in ſuis peccatis humanam voluntatem accuſare debeant, naturam potius accuſantes hominum, per illam ſe excuſare conantur. *Nec audiunt interim Scripturam, quæ cum omnibus paginis Deum laudat, opus divinum abſolvit, naturamque criminis puram declarat.*

Aug. c. 2. lib. de natur. & gra.

Si ſaltem audirent gentilis hominis verba. Falſo, *inquit ille*, queritur de natura ſua genus humanum, quod imbecilla atque ævi brevis, forte potius quam virtute regatur. Nam contra reputando, neque majus aliud, neque præſtabilius invenias, magiſque naturæ induſtriam hominum, quam vim aut tempus deeſſe. Sed dux atque imperator vitæ mortalium animus eſt: qui ubi ad gloriam virtutis via graſſatur, abunde pollens, potenſque & clarus eſt, neque fortunæ eget; quippe quæ probitatem, induſtriam, cæteraſque artes bonas neque dare, neque eripere cuiquam poteſt. Sin captus pravis cupidinibus ad inertiam & voluptates corporis peſſundatus eſt, perniciosa libidine pauliſper uſus, ubi per ſocordiam vires, tempus, ætas, ingenium defluxere, naturæ infirmitas accuſatur: ſuam quique culpam auctores ad negotia transferunt. Longe vero ſceleris minus eſt, culparum cauſas in negotia transferre, quam in humanitatem, cum negotia fors ut plurimum, vel hominum imprudentia implicet; naturam Deus, qui bonus & juſtus eſt, condiderit.

Salluſtius in prologo belli Jugurthini.

Igitur adverſus eos, qui peccatis ſuis patrocinium de naturæ humanæ infirmitate perquirunt, dico, poſſe eſſe hominem ſine peccato, *naturamque ita conditam a Deo, ut neceſſitate non peccet, ſed voluntate. Atque ut quæſtio ratione tractetur, ſtatim initio diſtinguendum eſt*, aliud eſſe quærere, an poſſit aliquid eſſe, quod ad ſolam poſſibilitatem pertinet; aliud utrumne ſit. Nos de ſola poſſibilitate tractamus, de qua niſi quid certum conſtiterit, tranſgredi ad aliud, graviſſimum eſſe atque extra ordinem ducimus.

Capite ſeptimo.

Idem iterum repeto. Ego dico, poſſe eſſe hominem ſine peccato. Tu quid dicis? Non poſſe eſſe hominem ſine peccato. Neque ego dico, hominem eſſe ſine peccato, neque tu dicis, non eſſe hominem ſine peccato. De poſſe, & non poſſe, non de eſſe, & non eſſe contendimus. Nam *nullus mundus eſt a ſorde*, & *non eſt homo, qui non peccet*, & *non eſt juſtus in terra*; & *non eſt qui faciat bonum*, & cætera his ſimilia, ad non eſſe, non ad non poſſe proficiunt. Hujuſmodi enim exemplis oſtenditur, quales homines quidam tempore aliquo fuerint; non quod aliud eſſe non potuerint,

Job 14. v. 4. ſecundum LXX. 3. Reg. 8. v. 46. Pſal. 13. v. 1.

tuerint, unde & jure inveniuntur eſſe culpabiles. Nam ſi idcirco tales fuerunt, quia aliud eſſe non potuerunt, culpa carent.

Capite decimo. Poteſt quidem eſſe, inquies, ſed per gratiam Dei. Ago humanitati tuæ gratias, quod aſſertionem meam, quam dudum oppugnabas, non modo non oppugnare, aut confiteri ſolum contentus non es, verum etiam non refugis comprobare. Nam dicere: Poteſt quidem, ſed per illud, aut per illud; quid aliud eſt, quam non ſolum conſentire, quod poſſit eſſe; verum etiam, quomodo vel qualiter poſſit, oſtendere? Nullus itaque magis alicujus rei poſſibilitatem probat, quam qui ejus etiam qualitatem fatetur, quia neque abſque re eſſe qualitas poteſt.

Sed tu, inquies, hoc in loco Dei gratiam, quandoquidem eam non commemoras, videris abnuere. Egone abnuo, qui rem confitendo, confitear neceſſe eſt, & per quod res effici poteſt? An tu qui rem negando, & quidquid illud eſt, per quod res efficitur, procul dubio negas? Sive per gratiam, ſive per adjutorium, ſive per miſericordiam, & quidquid illud eſt, per quod eſſe homo abſque peccato poreſt, confitetur, quiſquis rem ipſam confitetur.

Capite undecimo. Nam ſi dixero: Homo diſputare poteſt, avis volare, lepus currere; & non etiam per quæ hæc effici poſſunt, commemoravero, id eſt, linguam, alas, pedes: num ego officiorum qualitates negavi, qui officia ipſa confeſſus ſum?

Capite duodecimo. At levia quædam ſunt peccata, *inquies*, quæ ipſa multitudine, quod ſæpe irruant, non poſſunt cuncta vitari. Argui illa certe non debent, ne levi quidem correptione, ſi vitari omnino non poſſunt.

Capite decimo tertio. Ipſe tu vero, *dices*, ſine peccato es? Non ſum ſane, ſed negligentiæ meæ potius, quam impoſſibilitati imputari debet, quod non ſim ſine peccato.

Capite decimo-quarto. *Jam vero* id, quod a quibuſdam dicitur, nuſquam eſſe ſcriptum his omnino verbis, poſſe eſſe hominem ſine peccato; ſcriptum vero, neminem poſſe domare linguam, & proinde nec eſſe poſſe ſine peccato linguæ, facile refellitur: quia & non eſt ibi quæſtio, quibus verbis dicatur quæque ſententia. Et quod apoſtolus Jacobus: *Linguam autem nullus hominum domare poteſt*; per exprobrationem dictum eſt, tanquam diceret: Ergone linguam nullus hominum domare poteſt? Tanquam objurgans & dicens: Domare feras poteſtis, linguas non poteſtis? quaſi difficilius ſit domare linguam, quam feras.

Jacob. 3. v. 8. Capite decimo-quinto.

Capite decimo-ſeptimo. Rom. 8. v. 7. & 8. *Verum*, *inques*, ab Apoſtolo dictum eſt: *Sapientia carnis inimica eſt in Deum, legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt; qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Sed Apoſtolus, quod ſapientiam carnis dixerit, non ſapientiam deſurſum deſcendentem; & in carne eſſe, non eos, qui de corpore non exierunt, ſed eos qui ſecundum carnem vivunt, manifeſte ſignificat.

Perges objicere: Ipſa ſaltem ignorantiæ peccata vitari non poſſunt, utcumque dicantur cætera vitari poſſe. Non poſſunt, fateor, ignorantiæ peccata vitari, quamdiu homo ignorat; ſed prævigilare debet, ne ignoret: ideoque culpanda eſt ignorantia, quia id homo neſcit negligentia ſua, quod adhibita diligentia ſcire debuiſſet.

Capite decimo octavo. *Addes etiam: Tollere certe non poteſt homo peccata jam commiſſa*; ſed illa expiari debent, & Dominus pro eis exorandus. *Id lubens fateor:* quia id quod factum eſt, facere infectum potentia naturæ, & voluntas hominis non poteſt.

Capite decimo nono. *Sed ut id evertatur, in quo præſidium ponitur ab iis, qui nobis adverſantur.* Primo de eo diſputandum eſt, quod per peccatum debilitata dicitur, & immutata natura. Unde ante omnia quærendum puto, quod ſit peccatum. Subſtantia aliqua, an omnino ſubſtantia carens nomen, quo non res, non exiſtentia, non corpus aliquod, ſed perperam facti actus exprimitur? Credo, ita eſt; & ſi ita eſt, quomodo potuit humanam debilitare, vel mutare naturam, quod ſubſtantia caret?

Capite vigeſimo primo. *Deinde* ægritudo hæc, *quam quiſque experitur*, non debuit contrahi peccatis, ne ad hoc eſſet iſta pœna peccati, ut committerentur plura peccata; neque vero ipſe primus homo ideo morte damnatus eſt, *quia peccandi neceſſitatem primo peccato contraxit*: nam poſtea non peccavit. Ejus quoque poſteri, non ſolum illo non ſunt infirmiores, ſed etiam plura impleverunt præcepta, cum unum ille implere neglexerit.

Capite vigeſimo ſecundo. *Deinde non debuit ſic vindicari peccatum, ut peccator per vindictam plura committeret*: eſſet enim vindicta materies peccati, ſi ad hoc peccator infirmatus eſt, ut plura peccaret.

Capite vigeſimo quarto. Capite vigeſimo quinto. *Quidquod* Dominus ſine peccato potuit mori; nec ullum malum poteſt eſſe boni alicujus cauſa; nec ut eſſet cauſa miſericordiæ Dei, neceſſarium fuit, quod illi aiunt, peccatum.

Capite vigeſimo ſexto. Adhibet quidem huic etiam parti, ſi quando neceſſarium fuerit, miſericordiam ſuam Deus, quia homini poſt peccatum ita ſubveniri neceſſum eſt; non quia Deus cauſam hujuſcemodi neceſſitatis optaverit. Sed & medicus ad curandum jam vulneratum paratus eſſe debet; non debet autem, ut ſanus vulneretur, optare.

Capite vigeſimo ſeptimo. Abſurdiſſimum porro ſtultiſſimumque eſt, etiam neceſſarium fuiſſe homini, ad auferendam ſuperbiæ vel gloriæ occaſionem, ut abſque peccato eſſe non poſſet. Sed Deus, inquiunt, poteſt omnia ſanare. *Poteſt ſane;* *Capite vigeſimo octavo.* *ſed abſurdum tamen eſt*, a Deo dici homini: Neceſſe eſt peccare ne pecces. Quid amplius dicam, niſi quia poteſt credi, quod ignes ignibus extinguuntur, ſi credi poteſt, quod peccatis peccata curentur?

Capite vigeſimo nono. Sed quonammodo ſuperbiam ipſam a peccato ſeparabimus? Tam peccare ſuperbire eſt, quam ſuperbire peccare. Nam quære, quid

ſit quodcumque peccatum, & vide ſi invenies aliquod ſine ſuperbiæ appellatione peccatum? Omne peccatum, oiſi fallor, Dei contemptus eſt; & omnis Dei contemptus ſuperbia eſt. Quid eoim tam ſuperbum, quam Deum contemnere? Omne ergo peccatum & ſuperbia eſt, etiam Scriptura dicente: *Initium omnis peccati ſuperbia eſt.*

Eccli. 10. v. 15.

Capite trigeſimo.

Deinde, quomodo quis Deo pro illius peccati reatu ſubditus eſſe poterit, quod ſuum non eſſe cognoverit? Suum enim non eſt, ſi neceſſarium eſt; aut ſi ſuum eſt, voluntarium eſt. Et ſi voluntarium eſt, vitari poteſt.

Capite trigeſimo tertio.

At, *inquiunt*, homo comparatur Deo, ſi abſque peccato eſſe aſſeratur: quaſi vero angelus, quia abſque peccato eſt, comparetur Deo?

Capite trigeſimo quarto.

Inquiunt etiam, rationabile quidem videtur eſſe, quod aſſeris, ſed ſuperbum eſt dicere, hominem abſque peccato eſſe poſſe. Verum in qua magis parte humilitas collocanda eſt? Sine dubio falſitatis, ſi in ea, quæ veritatis probatur eſſe, ſuperbia eſt. In parte igitur veritatis, non in parte falſitatis, humilitas magis collocanda eſt.

Capite trigeſimo quinto.

Quin & illud addunt, multorum e ſanctis peccata novimus. Peccaſſe multos ſanctorum non tantum verum eſt, ſed etiam literis ipſis quoque ſacris proditum eſt; non ut exempla ad deſperationem non peccandi valeant, neque ut ſecuritatem peccandi nobis quodammodo præbere videantur; ſed ut diſceremus, vel pœnitendi humilitatem, vel etiam in talibus lapſibus non deſperandam ſalutem. Sed quomodo iſtos ſanctos de hac vita abiiſſe credendum eſt? Cum peccato, an ſine peccato? Si cum peccato, quomodo ſancti ſunt? Si ſine peccato, potuerunt ergo ſine peccato eſſe?

Capite trigeſimo ſexto. Vide lib. de geſt. cap. 10.

Sed in iiſdem ſacris literis multi oon modo non peccaſſe, verum etiam juſte vixiſſe referuntur, Abel, Enoch, Melchiſedech, Abraham, Iſaac, Jacob, Joſeph, Jeſus Nave, Fhinees, Samuel, Nathan, Helias, Heliſæus, Michæas, Daniel, Azarias, Ananias, Miſaël, Ezechiel, Mardochæus, Simeon, Joſeph, cui deſponſata erat virgo Maria, Joannes. His adde ſanctas feminas, Deboram, Annam Samuelis matrem, Judith, Heſter, alteram Annam filiam Phanuel, Elizabeth, ipſam etiam Domini ac Salvatoris noſtri matrem, quam ſine peccato confiteri, neceſſe eſt pietati.

Capite trigeſimo ſeptimo.

Dicent forſitan: Nunquid omnium potuit Scriptura commemorare peccata? Hoc recte dici poteſt de his, quorum neque bonorum, neque malorum Scriptura ſit memor: de illis vero, quorum juſtitiæ meminit, & peccatorum ſine dubio meminiſſet, ſi qua eos peccaſſe ſenſiſſet. Sed eſto, aliis temporibus turbæ numeroſitate, omnium diſſimulaverit peccata contexere; in ipſo ſtatim mundi primordio, ubi nonniſi quatuor homines erant, quid dicimus, cur non omnium voluerit delicta commemorare? Utrumne ingentis multitudinis cauſa, quæ nondum erat? An quia illorum tantum, qui commiſerant, meminit; illius, qui nulla commiſerat, meminiſſe non potuit? Certe primo in tempore Adam & Eva, ex quibus Cain & Abel nati ſunt, quatuor tantum homines fuiſſe referuntur. Peccavit Eva, Scriptura hoc prodidit; Adam quoque deliquit, eadem Scriptura non tacuit. Sed & Caio peccaſſe ipſa æque Scriptura teſtata eſt, quorum non modo peccata, verum etiam peccatorum indicat qualitatem. Quod ſi & Abel peccaſſet, & hoc ſine dubio Scriptura dixiſſet; ſed non dixit: ergo nec ille peccavit, quin etiam juſtum oſtendit. Credamus igitur quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus aſtruere, quod de cunctis etiam dixiſſe ſufficiat.

Capite trigeſimo nono.

Capite quadrageſimo primo. Rom. 3. v. 23.

Oppoount illi, contra quos loquimur: *Omnes enim peccaverunt.* Sed manifeſtum eſt, quod de eis dicebat Apoſtolus, qui tunc erant, hoc eſt, de Judæis & gentilibus. Et vero mos ille Scripturæ eſt, ut cum dicuntur omnes, non ſemper omnes omnino, oullo prætermiſſo, intelligi oporteat. Unde Apoſtolus: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ;* cum per Chriſti juſtitiam non omnes, ſed eos tantum, qui illi obedire voluerunt, & baptiſmi ejus ablutione purgati ſunt, ſanctificatos eſſe non dubium ſit.

Rom. 5. v. 12.

Capite quadrageſimo ſecundo.

Sed eſto, conſentiam, quia omnes peccatores fuiſſe teſtatur: dicit enim quid fuerint, non quod aliud eſſe non potuerint; quamobrem etſi omnes homines peccatores poſſent probari, defioitioni tamen noſtræ nequaquam id obeſſet, qui noo tam quid homines ſint, quam quid poſſent eſſe defendimus. Deus certe, qui tam bonus eſt quam juſtus, talem hominem fecit, qui peccati malo carere ſufficeret, ſed ſi voluiſſet. Voluntate non eſt, quod natura poteſt. At quod nuoc agitur, non pertinet, ut quæratur, utrum fuerint, vel ſint aliqui homines in hac vita ſine peccato; ſed utrum eſſe potuerint, ſive poſſint.

Capite quadrageſimo tertio.

Capite quadrageſimo quarto.

Sed hoc eſt, inquies, quod multos movet, quod non per Dei gratiam homines ſine peccato eſſe poſſe defendis. O ignorantiæ cæcitas! O imperitæ mentis ignavia, quæ id ſine Dei gratia defenſari exiſtimat, quod Deo tantum audiat debere reputari! Nam cum dicitur ipſum poſſe, arbitrii humani omnino non eſſe, ſed auctoris naturæ, Dei ſcilicet; ecqui fieri poteſt, ut abſque Dei gratia intelligatur, quod ad Deum proprie pertinere cenſetur? Sed ut hoc manifeſtius fiat, paulo latius diſputandum eſt.

Capite quadrageſimo quinto. Vide cap. 10. lib. de geſt. Palaſt.

Dicimus enim, cujuſque rei poſſibilitatem, non tam in arbitrii humani poteſtate, quam in naturæ neceſſitate conſiſtere, ut puta loqui poſſum: quod loqui poſſum, meum non eſt; quod loquor, meum eſt, id eſt, propriæ voluntatis; & quia quod loquor, meum eſt, utrumque facere poſſum, id eſt, & loqui, & non loqui. Quia vero quod loqui poſſum, meum non eſt, id eſt, arbitrii mei atque voluntatis,

tatis, neceſſe eſt me ſemper loqui poſſe, & ſi voluero, non poſſe loqui; non poſſum tamen non poſſe loqui, niſi forte membtum illud adimam, quo loquendi impleri officium poteſt: voluntatis enim arbitrio ae deliberatione privatur, quidquid naturali neceſſitare conſtringitur.

Capite quadrageſimo ſexto.
Capite quadrageſimo ſeptimo.

Hoc & de auditu, odoratu, vel viſu ſentiri poſſibile eſt, quod audire, odorari, videre poteſtatis noſtræ ſit; poſſe vero audire, vel odorari, vel videre, poteſtatis noſtræ non ſit, ſed in naturali neceſſirate conſiſtat. Simili ergo modo de non peccandi poſſibilitate intelligendum eſt, quod non peccare, noſtrum ſit; poſſe vero non peccare, non noſtrum. Quia non peccare, noſtrum eſt, poſſumus peccare & non peecare. Quia vero poſſe non peccare, noſtrum non eſt, etſi voluerimus non poſſe non peccare, non poſſumus non poſſe non peccare, quia nulla adimere voluntas poteſt, quod inſeparabiliter inſitum probatur eſſe naturæ.

Capite quadrageſimo octavo. *Capite quadrageſimo nono.* *Capite quinquageſimo.*

Capite quinquageſimo primo.

Ipſa non peccandi poſſibilitas, non tam in arbitrii poteſtate, quam in naturæ neceſſitate eſt. Quidquid in naturæ neceſſitate poſitum eſt, ad naturæ pertinere non dubiratur anctorem, utique Deum. Quomodo ergo abſque Dei gratia dici exiſtimatur, quod ad Deum proprie pertinere monſtratur?

Capite quinquageſimo ſecundo. *Gal. 5. v. 17.* *Rom. 8. v. 9.*

Sed caro nobis ſecundum Apoſtolum eontraria eſt, inquies. Qui fieri poteſt, ut cuicumque baptizato ſit earo contraria, cum ſecundum eumdem Apoſtolum, in carne non eſſe intelligatur? Ita enim ait: *Vos autem in carne non eſtis.*

Capite quinquageſimo quarto.

Et vero multis Apoſtoli verbis oſtenditur, quod caro ab illo ita ſæpe nominetur, ut velit intelligi, non ſubſtantiam, ſed opera carnis. *Deinde* quis fecit homini ſpiritum? Sine dubio Deus. Carnem quis creavit? Idem, credo, Deus. Bonus eſt, qui utrumque creavit Deus? Nulli dubium eſt. Et utrumque, quod bonus auctor creavit, bonum eſt? Confitendum eſt. Si igitur, & ſpiritus bonus, & caro bona, ut a bono auctore eondita, qui fieri poteſt, ut duo bona ſibi poſſint eſſe contraria?

Capite quinquageſimo octavo. *Jacob. 4. v. 7.*

Sed diabolus nobis adverſatur, inquiunt adverſarii: reſiſtamus illi & fugiet. *Reſiſtite*, inquit beatus Apoſtolus, *diabolo, & fugiet a vobis.* Unde animadvertendum eſt, quid poſſit his nocere, quos fugit; vel quam virtutem habere intelligendus ſit, qui ſolis prævalere non reſiſtentibus poteſt.

Capite ſexageſimo primo.

Dicunt etiam, me ſolum iſta defendere. Sed quid facient catholicis tractatoribus idem ipſum defendentibus?

Lib. 4. divin. inſtitut. c. 14.

Lactantius. *Oportuit magiſtrum doctoremque virtutum homini ſimillimum fieri, ut vincendo peccatum, doceat hominem vincere poſſe peccatum.* Et iterum: *Ut deſideriis carnis edomitis, doceret non neceſſitatis eſſe peccare, ſed propoſiti ac voluntatis.*

Capite ſexageſimo ſecundo. In illud Matt. *5 Beati mundo corde.*

Beatus Hilarius. *Non enim niſi ſpiritu perfecti, & immortalitate mutati, quod ſolis mundis corde diſpoſitum eſt, hoc quod in Deo eſt immortalitate cernemus.* Et rurſum: *Quas Job literas legerat, ut abſtineret ſe ab omni re maligna, quia Deum ſola mente vitiis non admixta venerabatur. Deum autem colere juſtitiæ proprium officium eſt.*

Capite ſexageſimo tertio. In cap. 1. Luc.

Sanctus autem Ambroſius. *Qui ad hoc referunt, qui peccatis ſuis ſolatia præferentes, ſine peccatis frequentibus hominem putant eſſe non poſſe, & utuntur verſiculo, quia ſcriptum eſt in Job:* Nemo mundus a ſorde, nec ſi unius diei vita ejus ſit in terra, menſurabiles menſes ejus ab ipſo. *Quibus reſpondendum eſt prius, ut quid ſit hominem ſine peccato eſſe definiant; utrum nunquam omnino peccaſſe, an deſiſſe peccare: ſi enim hoc putant, ſine peccato eſſe, nunquam omnino peccaſſe, & ipſe conſentio.* Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. *Sin autem eum, qui veterem errorem correxerit, & in eam ſe vitæ transformaverit qualitatem, ut temperet a peccato, negant abſtinere a delictis, non poſſum in eorum convenire ſententiam, cum legamus*, quia ſic Dominus dilexit Eccleſiam, ut exhiberet ipſam ſibi glorioſam, & non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejuſmodi, ſed ut ſit ſanctâ & immaculata. *Nam cum Eccleſia ex gentibus, hoc eſt, ex peccatoribus congregata ſit, quomodo ex maculatis immaculata poteſt eſſe, niſi primo per Chriſti gratiam, quod abluta a delicto ſit; deinde quod per qualitatem non peccandi abſtineat a delictis?*

Job. 14. v. 5. *Rom. 3. v. 3.* *Eph. 5. v. 7.*

Capite ſexageſimo quarto.

Item Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus dicit *peccatum non eſſe ſubſtantiam, ſed actum malignum; & quia non eſt naturale, ideo contra illud legem datam, & quod de arbitrii libertate deſcendit.*

Beatiſſimus Sixtus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, & Domini martyr. *Quia libertatem arbitrii ſui permiſit hominibus Deus, ut pure & ſine peccato viventes ſimiles fiant Deo.* Et rurſum: *Templum ſanctum eſt Deo mens pura, & altare optimum eſt ei cor mundum & ſine peccato.* Et rurſum: *Vir caſtus & ſine peccato poteſtatem accepit a Deo eſſe filius Dei.*

Capite ſexageſimo quinto. In c. 5. Matth.

Presbyter venerabilis Hieronymus, cum exponeret, quod ſcriptum eſt: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, *quos non arguit conſcientia ulla peccati, & mundus mundo corde conſpicitur, templum Dei non poteſt eſſe pollutum.* Item: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur; alioqui ubi neceſſitas, nec corona eſt.*

Lib. 2. contra Jovinianum.

Capite ſexageſimo ſeptimo. Lib. 3. c. 18.

Item Auguſtinus Epiſcopus in libris *de libero arbitrio. Quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur; ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla ergo peccata ſunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem, caveri igitur poteſt.*

Epiſtola prima ad ſanctum Auguſtinum.

Cap. 16.

Diſſert. 2. c. 3.

Loco mox citato.

EPISTOLAS duas ſcripſit Pelagius ad ſanctum Auguſtinum; priorem, cum receſſit ex Africa, ne inſalutato obiret; poſteriorem poſt ſynodum Palæſtinam, qua ſe abſolutum nuntiaret. Utriuſque mentio fit obiter in libro *de geſtis Palæſtinis*, nuſquam alibi, quod ſciam. Poſterioris aliquid ſupereſt, prioris nihil. Hanc vero ſcriptam eſſe ann. 412. oſtendimus. Reſcripſit Auguſtinus, reſponſionemque Pelagius in judicio Dioſpolitano protulit, ad ſui defenſionem, cum pluribus aliorum Epiſcoporum, quibus, ut fit, familiariter laudabatur. Suas interpretatus eſt Auguſtinus, ne viderentur favere; de alienis ita: *Porro autem, ſicut ego rationem de hac mea epiſtola reddidi, ita de ſuis, ſi eſſet neceſſe, redderent, quorum allegantur, dicentes, vel quid putaverint, vel quid ignoraverint, vel qua ratione ſcripſerint.*

Quorum Epiſcoporum literas pro ſe Pelagius Dioſpoli protulerit.

Conjecerit forte quiſpiam, nec abſurde mea quidem ſententia, quorum Epiſcoporum literas Pelagius pro ſe legerit, geſtiſque etiam inſerendas curaverit, qui Paulinum, Conſtantium, Memorium, & octodecim, ſive Italiæ, ſive Siciliæ, Epiſcopos memoraverit. Nam Paulino imprimis carus fuit, ſcripſitque: Conſtantio quoque ſcripſit: & Memorio Juliani patre familiariter uſum eſſe, non obſcure probat Juliani amicitia; reliqui vero præſules, ut carere maluerint ſuis ſedibus, quam Pelagii damnationem ſubſcribere; ita laudibus exornaverunt proculdubio, iiſque exaggeratis, famæ integrum.

Epiſtola ad Demetriadem, ſeu liber de inſtitutione virginis.

Liber iſte ſuppoſitus olim eſt Hieronymo.

Præfat. cant. cap. 5.

OPUS iſtud *de inſtitutione virginis* epiſtolam dixit Pelagius, librum Beda, utroque nomine Auguſtinus. Fuit vero ſuppoſitum Hieronymo, jam inde a temporibus Bedæ. Sic enim ſcribit: *Sed in libro, quem ad Demetriadem virginem Chriſti* DE INSTITUTIONE VIRGINIS *ſcripſit, hæc eadem de potentia liberi arbitrii, quomodo ſentiat, pandit. Quem videlicet librum nonnulli noſtrum ſtudioſe legentes, ſancti & catholici doctoris Hieronymi eſſe, temere arbitrabantur: minime pervidentes, quod & ſuavitas eloquentiæ demulcentis, & hæreſeos perverſitas ſeducentis, manifeſte probat, hoc illius opuſculum non eſſe.*

Suppoſitionis cauſa.

Suppoſitionis alia mihi non videtur quærenda cauſa, quam Hieronymi fatum quoddam, librariorumque inſcitia aut inertia, hæretica plura catholici doctoris operibus inſerentium. Hinc autem factum, ut ad nos uſque integra pervenerint, quæ, propter auctoris impietatem atque execrationem, peritura fuiſſent.

Suppoſitus etiam Auguſtino a credulis quibuſdam dicitur.

Credulitatis cauſa.

Suppoſitum quoque Auguſtino nonnulli putant; ego tamen ſentio relatum dumtaxat inter Auguſtini epiſtolas num. 142. Eam forte ob cauſam, quod in conſequente, ad Julianam Demetriadis matrem, ab Alipio atque Auguſtino ſcripta memoratur: unde oportuit, non prava incogitantia laboraſſe eos, qui quodcumque inter epiſtolas Auguſtini repeiſſent, continuo tribuerunt Auguſtino.

Tributus Juliano a Beda.

Loco mox citato.

Digreſſio de auctore collectaneorum in epiſtolas Pauli Bedæ tributorum.

Credit Baronius eſſe Petrum Abbatem Tripolitanum.

Divin. lect. c. 8.

Illud ipſum Beda Juliano tribuit, quod vehementer miror, ſiquidem legerit, vel epiſtolam 143. Auguſtini, vel librum *de gratia Chriſti*. Legiſſe vero oportet, ſi modo ſit auctor collectaneorum in epiſtolas Pauli, ex operibus ſancti Auguſtini, nam eo loci liber iſte non ſemel laudatur: quare vix non eo in ſententiam Baronii, abjudicantis hoc opus Bedæ, & tribuentis Petro Abbati Tripolitano, de quo Caſſiodorus. *Petrus Abbas Tripolitanæ provinciæ, ſancti Pauli epiſtolas exemplis opuſculorum ſancti Auguſtini ſubnotaſſe narratur, ut per os alienum ſui cordis declararet arcanum: quæ ita locis ſingulis competenter aptavit, ut hoc magis ſtudio beati Auguſtini credas eſſe perfectum. Mirum eſt enim ſic alterum ex altero dilucidaſſe, ut nulla verborum ſuorum adjectione permixta, deſiderium cordis proprii compleſſe videatur: qui vobis inter alios codices, divina gratia ſuffragante, de Africana parte mittendus eſt.*

Diſſentit Bellarminus.

Lib. de ſcript. eccleſ. ad ann.

Reclamat quidem Bellarminus adverſus Baronium; ſed quæ in contrarium adducit, non mihi videntur id ſatis efficere, quod intendit: profert enim ex indiculo operum Bedæ ab ipſomet confecto verba hæc: *In Apoſtolum quæcumque in opuſculis ſancti Auguſtini expoſita inveni, cuncta per ordinem tranſcribere curavi*, quibus ſe mendacem vir ſanctus, plagiariumque oſtendiſſet, ſin minus auctor eſſet operis, quo de agitur. Addit deinde, credibile non eſſe, Bedam in epiſtolas Pauli nihil ſcripſiſſe, cum totam Scripturam, cujus pars quædam eximia ſunt epiſtolæ Apoſtoli, expoſuiſſe ſe teſtatum voluerit: concludit tandem, nihil admodum eſſe, cur non diverſis temporibus, diverſiſque in locis, viri duo, eodem ſtudio, in Paulo ex Auguſtini ſcriptis explicando deſudaverint.

Cujus rationes ſolvuntur.

Verum, cum indiculum hunc producit, rem ſuam non admodum juvat: in eo quippe Beda non aliorum meminit operum, quam quæ ante annum ætatis ſuæ quinquageſimum nonum ediderit. Certum vero eſt, aliquem, quæ poſtea ſcripta ſunt, ſuppleviſſe: quare Beda neque mentitus dici poteſt, neque plagiarius, etſi auctor collectaneorum non ſit. Jam vero duos eodem ſtudio eodemque modo verſatos eſſe, in collectaneis ejuſdem modi elaborandis, minus profecto credibile apparebit audienti Caſſiodori teſtimonium, quam quod Petri opus repertum forte inter Bedæ libros, diſcipuli tribuerint magiſtro, ut totam ipſam ſcripturam ſacram expoſuiſſe jactarent. Quanquam vix intelligo quomodo Bellarminus ex indiculo, annalibus eccleſiaſticis inſerto, collegerit totam a Beda expoſitam eſſe Scripturam, quandoquidem in eo non fit mentio expoſitionis, ſive in Matthæum, ſive in Joannem: quæ tamen utraque, cum in editis Bedæ operibus reperiatur, a recentioribus hominibus addita videri poteſt. Et vero nullum forte eſt difficilius judicium de cujuſcumque auctoris operibus, quam Bedæ, cum plures ob cauſas, tum maxime ob duas, ſtyli varietatem, & genium ſæculi ætatem Bedæ mox conſecuti: hujus enim homines cum pauca noſſent illuſtrium ſcriptorum nomina, cuncta quæ repererunt ſine manifeſto auctore, ſoliti ſunt nobilibus illis ſibi notis, ſine delectu & ſine guſtu, tribuere. Aſſentietur mihi procul dubio, de varietate ſtyli quam dixi, quiſquis libros in Cantica, ſed præfationem maxime, contulerit cum libris aliis, qui revocari poſſent in dubium: hos enim, vel illos Bedæ continuo abjudicaverit, ſin minus ipſum velit de induſtria ſtylum diſſimulaſſe, quo lectoribus negotium illudendo faceret. Adde quod collectaneorum auctorem oportet, quod labor ipſe loquitur, in operibus Auguſtini verſatiſſimum fuiſſe, Bedam vero non admodum, ut qui de Juliano ſcripſerit, quæ Auguſtino pugnent, hunc nempe, & Epiſtolæ ad Demetriadem eſſe auctorem, & a Pelagio puerulum enutritum, tunc cum dialogos Hieronymus ſcriberet. At Pelagio epiſtolam pluribus in locis Auguſtinus tribuit, docetque tunc cum ſcriberet Hieronymus, Pelagium in Oriente verſatum fuiſſe, Julianum longe ante hæc tempora diaconum factum eſſe, atque in domo Memorii viri ſanctiſſimi habitaſſe. Sed de his hactenus.

Lib. 1. in Cantica.

In hoc libro Pelagius ſententiam dicit ambiguis verbis.

Lib. de grat. Chriſti. c. 39.

In libro *de inſtitutione virginis* Pelagius *ſub ambigua quadam generalitate vocum*, ita callide *quid ſentiret abſcondit, ut gratiæ vocabulo frangens invidiam, offenſionemque declinans, eam ipſam gratiam, de qua quæſtio erat, quaque adjuvamur ad aliquid agendum*, pene viſus ſit Auguſtino confiteri: nec fraus patuiſſet viro, alioquin tam perſpicaci, niſi aliis ex libris mens Pelagii ſe prodidiſſet.

Duo tantum dogmata reprehendit Auguſtinus.

Quare Auguſtinus duo tantum manifeſta flagitia dogmatum reprehendit. Alterum, quod *Dei faciendo voluntatem, divinam mereamur gratiam.* Alterum, *quod adjuvemur gratia Spiritus ſancti, non quia ſine illo, etiam per ſolam naturæ poſſibilitatem, non poſſumus reſiſtere tentatori, ſed ut facilius reſiſtamus.* Dogmata cætera non arguit quidem, ſed tamen habuit ſuſpecta, quippe quæ de gratia ſic loquantur, ut intelligi poſſint, *vel de natura, vel de remiſſione peccatorum, vel de revelatione doctrinæ.* Caſtigat nonnihil ſuperbe dictum, ut & quiddam inverecundum Oroſius: ſed Beda duodecim ſtatuit accuſationis ſuæ adverſus Julianum capita, quæ tu apud ipſum vide.

Epiſt. 143.

In Apolog. cap.

Duodecim Beda.

Loco mox citato.

Fecit

Cur inde nihil objectum ſit Pelagio, imo Pelagius ſe defenderit.

Fecit hæc vero ambigua ſcribendi forma, quam Pelagius in epiſtola adhibuit, non tantum ut Hieronymus nihil inde excerpi voluerit, quod Pelagio in judicio epiſcopali objiceretur: ſed etiam ut confidenter Pelagius librum huoc adduxerit in ſuæ fidei teſtem. Cum enim omnia commode explicari poſſent, propter ancipitem vocum intelligentiam, prudenter non debuit, vir alioqui pro bono habitus, dubii criminis reus peragi: neque potuit urgeri vehementer eo teſte, cujus & verba benignitas judicis in bonum ſenſum ſumeret, & fidem Demetriadis oomen augeret.

Nihil iſtius libri nunc exhibetur, quia integer reperitur poſt epiſtolas, ſive Hieronymi, ſive Auguſtini, ioter rejectanea.

Secunda Pelagii ad S. Auguſtinum epiſtola, ſeu chartula purgationis miſſa per Carum diaconum.

Chartulæ qua ſe Pelagius purgatum ſcribebat, meminit Auguſtinus. *Cap.* 32.

NEMO veterum, quod ſciam, meminit hujuſce chartulæ, præter Augnſtinum, cujus in libro *de geſtis Palæſtinis* ſunt hæc verba: *Eſt aliud, quod ſilere non debeo. In chartula defenſionis ſuæ, quam mihi per quemdam Carum, noſtrum Hipponenſem civem, Orientalem autem diaconum, miſit, fecit aliquid quod aliter ſe habeat quam geſtis epiſcopalibus continetur. Quod autem habent geſta longe melius eſt ac firmius, & omnino enodatius, pro catholica veritate, contra illius hæreſis peſtem: nam cum eamdem chartulam legerem, priuſquam ad nos geſta veniſſent, neſciebam ea ipſa verba poſuiſſe, quibus, cum ibi adeſſet, uſus eſt in judicio. Pauca enim & non multum aliter ſe habent, de quibus non nimis curo.*

Qualis & quam fraudulenta fuerit.

Sequenti vero capite oſtendit, quam callide confićta ſit geſtorum iſta Dioſpolitanorum breviario; duoque profert exempla, quibus Pelagius, modo detractis, modo additis ad geſta verbis, inſiouare voluit lectoribus credulis, ſuas ipſius ſenrentias defendi adhuc poſſe, quantumcumque Cæleſtianæ proſcriptæ eſſent. Locus dignus eſt qui legatur: prodit enim hæreticorum, poſtquam damnati ſunt, mendaces pariter ac ſuperbas artes, quibus imprudentiores facile illuduntur.

Epiſtola ad amicum quemdam presbyterum poſt ſynodum Dioſpolitanam.

Auguſtinus. *Lib. de geſt. Palæſt. c.* 30.

SOLUS pariter Auguſtinus epiſtolæ iſtius meminit in hæc verba: *Pervenit in manus noſtras nonnulla epiſtola, quæ ipſius Pelagii diceretur ſcribentis ad amicum ſuum quemdam presbyterum, qui eum literis, ſicut eadem epiſtola continetur, benigne admonuerat, ne per ejus occaſionem ſe aliquis a corpore Eccleſiæ ſepararet. Ibi inter cætera, quæ inſerere longum eſſet, nec opus eſt, ait Pelagius.* Quatuordecim Epiſcoporum ſententia definitio noſtra comprobata eſt, qua diximus poſſe homioem ſine peccato eſſe, & Dei mandata facile cuſtodire, ſi velit: quæ ſenteotia contradictiooiſos coofuſione perfudit, & omnem in malum conſpirantem ſocietatem ab invicem ſeparavit. *Sive ergo iſtam epiſtolam Pelagius vere ſcripſerit, ſive ſub ejus nomine a quocumque confićta ſit, quis non videat, quemadmodum hic error, & de judicio, ubi convictus atque damnatus eſt, tanquam de victoria glorietur? Sic enim poſuit hæc verba, quemadmodum leguntur in libro ejus, qui capitulorum vocatur, non quemadmodum objecta ſunt in judicio, vel ejus etiam reſponſione repetita. Nam & illi, qui objecerunt, neſcio qua incuria, minus poſuerunt verbum, de quo non parva eſt controverſia. Poſuerunt enim eum dixiſſe,* poſſe hominem, ſi velit, eſſe ſine peccato; *de facilitate nihil eſt dictum.* Et paulo poſt: *Ea tamen epiſtola carnalis ventoſitatis & elationis volat, & geſtorum tarditatem procuratam celeritate præcedens, in manus hominum prævolat, ut quatuordecim Epiſcopis orientalibus placuiſſe dicatur, non ſolum poſſe eſſe hominem ſine peccato, & Dei mandata cuſtodire, nec nominato Deo juvante, ſed tantum, ſi velit ut videlicet tacita, pro qua vehementiſſime pugnabatur, divina gratia, rejiet ut ſola in epiſtola legatur infelix, & ſe ipſam decipiens, velut victrix, humana ſuperbia.* Vide quæ de epiſtolis in provincias a factione Pelagiana miſſis obſervata ſunt diſſertatione tertia, ubi actum de cauſis, cur Pelagianiſmus uſque adeo pertinaciter eccleſiaſticæ regiæque poteſtati obſtiterit.

Jam vero epiſtolam ad amicum, & chartulam defenſionis ad Auguſtinum, a Pelagio miſſam eſſe, vel ante Oroſii profectionem ex Oriente, vel ſaltem tunc cum in Africam e Palæſtina rediret, obſcurum vix eſſe poteſt: nam ubi primum, poſt ſynodum Dioſpolitanam habitam, navigare licuit, utraque debuit contiouo mitti, partim, ut geſtorum, quæ conſulto retardabaotur inſtar eſſet breviatio: partim ut haberent factionis homines, unde Oroſio literiſque Gallicanorum epiſcoporum fidem detraherent, ſimulque animos timidis augerent, orientalium Epiſcoporum conſenſione toties promiſſa. Utraque igitur pertinet ad anni 416. vernam tempeſtatem, cum primum mare apertum eſt: ſic enim Oroſii in Africam adveotum, aut prævertit, aut comitata eſt. Atque hinc colligere licet, quod tradit Auguſtinus, epiſtolam ad amicum, & prolixam fuiſſe, ut factioſos erudiret de re tota; & ventoſæ vanitatis pleniſſimam, ut eſſet laureatus quidam victoriæ nuntius; & victricis ſuperbiæ impotentem jactantiam, ut haberet inſolens factio, unde in adverſarios quaſi domitos inſultaret.

Libellus fidei a Pelagio ad ſedem apoſtolicam miſſus.

Addendum ad ea quæ differt. 5. dicta ſunt.

DICTUM eſt de ipſo abunde diſſertatione præcedente: hoc unum addi poteſt, quod operarum præceps feſtinatio omiſit, poſt finem obſervationis ad hæc verba: NEC, UT QUIDAM SCELERATISSIME OPINANTUR, SPIRITUM SANCTUM FUISSE PRO SEMINE. [Quanquam Ambroſii eo poſſet torqueri a malevolo interprete dictum iſtud: *Non enim virilis coitus vulvæ virginalis ſecreta reſeravit, ſed immaculatum ſemen inviolabili utero Spiritus ſanctus ſe infudit.* Sic enim legendum, non ut eſt in vulgatis codicibus ſine vocula SE: ſit enim alluſio ad vocem angeli: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*, &c. Obſtare, fateor, qoominus Ambroſium ſpectaſſe dicatur Pelagius, videntur immenſæ laudes, quibus eum ornavit. ſed ea certe fuit Pelagianorum indoles, ut nemini, quem contrarium paterentur, convicium non fecerint, nominibus tamen modo tacitis, cum metuerent invidiam; modo expreſſis, cum impune id ſe poſſe opinarentur.]

Perſtrictus forte a Pelagio Ambroſius. *Lib.* 2. *in Luc. cap.* 2.

Et ſi alias laudatus.

Epiſtola ad Innocentium I. ſummum Pontificem.

Non minima parte continetur in libro *de grat. Chriſt. c.* 30. *& ſeqq.*

INTEGRA non habetur, ſed partem non minimam ſervavit Auguſtinus in libro *de gratia Chriſti*, unde excerpta eſt, additis tamen, ut epiſtolæ formam præferret, quibuſdam vocibus, alio charactere diſtinctis.

Lib. de grat. Chriſt. c. 30.

DUO ſunt, *Papa beatiſſime*, de quibus homines nos infamare conantur: unum, quod negemus parvulis baptiſmi ſacramentum, & abſque redemptione Chriſti aliquibus regna cælorum promittamus: aliud, quod ita dicamus poſſe hominem vitare peccatum, ut Dei excludamus auxilium; & in tantum libero confidamus arbitrio, ut gratiæ repudiemus adjutorium.

Hæc presbyter Hieronymus, qui mihi tanquam æmulo invidet; *hæc alter juvenis ex Africa ſubmiſſus ab inimicis; hæc Epiſcopi duo de ſuis ſedibus merito in Galliis ejecti, objicere non ceſſant, quamvis in epiſcopali judicio ſilere*

lere juſſiſſent, & ſancta ſynodus, nos communionis catholicæ eſſe, confeſſa ſit.

Ex c. 18. & 19. lib. de pecc. orig. Et vero nunquam ego, vel impium aliquem hæreticum audivi, qui hoc, quod propoſui de parvulis, diceret. Quis enim ita evangelicæ lectionis ignarus eſt, qui hoc affirmare conetur, imo qui vel leviter dicere aut ſentire etiam poſſit? Deinde quis tam impius, qui parvulos exortes regni cælorum eſſe velit, & non eos baptizari, & in Chriſto renaſci putet, cum aperte dicat Chriſtus: *Joan. 3. v. 5.* *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Quis ille tam impius eſt, qui cujuſlibet ætatis parvulo interdicat communem humani generis redemptionem, & in perpetuam certamque vitam renaſci nolit eum, qui natus ſit ad incertam?

Cap. 32. Ecce igitur ad beatitudinem tuam epiſtola iſta me purget, in qua pure atque ſimpliciter, ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino ſemper adjuvatur auxilio.

Conditum a Deo dicimus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, eique cum a Deo conderetur, ut laudabiliter vivere poſſet, datam *liberi arbitrii poteſtatem, id eſt, peccandi atque non peccandi poſſibilitatem*, quam liberi arbitrii poteſtatem dicimus, in omnibus eſſe generaliter, in Chriſtianis, Judæis, atque gentilibus. In omnibus eſt *quidem* liberum arbitrium æqualiter per naturam, ſed in ſolis Chriſtianis juvatur a gratia. In illis nudum & inerme eſt conditionis bonum: in his vero, qui ad Chriſtum pertinent, Chriſti munitur auxilio. Illi ideo judicandi atque damnandi ſunt, quia cum habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire poſſent, & Dei gratiam promereri, male utuntur libertate conceſſa: ii vero remunerandi ſunt, quia bene libero utentes arbitrio, merentur Domini gratiam, & ejus mandata cuſtodiunt.

Hæc fuit noſtra conſtanter ſententia, etiam priuſquam perſecutionem pateremur. Hanc ſi voluerint habere perſpectam vel ipſi noſtri inimici, legant libellum fidei noſtræ, quem ad veſtram beatitudinem mittimus, in quo & baptiſma unum tenemus, quod iiſdem ſacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus dicimus eſſe celebrandum: & liberum ſic confitemur arbitrium, ut dicamus, nos ſemper Dei indigere auxilio.

Legant pariter epiſtolam, quam ad ſanctum virum Paulinum epiſcopum, ante duodecim fere annos, ſcripſimus, quæ trecentis forte verſibus nihil aliud quam Dei gratiam & auxilium confitetur, noſque nihil omnino boni facere poſſe ſine Deo. Legant aliam ad ſanctum Conſtantium epiſcopum, ubi breviter quidem, ſed plane, libero hominis arbitrio Dei gratiam auxiliumque conjunximus.

Legant etiam, quam ad ſacram Chriſti virginem Demetriadem in Oriente conſcripſimus, & invenient nos ita hominis laudare naturam, ut Dei ſemper gratiæ addamus auxilium.

Legant etiam recens meum opuſculum, quod pro libero nuper arbitrio edere compulſi ſumus; & agnoſcent, quam inique nos negatione gratiæ infamare geſtierint, qui per totum pene ipſius textum operis, perfecte atque integre, & liberum arbitrium confitemur & gratiam.

De libero arbitrio libri quatuor.

OPERIS a Pelagio compoſiti de libero arbitrio meminerunt, apertiſſime. Pelagius ipſe. *In epiſt. ad S. Innoc.* *Legant etiam recens meum opuſculum, quod pro libero nuper arbitrio edere compulſi ſumus.* *Lib. de grat. Chriſt. c. 3.* Et Auguſtinus. *In libros quos edidi pro libero arbitrio, quorum mentionem facit in epiſtola quam Romam miſit*, &c. *Epiſt. 24. apud Auguſt.* Minus aperte Hieronymus ſcribens ad Alipium & Auguſtinum; atque Julianus in opere poſtremo adverſus Auguſtinum. *Op. imperf. l. 4. c. 72.*

Libris quatuor opus totum conſtitiſſe tradit Auguſtinus. *Quatuor ſunt libri operis hujus, & hos legi, & ex illis ſumpſi, quæ tractanda, & diſcutienda propoſui, & ut potius pertractavi antequam ad ejus has literas, quas Romam miſit, veniamus, ſed in his etiam quatuor libris*, &c.

Ex libro primo.

Lib. de grat. Chriſt. c. 18. HABEMUS autem poſſibilitatem utriuſque partis, a Deo inſitam, velut quamdam, ut ita dicam, radicem fructiferam, atque fœcundam, quæ ex voluntate hominis diverſa gignat, & pariat, & quæ poſſit, ad proprii cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel ſentibus horrere vitiorum.

Qui currit ad Deum, & a Deo ſe regi cupit, id eſt, voluntatem ſuam ex ejus voluntate ſuſpendit, qui ei adhærendo jugiter, *unus*, ſecundum Apoſtolum, *cum eo ſit ſpiritus*, *1 Cor. 6. v. 17.* non hoc, niſi de arbitrii efficit libertate. Qua qui bene utitur, ita ſe totum tradit Deo, omnemque ſuam mortificat voluntatem, ut cum Apoſtolo poſſit dicere: *Vivo autem, jam non ego, vivit autem in me Chriſtus*; *Gal. 2. v. 20.* ponitque cor ſuum in manu Dei, ut illud, quo voluerit Deus, ipſe declinet. *Prov. 21. v. 1.*

Lib. de pecc. orig. c. 13. Omne bonum aut malum, quo vel laudabiles, vel vituperabiles ſumus, non nobiſcum oritur, ſed agitur a nobis: capaces enim utriuſque rei, non pleni naſcimur, & ut ſine virtute, ita & ſine vitio procreamur: atque ante actionem propriæ voluntatis, id ſolum in homine eſt, quod Deus condidit.

Lib. de grat. Chriſt. c. 28. Cum autem tam forte, tamque firmum ad non peccandum, liberum in nobis habeamus arbitrium, quod generaliter naturæ humanæ creator inſeruit, rurſus pro ejus inæſtimabili benignitate quotidiano ipſius munimur auxilio, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius poſſint implere per gratiam.

Ex libro tertio.

Ibid. c. 19. NOS ſic tria iſta diſtinguimus, & certum velut in ordinem digeſta partimur. Pri- *Ibid. c. 4.*

mo

mo loco poſſe ſtatuimus, ſecundo velle, tertio eſſe. Poſſe in natura, velle in arbitrio, eſſe in affectu locamus Primum illud, id eſt, poſſe, ad Deum proprie pertinet, qui illud creaturæ ſuæ contulit: duo vero reliqua, hoc eſt, velle & eſſe, ad hominem referenda ſunt, quia de arbitrii fonte deſcendunt. Ergo in voluntate & opere bono laus hominis eſt, imo & hominis & Dei, qui ipſius voluntatis & operis poſſibilitatem dedit, quique ipſam poſſibilitatem gratiæ ſuæ adjuvat ſemper auxilio. Quod vero homo poteſt velle bonum atque perficere, ſolius Dei eſt; poteſt itaque illud unum eſſe, etiamſi duo iſta non fuerint, iſta vero ſine illo eſſe non poſſunt. Itaque liberum mihi eſt, nec voluntatem bonam habere, nec actionem, nullo autem modo poſſum non habere poſſibilitatem boni; ineſt mihi, etiamſi noluero, nec otium ſui aliquando in hoc natura recipit. Quem vobis ſenſum exempla aliqua faciant clariorem. Quod poſſumus videre oculis, noſtrum non eſt; quod vero bene aut male videmus, hoc noſtrum eſt. Et ut generaliter univerſa complectar; quod poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius eſt, qui hoc poſſe donavit, qui hoc poſſe adjuvat; quod vero bene, vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, noſtrum eſt, quia hæc omnia vertere etiam in malum poſſumus: unde, quod propter calumniam veſtram ſæpe repetendum eſt, cum dicimus hominem poſſe eſſe ſine peccato, & confeſſione poſſibilitatis acceptæ laudamus Deum, qui nobis hoc poſſe largitus eſt, nec eſt ibi ulla laudandi hominis occaſio, ubi ſolius Dei cauſa tractatur. Non enim de velle, nec de eſſe, ſed tantummodo de eo, quod poteſt eſſe, diſſeritur

Cap. 7. Hic nos imperitiſſimi hominum putant injuriam divinæ gratiæ facere, quia dicimus, eam ſine voluntate noſtra nequaquam in nobis perficere ſanctitatem: quaſi Deus gratiæ ſuæ aliquid imperaverit, & non illis quibus imperavit, etiam gratiæ ſuæ auxilium ſubminiſtret, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius poſſint implere per gratiam. Quam nos non, ut tu putas, in lege tantummodo, ſed & in Dei eſſe adjutorio confitemur. Adjuvat enim nos Deus per doctrinam & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat. Qui hæc dicit, gratiam tibi videtur negare? An & liberum Dei arbitrium, & Dei gratiam confitetur?

Ibid. c. 39. Hoc enim, quod tu de Apoſtolo intelligere cupis, omnes eccleſiaſtici viri in peccatoris, & ſub lege adhuc poſiti aſſerunt eum dixiſſe perſona, qui a nimia vitiorum conſuetudine, velut quadam teneretur neceſſitate peccandi, & quamvis bonum appeteret voluntate, uſu tamen præcipitaretur in malum. In perſona autem hominis unius deſignat populum ſub vetere adhuc lege peccantem, quem ab hoc conſuetudinis malo dicit liberandum eſſe per Chriſtum, qui credentibus ſibi, primo omnia per baptiſmum peccata dimittit, deinde imitatione ſui ad perfectam incitat ſanctitatem, & vitiorum conſuetudinem virtutum vincit exemplo.

Et quomodo ſtabit illud Apoſtoli: *Deus eſt enim, qui operatur in nobis & velle, & perficere?* Ibid. c. 10. Operatur in nobis velle, quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit: dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei torpentem ſuſcitat voluntatem: dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, ſuadet omne, quod bonum eſt.

Beatus Ambroſius Epiſcopus, in cujus præcipue libris Romana elucet fides, qui ſcriptorum inter Latinos flos quidam ſpecioſius enituit, cujus fidem, & puriſſimum in Scripturis ſenſum, ne inimicus quidem auſus eſt reprehendete. Cap. 43.

AUCTOREM hujus quadripartiti operis eſſe Pelagium, nemo, qui Auguſtinum, quique Juliani verba mox afferenda legerit, inficias ire poteſt: Anniano tamen videri poteſt Auguſtinus aliquando tribuiſſe, cum ſcriberet Hieronymo, nec Auguſtino diſſenſit Hieronymus, cum reſcriberet in hæc verba: *Quod autem quæritis, utrum reſcripſerim contra libros Anniani pſeudodiaconi Celedenſis, qui copioſiſſime paſcitur, ut alienæ blaſphemiæ verba frivola ſubminiſtret: ſciatis me ipſos libros in ſchedulis miſſos a ſancto fratre Euſebio presbytero ſuſcepiſſe, non ante multum temporis, & exinde vel ingruentibus morbis, vel dormitione ſanctæ & venerabilis filiæ noſtræ Euſtochii ita doluiſſe, ut propemodum contemnendos putarem. In eodem enim luto hæſitat, & exceptis verbis tinnulis, atque emendicatis, nihil aliud loquitur. Tamen multum egimus, ut dum epiſtolæ meæ reſpondere conatur, apertius ſe proderet, & blaſphemias ſuas omnibus patefaceret. Quidquid enim in illa miſerabili ſynodo Dioſpolitana dixiſſe ſe denegat, in hoc opere profitetur: nec grande eſt ineptiſſimis næniis reſpondere. Si autem Dominus vitam tribuerit, & notariorum habuerimus copiam, paucis lucubratiunculis reſpondebimus, non ut convincamus hæreſim jam emortuam, ſed ut imperitiam atque blaſphemiam ejus noſtris ſermonibus confutemus. Meliuſque hoc faceret ſanctitas veſtra, ne compellamur contra hæreticum noſtra laudare.* Epiſt. 24. apud Auguſt.

Credibile enim eſt, ſi tamen non certum, uno eodemque opere, epiſtolæ ad Cteſiphontem, ſimul & dialogis tribus reſponſum eſſe, quod Pelagii ſenſu, Aniani ſtylo compoſitum, utrique merito tribui potuit. Id autem, re attentius perpenſa, probabilius reor, quam quod *diſſert.* 1. validis quidem, ſed non inſolubilibus argumentis, confeciſſe mihi viſus ſum.

Et primo quidem, reſpondiſſe Pelagium epiſtolæ, tradit Hieronymus verbis mox prolatis. Reſpondiſſe quoque Pelagium tribus dialogis manifeſte Julianus ait, cum Auguſtinum ita conveniret: *Qua fiducia tu, cum Hieronymi ſcripta, quæ ſub nomine Attici & Critobuli mira, & ut talem virum decebat, venuſtate compoſuit, etiam quinti evangelii, quod a ſe tranſlatum dicit, teſtimonio utatur oſtendere, Chriſtum non ſolum naturale, ſed etiam voluntarium habuiſſe peccatum, propter quod ſe cognoverit Joannis baptiſmate diluendum. De alio etiam teſtimonio Joannis evangeliſtæ flagitium et aſſuit falſitatis: de quo opere tu in illa epiſtola, quam Alexandriam deſtinaſti, ita gloriaris, ut dicas, Pelagium ſcripturarum ab eo oppreſſum molibus, arbitrium liberum vindicare non poſſe.* VERUM ILLI OPERI A CATHOLICO VIRO, QUI PULSATUS FUERAT, OBVIATUM EST. Quis enim catholicus iſte vir pulſatus in dialogis? quis ſcripturarum molibus ab Hieronymo oppreſſus, niſi Pelagius? Lib. 4. op. imperf. c. 87.

Deinde, libris quatuor *de libero arbitrio*, quorum auctor Pelagius, reſponſionem ad dialogos contineri,

152

Digitized by Google

concluditur ex eo aperte, quod ait Julianus dialogis obviatum a Pelagio; nec Pelagius poſt dialogos editos, aliud quidquam ſcripſit, præter epiſtolas duas, aut tres, libellum fidei, & libros *de libero arbitrio.* Accedat quod celebris locus Apoſtoli *Rom.* 7. NON QUOD VOLO BONUM, &c. ab Hieronymo preſſus in dialogo 2. in libro 3. *de libero arbitrio*, magno molimine torquetur, ſi qua ratione ſolvi queat. Quid quod in eodem libro magnifice laudatur Ambroſius, ſitque mentio INIMICI, a quo fides Ambroſii reprehendi non potuit; maligne vero id factum, ad invidiam Hieronymi, quem omnes fere norant Ambroſio minus æquum. Adde quod in dialogis quæſtio περὶ ἀναμαρτησίας non tantum de POSSE, ſed etiam de ESSE moveri, dicitur; quod dictum magna vi oppugnatur in libris. Accedat quod toti ſunt dialogi in exponenda infirmitate liberi arbitrii, toti contra libri in extollendis ejuſdem viribus, ut merito poſſit utrumque opus inſcribi DE LIBERO ARBITRIO, quemadmodum inſcriptos aliquando dialogos videre me memini: atque inde reor a Gelaſio Papa Hieronymum dictum eſſe, diſputaſſe de libero arbitrio.

Jam vero uno eodemque opere, & epiſtolæ ad Cteſiphontem, & dialogis tribus reſponſum eſſe, manifeſtum fit ex eo, quod dialogi aliud nihil omnino ſint, quam epiſtolæ, quod promiſerat Hieronymus, prolixior quædam, confirmatiorque expoſitio: quodque adverſus epiſtolam ſcriptum nihil feratur, niſi poſt ſynodum Palæſtinam, quo tempore conſtat eſſe conditos libros, de quibus ſermo eſt.

Denique rationes, quæ videbantur valere in contrarium, ſuam habent commodam, ſive ſolutionem, ſive potius concordiam poſterioribus iſtis cogitationibus. Nam ſi libri quatuor *de libero arbitrio* Pelagio ſimul & Anniano tribuantur, diſpari tamen de cauſa, unus idemque non erit Pelagius ac Annianus, quod volebat Iprenſis Epiſcopus: & ſcriptor tamen vere dicetur *copioſiſſime paſci, ut alienæ blaſphemiæ verba ſubminiſtret*, quod tradit Hieronymus: & auctor in eodem luto verſari videbitur, ac pejus, quod & ait Hieronymus: & in his libris Pelagius profitebitur, quod in ſynodo damnaverat, quod oſtendit Auguſtinus: & noſtra loci Hieronymiani emendatio ſtabit: & quod res eſt, Auguſtinus, non tam reſpondit quatuor libris *de libero arbitrio*, quam ex iis decerpſit pauca, nec ſine laude Hieronymi, quæ ad rem ſuam facerent. Hæc cum certa ſint, aut admodum probabilia, oportet libros de libero arbitrio prius eſſe miſſos in Occidentem, quam in Oriente ederentur. Atque ita prius in Africam perveniſſe, inſcripto nomine Anniani, quam ex Occidente ad Hieronymum mitterentur. Relictos vero ſine reſponſione ab Hieronymo, propter ingraveſcentis ætatis moleſtias, & occupationes ſenem fere nonagenarium cum luctu obruentes.

CAPUT III.

Quæ ſcripſerit Cæleſtius Pelagii diſcipulus, & Juliani magiſter.

Lib. de ſcript. eccleſ. c. 44. GENNADIUS Cæleſtium inter eccleſiaſticos ſcriptores numerat, propter opuſcula tria ante hæreſim edita. *Cæleſtius*, inquit, *antequam ad Pelagium concurreret, imo adhuc adoleſcens, ſcripſit ad parentes ſuos de monaſterio epiſtolas, in modum libellorum, tres, omni Deum deſideranti neceſſarias. Moralis ſiquidem in eis dictio, ſui nihil ibi vitii poſtmodum prodita; ſed totum ad virtutis incitamentum tradit.*

Opuſculorum ejuſmodi nihil ſupereſt, niſi forte, vel ſub alieno nomine legantur, quod reor; vel non differant a libro quodam capitulorum, de quo mox.

Poſtquam adhæſit Pelagio, ſcripſit primum adverſus peccatum originale. Opus hoc, quod editum oportet circiter ann. 401. vel 402. Mercator, Vincentius Lirinenſis, & auctor Prædeſtinati indicant; ſed ipſius nihil ſupereſt, præterquam quod Pelagius ſuis expoſitionibus in epiſtolam ad Romanos inſeruit, quodque Auguſtinus in libro 3. *de pecc. merit.* &c. Mercator in Commonitorio, & auctor Prædeſtinati retulerunt, & nos exhibuimus *cap. præcedent.* Ex eodem libro decerptas puto ſententias ſex, Cæleſtio primum in judicio Carthaginenſi, Pelagio deinde in Dioſpolitano objectas, imo & ſeptimam qua diceret, Eccleſiam hic eſſe ſine macula & ruga: habent enim omnes magnam cum argumento libri cognationem; ſeptima vero fortaſſe malignius quiddam continebat, quod Donatiſtarum Carthagine adhuc potentium ſocietas ambiretur. Id perſpexiſſe Auguſtinus videri poteſt, cum ait: *Objectum eſt Pelagio, quod diceret, Eccleſiam hic eſſe ſine macula & ruga, unde etiam Donatiſtæ diuturnum nobiſcum habuerunt in noſtra collatione conflictum*, &c. Tum adhibet argumenta, quibus Donatiſtas convicerat. *Lib. de geſt. Palæſt. c. 12.*

Scripſit poſtea opus aliud multis capitulis diſtinctum, quo gratiam divinam videtur perinde ac priore peccatum originale, oppugnaſſe: inde decem iſta decerpta ſunt, quæ Pelagio objicerentur, tanquam ea diſcipulum magiſter docuiſſet.

Ex cap. 1. I. Quoniam plus facimus, quam in lege aut Evangelio juſſum eſt.

Ex cap. 3. II. Gratiam Dei & adjutorium non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege, ac doctrina.

III. Dei gratiam ſecundum merita noſtra dari, quaſi ſi peccatoribus illam Deus det, videatur eſſe iniquus. Propterea & ipſa gratia in mea voluntate poſita eſt, ſive dignus fierem, ſive indignus: ſi enim per gratiam omnia facimus, quando vincimur a peccato, non nos vincimur, ſed Dei gratia, quæ voluit nos adjuvare, & non potuit. Si gratia Dei eſt, quando vincimus peccata: ergo ipſe eſt in culpa, quando a peccato vincimur, quia omnino cuſtodire nos, aut non potuit, aut noluit. *Ex eodem cap.*

IV. Unumcumque hominem omnes virtutes habere poſſe & gratias. *Ex cap. 5.*

V. Filios Dei non poſſe vocari, niſi omnimodo abſque peccato fuerint affecti. *Ex cap. 6.*

VI. Oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem. *Ex cap. 7.*

VII. Non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indigeat auxilio, quoniam in propria voluntate habet unuſquiſque, aut facere aliquid, aut non facere. *Ex cap. 10.*

VIII. Ex eo quod ait Petrus, *divinæ nos eſſe conſortes naturæ*, conſequens eſſe, ut ita poſſit eſſe anima ſine peccato, quemadmodum Deus. nam quomodo quiſpiam illius rei conſortium ſuſcepit, a cujus ſtatu & virtute eſſe extraneus definitur? *Ex cap. 11.*

IX. Victoriam noſtram, non ex Dei eſſe adjutorio, ſed ex libero arbitrio, quoniam propria voluntate arma ſuſcepimus: ſicut e contrario noſtrum eſt, quando vincimur, quoniam armari propria voluntate contempſimus. *Ex cap. 12.*

X. Quoniam pœnitentibus venia non datur ſecundum gratiam, & miſericordiam Dei, ſed ſecundum merita & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerunt miſericordia. *Ex cap. 13.*

Ex eodem libro deſumpſit, quæ habet Hieronymus in epiſtola ad Cteſiphontem. *Unus diſcipulorum ejus, imo jam magiſter, & totius exercitus ductor, & contra Apoſtolum vas perditionis, per ſolœciſmorum, & non, ut ſui jactitant, ſyllogiſmorum ſpineta decurrens, ſic philoſophatur & diſputat*: Si nihil ago abſque Dei auxilio, & per ſingula opera, ejus eſt omne quod geſſero: ergo non ego qui laboro, ſed Dei in me coronabitur auxilium; fruſtraque dedit arbitrii libertatem, quam implere non poſſum, niſi ipſe me ſemper adjuverit: deſtruitur enim voluntas, quæ alterius

rius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit, niſi fecero, quod voluero. Ac per hoc aut utor ſemel poteſtate, quæ mihi data eſt, ut liberum ſervetur arbitrium; aut ſi alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me deſtruetur.

Et poſtea: *Audite, quæſo, audite ſacrilegum:* Si voluero curvare digitum, movere manum, ſedere, ſtare, ambulare, diſcurrere, ſputa jacere, duobus digitulis narium purgamenta decutere, relevare alvum, urinam digerere, ſemper mihi auxilium Dei neceſſarium erit.

Circa hæc omnia, ſive quæ ea geſtis Palæſtinis, ſive quæ ex epiſtola Hieronymi prolata ſunt, operæ pretium eſt obſervare. Primo, quæ retulit Hieronymus, ea pertinere ad tertium capitulum, quo Cæleſtius negat, gratia alia ad ſingulos actus opus eſſe, quam quæ in libero arbitrio, vel in lege ac doctrina poſita eſt. Deinde recte dictum vulgo Cæleſtium per ſyllogiſmorum ſpineta decurrere: in omnibus enim libris ratione ſcribendi ſyllogiſtica uſus eſt. Quæ Pelagius deprompſit ex libro contra peccati traducem, mera ſunt ratiocinia: *Si peccatum Adæ etiam non peccantibus nocuit, ergo Chriſti juſtitia non credentibus prodeſt*; & cætera alia conſequentia ſeptem. Liber definitionum, cui Auguſtinus librum de perfectione juſtitiæ oppoſuit, conſtat ſexdecim dumtaxat preſſis argumentationibus, Scripturæque teſtimoniis contentioſe prolatis. His autem in duobus operibus fuiſſe parem, atque eandem ſtyli formam, ea eo intelligitur, quod Auguſtinus auctorem definitionum ea ingenio deprehendit, quod in hoc Cæleſtii libro inſpexerit. Tertio, Cæleſtium de tota hæreſi ſcripſiſſe libros, de peccato ſcilicet originali, de gratia, & de impeccantia, ſed breves preſſoſque, ut factionem ſuam videatur quaſi parricidalibus quibuſdam pugionibus in ſinum Eccleſiæ armaſſe. Quarto, librum hunc adverſus gratiam editum eſſe, ante ſynodum Dioſpolitanam ann. 415. habitam: ante librum *de perfectione juſtitiæ*, ſcriptum forte ann. 410. ante epiſtolam Hieronymi ad Cteſiphontem miſſam ann. 413. imo ante judicium Carthaginenſe ann. 412. atque ipſam collationem cum Donatiſtis habitam ann. 411. delatus enim videtur a Pelagio in Orientem, ubi lectus ab Hieronymo. Editus ergo eſt, ut quam tardiſſime, quo tempore Cæleſtius cum Pelagio in Sicilia verſabatur, id eſt, ab ann. 408. ad 411. Quinto, verum eſſe quod ait Auguſtinus, Pelagium timidius, atque obſcurius, apertius Cæleſtium, audaciuſque de ſua hæreſi ſcripſiſſe: quid enim tribus præfatis libris, aut manifeſtius, aut impudentius? Sexto, antequam illum eccleſiaſticum inſtitueretur judicium, aut ipſo etiam quinti ſæculi initio, ſtatum hunc hæreſis Pelagianæ fuiſſe, ut ad tria capita revocaretur; utque vera gratia Chriſti agnoſceretur quidem ab hæreticis, ſed quæ daretur ex meritis, quæque homini non afferet opus, ſed utilis tantum.

Septimo denique, Pelagium, cum ipſi objectum eſſet tertium Cæleſtii capitulum, reſpondiſſe. *Hæc utrum*
Lib. de geſt. Palæſt. c. 14. *Cæleſtii ſint, ipſi viderint, qui dicunt Cæleſtii eſſe: ego vero nunquam ſic tenui, ſed anathematizo, qui ſic tenet.* Ad quæ verba Auguſtinus. *Ecce nec naturam liberi arbitrii, nec legem atque doctrinam vult intelligi gratiam, qua per actus ſingulos adjuvamur: quid ergo reſtat, niſi ut eam intelligat, quam dicit Apoſtolus ſubminiſtratione Spiritus ſancti*, &c. quibus verbis oſtendit veram gratiam, de qua quæſtio erat, videri agnitam a Pelagio. Quanquam in libro *de gratia Chriſti* mendacii Pelagium aut ſuſpectum facit, aut etiam convincit; ait enim:
Cap. 3. *Cum Pelagius epiſcopalibus geſtis, ſine ulla recuſatione damnaverit eos, qui dicunt, gratiam Dei & adjutorium noſtrum ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina, putabamus hac de re omnes tergiverſationes eſſe conſumptas: damnaverit etiam eos, qui docent gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari; tamen in libris, quos edidit pro libero arbitrio, nihil aliud ſentire monſtratur, quam id quod damnaſſe videbatur*, &c.

Liber definitionum.

AD ea, quæ diximus in obſervationibus ad librum Lib. de perfect. juſtitiæ.
Auguſtini *de perfectione juſtitiæ*, id adjungemus. De hoc Cæleſtii opuſculo ſcribit Auguſtinus ad Eutropium & Paulum Hiſpaniarum Epiſcopos. *Caritas veſtra petivit, ut definitionibus, quæ dicuntur Cæleſtii eſſe, reſpondeam. Sic enim prænotatatu eſt eadem chartula, quam dediſtis,* DEFINITIONES, UT DICITUR, CÆLESTII. *Quæ prænotatio credo, quod non illius, ſed eorum ſit, qui hoc attulerunt de Sicilia, ubi Cæleſtius non eſſe perhibetur. Ex illius hæc eſſe doctrina, vel etiam quorumdam ſectatorum ejus, & nos poſſumus arbitrari. Nam neque iſtæ breves definitiones, vel potius ratiocinationes, ab illius abhorrent ingenio, quod in opere alio inſpexi, cujus eum conſtat auctorem, & non fruſtra iſtos fratres, qui hæc attulerunt in Sicilia, exiſtimo audiſſe, quod ipſe docuerit iſta, vel ſcripſerit.*

Inde innoteſcit, quam epigraphem liber habuerit: unde venerit in Hiſpanias: a quibus in Africam ad Auguſtinum miſſus, qua ratione ab eodem Auguſtino agnitus eſſa Cæleſtii: & qua methodn refutatus, allatis ſcilicet ſingulis, ut erant in chartula, ratiocinationibus, & ad ſingulas ſubjunctis reſponſionibus. Argumentum manifeſtum eſt, cum totus ſit de impeccantia. Dividitur tresin partes, integer ſic ſe habet.

Definitiones Cæleſtii, ſeu ratiocinationes de impeccantia.

ANTE omnia interrogandus eſt, qui negat hominem ſine peccato eſſe poſſe, I.
quid ſit quodcumque peccatum: quod vitari poteſt, an quod vitari non poteſt? Si quod vitari non poteſt, peccatum non eſt; ſi quod vitari poteſt, poteſt homo ſine peccato eſſe, quod vitari poteſt Nulla enim ratio, vel juſtitia ſaltem, patitur dici peccatum, quod vitari nullo modo poteſt.

Iterum quærendum eſt: Peccatum voluntatis, II.
an neceſſitatis eſt? Si neceſſitatis eſt, peccatum non eſt; ſi voluntatis eſt, vitari poteſt.

Iterum quærendum eſt, quid ſit pecca- III.
tum. Naturale, an accidens? Si naturale, peccatum non eſt: ſi autem accidens eſt, & recedere poteſt; & quod recedere poteſt, vitari poteſt; & quod vitari poteſt, poteſt homo ſine eo eſſe,

Iterum quærendum eſt: Quid eſt peccatum? IV.
Actus, an res? Si res eſt, neceſſe eſt, ut auctorem habeat; & ſi auctorem habere dicitur, jam alter præter Deum rei alicujus auctor induci videbitur. At ſi hoc dici impium eſt, neceſſe eſt, peccatum omne actum eſſe, non rem. Si igitur actus eſt, imo quia vere actus eſt, vitari poteſt.

Iterum quærendum eſt, utrumne debeat V.
homo ſine peccato eſſe. Procul dubio debet: ſi debet, poteſt; ſi non poteſt, ergo nec debet. Et ſi non debet homo eſſe ſine peccato, debet ergo cum peccato eſſe; & jam peccatum non erit, ſi illud deberi conſtiterit. Aut ſi hoc etiam dici abſurdum eſt, confiteri neceſſe eſt, debere hominem ſine peccato eſſe; at conſtat eum non aliud debere, quam poteſt.

Digitized by Google

VI. Iterum quærendum eſt, utrum præceptum ſit homini ſine peccato eſſe? Aut enim non poteſt, & præceptum non eſt; aut quia præceptum eſt, poteſt. Nam cur præciperetur, quod fieri omnino non poſſet?

VII. Iterum quærendum eſt, an velit Deus hominem ſine peccato eſſe. Procul dubio vult, & procul dubio poteſt. Quis enim tam demens eſt, ut vel dubitet fieri poſſe, quod Deum velle non dubitat?

VIII. Iterum quærendum eſt: Quomodo vult Deus hominem eſſe, cum peccato, an ſine peccato? Procul dubio non vult eſſe cum peccato. Quanta enim impietas, ac blaſphemia ſit, cogitandum eſt, ut dicatur hominem poſſe eſſe cum peccato, quod Deus non vult; & negetur poſſe eſſe ſine peccato, quod Deus vult: quaſi aliquem ad hoc Deus creaverit, ut poſſit eſſe quod nolit, & non poſſit eſſe quod velit, & ut contra ſuam magis, quam ut ſecundum ſuam exiſteret voluntatem.

IX. Iterum quærendum eſt: Per quid efficitur homo cum peccato, per naturæ neceſſitatem, an per arbitrii libertatem? Si per naturæ neceſſitatem, culpa caret; ſi per arbitrii libertatem, quærendum eſt, a quo ipſam arbitrii libertatem acceperit. Procul dubio a Deo. Deus autem quod dedit, certe bonum eſſe negari omnino non poteſt. Qua igitur ratione bonum probatur, ſi magis ad malum, quam ad bonum pronum eſt? Magis autem ad malum, quam ad bonum pronum eſt, ſi homo per illud poteſt eſſe cum peccato, & non poteſt eſſe ſine peccato.

X. Si Deus bonum hominem fecit, & præterquam illum bonum fecit, bonum ei inſuper ut faceret, imperavit: quam impium, ut confiteamur hominem malum eſſe, quod nec factus eſt, nec ei præceptum eſt; & negemus, eum bonum poſſe eſſe, quod factus eſt, & quod ei, ut faceret, imperatum eſt.

XI. Iterum quærendum eſt: Quot modis conſtat omne peccatum? Duobus, niſi fallor, ſi aut illa fiant quæ prohibentur, aut illa non fiant, quæ jubentur. Tam certe omnia illa, quæ prohibita ſunt, vitari poſſunt, quam quæ præcepta ſunt, perfici. Nam fruſtra, aut juberetur, quod vel caveri, vel impleri non poſſit. Et quomodo negabimus poſſe eſſe hominem ſine peccato, cum confiteri neceſſe ſit, eum tam omnia illa, quæ vetantur, poſſe cavere, quam quæ imperantur, efficere?

XII. Iterum quærendum eſt: Quomodo non poteſt homo ſine peccato eſſe, voluntate an natura? Si natura, peccatum non eſt; ſi voluntate, perfacile poteſt voluntas voluntate mutari.

XIII. Iterum autem quærendum eſt: Si non poteſt homo ſine peccato eſſe, cujus culpa eſt, ipſiuſne hominis, an cujuſlibet alterius? Si ipſius hominis, quomodo culpa hominis eſt? ſi hoc non eſt, quod eſſe non poteſt.

XIV. Iterum quærendum eſt: Si natura hominis bona eſt, quod nullus negare, niſi Marcion, aut Manichæus, audebit, quomodo igitur bona eſt, ſi malo ei carere non eſt poſſibile? omne enim peccatum malum eſſe quis dubitet?

XV. Et hoc dicendum eſt: Certe juſtus eſt Deus, negari enim non poteſt; imputat autem Deus homini omne peccatum. Et hoc quoque confitendum puto, quia neque peccatum eſt, quidquid non imputabitur in peccatum; & ſi eſt aliquod peccatum, quod vitari non poſſit, quomodo juſtus Deus dicitur, ſi imputare cuiquam creditur, quod vitari non poſſit?

XVI. Quod ſi quis dixerit: Da mihi hominem ſine peccato; reſpondendum: Do tibi qui eſſe poſſit. Si pergat interrogare: Quis ille eſt? reſpondendum: Ipſe tu. Quod ſi dixerit: Ego eſſe non poſſum; reſpondendum eſt: Cujus culpa eſt? Quod ſi dixerit: Mea; dicendum eſt: Et quomodo tua eſt, ſi ipſe ſine peccato eſſe non potes? Quod ſi pergat dicere: Tu ipſe ſine peccato es, qui dicis hominem ſine peccato eſſe poſſe? reſpondendum, quod non ſim ſine peccato, cujus culpa eſt? Quod ſi dixerit: Tua eſt; reſpondendum eſt: Quomodo mea, ſi eſſe non poſſum?

Teſtimonia, quibus probatur, præceptum eſſe homini, ut abſque peccato ſit.

IN Deutrenomio: *Tu autem perfectus eris coram Domino Deo tuo.* Item illic: *Et non erit inconſummatus in filiis Iſraël.* Deut. 18. v. 13.

Item Salvator in Evangelio: *Eſtote perfecti, quia Pater veſter, qui in cælis eſt, perfectus eſt.* Matth. 5. v. 48.

Item Apoſtolus ad Corinthios ſecunda: *De cætero, fratres, gaudete, perfecti eſtote.* 2 Cor. 13. v. 11.

Item ad Coloſſenſes: *Corripientes omnem hominem, & docentes in omni ſapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto.* Coloſ. 1. v. 28.

Item ad Philippenſes: *Omnia facite ſine murmuratione & hæſitatione, ut ſitis irreprehenſibiles & ſimplices, ſicut filii Dei immaculati.* Philip. 2. v. 14. & 15.

Item ad Epheſios: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri* JESU CHRISTI, *qui benedixit nos in omni benedictione ſpiritali in cæleſtibus in* CHRISTO JESU, *ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus.* Epheſ. 1. v. 3. & 4.

Item ad Coloſſenſes: *Et vos cum eſſetis aliquando alienati & inimici ſenſu in operibus malis; nunc autem reconciliati in corpore carnis ejus, per mortem ejus, exhibete vos ſanctos & immaculatos & irreprehenſibiles.* Coloſ. 1. v. 21. & 22.

Item ad Epheſios: *Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ut ſit ſancta & immaculata.* Eph. 5. 27.

Item ad Corinthios prima: *Sobrii eſtote & juſti, & nolite peccare.* 1 Cor. 15. v. 34.

Et

1 Petr. 1. v. 13. Et in epiſtola ſancti Petri: *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrii, perfecti, ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, quaſi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ concupiſcentiis, ſed ſecundum eum, qui vocavit vos, ſanctum, ut ipſi ſancti in omni converſatione ſi-*
Levit. 11. v. 46. *tis, quia ſcriptum eſt*: Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum.

Pſ. 14. v. 1. & 2. Unde & beatus David dicit: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcit in monte ſancto tuo? qui ingreditur ſine*
Pſ. 17. v. 14. *macula, & operatur juſtitiam.* Et alibi: *Et*
Pſalm. 118. v. 1. *ero immaculatus cum eo.* Et alibi: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.*

Prov. 12. Item apud Salomonem: *Diligit Dominus ſancta corda; accepti ſunt autem illi omnes immaculati.*

Teſtimonia Scripturarum, quæ e diverſo ponenda ſunt iis, qui arbitrii libertatem, vel non peccandi poſſibilitatem, imperite exiſtimant, ſe Scripturarum auctoritate poſſe deſtruere.

OBJICERE ſolent, quod ſanctus Job dixe-
Job 16. juxta LXX. rit: *Quis mundus eſt a peccato? Nec inſans, cujus eſt unius diei vita ſuper ter-*
Job 14. juxta LXX. *ram.* Opponendum quod Job dixerit: *Juſtus enim vir & ſine querela, factus ſum in deri-*
Job 13. juxta LXX. *ſum.* &: *Ecce ipſe proximus ſum judicio meo,*
Ibid. c. 23. v. 11. *& ſcio quia juſtus inveniar.* &: *Vias enim ejus cuſtodivi, & non declinavi a mandatis*
Cap. 29. v. 14. *ejus, neque diſcedam.* &: *Juſtitia veſtitus eram, & circumdedi mihi judicium ſicut*
Cap. 27. v. 6. *chlamydem.* &c: *Non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea, & nihil iniquum erat in operibus meis, ſed munda oratio mea.*

Pſ. 115. v. 2. Iterum proponere ſolent: *Omnis homo mendax.* Quibus reſpondendum eſt, quod in Nu-
Num. 25. juxta LXX. meri libro ſcriptum eſt: *Homo verax.* Et de
Job 1. v. 1. ſancto Job legitur ita: *Erat vir habitans in regione Auſitide, nomine Job, verax, ſine crimine, juſtus, Dei cultor, abſtinens ſe ab omni re mala.* Item apud ipſum Job: *Et miraculum tenuit veracis hominis.* Item apud
Eccl. 15. v. 8. Salomonem de ſapientia: *Viri mendaces non erunt illius memores; viri autem veraces in-*
Apoc. 14. v. 5. *venientur in ea.* Item in Apocalypſi: *Et in ore ipſorum non eſt inventum mendacium, ſine macula enim ſunt.*

Pſ. 13. v. 3. Iterum iſtud proponunt: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Quibus reſpondendum eſt, quod ait ſanctus David:
Pſ. 36. v. 3. *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Et ſan-
Tob. 4. v. 13. ctus Tobias: *Noli timere, fili, pauperem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bona.*

Luc. 18. v. 19. Item dicunt, quod Salvator ait: *Quid me dicitis bonum? Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Reſpondendum, quod idem Dominus alibi ait:
Matth. 12. v. 35. *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert*
bona. Et iterum: *Qui ſolem ſuum oriri facit* Ibid. 5. v. 45.
ſuper bonos & malos. Et alibi ſcriptum: *Bona* Eccl. 39. v. 30.
bonis creata ſunt ab initio. Et iterum: *Qui* Prov. 2. v. 21.
ſunt boni, erunt habitatores terræ.

Item dicunt: *Quis gloriabitur caſtum ſe* Prov. 10. v. 9.
habere cor? Reſpondendum, quod Salvator ait in Evangelio: *Beati mundo corde, quo-* Matth. 5. v. 8.
niam ipſi Deum videbunt. Et quod David dicit: *Quis aſcendit in montem Domini, aut* Pſ. 23. v. 3.
quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus & mundo corde. Et alibi: *Benefac,* Pſ. 124. v. 4.
Domine, bonis & rectis corde. Item apud Salomonem: *Bona eſt ſubſtantia, cui pecca-* Eccl 13. v. 30.
tum non eſt in conſcientia. Item illic: *Averte* Ibid. 38. v. 10.
te a delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum. Item in epiſtola Joannis: *Si cor noſtrum nos non reprehendat, fi-* 1. Joan. 3. v. 20. & 22.
duciam habemus ad Deum, & quæcumque petierimus, accipiemus ab eo.

Item dicere ſolent: *Quia non eſt homo ju-* Eccl. 7. v. 21.
ſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Reſpondendum, quia Dominus de ſancto Job ait: *Numquid conſideraſti ſervum* Job. 1. v. 8.
meum Job? Non enim eſt ei ſimilis quiſquam in terris homo ſine querela, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni opere malo.

Item dicunt: *Quia non juſtificabitur in* Pſ. 142. v. 2.
conſpectu tuo omnis vivens. Quibus reſpondendum eſt, quod de ſancto Zacharia Evangeliſta teſtatur dicens: *Erant autem Za-* Luc. 1. v. 6.
charias & Elizabeth uxor ejus, juſti ambo in conſpectu Domini, & in omnibus mandatis incedentes, & juſtificationibus Domini ſine querela. Et beatus Apoſtolus ait: *Ut ſimus* Epheſ. 1. v. 4.
ſancti, & immaculati in conſpectu ejus.

Item dicunt: *Si dixerimus, quia pecca-* 1. Joan. 5.
tum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Reſpondendum eſt, quod idem ſanctus Joannes in eadem epiſtola dicit: *Hoc autem dico, fratres, ut non peccetis. Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum* 1. Joan. 3. v. 9.
non facit, quia ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare. Item illic: *Qui natus eſt* Ibid. 5. v. 18.
ex Deo, non peccat, quia generatio Dei conſervat eum, & malignus non tanget eum. Item illic, ubi de Salvatore ait: *Quoniam ille apparuit, ut peccata tolleret. Omnis qui in eo manet, non peccat. Omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.* Item illic: *Ca-* Ibid. 3. v. 2. & 3.
riſſimi, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit, quod erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt; & omnis qui habet ſpem hanc in eum, ſanctificat ſe, ſicuti & ipſe ſanctus eſt.

Item dicunt: *Non volentis, neque curren-* Rom. 9. v. 16.
tis, ſed miſerentis eſt Dei. Quibus reſpondendum eſt, quod idem Apoſtolus alibi de quodam ait: *Quod vult faciat.* Item ad Phi- 1. Cor. 7. v. 36.
lemonem de Oneſimo: *Quem ego volueram* Philem. v. 13. & 14.
apud me detinere, ut pro te mihi miniſtraret; ſed ſine conſilio tuo nihil volui facere, ut non quaſi ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium. Item in Deuteronomio: *Vitam &* Deut. 30. v. 15.
mortem dedit ante faciem tuam, bonum & malum, elige vitam, ut vivas. Item apud Eccl. 15. v. 14.

Salomonem: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui: adjecit ei præcepta & mandata; ſi voles, præcepta ſervabunt te, & in poſterum fidem placitam facere. Appoſui tibi aquam & ignem, ad quodvis porrige manum tuam. Ante hominem bonum & malum, vita & mors, paupertas & honeſtas a Domino Deo ſunt.*

Iſai. 1. v. 19. Item apud Iſaiam: *Et ſi volueritis, & audieritis, quæ bona ſunt terræ, manducabitis; ſi autem nolueritis, nec obaudieritis me, gladius vos comedet. Os enim Domini locutum eſt.*

Ad extremum, ſi quis dixerit: Poteſt fieri ut homo vel verbo non peccet? Reſpondendum eſt: Si vult Deus, poteſt; vult enim Deus, ergo poteſt.

Item ſi quis dixerit: Fieri poteſt, ut homo in cogitatione non delinquat? Reſpondendum eſt: Si vult Deus, poteſt; vult enim Deus, ergo poteſt.

Libellus fidei oblatus Zoſimo ſummo Pontifici.

DE hac confeſſione Cæleſtii dictum eſt abunde diſſertatione præcedente, addendum nihil occurrit.

Epiſtola ad clericos Romanos.

DIctum quoque de ipſa ibidem ſatis.

CAPUT IV.

Quæ ſcripſerit Julianus Eclanenſis Epiſcopus.

DE libris Juliani ita Gennadius. *Julianus Epiſcopus vir acris ingenii, in divinis ſcripturis doctus, Græca & Latina lingua ſcholaſticus, priuſquam impietatem Pelagii in ſe aperiret, clarus in doctoribus Eccleſiæ fuit: poſtea vero hæreſim Pelagii defendere viſus, ſcripſit adverſum Auguſtinum impugnatorem illius, libros quatuor, & iterum libros octo. Eſt etiam liber altercationis amborum partes ſuas defendentium.*

In eo facile aſſentior Gennadio, quod Julianum dicit virum acris ingenii, in ſacris ſcripturis doctum, & utriuſque linguæ peritum: nam acrimoniam ingenii opera, peritiam utriuſque linguæ verſio fidei Rufini Syri, & alia, tractandæ Scripturæ, aut torquendæ potius vim opus poſtremum oſtendit. Non perinde aſſentior in eo, quod ſubjungit, Julianum clarum extitiſſe in doctoribus Eccleſiæ, ſi doctoris nomine ſcriptorem intelligat. Nam qua ratione fugiſſent clari ſcriptoris opera diligentiam ac pene curioſitatem, ſiva Auguſtini, ſive Mercatoris? Quod ſi doctorem dicat, more illius ſæculi, eum qui populum in Eccleſia docebat, non repugnabo vehementer, cum nonnulla ſint apud Auguſtinum veſtigia, quæ in hanc ſententiam ducant. De libris adverſus Auguſtinum nemo diſſentit Gennadio, niſi quod altercatio amborum ab opere poſtremo diſtingui non debuit, ſi forte, quod opinor, indicare non voluerit, opus poſtremum, ſuis temporibus, aliquando per ſe ſolum habitum fuiſſe, aliquando ſubjunctis Auguſtini ad aliquot libros reſponſionibus.

Rufini presbyteri Palæſtinæ provinciæ liber de fide, tranſlatus de Græco in Latinum ſermonem.

JULIANUM hujus libri eſſe interpretem, oſtendimus non obſcure diſſertationa quinta, oſtendimus & quo fine, quove tempore id totum operæ præſtitum ſit. Conſulendus locus, ſimulque obſervandum, non ſine cauſa Gennadium ſcripſiſſe verba hæc: PRIUSQUAM HÆRESIM PELAGII IN SE APERIRET. Indicavit enim Julianum, antequam hæreſis Pelagii palam proderetur, eam in alio aperuiſſe, in Rufino ſcilicet, cujus confeſſionem Latinis legendam præbuiſſet. Hinc vero colliguntur duo: alterum, verſionem ejuſmodi edidiſſe Julianum, eum adhuc admodum juvenis foret: alterum, a Pelagianis eam erroris partem, quæ peccatum originale ſpectat, traditam fuiſſe primum, quaſi Orientalium fidem; imo tertium quoddam conjecto, Julianum Pelagii exhortationibus e vita conjugali ad arctiorem converſum eſſe, indeque, Memorio Juliani patre ſcribente, Auguſtinum de Pelagii laudibus reſciviſſe, quæ poſtmodum in libris ſuis retulit.

Epiſtola prima ad Zoſimum ſummum Pontificem.

DE ipſa diximus ſatis ſuperque, tum in notis ad cap. 6. & 9. *Subnotationum*, tum & in fine diſſertationis 1. ubi fragmenta collegimus huc & illuc ſparſa apud Mercatorem, qui ſolus mentionem fecit epiſtolæ, quam tamen pro ſua Julianus agnoſcit. Scripta vero eſt ann. 417. circiter autumnum; oſtendit autem, quis tunc *Lib. 1. op. imperf. c. 13. Locis annotatis.* ſtatus hæreſis extiterit, ut quæ contineretur propoſitionibus fere quinque, ſaltem, qua Cæleſtianam partem attineret.

Epiſtola, ſeu libellus fidei ad Zoſimum ſummum Pontificem miſſus nomine octodecim Epiſcoporum.

HUjus libelli meminit Mercator, imo & Julianus, ſed paulo obſcurius. Ipſum auctori ſuo aſſeruimus diſſertatione 5. integrumque edidimus cum notis, quibus nihil addendum occurrit: ſcriptum oſtendimus ann. 417.

Epiſtola ad Rufum Theſſalonicenſem nomine octodecim Epiſcoporum.

DE hac ipſa diximus in diſſertatione 5. ubi fragmenta libris tribus poſterioribus Auguſtini ad Bonifacium ſparſa, recollecta ſunt in formam epiſtolæ. Scripta eſt eodem anno, quo priores duæ, aut forte conſequentis initio. Suam agnovit Julianus: Auguſtinus libris tribus poſterioribus ad Bonifacium refellit.

Libri quatuor ad Turbantium Epiſcopum, adverſus librum primum Auguſtini de nuptiis & concupiſcentia.

HORUM quatuor librorum hiſtoriam contexuimus, cum recenſeretur liber ſecundus Auguſtini *de nuptiis & concupiſcentia*: quare duo tantum obſervanda reſtant; alterum de fragmentis, quæ apud Auguſtinum extant; alterum de libris, unde fragmenta extrahi debeant: & de fragmentis quidem certum eſt, magna quædam ex primo libro, parva ex reliquis tribus inveniri. Primum enim confutavit Auguſtinus libro ſuo ſecundo *de nuptiis*, relatis verbatim, quæcumque continebat chartula, ex hoc ipſo libro primo excerpta, & Valerio comiti oblata, atque per Alipium

Alipium Auguſtioo miſſa. qua ex chartula inſcriptionem librorum novimus: CONTRA EOS, QUI NUPTIAS DAMNANT, ET FRUCTUS EARUM DIABOLO ASSIGNANT. Habentur autem io tribus Auguſtini operibus fragmenta bujus operis; in libro ſecundo *de nuptiis*, quo excerptorum chartula refellitur; in libris ſex contra Julianum, quorum quatuor poſteriores ita pugnant quatuor Juliani libris, ut non tantum libri libris, ſed capita quoque capitibus reſpondeant; & in opere imperfecto, in quo pars, quæ Juliani, tota eſt in ſecundo Auguſtini libro *de nuptiis* impugnando. Abſtioemus vero ab exhibendis, quæ curioſe collegimus, partim quia occurrunt in libris, quos nemo non ſolet terere; partim ne appendix ſupra modum excreſcat; partim etiam quod ad conſequentem diſſertatiooem parum, aut fere nihil cooferant, cum ex primis tribus Pelagianæ ſectæ propugnatoribus abunde ſuppetant, quæ ad quæſtiones ſolvendas opus ſint.

Libri octo ad Florum Beneventanum, ut videtur, Epiſcopum, adverſus ſecundum librum Auguſtini de nuptiis & concupiſcentia.

DE hoc opere diximus pluribus ad præfationem Marii Mercatoris in librum Subnotationum, ubi oſtenſum, quo oomioe appellari debeat, contra Vigueri opinionem; quo tempore ſit compoſitum, ubi, & cujus ope, quando lectum Mercatori, &c. Quinque priores libri, aut etiam ſex iotegri habentur apud Auguſtinum in opere poſtremo, cui immortuus eſt. Oſtendunt vero manifeſte ſtatum Cæleſtianæ hæreſis ea tempeſtate; Cæleſtianæ, inquam: nam de gratia vix quidquam niſi obiter perſtringitur.

Liber de amore, ſive commentarius in Cantica Canticorum.

Lib. in Cantic. SOLUS Beda meminit iſtius operis, cujus duos facit libros, alterum *de amore*, alterum commentarium, ſi tamen uterque de amore non fuit, quem a fœdiſſima voluptate ſecernere Julianus niteretur, ſacri libri exemplo. In priore libro Beda quinque, aut ſex de innumeris arguit.

I. PER arbitrium liberæ voluntatis, poſſe nos bona facere quæ volumus, quamvis per auxilium gratiæ Dei facilius ea perficere queamus.

II. Clauſa legis ſacramenta ſolos intueri poſſe eos, quos oculatos, & eruditio reddidiſſet, & pietas.

III. Sanctum nobis ac generoſum amorem, ab ipſo lucis exordio, natura conciliante, inſitum, & ad ultimam uſque ſenectutem, ſolis viribus animi innixum, ſine ullo damno ſui perſiſtere vigoris.

IV. Amorem noſtrum, ſicut de corpore, quod ſit perturbatus, & rapidus; ita de animo trahere, quod ſit ſublimis atque continuus.

V. Eundem amorem, quamdiu nihil de gentilitatis voluntate deſiderat, quaſi ad ſolius animi moveri arbitrium; & in actibus ſuis habere jocunditatem, ut perturbationis immunem, ita etiam libertate gaudentem.

VI. Adjutorium ſancti Spiritus præcedentibus noſtris ſtudiis ac meritis dari, atque ad hoc dari, ut genus humanum arctius diligamus. *Sic enim aiebat*: Cum igitur ſapientis animus, qui voluptatem ſubjicit dignitati amoris, & incitat & ordinat appetitum, nunquam fines tranſit officii; ſed ad eam magnitudinem atque pulcritudinem ſtudiis procedit, ac meritis, ut generoſum ejus ignem gratia ſancti Spiritus incipiat ventilare: tunc fit illa caritas, quæ non propinquos ſolum, aut cives, ſed ipſum genus humanum gremio ſuo conatur amplecti.

In poſteriore libro.

AD hæc verba: *Meliora ſunt ubera tua vino.* aſſerebat namque, opiniones noſtras ad hos prorſus ſpumantium æſtus errorum ducere, ut calumniam verteremus in ipſum auctorem, & elevandi reatus gratia, quem crimina nimirum voluntatis inurebant, ipſam naturam corporis ſubdebamus infamiæ, incapaces bonitatis, & pienos iniquitatis in lucem iſtam nos venire jurando. Denique nullum fere ad juſtitiam, quid dico ratione, ſed ne ſacræ quidem legis inſtitutione, perduci. Depretiabat namque hæc opinio naturam carnis & ſanguinis. Sed poſtquam ſalutare myſterium, Dei & hominum mediator arripuit, ut conſummatiſſimæ virtutis daturus exemplum, naturam hominis mortalis aſſumeret, oſtendit omnia crimina morum fuiſſe, non ſeminum: denique voluntatibus ad meliora converſis, non ſolum legis, ſed etiam evangelica præcepta poſſe compleri. De ipſius namque ſuſceptione carnis, morum peccata damnavit: non naturam videlicet carnis, ſed opera commutando, ut juſtificatio legis, ſub exemplo ipſius, compleretur in nobis. Inducit loquentem defenſorem peccati originalis. Cantic. 1.

Ad hæc verba: *Collum tuum ſicut monilia.* Cum pulcra per naturam cervix gemmarum inſignitur ornatu, felicitatem procul dubio auget induſtria: & quaſi ſe digna conveniunt, honor videlicet monilium, & cervicum venuſtas; ſic ergo & in te, cujus generoſitatem doctrina componit, ut virtutes, quas natura inchoat, diſciplina conſummet.

Ad hæc item verba: *Apprehendam te, & inducam in domum matris meæ; ibi me docebis.* Jam in ipſa infantia, multa quæ diſcere debeamus, oſtendit. Primo, ipſum eſſe opificem univerſorum ex maſculi & feminæ conjunctione naſcentium, qui ſibi ſine miniſterio viri corpus ex virgine fabricaſſet. Deinde nullum peccatum eſſe homini congenitum, quandoquidem ille, & carnis veritate circumdatus, & maculæ immunis exſtiterit. Poſtremo originem noſtram non poſſe, niſi impie, diaboli operibus aſcribi, quæ Deo vero non ſolum conditore, ſed etiam habitatore congaudeat. Cantic 8.

OBSERVA Julianum elaboraſſe hoc opus occaſione ſui, ut ait Beda, duelli cum Auguſtino, id eſt, ut interpretor, poſt abſolutum primum opus quatuor librorum, imo & poſterius: obſerva enim, videri totam hanc elucubratiooem factam, imitatione

Theo-

Theodori Mopſueſteni, qui amatorie ſcripſit in Cantica, quod docent quintæ ſynodi excerpta.

Liber de conſtantiæ bono contra perfidiam Manichæi.

HÆc eſt conſtantia, quæ maxime aſſerit arbitrii poteſtatem ac bonum, iiſque naturæ, & humani animi motus liberos, dum oſtendit, omne mentis bonum voluntarium, nec ulli unquam caſui obnoxium.

Et paulo poſt: Ipſa enim armat ingenium cujuſque, & accendit animum, dum illum libertatis ſuæ ſemper admonet, dumque omnes ab eo repellit metus.

Et poſt multa: Etenim, ſi, ut præclare a doctiſſimis atque orthodoxis diſputatum eſt, nemini vere unquam noceri, niſi a ſeipſo, poteſt, nec eſt prorſus aliquid, quo quiſquam invitus fiat miſer; quid tandem virtus timebit, niſi defectum ſui, quo homini in æternum nocetur? Divinæ enim gratiæ eſt juvare & firmare conſtantiam, quæ cæteras poſſit cuſtodire virtutes, & contra omnia, quæ reſiſtunt, defendere vitia.

Et circa finem: Scandalum Manichæo eſt, eo quod commentitium Deum abnegantes, Dominum noſtrum, qui eſt verus, veremur offendere: quia naturam bonam, quia liberum hominis aſſerimus arbitrium.

MEMINIT ſolus Beda libri iſtius, quem oſtendimus alias, ſcriptum fuiſſe poſt Juliani expulſionem e ſua ſede.

CAPUT V.

Quæ ſcripſerit Annianus Celedenſis diaconus, Pelagii amanuenſis.

VIx quidquam addi poteſt ad ea, quæ in diſſertatione I. dicta ſunt de Anniano, Pelagii armigero, ut loquitur Oroſius. Scripſit omnia Pelagii, præter expoſitiones breves; ſcripſit & ſuo nomine duas epiſtolas, quas homiliis Chryſoſtomi, a ſe verſis in Latinum ſermonem, præpoſuit.

Epiſtola præfixa homiliis in Matthæum.

Domino vere ſancto, & beatiſſimo Orontio Epiſcopo, Annianus.

PIISSIMI patris affectum, & ſapientiſſimi artem magiſtri, in me pariter exerces: quem inter has, quas pro fidei vobiſcum amore perpetimur, tentationum procellas, & a mærore ſimul & a torpore ſubducis, animumque anxietate marcentem ad ſtudium Scripturarum remittis. Jubes enim, beatiſſime, ut commentarium ſancti Joannis Conſtantinopolitani Epiſcopi, quem in Matthæo Evangeliſta nonaginta & uno libro explicuit, in Latinam linguam, quo poſſim ſermone, transfundam. Quod utinam tam a nobis commode fieri poſſit, quam a te & opportune & utiliter imperatur. Quid enim vel ad prudentiam eruditius, vel ad exercitationem ignitius, vel ad dogma purgatius, noſtrorum auribus offeratur, quam præclara hæc tam inſignis animi ingeniique monumenta? Et hoc maxime tempore, quo, per occaſionem quarumdam nimis difficilium quæſtionum, ædificationi morum atque eccleſiaſticæ diſciplinæ ſatis inſolenter obſtrepitur: pro qua certe beatus Joannes, cum in aliis operibus, tum in hoc quoque, tantus fere, tamque alacer aſſurgit, ut Evangeliſtæ dicta interpretando, pro evangelica perfectione nobiſcum pugnare videatur. Quid enim ille magis hominibus inculcat, quam naturæ ſuæ nobilitatem, quæ adverſus Manichæi rabiem omnium recta ſapientium conſenſu conentuque laudatur? Laudatur autem, vel in admirabilis gloriam conditoris, vel ob concitanda ſtudia virtutis, vel ad caſtiganda vitia voluptatis. Quid, inquam, preſſius ille commendat, quam ingenitæ nobis a Deo libertatis decus, cujus confeſſio præcipuum inter nos gentileſque diſcrimen eſt, qui hominem ad imaginem Dei conditum tam infeliciter fati violentia, & peccandi putant neceſſitate devinctum, ut his etiam pecoribus invidere cogatur? Quid ille, adverſus eoſdem magiſtros, potius inſinuat, quam Dei eſſe poſſibilia mandata, & hominem totius, vel quæ jubetur, vel quæ ſuadetur a Deo, capacem eſſe virtutis? Quo quidem ſolo, & iniquitas ab imperante propellitur, & prævaricanti reatus efficitur. Jam vero iſte, eruditorum decus, cum de Dei gratia diſſerit, quanta illam ubertate, quanta etiam cautione concelebrat! Non enim eſt in alterutro, aut incautus aut nimius, ſed in uroque moderatus. Sic liberas oſtendit hominum voluntates, ut ad Dei tamen mandata facienda divinæ gratiæ neceſſarium ubique fateatur auxilium: ſic continuum divinæ gratiæ auxilium commendat, ut nec ſtudia voluntatis interimat. Cum autem in cunctis fere doctrinæ partibus, tum præcipue in exhortatione morali, atque in omnibus eccleſiaſticæ regulis diſciplinæ, ita noſtrorum concinit per univerſa ſententiis, ut eos pene, quos nunquam vidit omnino, ad omnem Scripturarum intelligentiam informaſſe credatur. Quanto enim exhortandi, id eſt, emendandi, vel etiam exornandi homines amore teneatur, hoc præcipue opere declarat: in quo cum ſuſceperit commendatoris officium, certam uniuſcujuſque libri partem expoſitione complens, reliqua amica ſibi, & quam perfectiſſima poteſt, exhortatione, producit. In ipſis quoque expoſitionum locis, quæ quidem plena ſunt acuminis,

ponderis, conſequentiæ, eruditionis, medullæ, nihil magis intendit aliud, quam ne, vel exigua, moralitatis puncta prætereat, quaſi qui omnino pene ſolus conſilium divinæ legis inſpexerit: quæ, cum innumeris ſit intexta cauſis, ad unum tamen finem omnia reducit, ut ſcilicet homines, quibus dara eſt, ad amorem Dei, ſtudiumque virtutis accendat. Quod vero iſtud non ad oſtentationem quamdam faciat, & fœtentem illam gloriæ vanitatem, cum tota & doctrinæ illius, & motum, qui etiam in ſcriptis ejus relucent, continentia, tum etiam vitæ finis ipſe teſtatur. Nempe omni ille ſermone, non ſolummodo emendat, ſed etiam armat, auditoris animum. Nempe tota ejus & principalis intentio eſt, non tam privatam iſtam, & inter proſperorum opaca latitantem honeſtatem docere, quam illam quotidie tanquam in acie dimicantem, & quæ abſque ullo diſpendio ſui, tribulationum, & cædatur imbribus, & uratur ardoribus, inſtituere virtutem. Hanc ipſam ita ille inſignis Eccleſiæ magiſter, & verus Chriſti diſcipulus implevit, ut illa omnia, quæ de aſſerenda etiam per mortem virtute diſſeruit, non tam aliis, quam ſibi omnino ſoli inculcaſſe videatur. Denique vitam illam omni ab adoleſcentia ſanctitate fulgentem, & in ſacerdotio mille inſignibus perfectionis ornatam, etiam paſſionibus pro juſtitiæ amore decoravit. Quod certe alicui, Eccleſiis in pace degentibus, provenire, ingentis animi proculque ab omni hominum gloria remotæ mentis, raræque omnino virtutis eſt. Quod autem in ſeptimo iſtius libro operis indicatur, adhuc Antiochiæ presbyter hæc, quibus illam tunc Eccleſiam ædificabat, ſcripta compoſuit. Ex quo magis magiſque perſpicitur illum non temeritate quadam, aut diſſonante a ſuis moribus libertate, in regali poſtea urbe pontificatum tenentem, nota illa & maxima adverſum ſe commoviſſe certamina; ſed ita ſe inſtituiſſe ſemper, tamque conſtanter, atque firmiter, contra omnes iniquorum catervas, pro veritatis ac juſtitiæ parte juraſſe, ut quamlibet adverſus eum, vel ſacerdotum nomina, vel regum arma concurrerent, depellere quidem illum ſacerdotali poſſent throno, nunquam tamen depellere poſſent veritate. Optimam itaque meditationem in occaſione rebus exequens, maluit Pontificis honorem confeſſoris dignitate cumulare, quam adulatoris fœditate corrumpere. Jam vero illud quaſi peculiare quoddam cuſtodit, ac proprium, unde a te præcipue pro ſimilitudine ſtudii poſſit adamari, quod ſcilicet ſemper ſollicitus, ſemper vigilans, ſemper noxiæ ſecuritatis, vel potius mortiferi ſtuporis inimicus, ubique utilitatem compunctionis, compunctus ipſe commendat. Quocirca forſitan ejus oratio nuſquam fere in pompam elevatur dicentis; ſed tota ad utilitatem aptatur audientis. Eſt enim ſtylus ipſe, quod quidem in ſuo opere magis animadverti poteſt, Eccleſiæ auribus accommodatiſſimus, priſcum illud, ſed eruditum dicendi genus exprimens; medius, æqualis, maturus, pudicus; alienus omni ab incuriæ culpa, pompaque luxuriæ; non ſquallidus quidem, nec tamen floridus; non impolitus, ſed neque nimia ſubtilitate limatus; non aſperitate horridus, nec tamen amænitate laſcivus; maximam ubique copiam, admirabilemque indicans facultatem, nuſquam tamen ambitionem loquendi: eo fit ut illum magis ſimplex lector intelligat, & laudet diſertus. Certe quod ab aliis quoque plurimis audire potuiſti, omnes jam eccleſiaſticæ Græcorum bibliothecæ, poſt tam varias veterum ſcriptorum, ſplendidaſque divitias, poſt tot inſignium magiſtrorum tam clara lumina, hujus præcipue voluminibus ornantur. Denique & ſancti Baſilii admirabilem illam curam loquendi, & Antiochi plauſibilem pompam, & ſublimem illum Gregorii cothurnum, facile intelligas hac Joannis medietate ſuperata. Ita enim ſtylum ſuum inviolata, ut diximus, facultate regnantem, Scripturarum ubique & ſapore imbuit, & tingit colore, ut illi quidem de apparatu eloquii remittere, iſte vero de majeſtate Scripturarum coruſcare videatur. Solæ ab eo forſitan adoleſcentulorum minus blande mulceantur aures, quibus in ludo poſitis literatum non tam placent ſolida quam picta, quique pulcra potius quam utilia ſectantur, nec tam agentia diligunt quam ſonantia, magiſque gaudent florum amænitate conſpergi, quam frugum ubertate nutriri. Hunc igitur ſi ſatis minorem ſe in Latino apparere feci, non tam mihi, domine venerabilis, quam tibi imputare debes, qui me ad eum transferendum tanto & auctoritatis imperio, & blandimento caritatis hortatus es, ut illi aliquid, imo vero plurimum, de honore dumtaxat ſtyli auferre mallem, quam crimen in te diutius recuſando committere. Sane pro qualicumque hac mea opera, ampliſſimum orationum tuarum munus repoſco, quo ſcilicet nos, ut exemplo, ita etiam precibus tuis juves, ut aliquid de illius viri virtute poſſimus imitari. Memor noſtri eſto ſemper in Chriſto, domine merito beatiſſime.

Epiſtola præfixa homiliis de laudibus Pauli.

Domino ſancto Evangelo presbytero Annianus ſalutem.

RECENTI experimento didici, quam ſint utilia obſequentibus imperia bonorum, qui rectiore quadam ingredientes benignitatis via, beneficia deferunt ſub ſpecie juſſionis. Quid enim mihi jucundius, quid fructuoſius imperare potuiſti, quam ut ex beati viri Joannis operibus in noſtram linguam aliqua transferrem, id eſt, ſeptem libellos ejus, quos ſuper Apoſtoli Pauli laudibus in Eccleſia aliquando diſſeruit? in quo mihi etſi in ſermone peregrino admodum rudi, plus evenit tamen voluptatis & commodi, quam laboris: ſecutum eſt enim, ut eum tibi dum vertere co-

nor e Græco, preſſius ipſe combiberem, pleniuſque tam inſignis doctrinæ veritate perfruerer, maxime cum ubique dives ingenium in materia locupletiore verſetur. Beatus enim hic Paulus exprimitur, non fucatæ alicujus laudis adumbratus coloribus, ſed inviolabili virtutum ſuarum veritate formatus. Quem tam integre ubique, tam ſolide, nunc ex magnitudine operum, nunc ex illuminatione dictorum, modo ex conſilio vario, modo ex diſpenſationum profundo, tum ex tolerantia paſſionum, tum ex claritate ſignorum eximius laudator aſſetuit, ut non depinxiſſe ſolum, verum quaſi ad præbendum rurſus perfectionis exemplum, quodam modo reſuſcitaſſe videatur. Nam cum ab aliis cæterorum merita laudantur, uſitatum quiddam ſolent atque exile reſonare, & velut in ſuperficie circumvagante ſermone, virtutes ipſæ nominibus magis ſuis ad commemorationem videntur venire, quam rebus. Beatus autem Joannes Paulum altius intuendo, dilucideque in medium proferendo, ipſas mihi videtur inſpexiſſe venas, ac medullas virtutum expreſſiſſe: quæ ita omnes in iſta laudatione vivunt, ita floribus ſuis decorantur & fructibus, ut eas prope non minus ab hoc tam ſublimiter explicatas, quam ab Apoſtolo fortaſſe miremur. quod quidem opus eo eſſe apud te amabilius debet & gratius, quod ſanctarum ſcripturarum luce rutilans, clariſſimi ſideris vice, noctem Manichæi erroris exagitat. Quantum enim nobis conſolationis exoritur, cum cernimus tam erudito, tamque illuſtri Orientis magiſtro eam, quam in nobis Traducianus oppugnat, aſtrui veritatem? quam certe beatus Joannes, ut in omnibus libris ſuis, ita hic quoque ab omni munitam latere cuſtodit, armat, accendit, ut videatur non tam præſentes informaſſe diſcipulos, quam nobis contra veræ fidei oppugnationem auxilia præparaſſe. Quantus enim ille adverſus neceſſitatem? Quantus pro libero ſurgit arbitrio? Quam noſtrorum libris ubique concinens, voluntatis jure ſervato, divinæ gratiæ præſidia commendat? Quam contra omnium vitiorum tenebras, quam pro cunctarum ſpeculo virtutum ſplendidiſſimum vas electionis opponit? Primo, beatum Paulum libello, & omnibus præferendo ſanctis, & angelis conferendo. Secundo, ex virtutibus ejus atque ſententiis bonum aſſerendo naturæ. Tertio, ejus caritatem præ cunctorum ſalute ferventiſſimam comprobando. Quarto, de vocatione ejus, & confirmata ubique ab ipſo Evangelii veritate dicendo. Quinto, de paſſionibus ejus & diſpenſationum varietatibus diſſerendo. Sexto, ſolvendo omnes illas quæſtiones, quibus Traducianus obnitens beatum Paulum vitiorum obfuſcatione commaculat, ut ſcilicet fidelibus ſuis apoſtolico exemplo peccata conciliet. Septimo, ignem zeli ejus in Chriſtum, & ante honorem quoque apoſtolatus, fervorem docendi ſupra cæteros efferendo, ut ſatis liquido clareat, extinctam eſſe peccandi neceſſitatem, quoniam adverſus Manichæos, & doctrina Apoſtoli deprælia tur & vita. Verum nos in tam egregii interpretatione operis, etſi nihil, ut puto, de ſenſuum veritate, non tamen parum de eloquii venuſtate perdidimus, ſplendorem tam nobilis ſtyli & elocutionum gratiam exprimere non valentes. Sed ne ſic quidem te iſtud imperaſſe pœniteat: neque enim verendum tibi eſt, ne forte aſperitate tranſlationis offenſus, lectionis hujus careas voluptate: cum quidquid nobis ex cultu defuit, ornatuque verborum, id totum illius quem tranſtulimus, magnifica inventa compenſent. Eſt enim ſanctus Joannes tam clarus totus ac fulgidus, ut facile poſſit ſententiarum ſuarum lumine, etiam inter noſtri ſermonis nubila, coruſcare.

Animadverte, lector, quanta ſit has inter epiſtolas, & librum *de inſtitutione virginis* ad Demetriadem, latinitatis, ſententiarum, figuræque dicendi, & vocum cognatio, ut idem utriuſque elucubrationis auctor aperte pateat, Annianus. Animadverte pariter, quo merito tum *diſſertatione* 2. tum recenſendo epiſtolam ad Demetriadem, dictus ſit Annianus Pelagii armiger, ut ait Oroſius, & veluti lingua, quod innuit Hieronymus.

DIS-

DISSERTATIO VII.

DE ORTU ET INCREMENTIS HÆRESIS QUÆ A PELAGIO NOMEN ACCEPIT.

Præfat. in lib. Subnotat. num. 4. & 9.

Ad hæc verba Marii Mercatoris: *Quinque capitula unam impiiſſimam, & nefandam generant ſententiam.* Et iſta: *Tota ſumma inepti, & magis impii Juliani laboris ad unam pravam redigi videtur ſententiam*, Adæ *videlicet* & Evæ tranſgreſſionem eos non feciſſe mortales, &c.

CAPUT I.

Quid in hac diſſertatione, & qua ratione præſtandum.

De quæſtionibus quinque Pelagianorum ab Hilario Monacho Syracuſano propoſitis S. Auguſtino. *Epiſt. 88. inter Auguſt.*

QUo tempore Hilarius monachus Syracuſis Auguſtinum conſuluit de quæſtionibus, quas in Sicilia Pelagius Cæleſtiuſque movebant, hæreſis conſiſtebat, aut conſtare potius credebatur Hilario, quinque his partibus: *Poſſe hominem eſſe ſine peccato, & mandata Dei facile cuſtodire, ſi velit. Infantem non baptizatum non poſſe perire merito, quoniam ſine peccato naſcitur. Divitem manentem in divitiis ſuis regnum Dei non poſſe ingredi, niſi omnia ſua vendiderit, nec prodeſſe eidem poſſe, ſi forte ex ipſis divitiis fecerit mandata. Non debere omnino jurari. Eccleſiam, quæ nunc eſt, non habere rugam, neque maculam, & ſine peccato eſſe poſſe.*

Revocatæ ſunt illæ ad duas præcipuas.

Poſtrema partium, ſi tamen fuit unica, facile ad primam revocata eſt: poſteriores duæ de divitibus & juramento, propter incredibilem ſuam ſive abſurditatem, ſive admirabilitatem, ut ab omnibus contemptæ, ita a ſuis deſertæ ſunt: reliquæ duæ ingens negotium catholicæ Eccleſiæ fecerunt, cum a ſuis auctoribus pertinaciter defenderentur, & mentibus parum eruditis eo facilius perſuaderentur, quo longius fides, qua creditur divinæ gratiæ neceſſitas, quaque peccatum originis, humanam intelligentiam ſuperat.

Quod docet Auguſtinus.

Duobus iſtis quaſi capitibus contineri totam hæreſim, quæ a Pelagio nomen accepit, docent quotquot quinti ſæculi ſcriptores eam attigerunt. Auguſtinus totam comprehendiſſe ſibi viſus eſt hac una ſententia: *Naturam hominum, neque in parvulis medico, quia ſana eſt; neque in majoribus, gratiæ adjutorio egere, quia ſibi ſufficiens eſt ad juſtitiam.*

Lib. de nat. & grat. c. 6.

Vincentius Lirinenſis. *In Commonit. cont. hær. c. 34.*

Vincentius Lirinenſis. *Quis unquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præſumpſit arbitrii, ut, ad hoc in bonis rebus per actus ſingulos adjuvandum, neceſſariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigioſum diſcipulum ejus Cæleſtium, reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum negavit aſtrictum?*

Patres Carthaginenſis provinciæ. *Epiſt. 90. inter Auguſtinianas.*

Patres Carthaginenſis concilii. *Generaliter quicumque dogmatizat & affirmat, humanam ſibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda ſufficere poſſe naturam, & eo modo gratiæ Dei, quæ ſanctorum evidentius orationibus declaratur, adverſarius invenitur: & quicunque negat parvulos per baptiſmum Chriſti a perditione liberari, & ſalutem percipere ſempiternam, anathema ſit.*

Epiſt. 92. inter Auguſtinianas.

Patres Milevitanæ provinciæ. *Hæc duo, quibus omnino totum, quod chriſtiani ſumus, nituntur evertere, quæ fidelia corda ſuſtinent. Non eſſe rogandum Deum, ut contra peccati malum, atque ad operandam juſtitiam ſit noſter adjutor. Et non opitulari parvulis ad conſequendam vitam æternam chriſtianæ gratiæ ſacramentum.*

Lib. de grat. Chriſt. c. 30.

Pelagius ipſe (verba ſunt Auguſtini) *ſcribens ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, dicit eſſe duo,* de quibus eum homines infamare conantur: unum, quod neget parvulis baptiſmi ſacramentum, & abſque redemptione Chriſti aliquibus regna cælorum promittat: aliud, quod ita dicat, poſſe hominem vitare peccatum, ut Dei excludat auxilium, & in tantum libero confidat arbitrio, ut gratiæ repudiet adjutorium.

Lib. 1. ad Bonif. cap. cap. 22.

Cæleſtius etiam, ad compendium ponens totam ſuam, ſive in catholicos calumniam, ſive in diſſimulanda hæreſi vaniloquentiam: *Gratiam Chriſti*, inquit, *omnibus neceſſariam, & majoribus, & parvulis confitemur, & eos, qui dicunt, de duobus baptizatis natum non debere baptizari, anathematizamus.*

Apud Auguſt. l. 3 contra Julian. c. 1.

Huc facit Juliani querela: *Si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum eſſe naſcentium conditorem dixerit, Pelagianus & Cæleſtianus vocabitur.*

Alteram alter hæreſis partem Pelagius Cæleſtiuſque tuebantur.

Utramque erroris partem Pelagius, Cæleſtiuſque tuebantur, non tamen, quod antea monuimus, pari ſtudio: ſuam enim habuit unuſquiſque veluti ſuſceptam, quam præ alia defenderet. Pelagius adverſus gratiam Dei, pro humana voluntate; Cæleſtius contra peccatum originale, pro natura pugnavit. Atque hinc factum, ut prout quiſque ſectariorum huic vel illi duci magis adhæreret, ita vel Cæleſtianus, vel Pelagianus diceretur.

Singulæ porro partes iſtæ in duas iterum diviſæ ſunt: nam prima, quæ Cæleſtiana, duas quæſtiones complectebatur, de mortalitate Adami, & peccato originali, cum ſuis unamquamque appendicibus; duas iterum poſterior, quæ Pelagiana, de gratia Dei auxiliante & præveniente, cum ſuis etiam adjunctis. Quæ vero videri poſſet quinta de impeccantia, vel, ut Græci dicunt, ἀναμαρτησία, pertinet ad gratiæ neceſſitatem, quod ubique paſſim non tam verbo, quam facto probat Auguſtinus.

De ſola per ſe Cæleſtiana nunc agendum.

Solius per ſe Cæleſtianæ hiſtoriam texere noſtri conſilii eſt, quandoquidem hanc unam attigit Mercator, cui adlaboramus, & ex ea propagata eſt Pelagiana, quod poſtea videbitur. Hiſtoriam vero viſum eſt, non alio modo narrare, quam quo phyſici ſolent, cum dicuntur arboris hiſtoriam ſcribere, cujus nempe referunt, & ſolum in quo naſcitur, & tempus cauſaſque naſcendi, & incrementi modum, & propagationem ramorumque ſilvoſam multitudinem: fuit enim hæc hæreſis veluti arbor quædam infeliciter felix, quæ obſcuro loco nata, & ignobili ſatore, fallentibus tamen incrementis, improboque cultorum labo-

Quæ ex tenui admodum radice prodigioſe crevit.

labore, in tantam ſobolis multitudinem excrevit, quantam prodigii inſtar eſt, ex una tenui radice provenisse.

Radix illa fuit quæſtio de mortalitate generis humani, & ejus origine.

Tenuis autem illa radix non alia fuit, quam quod ADAMUS SIVE PECCARET, SIVE NON PECCARET, FUISSET MORITURUS. Hinc enim nata eſt, quod docet Mercator, peccati originalis abnegatio, id eſt, ut ait Janſenius Iprenſis, *totius Pelagianiſmi origo*. Cum igitur Pelagianiſmus duabus quaſi negationibus contineatur, altera peccati originalis, altera neceſſitatis internæ gratiæ, ſive auxiliantis ad ſingulos actus pietatis, ſive prævenientis liberum arbitrium in negotio ſalutis; hunc ego, niſi fallor, manifeſte oſtendero ex ea, quam dixi, radice ortum eſſe, ſi certis veterum teſtimoniis confecero, primum hanc quæſtionem, AN ADAMUS CREATUS SIT MORTALIS, omnium primam extitiſſe: deinde ex ejus agitatione enatam aliam, de peccato & baptiſmo parvulorum: tum ex iſta tertiam, de imbecillitate naturæ ad opera pietatis, atque neceſſitate gratiæ divinæ ad ſingulos actus: denique ex tertia quartam, de gratia præveniente.

Verum, priuſquam hæc teſtimoniis veterum probentur, videtur ratio doctrinæ exigere, ut deſcribantur, quæ habet Mercator de quæſtionibus propoſitis, ne lector, fallente memoria, prohibeatur fructum capere, quantum debet maximum, ex hac diſſertatione.

Locus & auctor unde originem duxit.

Quæſtio contra catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, & præcipue in Cilicia a Theodoro quondam Epiſcopo oppidi Mopſueſteni, jamdudum mota, nunc uſque penes paucos eorum admodum occulte traditur, nec ea palam profertur; ſed ab ipſis, qui de ea cornicantur, velut catholicis, intra Eccleſias interim retinetur.

Biceps hæreſis.

PROGENITORES VIDELICET HUMANI GENERIS, ADAM ET EVAM, MORTALES A DEO CREATOS; NEC QUEMQUAM POSTERORUM SUI PRÆVARICATIONE TRANSGRESSI LÆSISSE, SED SIBI TANTUM NOCUISSE; SE MANDATI REOS APUD DEUM FECISSE, ALTERUM PENITUS NULLUM.

Romam a Rufino Syro temporibus Anaſtaſii Papæ advecta.
Et primum Pelagio Monacho tradita

Hanc ineptam, & non minus inimicam rectæ fidei quæſtionem, ſub ſanctæ recordationis Anaſtaſio Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifice, Rufinus quidam, natione Syrus, Romam primus invexit.

Et ut erat argutus, ſe quidem ab ejus invidia muniens per ſe proferre non auſus, Pelagium, gente Britannum, monachum tunc decepit, eumque ad prædictam apprime imbuit atque inſtituit impiam vanitatem, quique mox auſus in apoſtolum Paulum commentarios condere, cum ad illum locum notiſſimum ad Romanos veniſſet epiſtolæ, ubi ita continetur: Propterea ſicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, &c. *Ibidem eos tantum reos dixit, atque obnoxios illa prævaricatione teneri, qui hunc in prævaricandis Dei mandatis voluerint imitari; non omnes, que ex ejus ſunt per ſucceſſionum ſeriem ſemine generati: atque hinc latius de ſequentibus locis hujus epiſtolæ diſputat & pronuntiat,* nullum hominem prorſus per generationem læſum fuiſſe, nec lædi Adæ peccati tranſgreſſione, ſed imitatione, *inquit*, quia prior ille in genere humano peccavit, & illum reum & obnoxium fieri, qui hunc propria voluntate, non naſcendo, ſed peccando, fuerit imitatus.

Rom. 5. v. 12.

Tum Cæleſtio auditoriali ſcholaſtico.

Huic Pelagio adhæſit Cæleſtius nobilis natu quidem, & illius temporis auditorialis ſcholaſticus, ſed naturæ vitio eunuchus matris utero editus. Hic a Pelagio prædicto inſtructus, ſenſum iſtum impiiſſimum meracius imbibit, ac multos incredibili loquacitate amentiæ hujus ſuæ participes ac complices fecit, auſuſque palam publiceque his verborum ſententiis eumdem ſenſum paſſim diſſeminare per populos; id eſt,

A quo palam ſparſa.

Et comprehenſa quinque in ſpeciem ſententiis.

Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, fuiſſet moriturus.

Quoniam peccatum Adæ ipſum ſolum læſit, & non genus humanum.

Quoniam infantes, qui naſcuntur, in eo ſtatu ſunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem.

Quoniam neque per mortem Adæ omne genus hominum moritur, quia neque per reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgit.

Quoniam infantes, etiamſi non baptizentur, habent vitam æternam. *Quæ quinque capitula unam impiiſſimam & infandam generant ſententiam.*

Et aucta quibuſdam aliis propoſitionibus de viribus naturæ, &c.

Adjecit præterea, poſſe eſſe hominem ſine peccato, & facile Dei mandata ſervare.

Quia & ante Chriſti adventum fuerunt homines ſine peccato.

Et quoniam lex ſic mittit ad regnum cælorum, ſicut Evangelium.

Tandem a Juliano defenſa.

Hæc atque alia hujuſmodi ipſi etiam Juliano, & cæteris ejus commanipularibus placuere, quæ cum cognita atque detecta, eccleſiaſtica fuiſſent cum præfatis perſonis auctoritate damnata, librorum quoque numeroſitate ab eodem Juliano defenſa ſunt; placuitque ei cum Pelagio & Cæleſtio in damnatione tertium numerari.

Et damnata ab Eccleſia.

Nata eſt hæreſis in Cilicia ante Anaſtaſii Papæ tempora.

Ex hac Mercatoris narratione nonnulla, eaque nec pauca, nec parvi momenti, intelligere eſt; ſed priuſquam illa ſigillatim exponantur, operæ pretium eſt monere lectorem, ut animo paulo diligentius attendat, ad verba quibus Mercator hæreſis Cæleſtianæ duas tantum partes revera facit, alteram de mortalitate Adami, alteram de viribus humanæ naturæ, ad implenda mandata: ſex enim aliæ propoſitiones quas addit, eas procul dubio non vult fuiſſe capita erroris, ſed capitum dumtaxat probationes quaſdam, quatuor nimirum prioris, duas poſterioris ſententiæ. Id vero indicant non obſcure, credo, conjunctiones cauſales duæ, *quoniam* & *quia*, ſingulis propoſitionibus præfixæ. Illud ipſum porro animadvertere eſt in libro *de geſtis Palæſtinis*, ubi Pelagio objiciuntur, quæ Cæleſtio dudum Paulinus Diaconus in concilio Carthaginenſi oppoſuerat. Eædem enim conjunctiones adhibentur iiſdem propoſitionibus, ut non caſu id contigiſſe putandum ſit in alterutro loco, ſed conſilio, ad ſignificandum, quatuor ex prima ſententia, duas e ſecunda quæſtiones ortas eſſe, dum, ut fit, ad confirmandam ſententiam in controverſia poſitam, ea proferrentur, quæ propter reciprocos contradictionis æſtus in quæſtionem novam evaderent.

Lib. de geſt. Palæſt. c. 11.

Jam vero ex iis quæ Mercator narrat, perſpicuum eſt, ante Anaſtaſii Papæ tempora hæreſim Cæleſtianam Mopſueſtiæ in Cilicia ſecunda, auctore Theodoro, natam eſſe. Rufinus enim, qui jamdudum a Theodoro edoctus fuerat, Romam venit ann. 399. qui fuit ſecundus Anaſtaſii.

Diſſert. 1.

Imo jam inde ab ann. 390.

Imo credibile eſt, tunc primum ortam, cum Theodorus ſedere cœpit Mopſueſtiæ, id eſt, ano. 390. ſiquidem vel acceptam a Diodoro Tarſenſi, quem habuit magiſtrum, vel a ſe fabricatam, factus ipſe poſtmodum Eccleſiæ magiſter, aliis ſtatim, ut eſt impotens novandi libido, tradere voluit.

Illuſtratur teſtimonio Mercatoris Joannes Maxentius.
a Confeſſione. Cæleſtius.
Apud Aug. lib. de pecc. orig. c. 3. Auguſtinus.
Epiſt. 157. ad Optatum. Photius.
Cod. 54.

Quod ſi certum eſt, ut eſt procul dubio, quod Mercator refert, conſtat vere de Theodoro Mopſueſteno ſcriptum a Joanne Maxentio, *impugnatores peccati originalis Cæleſtii, Pelagiique & Theodori fuiſſe diſcipulos.* Vere pariter Cæleſtium de Rufino presbytero, coram Aurelio aſſeruiſſe, ſe, cum Romæ eſſet, ex ipſo didiciſſe, *quod tradux peccati non eſſet.* Vere etiam ab Auguſtino Pelagium Cæleſtiumque dictos erroris, quo gratia puſillis magniſque per Chriſtum collata impugnatur, *vel auctores extitiſſe, vel certe acerrimos notiſſimoſque ſuaſores.* Vere denique Photium ſcripſiſſe, *hæreſim Cæleſtianam in Oriente primum viguiſſe, tum inde in Occidentem propagatam.* Quæ omnia minus aperta prius fuerunt.

Illuſtratus alter Auguſtini locus obſcurior.
Lib. de pecc. orig. cap. 22.

Atque hinc lucem accipit Auguſtini locus alter, paulo alioquin obſcurior: cum enim ſermonem feciſſet de Pelagio atque Cæleſtio, propter negatum peccatum originale, damnatis, pergit in hæc verba: *Qui hujus perverſitatis auctores vel perhibentur, vel etiam probantur; vel certe ſi auctores non ſunt, ſed hoc ab aliis didicerunt: aſſertores non tamen atque doctores, per quod id latius reptaret & creſceret, & verbis, & literis ſuis, & competentibus indiciis, & fama ex his omnibus ſurgente & crebreſcente, jactantur.*

Depulſa popularis opinio.

Hinc etiam depellitur popularis opinio, de Rufino Aquilegienſi presbytero, quaſi auctor fuerit hæreſis Cæleſtianæ circa peccatum originale. Hanc opinionem, perio-

Digitized by Google

Notatus Janſenius Iprenſis. *Lib. 1. de hær. Pelag. c. 12.*

perinde ac novi alii hiſtoriæ Pelagianæ ſcriptores, Janſenius Iprenſis non uno in loco defendit, immemor utique a nemine veterum Rufino Aquilegienſi objectum fuiſſe, quod peccati traducem negaret; objiciendum procul dubio ab Hieronymo, ſi modo ita ſe res habuiſſet: immemor quoque Pammachium Rufino non minus infenſum fuiſſe, quam Hieronymo addictum, nec ei præhuiſſe hoſpitii receptum, quem ejiciendum ex Eccleſia a ſummo Pontifice curavit. Sed hæc alias dicta ſunt pluribus.

Diſſert. 1.

Mercatori fides fit ab auctoribus quos illuſtrat. *Cod. 177.*

Auguſtinus porro, Joannes Maxentius, & Photius, quam accipiunt a Mercatore auctoritatem, hanc ipſi, conſentientibus ſuis teſtimoniis, rependunt. Photius præſertim, cum narrat a ſe lectos quinque libros, quibus Theodorus Mopſueſtenus inſequebatur eos, qui homines natura peccare dicebant, ideoque baptiſmo parvulos ablui. Utriuſque teſtimonia propriis verbis relata ſunt in notis, partim ad præfationem Subnotationum, partim ad excerpta Mercatoris ex libris Theodori Mopſueſteni adverſus S. Auguſtinum peccati originalis defenſorem. Verum obſerva, lector, quomodo totam hancce hæreſim Mercator, ut & alii antea laudati, ad duo capita revocaverit: quodque illis primum fuit de peccato originali, dixerunt, quia vulgo ita jactabatur; ipſe, quod fuit viri hac in quæſtione imprimis verſati, ad ſuum uſque fontem reducto rivulo, de mortalitate hominis dixerit.

Obſerva etiam; ex recenſione errorum Cæleſtii, cujuſmodi a Mercatore facta eſt, corrigi debere, quod eſt in geſtis Palæſtinis, ubi referuntur, quæ ex Cæleſtii doctrina objecta ſunt Pelagio: nulla enim facta mentione erroris de viribus liberi arbitrii, quæ ſubjiciuntur ipſi probationes duæ, temere permiſcentur aliis, ſicque unius erroris quinque rationes proferuntur hunc in modum: *Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet. Quoniam peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum. Quoniam lex ſic mittat ad regnum, quemadmodum Evangelium. Quoniam ante adventum Chriſti fuerint homines ſine peccato. Quoniam infantes nuper nati in illo ſtatu ſint, in quo Adam ante prævaricationem. Quoniam neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgat.* *Lib. de geſt. Palæſt. c. 11.*

Obſerva denique diſſertationis noſtræ duas debere eſſe partes præcipuas, priorem de dogmate, quomodo ex tenui radice prodigioſe excreverit in tantam ramorum multitudinem; alteram de primo dogmatis auctore, quomodo ſententia Mercatoris de Theodoro Mopſueſteno conciliari poſſit cum opinione ſcriptorum hiſtoriæ Pelagianæ. Illi enim Hieronymum ſecuti, Caſſianumque, & poetam qui epitaphium hæreſi Neſtorianæ poſuit, alios longe plures, atque etiam antiquiores, ut Paulum Samoſatenum, Origenem, Photinum, Jovinianum, &c. commemorant.

CAPUT II.

Qua ratione ex uno errore reliqui tres principales originem duxerint.

OSTENDIMUS capite præcedente, quatuor fuiſſe præcipua dogmata hæreſis Pelagianæ. Originem omnium ex uno deſcripſit ingenioſe Proſper, dum ſingula, ſua velut naſcendi conditione, diſpoſuit.

Carm. de Ingrat. c. 3. Primus error.

Dogma, quod antiquus ſatiatum felle draconis,
Peſtifero vomuit coluber ſermone Britannus.
Hac primos homines cretos ditione ferebat,
Ut ſeu præſcriptum mandatum tranſgrederentur,
Sive inculpati ſervata lege manerent,
Mortem iſtam prorſus, qua carnem vita relinquit,
Oppeterent: quæ non peccato parta, ſed ipſo
Inſtituente Deo comes eſſet fixa creatis.

Secundus.

Progenitos igitur nullum traxiſſe reatum
De patribus: neque diſſimiles nunc naſcier illo
Ortu primorum, qui libertate male uſi
Peccarunt, forma nocui, non ſemine, proli.

Tertius.

Poſſe autem inſontes omnes virtutis in arce
Vitam agere, & menti ingenitum ſervare decorem,
Arbitrio quoniam ſubſiſtat recta volentis
Naturalis bonos, lexque inſita cordibus intus
Hoc moneat, quod ſcripta foris: cui gratia Chriſti
Addita, perfugium lapſis generaliter in ſe
Condiderit, ſacro ſi vellent fonte novari.
Ut ſponte attractum venia ſolvente reatum,
Sponte ſua in vires proprias natura rediret.
Quoque per errores eſſet ſpoliata vigore,
Hunc ſervare ſemel poſſet purgata receptum.
Tam dives vero hoc donum baptiſmatis eſſe,
Et tam multa homini conferri fœdere in iſto,
Ut parvis etiam, vitioque carentibus omnis
Congruat, ut qui ſunt geniti bene, ſint meliores,
Naturæque bonum adjecto illuſtretur honore.

Quartus.

Nullum autem ex cunctis exortem muneris hujus,
Judicio genitum eſſe Dei, ſed quemque mereri
Libertate ſua, ut capiat promiſſa vocantis,
Quæ ſint averſis indebita, debita rectis.

Qua vero ratione id quod aſſerit Proſper, re ipſa contigit, manifeſtum forte ex his evadet.

Prima & antiquiſſima quæſtio, unde malum. *Aug. libris de lib. arbitrio. & alibi paſſim.*

Omnibus fere temporibus quæſitum eſt, unde malum, ſive animi, quod peccatum eſt; ſive corporis, quæ mors, id eſt, animi a corpore ſolutio. Oriri peccatum a natura, Manichæi; a voluntate humana, catholici ſenſerunt.

Secunda & jam Pelagianorum naſcentium propria, unde mors. *In excerptis apud Mercat. & in 5. ſynodo. Aug. lib. 1. de peccator. merit. cap. 2.*

Quæſitum deinceps, unde mors, ſeu neceſſitas moriendi communis hominum: utrum a natura, cujus conditor Deus; utrum a peccato, cujus parens voluntas. Theodorus Mopſueſtenus a natura ortam voluit, catholici a peccato: quamobrem, quæſtione ad primum hominem traducta, Theodorus dixit *Adam mortalem ita factum, ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet*; catholici contra, *factum ita, ut niſi peccaſſet, moriturus omnino non fuiſſet.*

Tertia quæſtio, an moriantur infantes propter peccatum.

Afferebat Theodorus, communem eſſe omnibus moriendi neceſſitatem, nec tamen eſſe commune peccatum, ſiquidem parvuli ſæpe, vel in ipſis matrum uteris, innocentes moriantur. Exceperunt catholici, iſtos quoque paucorum dierum homines peccato primi parentis teneri, nec proinde naſci tam innocentes, quam primus homo conditus eſt. Exceperunt quoque naturam humanam, immortalitate quidem creationis initio donatam, ſed hac ipſa, in Adami peccatoris morte, privatam, in Chriſti reſurrectione iterum donandam.

Quarta quæſtio, an ſit aliquod peccatum originale. *Apud Mercat. in præf. Subnotationum.*

Ad hæc Theodorus, primos parentes neminem ſua tranſgreſſione læſiſſe, ſed ſolos ſe feciſſe reos; infantes tam innocentes gigni a parentibus, quam creatus a Deo primus homo eſt; Adamum, cum crearetur, non plus innocentiæ habuiſſe, quam infantes, qui carent omni peccandi poſſibilitate; neque per mortem Adæ omne genus hominum mori, cum neque per reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgat, ſed ſoli pii; neque infantes, ſi fato fungantur ante baptiſmum perceptum, privari æterna vita.

Apud Mercat. excerpto 4. ex libris quinque Theodori adverſus S. Auguſtinum.

Cauſantibus catholicis, primum hominis peccatum in poſteros origine traduci, eoſque idcirco dici natura filios iræ paternæ; parvulos pœnæ mortis obnoxios naſci, quia ſunt participes paternæ culpæ: tum in apertam hæreſim a Theodori ſectariis itum eſt, jactantibus ſcili-

ſcilicet, Eccleſiæ traditionem de originali peccato, vel ad Manichæi inſaniam naturam dicentis malam; vel ad Origenis ſomnia de προϋπάρξει. & peccato animorum ante incorporationem; vel ad Tertulliani errorem de traduce animorum, pertinere. Hinc tres ortæ quæſtiones. An Manichæi forent qui peccatum originale defendunt. An animæ quotidie creentur a Deo, vel ante incorporationem extiterint. An animarum perinde ac corporum tradux eſſet. Sed quæſtiones illæ ex accidenti motæ ſunt. Illa per ſe.

Tres quæſtiunculæ incidentes.

Quinta quæſtio, cur baptizentur infantes.

Nam cur, aiebant catholici, baptizantur infantes, ſi maculam non habent? Cur in remiſſionem peccatorum, ſi modo innocentes? Ut ex bonis, reſpondebant hæretici, meliores fiant: ut adoptentur filii hominum in filios Dei: ut regni cælorum hæredes ſint. Neque enim, ſi ante baptiſmom fato ſuo defungantur, vita æterna cariturii ſunt, ſed tantum regno Dei: quia licet ſint innocuæ quædam Dei imagines, ideoque propter immortalitatem animorum, vitam æternam habere debeant; fidei tamen ſacramento non ſunt inſtituti cohæredes Chriſti, cujuſmodi ſolis Patri complacuit dare regnum.

Tunc una quæſtio in plures multiplicata eſt, ſed omnes paulatim coaluerunt in unicam, *an poſteri Adami naſcantur filii iræ*, vel, ut aiebant, *an ſit tradux peccati*. Affirmabant catholici, negabant hæretici; ambæ partes, quaſi pro ſumma rei, tota contentione animorum, tota, qua poterant, argumentorum vi pugnarunt. Argumentorum vero incredibilis copia infinitas quoque peperit quæſtiones, verſis, ut fit, in altercandi materiem reſpondentium dictis.

Sexta quæſtio, an libido ſit naturale bonum, an peccato inductum malum.

Duo potiſſimum urgebant hæretici: alterum, admitti non poſſe traducem peccati ſine condemnatione nuptiarum; alterum, etſi poſſet maxime, non debere tamen, propter conſequentem ex ea infinitam abſurditatem, imo & blaſphemiarum multitudinem.

Catholici continuo diſtinxerunt uſum nuptiarum a libidine, ſeu concupiſcentia; illum ut a Deo eſt, ita honeſtum eſſe, ac naturalem filiorum originem; iſtam, ut a peccato extitit, ita vitioſam, & peccati traducem. Hæretici contra, libidinem, ſeu conjugum voluptatem, ut dicebant, non tantum honeſtam atque laudabilem, ſed opus Dei, cujus nullum opus non perfectum ſit, nullum ſit erubeſcendum: atque hic ſextus hæreſis ramus, *libidinem eſſe bonum naturale.*

Septima quæſtio, unde ignorantia recti, & difficultas boni.

Catholici ad confirmandam fidem peccati originalis, præter auctoritatem Scripturæ, traditionem Patrum, communem Eccleſiæ ſenſum, & baptiſmi ritus, eo præſertim argumento utebantur, quod natura in nobis non exiſtat ejuſdem modi, cujus in Adamo fuit ante peccatum, vitii expers, recta, proclivis in bonum, imago Dei integra, opuſque ſuo dignum artifice; imo quod ignorantia veri, recti difficultas, cæcitas mentis, voluntatis infirmitas, ſervitus ſub poteſtate diaboli, aliaque talia imaginem Dei quaſi decolorent, & corruptam demonſtrent: cum tamen ipſam aliud nihil corrumpere potuerit, præter peccatum, quod vel in naturam quodammodo verſum fuerit, vel certe naſcendi conditione propagetur.

Hic iterum in manifeſtam hæreſim erupit pertinax hæreticorum ſuperbia: auſa eſt ſcilicet aſſerere, Adamum non alia conditione creatum, quam nunc procreemur, cum idem ſit utrorumque, ſive ex limo creator, ſive ex ſeminibus procreator; ignorantiam veri, & difficultatem recti eſſe primordia naturæ, nec tamen ideo culpandum auctorem, cum utraque poſſit corrigi, imo penitus tolli rationis ope: inſitam quippe mentibus hominum eſſe legem a natura, quam qui impleverit, purus ſit omnis ſceleris, vitæque integer & ἀναμάρτητος; neminem vero non poſſe legem hanc facile ſervare, ſi velit.

Pelag. in c. 11. Rom. num. 37.

Octava quæſtio, de neceſſitate auxilii divini ad vincendas tentationes, & implendam legem.

Inſtabant catholici, ad tentationes vincendas, ad implendam legem, ad perficiendam juſtitiam, gratia Dei opus eſſe, id totius Scripturæ teſtimonio, id orationibus Eccleſiæ, id omnium fidelium conſenſione comprobari. Ad hæc tergiverſari hæretici, utque verbo declinarent invidiam, fateri nihil horum præſtari ſine Dei adjutorio, & eo quidem, quod ad ſingulos actus opus eſſet; ſed adjutorium a natura, lege, & doctrina non differre: ſiquidem ad operandum bene, tria dumtaxat opus ſint, poteſtas, regula, impetus; poteſtatem inſita libertas arbitrii, regulam doctrina, impetum det voluntas, quippe nata ſequi rationem, cui connata eſt.

Nona quæſtio, cur Chriſtus venerit.

Urgentibus catholicis, gratiam hujuſmodi non eam eſſe, propter quam promerendam venit Chriſtus; qua Spiritus ſanctus operatur in nobis velle, & perficere; quam adverſus tentationes ſanctus quilibet, exemplo Pauli, gemitibus implorat; quam poſtulamus, docente Chriſto, cum dicimus: *Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo.*

Exceperunt ad ſingula hæretici. Primum: *Veniſſe Chriſtum, ut univerſum mundum a peccatis, & exemplo revocaret, & patiendo redimeret; dum peccatum, & quaſi Deus ignoſcendo auferret, & quaſi homo per naturæ ſimilitudinem, quemadmodum de cætero vinci poſſet, oſtenderet.* Deinde: *Spiritum ſanctum operari in nobis, velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit; dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem; dum nobis ſuadet omne quod bonum eſt.* Tum: *Deum nos laborantes juvare per doctrinam & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit; dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat; dum diaboli pandit inſidias; dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat.* Denique: *Rogare nos Deum, cum dicimus: Ne nos inferas in tentationem, ne aliquid mali patiamur, quod non habemus in poteſtate; ne ruam de equo, & ne frangam pedem; ne latro me interficiat, & quid ejuſmodi: hæc enim non habeo in poteſtate; nam vincere tentationes peccatorum meorum, ſi volo, poſſum, nec Dei adjutorio poſſum.*

Jul. in libel. fidei 1. part. num. 7.

Pel. apud Aug. l. de gr. Chriſti cap. 10.

Ibid. c. 8.

Ex tom. 2 Ep. 87. nc. 288.

Decima quæſtio, de neceſſitate auxilii divini interni.

Vehementius adhuc prementibus catholicis, gratiam, quæ jactaretur ab hæreticis, non eam eſſe, quæ voluntatem accenderet, ſed quæ tantum illuminaret mentem; non quæ diffunderetur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, ſed quæ forinſecus hæreret; non qua agantur filii Dei, ut ſancte agant, ſed qua tantum agendi modus oſtendatur. Obruti divinæ ſcripturæ teſtimoniorum pondere & numero Pelagiani, hanc quoque gratiam tandem aliquando confeſſi ſunt; ſed eam dari noluerunt, niſi pro meritis, ne Deus ſit acceptor perſonarum; & dari tantum, ut facilius promptiuſque id agatur, quod alioqui tamen, ſed ægrius, præſtaretur. Ita reſpondit olim ipſemet Pelagius, cum adhuc Romæ verſaretur, id eſt, ante ann. 408.

Undecima quæſtio, an gratia Chriſti ſit ſola remiſſio peccatorum.

Reclamantibus catholicis, propter Chriſtum hominibus a Deo tribui gratiam aliquam plane miſericorditer, id eſt, nullis precedentibus meritis; hæretici hanc gratiam voluerunt eſſe remiſſionem peccatorum, ſed ſimul oppoſitas in partes diſceſſerunt, affirmante Pelagio, *peccata gratis propter Chriſtum remitti*; negante Cæleſtio, *dari veniam ſecundum gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundum meritum & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordia.*

Aug. l. de grat. & lib. arbit. c. 13.

In cap. 1 ad Epheſ.

Lib. de geſt. Palæſt. c. 21.

Duodecima quæſtio, de gratia præveniente.

Inſtantibus catholicis, admitti debere gratiam, qua non tantum peccata dimittantur, ſed qua fiat, ne peccetur, imo ut recte agatur, imo quæ præveniat voluntates, eaſque & præparet, ut poſſint, & agat, ut non fruſtra poſſint; reſtiterunt hæretici pertinaciter, quaſi gratiæ hujuſce confeſſione tolleretur ab homine liberum arbitrium, Deo tribueretur iniquitas, omnia bona fato fierent: atque hic acriter pugnatum eſt, de gratia præveniente, ejuſque vi, & concordia cum libero arbitrio, deque ipſius cauſa, quæ prædeſtinatio æterna Dei.

Atque hi errores aliique plurimi, quos percenſere longum ſit, ex primo nati ſunt, tanquam luxuriantes rami ex ſtirpe: non omnes quidem ſponte, ſed prout varius diſputationum æſtus coegit; nullus tamen, quod notatione digniſſimum eſt, non extitit eo tempore, quo necdum, vel in Africa, de Cæleſtio; vel in Oriente, de Pelagio; vel Romæ, de utroque judi-

Digitized by Google

Refellitur popularis opinio.

Judicium ullum habitum fuerat; ſed quo, vel Romæ, *ſermonibus contentionibuſque*; vel in Sicilia, *ratiocinationibus garruliſque colloquiis*, Pelagius Cæleſtiuſque rem ſuam promovebant. Quod cum certa temporis ratione conſtet, demonſtrat, opinor, manifeſte, falli eos, qui cum ſe libris Auguſtini impalluiſſe prædicent, invito nihilominus Auguſtino ſcribunt, a Juliano, poſt condemnationem hæreſis a Zoſimo factam, excogitatum commentum illud poſtremum de gratia, vel ex meritis data, vel ad facilius tantummodo præſtanda pietatis opera. Verum id poſtea manifeſtum fiet indubitatis argumentis.

CAPUT III.

Quæſtio de mortalitate Adami, prima Pelagianarum omnium, & agitata eſt a diſputantibus, & recenſita a ſcriptoribus quinti ſæculi, & a catholicis ejuſdem ævi refutata; habuit vero proprias appendices undecim.

Quam antiqua quæſtio de mortalitate primi hominis.

QUÆSTIO de morte hominis, an orta ſit a natura, cujus conditor Deus; an a peccato, quod ab hominis voluntate naſcitur, jam inde a temporibus, longe Theodori ætate prioribus, mota eſt; ut eam nullus fere veterum Geneſis interpretum omiſerit, præſertim cum ageretur de pelliceis veſtibus, quas Deus primis hominibus poſt peccatum induiſſe traditur: quibus mortale corpus ſignificari, plures rati ſunt. Dum hæc tamen quæſtio verſaretur, credebat nemo, cum periculo fidei alterutram partem defendi, modo ne corpus mortale diceretur datum homini pro carcere, in quo lueret priſtinas noxas.

Gen. 3. v. 21.

Primus ipſius ſtatus.

Porro autem tunc temporis communiter omnes opinabantur, homini corpus factum eſſe ex diſſolubilibus partibus, promiſſam tamen immortalitatem a conditore Deo; ſed ea lege, ne tanto beneficio indignum ſe præſtaret: qua lege violata, cum promiſſo excidiſſet, continuo mortalem extitiſſe.

Secundus ſtatus.

Verum mox diſputatum eſt, an mors pro pœna reo inflicta ſit, an miſero data pro beneficio. Multi pro beneficio collatam putabant, multi pro pœna; ſed erat adhuc innocens contentio, quamquam poſita velut in lubrico: nam eorum, qui mortem defendebant eſſe pœnam, hanc alii ſingulorum peccantium propriam aiebant, ut, quod mirabile erat, nullus moreretur, niſi merito peccati ſui. Alii contra, communem omnium, quippe quæ orta eſſet ex communis parentis culpa. Sed iſti, prout de peccato primi hominis ſentire voluerunt, ita rurſum duas in opiniones ſciſſi ſunt; quibuſdam pœnam ſolam, aliis culpam quoque, ad poſteros ab Adamo tranſmiſſam defendentibus: atque hinc hæreſis ortum habuit, eaque veluti biformis; quibuſdam nihil ab Adamo traductum, ne pœnam quidem volentibus; quibuſdam pœnam ſine culpa, utrique enim peccatum originale abnegarunt. Sed primus error Pelagianorum proprius fuit, ſecundus manſit diu apud eos, etiam qui ſe Pelagianorum hoſtes profiterentur. Verum priuſquam hæc veterum teſtimoniis probentur, operæ pretium eſt advertiſſe, de peccato originali, qua notione vox iſta quinto ſæculo communiter ſumi cœpit, noſtriſque temporibus accipitur, nonniſi inclinante ſæculo quarto diſputatum eſſe: prius enim invidioſa erat, ſaltem in Oriente, vel ipſa peccati originalis appellatio, perinde quaſi Origenis errorem ſaperet de præexiſtentia animorum, eorumque in corpora præcipitatione, ad luenda anteactæ vitæ peccata. quæ cauſa fuit oppugnatoribus catholici dogmatis, cur in Origenem προϋπάρξεως defenſorem tam vehementer efferrentur.

Sed jam tempus eſt teſtimoniis veterum probare, quæſtionem de cauſa mortalitatis humanæ priſtinis illis temporibus motam eſſe, itumque tres in præcipuas ſententias, Adamum ſcilicet factum eſſe, vel immortalem reipſa, poteſtate mortalem; vel reipſa mortalem, poteſtate immortalem; vel neutrius modi reipſa, utriuſque poteſtate, prout nempe merito ſuum ſtatum, aut faceret, aut mutaret.

Theophilus Antiochenus ann. 180. Lib. 2. ad Autolyc.

Theophilus Antiochenus (fuit is Antiochenæ Eccleſiæ ſeptimus poſt Petrum Epiſcopus.) *Dicat aliquis: Mortaliſne creatus eſt homo? Nequaquam. Quid igitur? Num immortalis? Ne hoc quidem: nam a primordio ſuæ creationis, nec mortalis, nec immortalis conditus eſt. Si immortalem ab initio eum feciſſet, Deum eum conſtituiſſet; ſi mortalem eum formaſſet ab initio, Deus ſane poſſet auctor hominum mortis videri. Apparet igitur, hominem a Deo, nec mortalem, nec immortalem eſſe factum; ſed, quemadmodum ſupra ſignificavimus, utriuſque quodammodo participem, ut reperet ad immortalitatem, ſervans mandatum Dei, & ut hanc caperet mercedem, tandem & ipſe Deus factus: ſin autem converſus fuerit ad peccatum, inobediens Deo, ipſi ſibi auctor fieret mortis.*

Origenes anno 254. Quæſt. 39. in Geneſ.

Origenes apud Theodoretum. *Quid exiſtimare debemus veſtes illas pelliceas? Valde quidem ſtolidum eſt & anile, Deoque minime dignum, arbitrari Deum pelles animalium jugulatorum, aut aliter mortuorum accepiſſe, & inde pelles illas conſuendo, coriarii more in veſtimenti formam redegiſſe. Rurſum ut vitetur hæc abſurditas, dicere veſtes illas pelliceas nihil aliud eſſe, quam corpora, probabile quidem eſt, & ad aſſenſionem eliciendam efficax; at non evidens quod ſit verum. Si enim pelliceæ veſtes ſunt carnes & oſſa, quomodo antea dixit Adam:* Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea? *His igitur ambiguitatibus obruti nonnulli aſſeverant, veſtes pelliceas eſſe mortalitatem illam, qua circumdati ſunt Adam & Eva, morti propter peccatum addicti. Sed iſti non facile probare poſſunt, quomodo Deus, & non multo magis peccatum, mortalitatem pariat ſucceſſori. Præterea neceſſe eſt eos dicere, carnem & oſſa propria ratione non eſſe corruptibilia, cum poſtea patres noſtri propter peccatum conditionem mortalitatis acceperint.*

Methodius ann. 302. L. de Reſurrect. apud Photium cod. 234.

Methodius. *Cum Deus omnipotens Adamum immortalem feciſſet, ſciens eum ex inſidiis diaboli malum factum, uti & ille erat, qui eum deceperat, diabolus, propterea illi pelliceas veſtes concinnavit, quaſi illum induens mortalitate, ut per corporis ſolutionem omne, quod in eo malum erat, moreretur.*

Auctor quæſtionum, &c. ann. 384. Quæſt. 19. apud Aug. tom. 4.

Auctor quæſtionum ex veteri teſtamento. *Quærendum eſt, ſi Adam factus, corpus immortale habuit, an mortale. Deus hominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret; ut ipſe ſibi auctor eſſet ad vitam, aut ad mortem; ut cuſtodiens ſe a peccato, labore ſuo gauderet, & eſſe ſe immortalem; negligens vero factus ipſe ſibi imputaret, quia cœperat eſſe mortalis. Quamdiu enim in creatoris lege duravit, dignus fuit edere de arbore vitæ, ut mori non poſſet. Nec enim corpus tale erat, quod diſſolvi impoſſibile videretur; ſed guſtus arboris vitæ,* corruptionem corporis inhibebat. Denique etiam poſt peccatum potuit indiſſolubilis manere, ſi a Domino permiſſum eſſet illi edere de arbore vitæ. Nam quomodo immortale corpus habebat, quod cibo ſuſtentabatur? Immortalis enim non eget cibo, neque potu. Cibus enim vires præſtabat, vitæ autem arbor medicinæ modo corruptionem prohibebat. Sic enim homini erat quaſi inexpugnabilis murus.*

Gregorius Nazianzenus, ann. 389. Orat. 42.

Gregorius Nazianzenus. *Poſtquam diaboli invidia, & mulieris inſultu, quem, ut mollior, paſſa eſt, & ut ad perſuadendum accommodatior, admovit, (o infirmitatem meam! mea enim eſt primi parentis infirmitas) accepti mandati oblitus, ab acerbo illo guſtu victus eſt, ſimul & a ligno vitæ, & a paradiſo, & ab ipſo Deo propter peccatum expellitur, & pelliceas tunicas induit, utique craſſiorem carnem & mortalem, primumque turpitudinem ſuam agnoſcit, & a Deo ſe abſcondit, atque hic quoque tamen mortem ac peccati præciſionem lucratur, ne malum immor-*

immortale ſit. Ita pœna ipſa in miſericordiam ceſſit: ſic enim Deum ſupplicia inferre cenſeo.

Ambroſius, ann. 397. Lib. de paradiſo c. 7.

Ambroſius. *Iterum alia quæſtio ſubrepit, unde mors acciderit Adæ. Utrum a natura ligni ejuſmodi, an vero a Deo. Si naturæ hoc ligni aſcribimus, videtur ligni hujus fructus vivificanti inſufflationi Dei præſtare; ſiquidem quem vivificaverat inſufflatio, fructus hujus ligni traxit ad mortem. Aut ſi Deum operatorem mortis eſſe memoramus, dicunt quod gemina eum opinione accuſemus; quod autem ita immitis, ut noluerit ignoſcere, cum poſſet, aut ſi non potuerit, videatur infirmus. Videamus igitur quonammodo diluendum ſit.*

Sequitur deinceps, ut veterum pariter teſtimoniis oſtendamus, quomodo quæſtio, qua ratione mors ex peccato nata ſit, an tanquam ex cauſa pœnæ, an velut ex occaſione beneficii miſeris collati, intra metas innocentis cujuſdam ac religioſæ diſputationis diu conſtiterit; cum omnes ſcilicet unanimi conſenſu, mortalitatem, cui obnoxii & nunc ſumus, & fuerunt hactenus Adæ poſteri, a peccato primi hominis exortam, faterentur. Quærerent tamen ao mors, poſt ejectum cum ſua prole ex felicitatis loco in terram miſeriæ Adamum, dici deberet beneficium, quod miſerias finiret, aut pœna, quam proles in exilio nata cum patre pateretur. Datam pro immortalitate hominibus, tanquam beneficium miſericordis Dei, ſentiebant vulgo catholici, partim propter auctoritatem Scripturæ aientis a Deo factas hominibus veſtes pelliceas, ejectoſque e paradiſo, ne fructu ligni vitæ viverent in æternum; partim ut recederent longius a gentilium errore, qui mortem velut ſummum malum, totumque hominis interitum horrerent; partim ob præjudicium aliquod affine Origenis opinioni de morte, quod ſit ſolutio animi a corpore, ſic tanquam a carcere. De multis ita ſentientibus quatuor appellaſſe ſufficiat.

Orat. 42.

Gregorius Nazianzenus. *Poſtquam diaboli invidia & mulieris inſultu, accepti mandati oblitus, ab acerbo illo guſtu victus eſt*, &c. *utque hic quoque tamen mortem ac peccati præciſionem elucratur, ne malum immortale ſit. Ita pœna ipſa in miſericordiam ceſſit: ſic enim Deum ſupplicia inferre cenſeo.*

Lib. de bono mortis c. 4.

Ambroſius. *Si recolamus, quod Deus mortem non fecerit, ſed poſtquam homo lapſus in flagitium eſt prævaricationis & fraudis, ſententia eum comprehenderit, ut in terram ſuam terra remearet, inveniemus mortem finem eſſe peccati, ne quo eſſet vita diuturnior, eo fieret culpa numeroſior. Paſſus eſt igitur Dominus ſubintrare mortem, ut culpa ceſſaret*, &c.

Hæreſ. 64.

Epiphanius. *Propterea Deus pelliceas illas tunicas fecit, ut illum velut morte quadam indueret, & ea corporis diſſolutione, quidquid in eo mali productum fuerat, intermoreretur.*

Homil. 16. in Gen.

Chryſoſtomus. *Mortis ſupplicium Adamo Deus propter hoc intulit, ut ne poſthac per inobedientiam peccato obnoxius effectus perpetuo peccaret. Non videntur tibi hæc eſſe maximæ clementiæ, ejici a paradiſo, & pœna hac puniri?*

Verum cum diſputatio, ut diximus, continuiſſet ſeſe diu inter catholicos quaſi limites, erupit tandem, ut eſt impotens modi curioſitas hominum; inquiſitum ſiquidem eſt ab audacibus nonnullis, an revera mors orta fuiſſet ex peccato, an contra Adamus, ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet, non merito culpæ, ſed naturæ fato.

Et primo quidem timidius communis Eccleſiæ ſententia tentata eſt, itumque, ſin minus reipſa, ſaltem verbo tenus, a curioſis illis in partes dicentium, mortem non eſſe inflictam pro pœna, ſed collatam pro beneficio: eam enim aiebant per ſe vel indifferentem, vel etiam bonam, certe non malam, quandoquidem peccandi modus eſt malorum finis, ſecura poſt laborem quies, exitus in vitam beatiorem, & ſæpe Dei donum. Audacia deinde porro provecta, more gentilium dixerunt, mortem puram eſſe neceſſitatem naturæ, cui ſervire humanum genus oporteat, quomodocumque tandem ſinguli ſe haberent, quoad mores voluntatis.

Priorem ſententiæ partem ſecutus eſt Rufinus Syrus, poſteriorem Cæleſtius: ſic enim ille longam ſuper ea re perplexamque diſputationem, quam producit a num. 32. uſque ad 35. concludit his verbis: *Multis igitur teſtibus edocti, quod mors iſta communis mala non ſit. Jam longe valere dicamus: Qui mortem malam appellant*; iſte vero, ſi credimus Auguſtino, Mercatori, Sixto, atque auctori Prædeſtinati, capitale hoc dogma aſſeruit: *Adamus mortalis factus eſt, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet.*

Sed cum id ſacris literis, quarum auctoritas hactenus ſumma fuerat, pugnare videretur, diſputatum eſt acriter, jam non pro arbitraria quadam, ut prius, quæſtione, ſed pro dogmate fidei; primuſque extitit Pelagianorum error, ex quo reliqui plures, ut oſtendemus, originem duxerunt. Atque id in cauſa fuit, cur inter agendum de Pelagianis dogmatibus, iſtud olim vel unicum, vel primum omnium cenſeretur.

Hoc certe primum Mercator meminit. *Auſus eſt quippe palam publiceque hic verborum ſententiis ejuſdem ſenſum paſſim diſſeminare per populos, id eſt*, Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, fuiſſet moriturus. Præf. l. Subnot. Vide c. 1. hujus diſſert.

Hoc & Proſper in aliorum fronte collocavit: Carm. de ingr. c. 1. Vide c. 3. hujus diſſert.

Hac primos homines cretos ditione ferebat,
Ut ſeu præſcriptum mandatum tranſgrederentur,
Sive inculpati ſervata lege manerent,
Mortem iſtam prorſus, qua carnem vita relinquit,
Oppeterent, quæ non peccato partu, ſed ipſo
Inſtituente Deo comes eſſet fixa creatis.

Primum quoque Auguſtinus recenſuit inter ea, quæ ex actis apud Carthaginem cum Cæleſtio confectis, Pelagio objecta ſunt Dioſpoli. Sic enim ait: *Sequuntur objecta Pelagio, quæ in doctrina Cæleſtii diſcipuli ejus referuntur inventa. Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet. Quoniam peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum*, &c. Lib. de geſt. Palæſt. c. 3.

Primum pariter numeravit Hypognoſtes. *Hujuſmodi ergo dogmatis iſta eſt nefanda blaſphemia. Adam inquiunt, ſive peccaſſet, ſive non peccaſſet, moriturum eſſe. Item peccatum ejus neminem niſi ſolum nocuit ipſum*, &c. In præf. lib. hypogn. t. 8. op. Auguſt.

Paulinus diaconus in judicio Aurelii objecit Cæleſtio primum illud, quod perverſe docuiſſet, Adamum, ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturum fuiſſe. Nam poſt verba mox allata ex libro de geſtis Palæſtinis ſequuntur iſta: *Hæc ita objecta ſunt, ut etiam apud Carthaginem a ſanctitate tua, & ab aliis tecum Epiſcopis dicerentur audita, atque damnata.* Lib. de geſt. Palæſt. c. 11.

Illud ipſum Auguſtinus primum refellit, & in eo quidem opere, quo cœpit adverſus Pelagianam hæreſim ſcriptis pugnare; poſtquam enim in præfatione promiſiſſet ſe diſſoluturum quæſtiones, quas Marcellinus propoſuiſſet, continuo caput ſecundum ita orditur: *Qui dicunt Adam ſic creatum, ut etiam ſine peccati merito moreretur, non pœna culpæ, ſed neceſſitate naturæ; profecto illud quod in lege dictum eſt:* Qua die ederitis, morte moriemini; *non ad mortem corporis, ſed mortem animæ, quæ in peccato fit, referre conantur*, &c. Pergit vero in eodem argumento uſque ad caput decimum, ubi jam incipit de peccato originali differere, cum tamen prius quæſtionis iſtius ſecundæ ex prima ortum patefeciſſet. Lib. de pecc. merit. c. 2.

Auguſtini exemplum ſecutus Hypognoſtes, inde primi ſui libri duxit exordium. *Adam ergo inquiunt, ſive peccaſſet, ſive non peccaſſet, moriturum fuiſſe. Reſpondemus: Falleris, hæretice, falleris*, &c.

Primum damnavit Africana ſynodus: cum enim ſint ipſius octo canones adverſus hæreſim Pelagianam, primus omnium extitit. *Placuit omnibus Epiſcopis, qui fuerunt in hac ſancta ſynodo, ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut, ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt, de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit.*

Longe poſt hæc tempora poſterior ſynodus Arauſicana primum canonem ſancivit de morte per Adami peccatum ab omnibus contracta.

Unicum

Unicum retulit in ſua ſanctione Honorius imperator, idque eo maxime, quod in capite cætera complexus ſibi videbatur, ortumque inde ſecundi erroris indicaſſe. Sic enim ait: *Impiæ commentationis auctores Pelagium Cæleſtiumque percrebuit extitiſſe. Hi parenti cunctarum rerum Deo, præcipuæque ſemper majeſtatis interminatæ potenti, & ultra omne principium tranſeunti, tam trucem inclementiam ſævæ voluntatis aſſignant, ut cum formandi mundi opificem curam ſumeret, qualitatemque hominis ſtruendi profunda ſpiritus conceptione libraret, fundati muneris finem anteferret exordio, & mortem præmitteret naſcituro, non hanc inſidiis vetiti fluxiſſe peccati, ſed exegiſſe penitus legem immutabilis conſtituti, ut ad declinandum leti exitialis incurſum, nihil prodeſſet abſtinentia delinquendi: cujus ita vis putatur aſtricta, ut non poſſit aboleri deinceps. Primitivi hominis errorem, in quem captæ mentis, inopi rationis, cæcitate irruiſſet, delapſum ad poſteros non fuiſſe; tantumque apud eum, quem maleſuadæ gratiæ infelix rapuiſſet illecebra, tranſgreſſionem interdicti extitiſſe diſcriminis, cum evidens catholicæ legis omnifariam teſtetur auctoritas, illum interitum omnium fuiſſe veſtibulum, quem divinæ præceptionis ſedulum liquet corrupiſſe mandatum.*

Unicum ſibi refellendum putavit Neſtorius, (quanquam forte extitit alia etiam cauſa, cur unius meminerit) in eoque non mediocrem ſermonum, quos quatuor Mercator ſervavit, partem poſuit, ut legendo quiſque facile cognoſcet.

Quod ſi a veteribus (neque enim recentiorum nunc ratio habetur) alio nonnunquam ordine dogmata Pelagiana relata ſint, ut revera ſunt ab Auguſtino in libro de hæreſibus; imo ſi quæſtionem de mortalitate Adami prætermiſerint aliqui, ſicut Hieronymus, aliique poſtea non pauci: id tribuendum reor, vel tempori, quo illi ſcribebant, vel occaſioni, quæ ſubinde varia extitit. Aliæ enim aliis temporibus quæſtiones velut dominatæ ſunt, nec ſemper opus erat de ſingulis dicere tam exacte, tamque curioſe, quam originis ratio, vel ſuo quaſi jure poſtularet, vel obtinuiſſet a laudatis antea auctoribus. Et vero poſtquam origo mortis hominum ex peccato, tam multis, quam apertis Scripturæ teſtimoniis demonſtrata eſt, Pelagiani ſuum illud priſtinum dogma, de mortalitate a naturæ neceſſitate orta, deſeruerunt, ſin minus reipſa, quod vix putem, ſaltem verbo tenus, quo tempore Auguſtinus, vel ſermonem 7. de verb. Apoſt. habebat, vel ad Bonifacium ſcribebat: nam illic inducuntur Pelagiani, quaſi per exceſſum peccantes, dicenteſque,
Lib. 4. ad Bonifac. c. 2. *pro meritis ſuis omnes homines mori, quia peccaverunt; neque enim futuram mortem, niſi venires de peccato.* Iſtic referuntur dicere, *ex Adam nihil mali tranſiviſſe per cæteros, niſi mortem, quæ non ſemper eſt malum, cum & martyribus ſit cauſa præmiorum, & vel bonam, vel malam dici faciat, non reſolutio corporum, quæ excitabuntur in omni genere hominum, ſed meritorum diverſitas, quæ de humana libertate contingit.*

Sed jam quomodo ex hac prima quæſtione pronatæ ſint undecim aliæ minus principales, oſtendere oportet teſtimoniis veterum, ſive qui pro fide catholica ſteterint, ſive qui ex adverſo.

Sunt autem auctores illi, quorum ſaltem habemus opera, admodum octo: nam quibus temporibus diſſertationes finimus, de mortalitate Adæ, adverſus Cæleſtianos expreſſe ſcripſerunt, Auguſtinus, Hypognoſtes, Mercator, &, ſi tantis viris tamque catholicis annumerari queat, Neſtorius. Pro hæreſi ſcripſerunt totidem, Theodorus Mopſueſtenus, Rufinus Palæſtinus, Cæleſtius, & Julianus.

Aug. l. 1. de pec. merit. c. 2. Cæleſtianis igitur dicentibus, Adamum mortalem ita factum a Deo, ut aliquando tandem moreretur, non pœna culpæ, ſed neceſſitate naturæ, objecerunt catholici continuo verba legis divinæ minantis:
Geneſ. 2. v. 17. *Qua die ederitis, morte moriemini.* Quibus procul dubio ſignificatur, Adamum moriturum non fuiſſe, ſin minus legem violaſſet: quis enim, ſi ſapiat, ei, quem velit deterrere, comminetur id tantum mali, quod alioquin certo eventurum uterque novit?

Aug. ibid. c. 3. Exceperunt Cæleſtiani, minas Dei ad mortem animæ referri debere, quoniam hæc ſola pœna tanto peccato par eſſe poteſt; non pertinere ad mortem corporis, quæ vel ipſa eſt hominis natura, vel ſaltem naturæ neceſſitas.

Sed inſtantibus catholicis, præcipientis minas ex ſententia condemnantis intelligi debere: Deum vero dixiſſe Adamo, poſt violatam legem: *Terra es, & in terram ibis.* quæ ſententia profecto pertinet ad ſolam corporis mortem, addentibus quoque duo Apoſtoli teſtimonia, eaque ita manifeſta, ut non expoſitorem opus haberent, ſed lectorem, quemadmodum ait Auguſ- Ibid. c. 4.
tinus. Alterum ex epiſtola ad Romanos. *Si Chriſtus in* Rom. 8. v. 10.
vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpi- & 11.
ritus vero vivit propter juſtificationem. Quod ſi ſpiritus ejus, qui ſuſcitavit JESUM *a mortuis, habitat in vobis, qui ſuſcitavit* JESUM CHRISTUM *a mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Alterum ex ſecunda ad Corinthios: *Per* 1 Cor. 15. v. 21.
hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum; & 22.
& ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur.

Coacti ſunt hæretici priorem exceptionem deſerere, velut aperte Paulo contrariam. Faſſi ſunt igitur verba divini præcepti de morte corporis accipienda eſſe, non tamen de naturali, quæ fato contingit, ſed de immatura & violenta, qualis infligitur reis ab humano judicio. Eo trahebant verba, tum Dei paſſim in Scrip- Theod. excerpt. 1.
tura, tum hominum minantium ſæpe mortem prævaricatoribus legum, nec eos tamen idcirco facientium ex immortalibus mortales. Trahebant & hoc aliud eodem, Deum in pœnam peccati juſſiſſe Adamo, terram colere, non ſimpliciter, cum jam inde a creatione juſſus eſſet paradiſum colere, ſed multis ſudoribus, quos terra ingrata in tribulos ſpinaſque verteret. Addebant pa- Ibidem.
riter exemplum ſententiæ in Evam latæ, quæ per peccatum facta eſt obnoxia, non partui ſimpliciter, ad quem nata erat; ſed pariendi doloribus, quos vehementiſſimos pateretur. Quare, inquiebant, ſicut natura virum agriculturæ, feminam partui; pœna virum laboribus, feminam partuum doloribus addixit: ſic ambos Deus ob peccatum, non qualicunque morti, ſed immaturæ fecit obnoxios.

Atque hinc orta quæſtio triplex, quam magna con-
tentione agitant Julianus & Auguſtinus, utrum mors In op. imperf. ubique paſſim.
ipſa, aut mortis tantum immaturæ modus pœna eſſet peccati: utrum in paradiſo futura eſſet laborioſa feminæ parturitio: utrum vir agricolatione difficili & dura terram ſubegiſſet.

Tergiverſantibus Cæleſtianis, ventum eſt tandem ad decretorium Apoſtoli teſtimonium: *Per unum ho-* Rom. 5. v. 12.
minem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. Hinc enim clariſſime conſtat, mortem non ex neceſſitate naturæ ortam eſſe, ſed ex pœna culpæ ab homine illo commiſſæ, in quo cæteri extiterunt: atque hinc enata quæſtio de peccato originali, & baptiſmo parvulorum, quæ licet eam obſcuraverit ex qua ſumpſit initium, non deſiit tamen a diligentioribus tractatoribus ipſi conjungi, ut ne lateret origo tanti mali.

Quæſtionis unius ortum ex altera, tranſitumque Auguſtinus expoſuit; ſed priuſquam ipſius verba exſcribantur, afferenda ſunt reliqua argumenta, ſive quæ duo adhibet Hypognoſtes adverſus Cæleſtianos, ſive quæ pro ſe Cæleſtiani, & Cæleſtianorum parens Theodorus.

Primum accipit Hypognoſtes ex parte mortis ipſius, Lib. 1. Hypognoſt.
quam Deus neque fecit, neque vult, voluntate, ut aiunt, Sap. 1. v. 12.
antecedente. *Nolite zelare mortem in errore vitæ noſtræ, quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum: creavit enim ut eſſent omnia, & ſanabiles fecit omnes nationes orbis terrarum.*

Secundum, ex parte hominis, quem Deus *creavit in-* Ibidem.
exterminabilem, & ad imaginem ſuam fecit; invidia au- Sap. 2. v. 23.
tem diaboli mors introivit in orbem terrarum.

Utrumque alii tractatores attigerunt quidem; non tamen magnum ibi cauſæ præſidium poſitum putarunt: nihilominus Cæleſtiani graviter inde ſe urgeri cum ſentirent, venerunt in abſurdiſſimam ſententiam, qua dicerent, omnes naſci immortales perinde ac Adam, neminemque mori, niſi ſuæ cul-

pæ merito; ipſos etiam infantes mortem pati, propter ſua peccata, ſive quæ in ipſiſmet matrum uteris perpetraſſent. Hanc inſaniam Hieronymus, Auguſtinus, & Mercator non tam arguunt vi argumentorum, quam deridendam exponunt: ejuſmodi enim ſomnie expoſuiſſe, refutaſſe eſt.

Lib. contra peccati traduc. apud Auguſt. l. 2. de pec. merit. c. 30. & 33.

Cæleſtius pro ſua cauſa, produxit duo. Primum: *Si primi hominis peccato factum eſt, ut moreremur, Chriſti adventu fieret, ut credentes in eum non moreremur; neque enim prævaricatoris tranſgreſſio plus nobis nocuit, quam incarnatio vel redemptio profuit Salvatoris.* Secundum: *Si peccato mors iſta corporis accidiſſet, non utique poſt remiſſionem peccatorum, quam Redemptor nobis tribuit, moreremur.*

Commonit. c. 2.

Utrumque Mercator exponit, tanquam ex libro Pelagii; ſed ut ea Pelagius in commentarios retulerit, oon ſua tamen perſona retulit: ſed tanquam dicta e peccati originalis impugnatoribus, id eſt, a Cæleſtio, quem ſæpe mouuimus primum ſcripſiſſe ea de quæſtinoe adverſus fidem catholicam; utrique porro ratiocinationi reſpondet Auguſtinus loco citato.

Lib. 2. de pecc. meritis c. 29. & 30.

Alia duo profert Theodorus. Nempe, ſi peccato morereotur homines, neque Chriſtus debuiſſet mori, cum ſit purus peccati, neque Enoch, præ aliis ſanctioribus, immortalitate donandus fuiſſet. Primo reſpondet Auguſtious. Secundum per ſe leve eſt, cum Deo innumeræ ſuppetant aliæ cauſæ, cur Enoch & Eliam voluerit conſervare immunes mortis.

Nonnulli tandem, quibuſcum Mercator conflixit; imo & de quorum quæſtionibus Auguſtinum conſuluit, videntur hunc fere in modum argutati. Si mortalitas contracta eſt primi hominis peccato, oportet, ut quemadmodum omnes eb Adamo pronati ſunt, ita nemo non moriatur, maxime cum ipſe Chriſtus mortis fatum expertus ſit. Atqui Apoſtolus docet, aliquos ſub finem muodi obviam ituros Chriſto ſuis, ut erunt viventes, in corporibus: *Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus, obviam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus.*

1 Theſſ. 4. v. 15. & 16.

Appendices undecim controverſiæ.

Sed hactenus ſatis de quæſtione ipſa principali, cujus appendices fueruot undecim Pelagianos inter & catholicos cootroverſiæ. I. An morbi ex culpa oriantur, vel ex natura. II. An partuum dolores futuri eſſent in paradiſo. III. An laborioſa ſine peccato agricolatio. IV. Ao Deus ſit euctor mortis. V. An mors cenſeri debeat in malis. VI. Ao ſua quiſque culpa propria moriatur. VII. Cur juſti moriantur, ſi mors ſit peccati pœna. VIII. Cor Chriſtus ipſe mortem paſſus ſit eliquando. IX. An omnes morituri ſint, cum omnes eodem originis peccato teneantur. X. An omnes per Chriſti reſurrectionem reſurgere debeant, eut ſoli juſti. XI. An reſurrectio per ſe debeat in bonis numerari.

CAPUT IV.

Quæſtio de peccato originali orta ex priore, plurimas alias peperit, & eam quidem maximam, de baptiſmo parvulorum, eorumque redemptione per Chriſtum.

Ortus ſecundæ quæſtionis ex prima. Lib. 1. de pecc. merit. & remiſſ. c.

SECUNDÆ quæſtionis originem ex priore exponit Auguſtinus in opere, quo primum pugnevit ſcripto adverſus Pelagianos. Cum enim de mortalitate diſputaſſet, eamque ex peccato primi hominis pluribus Scripturæ teſtimonniis ortem probaſſet, adhibuit tandem poſtremum illud quaſi decretorium: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Adhibuit vero non ipſe primus: nam cum eodem jam pridem uſi eſſent catholici, Cæleſtianos excepiſſe refert, *quod mors iſta, quæ illic commemorata eſt, non ſit corporis, quam Adam peccato non meruit, ſed animæ, quæ in ipſo peccato ſit; & ipſum peccatum, non propagatione, in alios homines, ſed imitatione tranſiiſſe; neque in parvulis per baptiſmum ſolvi originale peccatum, quod in naſcentibus nullum omnino eſſe contendunt.*

Rom. 5. v. 12.

Exceptio hæreticorum. Loco mox citato.

Intelligebant ſcilicet, Apoſtoli teſtimonio aſſeri quetuor. Primum, per unum hominem peccatum intraſſe in mundum; alterum, intraſſe quoque per peccatum mortem; tertium, mortem hanc in *omnes homines* pertranſiſſe; (qua generalitate vocum comprehendi oportet infantes) poſtremum denique, omnes in uno homine peccaſſe. Primum libenter edmiſerunt, reliqua tria perverſis interpretationibus obſcurare niſi ſunt; ſed Eccleſia temerarios nitentium conatus damnatione ſua retudit.

Rejecta ab Eccleſia.

Errorem circa peccatum originale ſecundum inter Pelagianos ponitur.

Eam ob rem quiſquis e veteribus dogmata hæreſis Pelagianæ, vel recenſuit, vel impugnavit, ſecundo loco poſuit id, quod de peccato originali eſt. Atque ut de Mercatore & Proſpero omittam iterum dicere, Peulinus Cæleſtio ſecundum iſtud objecit, *quoniam peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum.* Ad quæ verba iterum obſerva, in teſtimonio Peulini, ut & apud Mercatorem, ſententiæ qua de egitur, præfigi conjunctionem cauſalem QUONIAM, quo ſigno indicatur probatio prioris alicujus alterius ſententiæ: quare ut probationis quæſtio, ſi quæ aliquando incidit, oritur ex quæſtione, propter quam ſolvendam probatio aſſumitur, quæſtionem procul dubio de peccato originali natam eſſe oportet, ex quæſtione de mortalitate generis humani, quoniam hæc ex illa probatur.

A Mercatore & Proſpero. A Paulino diacono. Lib. de geſt. Palæſt. c. 11.

Secuodum Hyognoſtes oumeravit. *Item quod peccatum Adæ neminem, niſi ſolum ipſum, nocuit.* Item *peccatum Adæ,* inquiunt, *neminem nocuit, niſi ſolum ipſum. Reſpondemus: ſi peccatum primorum hominum ſolis obfuit illis, & nemini noſtrum,* &c. Memorevit etiam.

Ab Hypognoſte. In præf. hypognoſt. & lib. 2.

Refellit certe ſecundum Auguſtious, in opere, quo primum in Pelagianos ſe exercuit. Refellit & ſecundo pariter libro Hypognoſtes, cum primo de mortis origine tractaſſet.

Ab Auguſtino. Lib. 1. de pecc. merit. & c. 9. & ſeqq.

Damnavit Africana ſynodus canone 2. poſtquam primo de mortalitate dixiſſet: *Item placuit ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde fit conſequens ut in eis forma baptiſmatis, in remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur, anathema ſit; quoniam non aliter intelligendum eſt quod ait Apoſtolus:* Per uoum hominem peccatum intravit io mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt, *niſi quemadmodum Eccleſia catholica ubique diffuſa ſemper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remiſſionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.*

A ſynodo Africana.

Rom. 5. v. 12.

Unde Janſenius Iprenſis, poſtquam dixerat Pelagianorum capitale dogma, & aliorum quaſi cardinem fuiſſe, *quod Adamus mortalis ita factus eſſet, ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet;* paulo poſt iſtud ait inſtar eſſe baſis omnium cæterorum, *quod Adæ peccatum ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum.* cui nempe conſentaneum erat, *quod infantes nuper nati in eo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem,* etque ita nullo teneantur peccato originali. Quanquam ſcriptoris hujus non magna videtur eſſe auctoritas hac in parte, cum inconſtanter loquatur, &

A Janſenio Iprenſi. Lib. 1. de hær. Pelag. c. 13.

Lib. 3. c. 2.

modo

modo hoc, modo illud, prout abripitur diſputandi æſtu, Pelagianæ hæreſis fundamentum ponat.

Notatus Voſſius. *Lib. 2. hiſt. Pelag. pars. 1.*

Ex his redarguas Voſſium, qui opinatur, quæſtionem de peccato originali non ortam ex quæſtione de mortalitate, ſed hanc ex illa; virum fefellit quorumdam veterum auctoritas, qui cum peccatum Adami propagari in poſteros, inde probent, quod ipſi etiam infantes, licet nullius ſuæ culpæ rei, moriantur; nec ullus tamen ſub juſto Deo moriatur, niſi merito peccati. Viſi ſunt Voſſio hujus, ſi licet ita loqui, genealogiæ non ſatis prudenti, oſtendere quid quæſtionis ex quæſtione natum ſit, non item quid rei ex re, quamvis hæc duo longe diverſa ſint. Deceptus Voſſius impoſuit aliis non paucis, quos ſecum abduxit a vero.

Ex conflictu catholicorum & hæreticorum ortæ plures quæſtiones.

Incredibile autem eſt, quot quæſtiones ex ſecunda iſta, veluti propagines e radice, pullularint: dum enim hinc & inde acriter pugnatur, qua teſtimoniis Scripturæ, qua cogentibus argumentis, & præſertim conſectariis ac connexis cum alterutra opinione, Cæleſtiani, ut vim adverſantium catholicorum declinarent, multa coacti ſunt dicere, quæ partim damnata ſunt poſtea in conciliis, partim a Patribus rejecta, velut antiquæ, & ab Eccleſia receptæ doctrinæ contraria. Sed catholici viciſſim a Cæleſtianis compulſi ſunt in ea cauſæ inſtrumenta diligentius inquirere, quæ aliquatenus latebant, velut a pacificis, ut fit, poſſeſſoribus neglecta; armaque ſuis e locis eruere, quibus oppugnatam fidem tuerentur.

Quibus utrinque argumentis pugnatum.

Tribus igitur argumentis catholici pro peccato originali pugnarunt; auctoritate ſcripturæ ſacræ, ratione petita ex parte tum parvulorum, tum adultorum, & teſtimoniis Patrum, quibus vel perpetuitas, vel univerſalitas ſententiæ catholicæ demonſtratur.

Totidem repugnarunt hæretici: nam & ſacris literis abuſi ſunt, & rationes congeſſerunt, & Patrum verba ſuam in ſententiam torquere niſi ſunt. De ſingulis iſtis argumentorum generibus dicendum breviter, ſed ita, ut via attingantur quæ poſt Auguſtinum, imo quæ poſt Zoſimi ſententiam afferri cœperunt; ea potiſſimum commemorentur, quæ poſt initia naſcentis hæreſis, & ante proſcriptionem a ſede apoſtolica factam adhibita ſunt.

---

§. I. *Quibus teſtimoniis Scripturæ pugnatum ſit a catholicis; quæ allatæ a Pelagianis reſponſiones; quæ ex conflictu quæſtiones ortæ.*

Obſervatio prima de locis Scripturæ adductis primum ex parte catholicorum.

OBSERVANDUM eſt primis temporibus quatuor tantum Scripturæ teſtimoniis catholicos; tribus potiſſimum hæreticos pugnaſſe: illa complexus eſt, uno quaſi faſce, Hieronymus; iſta Rufinus Palæſtinus.

Lib. 14. in Ezech. c. 47. *Prov. 20. v. 9.*

Sic ergo Hieronymus, *ann.* 410. quis *enim hominum* gloriari poteſt, caſtum ſe habere cor, *vel ad cujus mentem per oculorum feneſtras mors concupiſcentiæ non introibit, &, ut parum dicam, animi titillatio?* Mundus *enim* in maligno poſitus *eſt*, & a pueritia appoſitum eſt cor hominis ad malum; *ut ne unius quidem diei, a nativitatis ſuæ exordio, ſine peccato ſit humana conditio. Unde & David confitetur in pſalmo:* Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. *Non in iniquitatibus matris meæ, vel certe meis, ſed in iniquitatibus humanæ conditionis. Unde & Apoſtolus:* Regnavit mors ab Adam uſque ad Moſem, etiam ſuper eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ.

1 Joan. 5. v. 19. *Geneſ. 8. v. 21.* *Pſ. 50. v. 7.* *Rom. 5. v. 14.*

Idipſum ſcripſerat ante annos viginti lib. 2. contra Jovinianum, cum hæretici hujus *ἀναμαρτησίαν* acriter impugnaret, ut inde prudens lector obiter obſervet, quanta ſit utriuſque, ſive quæſtionis, ſive dogmatis de peccato originali, & impeccantia, cognatio.

Ex parte hæreticorum. *Libel. fidei num. 37. 38. & 39.*

Rufinus vero in fidei ſuæ libello, *ante ann.* 400. *Non ergo Eva propter liberos ſalvabitur ſuos, neque ejus ſoboles matris cauſa damnabitur, aut patris Adam, ſicut imprudentium æſtimat opinatio; nam unuſquiſque hominum, quaſi liberi arbitrii ſit, ex ſuorum qualitate geſtorum, aut laudandus nimis, aut vituperandus habebitur. Simili modo etiam in die judicii, aut juſtificandus erit, aut ſupplicio ſubjugandus, ſicut & beatus Paulus docet, ita dicens:* Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. *Quod autem liberi non pro parentibus puniantur, neque parentes pro liberis, aperte rurſus edocuit Deus, cum ad Moyſen prophetam diceret:* Non morientur patres pro filiis, neque filii pro parentibus. Unuſquiſque in peccato ſuo morietur. *Porro autem arguens Deus imprudentiam filiorum Iſrael, eo tempore, quo apud Chaldæos, ſecundum ſcelera ſua, captivi erant, & cauſabantur, non de ſe paenitus, ſed de parentibus ſuis, quaſi illi totius eorum nefandi ſceleris fuiſſent cauſa, Deum de captivitate ſua criminabantur injuſte, cum dicerent:* Via Domini non eſt recta, quoniam patres noſtri comederunt uvam acerbam, & filiorum dentes obſtupuerunt. *Dicit ad eos per Ezechiel prophetam:* Vivo ego, dicit Dominus, ſi ultra fuerit jam dicta parabola iſta in Iſrael, quoniam omnes animæ meæ ſunt, ſicut anima patris, ſic & anima filii, meæ ſunt; anima quæ peccat, ipſa morietur. *Et iterum:* Filius, *inquit*, non accipiet iniquitatem patris, neque pater accipiet iniquitatem filii. *Et iterum:* Unumquemque veſtrum ſecundum viam ſuam judicabo vos, domus Iſraël, dicit Dominus. *Cum dixiſſet Deus:* vivo ego, ſi ultra fuerit dicta parabola iſta in Iſraël; *aperte docuit, non eos in eadem imprudentia permanere. Poſt hæc igitur Dei teſtimonia, inſaniunt, qui per unum hominem Adam, omnem orbem terrarum iniquitatis, flagitiorumque condemnant.*

2 Cor. 5. v. 10. *Deut. 24. v. 16.* *Ezech. 18. v. 2.* *Ibidem v. 3.* *Ibid. v. 20.* *Ibid. v. 30.*

Obſervatio ſecunda de locis ab Auguſtino productis.

Obſervandum pariter, ab Auguſtino adhibita octo alia teſtimonia, quæ Julianus partim ſine reſponſione reliquit, partim detorquere conatus eſt in alienos ſibique commodos ſenſus; adhibita ſunt etiam a Juliano quædam, quæ Auguſtinus interpretatus eſt. Sed neque hæc Juliani, neque illa Auguſtini multum ab aliis prioris ævi diſputatoribus diſcuſſa ſunt, ſive quia ſpernerentur præ reliquis, ſive quia nondum in mentem veniſſent. Photius certe in ſynopſi librorum quinque Theodori adverſus Auguſtinum, unius tantum expreſſe meminit, ex pſalmo 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*; ſic enim ſcribit. *Afferre autem illos & illud ait:* Ecce in iniquitatibus conceptus ſum; *& ſi quæ ſunt generis ejuſdem:* quamquam poſtremis verbis alia indicavit non obſcure.

Obſervatio tertia de Juliano adverſus Auguſtinum ſcribente.

Obſervandum tertio, ignotum eſſe, quid poſtremis Scripturæ teſtimoniis ab Auguſtino allatis Pelagiani reſponderint: ſiquidem nihil ab ipſis hanc in rem ſcriptum habemus, niſi quod Julianus libris Auguſtini, vel tribus ad Marcellinum tribunum, vel duobus ad Valerium comitem, vel quatuor ad Bonifacium Papam retulit. quanquam ſolis per ſe duobus ad Valerium, reliquis tantum velut obiter contradixit. Siluit vero de aliis, etiam de opere elaboratiſſimo ſex librorum, quibus Auguſtinus quatuor Juliani refellit, ſive ipſos nunquam viderit, quod forte mentitur apud Mercatorem; ſive, quod æquius opinari, diſſimulaverit propter difficultatem reſpondendi.

In præf. ad Subnot.

Cap. 22. Primus locus Scripturæ. *Gen. 6. v. 5.*

Ambroſius igitur & Hieronymus, ille in libro de arca & Noë, hic in commentario ad caput 47. Ezechielis, argumentati ſunt verba hæc Geneſis: *Videns Deus, quod multa malitia hominis eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet in malum omni tempore, &c.* feceruntque in eo vim, quod intelligi non poſſit, quomodo hominis, quem Deus rectum condidit ab initio, cuncta cogitatio cordis intenta ſit in malum omni tempore, niſi natura fuerit vitiata, nec jam tales procreentur homines e ſeminibus, qualis primus creatus eſt a Deo e limo.

Exceptio Pelagii.

Locum hunc videtur ſibi Pelagius objeciſſe in libro *de natura*, cum ſcriberet, *primo de eo diſputandum eſſe, quod per peccatum debilitata dicitur & immutata natura*, &c. Objecit vero ſine adverſarii nomine, propter reverentiam, credo, Ambroſii, quem laudare ſolitus erat; negavit porro, ſaltem implicite, hunc eſſe ſenſum Scripturæ, qui dicebatur, ſiquidem natura ipſa peccato, quod per ſe caret ſubſtantia, immutari non poſſit.

Apud Auguſt. l. de natura & gratia c. 19.

Verum locus iſte Geneſeos non videtur a catholicis magni factus, ab Auguſtino certe neglectus eſt. Inde tamen oriri potuit quæſtio, agitata frequentius

poſtea,

poſtea, utrum peccati foret aliqua ſubſtantia, quod Auguſtinus, Hypognoſtes, aliique diſputarunt.

Secundus locus. *Gen. 17. v. 14.*

Credidit Auguſtinus majoris eſſe ad hanc rem momenti, mandatum Dei, de circumcidendis octavo die parvulis: *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.* Sed locus hic, nec a primis diſputatoribus productus eſt; nec ab Auguſtino ita expoſitus, ut conſentientes haberet alios, etiam catholicos interpretes; nec Juliano viſus eſt reſponſione dignus, cum tamen ab eo lectus eſſet, quippe in ſecundo libro *de nuptiis* allatus: quare nec ullam genuit quæſtionem, de circumciſionis fine.

Tertius locus. *Job 14. v. 4.*

Illud vero Jobi, quod juxta LXX. ita legitur: *Quis enim mundus eſt a ſorde? ſed nemo, etſi unius diei ſit vita ejus ſuper terram*; adhibuerunt Hieronymus in caput 47. Ezechielis, Auguſtinus lib. 6. in Julianum cap. 12. alibique paſſim: ſed illud Jobi neque a Pelagianis reſponſum meruiſſe puto, neque potuit vehementer tunc temporis urgeri, ſiquidem Eccleſiæ tractatores fere communiter interpretati ſunt verba hæc in alium ſenſum.

Lib. 1. de interp. Jobi c. 7.

Unde Ambroſius: *Vere miſerabilis conditio, ut homo peccati ſui, quod vitare non poſſit, rationem præſtare cogatur, intrare in conſpectu Domini, & judicium ſubire omnipotentis compellatur, edere cauſas ſuorum geſtorum, quæ tot vitæ ſuæ ætatibus percurrerit, cum mundus a peccato quivis eſſe non poſſit, ut ab ipſis cunabulis prius obrepat infantiæ culpa, quam ſit ullus ſenſus erroris. Quamque illud miſerabile, at brevis ſit vita ejus, dulcis illecebra, multiplex ærumna, iracundia quotidiana! Itaque in exigua delectatione amaritudo perpetua eſt.*

Pſ. 50. v. 7.

In commentario tamen ad illa Pſalmiſtæ verba: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum*; teſtimonio Jobi utitur, ſed, ut tunc erant tempora, implicata de re nondum ſatis explicata.

Quartus locus. *Pſ. 50. v. 7.*

Jam vero famoſum illud Pſalmi 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*; ab omnibus fere catholicis productum eſt, ab Hilario in pſalm. 118. Ambroſio lib. 1. *de pænitent.* cap. 2. Hieronymo in cap. 47. Ezech. Auguſtino lib. 2. *oper. imperf.* cap. 73. & lib. 3. cap. 12. Verum, cum locus iſte afferri ſoleret, ut ex Theodoro apud Photium cognoſcimus, non conſtat, quid reſponſionis a Pelagianis datum ſit.

Quintus locus. *Eccli. 40. v. 1.*

Auguſtinus, cum alibi ſæpe, tum maxime in utroque opere contra Julianum, tota orationis vi argumentatur illud Eccleſiaſtici: *Grave jugum ſuper filios Adam a die exitus eorum de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.*

Sextus locus. *Sap. 12. v. 10.*

Argumentatur & iſtud Sapientiæ: *Non ignorans quoniam nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum; ſemen enim erat maledictum ab initio.*

Lib. 2. de nupt. & concup. c. 8.

Sic enim ait: *Nempe de quibuſcumque dicat iſta, de hominibus dicit; quomodo eſt ergo cujuſlibet hominis malitia naturalis, & ſemen maledictum ab initio, niſi ad illud reſpiciatur, quod per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt?*

Lib. 4. op. imperf. c. 123.

Julianus argumentationem Auguſtini vexat acriter, nititurque ex ea ipſi Manichæam affingere impietatem de natura mala; negat vero inde peccatum originale probari, quia perinde a Sapiente dicitur *Cananæorum ſemen maledictum*, ab initio, atque ab Iſaia *benedictum ſemen Iſraelitarum.* Unde concludit ſeminis conditiones illas, cum ſint oppoſitæ, ad peccatum originale, quod generale debet eſſe, atque una in omnibus ex cauſa oriri, non pertinere.

Iſai. 65. v. 22. juxta LXX.

Septimus & octavus locus. *Rom. 7. v. 17.*

Atque hæc fere ſunt, quæ ad fidem peccati originalis propugnandam catholici ex vetere Teſtamento afferebant, primis illis temporibus: protulerunt e novo alia quinque, ſed quorum duo, quæ partim ex communi lege baptiſmi, partim ex peccato habitante in membris ſumpta ſunt, pertinere magis videntur ad rationes conficiendas, quam ad rem ſuo ſolo pondere firmandam.

Nonus. *1 Cor. 15. v. 22.*

Tertium vero, quod de morte omnium in Adamo, omniumque in Chriſto reſurrectione antea memoratum eſt, rem per ſe non efficiebat, ſed ratiocinii tantum adminiculo, quo cauſa, ut aiunt, ex effectu, peccatum commune omnium mortalium ex communi pœna, quæ mors eſt, concludebatur.

Decimus. *Epheſ. 2. v. 3.*

Quartum pariter ex eo petitum, quod ſumus dicti ab Apoſtolo, *natura filii iræ*, nemo ante Auguſtinum adhibuit; ipſe vero eo uſus eſt, antequam de hæreſi Pelagiana quidquam audiviſſet, in opere nimirum, quod necdum presbyter abſolvit; uſus quoque in prioribus adverſus hæreſim elucubrationibus: quare latere non potuit Pelagium, cui conſtat viſos fuiſſe libros Auguſtini *de libero arbitrio*, hos enim laudat; ignotum tamen quid expreſſe, vel ipſe, vel ſectarii reſponderint.

Lib. 3. de lib. arb. c. 19.

Lib. de natura.

In comment. ad c. 2. ep. ad Epheſ.

Quamquam Pelagius, cum interpretaretur hunc locum, Apoſtoli ſenſum longe alio abduxit, ait enim: *Quando mens noſtra rebus terrenis & carnalibus inhærebat, non ſolum deſiderabamus, ſed & faciebamus, quæcumque mala cogitatio ſuggeſſiſſet; ita nos paternæ traditionis conſuetudo poſſederat, ut omnes ad damnationem nati videremur: Deus autem miſericors*, &c. Quæ videri poteſt reſponſio quædam ad locum Apoſtoli, in libris de libero arbitrio prolatum: ſiquidem ſcripti ſunt a Pelagio commentarii poſt hoſce libros, annis ſaltem duodecim.

Undecimus. *Rom. 5. v. 12.*

Pugnatum eſt igitur a catholicis invicte teſtimonio Apoſtoli: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* &: *Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ.* &: *Sicut per unius delictum, in omnes homines, in condemnationem; ſic & per unius juſtitiam, in omnes homines, in juſtificationem vitæ. ſicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi*, &c. Hinc enim tria confecta ſunt: primum, mortem idcirco in omnes pertranſiſſe, propter Adami peccatum, quia peccatum pertranſiit, id eſt, propagatum eſt; alterum, pertranſiſſe peccatum in eos etiam, qui non imitatione peccaverunt, ſed propagatione ſola; poſtremum, multos per delictum Adæ in perditionem pervenire, perinde ac multi per Chriſti juſtitiam juſti conſtituti ſunt.

Ibid. v. 14.

Ibid. v. 18. & 19.

Argumentum hoc adhibitum eſt, jam inde a primis temporibus naſcentis hæreſis, id eſt, ante quintum ſæculum; fuitque velut fundamentum, quo deinde Eccleſia ſententiam catholicam, definitionemque ſuam ſtabiliri voluit. Illud certe Milevitana ſynodus in literis ad Innocentium I. illud Africana in canone 2. Arauſicana ſecunda in canone itidem 2. Tridentina in ſeſſione quinta, Zoſimus Pontifex in tractoria, Gelaſiuſque in epiſtola decretali ad Epiſcopos Picæni, tanquam apertum fidei teſtimonium protulit.

Et vero, ipſius vi cum vehementer ſe premi Pelagiani ſentirent, nihil non excogitarunt, nihil non dixerunt, quo videri poſſent, & inde ſe expedire, & ſimplicioribus mentibus perſuadere, eo loci, non de peccati traduce, ut tunc temporis aiebant, ſed de imitatione quæſtionem eſſe.

Quid reſponſum a Pelagianis.

Singulas ergo voculas conſectati ſunt, ſingulaque adjuncta argumentati in rem ſuam. Dixerunt primo, peccatum Adami cum juſtitia Chriſti ab Apoſtolo componi, amboque æquari: quare Adami peccatum in omnes non tranſiſſe, quia nec juſtitia Chriſti in omnes tranſiit; idque indicari volebant voce hac, MULTI, qua uſus eſt Apoſtolus, conſulto abſtinens a generaliore. Dixerunt deinde, peccatum ad multos iſtos tranſiſſe, non propagatione, ſed imitatione: nocuiſſe enim poſteris Adamum, ſicut profuit Chriſtus, exemplo ſcilicet, quod ille mali, iſte boni operis præbuit. Dixerunt poſtea, Apoſtolum, ſi de propagatione loqui voluiſſet, non dicturum fuiſſe, per unius delictum peccatum intraſſe, cum propagationis opus ſit duorum. Hæc Julianus prolixe, libro ſecundo poſterioris operis adverſus Auguſtinum, ſed quæ Pelagius in commentariis in epiſtolam ad Romanos, Cæleſtius in libro contra traducem peccati præmonſtraſſet, ſiquidem ea catholici refutarunt ante ann. 422. quo Julianus ad ſcribendum opus iſtud acceſſit.

Quæ inde quæſtiones ortæ.

Hinc quæſtionis quinque ortum duxerunt. An Chriſtus ſolo exemplo profuerit hominibus, eaque fuerit, vel unica, vel potiſſima veniendi cauſa, ut reliquis vitæ modum in ſe oſtenderet. Qua ratione ju-

ſtitia

ſtitia Chriſti proficiat parvulis, qui exemplum imitari non poſſunt. Quomodo parvuli dici poſſint credentes, cum ſolis credentibus Chriſti proſit juſtitia. Qua ratione Chriſtus infantium dici queat, vel redemptor, vel ſalvator & JESUS. An pro ipſis mortuus ſit. Uno verbo quid paucorum illi dierum homines Chriſto debeant. Quamquam & alia etiam occaſione, baptiſmi ſcilicet parvulorum, quæſtiones ejuſmodi diſcuſſæ ſunt.

---

§. II. *Quæ teſtimonia Scripturarum a Pelagianis prolata ſint; quid reſponſi datum a catholicis; quæ inde quæſtiones ortæ.*

Pelagiani teſtimonia teſtimoniis opponunt.

TESTIMONIIS Scripturæ, quæ catholici proferrent, opponenda putarunt Pelagiani alia Scripturæ teſtimonia, quibus ſuam ſententiam, ſi qua poſſent ratione, ſuaderent. Id vero præſtiterunt hac in parte, quod in alia quacumque ſoliti: ſic enim Cæleſtius in tertia parte libri *ratiocinationum*, cum ageret de impeccantia, teſtimonia teſtimoniis compoſuit. Non dubium, quin idem, ut erat ſuæ methodi tetinentiſſimus, obſervaverit in libro *adverſus traducem peccati*; in quo tamen ignotum eſt, quæ adhibuerit, etſi aliqua adhibuiſſe conſtet, vel ex eo, quod in fragmentis nonnulla oblique tanguntur. Ipſa autem procul dubio inde accepit, unde Pelagius & Julianus, ex Rufini Syri libro, ex quo, ſic tanquam ex fonte, hæreſis Cæleſtiana hauſta eſt.

Ignotum quæ Cæleſtius attulerit.

Unum profert Pelagius. *In comment. ad cap. 7. Rom. v. 8.*

Pelagius adducit dictum Pauli: SINE LEGE PECCATUM MORTUUM ERAT; ex eo enim concludit: *Si cum lex non eſſet, peccatum non erat, inſaniunt, qui de Adam per traducem aſſerunt ad nos venire peccatum.* Quaſi diceret: Peccatum in his nullum eſſe poteſt, in quibus nulla eſt legis cognitio; nulla vero eſt in parvulis: in ipſis igitur peccatum eſt quaſi mortuum.

Plura Julianus a Rufino accepta.

Adduxit plura Julianus, partim in libello fidei ſuæ; partim in operibus duobus contra ſanctum Auguſtinum: ſed cuncta fere mutuatus eſt, quemadmodum & Pelagius illud ſuum, a Rufino, ſic tanquam a primo nefariæ doctrinæ, non quidem magiſtro, cum didicerit a Theodoro, ſed ſcriptore, cum Græce ſcripſerit, ante patefactam Latinis hæreſim.

Primum teſtimonium a Rufino prolatum. *Deut. 24. v. 14.* Acceptum a Juliano. *Cap. 12. & ſeqq. pluribus.*

Rufinus igitur primum uſus eſt verbis Dei dicentis ad Moyſen: *Non morientur patres pro filiis, neque filii pro parentibus; unuſquiſque in peccato ſuo morietur.* Id ipſum tranſtulit ſuum in libellum Julianus, tractavitque tragice in libro tertio poſterioris operis. Vis autem in eo erat, quod ita Deus judicare credendus ſit, quomodo judicandum præcipit, cum ſit fons & exemplar omnis juſtitiæ, quæ in judiciis dominari debet.

Expoſitum ab Auguſtino. *Ibidem.*

Reſpondit tamen Auguſtinus, legem hanc pertinere, & ad filios jam natos, & ad homines judicaturos: non item, vel ad filios in primo parente damnatos, in quo ut moriuntur, ita & peccaverunt; vel ad Deum, qui ſua judicia, ſive cum per ſe ipſe judicat, ſive cum per homines vicarios, non alligavit hac lege, quemadmodum conſtat exemplo parvulorum, & qui diluvio, & qui Sodomorum incendio, & qui ſupplicio Achani abſumpti ſunt.

Quæſtio hinc orta.

Atque hinc nata quæſtio eſt, utrum juſtitia vetet, alterum pro alterius noxa puniri, etiam a Deo.

Secundum a Rufino prolatum.

Ezech. 18. v. 3.

Utitur deinde verbis Dei per Ezechielem reſpondentis Iſraëlitarum querelæ, luere ſe parentum peccata, ſibique obſtupeſcere dentes, cum patres manducaſſent acerbam uvam. *Vivo ego, dicit Dominus, ſi ultra fuerit jam dicta parabola iſta in Iſraël: quoniam omnes animæ meæ ſunt, ſicut anima patris, ſic & anima filii, meæ ſunt; anima quæ peccat, ipſa morietur.* Et iterum: *Filius*, inquit, *non accipiet iniquitatem patris, neque pater accipiet iniquitatem filii.* Et iterum: *Unumquemque veſtrum ſecundum viam ſuam judicabo vos, domus Iſraël, dicit Dominus.* Vis hujus loci eadem fuit, quæ prioris. Ipſum quoque pariter Julianus, non ſolum totidem verbis deſcripſit in libello fidei, ſed etiam libro quarto prioris operis, tertioque poſterioris verboſiſſime argumentatus eſt.

Ibid. v. 20.

Ibid. v. 30.

Acceptum a Juliano.

Reſpondit Auguſtinus, dictum illud propheticum eſſe promiſſionem novi Teſtamenti, & ſpiritualis hæreditatis ad alterum ſæculum pertinentis: id enim agi gratia redemptoris, ut paternum chirographum deleat, ſimulque efficiat, ut nemo alterius voluntate ſit reus, ſed unuſquiſque poſtmodum pro ſe rationem reddat. Id vero comprobat Jeremiæ teſtimonio, qui cum pene ſimilia dixiſſet, ſecutus adjunxit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſummabo domui Iſraël, & domui Juda teſtamentum novum: non ſecundum teſtamentum, quod diſpoſui patribus eorum.* In novo igitur Teſtamento, deleto per ſanguinem mediatoris paterno chirographo, incipit homo paternis debitis jam non eſſe obnoxius renaſcendo, quibus fuerat obligatus naſcendo.

Expoſitum ab Auguſtino. *Lib. 6. prioris op. contra Jul. c. 12. & l. 3. poſterioris c. 38. & ſeqq.*

Jerem. 31. v. 31.

Tertium a Rufino adductum, & a Juliano acceptum.

2 Cor. 5. v. 10. *Lib. 4. prioris operis c. 4.*

Utitur pariter Apoſtoli teſtimonio, quod in ſuam quoque confeſſionem fidei Julianus inſeruit: *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Quærebat vero Julianus, id quomodo in parvulis quibuſcumque accipi poſſet, cum nihil mali geſſerint, maxime qui præmature obeunt; nec judicium exerceatur, niſi de operibus propriis malis.

Expoſitum ab Auguſtino. *Lib. 6 c. 4.*

Reſpondit Auguſtinus in utroque opere contra Julianum, & in priore quidem interrogat, *an manifeſtandi ſint parvuli, an non. Si non manifeſtabuntur, quid te adjuvat*, inquit, *iſta ſententia, quando ad eos non pertinet, quorum nunc agitur cauſa? Si autem manifeſtabuntur, quomodo reportat eorum quiſque, quod geſſit, qui nihil geſſit, niſi quia pertinet ad eos, quod per corda & ora geſtantium, ſive credunt, ſive non credunt? Propria corporis ſui enim dixit, quod ad unumquemque in ſeipſo jam viventem pertinet*, &c. In poſteriore autem: *Dic ergo*, ait, *quid boni per corpus geſſerint proprio libero arbitrio, ut recipiant regnum Dei, tam magnum bonum; aut quid mali egerint propria voluntate, qui parvuli abalienabuntur ab hac vita Dei. Quod ſi, ut neceſſe eſt, fatearis, ſine ullis operibus liberæ voluntatis, quæ gerit quiſque per corpus, illos in Chriſto vivificari, cur non fateris iſtos in Adam mori, cum ſcias Adam Chriſto e contrario eſſe formam futuri?* &c.

Lib. 3. c. 109.

Hinc ortæ quæſtiones.

Hoc in loco naſci cœperunt quæſtiones, quæ & ipſæ alia occaſione poſtea commotius ferbuerunt. Quomodo infantes, qui præmature moriuntur, pertinerent ad ſupremum Chriſti judicium, ſive illi baptiſmo tincti ſint, ſive non ſint, cum judicium de bonis operibus maliſque propriis exerceatur. Quam ad partem ſint poſt ſententiam judicis diſceſſuri, qui tincti non fuerunt. An illi medium quendam in locum recedant.

Obſervatio 1. de aliis teſtimoniis.

Advertendum porro, alia quædam e Scripturis producta fuiſſe, tum a Rufino, tum ab ipſius exſcriptore Juliano, cujuſmodi ſunt de naturali uſu concubitus, *Roman.* 1. de ſalvatione matrum per generationem prolis, 1. *Timoth.* 2. de ſanctificatione filiorum a parentibus, 1. *Cor.* 7. de juſtificatione hominum per obedientiam Chriſti, *Roman.* 5. Sed illa, cum valuerint potius ad confirmandas rationes ſolvendaſque objectiones, quam ad id, quod ageretur, per ſe ipſum conficiendum, ad rationes differre debent.

Obſervatio 2. de teſtimoniorum vi.

Advertendum deinde, nulla fere prolata fuiſſe teſtimonia ab alterutra parte, quæ non quiſque ſuum in auctorem retorquere niteretur; nulla etiam, quæ non diligentius diſcuſſa fuerint: ſed laborandum catholicis eo magis fuiſſe, quod veterum tractatorum plures viderentur pro Pelagianis locuti, ut qui contra Manichæos vehementius inveherentur; imo celeberrimi quique inter Græcos, Origenes, Diodorus Tarſenſis, & Theodorus Mopſueſtenus reipſa pelagianizarent; Baſilius & Chryſoſtomus videri poſſent verbo favere; e Latinis duo, Ambroſius & Hilarius, quorum erat ſumma auctoritas, ſententiam dixiſſent, ſecuris, ut ſit, temporibus, id eſt, verbis non uſque adeo ſollicite proviſis, quin dicta contra Jovinianum & Manichæum maleſidis hæreticorum futurorum inſidiis paterent.

Obſervatio 3. de Hieronymo.

Advertendum etiam, Hieronymum, cujus erat ea tempeſtate maxima in interpretandis Scripturis auctoritas, laudatum initio a Pelagianis fuiſſe, quandiu

163

nempe viſus eſt ipſis poſſe, vel in ſuas partes trahi, vel retineri artibus feminarum illuſtrium, amicorumque precibus, ne ſuis molitionibus obſiſteret: poſtea vero quam pro fide pugnare cœpit apertius, calumniam paſſum, partim a Pelagio, quaſi commoveretur invidia erga veterem amicum; partim a Juliano, perinde ac ſi mendacii Chriſtum, peccatique reum feciſſet; partim a Theodoro, tanquam, vel Manichæum, qui homines natura peccare diceret; vel Scripturæ corruptorem, qui quintum Evangelium introduceret; vel imperitum, qui vetus Teſtamentum inepti cujuſdam Hebræi ope perverteret; vel Eccleſiarum peſtem, quas abſurdis ſuis opinionibus imbueret.

Hier. in præf. dial.
Lib. 4. op. poſt. cap. 87.
Phot. cod. 177.

Obſervatio 4. de eodem.

Advertendum pariter, Hieronymum ſcripſiſſe multa, ante motas a Pelagianis quæſtiones, quibus hæreticos juvare credi poſſet, ſaltem a minus eruditis, niſi mentem catholicam aliunde ſatis probaſſet: nam quibus in locis Scripturæ Pelagiani præſidium ponebant, & firmamentum opinionis ſuæ, hos ita expoſuit, ut propter anticipata quædam præjudicia, hæreticorumque ardens odium, propius a Pelagianis, quam ab Auguſtino diſtare, videri queat. Id obſervavit Janſenius Iprenſis in quæſtione de gratia præveniente, & initio fidei, quod etiam videtur de reliquis fere gratiæ myſteriis fateri, cum errores Pelagianos ſuper ea re hauſtos ſcribit ex commentariis Origenis in epiſtolam ad Romanos, quos nemo nunc legit, niſi Latine, quoſque interpretatus eſt Hieronymus more ſuo, id eſt, ut non tam verterit, quam expoſuerit: atque ita ſententias non illibenter voluerit credi jure ſuas, quas ab Origene acceptas, cunctaſque, ut libuit, ornatas quaſi adoptaſſet.

Lib. 7. de hær. Pelag. c. 4.
Lib. 6. c. 17.

Cod. 177.

Advertendum denique quod habet Photius de Theodoro Mopſueſteno, defenſores peccati originalis impugnante. *Porro*, inquit, *Theodorus recte quidem facit, quod hæc ipſa deteſtetur ac rejiciat, interdumque optime ac valide ipſorum abſurdas & blaſphemas opiniones refellat, necnon ſacræ ſcripturæ locis, quibus illi abuſi ſunt, proprios ſenſus adaptando, ut omnino imperitos redarguat. Verum hoc ei perpetuum non eſt: nam & Neſtorii ſectam in multis parturire nobis viſus eſt, & Origenis, ſaltem de fine ſuppliciorum, muſſitare ſententiam.*

Ex his apertum eſt, primo Theodorum omnibus, quæ catholici proferrent, teſtimoniis reſpondiſſe, ſed reſponſiones periiſſe, magno hiſtoriæ detrimento. Deinde vera eſſe fragmenta, quæ Mercator exſcripſit: continetur enim quarto excerpto affine quiddam Origenianæ ſententiæ, cujus meminit Photius. Denique communi convicio Pelagianos imperitiam catholicis exprobraſſe: id enim queritur Auguſtinus frequenter, præſtiterunt vero Pelagianus Julianuſque frequenter. Poſtremo id habuiſſe Pelagianos in more, ut nihil ſibi objectum ſinerent abire ſine reſponſione. Vide Hieronymum in epiſtola ad Cteſiphontem.

---

§. III. *Quas rationes, ad aſtruendum peccatum originale, catholici protulerint; quibus declinationibus uſi hæretici, & quæ inde quæſtiones ortæ.*

Tranſitus ad rationes catholicorum.

POSTQUAM viſum eſt, quibus Scripturæ teſtimoniis pugnatum ſit, hinc & inde, quamque acriter partes utrinque locum hunc agitaverint, oportet deinceps, quod ſecundum propoſuimus, oſtendere quibus catholici rationibus quantiſque ad conſtringendos pertinaces hæreticos uſi ſint. Poſſunt illæ vero facile ad duo capita reduci, ſiquidem aliæ ex parte parvulorum ſumptæ ſunt, aliæ ex parte majorum; utrumque tamen caput Pelagius ſubtiliter advertit ex hoc uno pendere, quod in omnibus natura dicitur vitiata. Advertit etiam Auguſtinus, eum Pelagianis objiceret, quod dicerent, *naturam humanam, neque in parvulis medico indigere, quia ſana eſt; neque in majoribus gratiæ adjutorio, quia ſibi ſufficiens eſt ad ſalutem.*

Quæ ad duo capita revocantur.
Imo ad unum, an vitiata ſit natura humana:
Lib. de natura
Lib. de natura & grat. c. 6.

Ratio ex parte parvulorum.

Ex parte igitur parvulorum catholici argumentum duxerunt hunc fere in modum: Si vitiata non ſit, vel in ipſis infantibus, natura, nec ullum exiſtat originis peccatum, infantes neque baptiſmo Chriſti egent, aut omnino ad Chriſtum pertinent, neque pati debent eas ſub Deo juſto miſerias, quibus obnoxii cernuntur: egere autem infantes Chriſti baptiſmo, conſtans eſt fuitque ſemper Eccleſiæ totius fides: eoſdem miſeriis conflictari, tam manifeſta quam quotidiana experientia oſtendit; eſt igitur in infantibus peccatum originale, naturaque in ipſis quoque vitiata. Verum hoc ratiocinium per partes ſingulas explicari debet; & primum quidem, qua ſpectat baptiſmum.

Et primum quidem petita ex parte baptiſmi, quo egent.

Catholici ergo ab impugnatoribus peccati originalis ſciſcitabantur, qua tandem de cauſa parvuli baptiſmo Chriſti egent, tamque ſollicite geſtantium manibus ad Eccleſiam abluendi feruntur, ſi minus rei ſint peccati a parentibus traducti. Cumque baptiſmus, quem Eccleſia miniſtrat, & Chriſti ſit, & ablutio quædam, & regeneratio, ſeu renovatio interioris hominis, & in remiſſionem peccatorum, & in morte Chriſti, & certis in tota Eccleſia ritibus, iiſdemque ſacramenti verbis in omnibus celebretur, ſeptem inde argumenta ſumpſerunt, Pelagianis ſane invidioſiſſima.

Unde ſeptem argumenta catholici prompſerunt.

Primum Auguſtinus & Mercator.
Matth. 1. v. 21.
1 Tim. 2. v. 6.
Coloſſ. 1. v. 13.

Nam ſi baptiſmus, quem Eccleſia confert parvulis, Chriſti ſit, id eſt, JESU, qui *ſalvum facit populum ſuum a peccatis eorum*; redemptoris, *qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*; liberatoris, *qui eripuit ſuos de poteſtate tenebrarum*; & ejuſmodi plura, quæ Mercator omnium diligentiſſime proſecutus eſt: ſi baptiſmus, inquam, quo infantes tinguntur, ſit Chriſti, eos oportet, vel hoc baptiſmo non indigere; vel ſi egent, ipſius beneficio ſalvari a peccatis, redimi a captivitate, erui de poteſtate tenebrarum, &c. Cum ergo neque peccaverint, neque venerint in captivitatem, atque poteſtatem diaboli, ſuæ voluntatis merito, aliena certe voluntate peccaverunt; aliena in captivitatem venerunt; aliena in poteſtatem tenebrarum inciderunt. Peccatum igitur primi hominis, cujus pœnam, id eſt, mortem patiuntur, ipſis imputatur.

Secundum idem.
Joan. 3. v. 5.

Deinde, ſi baptiſmus ablutio quædam eſt, ut certe eſt, nemoque, *niſi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, introire poſſit in regnum cælorum*, neceſſe eſt procul dubio, ut ſacramenta Chriſti, quia divina quædam ſunt veraciaque ſymbola, id operentur interius quod exterius ſignificant, atque ita *lavacro aquæ in verbo vitæ* parvulorum animæ mundentur a macula; ſed qua tandem, niſi peccati? & cujus peccati, niſi quod & alienum eſt, ut loquitur Cyprianus, propter commiſſionem; & proprium, ut ait Auguſtinus, propter contagium?

Epheſ. 5. v. 26.

Tertium.

Poſtea, ſi baptiſmus habeat vim regenerationis cujuſdam in Chriſto, atque renovationis ſecundum Spiritum, neceſſe eſt, parvulos in primo Adam ante fuiſſe mortuos, quam renaſcantur in Chriſto novo Adam; neceſſe pariter, prius in vetuſtatem lapſos eſſe, quam renoventur, Chriſtum induti, novaque facti in Chriſto creatura. Mors autem illa prævia, non eſt profecto corporis, ſed animæ, quod peccatum; nec alia cogitari poteſt vetuſtas, quam qua Dei imago homini, cum a Deo fingeretur, impreſſa, & peccato quaſi decolorata ſit.

Quartum.
Rom. 6. v. 3.

Quarto, vere dixit Apoſtolus: *Quicumque baptizati ſumus in* CHRISTO JESU, *in morte ipſius baptizati ſumus, & conſepulti cum illo per baptiſmum in mortem.* Cum ergo in morte Chriſti baptizari nihil aliud ſit, quam perinde peccato mori, ac carne Chriſtus mortuus eſt, parvuli procul dubio, cum baptizantur, peccato moriuntur: cui autem, ſiquidem origine nullum traxerunt?

Quintum.

Quinto, confitetur Eccleſia, UNUM BAPTISMA IN REMISSIONEM PECCATORUM: nulli ergo alteri conferri poteſt, niſi forte dicatur vanum quoddam & mendax ſymbolum, quam peccatori; parvuli ergo peccatores, non voluntate, ſed origine.

Sextum.

Cum tandem in baptiſmo exorcizentur parvuli, atque inſufflentur, aut vani ſunt, quos Eccleſia Dei ritus adhibet, aut a parvulis diabolus abigitur, ſub cujus hactenus poteſtate fuerint, vel tanquam filii iræ divinæ, vel tanquam ſervi ſub dominio mortis, atque peccati. Unde Auguſtinus Pelagianos alloquens, cum hoc argumentum tractaret. *Pergite, & ſicut dicitis: In ſacramento Salvatoris baptizantur, ſed non ſalvantur; redimuntur, ſed non liberantur; lavantur, ſed*

Lib. 3. prioris operis contra Jul. c. 3.

non

Digitized by Google

non abluuntur; exorcizantur & exſufflantur, ſed a poteſtate diaboli non eruuntur; ſic etiam dicito: Funditur pro eis ſanguis in remiſſionem peccatorum, ſed nullius peccati remiſſione mundantur. Mira ſunt, quæ dicitis; nova ſunt, quæ dicitis; falſa ſunt, quæ dicitis. Mira ſtupemus, nova cavemus, falſa convincimus. Obſerva quomodo ſanctus doctor argumentum ſuum firmet traditionis pondere, cum novitatis arguit Pelagianorum commenta.

Septimum. Poſtremo denique, cum unus ſit, ſive qui parvulis, ſive qui majoribus confertur baptiſmus; cumque iiſdem ſacramenti verbis in utraque ætate celebretur, eamdem pariter vim habet in utriuſque modi hominibus; atque ita, non minus in parvulis, quam in majoribus animam abluit a macula peccati, idque operatur, quod ablutionis ſymbolum loquitur.

Pelagiani, cum propter hæc argumenta, jam inde a primis motarum quæſtionum temporibus, intoleranda quadam invidia flagrarent, ipſorum vim ſuis artibus, id eſt, cavillationibus, mendaciis, & generali vocum ambiguitate declinare conati ſunt, partim retorquendo ſua in catholicos tela, partim diſtinctionum ſubtilitate infringendo, quæ retorqueri non poſſent.

Phot. cod. 177. Primus igitur erroris parens Theodorus, ut reſponderet quærentibus, *quare pueri ſanctiſſimis myſteriis communicent; cur baptiſmate digni judicantur. Niſi quia & ipſi peccatis abundant, inſito in naturam ipſam peccato; in peccatorum enim hæc remiſſionem conferuntur.* Duas eſſe peccatorum remiſſiones aſſeruit: alteram quidem de commiſſis; alteram vero impeccantiam ipſam, ſeu non amplius peccare, veniamque perfectam, & abſolutum peccati interitum. *Hæc cœpit ſe manifeſtare, ex quo Chriſtus Dominus carnem induit, & nobis dari ἐν ἁγιασμῷ τάξει, perfecte vero datur, & pro bonis operibus, & in inſtauratione poſt reſurrectionem, qua ut potiamur, & nos, & infantes baptizantur.*

In libel. fidei c. 6. num. 40. Rufinus Theodori diſcipulus ante ann. 400. *Sin vero*, inquit, *quod ipſi aſſerunt*, (adverſantes catholici) *propter peccatum Adam moriuntur infantes, dicant nobis, cur ſtatim baptizati mortem guſtare permittuntur: quippe cum omnes, qui baptizati ſunt, & propter hoc filii Dei facti, peccatum habere non poſſint. Et ſiquidem propter peccatum Adam baptizantur infantes, qui ex parentibus chriſtianis nati ſunt, baptizari minime debebunt, & quaſi ſancti proinde habebuntur, quia de parentibus ſunt fidelibus procreati, ſicut beatus Paulus docet, hoc modo dicens:* Alioqui filii veſtri immundi ſunt, nunc
1 Cor. 7. v. 14. vero ſancti ſunt. *Similiter autem etiam beatus Joannes dicit de procreandis filiis, quia ſimul atque naſcuntur, illuminationem ſanctificationis ab unigenito Verbo percipiunt, cum dicit:* Erat lux vera quæ illuminat omnem ho- *Joan. 1. v. 9.*
minem venientem in mundum. *Baptiſma igitur infantes non propter peccata percipiunt, ſed ut ſpiritualem procreationem habentes, quaſi per baptiſma in Chriſto creentur, & ipſius regni cæleſtis participes fiant, ſicut beatus Paulus docet hoc modo:* Si qua in Chriſto nova creatura. *Et ite-* *2 Cor. 5. v. 17.*
rum: Sin autem filii & heredes, heredes quidem Dei, *Rom. 8. v. 19.*
coheredes autem Chriſti. *Unde Cornelius, qui teſtimo-* *Act. 10.*
nio Dei, juſtitiam tenebat, quoque baptiſma Spiritus, ſicut & Apoſtoli, perceperat, & ſancti Spiritus particeps erat, quo in ſe inhabitante, peccatum penitus habere non poterat, neceſſario tamen etiam illo baptiſmate, quod per aquam traditur, dignus habitus eſt, ut, ſecundum beatum Paulum, complantatus propter mortem ſimilitudi- *Rom. 6. v. 5.*
nis Chriſti, etiam ipſius reſurrectionis coheres exiſteret.

Cap. 7. num. 48. Et poſtea: *His qui credunt in ipſum, ſpiritualem adoptionem largitur & dona, & efficit regni ſui cæleſtis heredes, ſicut ipſe Dominus noſter* Jesus Christus
docens dicit: Amen, amen dico tibi, ſi quis non denuo *Joan. 3. v. 3.*
natus fuerit, non poteſt videre regnum Dei. *Unde infantes qui in peccatis non ſunt, merentur tamen baptiſmatis gratiam, ut in Chriſto nova generatione creati, etiam regni ejus coheredes efficiantur, ſecundum beatum Pau-*
lum: Si qua in Chriſto nova creatura. *2 Cor. 5. v. 17.*

Pelagius ann. 417. Pelagius, cum literis quereretur apud ſanctum Innocentium, ſe infamari, quod negaret parvulis baptiſmi ſacramentum, & abſque redemptione Chriſti aliquibus regna cælorum promitteret: *Nunquam ego*, inquit, *vel impium aliquem hæreticum audivi, qui hoc, quod propoſui de parvulis, diceret; quis enim ita evangelicæ lectionis ignarus eſt, qui hoc affirmare conetur? imo qui vel leviter dicere, aut ſentire etiam poſſit? Deinde quis tam impius, qui parvulos exortes regni cælorum eſſe velit, & non eos baptizari, & in Chriſto renaſci putet, cum aperte dicat Chriſtus:* Niſi quis renatus *Joan. 3. v. 3.*
fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei? *Quis ille tam impius eſt, qui cujuſlibet ætatis parvulo interdicat communem humani generis redemptionem; & in perpetuam certamque vitam renaſci nolit eum, qui natus ſit ad incertam?*

Et in libello fidei: *Baptiſma unum tenemus, quod iiſdem ſacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, aſſerimus eſſe celebrandum.* *Part. 3. num. 17.*

Quin etiam, cum interrogaretur a piis quibuſdam catholiciſque amicis, reſpondit, *infantes in remiſſionem* *Lib. de grat. Chriſt. c. 32.*
peccatorum percipere baptiſmum. Quæ cum retuliſſet Auguſtinus, *Non hic dicit in verbis remiſſionis peccatorum, ſed eos baptizari in ipſam remiſſionem confeſſus eſt; & tamen, ſi ab eo quæreretis, quid peccati eis credatur remitti, non eos aliquid peccati habere contenderet.*

Cæleſtius in libello fidei, cum totidem verbis de baptiſmo, quibus Pelagius, dixiſſet, addidit de ſuo: *Cæleſtius anno vel 412. vel 417. Num. 18.*
Infantes autem debere baptizari in remiſſionem peccatorum, ſecundum regulam univerſalis Eccleſiæ, & ſecundum Evangelii ſententiam, confitemur, quia Dominus ſtatuit regnum cælorum nonniſi baptizatis poſſe conferri: quod quia vires naturæ non habent, conferri neceſſe eſt per gratiæ largitatem. In remiſſionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco dicimus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longe a catholico ſenſu alienum eſt, quia peccatum non cum homine naſcitur, quod poſtmodum exercetur ab homine; quia non naturæ delictum eſt, ſed voluntatis eſſe demonſtratur. Et illud ergo confiteri congruum eſt, ne diverſa baptiſmatis genera facere videamur; & hoc præmunire neceſſarium, ne per myſterii occaſionem, ad creatoris injuriam, malum, antequam fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam.

Julianus in libello fidei. *Baptiſma ſecundum exemplum Eccleſiæ, & præceptum Dei, unum fatemur, quod omnibus ſimul ætatibus neceſſarium veraciter, & tradimus, & tenemus; & veniam peccatorum ac regnum cælorum dicimus, invenire neminem poſſe, niſi qui baptiſmum fuerit conſecutus.* *Julianus ann. 418. Parte 1. num. 23.*

In priore opere adverſus Auguſtinum, poſtquam graviſſime queſtus eſt, baptiſmi quæſtionem ſuæ parti apud ignaros invidioſam mendaciis adverſantium factam fuiſſe. *Gratiam*, inquit, *baptiſmatis dicimus, non pro cauſis eſſe mutandam, quod ipſa dona ſua, pro accedentium capacitate, diſpenſat: ideoque Chriſtus, qui eſt operis ſui redemptor, auget circa imaginem ſuam continua largitate beneficia; & quos fecerat condendo bonos, facit innovando adoptandoque meliores.* Ad hæc verba, *Lib. 3. contra*
vide quid Auguſtinus, atque etiam Mercator in Sub- *Jul. c. 3.*
notationibus afferat.

In poſteriore opere hunc ipſum prioris operis lo- *Lib. 1. c. 53.*
cum retractans, ait: *Cum dixiſſem auctorem Deum cæli & terræ, omniumque quæ in eis ſunt, ac per hoc, & hominum, propter quos cuncta facta ſunt; non autem me fugit, inquio, cum hæc dicimus, illud de nobis diſſeminandum eſſe, quia gratiam Chriſti Domini neceſſariam parvulis non putemus, quod chriſtianos populos laudabiliter & vehementer offendit, ſi tamen dicti per ſe nefarii non nos arbitrarentur auctores. Eo enim modo nec de fratribus ſuis falſa credendo crimen incurrerent, & ſtudioſos ſe circa amorem fidei comprobarent. Muniendi igitur nobis iſta pars eſt contra impetum vanitatis, & confeſſione brevi os obloquentium conſuendum. Nos igitur in tantum gratiam baptiſmatis omnibus utilem ætatibus confitemur, ut cunctos, qui illam non neceſſariam, etiam parvulis putant, æterno feriamus anathemate. Sed hanc gratiam locupletem ſpiritualibus donis credimus, quæ multis opima muneribus, ac reverenda virtutibus, pro infirmitatum generibus, & humanorum ſtatuum diverſitatibus, una, tam remediorum conſolatrice quam munerum, virtute*

medica-

169

medicatur. qua cum admovetur, non eſt mutanda pro cauſis: jam enim ipſa dona ſua pro accedentium capacitate diſpenſat. Sicut enim artes omnes, non pro diverſitate materiarum, quas arripiunt excolendas, ipſæ quoque, aut detrimenta, aut augmenta patiuntur, ſed eodem ſemper atque uno modo ſe habentes, multiplices decorantur effectu; ita & ſecundum Apoſtolum, una fides, unum baptiſma, & multiplicantur, & dilatantur in donis, nec tamen in myſteriorum mutantur ordinibus. Sed hæc gratia non adverſatur juſtitiæ, quæ maculas eluit iniquitatis; nec facit peccata, ſed purgat; quæ abſolvit reos, non calumniatur innocuos: Chriſtus enim, qui eſt ſui operis redemptor, auget circa imaginem ſuam continua largitate beneficia; & quos fecerat condendo bonos, facit innovando adoptandoque meliores.

Cap. 54.

Et paulo poſt: *Ecce quanta confeſſionis luce & eos, qui baptiſmum parvulis denegarent, & vos, qui ejus præjudicio juſtitiam Dei audetis maculare, reprobavi; proteſtans aliud me non tenere, quam inſtituta myſteria iiſdem, quibus tradita ſunt verbis, in omni prorſus ætate eſſe tractandã, nec pro cauſarum varietate debere mutari: verum fieri peccatorem, ex malo perfecte bonum; innocentem autem, qui nullum habet malum propriæ voluntatis, ex bono fieri meliorem, id eſt, optimum, ut ambo quidem in Chriſti membra tranſeant conſecrati, ſed unus deprehenſus in mala vita, alter in bona natura. Ille enim innocentem, quam ex ortu acceperat, prava actione corrupit; hic vero, ſine laude, ſine crimine voluntatis, hoc ſolum habet, quod a Deo conditore ſuſcepit, qui infucata primævitate felicior, bonum ſimplicitatis ſuæ vitiare non potuit.*

Obſervatio prima, hoc argumento uſos Pelagianos.

Circa hæc hæreticorum dicta, obſervandum mihi videtur primo, Pelagianos argumentum a baptiſmo petitum, pro peccato originali aſtruendo, adhibuiſſe in contrariam partem: nec eo tantum modo, quo Rufinus, ſed iſto etiam quo Cæleſtius. *Si peccator peccatorem genuit, ut parvulo ejus peccatum originale in baptiſmi ſuſceptione ſolvatur; juſtus ergo juſtum gignere debuit.* Et: *Si baptiſmus mundat antiquum illud veternoſumque peccatum; qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato; non enim poterunt ad poſteros tranſmittere, quod ipſi minime habuerint.* Variis igitur elocutionibus unam dixerunt ſententiam: ſed inde magnam ſibi conflarunt invidiam, quaſi filios ipſi fidelium aſſererent non egere baptiſmo; qua tamen viciſſim invidia catholicos onerarunt, perinde ac ſi ex dogmate fidei ſequeretur, non egere baptiſmo filios fidelium. Quare reciproca iſthæc altercatio viſa eſt continere totius diſputationis ſummam, ſed Pelagianis adverſam: atque idcirco Innocentius conſtituiſſe dicitur, adverſus Pelagium & Cæleſtium, *ut qui natus fuerit de chriſtiana, denuo naſci debeat per baptiſmum.* Idcirco etiam Julianus execratur eum, *qui dicit de duobus baptizatis natum, vel de muliere baptizata pronatum, baptiſmatis gratia non egere.* Qua execratione conatus eſt objectum ſibi crimen in auctores regerere.

In lib. pontific.

In libello fidei parte 3.

Obſervatio ſecunda de diſtinctionibus, quas Pelagiani ex Chryſoſtomo petierant.

Obſervandum pariter, Pelagianos catholicis interrogantibus, cur infantes, ſi careant originali macula, egeant lavacro baptiſmi, magnaque vi rationum pugnantibus, reſpondiſſe ita, ut diſtinctionibus infringere tentarent vim rationum; ſed diſtinctiones videri vellent ex homilia Chryſoſtomi ad neophytos ſumere, ubi pugnans ille adverſus quoſdam cæleſtem gratiam baptiſmi in ſola peccatorum remiſſione conſtituentes, poſt honores alios decem computatos. *Hac de cauſa*, inquit, *infantulos baptizamus, cum non ſint coinquinati peccatis, ut eis addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, ut ejus membra ſint, & ſpiritus inhabitatio ſiunt.* Hanc porro Chryſoſtomus homiliam dixit Antiochiæ, atque adeo ante ann. 398. quo ad Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ thronum acceſſit. Uſi ſunt autem ipſimet Chryſoſtomi verbis Pelagiani, & imprimis Rufinus, ſed Julianus maxime, qui in omnibus ſuis operibus hanc obtrudit homiliam.

Obſervatio tertia, quæ catholicæ Pelagiani verbo tenus dicerent.

Obſervandum etiam, eoſdem hæreticos, ut communem fidelium omnium offenſionem effugerent, longe plurima in ſpeciem catholica admiſiſſe: communem videlicet omnium, etiam parvulorum, redemptionem a Chriſto, *Pelag.* pro parvulis quoque Chriſtum eſſe mortuum, ac ſanguinem fudiſſe, *Julian.* eoſdem per baptiſmum regenerari, *Rufin.* renaſci, *Pelag.* & novam fieri in Chriſto creaturam, *Rufin.* omnibus opus eſſe lavacro Chriſti, *omnes* etiam juſtis, ut Cornelio, *Rufin.* etiam natis ex fidelibus, *Julian.* baptiſmum unicum pro majoribus & infantibus a Chriſto inſtitutum, *Pelag. Cæleſt. Julian.* qui iiſdem verbis ritibuſque in utraque ætate celebrari debeat, *Pelag.* quique in remiſſionem peccatorum ſuſcipiatur, *Theod. Cæleſt.* atque id fieri ſecundum Eccleſiæ regulam, & Evangelii formam, *Cæleſt.*

Obſervatio quarta, quem ob finem Pelagiani parvulos baptizari dicerent.

Obſervandum poſtea, cum poſtularent catholici, qua tandem de cauſa Pelagiani aſſererent opus eſſe baptiſmo parvulis, non aliis reſpondiſſe verbis, quam Chryſoſtomi, ut eis addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio, fraternitas Chriſti, ut ejus membra fiant & ſancti Spiritus templa, ut hæredes Dei & Chriſti populus, ut regnum cælorum conſequantur, quod quia naturæ vires non habent, conferri neceſſe eſt per gratiæ largitatem, id eſt, quod aiunt in ſcholis, ut ex naturali ſtatu in ſupernaturalem eleventur.

Obſervatio quinta, quas diſtinctiones protulerint.

Obſervandum denique, verſipelles hæreticos contra rationes catholicorum ſex præſertim diſtinctionibus ſe defendiſſe.

Primum geminæ redemptionis.

Contra primam meminerunt geminæ redemptionis; alterius, qua proprie redimantur captivi; alterius, qua quid proprie dicatur emi, ut inhabitanda domus. Chriſtum aiebant ſuo ſanguine redemiſſe & peccatores velut captivos, & infantes velut templa, quæ per fidem inhabitaret. Aiebant etiam, dici poſſe ſalvari eos, ſive qui ex malis boni, ut majores; ſive qui ex bonis meliores fierent, ut parvuli. Quin & pretium fatebantur pependiſſe Chriſtum, effuſo ſanguine: ſed unde alii diteſcerent tantum, ut parvuli; alii etiam liberarentur a ſervitute peccati, ut majores.

Tum geminæ rationis in baptiſmo. *Hypognoſt. l. 5.*

Contra ſecundam, ſpectari jubebant in baptiſmo, & quod ſit lavacrum aquæ, & quod gratia adoptionis: utrumque prodeſſe majoribus, infantibus poſterius ſolum. Unde illud jactabant: IN INFANTIBUS NON HABET AQUA QUOD ABLUAT, HABET ORATIA QUOD ADOPTET.

Poſtea geminæ generationis.

Adverſus tertiam, dixerunt, cogitari debere duplicem hominis unius generationem; carnalem unam, qua filius ſit veteris Adam; ſpiritualem alteram, qua filius Dei, novaque in Chriſto creatura, & membrum novi Adam. Poſteriorem in baptiſmo contingere, qui idcirco regenerationis, renovationis, procreationis, & novæ nativitatis nomine vocetur.

Denique gemini effectus baptiſmi.

Ad quartam, confeſſi ſunt, eos qui baptiſmum percipiunt, complantatos fieri ſimilitudini mortis Chriſti, non tamen ita, ut omnes moriantur propter peccatum, ſicut Chriſtus; ſed ut cuncti tantum reſurrectionis Chriſti cohæredes fiant. Hujus ſententiæ partem verbo Rufinus perſtrinxit; totam Julianus prolixiſſime, reclamante Auguſtino, tractavit.

Variæ Pelagianorum ſententiæ de eo, quod baptiſmus ſit in remiſſionem peccatorum.

Jam vero ad quintam, quod unicum baptiſma confiteatur Eccleſia, & illud quidem quod in remiſſionem peccatorum conferatur, non una fuit Pelagianorum reſponſio: nam ſciſſis in contraria partibus, fuerunt qui negarent, ut Julianus, baptiſmum conferri parvulis in remiſſionem peccatorum, ſed majoribus tantum; ſiquidem virtus cæleſtis gratiæ pro ſtatuum humanorum diverſitatibus, aliis munera tantum confert, aliis etiam remedia. Fuerunt & qui geminam, ut Theodorus, commenti ſint remiſſionem peccatorum: unam, quæ venia commiſſorum, & hæc majores ſpectat; alteram, quæ impeccantia, eaque omnibus, etiam parvulis, in baptiſmo conceditur. ſed hæc in vita imperfecte tantum & in arrha, in regno cælorum per ſeipſa, & perfecte, quippe cum hujuſce regni hæreditas in baptiſmo cernatur. Nonnulli fatebantur quidem dici poſſe, quod parvuli baptizarentur in remiſſionem peccatorum: verum eam dumtaxat ob cauſam, quod per ſacramentum regenerationis fierent filii membraque Eccleſiæ, extra quam nemo remiſſionem peccatorum

Prima.

Secunda.

catorum

čatorum conſequitur, & in qua ipſi poſſent aliquando, ſi poſt fidem peccarent, veniam adipiſci. Illi ergo parvulos baptizari dicebant in remiſſionem peccatorum, & quidem ſuorum, ſed futurorum: commiſſorum quoque alii aiebant, ſed vel in priore vita, antequam animi laberentur in corpora, quod indicare Theodorus videtur Photio; vel in ipſis matrum uteris, aut recens nati, quod alii quidam apud Auguſtinum.

Tertia.

Ad ſextam ſeptimamque, ſumptam ex unitate, tum baptiſmi ipſius, tum verborum & rituum, quibus in tota Eccleſia celebratur, reſpondit Julianus in utroque opere contra Auguſtinum, expoſuitque loquaciſſime, quod verbo dixerat in libello, *unicum ſe veraciter tradere, & tenere baptiſma, ſecundum Eccleſiæ exemplum & præceptum Dei*, quia, ut alias loquitur, unicum ſufficit diverſis, pro diverſitate ſuſcipientium, effectibus præſtandis.

Infinitus ſim nimiuſque, ſi velim quæcumque hinc & inde, ſive objecta, ſive rejecta, perſequi. Totus eſt Auguſtinus, partim in iis urgendis, partim in referendis; totus Hypognoſtea Sixtus, totuſque Marius Mercator. Hic in libro *Subnotationum*: Sixtus in libris *Hypognoſticon*: Auguſtinus tribus libris *de peccatorum meritis & remiſſionibus*, libro *de peccato originali*, libris ſex prioris operis contra Julianum, totidem imperfecti, pluribuſque ſive ſermonibus, ſive epiſtolis.

Animadverti porro, neminem veterum hoc argumentum ex baptiſmo infantium non adhibuiſſe, ad demonſtrandum, vitiatam eſſe peccato, in ipſis etiam expertibus rationis infantibus, naturam.

Secundum argumentum cujus auctor Auguſtinus, petitum a miſeriis infantium.

Alterum invenit Auguſtinus, quod opinor, Mercatorem, Hypognoſtem, & auctorem librorum de vocatione gentium docuit, quodque hauſit ex capite 40. Eccleſiaſtici dicentis impoſitum eſſe *jugum grave ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.* quod in parvulis exponens: *Langueſcunt*, ait, *ægritudinibus, torquentur doloribus, fame & ſiti cruciantur, debilitantur membris, privantur ſenſibus, infeſtantur a dæmonibus, &c. quomodo iſta ſine ulla ſua mala cauſa juſte patiuntur?* Et alio in loco: *Si tibi placet innocentia parvulorum, remove ab eis, ſi potes, grave jugum quod eſt ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris eorum; ſed puto quod Scriptura, quæ hoc dixit, melius te noverat quid eſſet innocentia creaturæ, & quid juſtitia creatoris: quis autem non videat, ſi habent parvuli qualem prædicas innocentiam, in gravi jugo eorum Dei non eſſe juſtitiam? Porro quia in jugo gravi eorum divina juſtitia eſt, non eſt in eis talis, qualem prædicas, innocentia, niſi forte tibi in hac quæſtione laboranti, Deus juſtus quidem, ſed infirmus, quodammodo ſubvenire poterit, qui ſuis imaginibus, ne innocentes gravi jugo miſeriæ premerentur, ſubvenire non potuit, ut eum dicas, voluiſſe quidem, quia juſtus eſt, ſed non potuiſſe, quia omnipotens non eſt: atque ita de iis anguſtiis exeas, ut fidei caput perdas, qua fide primitus in ſymbolo confitemur, credere nos in Deum Patrem omnipotentem. Deus igitur tuus, in tot & tantis malis quæ parvuli patiuntur, aut juſtitiam, aut omnipotentiam, aut ipſam curam rerum humanarum perditurus eſt; quodlibet autem iſtorum dixeris, vide quid egeris.*

Eccli. 40. v. 1. Epiſt. 28.

Oper. imperf. lib. 1. c. 50.

In quo poſita vis argumenti.

Tota vis argumenti in hoc uno principio vertitur, quod injuſtum ſit, parvulos ejuſmodi miſeriis conflictari, ſin minus aliquid eſt in ipſis, quod Deo diſpliceat, atque vindicetur: ætas enim iſta, cum per ſe ſit innocens opus Dei, aliunde vitium habere non poteſt, quam unde ſi quid contrarium Deo exiſtit, ex malæ nimirum voluntatis peccato, quod unum, cum a Deo non ſit, contrarium Deo eſt; id vero quia per ætatem in parvulis reperiri non poteſt, oportet a parente totius generis in poſteros tranſiiſſe.

Nihil reſpondit Julianus quod extet.

Quanta ſit quamque certa hæc argumentatio, oſtendimus olim in ſcholis, nec patitur locus afferre plura. Nullus porro veterum ante Auguſtinum, quod ſciam, ratione hac uſus eſt. Quid reſponderit Julianus, non memini me legere; non fuit tamen neſcius, quandoquidem Auguſtinus teſtimonium Eccleſiaſtici protulerat libro ſecundo *de nuptiis & concupiſcentia*, in quem poſteriore opere Julianus pugnat.

Reſponderunt alii Juliano priores.

Reſponderunt alii priores, *iſta non eſſe naturæ reæ ſupplicia, ſed puræ primordia: ideoque Chriſtum, qui ſine ullo peccato carnem ſumpſit ex virgine, plures infantilis ætatis infirmitates, perinde atque mortalitatem, cæteraque omnium communia aſſumpſiſſe.*

Apud Auguſt. lib. 1. de peccat. meritis. &c. cap. 27.

Sed inde catholici acrius inſtiterunt.

Verum ex hac ipſa reſponſione catholici robur addiderunt argumentationi ſuæ: nam ſi *Deus*, quod teſtatur Apoſtolus, *Filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne*, fateri oportet, aliquam eſſe peccati carnem, ſiquidem nulla poteſt eſſe ſimilitudo rei, quæ ipſa nulla ſit; nulla vero eſt peccati caro, ſi natura cunctis in hominibus talis exiſtat, qualis in Adamo condita eſt: nam certe Chriſtus non fuit ſimilis carne hominibus, qui carnem ſuam vitiis inquinarunt.

Rom. 8. v. 3.

Sed calumniam inde ab hæreticis paſſi ſunt.

Inde vero hæretici occaſionem arripuerunt faciendæ catholicis calumniæ, quaſi cum Manichæo tribuerent Chriſto phantaſticam dumtaxat carnem, ſolamque noſtræ imaginem; ſiquidem noſtra peccati ſit, Chriſti vero ſimilitudo carnis peccati. Hinc Theodorus, cum a catholicis, ne Chriſtum quidem a peccatis eximi, dixiſſet, *quamquam in aliis ipſorum*, ait, *blaſphemiis obſervare licet, non vere hos & natura, ſed figura dumtaxat humanam ipſi naturam attribuere.* Hinc Pelagius, Cæleſtius Julianuſque in ſuis fidei profeſſionibus tam ſollicite prædicant, *Chriſtum fuiſſe nobis ſecundum humanitatem conformem, abſque ſola peccati macula, quæ naturalis non eſt.*

Apud Photium cod. 177.

Ortæ inde quæſtiones.

Hinc nata quæſtio primum, cur Chriſtus, qui de Virgine naſci voluit non communi partu, communes tamen voluerit carnis infirmitates aſſumere? Deinde cur paſſus ſit ac mortuus agnus innocens, ſi mori & pati ſit peccati pœna. Tum cur infantes poſt baptiſmum ejuſmodi malis, & præſertim dæmonum vexationi ſubjaceant, cum juſti ſint & filii Dei. Denique utrum in loco innocentis naturæ, qui paradiſus a Deo conſitus, futuri eſſent, & gemitus parientium, & abortus partuum, & agricolarum infelices ſudores.

Affine argumentum a miſeriis majorum.

Huic argumento affine eſt alterum, quod ex parte majorum ſumitur. Suas enim ipſi patiuntur miſerias, non communes tantum cum infantibus, ſed proprias longe plures, quas graphice Auguſtinus depingit libro 22. de civitate Dei. *Omnium*, inquit, *mortalium progeniem fuiſſe damnatam, hæc ipſa vita, ſi vita dicenda eſt, tot & tantis malis plena teſtatur. Quid enim aliud indicat profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error exiſtit, qui omnes filios Adam tenebroſo quodam ſinu ſuſcepit, ut homo ab illo liberari ſine labore, dolore, timore non poſſit? Quid amor ipſe tot rerum vanarum atque noxiarum*, &c. Paulo poſt: *Verum hæc hominum ſunt malorum, ab illa tamen erroris & perverſi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam naſcitur*, &c. Tum capite conſequente: *Præter hæc mala hujus vitæ bonis maliſque communia, habent in ea juſti etiam proprios quoſdam labores ſuos, quibus adverſus vitia militant, & in talium præliorum tentationibus periculiſque verſantur. Aliquando enim concitatius, aliquando remiſſius, non tamen deſinit caro concupiſcere adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*, &c.

Cap. 22.

Quæ duum generum, animi & corporis.

Manifeſtum inde eſt miſerias majorum proprias ad duo capita revocari: aliæ ſiquidem animum, ut concupiſcentia, ignorantia recti, & difficultas boni; aliæ corpus, ut mortalitas, morbi, laborioſa terræ cultio, difficilis parturitio feminarum, &c. ſpectant. *Oportet vero ut horum malorum cauſa ſit aut iniquitas vel impotentia Dei, aut pœna primi veteriſque peccati.* NEQUE ENIM SUB DEO JUSTO MISER ESSE QUISQUAM, NISI MEREATUR, POTEST.

Aug. l. 4. contra Jul. c. 16. Lib. 1. operis imperf. c. 40.

Miſerias primi generis Auguſtinus fere ſolus: Secundi, veteres argumentantur.

Ex priore parte, malis ſcilicet animæ, primus omnium, quod ſciam, Auguſtinus argumentum duxit; nam ex altera duxerant jam inde a primis temporibus veteres fidei defenſores, quibus tacite reſpondens Rufinus: *Dicimus*, inquit, *quod in bonum Deus præſtitit primo homini Adam ſudores pariter ac labores, quos de terra pateretur; quippe cum non aliter inviſibiles inimicos, contra quos habemus continuam luctationem, veneranda fide ſuperare poſſimus, niſi corporis laboribus fatigati*, &c. Id vero pluribus diſputat, allatis utriuſque Teſtamenti locis, & eo quidem probabilius in ſpeciem, quod antiqui Geneſis interpretes, ut Chryſoſtomus, Ambroſius, &c. de laboribus perinde ac de mor-

Libello fidei c. 6. n. 35.

te ſcripſerint, collatos nempe hominibus a Deo beneficii potius quam ſupplicii loco.

Exponitur argumentatio Auguſtini.

Auguſtinus hoc in loco magnum cauſæ ſuæ præſidium poſuit, quaſi vitiatam hominum naturam aperte monſtret id omne, quod contrarium felici primorum parentum ſtatui patimur: ita vero ratiocinatus videtur. Informavit primum animo ideam perfectæ cujuſdam vitæ, quam ageret in jucundiſſima ſede innocens homo, cujus ſuprema pars animæ Deo, inferior ſuperiori, utrique corpus ſubeſſet: cui natura quælibet rationis expers dominanti, atque ipſa etiam tellus colenti, ad nutum pareret. Deinde hominem ita inſtitui debuiſſe, confecit partim ex eo, quod opus infiniti artificis deceat eſſe dignum auctore, atque ita omni ex parte abſolutum: partim, quod imago Dei debeat exemplari ſuo reſpondere, id eſt, pulcherrima creatura optimo creatori, ſuique & inferioris naturæ domina omnium domino. Cum tamen cerneret, longa diverſam eſſe nunc hominum, quam olim Adami conditionem, pro felicitate miſeriam, pro ſubjectione rebellionem, pro vita perenni mortalitatem, pro perfectione vitium irrepſiſſe; concluſit aliquo totam hominum gentem peccato teneri: certum enim credebat, in opus Dei vitium irrepere non potuiſſe, niſi humanæ voluntatis peccato aperiente viam, id eſt, ſpontanea hominis a Deo averſione. Nam qui, aiebat, aliunde poſſet omnipotens cogi, opus ſuum deſerere, ut alter potentior invidenſque noceret, aut quomodo, ſi non cogeretur, vel bonus repeteret collata beneficia, niſi ab indigno; vel juſtus privaret bonis jam conceſſis hominem, (quod profecto punire eſt) niſi demeritum; vel amantiſſimus hominum

Eccli. 40. v. 1.

imponeret *grave jugum ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, uſque ad diem ſepulturæ in matrem omnium*, niſi communis culpæ reos? Aliquam igitur oportet eſſe culpam, eamque communem omnium, quam voluntate commiſerit totius generis auctor, tunc cum omnes erant unus ille homo; quamque poſteri contrahant, cum ex carne peccatrice, id eſt, propter peccatum ſpoliata donis, procreantur; luantque in loco miſeriæ, excluſi a loco innocentis felicitatis.

Quam magni omnino fecit.

Suum iſtud ratiocinium tanti fecit Auguſtinus, ut Pelagianos, cum ea quæ patimur, jactarent eſſe primordia naturæ, minus refellat quam rideat, velut abſurditatis fatuitate majoris convictos, atque paradiſum, ubi creatus Adam eſt, pingendum a Pelagianis dicat,

Lib. 3 op. imperf. Cap. 163. & 199.

tanquam *magnæ beatitudinis locum, in quo habitatores ita beata pace fruerentur, ut in ſeipſis inteſtino bello, ne in conſenſum illicitis vel inhoneſtis concubitus laberentur, contra motus concupiſcentiæ dimicarent. Ubi, etſi ipſa concupiſcentia occultis motibus corda caſta ſollicitans, non poſſet ulla exprimi arte pictoris; pingi tamen poſſent gravidæ feminæ, cibos utiles faſtidio repellentes, fœda delectatione noxios appetentes, nauſeantes, vomentes, pallentes, immaturos fœtus abortu aliquando fundentes, in ipſo etiam partu, pœna, quam mater Eva ſuſcepit, miſeriam ſuam proteſtantes, etſi non ſonante pictura, tamen facies triſtium, gementium, plorantium, ſicut poterat, imitante, &c.* Pergit vero: *Hanc picturam reſciens quiſquis aſpiceret, & titulum legeret, cauſaſque requireret, hæc ei videlicet, ſed a vobis, egregia ratio redderetur, qua diceretur:* Talis eſſet omnino etiam ibi conditio generis humani, quia talis eſt hic, ubi ſcilicet a fœtibus hominum nulla trahitur origo peccati. *Si acquieſceret, fieret Pelagianus: ſi vero irritæ huic inſipientiæ acquieſcere nollet, argueretur a vobis ut Manichæus*, &c.

Non tamen omnibus probavit.

Verum non omnibus communiter id omne ratiocinii ſui probavit Auguſtinus: ſunt enim e ſcholaſticis, qui nonnullam in eo videantur ſibi, aut pati, aut facere difficultatem. quade re ipſi viderint, nos aliud agimus. Legi poteſt hanc in rem utrumque opus contra Julianum, ubi, recollectis, quas contenderat ubique paſſim, viribus ingenii, pugnat pro fide peccati originalis, non teſtimoniis ſolum Scripturæ, ut theologus, ſed etiam rationibus, velut philoſophus. De quibus obiter obſervatione dignum puto, rationes, ſi traditione Eccleſiæ, & communi fidelium ſenſu confirmentur, graviſſimi juxta atque invicti eſſe roboris; ſi per ſe tractentur, & philoſophorum arte, videri quibuſdam poſſe labefieri.

---

§. IV. *Quibus rationibus Pelagiani fidem oppugnaverint; quid reſponderint Catholici; quæ inde quæſtiones ortæ.*

Rationes plurimas Pelagiani congeſſerunt.

UT teſtimonia teſtimoniis, ita rationes Pelagiani rationibus opponendas putarunt; hoc tamen diſcrimine, quod teſtimonia pauca multis, paucis rationibus plurimas objecerint: neque id mirum, ſiquidem nihil ſit ingenioſius humana ſuperbia jugum detrectante, quo captivetur; nihil fœcundius humana mente, cum ſuperbiæ cauſam agit.

Ex duobus locis hauſtas.

Oſtenſum eſt antea, rationes omnes catholicas eo directas fuiſſe, ut natura peccato primi hominis vitiata probaretur. Tendebant in oppoſitum Pelagiani, ne vitiata peccato natura, peccatumque, ut aiebant, naturale crederetur: in eo enim, quod peccatum naturale diceretur, videbantur ſibi videre pugnantes rationes. Nam quidquid peccatum eſt, inquiebant, id oportet & voluntarium eſſe homini, & Deo juſto vindicandum; quidquid autem naturale eſt, nec ad voluntatem pertinere poteſt, ut quæ naturam ſequitur; nec a Deo puniri, cujus & juſtitia meritorum judex eſt, & ſapientia naturalium auctor. Deinde nec effectrices ullas cauſas hujuſce peccati, nec ullum traducendi modum excogitari poſſe dicebant: unde ex his duobus quaſi locis, natura ſcilicet peccati & traductionis modo, duxerunt argumenta longe plurima, plurimaque conſectaria, quæ argumentorum vim haberent. Duxerunt vero Theodorus, Rufinus, Pelagius, Cæleſtius & Julianus: quamquam forte accenſere vix oporteret Pelagium, ut qui hac de re tota omnino aliena perſona diſſeruit. Singula Pelagianorum ſolverunt catholici, unde quæſtiones pene innumeræ ortum habuerunt.

Rufinus Syrus. Libel. fidei c. 8. num. 39.

Rufinus igitur primum. *Inſaniunt*, inquit, *qui per unum hominem Adam omnem orbem terrarum iniquitatis flagitiorumque condemnant: nam qui hæc dicunt, aut injuſtum Deum pronuntiant, aut certe Deo diabolum æſtimant fortiorem, eo quod naturam quam Deus creavit bonam, eam diabolus per prævaricationem Adam & Evæ malam potuerit efficere; ſicut prævaricatione primi hominis Adam & ejus uxoris Evæ, omnes homines peccato obnoxii ſunt.*

Ibid.

Deinde: *Si natura Adami & Evæ ex prævaricatione facta peccatrix, a malis ſe penitus abſtinere non poterat, cur cum primo occiderint, ſecundo cadere minime appoſuerunt? unde tot poſtmodum juſti, Abel, Enoch, Noe, Elias*, &c.

Num. 40.

Rurſus: *Si propter peccatum Adam moriantur infantes, dicant nobis, cur ſtatim baptizati mortem guſtare permittantur; quippe cum omnes qui baptizati ſunt, & propter hoc Filii Dei facti, peccatum habere non poſſint.*

Ibid.

Poſtea: *Si propter peccatum Adam baptizarentur infantes, qui ex parentibus chriſtianis nati ſunt, baptizari minime deberent, ſed ſancti perinde haberentur, quia de parentibus ſunt fidelibus procreati, ſicut beatus Paulus docet hoc modo dicens:* Alioquin filii veſtri immundi ſunt, nunc vero ſancti ſunt.

1 Cor. 7. v. 14.

Num. 41.

Tandem: *Si peccatum aliquod infantes haberent, deberent utique, niſi abluerentur, ante mortem prœmaturam, æternæ ignis pœnæ deputari, qui aſſolet in Scripturis gehenna nominari. Diſcant ex divinis ſcripturis, quod ignis æterni pœna innocentibus ac penitus peccatum ignorantibus præparata non ſit, ſed eis qui legem Dei prævaricati noſcuntur.*

Pelagius. Lib. de natura apud Aug. lib. de nat. & grat. cap. 19.

Pelagius. *Primo*, inquit, *de eo diſputandum eſt, quod per peccatum debilitata dicitur & immutata natura: unde ante omnia quærendum puto, quid ſit peccatum, ſubſtantia aliqua, an omnino ſubſtantia carens nomen, quo non res, non exiſtentia, non corpus aliquod, ſed perperam facti actus exprimitur.* Deinde adjungit: *Credo, ita eſt; & ſi ita eſt, quomodo potuit humanam debilitare vel mutare naturam, quod ſubſtantia caret?*

Cæleſtius.

Cæleſtius partim apud Auguſtinum, partim apud Mer-

Lib. 3. de pecc. merit.
In Comm. & Subnot. hæreſi 88.

Mercatorem, & Prædeſtinati auctorem. *Si peccatum Adæ etiam non peccantibus nocuit: ergo & Chriſti juſtitia non credentibus prodeſt; quoniam ſimiliter, imo plus, dicit Apoſtolus per unum liberari, quam per unum ante perierat.*

Si baptiſmus mundat antiquum illud vetuſtumque peccatum, qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato. Non enim poterunt ad poſteros tranſmittere, quod ipſi minime habuerunt.

Si anima non eſt ex traduce, ſicut nec eſt, ſed ſola caro habet traducem peccati, ſola & pœnam meretur. Injuſtum eſt enim, ut hodie nata anima non ex maſſa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum; quia & rationabile eſt, ut Deus qui propria peccata dimittit, non imputet alienum.

Si peccator genuit peccatorem, ut parvulo ejus peccatum originale in baptiſmi acceptione ſolvatur, juſtus ergo juſtum gignere debuit.

Si parentes poſt converſionem propria peccata non lædunt, multo magis filiis eorum per eos nocere non poterunt. Si priorem hominem contigit cauſam mortis fuiſſe, ergo per Chriſti adventum mori jam non oportebat.

Si per peccatum Adæ mors orta eſſet, nunquam poſt remiſſionem peccatorum, quam nobis liberator donavit, moreremur. Plus ergo valuit peccatum Adæ, omnes omnino homines occidendo, quam Chriſti gratia in ſalvando, quæ non omnibus, ſed tantum credentibus profuit: neque enim omnes, qui naſcuntur ex Adam, ii etiam renaſcuntur in Chriſto.

Julianus, duo Primum objicit.
Apud Aug. lib. de nuptiis c. 1. &c.

Julianus objecit verbo primum duo; alterum damnari a defenſoribus peccati originalis nuptias; alterum, fructus earum diabolo aſſignari: quod utrumque procul dubio Manichæum eſt. Dedit hæc objectio cauſam Auguſtino ſcribendi librum primum *de nuptiis & concupiſcentia*, quem cum refelleret Julianus, adduxit iterum in libris quatuor antirrheticis, rationes longe plures, quas partim auxit poſtmodum, partim ſtabilivit in libris octo adverſus Auguſtini ſecundum *de nuptiis*. Totos libros deſcriptos oporteret, ſi ſingula perſequi ſigillatim mens eſſet.

Tum quinque movet quæſtiones.

Omnes vero tendunt eo, ut quæratur, primum, unde in opere Dei, quæ nuptiæ, nuptiarumque ſive adjumenta, ſive fructus, peccatum. Deinde, qua ratione excuſari poſſint nuptiæ, quarum fructus omnis ſub diaboli poteſtate ſit, eo ſolo, quod ex commixtione viri & feminæ oriatur. Poſtea, quo modo poſſit dici peccatum, quod a voluntate rei hominis non oriatur, ſed a natura, cujus auctor Deus. Quarto, quomodo pariter neceſſitas peccandi conciliari queat, vel cum Dei juſtitia punientis, quod vitari non poteſt; vel cum ſtudio virtutum, quo incenſi homines implere conentur legem. Quinto denique, quid a Manichæi veſania diſtet opinio de traduce peccati, cum utraque iiſdem partibus conſtet, iiſdemque ſententiis: quod Julianus, producta quadam Manetis ad filiam ſuam Menoch epiſtola, nuper Conſtantinopoli reperta, confirmat.

Lib. 3. op. imperf. c. 174.
Singulis reſpondet Auguſtinus, & primæ quidem ac ſecundæ, diſtinctione boni nuptiarum a vitio.
Hinc ortæ quæſtiones 14. de concupiſcentia.

Ad primam e quæſtionibus reſpondit Auguſtinus, diſtingui debere in nuptiarum uſu, quid ab inſtitutione divina boni ſit, quid a diabolo vitii. Inveniri in hoc opere Dei peccatum propter libidinem ſeu concupiſcentiam, quæ a Deo non eſt, ſed a diabolo peccati auctore. Atque hinc ſuborta eſt infinita quædam diſputatio de concupiſcentia: 1. morbuſne ſit, an vigor naturæ: 2. afflatum a diabolo venenum, an collatum aliquando eſſectis a Deo beneficium: 3. quomodo & cur permaneat in baptizatis, in quibus nihil eſt damnationis: 4. quomodo reos propaget, cum deſierit eſſe rea per baptiſmum; 5. quomodo in hominibus vitium dici queat, cum ſit communis cum pecoribus: 6. quomodo ſancti cum generant, malo hoc bene utantur: 7. quomodo ex eſu ligni vetiti orta ſit, & ſi inde orta ſit, bona non ſit, cum lignum Deus creaverit: 8. an inde pudor juſſerit velare partes, quas inſidet: 8. cur partes illæ non perinde ac aliæ commoventur ad rationis nutum: 9. an ſui pariter juris in paradiſo extitiſſent: 10. an concupiſcentia eo mala demonſtretur, quod contra ipſam pii quique pugnent: 11. quæ ſit illa peccati lex, quæ habitat in membris etiam ſanctorum, repugnatque legi mentis; 12. quomodo nuptiarum bonum a vitio diſcerni debeat, fœcunditas a libidine, concupiſcentiæ reatus ab actu: 13. utrum Chriſtus maculæ communis purus fuerit, quia natus ex virgine, non communi partu: 14. utrum quiſquis commixtione viri & feminæ gignitur, reus naſcatur. Hæc & alia diſputata ſunt hinc & inde tanta animorum contentione, ut diſputatio ſæpe evaſerit in declamationem, ſive laudantium vim procreatricem prolis, ſive criminantium carnis libidinem.

Tertiæ vero, diſtinctione peccati duum generum.

Tertiam quæſtionem Auguſtinus ita ſolvit, ut fateretur, peccatum omne a voluntate creaturæ eſſe, nullum a natura, cujus auctor Deus: qua confeſſione cum a Manichæis mirum quantum diſcederet, ut oſtenderet tamen, a voluntate aliud aliter peccatum oriri, duo ipſius genera diſtinxit; unum quod ſua quiſque voluntate committeret; alterum, quod aliena contraheret, quicumque naſceretur ex peccatore. Peccatum originale, qua parte reſpicit Adamum, primi generis eſſe aiebat; qua poſteros, ſecundi: poſteros tamen in eo eſſe reos, quod eſſent unus ille homo, qui primus peccavit, in eoque pactum Dei irritum feciſſent.

Hinc natæ quæſtiones quinque.

Hac occaſione ſubtilius ventilata eſt definitio peccati olim ab Auguſtino allata, *voluntas admittendi vel retinendi, quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*; quæſitum, quæ foret omnium mentibus notio peccati impreſſa; diſputatum de juſtitia Dei voluntatum judice; diſcuſſus diligenter Manichæiſmus; eſſentia peccati expoſita, &c. imo & a nonnullis agitata quæſtio de origine animarum: quæ ſi forent ex traduce, molliretur difficultas intelligendi, quomodo cum ſeminibus peccatum tranſiret: ſin a Deo creentur quotidie in corporibus, aut aliunde mittantur, ingens ſit labor in reperienda traduce peccati.

Ex ſolutione quartæ quæſtionis ingentes aliæ tres natæ.
De libertate arbitrii humani poſt peccatum.
Impeccantia:
Et neceſſitate gratiæ.

Quæſtioni quartæ, de peccandi neceſſitate communiter ab omnibus, poſt vitiatam naturam, contracta, factum ſatis quidem a catholicis, ſed ita tamen, ut ingentes aliæ duæ quæſtiones moverentur: altera de libero arbitrio, utrum peccato illo grandi perierit de humano genere; altera de ἀναμαρτησίας, an poſſit homo hac in vita eſſe ſine peccato; utraque pepererit minores alias longe plurimas, ſed ambæ conjunctim unam omnium graviſſimam, de neceſſitate adjutorii gratiæ divinæ, ad præſtanda pietatis opera, & vincendas tentationes, de qua capite ſequenti. Prima genuit per ſe paucas, iſtas nempe, qua ratione dici poſſit amiſſa per peccatum arbitrii libertas, & quomodo, ſi amiſſa ſit arbitrii libertas, juſtitia Dei defendi queat, cum puniat, quæ vitari non poſſunt, &c.

Prima iſtarum genuit alias paucas.

Secunda longe plures.

Genuit ſecunda plures, de quibus ſigillatim longum eſt dicere. Hinc certe ratiocinationes quindecim Cæleſtii, hinc liber Pelagii *de natura* ortus eſt. Illis Auguſtinus toto libro *de perfectione juſtitiæ* reſpondit: hunc Hieronymus epiſtola ad Cteſiphontem & dialogis tribus; Auguſtinus libro *de natura & gratia*, aliiſque ſcriptis; Africana ſynodus tribus poſterioribus canonibus refellit.

Quæſtio de impeccantia tres habuit quaſi ætates.

Animadvertendum porro eſt, quæſtionem de impeccantia tres habuiſſe quaſi ætates, aut ſtatus: pertinebat enim primum ad mores tantum, eratque ethica; deinde evaſit in dogmaticam; poſtremo utriuſque generis fuit. In primo ſtatu erat, ante motas de traduce peccati & naturæ corruptione controverſias, ſive eum Evagrius Ponticus aliique περὶ ἀπαθείας, ſive cum Pelagius librum *de teſtimoniis* ſcriberet. In ſecundo fuit, tunc eum cœpit propter traducem peccati agitari. In poſtremo denique exiſtebat, quo tempore conditi ſunt Africani canones, quoque canonum ſcriptor Auguſtinus adverſus Pelagium partim epiſtolis, partim libris pugnabat. Eſt autem Auguſtino viſus error iſte, in primo quidem ſtatu utcumque tolerabilis, modo ne defenſores ſe ipſos ἀναμαρτήτους jactarent; in ſecundo nefaria quædam contentio; in tertio anathemate digna hæreſis. Conſulendus eſt ſanctus ille doctor, cum alibi paſſim, tum maxime ſub finem libri *de perfectione juſtitiæ*, ubi ſunt hæc ejus verba: *Poſtremo ſi, excepto capite noſtro ſui corporis ſalvatore, aſſeruntur vel fuiſſe, vel eſſe in hac vita aliqui homines juſti ſine aliquo peccato, ſive numquam conſentiendo deſideriis ejus, ſive quia*

* *id eſt*, tantillum.

*pro nullo peccato habendum eſt, quod * tantum eſt, ut hoc pietati non imputet Deus, (quamvis aliter ſit beatus ſine peccato, aliter autem beatus, cui non imputat Dominus peccatum) non nimis exiſtimo reluctandum. Scio enim quibuſdam eſſe viſum, quorum de hac re ſententiam non audeo reprehendere, quanquam nec defendere valeam. Sed plane quiſquis negat, nos orare debere, ne intremus in tentationem: (negat autem qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non eſſe homini neceſſarium, ſed ſola lege accepta humanam ſufficere voluntatem) ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum, non dubito.*

Quid contra prolatum a catholicis.

Adverſus ἀναμαρτησίαν Pelagii pugnatum eſt quidem ab Eccleſiæ tractatoribus nonnullis rationibus, quas Hieronymus Oroſiuſque exponunt, nonnullis quoque ſcripturæ teſtimoniis, ſed decretoriis duobus. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, &, *dimitte nobis debita noſtra*, omnes enim Apoſtolus, omnes Chriſtus conveniebat: ille fiduciam in Chriſtum mediatorem; iſte communem orandi modum docens.

1 Joan. 1. v. 8.

Matth. 6. v. 12.

Quid reſponſum a Pelagianis.

Ad hæc Pelagiani; utriuſque loci voces, alio ſenſu a vulgo fidelium, alio a perfectis dici: ab illis veraciter & pro ſeipſis; ab iſtis humiliter, & pro aliis, qui in ſuo populo peccatores ſint.

Quid regeſtum a catholicis.

Cavillationem ejuſmodi, non tantum allatis Scripturæ teſtimoniis, ut, *In multis offendimus omnes*, &, *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*: &, *Non eſt homo qui non peccet*: &, *In manu omnis hominis ſignat, ut ſciat omnis homo infirmitatem ſuam*; ſed etiam anathemate Patres refutarunt.

Jacobi 3. v. 2.
Pſalm. 142. v. 2.
Eccli. 7.
Job. 37. v. 7.

Conſectaria quæ hæretici deduxerunt ex tribus catholicorum dictis.

Ad rationes, quas hæretici afferebant, pertinent invidioſa quædam conſectaria, quæ ex traduce peccati inferri contendebant. Nam dum catholici traducem hanc ex eo probant, quod natura vitiata ſit, tria dixerunt, quibus offenſi impugnatores fidei, calumniæ pariter atque argumentationis occaſionem arripuerunt: catholici fatebantur ex illa ſua doctrina eſſe conſequens, ut peccato primi hominis natura facta ſit & peccatrix, & peccatorum genitrix; ut a poſteris contracta ſit, propter Adami peccatum, nonnulla neceſſitas peccandi; ut quicumque ex nuptiis naſcuntur, tamdiu ſint ſub poteſtate diaboli, quamdiu non renaſcuntur in Chriſto.

Quæ omnes communiter. Objectum catholicis Manichæorum nomen.

Intulerunt inde communiter hæretici, traducem peccati non differre a Manichæi errore malam naturam opinantis, feceruntque catholicis Manichæorum & Traducianorum nomen, quo nullum intolerabilius Auguſtino viſum eſt, nec immerito, cum ſuſpicari facile poſſent homines, ſaltem minus eruditi, tanto doctori neſcio quid priſtini erroris adhæſiſſe, quo implicatum ſe fuiſſe ſcripto palam faſſus erat. Eam ob rem tota vi ſive ingenii, ſive eloquentiæ ac doctrinæ tribus maxime in operibus flagitium hoc & a catholicis, & a ſe repulit.

Fert ægre Auguſtinus, & acriter repellit.

Lib. 4. ad Bonifac. opere utroque contra Julian.

Intulit Theodorus hæc quinque. Homines natura factos improbos, qui antea natura boni eſſent, atque natura jam, & non voluntate peccare. Infantes tametſi recens natos, peccati immunes non eſſe, cum ob Adæ prævaricationem ad omnes ejus poſteros natura peccatrix propagetur. Neminem mortalium eſſe juſtum, & ne Chriſtum quidem Deum, aſſumpta peccatrice natura, ſceleris purum eſſe. Matrimonium, aut certe ipſius uſum, eſſe opus perverſæ naturæ, in quam peccato lapſus eſt Adam, moxque naturæ vitio malorum examen in ſe ſuſcepit.

Apud Photium cod. 177.

Intulit Cæleſtius totidem, eaque non admodum diverſa, primi nempe hominis peccato, id eſt, Adæ, liberum arbitrium periiſſe, ut nemo jam poteſtatem habeat bene vivendi, ſed omnes in peccatum carnis ſuæ neceſſitate cogantur. Nuptias, quæ nunc aguntur, inſtitutas a Deo non fuiſſe, commixtionemque conjugum a diabolo fuiſſe repertam, & propterea eos qui naſcuntur innocentes, reos eſſe, & a diabolo fieri, non a Deo, quia de hac diabolica commixtione naſcuntur. Sanctos veteris Teſtamenti non caruiſſe peccato, Apoſtolum etiam Paulum, vel omnes Apoſtolos ſemper immoderata libidine fuiſſe pollutos. Chriſtum a peccatis liberum non fuiſſe, ſed neceſſitate carnis mentitum, atque aliis etiam maculatum fuiſſe delictis. Baptiſma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, ſed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur.

Apud Auguſt. lib. 1. ad Boniſac. &c.

Intulit & quinque Julianus, referente Auguſtino in hæc verba: *Dicitis nos aſſerendo originale peccatum, diabolum dicere hominum naſcentium conditorem, damnare nuptias, negare in baptiſmo dimitti univerſa peccata, Deum crimine iniquitatis arguere, deſperationem perfectionis ingerere. Hæc quippe omnia conſequentia eſſe contenditis, ſi credamus, naſci parvulos peccato primi hominis obligatos, & ob hoc eſſe ſub diabolo, niſi renaſcantur in Chriſto. Diabolus enim creat, dicitis, ſi ex hoc vulnere creantur, quod diabolus naturæ, quæ primum condita eſt, inflixit humanæ: & damnantur nuptiæ, ſi aliquid, unde damnabiles generantur, habere credantur: nec omnia peccata dimittuntur in baptiſmo, ſi aliquod in baptizatis conjugibus remanet malum, ex quo generentur mali; quemadmodum autem non eſt iniquus Deus, qui cum baptizatis dimittat peccata propria, parvulum damnat, quia cum ab illo crearetur, nec ſciens, nec volens, etiam ex illis parentibus, quibus ſua remiſſa fuerant, traxit aliena: nec virtus, cui vitioſitas intelligitur eſſe contraria, poſſe creditur perfici, quia ingenerata vitia incredibile eſt poſſe conſumi, quæ jam nec vitia deputanda ſunt; non enim peccat, qui non poteſt aliud eſſe, quam creatus eſt.*

Lib. 2. contra Julian. c. 1.

Quin etiam impuri homines auſi ſunt ſanctiſſimis viris objicere, quod in ſuam ſententiam non alia de cauſa veniſſent, quam quod criminatione naturæ Deique quærerent ſe ſuis de ſceleribus abſolvere.

Objecta catholicis peccandi cupiditas.

Rufinus. *Semetipſos profecto debent agnoſcere eſſe cupidos delictorum, quippe cum ſint ipſi voluptatum amatores & carnis, non debent eorum cauſas aliis annectere, quorum ipſi videntur fuiſſe auctores.*

Libello fidei c. 8. n. 39.

Pelagius. *Sunt, qui cum in ſuis peccatis humanam voluntatem accuſare debeant, naturam potius accuſantes hominum, per illam ſe excuſare conantur. Sed falſo queritur de natura ſua genus humanum*, &c.

Lib. de natura.

Julianus. *Delectat enim prorſus ſubantes animas, infamare quidquid unquam & uſquam ſanctorum fuit, ne clarorum operum caſtigentur exemplis. Delectat prorſus & penitus afficit, cauſari imbecillitatem naturæ, dicere carnem congenitis obnoxiam eſſe peccatis, nec in voluntate hominis emendationis effectum locare; ſed ſtudiorum crimina officia vocare membrorum, catholicam hanc fidem eſſe, ut liberum confiteatur arbitrium, ſed per quod homo malum facere cogatur, & bonum velle non poſſit: vanos vero hominum hæreticoſque ſermones, qui aſſerant Dominum juſtum ad bonum opus liberum hominem condidiſſe, & eſſe in uniuſcujuſque poteſtate recedere a malo, ac ſtudiis ſplendere virtutis, ut his qui flagitia in neceſſitatem carnis refundunt, ſollicitudinum & timorum aculeus infigatur. Poſtremo in Eccleſiis, quæ magnam copiam bonorum & magnum populum poſſideant, prædicari tantam vim eſſe peccati, ut ante membrorum formam, ante initium adventumque animæ, jactis ſeminibus ſupervolans, in ſecretum matris evadat, & reos faciat naſcituros, ortuque ipſo antiquior expectet culpa ſubſtantiam: quæ lex peccati habitans deinceps in membris, captivum hominem cogat ſervire criminibus, non caſtigatione in turpitudinibus, ſed miſericordia digniorem: quandoquidem, quod nos vitium pravæ voluntatis eſſe dicimus, id in Eccleſia a viris & feminis, magniſque pontificibus originalis paſſio nuncupatur.*

Lib. 2. op. imperf. c. 5. 6. 7. & 8.

---

§. V. *Quorum Patrum teſtimonia hinc & inde adducta ſint; quæ adhibitæ viciſſim reſponſiones, & quæ inde quæſtiones natæ.*

AD impeccantiam probandam adhibuit Pelagius teſtimonia auctorum ſeptem, Lactantii, Hilarii, Ambroſii, Joannis Conſtantinopolitani, pſeudo-Chriſti, Hieronymi & Auguſtini. Adverſus peccatum originale laudavit Julianus Baſilium, Joannem Conſtantinopolitanum, & Theodorum Mopſueſtenum, ſeu potius Diodorum Tarſenſem Theodori magiſtrum.

Quæ adducta ſint a Pelagio. Quæ a Juliano.

Adverte a Juliano Græcos, a Pelagio Latinos tantum appellatos. Nam neque Julianus Ambroſii unquam meminit, niſi ex occaſione; & quod Pelagius ex Chryſoſtomo protulit, neque per ſe magnum eſt, neque conceptis teſtimonii verbis continetur, neque etiam

Pelagius Latinos tantum, Græcos Julianus laudat.

Qua de cauſa. etiam facile apud auctorem invenitur. Cur Julianus laudaret Græcos, fuit partim doctrinæ oſtentatio apud eruditos, quibus ſe ſolis probatum vellet; partim ementita in vulgus cum Orientalibus conſenſio. Uſus eſt Pelagius Latinorum teſtimonio, vel eo maxime, quod ſuis Amazonibus, id eſt, feminis nobilibus Romanis, ſcriberet alienæ linguæ rudibus.

Qua ratione Auguſtinus utriſque reſponderit. Allatis Auguſtinus ab utroque teſtimoniis ſatisfecit ita, ut non explicaret modo, ſi quæ dicta obſcurius a tantis viris; ſed etiam Eccleſiæ doctores ſuis verbis oſtenderet, pro communi fidelium ſententia teſtimonium dixiſſe.

Quos ipſe doctores appellaverit. Ipſe porro viciſſim produxit adverſus Cæleſtium teſtes duos, Cyprianum & Ambroſium; adverſus Julianum quinque & viginti, Irenæum Lugdunenſem, Cyprianum Carthaginenſem, Reticium Auguſtodunenſem, Olympium Hiſpanum, & Hilarium Pictavienſem, Ambroſium Mediolanenſem, Innocentium Romanum, Gregorium Nazianzenum, Baſilium Cæſarienſem, Joannem Conſtantinopolitanum, Hieronymum Stridonienſem presbyterum, & quatuordecim Dioſpolitanos Patres. Produxit vero tot & tantos viros,

Et qua cautione. partim, ut Manichæi invidiam a ſe propulſaret, quippe conſentiente cum doctoribus tam catholicis; partim ut conſectaria quinque, quibus Pelagiani deterrebant minus eruditos, ne fidem originalis peccati conſtanter tenerent, & nova eſſe oſtenderet, & aliena a vero: ſiquidem Patres illi toto orbe celeberrimi, cum originalis peccati fidem ſecuti eſſent, ſingula tamen conſectaria damnaverint; neque credi poſſint uſque adeo tardi, ne dicam vecordes, ut qui audirent populorum magiſtri, non viderint, & in re quidem tam magni momenti, quid ex quo foret conſequens.

Et qua arte. Quo in loco attentius obſervandum puto, primum, Auguſtinum ita artificioſe uſum teſtimoniis veterum, ut facto uno doceret, id dogmatis ſe tenere, *quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt*; atque adeo ſequi ſe univerſitatem, antiquitatem, & conſenſionem, quæ tres notæ catholicæ fidei. Nam Græcos ſeptemdecim, Gregorium, Baſilium, Joannem & quatuordecim Dioſpolitanos; ſex Latinos, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Ambroſium & Innocentium; duos utriuſque Eccleſiæ veluti ſequeſtres, Irenæum, & Hieronymum, ſic laudavit, ut ex qualibet regione atque ætate teſtes fidei adduxiſſe videri poſſet; non alios autem adduxit, quam qui pie in communione Eccleſiæ deceſſiſſent: unde conſtat, opus illud prius elucubratiſſimum contra Julianum, conſcriptum eſſe ann. 421. quod diſſertatione ſexta demonſtratum eſt. Omnium enim doctorum poſtremus Hieronymus ann. 420. exceſſit e vivis.

Quo labore. Deinde, non mediocriter laborandum fuiſſe Auguſtino, in conquirendis veterum idoneis de traduce peccati teſtimoniis: nam ut erat tunc adhuc ſuis omnibus tenebris involuta fides ſuper ea re, ita vix quiſquam explicare ſententiam dicebat. Fatebantur catholici communiter, naſci nos iræ filios, primumque parentem non ſoli ſibi, cum peccaret, ſed poſteris etiam nocuiſſe. Fatebantur quoque, propter inobedientiam, Adamum damnaſſe genus ſuum, id eſt, totum humanum, atque ita nos, quotquot ſumus inde orti, teneri obnoxios paterno debito, atque, ut loquitur Apoſtolus, chirographo: inde tamen aperte ſatis ſe non prodebat tradux peccati, ſiquidem plures veterum, ſolam pœnam, quæ mortalitas corporis cum ſuis quaſi appendicibus, tranſiſſe dicerent. Et vero dictum arripuerunt Pelagiani, ut ſe catholicorum argumentis utcumque expedirent; tandem enim aliquando faſſi ſunt, velut tormentis coacti, nocuiſſe Adamum poſteris, non exemplo tantum, ſed etiam peccato, non tamen culpa, ſed pœna tranſeunte.

Qua ratione effugium Pelagianis occluſerit. Verum hoc effugium occluſit Auguſtinus, obtendens illud ſuum, tranſire pœnam non poſſe, ſub juſto judice, ſine culpa. Id autem, ſine quo fuerat obſcura culpæ originalis collectio in iis, in quibus pœna manifeſta erat, adhibuit, quod ſciam, primus, non tamen ſine difficultate, cum identidem repetat illud Dei dictum: REDDAM PECCATA PATRUM IN FILIOS; nec velit culpa, patrum teneri filios.

Cur toties Ambroſium adducat. Obſervandum tertio, Ambroſium ab Auguſtino teſtem adductum eſſe tanto ſtudioſius; quanto majoris eſſet auctoritatis apud omnes, ob recentem memoriam eximiæ ſanctitatis ac invictæ in fide tuenda conſtantiæ, & minus a Pelagianis repudiari poſſet, propter laudatam doctrinæ ab ipſiſmet integritatem, & ab Auguſtino laudabilius adduceretur, ad fidem defendendam, quam ab ipſo accepiſſet in baptiſmo.

Quid ad Ambroſii auctoritatem Julianus. Ad tantum teſtimonium Julianus reſpondit primo, ipſummet Auguſtinum auctoritatem veterum elevaſſe, cum ea ſe non gravari ſcriberet, ſed ſola canonicorum librorum. Deinde mirum videri, ea proferri velut Ambroſii, quæ Manes ſuis in libris, quos imbibiſſet Auguſtinus, ſcripta reliquiſſet. Poſtea, dictiunculas afferri, & eas quidem dubias, cum opus foret apertis ſententiis. Denique, negligentius quædam incautiuſque nonnunquam Ambroſio aliiſque excidiſſe, quæ ſi viverent, damnarent ipſimet, poſtquam perſpexiſſent, quid inde foret conſequens. Poſtremo, Auguſtinum, quia auctoratius nihil inveniſſet, præ deſperatione ad hæc confugiſſe, ex quibus ſolatium forte haberet propter ſocietatem; præſidium habere non poſſet, cum legi Dei & operi Dei nulla diſputatorum ſcripta præjudicent.

Quomodo Pelagiani erga Patres ſe gererent. Sed quia unus iſte eſt, quod meminerim, locus, ubi Pelagiani catholicis teſtimonio Patrum utentibus reſponderint, an non inde colligi poteſt, atque etiam debet, quanta fuerit hominum ejuſmodi impudentia, qui Patrum, cum faverent ſibi, nomina in cælum tollerent, contradicentium ſententias impietatis damnarent: ſanctitatis nomen adderent hominibus quos laudabant, detraherent notiſſimis quibuſque, ſi pugnare viderentur. Fuit iſta ſemper cujuſcumque factioſæ hæreſis indoles.

Chryſoſtomum laudat Julianus. Obſervandum quarto, Julianum Chryſoſtomo, perinde atque Auguſtinum Ambroſio, ſtuduiſſe, nec Julianum tamen perinde ſe erga Ambroſium, ac Auguſtinus erga Chryſoſtomum, geſſiſſe: nam ille nihil Ambroſii, vel expoſuit, vel in adverſarium retorſit, quaſi auctorem ipſum ſperneret, cum Auguſtinus quamlibet objectam ſibi Chryſoſtomi ſententiam interpretatione explicuerit, & ex eodem auctore protulerit, unde vel adverſarium confutaret, vel catholicam fidem defenderet. Chryſoſtomum ſuas quiſque adverſarii duo in partes traxerunt; Julianus quidem in libello fidei, & libro quarto prioris operis; Auguſtinus vero libro primo contra Julianum: Julianus tamen unum fere locum homiliæ ad neophytos argumentatus eſt, Auguſtinus quatuor alios, epiſt. *ad Olympiam*, homil. *de ſuſcitatione Lazari*, homil. 9. *in Geneſ.* & homil. 10. *in epiſt. ad Rom.*

Quid reſponderit laudanti Auguſtinus. Aug. l. 1. contra Jul. c. 6. Auguſtinus ex ea ipſa homilia, in qua Julianus præſidium ponebat, ſumpſit iſtud pro tuenda fide: *Venit ſemel Chriſtus, & paternum nos cautionibus invenit aſtrictos, quas conſcripſit Adam. Ille initium obligationis oſtendit, peccatis noſtris fœnus accrevit.* Id vero cum addidiſſet: *Audiſne*, inquit, *hominem in fide catholica & eruditum & erudientem, diſtinguentem debitum paterni chirographi, quod hæreditarium nobis inhæſit, ab eis debitis, quorum per noſtra peccata fœnus accrevit? Audis quid parvulis relaxetur in baptiſmo, qui nondum propria debita contraxerunt, nec tamen a paterno chirographo immunes eſſe potuerunt. Verba quippe ejus non interpretata ſic leguntur in Græco:* ἦλθεν ἅπαξ ὁ Χριστὸς, εὗρεν ἡμῶν χειρόγραφον πατρῷον, ὅτι ἔγραψεν ὁ Ἀδάμ. ἐκεῖνος τὴν ἀρχὴν εἰσήγαγε τοῦ χρέους, ἡμεῖς τὸν δανεισμὸν ηὐξήσαμεν ταῖς μεταγενεστέραις ἁμαρτίαις. *quæ verbum a verbo interpretata ſic ſe habent:* Venit ſemel Chriſtus, invenit noſtrum chirographum paternum, quod ſcripſit Adam. Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus poſterioribus peccatis. *Nunquid contentus fuit dicere, paternum chirographum, niſi adderet noſtrum, ut ſciremus, antequam fœnus peccatis noſtris poſterioribus augeremus, jam illius chirographi paterni ad nos debitum pertinere?*

Obſervatio. Cum hæc legerem, cogitaremque homiliam, qua de agitur, ab Anniano latinitate donatam fuiſſe, miratus ſum cur Auguſtinus, qui obſervaverat plane ſubtiliter, non ſine cauſa ab interprete peccatum fuiſſe poſitum antea pro peccatis, non pariter adverterit, hoc in loco poſitam hanc vocem, *oſtendit*,

pro *induxit*, ut inſinuaret imprudentibus obligationem non propagatione, ſed imitatione ad nos tranſiiſſe.

Potuit viciſſim Julianus ex homilia in epiſtolam ad Romanos accipere, quod Auguſtino inde copioſius argumentanti videretur pugnare, imo & ſingulas argumentationis partes infringere. *Videtur quidem quæſtionem non puſillam habere quod dictum eſt, multos ob unius inobedientiam peccatores extitiſſe: illo enim peccante ac mortali effecto, & qui ex eo orti ſunt eos tales eſſe, nihil abſurdum; at ex illius inobedientia alterum peccatorem extitiſſe, id vero quam, obſecro, congruentiam conſequentiamque habeat? invenietur enim ſic nec pœnas quidem debere, qui talis fuerit, ſiquidem non ex ſe ipſe peccator extiterit. Quid igitur hoc loco verbum hoc, peccatores, ſignificat? Mihi videtur tantumdem ſignificare quantum illud, obnoxii pœnæ ac damnati ad mortem. Quod porro Adam mortuo omnes ſimus mortales effecti, aperte ac multis demonſtrat*, &c.

CAPUT V.

Quæſtionis de neceſſitate gratiæ Dei per Chriſtum origo ex præcedente; aliarum quoque ex ipſa ortus, & iſtius maxime, quæ ad poteſtatem liberi arbitrii pertinet.

Tertiæ quæſtionis, quæ eſt de adjutorio gratiæ, ortus ex ſecunda.

TERTIÆ quæſtionis, quæ ad auxilium divinæ gratiæ pertinet, origo ex ſecunda manifeſtior eſt, quam ut laborioſius egeat oſtendi. Nam poſt originale peccatum ex corruptione naturæ probatum, nihil proclivius fuit, quam ut corruptio naturæ ex remedio gratiæ, morbus ex medicina demonſtraretur. Id vero ita contigiſſe duo ſignificant, alterum, quod primis temporibus de gratiæ divinæ adjutorio nulla controverſia mota ſit, tota de mortalitatis cauſa, & de peccato originali, atque etiam impeccantia, ut conſtat ex operibus Theodori & Rufini Syri: alterum, quod dicto factoque veteres quæſtionem de auxilio gratiæ tertiam poſt duas hactenus expoſitas fecerunt, originis utique ordinem ſecuti: ſi enim alium quemcumque voluiſſent, longe diverſa fuerat tenenda tractationis via; quod nemo non videt.

Quæſtio hæc tertio loco a veteribus ponitur.

Ab Hypognoſte. *In præf. Hypogn.*

Hypognoſtes igitur Pelagianorum errorum, quo *hominem dicunt per liberum arbitrium tanquam per ſe ſibi ſufficientem implere, quod velit*, tertium in præfatione numerat, tertioque libro, poſt alios duos prioribus libris rejectos, impugnat.

A Mercatore. *In præf. Subnot.*

Mercator, poſt recenſita dogmata mortalitati naturali connexa, quæ Cæleſtius defenderet, *adjecit*, inquit, *poſſe eſſe hominem ſine peccato, & facile Dei mandata ſervare ſi velit*, duaſque erroris iſtius cauſas reddidit; *quoniam ante adventum Chriſti fuerunt homines ſine peccato*; & *quoniam ſic lex mittit ad regnum cælorum, ſicut Evangelium.* Sita eſt vis probationis in eo, quod ſi lex olim potuit homines & juſtos efficere, & in regnum cælorum mittere, id etiamnum valeat; atque ita non admodum ſit opus interiore voluntatis gratia per Chriſtum, quæ tunc una fere in quæſtionem veniebat.

A Proſpero.

Proſper, poſt eoſdem errores duos de mortalitate humani generis, & de traduce peccati expoſitos, pergit in hæc verba:

Carm. de ingrat. cap. 1.

Poſſe autem inſontes omnes virtutis in arce
Vitam agere, & mentis ingenitum ſervare decorem,
Arbitrio quoniam ſubſiſtat recta volentis
Naturalis honos, lexque inſita cordibus intus
Hoc moneat, quod ſcripta foris, &c.

Ab Africana ſynodo anni 418.

Africana ſynodus, cum prioribus duobus canonibus ſanxiſſet fidem catholicam de mortalitate humani generis & peccato originali, mox canone tertio eum anathemate percellit, *qui dixerit, gratiam Dei, in qua juſtificamur per* JESUM CHRISTUM *Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur.*

Ab Arauſicana ſynodo II.

Arauſicana ſynodus Africanam centum & viginti poſt annis ſecuta, de corruptione naturæ, quoad corpus & animam, canone primo; de traduce peccati, ſecundo; de gratia, tertio, & conſequentibus reliquis doctrinam Eccleſiæ ordine tradidit.

Ab Auguſtino. *Rom. 5.*

Auguſtinus probe intelligens cauſam diſputandi de gratia Dei cum Pelagianis, extitiſſe partim ex Apoſtoli loco, ubi duos inter naturæ humanæ principes, Adamum corruptorem, & Chriſtum inſtauratorem comparatio inſtituitur, & unde peccatum originale invictiſſime probatur; partim ex impeccantia a Pelagianis deprædicata: hac utraque occaſione de gratia ſcribere incœpit, tum in libris *de peccatorum meritis*, & in opere conſequente *de ſpiritu & litera*, libroque *de natura & gratia*, tum in libro *de gratia Chriſti*, &c.

A Pelagio ipſo.

Idipſum Pelagius in libro *de natura* indicavit, eum ſcriberet, *primo de eo diſputandum, quod per peccatum debilitata dicitur & immutata natura.* Primo, inquit, id eſt, antequam de adjutorio gratiæ ad ſanandam naturam controverſia moveatur. Quo in loco legenda Auguſtini argumentatio, corruptionem & morbum ex remedio concludentis. *Quid ſanatur, ſi nihil eſt vulneratum, nihil ſauciatum, nihil debilitatum atque vitiatum? Porro ſi eſt quod ſanetur, eſt unde vitiatum ſit. Audis confitentem, quid deſideras diſputantem?* Sana, *inquit*, animam meam. *Ab illo quære, unde vitiatum ſit, quod ſanari rogat, & audi quod ſequitur:* Quoniam peccavi tibi.

Lib. de natura & grat. c. 19.

Pſal. 40. v. 5.

Ratio tractandi de iis, quæ ad gratiæ adjutorium ſpectant. *Cap. 2. hujus diſſert.*

Videndum eſſet deinceps, quibus argumentis fides, ſive a catholicis propugnata ſit, ſive ab hæreticis impugnata: verum id totum & a nobis ad propoſitum ſufficienter, & ab aliis abundanter ad eruditionem tractatum eſt. Quare nonnulla tantum obſervanda reor, priuſquam ad ſecundam partem diſſertationis gradus fiat.

De diſtinctione gratiæ, quæ Dei ſimpliciter, & quæ per Chriſtum.

Sed inter gratiam Dei, quæ ſimpliciter Dei dicitur, & quæ per Chriſtum, poni debet nonnullum diſcrimen, quoad hiſtoricum hunc locum: de priore enim minor fuit quæſtio, de poſteriore major, quod oſtendit, niſi fallor, clare quærendi cauſa, corruptio ſcilicet naturæ. Utramque videtur confudiſſe Hieronymus, ut & Oroſius aliique forte veteres; ſed alteram ab altera ſubtiliter Auguſtinus diſcrevit, & de ſola fere Dei gratia per Chriſtum diſputavit. *Nam*, quod monuit non ſemel, *in cauſa duorum hominum, quorum per unum venundati ſumus ſub peccato, per alterum redimimur a peccatis; per unum præcipitati ſumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam: quorum ille nos in ſe perdidit faciendo voluntatem ſuam, non ejus a quo factus eſt, iſte nos in ſe ſalvos fecit, non faciendo voluntatem ſuam, ſed ejus a quo miſſus eſt. In horum ergo duorum hominum cauſa proprie fides chriſtiana conſiſtit.*

Utramque confudit Hieronymus, diſtinxit Auguſtinus. *Lib. de pecc. orig. c. 24.*

Qua de cauſa.

Cur autem aliter Hieronymus egerit, aliter Auguſtinus, in promptu videtur eſſe cauſa. Hieronymus quæſtionem tractavit velut orta eſt ex aſſertione impeccantiæ: Auguſtinus velut facta ex loco Apoſtoli, quem diximus. Atqui Pelagiana impeccantia ſuis ſuperba viribus, quodlibet Dei adjutorium ſpernebat; ſed locus Apoſtoli Adamum novum cum vetere ita conferebat, ut novi gratiam veteris peccato potiorem oſtenderet.

Atque

Quid ex hac obſervatione conſequens.

Atque inde quiſque poteſt facile intelligere, & quam ob rem ſcriptorum alii aliis argumentis utantur adverſus Pelagianos, diverſa enim diverſi dogmata impugnant; & qua ratione Auguſtinus ipſe aliter in libro *de natura & gratia*, aliter in libro *de gratia Chriſti* diſputaverit. Illic enim contra impeccantiam, hic pro beneficio Chriſti ſalvatoris certabat.

De tribus gratiæ per Chriſtum ſive reſpectibus, ſive rationibus.

Sed iterum in gratia Dei per Chriſtum, tria quædam diſcerni debent, nempe quod per Chriſtum ſit, quod ſupernaturalis, & quod gratuita: nam & confertur propter mediatorem Dei & hominum, & naturæ vires amiſſas reſtituit, & liberum arbitrium prævenit, hoc eſt, nullis datur ex meritis. Qua parte confertur propter Chriſtum, gratia ſanans dicitur: qua vires præſtat, ſupernaturalis: qua merita præcedit, gratuita & præveniens. De gratia ſanante ſunt fere omnes Auguſtini libri adverſus Pelagianos, ſed ille maxime, qui *de gratia Chriſti* inſcribitur: de adjuvante, ſunt priores, ſi modo epiſtolæ quædam excipiantur: ad excitantem poſteriores pertinent. Hieronymus de adjuvante copioſe ſcripſit, de excitante vix quidquam effatu dignum; imo ſunt, qui hac in parte negent inculpate verſatum.

---

§. I. *Quæ & quomodo quæſtiones natæ ſint de gratia Dei, quatenus eſt per Chriſtum, & vitiatam naturam ſanat.*

Obſervatio prima, quæ tria diſputata ſint de gratia Chriſti cum Pelagianis, quando canones Africani condebantur.

OBSERVANDUM primo, Eccleſiam tunc cum canones Africani conderentur, de gratia Dei per Chriſtum contra Pelagianos tria potiſſimum defendiſſe. Primum, *gratiam Dei, in qua juſtificamur per* JESUM CHRISTUM *Dominum noſtrum, non ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ jam commiſſa ſunt, ſed etiam ad adjutorium ut non committantur.* Alterum, *eandem Dei gratiam per* JESUM CHRISTUM *Dominum noſtrum, non propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus: ſed etiam per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus.* Poſtremum, *gratiam juſtificationis non ideo nobis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius poſſimus implere per gratiam: tanquam & ſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſimus, etiam ſine illa, implere divina præcepta.* Unde cognoſcere eſt, ea tempeſtate diſputatum non eſſe de adjutorio Dei, ſaltem κυρίως, qua parte gratuitum eſt, ſed qua ſupernaturale tantum, hoc eſt, impotentiam naturæ ad opera pietatis juvat: unde etiam conſtat epiſtolam 107. non fuiſſe ſcriptam niſi poſt tempora ſynodi Africanæ, cujus canones attulimus.

Quid inde conſequens de gratia præveniente.
Et de epiſtola 107. Auguſtini.

Obſervatio ſecunda, de quæſtionibus ſuper ea gratia motis, quatenus per Chriſtum eſt.
Quid Pelagiani de quæſtionibus.

Obſervandum ſecundo, occaſione loci apoſtolici, quo uterque Adam componitur, graviſſimam catholicos inter & Pelagianos controverſiam extitiſſe. Cur Chriſtus venerit in hunc mundum. Cur paſſus, & mortuus ſit. Quomodo profuerit hominibus. Quibus & quantum profuerit. Qua ratione nos vel a peccatis, vel a maledicto legis redemerit.

Sub finem.
Cap. 7. nu. 46.
Parte 1. nu. 7.
Lib. 2. 3. & 4.

Nemo Pelagianorum mentem ſuam non prodidit: obſcurius quidem Theodorus in ſymbolo; apertius vero Rufinus Syrus in libello fidei; Pelagius in commentariis ad locum Apoſtoli; Julianus in libello ſuæ fidei, & in pluribus locis operis imperfecti.

Quid Theodorus.

Theodorus. *Venit ſecundus Adam, ut futurum nobis immortalitatis ſtatum manifeſtaret, & nos ad ſui imitationem adduceret.*

Quid Rufinus Syrus.

Rufinus Syrus. *Venit, ut omnes etiam cæleſtes virtutes humilitatem doceret, ut ſuum oſtenderet erga homines amorem, ut pro peccatis moreretur, ut ſibi credentibus adoptionem largiretur, regnique cælorum hæreditatem, ut exemplum virtutis exercendæ, & vitandi peccati præberet, ut eſſet mediator Dei & hominum, ipſoſque pacis vinculo in perpetuum colligaret.*

Quid Pelagius.

Pelagius. *Venit, ut & morte ſua peccata dimitteret, & juſtitiam daret, & nos doceret modum dilectionis, qua Deum, Chriſtumque ipſum diligeremus: ut quid enim Chriſtus indebite pro nobis mortuus eſt, niſi ut manifeſtaret ſuam caritatem, cum adhuc peccatorum & ſcelerum languoribus premeremur? Pro impiis mortuus eſt, ut ex beneficiorum contemplatione ejus gratiam commendaret, & in mercato delicti, quantum eum debemus diligere, demonſtraret, & tanto beneficio & ſancto an aliquid præponendum ſit, videremus, cum ille nobis impiis nec vitam ſuam præpoſuerit, nec neceſſariam nobis denegaret mortem.*

Quid Julianus.

Julianus. *Natus eſt Chriſtus, ut univerſum mundum a peccatis & exemplo revocaret, & patiendo redimeret: dum peccatum, & quaſi Deus ignoſcendo aufert, & quaſi homo, per naturæ ſimilitudinem, quemadmodum de cætero vinci poſſit, oſtendit. Incipiens a baptiſmate Joannis quo baptizatus eſt, dandi exempli gratia, non ſui, ſicut quidam volunt, cauſa peccati, ſicut ipſe ait ad Joannem:* Sine modo, ſic enim oportet implere omnem juſtitiam; *ſubjecit ſe omnibus paſſionibus carnis, ferendo eſuriem, ſitim, laſſitudinem, dolorem, mortem, & cetera hujuſmodi:* Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. *Secundum quod nos beatus Petrus edocuit dicens:* Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus. *Hunc igitur ob noſtram ſalutem ſecundum carnem paſſum & ſepultum, tertia die reſurrexiſſe, & ut mortem deſtrueret, & ut nobis viam reſurrectionis aperiret.*

Matth. 3. v. 15.
Philip. 2. v. 8.
1 Pet. 2. v. 21.

Omnes inter ſe concordes.

Animadverte porro, ſtudioſe lector, nihil Rufinum dixiſſe, nihil Pelagium, Julianumque pluribus verbis, quam quod paucioribus Theodorus. Nam quod præterea Chriſtum ſcripſerint pro peccatoribus mortuum, Chriſtique morte redemptos homines, animadverſioni non præjudicat: ſiquidem aliud nihil voluerunt vocibus tam magnificis indicare, ut ex adductis teſtimoniis conſtat, quam quod Chriſtus ad mortem uſque nos dilexerit, eoque exemplo ad ſe pari modo redamandum incitaverit, voluerit quoque indebite moriens, ut loquitur Pelagius, triumphare de morte, atque in ſe oſtendere, & qua ratione mors vinci poſſet, & cujuſmodi noſtra quoque reſurrectio ad immortalitatem futura eſſet.

Obſervatio tertia, de ſex diverſis generibus gratiæ, quæ Pelagiani admittebant, præter naturam.

Obſervandum tertio, Pelagianos gratiæ quidem nomine appellaſſe naturam & liberum arbitrium, quod a creatore Deo conceſſum eſt homini, cum conderetur, ſed agnoviſſe præterea gratiam ſextuplicis generis: unam ſcilicet adoptionis, quæ conferatur in baptiſmo: alteram remiſſionis peccatorum, quæ pœnitentibus detur: tertiam legis & doctrinæ exterioris, quæ viam ſalutis oſtendat: quartam exempli a Chriſto dati, quæ rationem vitæ digne chriſtiano nomine agendæ, velut in ſpeculo demonſtret: quintam illuminationis, qua Spiritus ſanctus in animam illapſus cordis oculos aperiat, & intelligentiam ſubminiſtret: ſextam, qua Spiritus ſanctus in ipſis quoque voluntatibus operetur. Tres priores aiebant omnino neceſſarias ad agendum bene; poſteriores tantum utiles: ſic enim ſuas videri poſſunt apud ſe rationes ſubduxiſſe.

Quorum tria neceſſaria, tria utilia dicerent.

Qua ratiocinio.

Nemo poteſt operari quidquam dignum regno cælorum, quæ hereditas filiis & merces ſanctis promiſſa, niſi & filius ſit, & amicus Dei, & mandatorum ſciens: ſunt autem operati bene, digneque regno cælorum veteris Teſtamenti patres, priuſquam Chriſtus exemplum præbuiſſet, ſanctumque dediſſet Spiritum; igitur nec Chriſti exemplum, nec operatio Spiritus a Chriſto dati ad bena agendum neceſſaris eſt, ſed conducibilis tantum. Jam vero nemo dici poteſt libertate arbitrii inſtructus, qui non cognoverit, quid ſibi ſit agendum, quique non potuerit, & velle, & præſtare, quod imperatur, ſiquidem liberum arbitrium ſit poteſtas faciendi bonum quod jubetur, & declinandi a malo quod prohibetur. Imperatur autem fidelium cuilibet, ut operetur digne Deo, & hereditata filiorum Dei.

Obſervatio quarta, de decem capitibus ad quæ Julianus gratiam Chriſti revocabat.

Lib. 1. op imperf. cap. 94.

Obſervandum igitur quarto, quidquid eſt beneficii a Deo per Chriſtum hominibus collatum, revocari a Juliano, cæterorum, opinor, mentem quam noverat interpretante, ad decem capita. Sic enim ait: *Gratiam Chriſti multiplicem confitemur. Hoc primum munus ejus eſt, quod facti ex nihilo ſumus: ſecundum, quod ut viventibus ſenſu, ita ſentientibus ratione præſtamus, quæ impreſſa eſt animo, ut conditoris imago diceretur; ad*

cujus

cujus æque reſpicit dignitatem arbitrii conceſſa libertas: ipſi etiam gratiæ beneficiorum, quæ nobis præſtare non deſinit, augmenta reputamus: ipſa gratia legem in adjutorium miſit, quia ad ejus ſpectabat officium, ut rationis lumen, quod pravitatis exempla hebetabant, & conſuetudo vitiorum, multimodis eruditionibus excitaret, atque invitatu ſuo foveret. Ad iſtius ergo gratiæ, id eſt, divinæ benevolentiæ, quæ rebus cauſam dedit, plenitudinem ſpectavit, ut Verbum caro fieret & habitaret in nobis: *repoſcens enim Deus ab imagine ſua amoris vicem, palam fecit, quantum in nos inæſtimabili egiſſet affectu, ut vel ſero redamaremus eum, qui commendans*

Rom. 8. v. 3.

caritatem ſuam nobis, filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis illum tradidit; *pollicens quia ſi voluiſſemus deinceps voluntati ejus obedire, unigeniti ſui præſtaret nos eſſe cohæredes. Hæc ergo gratia, quæ in baptiſmate non ſolum peccata condonat, ſed etiam hominem indulgentiæ beneficio, & provehit, & adoptat, & conſecrat, &c.*

Exceptio Auguſtini.

Poſt tam prolixam Juliani confeſſionem, queritur Auguſtinus, unum quiddam prætermiſſum, quo poterat confeſſio probabilis fieri. Subjungit enim: *Homo Pelagiane, caritas vult bonum, & caritas ex Deo eſt, & non per legis litteram, ſed per ſpiritum gratiæ, &c.*

Obſervatio quinta, de cauſa formali juſtificationis ſecundum Pelagianos.

Quo equidem loco non diſſimulabo, quod ſæpe mihi venit in mentem, Pelagianos olim nihil diverſum a Calvinianis noſtrorum temporum ſenſiſſe, quoad cauſam, ut aiunt, formalem juſtificationis. Nam & illi, & iſti conſentiunt, *homines juſtificari, vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei.* Quod cum de Calvinianis conſtet allatis Tri-

Eadem quæ ſecundum Calvinianos. *Seſſ. 6. can. 11.*

dentini concilii verbis, de Pelagianis exinde patet, quod iſta quinque admitterent, quæ ſunt Calvinianæ opinionis quaſi principia. I. Homines fieri membra Chriſti per baptiſmum, adoptarique in filios Dei, atque ita cohæredes Chriſti inſtitui, imo fieri templa, organaque Spiritus ſancti, cum baptizantur, Jul. *in*

Pars. 4. nu. 11.

libel. fides, & apud Auguſt. *lib.* 1. *contra Jul. cap.* 6. II. Accipere nos peccatorum remiſſionem propter mortem Chriſti, quippe qui pro peccatoribus paſſus ſit, perinde ac ſi ipſimet paſſi eſſent, Rufinus & Pelagius *locis mox citatis.* III. Chriſti obedientia juſtificari homines, Pelagius *in cap.* 5. *epiſt. ad Rom.* IV. Gratis & peccata dimitti, & donari Spiritum ſanctum, Pelagius *ibid.* V. Etſi hæc omnia juſtificatione contingant, in ipſa tamen non diffundi caritatem in cordibus noſtris; atque adeo nec innovari interiorem hominem, quod Pelagianis objicit Auguſtinus *lib.* 3. *oper. imperf. cap.* 108. Et vero, ſi faſſi eſſent donum hoc a Spiritu ſancto hominibus, cum juſti fiunt, conferri, agnoviſſent utique liberum arbitrium per ſe ſolum non ſufficere ad opera pietatis præſtanda, ſed egere auxilio, quod inhæreat: hoc enim eſt inhærere, quod diffundi in cordibus, quodque per id Spiritum ſanctum inhabitare apud hominem juſtum; agnoviſſent etiam amiſſam Adami peccato boni beatifici poſſibilitatem, quam reſtitui opus ſit ope Chriſti. Hæc & plura perſpexiſſent, quæ ſola fere Auguſtinus diſputat cum Pelagianis: neque enim tunc temporis excogitata fuerat gratia ſanctificans, a caritate differens, & quaſi per ſe iners.

Obſervatio ſexta, de quorumdam exceſſu in prædicanda Chriſti gratia.

Obſervandum ſexto, primis illis temporibus, cum quæreretur, qua ratione Chriſtus liberaverit nos a maledicto legis, non Moſaicæ tantum illius, cujus ſuſtulit jugum, ſed cujuſcumque alterius, quæ æternum violatoribus comminatur exitium, catholicorum aliquos, æſtu repugnandi abreptos, non tenuiſſe modum: vim enim fidei rectæ eo uſque extulerunt, ut auſi ſint negare, perire quemquam poſſe in perpetuum, qui cum recta fide, &, ut loquitur Ambroſius, indutus Chriſtum, mortem obiret, quantiſcumque tandem ſceleribus teneretur: atque hoc inquiebant idipſum eſſe,

Gal. 3. v. 13.

quod vellet Apoſtolus, cum diceret: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum.* Qui vero fuerint, quantique viri in ejuſmodi opinio-

Anathematiſmo primo cap. 4.

ne, oſtendimus in notis partim ad fidem Rufini, partim ad mommonitorium Mercatoris. Fuit autem illa quæſtio eadem omnino cum iſta, utrum chriſtianis, qui rectam fidem ſequuntur, ac peccatores ſunt, parcendum ſit aliquando, poſt idoneam ab igne purgationem.

Obſervandum denique, nihil, vivente Auguſtino, de gratia Dei per Chriſtum definitum fuiſſe, ſive a ſede apoſtolica, ſive a conciliis, præterquam quæ continentur tribus antea laudatis Africanæ ſynodi canonibus; fuiſſe tamen agitata duo, non jam quidem cum Pelagianis pro fide, ſed catholicos inter, ad intelligentiam: alterum, de prædeſtinatione hominum in Chriſto; alterum, quo diſcrimine gratia, quæ innocenti naturæ collata eſt, ab ea differret, qua naturam lapſam juvari neceſſe eſt. De ſingulis quæſtionibus ſcripſit copioſe pariter atque accurate Auguſtinus: & de prima quidem in epiſtola 105. ad Sixtum; de altera vero in libro *de correptione & gratia.* Verum quoniam hæ quæſtiones pertinebant ad profundiorem gratiæ intelligentiam, prætermiſſæ ſunt, & a ſummis Pontificibus, & a concilio Africano, & ab Auguſtino hæreſis Pelagianæ capita cenſente: quamquam in libro de hæreſibus nomen prædeſtinationis poſitum eſt.

Obſervatio ſeptima, de profundioribus duabus quæſtionibus.

Lib. de geſt. Paleſt. cap. 35. hær. 88.

---

§. II. *Quæ & quomodo ortæ ſint quæſtiones de gratia Dei per Chriſtum, quatenus ſupernaturalis, atque auxilians dicitur.*

Tres quæſtiones a Pelagianis motæ.

DE gratia illa, qua Deus adjuvat hominis infirmitatem, quæque differt a natura, lege, adoptione filiorum Dei, remiſſione peccatorum, atque etiam exemplo Chriſti, imo & doctrina interiore, quæ illuminatio vocatur, præcipuas tres Pelagiani quæſtiones moverunt. I. An aliqua ejuſmodi ſit opus ad faciendum bonum & declinandum a malo. II. Quid illa præſtet, cum adfuerit, utrum poteſtatem ipſam agendi pie, an ſolam facilitatem. III. Quomodo in voluntatibus operetur, an inclinando tantum, an etiam efficaciter agendo.

Quid ſenſerint de prima. *Pelag. lib. de natura.*

Quoad primam quæſtionem, Pelagianis viſum eſt, *habere homines poſſibilitatem utriuſque partis a Deo inſitam, velut quandam radicem fructiferam atque fœcundam, quæ ex voluntate hominis gignat & pariat, & quæ poſſit, ad proprii cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel ſentibus horrere vitiorum.*

Quid de ſecunda. *Pelag. ibidem.*

Viſum pariter quoad ſecundam, *ad hoc dari a Deo gratiam ſuam hominibus, ut quod facere jubentur per liberum arbitrium, facilius poſſint implere per gratiam.*

Et tertia.

De tertia, calumniati ſunt catholicis, perinde quaſi efficacis gratiæ nomine fatum inducerent. Conſtant iſta ſatis, cum ex libris hæreticorum, Africaniſque canonibus, atque Auguſtini ſcriptis, præſertim libro *de gratia Chriſti*; tum ex querela Juliani, ſive quæ in epiſtola ad Rufum, ſive quæ in libro quarto operis imperfecti continetur.

Obſervatio prima, de diſcrimine adjutoriorum utriuſque ſtatus.

Obſervandum primo, Pelagianos eas putaſſe arbitrii vires ſingulis hominibus in ortu a Deo procreatore quotidie tribui, quas olim a creatore Adam accepiſſet. Erat enim Pelagianorum dogma, quaſi capitale, INFANTES IN EO STATU NASCI, IN QUO FUIT ADAM, PRIUSQUAM PECCARET. Quare cum inter catholicos de viribus liberi arbitrii, quibus innocens homo pollebat, alii aliter, re, ut fit, nondum ſatis diſcuſſa, ſentirent, alia quoque fuit aliorum cum Pelagianis de adjutorio Dei confligendi ratio, expeditior Hieronymi, difficilior Auguſtini. Ille nullum (ſaltem quod in libris tradiderit) inter adjutoria utriuſque ſtatus diſcrimen poſuit; hæc ita diſcrevit Auguſtinus, ut quæ de viribus liberi noſtri arbitrii jactarentur a Pelagianis, ſaltem ad vincendas tentationes, vera eſſe fateretur de primo homine. *Non eſt hoc,* aiebat, *in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt,* (non diſcedere a Deo in tentatione;) *fuerat in homine, antequam caderet.*

Nullum videtur poſuiſſe Hieronymus. Secus Auguſtinus.

Lib. de bono perſev. cap. 7.

Verum hæc quæſtio de adjutoriorum diſcrimine, non tam Pelagianos inter & Eccleſiam, quam intra Eccleſias a tractatoribus curioſius id myſterii ſcrutantibus agitata eſt.

Obſervandum ſecundo, inquiſitum tunc fuiſſe diligenter in qualitatem liberi arbitrii, ejuſque vires, atque etiam in notionem divinæ juſtitiæ, humanique peccati, imo & in vim legis, cum ex his quatuor Pela-

Obſervatio ſecunda, de ortu quatuor quæſtionum quaſi principalium.

Pelagiani argumenta ſumerent, quibus neceſſitatem adjutorii divinæ gratiæ impugnarent: videbatur enim ipſis aut liberum arbitrium, de quo judicium a Deo inſtituitur; aut juſtitia Dei, quæ tota eſt in meritis hominum expungendis; aut ratio peccati, quod aliunde oriri non poteſt quam a voluntate; aut legis ſanctitas, quam ipſe Deus deprædicat, de medio tolli, ſi quidquid pie fit, a gratia Dei interiore fieri neceſſe eſt.

De eſſentia & viribus liberi arbitrii. Diſcuſſa ſunt igitur, primum plura Scripturæ teſtimonia, ſed tria maxime, quibus abutebantur Pelagiani, ad perſuadendam ſuam de libertate arbitrii opinionem. *Vitam & mortem dedit ante faciem tuam, bonum & malum, elige vitam, ut vivas.* &c: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit in manu conſilii,* &c. &c: *Si volueritis & audieritis me, quæ bona ſunt terræ, manducabitis; ſi autem nolueritis, nec obaudieritis me, gladius vos comedet,* &c. *(Deut. 30. v. 14. — Eccli. 15. v. 14. — Iſai. 1. v. 19.)*

Motæ quæſtiones ſeptem. Diſputatum deinde I. utrum libertas arbitrii, ut peccandi, ſic bene agendi, ita ſit poteſtas, ut utrumque pariter in viribus nativis humanæ voluntatis conſiſtat, quæ decantata liberi arbitrii æquilibritas. II. An poteſtas peccandi ſit pars libertatis, atque ita originem a Deo duxerit. III. Utrum indigere gratia divina libertati voluntatis noſtræ pugnet, vel, ut aiebant, *utrum ſit liberum arbitrium, ſi Dei egeat adjutorio.* IV. Utrum, qui aſſerit, hominem de ſuo nihil habere præter mendacium & peccatum, nec agere poſſe, ut oportet, quin ab eo adjuvetur, qui non poteſt agere male, vel Manichæo naturam malam ſomnianti, vel Joviniano impeccantiam fidelibus vere baptizatis tribuenti conſentiat, vel etiam pejus utroque hæretico ſentiat. V. Utrum quælibet neceſſitas libertati noxia ſit. VI. Uno verbo, qua ratione conciliari queant arbitrii libertas & gratiæ neceſſitas; quo de argumento Auguſtinus librum ſingularem *de gratia & libero arbitrio* conſcripſit. *(Lib. de geſtis Pal. cap. 7.)*

De juſtitia divina & peccato quæſtiones quatuor. Quæſitum poſtea circa juſtitiam divinam. I. Poſſintne præcipi a juſto Deo id operis, cujus homo præſtandi poteſtatem non habeat. II. An ex eo quod ſtabimus omnes ante tribunal Chriſti, ut quiſque recipiat ſecundum opera ſua, conſequens ſit omnibus inſitam eſſe vim quandam communem, qua nemo non valeat implere quidquid, cujuſcumque tandem generis & modi, vel conſuluerit Deus, vel mandaverit: atque ita par ſit mandantis auctoritas, & obedientis propria poteſtas, nec proinde ferri potuerit, quod ſcripſerat Auguſtinus Deum alloquens: DA QUOD JUBES, ET JUBE QUOD VIS. III. An peccatum, quod a Deo vindicatur, eo uſque voluntarium eſſe debeat, *ut neque oblivio, neque ignorantia ſubjaceat peccato, quoniam non ſecundum voluntatem, ſed ſecundum neceſſitatem eveniunt.* IV. Utrum peccatum poſſit eſſe pœna peccati, aptaque ſit peccati diviſio, in id quod tantum peccatum eſt, & aliud quod etiam cauſa peccati. *(Lib. de geſtis Palæſt. cap. 18.)*

De lege, ſive naturali, ſive ſcripta. Quæſitum denique, quam vim efficiendi boni lex habeat, ſive quæ mentibus inſita eſt, ſive quæ tabulis inſcripta, id eſt, naturalis & Moſaica. *Quid Pelagiani apud Auguſtinum.* Mirifice Pelagiani legem extulerunt, depreſſerunt catholici: illi ut gratiam Chriſti deſtruerent, iſti ut aſtruerent. Dicebant illi, *veterem legem ſecundum Apoſtolum juſtam, & ſanctam, & bonam cuſtodientibus mandata ſua, ac per fidem juſte viventibus, ſicut Prophetis & Patriarchis, omnibuſque ſanctis vitam potuiſſe conferre perpetuam.* *(Lib. 4. ad Bonif. cap. 2.)* *Quid catholici.* Reſpondebant illi, *verbis callidiſſime poſitis legem contra gratiam laudari: neque enim lex illa, quamvis & juſta, & ſancta, & bona, omnibus illis hominibus Dei, ſed fides quæ in Chriſto eſt, vitam potuit conferre perpetuam. Hæc enim fides per dilectionem operatur, non ſecundum literam quæ occidit, ſed ſecundum ſpiritum qui vivificat: ad quam Dei gratiam lex, de prævaricatione terrendo, tanquam pædagogus perducit, ut ſi conferatur homini, quod conferre ipſa non potuit.* *(Ibid. cap. 5.)*

Hinc orta quæſtio de lege & gratia. Pelagiani tribuebant legi quidquid per ſe gratiæ convenit: catholici legis literam a ſpiritu diſtinguendam monebant, ut literæ ſit, oſtendere quid agendum; ſpiritus, adjuvare ut agatur.

De litera & ſpiritu. Pelagiani, quod obſervatione dignum, tanto obſtinatius pugnabant, quanto ſibi videbantur apertius cum Chryſoſtomo loqui: catholicis tanto incumbebat laborioſius certamen, quanto minus poterat obviis quibuſque perſuaderi idonea diſcretio, ſive ſpiritus & literæ, ſive legis factorum & legis fidei, quippe quam vix acuti ipſi dignoſcerent, atque hac de cauſa elaboratus eſt ab Auguſtino liber *de ſpiritu & litera,* &c.

Obſervatio tertia, quomodo natæ ſint quæſtiones. Inde primo quatuor. Obſervandum tertio, hoc etiam in loco controverſiam motam eſſe. I. De fide in Chriſtum. II. De ſanctis veteris Teſtamenti. III. De virtutibus philoſophorum. IV. Imo & de operibus gentilium. Contendebant ſiquidem Pelagiani ſine fide Chriſti, & ante legem primos homines, & ſub lege Judæos, & poſt legem etiam gentiles multa peregiſſe bona opera, vel ſolo legis adjutorio, vel ſola veri Deique cognitione, quam acceperant a natura.

Tum ſeptem. Diſputatum quoque I. Utrum lex ſic miſerit ad regnum cælorum, ſicut Evangelium. II. Utrum in vetere Teſtamento regnum Dei ſit promiſſum. (Ex promiſſione miſſionem quam dicebant, hoc eſt, vim perducendi ad regnum cælorum, concludebant hæretici) III. Quomodo Chriſtus veteribus profuerit. IV. Utrum ſine fide in Chriſtum aliquis uſpiam, aut unquam conſecutus ſit ſalutem. Imo & diſquiſitum, V. qua vi ſanctificandi vetera ſacramenta, & unde, pollerent. VI. An fuerint aliqua, ante legem circumciſionis. Quin & Auguſtinus indagandum putavit diſcrimen utriuſque Teſtamenti, & de utriuſque gratia ſubtilius commentandum.

Denique quatuor. Quin etiam occaſione legis, cujus infirmitas ad perficiendam juſtitiam oſtendebatur, calumniam paſſi ſunt catholici, quaſi dicerent I. Spiritum ſanctum bonas mentes in antiquis non adjuviſſe temporibus. II. Legem veteris Teſtamenti non ob hoc datam fuiſſe ut juſtificaret obedientes, ſed ut gravior fieret cauſa peccati. III. Nullum fere ad juſtitiam ratione, ſed ne ſacræ quidem legis inſtitutione perduci. IV. Cum Manichæo vetus Teſtamentum rejici, cujus negaretur vis per ſe ulla fuiſſe ad homines ſanctificandos. Hæ porro calumniæ quatuor, dum refelluntur a catholicis, & ab hæreticis defenduntur, totidem quæſtiones pepererunt. *(Lib. 4. ad Bonif. cap. 2. — Lib. 3. cap. 2. — Jul. apud Bedam lib. 1. in cantica.)*

---

§. III. *De adjutorio Dei per Chriſtum, qua ratione gratia eſt, ſeu beneficium gratuitum, quaque præveniens dicitur.*

Quando agitari cœpit quæſtio de adjutorio Dei per Chriſtum, quatenus præveniens eſt atque gratuitum. DEFERBUIT poſt tractoriam Zoſimi Africanoſque canones, quæſtio de gratia Dei, quatenus adjuvat infirmitatem noſtram, auxiliansque dicitur; revixit altera, arſitque vehementer, etiam inter Pelagianorum hoſtes, de adjutorio Dei, qua ratione gratia eſt: gratiæ enim nomine appellatur in ſcripturis ſacris, ut cum ait Apoſtolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per* JESUM CHRISTUM *Dominum noſtrum* & *Abundantius omnibus laboravi; non ego, ſed gratia Dei mecum,* &c. *(Rom. 7. v. 24. 1 Cor. 15. v. 10.)*

Obſervatio prima, de quatuor modis, quibus propoſita eſt. Obſervandum primo, quæſtionem hanc propoſitam eſſe quatuor præſertim modis. I. An gratia detur ex meritis, gratiam utique præcedentibus, atque ita naturalibus, ſiquidem gratiam nihil præter naturam antecedit. II. An gratia Dei præveniat voluntates humanas, an eas ſponte motas ſequatur. III. In converſione hominis, Deone hominem ad ſe convertentis, an hominis ſe a mundo avertentis ad Deum, operatio antecedat. IV. Cujuſmodi ſit gratia Dei, præveniens, an ſubſequens: dux liberi arbitrii, an pediſſequa. *(Cæleſt. lib. capitul. cap. 3.)*

Obſervatio ſecunda, de Cæleſtio quæſtionem ſponte movente. Obſervandum ſecundo, ſcripſiſſe jam inde a primis temporibus naſcentis hæreſis Cæleſtium, in libro capitulorum, *Dei gratiam ſecundum merita noſtra dari, quia ſi peccatoribus illam det, videatur eſſe iniquus, & his verbis intuliſſe, propterea & ipſa gratia in mea voluntate poſita eſt, ſive dignus fierem, ſive indignus. Si enim per gratiam omnia facimus, quando vincimur a peccato, non nos vincimur, ſed Dei gratia, quæ voluit nos adjuvare omnimodo, & non potuit.* Et iterum ait: *Si gratia Dei eſt, quando vincimus peccata: ergo ipſe eſt in culpa, quando a peccato vincimur, quia omnino cuſtodire nos, aut non potuit, aut noluit.* *(Cap. 3. Lib. de geſt. Palæſt. cap. 14.)*

Obſervatio tertia, de Pelagio mentem diſſimulante. Obſervandum tertio, Pelagium apertam ſuper ea quæſtione ſententiam, neque in commentariis epiſtolarum Pauli dixiſſe, neque in eulogiis, neque in libro *de*

natura; imo Dioſpoli objectum ſibi Cæleſtii dictum damnaſſe, ſimulque ſe nunquam ita tenuiſſe, conteſtatum eſſe. Damnantem Auguſtinus malæ fidei, conteſtantem mendacii convincere niſus eſt, tum ex dictis in ſynodo, tum ex libris *de libero arbitrio*, atque epiſtola ad Demetriadem.

Et damnante dictum Cæleſtii.
Sed malæ fidei & mendacii accuſatur ab Auguſtino tribus teſtimoniis.
Jacobi 3. v. 6.

Nam quomodo conteſtari ſincere potuit ann. 415. menſe Decembri, ſe nunquam ſic tenuiſſe cum in contrarium ann. 413. Demetriadi ſcripſerit? Interpoſito enim Jacobi Apoſtoli teſtimonio, quo ait: Subditi eſtote Deo, & reſiſtite diabolo, & fugiet a vobia. *Oſtendit*, inquit, *quomodo reſiſtere debeamus diabolo, ſi utique ſubditi ſimus Deo, ejuſque faciendo voluntatem, divinam etiam mereamur gratiam, & facilius nequam ſpiritus auxilio ſancti Spiritus reſiſtamus.* Quomodo ſincere damnavit errorem, quem animo retentum poſtea anno 417. *in libris de libero arbitrio* patefecit his verbis: *Qui currit ad Deum, & a Deo ſe regi cupit, id eſt, voluntatem ſuam ex ejus voluntate ſuſpendit, qui et adhærendo jugiter, unus ſecundum Apoſtolum cum eo fit ſpiritus, non hoc niſi de arbitrii efficit libertate, qua qui bene utitur, ita ſe totum tradit Deo, omnemque ſuam mortificat voluntatem, ut cum Apoſtolo poſſit dicere:* Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Chriſtus; *ponitque cor ſuum in manu Dei, ut illud quo voluerit Deus, ipſe declinet?* Quin & videtur in ipſo concilio imprudens aperuiſſe mentem: cum enim objectum eſſet, *quod affirment unumquemque hominem omnes virtutes poſſe habere & gratias, & auferant diverſitatem gratiarum, quam Apoſtolus docet; dictum eſt a nobis, ſed maligne & imperite reprehenderunt: non enim auferimus gratiarum diverſitatem, ſed dicimus donare Deum ei qui fuerit dignus accipere, omnes gratias, ſicut Paulo Apoſtolo donavit.*

Epiſt. ad Demetriad cap. 5.
Gal. 2. v. 20.
Prov. 21. v. 1.

Quæ accuſatio ad examen revocatur.

Verum quæ affert Auguſtinus, rem forte cuipiam non perſuaſerint: nam in poſtremo loco vocem hanc, *dignus*, perinde accepit, ac ſi præcedens aliquod operis factive meritum ſignificaret, quamvis utcumque poſſet pro eo ſumi, quem Deus gratiis afficere dignatus ſit, non inſolente vocis uſu, ſive apud Patres hujuſce ætatis, ſive apud ipſummet Auguſtinum. Neque vero conjectura multum abs re videri debet, cum Pelagius Græce Græcis judicibus tunc reſpoonderit, & videri poſſit uſus verbo ἀξιοῦσθαι, quod eſt aliquando ornari, aut dignitate ab alio liberaliter affici.

Lib. de grat. Chriſti cap. 22.

Priori loco ſenſit Auguſtinus adhiberi poſſe benignam interpretationem, quam ipſe attulit, perinde ſcilicet ac ſi Pelagius dixerit: *Dei faciendo voluntatem, divinam mereamur gratiam, ſicut fidelibus pie viventibus additur gratia, qua reſiſtant fortiter tentatori; cum tamen gratiam etiam primitus accepiſſent, ut Dei facerent voluntatem.* Quare diffiſus huic teſtimonio, addidit alterum, quod & ipſum tamen non ægerrime poſſet eamdem interpretationem pati, ſin minus aliunde conſtaret, quid de poteſtate arbitrii communiter Pelagiani ſentirent.

Videtur ergo Pelagius, ut erat Cæleſtio, ſive timidior, ſive callidior, ſuper ea re propter invidiam diſſimulaſſe mentem, uſumque verbis ambiguis, quibus, ut ait Hieronymus, *aliud in cubiculis apud diſcipulos, aliud palam in populo loqueretur.*

Epiſt. ad Cteſiph.

Obſervatio quarta, de tempore efferveſcentis controverſiæ.

Obſervandum quarto, controverſiam hanc, etſi orta eſt cum hæreſi, efferbuiſſe tamen acrius poſt conditos tantum Africanos canones, atque adeo poſt annum 418. neque enim, ſi res aliter ſe habuiſſet, Auguſtinus canonibus quos condidit, exponere omiſiſſet ſenſum Eccleſiæ, in quæſtione tanti momenti, quanti iſtam putavit poſtea, cum omnium dogmatum perniciosiſſimam ſcripſit: quanquam, ne huic rationi, quantumvis probabili, vehementer adhæream, facit imprimis, quod alia potuerit eſſe Auguſtino tenendi ſilentii juſta cauſa; ea nempe, quod probe ſciret, non omnibus catholicis perſuaſum ſatis adhuc fuiſſe totum prædeſtinationis gratuitæ myſterium, vocationiſque ſecundum propoſitum arcanum, quod ipſemet ante epiſcopatum ignoraſſet.

Nata eſt igitur quæſtio cum hæreſi, ſed ejus tamen pernicies non ſtatim innotuit, imo diu pluribus, etiam magni nominis, hominibus illuſit, ipſique, ſi credimus nonnullis, Hieronymo, quod tamen miror, cum in opere primo, quo ſe adverſus Pelagium exercuit, tam expreſſe, tamque graviter afferat teſtimonium Pauli, quo ſe uno revocatum ab errore fatetur Auguſtinus: *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

Epiſt. ad Cteſiph.
1 Corinth. 4. v. 7.

Obſervatio quinta, de origine hujuſce erroris.
Rom. 9. v. 14.
Rom. 2. v. 11.
Deuter. 1. v. 17.

Obſervandum quinto, errorem hunc, ut dixi, profluxiſſe, tum ex falſa divinæ juſtitiæ notione, quaſi gratiam omnem excludat, tum ex perverſa interpretatione dicti apoſtolici: *Iniquitas non eſt apud Deum.* & : *Non eſt acceptio perſonarum apud Deum*, veluti æqualibus inæqualia beneficia tribuere, ſit accipere perſonas; illudque ipſum ſit vitium, quod Deus hominibus prohibet, quodque in ſuis nolit actionibus, ſic tanquam in exemplis ad imitandum propoſitis, exprimi. Quomodo autem præſumpta hæc opinio, & Origenem in ſua deliria præcipitem egerit, & præſtantes viros deceperit, & errorem, qui poſtea Semipelagianiſmus dictus eſt, pepererit, oſtendimus in notis ad fidem Rufini.

Obſervatio ſexta, de conſenſione & diſſenſione inter catholicos & Pelagianos, quo ad principium gratuitum actionis meritoriæ.

Obſervandum ſexto, catholicos in eo Pelagianoſque conveniſſe, quod gratis a Deo conferatur hominibus neceſſarium aliquod operationis bonæ principium, ſive quod efficiat, ut aiunt, phyſice, ſive quod moraliter, & actioni pretium faciat ac dignitatem: diſſenſiſſe vero, quod Pelagiani principium efficiens, nec a natura diſtinguerent, nec ab innatis arbitrii viribus, & lege; catholici contra, diverſum quiddam a tribus iſtis diffundi in cordibus noſtris a Spiritu ſancto aſſererent. Conſenſiſſe item, quod principium, unde actioni bonæ pretium fieret, parque regno cælorum dignitas, quam vim meritoriam dicunt, ipſa ſit adoptionis & reconciliationis gratia, qua filii Dei atque amici ſimus: ſed in eo ipſo diſſenſiſſe, quod Pelagiani totam hanc gratiam, adoptionis dico & remiſſionis peccatorum, purum Dei favorem putarent; catholici juſtitiam inhærentem atque caritatem, qua Deus nos vere juſtos, ſuique dilectores efficiat.

Diſſenſio inter Pelagianos de remiſſione peccatorum.
Quam gratuitam Pelagius aſſerit.
In caput 5. ep. ad Romanos.
Negat Cæleſtius.
Lib. de geſt. Palaſt. cap. 18.
Pelagius inconſtantiæ a Petavio accuſatur.
Tom. 3. de dogm. lib. de hær. Pelag. cap. 3.
Sed immerito.
Lib. de gratia Chriſti cap. 1.

Verum de venia peccatorum, quam Deus indulget pœnitentibus, non una fuit, concorſque ſententia Pelagianorum: ipſe enim Pelagius peccata gratis remitti conſtanter aſſeruit, Cæleſtius contra, *pœnitentibus veniam non dari, ſecundum gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundum merita & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordia.* Conſtanter, dixi, Pelagium in ſua ſententia perſtitiſſe: neque enim aſſentiri poſſim eruditiſſimo Petavio, Pelagium inconſtantiæ hac in parte accuſanti; id ipſum ſiquidem aperte docuit ann. 402. in commentariis ad caput 5. *Rom.* ann. 410. aut 411. in libro *de natura*; ſi credimus Auguſtino ann. 415. in ſynodo Palæſtina; ann. 417. aut 418. apud Albinam, Pinianum, & Melaniam in Palæſtina, quibus, ut gratiam fateretur, ſindentibus: *Anathema*, inquit, *qui vel ſentit vel dicit, gratiam Dei, qua Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, non ſolum per ſingulas horas, aut per ſingula momenta, ſed etiam per ſingulos actus noſtros non eſſe neceſſariam; & qui hanc conantur auferre, pœnas ſortiantur æternas.* Adde quod Auguſtinus, eam quoque ſententiam Pelagii eſſe, fateatur in utroque opere contra Julianum, atque adeo ann. 422. & 428. & in libro *de gratia & libero arbitrio* ann. 424. imo ubique paſſim, Pelagianorum veluti propriam agnoſcat, ut oporteat Cæleſtii opinionem ſociis non placuiſſe.

Laboravit potius vitio inconſequentiæ.

Quanquam quod veriſſime monuit Petavius, non mediocriter difficile eſt intelligere, qua ratione Pelagius, ſi cohærentia ſcribere voluit, peccata dixerit gratis remitti: qusodoquidem neminem crediderit juſtificari niſi fide, & fidem noluerit a Deo dari, ſed ex libero arbitrio oriri. Verum, ut pugnantia ſit locutus, quod inquirere alterius eſt loci, in ea certe quam dixi ſententia conſtans permanſit: nec operoſum eſt ex allata operum quaſi chronologia his reſpondere, quæ adducit Petavius.

Loc. cit. num. 3. & 5.

Obſervatio ſeptima, de diverſa ſecta Semipelagianorum.

Obſervandum ſeptimo, inter eos, qui priorem liberi arbitrii, quam Spiritus ſancti operationem eſſe voluerunt, quique aliud ex parte hominis præire gratiæ dixerunt, non unam extitiſſe omnium ſententiam: nam aliqui ita ſemper contingere ſanxerunt, ut Maſſilienſes; alii interdum tantum, ut Caſſianus; illi rigidiores, iſti molliores Semipelagiani nominari poſſunt.

Dein-

Deinde placitum eſt quibuſdam, præter gratiæ ipſa quoque opera, aliis fidem duntaxat & orationem, imo & quiddam fide minus, nempe credulitatis affectum, vel conatum ſurgendi, aut aliud ſimile. Hi porro errores, quamvis longe poſtea ab Arauſicana ſynodo proſcripti ſint, jam inde tamen a temporibus Auguſtini, partim in Africa, partim in Gallia orti erant, ut conſtat, tum ex epiſtola Auguſtini ad Vitalem, librisque ad Adrumetinos, tum ex literis Proſperi, Hilariique Galli ad Auguſtinum.

Ann. 529.

Obſervatio octava, de conſectariis & quæſtionibus inde ortis.

Obſervandum octavo, ex errore, quod gratia detur ex meritis, conſectaria plura confecta eſſe, ſive a Pelagianis ipſis, ſive a Pelagianorum reliquiis, indeque totidem quæſtiones extitiſſe. I. Gratiam in uniuſcujuſque poteſtate poſitam eſſe, ſi modo dignus fiat aut indignus. II. Unumquemque hominem omnes virtutes habere poſſe & gratias. III. Chriſtum meritis operum & laborum mercede factum eſſe Deum. IV. Neminem Chriſto dignitatem poſſe merito invidere, quippe qui valeat eſſe id quod Chriſtus, ſi modo pariter niti voluerit. V. Ipſos etiam infantes gratiam adoptionis in baptiſmo conſequi ex meritis, ſive præteritis in altera vita, ſive præſentibus, veluti per ſe credant; ſive futuris, quæ Deus præviderit. VI. Vel non omnem prædeſtinationem, vel nullam eſſe gratiæ, ſed omnem, vel pene omnem eſſe juſtitiæ. VII. Nullam eſſe vocationem ſecundum propoſitum, *&c.*

CAPUT. VI.

Examinantur verba ſancti Hieronymi de principibus hæreſis Pelagianæ, pugnantia in ſpeciem cum ſententia Marii Mercatoris.

Quid hactenus præſtitum.

HACTENUS hiſtoriam ipſiuſmet hæreſis, dogmatumque, aut potius quæſtionum teximus, ſimulque patefecimus, opinor, clare, & quo modo ex quæſtione una plures prodigioſa multitudine extiterint, & quam merito Mercator ſcripſerit, *totam ſummam inepti, & magis impii Juliani laboris ad unam pravam redigi ſententiam*, ADÆ VIDELICET ET EVÆ TRANSGRESSIONEM EOS NON FECISSE MORTALES.

Præf. in lib. Subnot.

Quid deinceps tractandum.

Dicendum deinceps nonnihil, quod ex prima diſſertatione ſupereſſe videri poteſt, de inventoribus hæreſis, primiſque Pelagii principibus, ut loquitur Hieronymus: inde enim manifeſtum pariter fiet, quod tradit Mercator, *Theodorum Mopſueſtiæ Epiſcopum quæſtionem hanc primum contra catholicam fidem moviſſe.* Nam quod eſt non ſemel monitum, Mercatori ita ſcribenti pugnant in ſpeciem viri magnæ alioquin famæ, atque ipſe inprimis Hieronymus, qui converſa oratione ad Pelagium: *Exponam*, inquit, *breviter principum & ſociorum tuorum nomina, ut animadvertas, qualium conſortio glorieris. Manichæus electos ſuos, quos inter animas Platonis in cæleſtibus collocat, dicit omni carere peccato, nec, ſi velint, poſſe peccare: ad tanta enim eos virtutum culmina tranſcendiſſe, ut carnis operibus illudant. Dicit idipſum Priſcillianus in Hiſpania, pars Manichæi, de turpitudine cujus te diſcipuli diligunt plurimum, verbum perfectionis & ſcientiæ ſibi temere vindicantes, ſoli cum ſolis clauduntur mulierculis*, &c. *Siquidem partem habent Gnoſticæ hæreſeos de Baſilidis impietate venientem, unde & vos aſſeritis eos, qui abſque legis ſcientia ſunt, peccata vitare non poſſe.* Et paulo poſt: *Vis adhuc & alium noſſe tui erroris principem? Doctrina tua Origenis ramuſculus eſt*, &c. *Nec erubeſcas de ſocietate talium, renuens eorum nomina, quorum blaſphemiis jungeris, Joviniani ſecunda quæſtio tui ingenii diſciplina eſt*, &c.

Ibid.

Videtur Mercatori pugnare Hieronymus.

Epiſt. ad Cteſiph.

Cujus in verba, ſententiamque inquiritur.

In hæc Hieronymi verba de Origene Manichæo, & Joviniano, quæ recentiores ſine examine ſolent arripere, operæ pretium eſt inquirere breviter, non modo quia conducit iſthæc opera ad hiſtoriam, cujus texendæ inſtrumenta edimus; ſed etiam propter locum in quo ſumus, & ſuſceptam Mercatoris defenſionem: fieri enim poteſt, ut popularis opinionis præjudicio veritas aliquid detrimenti capiat, ſin minus tenebræ, quibus involuta eſt, diſcutiantur. Inquiſitionis modum ætas ipſa hominum, de quibus agitur, præſcribit; quare ducendum ab Origene initium, quippe trium antiquiſſimo: lapſus eſt enim memoria Epiſcopus Iprenſis, cum Manichæum Origene majorem fecit, cum triginta fere annis minor ſit.

§. I. *De Origene & Origeniſtis, cujuſmodi Evagrius Ponticus, Palladius Galata*, &c.

Tres quæſtionis partes de Pelagianorum ab Origene diſciplina.

CUM quæritur, utrum Pelagianorum doctrina ex Origeniana prodierit, quæſtionem opinor intelligi poſſe, atque etiam debere, tribus omnino modis. Dubitatur enim primo, utrum id damnati dogmatis docuerit olim Origenes, quod poſtmodum Pelagiani. Deinde, an quæ Origenes, Pelagianique dogmata communiter ſecuti ſunt, Pelagiani acceperint ex Origenis libris. Denique, utrum Pelagianarum hæreſeon defenſores, ſin minus libris, ſermone ſaltem, atque traditione didicerint ab Origeniſtis, quæ poſtea, velut in unum doctrinæ corpus collecta, per totum fere orbem ſparſerint.

Singulas ſolvit Janſenius Iprenſis.

Lib. de hær. Pelag. cap. 13. & ſeq.

Solvit quæſtionem tribus hiſce modis intellectam Janſenius Iprenſis, Pelagiumque aſſerit primo nihil, uno excepto, docuiſſe aliud quam quod Origenes ante ducentos pene annos tradidiſſet. Deinde omnia ſua dogmata ex duobus maxime Origenis operibus, commentariis in epiſtolam ad Romanos, & libris περὶ ἀρχῶν hauſiſſe. Denique de ſectæ myſteriis ab Evagrio Pontico, Palladioque Galata, ac Origeniſtis monachis, partim in Ægypto, partim in Palæſtina, edoctum eſſe.

Qua ratione unamquamque.

Ibid.

Priorem aſſertionis ſuæ partem conficit collatione dogmatum, quæ uterque auctor, de libero arbitrio, ejuſque naturali poteſtate, de lege naturæ ac Moſis, de gratia ac merito, de prædeſtinatione divina, *&c.* docuit. Alteram facile probat, allatis ex utroque Origenis opere teſtimoniis, quorum verbis pene ipſi Pelagiani uſi ſint ad ſuum errorem exponendum. Poſtremam ſua fretus auctoritate affirmat, atque: *Cum plerique ipſorum* (Pelagianorum & Maſſilienſium) *religioſæ vitæ perfectionem, veluti monachi ſectarentur, inter Origeniſtas monachos in Ægypto & Palæſtina verſati ſunt, & eorum erroribus ex Evagrio Pontico, Palladio Galata, & ejuſmodi familiaribus hauſtis, duces ipſi cæteris ad præcipitium facti ſunt. Ex quibus omnibus vides, quam recte ſanctus Hieronymus Origenem Pelagianorum amaſium & ἀρχαῖον, hoc eſt, librorum περὶ ἀρχῶν ſcriptorem, eorum magiſtrum, & doctrinam Pelagii ramuſculum Origenis vocet.*

Cap. 17.

De ἀρχαῖον & amaſio notatur Janſenii incogitantia.

Quo merito Hieronymum teſtem appellet, quaque eruditione Origenem ἀρχαῖον dictum putet, quia libros περὶ ἀρχῶν ſcripſit, aut Pelagianorum amaſium, quia diligeretur a Pelagianis. Viderit ipſe, aut quiſquis alius voluerit, certe docti aliter ſentiunt.

Error Origenis de poteſtate arbitrii.

Origenem fateor contra fidem Eccleſiæ ſcripſiſſe, liberum arbitrium tanta poteſtate pollere, quanta ſufficit, cum ſola revelatione veritatis, ſeu legis adjutorio, ad credendum Deo, eamque gratiam promerendam,

qua

qua porro juvetur ad opera pietatis præſtanda. Nec etiam diffiteor, quin ſenſerit, prædeſtinationem ſanctorum juſtitiæ eſſe, non item gratiæ. Sed hunc tamen contendo, ſuper utraquere multum a Pelagianis diverſum fuiſſe, ſoliſque ſive Adrumetinis, ſive Maſſilienſibus contenſiſſe: nam de impotentia naturæ, ad implenda pietatis chriſtianæ officia, ſalutemque conſequendam, tam aperte dixit teſtimonium, ut nemo, qui vel obiter ipſius opera legerit, reum poſſit facere conſenſionis cum Pelagianis. Negabant illi, ut ſcitum eſt, ad implendam juſtitiam, vincendas tentationes, reſurgendum a peccato, perſeverandum in bono, & conſequendam ſalutem, gratia quæ voluntatis dicitur, quæque interior, opus eſſe, ſed uſum duntaxat, ut quod quiſque per ſe poſſit, quamvis aliquando ægre, id auxiliante gratia, delectabilius, faciliuſque peragat. Longe aliter Origenes, nec uno in loco: pauca de multis profero cum erudito Origenianorum auctore.

Et prædeſtinatione.

Longe diverſus a Pelagiano.

Cum quo componitur.

Tomo 1. oper. Orig. lib. 2. Origen. quæſt. 7.

Origenes de neceſſitate gratiæ.

Tract. 35. in Matth.

Cum mentionem feciſſet Origenes de Petro propter animi præſidentiam lapſo: *Per hoc*, inquit, *inſtruimur, ut nunquam ſine conſideratione aliquid promittamus, ſuper habitudinem noſtram humanam; quaſi qui valeamus Chriſti implere confeſſionem ex nobis, aut aliquod præceptorum Dei.* Et alio in loco: *Vides ergo, quia Domini ſemper auxilio indigemus, primo ne cadamus, tum deinde, etiamſi ceciderimus, ut reſurgamus.* Et iterum: *Quænam ergo bona ſint ἀπροαίρετα nunc dicendum eſt, quoniam verum eſt id:* Niſi Dominus ædificaverit domum, fruſtra laboraverunt qui ædificant eam. *&*: Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. *Ædificat domum quicumque proficit, cuſtodit civitatem quicumque perfectus; vanum autem opus ædificantis, & vana cuſtodia ſervantis, niſi Dominus ædificaverit, & Dominus cuſtodierit. Extra liberam voluntatem noſtram fuerit bonum, virtus Domini, quæ ædificantis ædificationem adjuvat, & ei opitulatur, unaque cum eo ædificat, qui ædificationem per ſe conſummare non poteſt.* Et paulo poſt: *Non ſolum igitur ad id, ut honeſtus & bonus fiat aliquis, opus eſt voluntate noſtra, & divina ope conſpirante, quæ quantum ad nos arbitraria non eſt; ſed ad id etiam, ut qui honeſtus & bonus evaſit, in virtute perſeveret: quod nimirum in ruinam delapſurus ſit, etiam perfectus, ſi in honeſtate fuerit elatus, & ſibi hujus cauſam arroget, nec debitam gloriam referat ei, qui multo plus ad acquirendam & retinendam contulit*, &c.

Homil. 4. in Pſal. 36.

Tum in Pſal. 4.

Pſal. 126. v. 1.

Verum ne, quod eſt in proverbio, actum agam, ſi diutius in hac parte morer, amantem ſinceræ veritatis lectorem rogo, ut locum Origenianorum a me laudatum conſulat: capiet inde procul dubio non minorem voluptatem quam utilitatem, veritate ſe prodente, quæ alienis præjudiciorum tenebris invita opprimebatur.

Pelagianorum in Origenem odium.

Unum id attingam, quod vir eruditus prætermiſit, Pelagianos in nonnullis quidem Origeni imprudentes conſenſiſſe, ab eo tamen volentes mutuari nihil potuiſſe, quippe quem non ſpreverint modo, ſed capitali etiam odio proſecuti ſint, imo & quoties licuit, maledictis nominatim oneraverint. Theodorum certe Mopſueſtenum memoriæ proditum eſt, adverſus Origenem, velut Scripturæ corruptorem, ſtylum ſtrinxiſſe. Rufinus Syrus impie, ac nefarie fatuum dixit, quorumdam errore mentis deceptorum dementiam ſecutum, impium, & ignarum divinæ ſcripturæ, quam ſine ſenſu doceret, *&c.* Pelagius, pro eodem ſumpſit Origeniſtam eſſe, atque anathemate percellendum. Pelagiani communiter, qua data occaſione, doctrinam Origenis de præexiſtentia animorum, de creatione mundi Deo neceſſaria, de ſiderum animatione atque ſignificatione, de peccato originali, de impeccabilitate perfectorum, de improborum inconvertibilitate, de temporalitate, ſive pœnarum, ſive beatitudinis, de qualitate corporum reſurgentium, deque aliis ejuſmodi, veluti IMPERITAM, DEMENTEM, IMPIAM, NEFARIAM, EXECRANDAM in ſuis fidei libellis damnarunt. & ubi Amaſius?

Theodori Mopſueſteni.

Rufini Syri. Num. 17. Num. 19. Num. 23. Ibid.

Pelagii. Lib. de geſt. Pal. cap. 2.

Et reliquorum.

Pelagiani, ut

Non tamen inficior, quin Pelagiani omnes Origenem, cum eſſet interpretum Scripturæ celeberrimus, ſua etiam lingua ſcribentem legerint; quandoquidem & affectabant opinionem peritiæ in tractandis Scripturis, & nemo Latinus hujus ſectæ Græce non noverat, & volebat videri noſſe. Pelagius certe, ſi Auguſtino credimus, Græco ſermone uſus eſt in ſynodo Palæſtina. Cæleſtius, cum diu, qua docens Epheſi, Rhodique, qua negotia factionis procurans Conſtantinopoli, qua Mopſueſtiæ cum Theodoro conferens, in Oriente verſatus ſit, Orientalibus, credo, Latinæ linguæ præ ſua deſpicientibus, Græce loquebatur. Julianus præterquam quod iiſdem cum Cæleſtio, ſive negotiis, ſive collationibus implicatus eſt, fidemque Rufini Latinam fecit, eo uſque Græcorum ſe lectione jactabat, ut ſuam vellet Orientalibus doctrinam acceptam ferre. Annianus denique, quid Græce noſſet, ſuis homiliarum Chryſoſtomi verſionibus teſtatum reliquit poſteris.

erant Græcæ linguæ periti, Origenem legere potuerunt.

Unum igitur id pugno, Origenem longe diſſenſiſſe Pelagianis, etiam in eo, in quo conſentire vulgo fertur, id eſt, de ἀπαθείᾳ & ἀναμαρτησίᾳ, deque naturæ viribus ad gratiam divinam provocandam.

Ab eo tamen diſſentiunt.

Nam ſolis ille gratiæ auxiliis, quibus perfectionis gradus quidam ſummus acquireretur, impeccantiam tribuebat: hi ſolis naturæ viribus, quibus divinam opem conjungi optabile quidem ſit, non tamen opus.

Componuntur quoad impeccantiam.

Ille naturæ vires, ad credendum Deo tantum promittenti dona, ſeſeque in tentationibus, legis ſcientia & recti humani amore, continendum valere voluit: hi ad perficiendam quoque ſive fidem, ſive juſtitiam. Ille neminem, illi multos, ſine vera Chriſti gratia, quæ interna ſit, & non externus tantum Dei favor, regnum Dei poſſe ingredi docebant.

Quoad fidem, victoriam tentationum, præſtationem operum, & conſecutionem ſalutis.

Falſus ſum initio, quod plane verum eſt, Origenem, de gratia conſequente liberi arbitrii viſum, ea ſcripſiſſe, quæ Maſſilienſes presbyteri, ducentis fere poſt annis, defenderunt; verum vix ac ne vix quidem adduci poſſum ut credam, ſuam, quod placitum Iprenſi Præſuli, Maſſilienſes doctrinam ex Origenis libris, præſertim commentariis in epiſtolam ad Romanos, & libris περὶ ἀρχῶν ſumpſiſſe.

Erravit Origenes circa gratiam prævenientem, ut Maſſilienſes.

Non tamen iſti errorem didiciſſe dici debent ex libris quos nominat Iprenſis.

Quis enim affirmet ex Origene ipſo ſumpſiſſe, & non potius e Rufino, quod ex commentariis hauſtum dicitur? Si modo advertat, quod nemo neſcit eruditus, commentarios, de quibus ſermo eſt, a Rufino Latinitate donatos: ita ut propter plurima, ſive explanata, ſive ſuppleta, Rufini potius quam Origenis dici debere multi ea ætate crederent, nec ipſe credentibus admodum repugnaret, totumque opus adoptaturus eſſet; ſi minus invidioſum putaſſet, plenumque arrogantiæ, tantum ſibi, ut ait, honorem aſſumere.

Sed ex Rufino potius, qui libros hoſce interpolavit.

Legenda in hanc rem ipſius tum præfatio, in qua quid præſtare rogaretur, tum peroratio, ubi quantum de ſuo addiderit, aperte confitetur. *Aiunt*, inquit, *in his quæ ſcribis, quoniam plurima in eis tui operis habentur, da titulum nominis tui, & ſcribe: Hieronymi*, (lege *Rufini*) *in epiſtolam ad Romanos explanationum libri; ſicut & apud auctores*, inquiunt, *ſæculares, non illius, qui ex Græco tranſlatus eſt, ſed illius qui tranſtulit nomen, titulus tenet. Hoc autem totum mihi donant non amore mei, ſed odio auctoris: verum ego, qui plus conſcientiæ meæ, quam nomini defero, etiamſi addere aliqua videor, & explere, quæ deſunt, aut breviare, quæ longa ſunt; furari tamen titulum ejus, qui fundamentum operis jecit, & conſtruendi ædificii materiam præbuit, rectum non puto. Sit ſane in arbitrio legentis, cum opus probaverit, operis meritum, cui velit aſcribere.* Scripſerat antea: *Quamvis nec in cæteris defuerit plurimus labor, dum ſupplere cupimus ea, quæ ab Origene in auditorio Eccleſiæ ex tempore, non tam explanationis, quam ædificationis intentione perorata ſunt*, &c. *quem laborem adimplendi quæ deerant, idcirco ſuſcepimus, ne pulſatæ quæſtiones & relictæ, quod homiliatico dicendi genere ab illo ſæpe fieri ſolet, Latino lectori faſtidium generarent*, &c.

Quod probatur ipſiuſmet Rufini teſtimonio.

Idipſum ego ſentiendum reor de libris περὶ ἀρχῶν: hoc enim opus cujuſmodi nunc habemus, a Rufino pluribus in locis interpolatum eſt, & in iis maxime, in quibus

Et manifeſto exemplo.

de

de quæſtione propoſita agitur; unus hic ex multis, ſed palmaris ſufficiat. Origenes in libro 3. περὶ ἀρχῶν capite 1. diſputaverat de libero arbitrio, eaque diſputatio tota verbatim tranſlata eſt in capite 21. Philocaliæ; quo tamen capite non continentur iſta, quæ oportet a Rufino ſuppoſita. *Volens Deus arguere excuſationes hujuſcemodi querelarum, & oſtendere quia non diſſimulatio divinæ providentiæ, ſed humanæ mentis arbitrium cauſa ſibi perditionis exiſtit. Contulit etiam indignis & incredulis gratias benefactorum ſuorum, ut vere omne os obſtruatur, totumque a ſe, nihil a Deo eſſe ſibi, mens humana cognoſcat.* Non continentur, inquam, iſta in Philocalia, licet orationis ſeries ibi conſtet, imo longe ſit aptior ſine iſto Rufini aſſumento.

Maſſilienſium opinio invaluerat ante allatos in Occidentem libros Origenis.

Hæc cum ita ſint, eumque doctrina libris περὶ ἀρχῶν comprehenſa, Rufini potius dici poſſit quam Origenis, imo etiam debeat non immerito; ſin minus aliis aperte locis, quod non pertinaciter diffiteor, tradita ſit: ex eo certe quod Maſſilienſes ex libris περὶ ἀρχῶν profecerint, noo continuo dici debent ex Origene profeciſſe. Verum ne ex libris quidem περὶ ἀρχῶν opinionem ſuam accepiſſe reor: nam ſi Proſpero credimus, invaluerat error iſte in Galliis, priuſquam eo libri deportati eſſent. Nec enim in Occidentem venerunt ante Anaſtaſii tempora, ut Hieronymus tradit; & tamen io præcedentium tractatorum operibus opinio hæc inveniri dicitur a Proſpero & Hilario.

Unde accepta, utrum ex libris Auguſtini ante epiſcopatum ſcriptis. *Lib. de præd. ſſ. cap. 3.*

Unde ergo, inquies, ſuum Maſſilienſes iſtius temporis venenum ſuxerunt? Quid ſi reſponderet aliquis, ſuxiſſe ex libris ab Auguſtino ante epiſcopatum ſcriptis? ſiquidem ſe fatetur tunc temporis eodem errore implicatum fuiſſe, ſuiſque cum libris prodidiſſe, quos in Gallias deportatos credibile eſt, imo indubitatum propter famam viri orbe toto celebris, viciniamque Hiſpaniæ, ubi legebantur, teſte Auguſtino.

Utrum ab Auguſtino ex libris Origenis.

An non forte, alter dixerit, Auguſtinus ipſe ex libris περὶ ἀρχῶν errandi cauſam acceperat? Qui vero fieri potuit, cum neque Græcos per ſe legerit, neque Latine redditos videre tunc potuerit? Namque ordinatus eſt epiſcopus ano. 395. qui Siricii undecimus; nec tamen Rufinus in Occidentem, cum ſua nava blaſphemiarum plena rediit, priuſquam Anaſtaſius Siricio ſucceſſiſſet.

Utrum ab Orientalibus per Caſſianum.

Opinionis hujus fundamentum.

Probabilius alter quiſpiam conjecerit, didiciſſe Maſſilienſes a Caſſiano, Caſſianum a Chryſoſtomo, Chryſoſtomum a prioribus nonnullis Scripturæ interpretibus, quibus nondum obſcuriſſimum Deus gratiæ myſterium revelarat. Illorum enim animis communiter inſederat anticipata quædam divinæ juſtitiæ opinio, qua crederent, Deum fore acceptorem perſonarum, ſi modo gratiam daret, neque petentibus, neque volentibus; ſiquidem diligeret præ cæteris, quorum eadem eſſet conditio; ſi electio ex præſcientia non fieret, ſed ex electione præſcientia, *&c.*

Labefit ab ipſomet Caſſiano.

Quanquam Caſſianus ipſe, cum docuit, in negotio ſalutis primas ſibi partes aliquando gratiam vindicare, aliquando liberum arbitrium, generalis hujuſce opinionis fundamentum convellere cœperat, nec tamen adhuc, retinente veteris præjudicii parte, ad veritatem integram, quam per Auguſtinum Deus patefieri voluit, pervenire potuerat.

An Pelagiani ab Origeniſtis ſermone docti ſint.

De tribus Palladiis.

Sed jam tempus eſt de eo dicere, quod ſcripſit Iprenſis, ab Origeniſtis monachis, atque ab Evagrio Pontico, Palladioque Galata, Pelagianos ſuum veneoum hauſiſſe: verum cum eadem Evagrii quæ Palladii cauſa ſit, Evagrius enim Palladii magiſter fertur, de Palladio dicere ſufficiet. Sed a quo Palladio Pelagius traditam ſermone doctrinam accepit? Tres enim ejuſdem nominis novimus ea tempeſtate extitiſſe, & eos quidem omnes, vel Galatas, vel non admodum remotos, Helenopolitanum ſcilicet Bithyniæ, Lauſiacæ hiſtoriæ ſcriptorem, qui Chryſoſtomo adhæſit, Romamque Attico perſequente ann. 404. confugit; Helenopolitanum Palæſtinæ alterum, qui colloquitur cum Theodoro diacono Eccleſiæ Romanæ in dialogo de vita Chryſoſtomi; tertium Hieronymi criminatorem, quem ille ſervilis nequitiæ, hæreſiſque ἀπαθείας inſtauratæ accuſat, quemque Baronius memoria lapſus Romam pro Pelagio veniſſe tradit ann. 417. Quis de tribus Pelagium Romæ docere potuit? Nam vulgaris fabula de Pelagii in Ægyptum, atque in Orientem peregrinatione, antequam Romam veniret, manifeſte, opinor, profligata eſt.

Quorum nemo Pelagii magiſter eſſe potuit.

Quis, inquam, Palladiorum Pelagii inſtitutor fuit? An primus? Potuit ipſum quidem Pelagius videre Romæ, ut ratio temporum demonſtrat; ſed de erroribus ab eo primum doceri non potuit, cum in urbem Palladius venerit anno 404. & librum *de actuali converſatione*, in quo errores continentur, Pelagius ante confeciſſet.

Ergone alter dialogi collocutor? Sed cum ille Romam venerit, poſt Orbis obſidionem, Pelagio, qui ante obſidionem fugerat, congredi oon potuit; nec ſi potuiſſe detur, hinc tamen Pelagius eruditus fuerit, ut qui diſcipulos longe ante hæc tempora collegiſſet.

An denique tertius? Sed fuit ille potius Pelagii diſcipulus, quam magiſter, ſiquidem Pelagium non prius novit, quam in Palæſtinam veniſſet, poſt ſparſos in Italia Siciliaque errores.

Objectioni occurritur.

Facit tamen, quod diffiteri non licet, difficultatem, eamque non leviſſimam, auctoritate ſua Hieronymus, cum docet ἀπαθείας hæreſim ab Origene propagatam eſſe, & Evagrium Ponticum Palladii magiſtrum, Pelagio præiviſſe: hinc enim videtur ab Origene Evagrioque & Palladio Origeniſtis Pelagius didiciſſe. Verum aliud eſt *præiviſſe*, aliud *docuiſſe*, aliud ἀπάθεια ipſa ſeu ἀναμαρτησία, aliud modus attingendi gradum, in quo qui conſtiterit, nulla unquam cogitatione vitiorum titilletur, qua notione ἀπάθειαν definit Hierooymus: in ἀπαθείᾳ prædicanda præivit quidem Origenes, atque Evagrius Pooticus Pelagio, doctrinam non tradidit; alioquin unus eſſet utriuſque, in explicando acquirendi ἀπαθείας modo, ſenſus, cum tamen alter ab altero multum diſter.

Id vero oſtendere operoſum non eſt: nam hactenus nemo finxit, veniri poſſe in hanc, quæ dicta eſt, ſummitatem virtutum, niſi modis quinque; nempe vel ſolis naturæ viribus, ſine ullo gratiæ auxilio; vel naturæ quidem viribus, ſed quas gratia interior juvet ad facilius aſſurgendum; vel conatibus, & quaſi votis naturæ, quæ promoveat gratia, ſine qua optari quidem poſſit perfectio, haberi non poſſit; vel ſolis viribus gratiæ, quæ præveniat quidem, excitetque voluntates, non tamen ſit ſingulare beneficium, quod paucis conferatur; vel denique viribus ſolis gratiæ, ſed eximiæ cujuſdam, quæ aut ſoli collata ſit Deiparæ, aut etiam forte Baptiſtæ, ſanctiſque Apoſtolis.

Primum modum ſecuti ſunt gentiles cum Xyſto philoſopho, cujus opus Sixto martyri Rufious ſuppoſuit: ſecundum Pelagius cum ſuis: tertium Origenes: quartum nonnulli, quorum Auguſtinus tolerabilem putat errorem: quintum fideles communiter; omnes igitur in ἀναμαρτησίᾳ defendenda conveniunt, ſed alii alium acquirendæ modum afferunt, longiuſque a Pelagio Origenes, quam Pelagius a Xyſto diſtat.

Concluſio totius diſceptationis de Origene Maſſilienſium & Pelagianorum magiſtro.

Ex his, quæ diſputando adducta ſunt, manifeſte conſtat, Origenem id quidem ſenſiſſe multis ante annis, quod Maſſilienſes, ſaltem rigidiores, non tamen id, quod Pelagius toto, ut aiunt cælo a Maſſilienſibus diverſus. Conſtat quoque ab Origene, nec Pelagianos ipſos didiciſſe, nec Maſſilienſes: illi enim Origeni pugnant in explicandis liberi arbitrii viribus, quoad opera pietatis; iſti, nec libros Origenis viderunt, nec Origeniſtas.

---

§. II. *De Manichæo, Priſcilliano, Meſſalianis, ſeu Euchitis, & Enthuſiaſtis.*

Difficile intellectu, quod habet Hieronymus de Manichæo, *&c.*

MIRUM profectu, quod ait Hieronymus, Manichæum & Priſcillianum, alioſque Pelagii fuiſſe principes, cum ipſemet teſtetur a Pelagio catholicis Manichæorum nomen affictum eſſe, & aperte Auguſtino Julianus objecerit, quod Priſcilliani fatum gratiæ efficacis nomine diſſimularet. Qua autem ratione pugnantes inter ſe ſententiæ cum una eademque conveniant?

Quid de Manichæo Auguſtinus Juliano objecerit.

Auguſtinus, fateor, exprobravit olim Juliano, quod ſuis dogmatibus Manichæum juvaret, ſed quod ea ipſa didiciſſet a Manichæo, non memini me legere, ubi aliquando ſcripſerit.

Explicatur Hieronymi dictum de ſocietate Pelagii cum Manichæo.

Par eſt igitur opinari, Hieronymum, cum Manichæum diceret Pelagii principem, ſive magiſtrum, id unum voluiſſe, ut erat non vehementior errorum quam morum accuſator, quod Pelagius perinde ac Manichæus, quoſdam ἀναμαρτήτους agnoſceret, qui ſecure cum mulierculis verſari & poſſent, & cum amarent, jactarent tamen, ſe quamvis virginum agminibus vallarentur, nullam habere concupiſcentiam. Non tam igitur dogmatis quam morum ſocietatem crimini vertebat, cum ſciret, inter utroſque hæreticos diſcrepantiam dogmatum eſſe maximam, nullam morum: amboſque intelligeret, diverſa via ad idem flagitii compitum veniſſe. Hanc porro in rem operæ pretium eſt legere, quæ de amazonibus Pelagianorum Hieronymus, ſive in epiſtola ad Cteſiphontem, ſive in dialogis ſcripſit: id enim quod diximus, palam faciunt.

Quatuor hinc quæſtiones oriuntur. Solvitur prima, quæ ſpectat Auguſtinum.

Hic oriuntur quæſtiones quatuor: prima, quamobrem Manichæiſmus catholicis, ipſique in primis Auguſtino, quo duce catholici pugnabant, crimini verſus ſit. Id ego factum reor ſeptem de cauſis. I. Propter aſſertum peccatum originale, quod naturale Pelagiani dicere malebant. II. Ob traducendi peccati modum, per propagationem ab Adamo in poſteros, unde videbantur damnari nuptiæ, ipſaque viri & mulieris commixtio. III. Ob defenſam neceſſitatem habendi peccati contractam Adami peccato, factamque poſterorum naturam peccatricem, donec ſanetur. IV. Propterea quod catholici aiebant, noſtram omnium carnem eſſe peccati; Chriſtum vero veniſſe in ſolam ſimilitudinem carnis peccati, quo dicto videbantur Chriſti carnem noſtræ conſubſtantialem negare. V. Quoniam iidem dicebant, ſingulos homines naſci ſub poteſtate diaboli, tamdiuque permanere donec renaſcantur in Chriſto. VI. Ob depreſſam vim legis, fidei contra vim elatam, gratiæque Chriſti commendationem, quaſi vetus inde Teſtamentum rejiceretur, & Patriarchis calumnia fieret. VII. Propter gratuitam nonnullorum præ aliis electionem, qua videbatur gemina conſtitui hominum maſſa, altera mali, altera boni impotens. Erant enim Manichæorum iſta ſeptem dogmata, tunc temporis eo invidioſiora, quo ſectaril in majorem morum turpitudinem proruebant. Hujus in ſuſpicionem, vel etiam in crimen auſi ſunt Pelagiani catholicos, per ſummam impudentiam, vocare, etiam Auguſtinum, quem idcirco Julianus Epicurum ſui temporis dixit, Eccleſiæ conſtupratorem, & morum corruptorem.

Solutio conſtat teſtimonio.

Iſta vero quæ dixi, conſtant partim ex Cæleſtii literis ad clericos Romanos, partim ex Theodori, Julianique, & Anniani libris.

Cæleſtii.
Apud Aug. lib. 2. ad Boniſ. cap. 2. & 5.

Cæleſtius. *Dicunt illi Manichæi, quibus modo non communicamus, id eſt, toti iſti, cum quibus diſſentimus, quia primi hominis peccato, id eſt, Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo jam poteſtatem habeat bene vivendi, ſed omnes in peccatum carnis ſuæ neceſſitate cogantur. Dicunt etiam, iſtas, quæ modo agantur, nuptias a Deo inſtitutas non fuiſſe; dicunt & motum genitalium, ac commixtionem conjugum a diabolo fuiſſe repertam, ac propterea eos, qui naſcuntur, infantes reos eſſe, & a diabolo fieri, non a Deo, quia de hac diabolica commixtione naſcuntur; hoc autem ſine aliqua ambiguitate Manichæum eſt.*

Theodori Mopſueſteni apud Photium. *Cod. 177.*

Theodorus apud Photium. *Aiunt, ne Chriſtum quidem Deum, aſſumpta peccatrice natura, ſceleris purum eſſe; quamquam & in aliis ipſorum blaſphemiis obſervare licet, non vere hos & natura, ſed figura dumtaxat, humanam ipſi naturam tribuere.*

Juliani.

Julianus omnibus fere operum paginis, ſed tunc demum impudentiſſime, cum ex commentitia Manetis ad filiam Menoch epiſtola decerpit, quæ objiciat Auguſtino, veluti cognata: *Audi nunc*, inquit, *& agnoſce, quid parens tuus ad quamdam filiam ſuam veſtram ſcribat ſororem*, &c.

Lib. 3 op. imperf. cap. 173.

Atque Anniani.
Epiſt. ad Oront.

Annianus. *Quid enim ille magis hominibus inculcat, quam naturæ ſuæ nobilitatem, quæ adverſus Manichæi rabiem, omnium recta ſapientium conſenſa concentaque laudatur? Quid, inquam, preſſius ille commendat, quam ingenitæ nobis a Deo libertatis decus, cujus confeſſio præcipuum inter nos gentileſque diſcrimen eſt? Quid ille adverſus eoſdem magiſtros potius inſinuat, quam Deo eſſe poſſibilia mandata & hominem totius, vel quæ jubetur, vel quæ ſuadetur a Deo, capacem eſſe virtutis?*

præfixa homil. Chryſoſt. in Matth.

Secunda quæſtio, an omnes Pelagiani communiter catholicis Manichæiſmi calumniam fecerint, & quo quiſque tempore, quiſve omnium primus. Verum ex his quæ modo allata ſunt, liquido conſtat reſponſio: hanc enim calumniam Annianus, Julianus, Cæleſtiuſque poſt ann. 418. fecerunt, ſed didicerunt a magiſtro, quem Hieronymus in epiſtola ad Cteſiphontem hiſce verbis compellat: *Reclamabis & dices, Manichæorum dogma nos ſequi, & eorum qui de diverſis naturis Eccleſiæ bella concinnant, aſſerentium malam eſſe naturam, quæ immutari nullomodo poſſit*, &c. Eodem pertinent, quæ in commentariis ſcriptis ann. 402. habentur, de errore Manichæorum, & Apollinariſtarum circa utriuſque Adæ naturam: ſoliti namque erant Pelagiani catholicis exprobrare, quod veram Chriſto carnem, noſtræque conſubſtantialem non tribuerent; quippe qui noſtram dicerent, peccati carnem, Chriſti vero, ſimilitudinem carnis peccati. Hanc impudentem porro, injuſtamque exprobrationem a Theodoro Mopſueſteno docti erant, ut ex verbis paulo ante allatis conſtat.

Solvitur ſecunda quæſtio, a quibus Pelagianis invidia Manichæiſmi facta ſit catholicis.

In cap. 15. epiſt. 1. ad Corinth.

Tertia quæſtio, cur tam ſollicite Auguſtinus, tamque laborioſe calumniam hanc, qua data occaſione, depulerit? Quatuor, opinor, extiterunt cauſæ. Prima, quod accuſatio nonnullam haberet ſpeciem veri, ſaltem apud ſimpliciores, propter peccati originalis, corruptique ex eo humani generis aſſertionem. Altera, quod nullum foret ea tempeſtate nomen invidioſius, quam Manichæorum, propter ſanctiones Principum, & abominanda ſectæ flagitia. Tertia, quia Julianus tota qua pollebat dicendi vi, hanc partem urgebat, ut defenſores peccati originalis pejores Manichæis eloquentiæ fuco effingeret. Poſtrema, eaque ſingularis, quod Auguſtino inhæſiſſe nonnihil erroris priſtini, quo ſe implicatum aliquando faſſus eſt, luboriri poſſet ſuſpicio, tanto quidem damnoſior rei catholicæ, quanto præſtabat aliis fidei defenſoribus Auguſtinus.

Solvitur tertia quæſtio, cur tam ſollicite hanc invidiam depulerit Auguſtinus.

Quarta quæſtio, qua ratione Auguſtinus, vel ſe ipſe conſenſione ſanctorum a calumnia defenderit, vel ſanctos, fidemque Eccleſiæ Scripturarum teſtimoniis, & traditione tutatus ſit, vel Manichæorum errores placitis Pelagianorum adjuvari oſtenderit, facile ſolvitur. Quid enim reſponſi adduci debeat, videre unicuique licet in operibus ea de re ſcriptis; libris nempe duobus *de nuptiis & concupiſc.* libris quatuor *ad Bonifacium*, libris ſex *adverſus Julianum*, & opere imperfecto, cui egregius Eccleſiæ propugnator immortuus eſt. Hæc autem opera fere tota exſcribenda eſſent, ſi teſtimoniorum expreſſis integriſque verbis pugnandum foret.

Solvitur quarta quæſtio, quomodo hæc invidia rejecta ſit in Pelagianos.

Quod porro dictum eſt ab Hieronymo de Pelagianorum ſocietate cum Manichæis, in dogmate impeccantiæ, & inde conſequente fœditate morum; idipſum de Meſſalianorum, atque Enthuſiaſtarum, & Euchitarum cognatione ſentire par eſt: neque enim alia vel eſſe potuit, vel revera ab Hieronymo objecta eſt.

De Meſſalianis, &c.

Sub finem porro obſervare juvat, Oroſium, magiſtri ſui Hieronymi exemplo, crimini vertiſſe Pelagianis conſenſionem cum Origene, Priſcilliano & Joviniano, eamque tantam, ut in his ipſis defuncti olim hæretici adhuc viverent, imo & loquerentur. Sic enim ait: *Hæc venenatiſſimorum dogmatum abominatio habet etiam nunc viventes mortuos, mortuoſque viventes. Nam Origenes, & Priſcillianus, & Jovinianus olim apud ſe mortui, in his vivunt; & non tantum vivunt, verum etiam loquuntur: nunc vero Pelagius & Cæleſtius, ſi in his perſeveraverint, viventes mortui ecce adverſus Eccleſiam, quod miſerum eſt, & quod multo miſerius eſt, in Eccleſia palam ſibilant*, &c.

Obſervatio de Oroſio paria dicente cum Hieronymo.
Apolog. cap. 1.

Occaſione verborum Oroſii quæ attuli, dicam ingenue,

Popularis opinio de Au-

Digitized by Google

relii prænomine affecto Auguſtino.

Unde orta.

nue quod ſemel monere me memini, onde nata ſit popularis opinio de AURELII prænomine, quod Auguſtino tribuitur. Nata ſiquidem videtur ex antecedentibus Oroſii verbis, nec attente perpenſis a legentibus, nec ut oportet, interpunctis a deſcribentibus; ſic autem ſe habent: *Dei voluntas & ordinatio eſt, ut malum quod per patientiam tolerabatur, neceſſario proderetur, & per contentionem furoris eorum, ipſis dignam mercedem, quam oportuit, erroris ſui recipientibus, non ſolum peſſimorum fieret denotatio dogmatum; ſed corripiendarum manifeſtatio perſonarum. Patres enim, & qui jam quieverunt martyres & confeſſores, Cyprianus, Hilarius, & Ambroſius, & quibus etiam nunc permanere adhuc in carne neceſſarium eſt, qui ſunt columnæ & fundamenta Eccleſiæ catholicæ, Aurelius, Auguſtinus, & Hieronymus multa jam adverſus hanc nefariam hæreſim, abſque deſignatione nominum hæreticorum, ſcriptis probatiſſimis ediderunt. quanquam hæc venenatiſſimorum, &c.* Cum enim tribus Eccleſiæ columnis fato functis tres viventes Oroſius componat, crediderunt librarii per incogitantiam, componi ſolos Auguſtinum & Hieronymum, atque ita Aurelium Auguſtinumque in unum conflarunt: propterea quod ab iis duobus ſolis ſcriptum putarent adverſus Pelagianos; nec meminiſſent, aut concilii Carthaginenſis, in quo inſtitutum eſt de Cæleſtio judicium; aut Aurelii inter eccleſiaſticos ſcriptores cenſiti. Sed quo tempore, *inquies*, invaluit iſtæc opinio, quæ io pluribus manuſcriptis reperitur? Divinare me vix poſſe fateor, niſi forte ad Aurelii Caſſiodori tempora referatur: poſſet conjectura utcumque firmari veterum codicum collatione, aut infirmari, aut roborari.

Quomodo rejiciatur.

Quando inceperit.

§. III. *De Joviniano.*

Diſſertationis cauſa gemina.

PELAGIO ἀναμαρτησίαν ſuam defendenti objecit Hieronymus, quod hac in parte Joviniani ſucceſſor, atque hæres foret, quodque damnatam hæreſim inſtauraret, ſive id imprudens faceret propter ignorantiam, ſive ſciens propter impudentiam. Jure id objecerit ſanctus doctor, an iojuria, operæ pretium eſt inquirere, partim quia diſſertationis ſuſceptæ ratio id exigit, partim, & maxime quidem, quod Hieronymum accuſent quidam, quaſi alterutrius hæretici, Joviniani dico & Pelagii, mentem oon ſatis perſpexerit.

Sed præcipua accuſatio Hieronymi a quibuſdam.

Quaſi neſcierit poteſtatem vocis Græcæ ἀναμάρτητος.

Aiuor vero, id accidiſſe tanto viro, propter ignoratam Græcæ vocis ἀναμάρτητος poteſtatem, atque hac de cauſa ooo ſatis ab ipſo diſtinctam impoſſibilitatem peccandi, quam Jovinianus aſſeruit, ab ea poſſibilitate non peccandi, quam Pelagius defendit, cum tamen mirum quantum diſcrepent, oon poſſe peccare, & poſſe non peccare.

Laudatur tamen ab Auguſtino, propter peritiam Græcæ linguæ.
Lib. 1. contra Jul. cap. 7.

Admirabilis profecto accuſatio! præſertim cum ab iis intendatur qui minime deberent, ut qui Auguſtinum ſuſpiciunt, & tantum non adorant: negat enim Auguſtinus contemnendum Hieronymum, *ut qui Græco & Latino inſuper & Hebræo eruditus eloquio, ex occidentali ad orientalem tranſiens Eccleſiam, in literis ſacris uſque ad decrepitam vixerit ætatem, & cujus eloquium ab Oriente uſque ad Occidentem adinſtar lampadis reſplenduerit.* Quid autem contempſiſſe eſt, niſi hoc eſt, quod illi agunt?

Quæſtionis habendæ ratio.

Ut quidquid eſt quæſtionis, planum fiat, Joviniani primum, tum Pelagii error exponendus eſt; ut cum alter alteri collatus fuerit, pateat, quid injuriæ Hieronymus, vel intulerit, vel patiatur.

Hæreſis Joviniani, ſecundum Hieronymum.
Lib. 1. contra Jovinian.

Quamquam Joviniani mentem aſſequi non ita forte promptum eſt, quam videtur. Veteres de ipſius errore ita ſcripſerunt. Hieronymus. *Jovinianus dixit, virgines viduas & maritatas, quæ ſemel in Chriſto lotæ ſunt, ſi non diſcrepent cæteris operibus, ejuſdem eſſe meriti. Nititur approbare eos, qui plena fide in baptiſmate renati ſunt, a diabolo non poſſe ſubverti. Tertium proponit, inter abſtinentiam ciborum, & cum gratiarum actione perceptionem eorum, nullam eſſe diſtantiam. Quartum, quod & extremum, eſſe omnium, qui ſuum baptiſma ſervaverint, unam in regno cælorum remunerationem.* Hæc ſanctus doctor in libro primo, quem cum poſuiſſet totum in priore hæreſis capite confutando, ſecundum inde orditur. *Secunda propoſitio Joviniani eſt, eos, qui fuerunt baptizati, a diabolo non poſſe tentari: quicumque autem tentati fuerint, oſtendi eos, aqua, & non ſpiritu baptizatos, &c.*

Libro 2.

Secundum Auguſtinum, & Prædeſtinati auctorem.
Lib. de hæreſ. hær. 82.
Hær. 82.

Auguſtinus. *Jovinianus omnia peccata, ſicut Stoici philoſophi, paria eſſe dicebat, nec poſſe peccare hominem lavacro regenerationis accepto.* Eadem habet auctor Prædeſtinati.

Secundum Pelagium ipſum.
Parte 3. libelli fidei.

Pelagius, euodem in ſenſum Joviniani mentem interpretatus eſt, cum ſcriberet: *Liberum ſic confitemur arbitrium, ut dicamus, nos ſemper Dei indigere auxilio; & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non poſſe: quam illos, qui cum Joviniano aſſerunt, hominem non poſſe peccare; uterque enim tollit arbitrii libertatem.*

Ac Julianum.
Part. 3. libelli fidei num. 8.

Julianus paulo clarius baptiſmi meminit: *Condemnamus Jovinianiſtas, qui dicunt, hominem poſt baptiſmum nullo modo poſſe peccare.*

Obſervatio de Siricio Papa, & ſynodo Mediolanenſi.

Obſervandum porro, a nemine ante Hieronymum, id erroris Joviniano objectum eſſe: neque enim, vel a Siricio Papa in literis ad Mediolanenſem Eccleſiam, quibus alii errores proſcribuntur; vel ab Ambroſio in reſponſione ſyoodica Mediolanenſis concilii ad Siricium, tribuitur; id vero mirum, ſiquidem liber ſecundus Joviniani io Romana, imo & Mediolanenſi ſynodo lectus eſt, quod teſtantur ſynodicæ, & in hoc tamen libro, ſi credimus Juliano, continebatur error ἀναμαρτησίας: unde augurari poſſet quiſpiam, doctrinam Joviniani περὶ τῆς ἀναμαρτησίας vel contemptam ab utraque ſynodo, veluti parvi præ aliis momenti, quod vix credam; vel in ſenſum tolerabilem acceptam, quod minus improbabile.

Op. imperf. lib. 1. cap. 97.

Cauſa erroris de impeccabilitate.

Io eam porro ſententiam Jovinianus videri poteſt, aut veniſſe, aut ſuos potius impuliſſe, partim voluptuoſæ vitæ ſtudio, ut ſine periculo verſari crederetur, inter epulas & virginum greges: partim virtutis, quæ in ſacris myſteriis ineſt, falſa æſtimatione, quaſi nemo vere per baptiſmum regeneretur in Chriſto, nemo vere exſpoliet veterem hominem, & moriatur peccato, nemo renaſcatur vere ex Spiritu ſancto, & aſſeratur in libertatem filiorum Dei, niſi qui deſierit eſſe poſtmodum, aut erroris, aut diaboli, aut concupiſcentiæ tentationibus obnoxius: unde inferre poterat, baptizatorum neminem peccare poſſe, cum quiſque peccet, vel errore deceptus, vel alterutrius modi tentatione pulſatus.

Probatur teſtimoniis duobus Hieronymi.

Hoc ratiocinium probant loci duo Hieronymi, quibus præſidentia hujus ſectæ palam ſe prodit: in altero Jovinianus ipſe inducitur, in altero Joviniani hæres, hoc eſt, Pelagius.

Lib. 2. adverſus Jovin.
1 Joan. 3. v. 9.

In priore, Jovinianus ita loquitur: *Joannes dicit:* Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius io eo manet; & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt; & in hoc manifeſti ſuot filii Dei, & filii diaboli. *Et in fine epiſtolæ:* Omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat; ſed generatio Dei conſervat eum, & malignus non tangit eum.

Ibid. 5. v. 18.

Dial. 2.

In poſteriore Pelagius. *Sine omni peccato ſum, inquit, ſordida veſtimenta non habeo, proprio regor arbitrio, major Apoſtolo ſum: ille facit quod non vult, & quod vult non facit; ego facio quod volo, & quod nolo non facio: præparata ſunt mihi regna cælorum, imo ipſe ea mihi meis virtutibus præparavi. In quo Adam tenetur obnoxius, & alii, qui reos ſe putant in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, ego ſolus cum mea caterva non teneor: alii clauſi cellulis, & feminas non videntes, quia miſeri ſunt, & verba mea non audiunt, torquentur deſideriis; ego etiamſi mulierum vallor agminibus, nullam habeo concupiſcentiam; de me enim dictum eſt:* Lapides ſancti volvuntur ſuper terram; *& ideo non ſentio, quia liberi arbitrii poteſtate Chriſti trophæum circumfero.*

Zach. 9. v. 16.

Op. imperf. lib. 4. cap. 128

His adde, quod habet Julianus, Auguſtinum Joviniano componens. *Jovinianus ait, per myſteria hominem ab errore liberari; tu vero, nec per gratiam liberari.* Ex his quippe tribus conſtat, quomodo per baptiſmum Jovinianus vellet eos, qui vere ex Spiritu renaſcerentur, & ab errore, & a diabolo, & a

concu-

Digitized by Google

concupiſcentia liberari, atque adeo eſſe impeccabiles.

Conjectura de Joviniani errore. Verum quæſierit forte quiſpiam, qua de ἀναμαρτησίᾳ totum id, quod relatum eſt, intelligi debeat: poteſt enim fingi duplex, prout vario ex principio naſci viſa fuerit: nempe, ex impotentia patrandæ actionis pravæ, vel phyſica, ut aiunt, vel morali: quæ & ipſa ſurſum gemina eſt, ſiquidem oritur, aut quia ſingulari gratia Deus protegit hominem, quoad ſingulos actus, cujuſmodi beneficium confertur iis, qui confirmati in gratia dicuntur: aut quia mentis error ſublatus eſt, compreſſuſque tentator, ſive externus, qui dæmon & mundus, ſive internus, quæ concupiſcentia.

Si per regenerationem hæreticus tolli funditus crediderit poſſibilitatem peccandi, quam in Scholis phyſicam vocant; imo ſi quicumque baptizantur, in gratia confirmari ſenſerit, aut nullis tentationibus aliquando vinci; oportet hominem fuiſſe, aut immaniter ſtupidum, aut naviter impudentem, aut ſuæ famæ incredibiliter prodigum. Quantus enim ſtupor, neſcire Apoſtoli Petri, utique a Chriſto baptizati, facinus tam expreſſe in Evangelio deſcriptum? Quanta impudentia, excuſare factum, quod Petrus ipſe flendo accuſet? Quantus famæ contemptus, non metuere, ne ſibi ab omnibus objiciatur quod nemo neſciat?

Suadetur octo rationibus. Alio igitur ſenſu, eoque probabiliore in ſpeciem locutus eſt. Sed quo tandem? Non alio forte quam iſto, nempe quod ſacri baptiſmatis virtus tanta ſit, ut quiſquis factus eſt nova in Chriſto, ex vetere in Adamo, creatura, jam non poſſit niſi voluntate peccare, vel æque libera ac Adamus, vel etiam liberiore, id eſt, nec errore captus, nec a diabolo tentatus, nec a concupiſcentia abſtractus, nec errore ſeductus.

Prima. Ita vero ſenſiſſe Jovinianum, non pauca ſuadere poſſunt. Et primo quidem verba, tum Hieronymi, tum Juliani mox allata, quibus peccati triplex incentor excluditur. Diabolus: *Secunda propoſitio Joviniani eſt, eos qui fuerunt baptizati, a diabolo non poſſe tentari*, &c. Concupiſcentia: *Ego etiamſi mulierum vallor agminibus, nullam habeo concupiſcentiam*, &c. Error denique: *Illeait, per myſteria hominem ab errore liberari.* Nam qui tribus hiſce peccandi principiis caret, næ ille merito dici poteſt, carere proxima, ut aiunt, poſſibilitate peccandi, atque ita non poſſe peccare; cum nemo peccet, niſi vel ignorantia veritatis, qui error; vel ſuggeſtione diaboli, quæ tentatio exterior; vel concupiſcentiæ illecebris, quæ tentatio interior.

Secunda. Deinde, quod ætate illa, cum quæreretur, an poſſit homo eſſe ſine peccato, quæſtio non moveretur de conſenſu tantum, quæ culpa dicitur; ſed maxime de motibus concupiſcentiæ, propter quos lamentabiliter Paulus optabat liberari de corpore mortis, & lege carnis ſuæ ſolvi; unde ἀναμάρτητος tunc dicebatur, atque ἀπαθής, qui perturbationes illas non pateretur.

Tertia. Tertio, Jovinianus, cum diceret, *omnia peccata eſſe paria*, non obſcure fatebatur, bona opera eſſe quoque paria: quare duo quædam admittebat. Alterum, aliqua eſſe fidelium peccata; opponebat enim peccata operibus poſt baptiſmum factis. Alterum, peccata fidelium, perinde ac opera bona, eſſe paris meriti: quippe cum iſta pari ſanctitate fiant, illa pari malitia, pura ſcilicet, ut aiunt, id eſt, ſine infirmitate, aut errore. Videbatur enim Joviniano per baptiſmum homo ad eum ſtatum redire, unde Adami peccato exciderat, in quo ſcilicet, neque error, neque infirmitas eſſet ulla, ſed perfecta vis, poſſibilitaſque non peccandi.

Quarta. Lib. 2. adverſus Jovinian. ſub ſin. Quarto, Jovinianus agnovit aliqua, & ea quidem gravia fidelium peccata; nec enim, opinor, calumniose inducitur ab Hieronymo, virgines ad nuptias exhortans in hæc verba: *Nolite timere fornicationem; qui ſemel in Chriſto lotus eſt, cadere non poteſt: habet enim ad deſpumandas libidines ſolatia nuptiarum; quod ſi cecideritis, redintegrabit vos pœnitentia*, &c. Agnovit igitur, ſi qua fides Hieronymo, vim pœnitentiæ, non internæ tantum illius, quæ cordis contritio, ſed exterioris etiam, quæ ſacramento continetur, & poteſtate dimittendi peccata Eccleſiæ a Chriſto conceſſa. At ſi omnimodam ſenſiſſet peccandi impoſſibilitatem baptiſmo contrahi, debuiſſet procul dubio negare, datam ullam Eccleſiæ a Chriſto facultatem remittendi fidelium peccata, ſaltem graviora, quippe quæ nulla eſſe poſſent, quæ dimitterentur.

Quinta. Quinto, ut nemo veterum Novatianiſmi Jovinianum reum fecit, ſic neque Donatiſmi, quod Eccleſia ſit in terra ſine macula & ruga; debuiſſent vero utrumque hæretico errorem objicere defenſores fidei, quippe qui Eccleſiam conſtitueret ex ſolis impeccabilibus.

Sexta. Sexto, nemo pariter veterum Jovinianum damnavit erroris, cujus Auguſtinus Pelagium inſimulaſſe fertur, quod Eccleſia ſolis conſtet prædeſtinatis; debuiſſet vero damnare, ſi modo Eccleſia aliis non conſtet, quam ſanctis, qui perfectam in baptiſmo impeccabilitatem adepti ſint.

Septima. Septimo, non aliam hæreticus ille ſine dubio defendit ἀναμαρτησίαν, quam quæ a Stoicis philoſophis excogitata eſt, dictaque ἀπάθεια; nec enim aliam agnovit, quam quæ ab eo, ſicut a Stoicis, ex erroris depulſione nata diceretur. Atqui Stoicorum ἀπάθεια in eo tantum poſita erat, quod ſapiens, nec errore deciperetur, nec alienis ſuaſionibus inclinaretur in malum, nec animi perturbationibus laboraret.

Poſtrema. Octavo denique, ipſimet Pelagiani videntur non obſcure indicaſſe, ſuam de ἀναμαρτησίᾳ & ἀπαθείᾳ ſententiam, verbis quidem diſcrepaſſe a Joviniani doctrina, reipſa vero conveniſſe. Nam & ſecundum librum Joviniani, quaſi ſuum propugnarunt, & inde ſuæ opinionis argumenta deſcripſerunt, & pluribus Scripturæ teſtimoniis, velut contra ſe ab Hieronymo allatis, partim Pelagius in libro *de natura*, partim Cæleſtius in ratiocinationibus reſpondit. Hæc attulerat Hieronymus: *Nos juxta epiſtolam Jacobi multa peccamus omnes, & nemo mundus eſt a peccato, nec ſi unius quidem dies fuerit vita ejus. Quis enim gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut quis confidet mundum ſe eſſe a peccatis*, &c. Attulerat & iſta: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Eadem ſibi Cæleſtius oppoſuit objectione 1. 5. & 13. imo ut ſuam opinionem firmaret, deſcripſit verba, quibus apud Hieronymum Jovinianus ſuam ſtabilire oiſus eſt. *Joannes dicit*: Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet. *&*: Qui natus eſt ex Deo, non peccat, quia generatio Dei conſervat eum, malignus non tangit eum. Jacob. 3. Job 14. Proverb. 20. 1 Joan. 1. v. 8. Ibid. 5. v. 18.

Pelagii error de ἀναμαρτησίᾳ. Hæ rationes octo non parvam habent ſimilitudinem veri, facerentque fidem conjecturæ, de mente Joviniani circa impeccabilitatem, ſi minus aperta viderentur eſſe in contrarium veterum teſtimonia: ſed veteres illi, ut ſunt, vel omnes vel magnam partem, Pelagiani, qui mentiri potuerunt pro more, parum apud me auctoritate valent; faciunt tamen vehemens dubium, quod Jovinianus, jam inde a primis hiſce temporibus, præformaverit hæreticorum ætatis noſtræ commentum de gratia inamiſſibili, id eſt, quæ amitti non poſſit ab eo, qui vere baptizatus ſit, veramque fidem profeſſus.

Hactenus de Joviniani errore. Pelagius vero arguitur, quod hominem dixerit, poſſe eſſe ſine peccato, & mandata Dei ſervare, ſi velit: & ita quidem utrumque poſſe, ut non tantum ſingula, ſed etiam omnia, ſive peccata vitare, ſive mandata implere, facile valeat, quod eſt eſſe ἀναμάρτητον. Ita Pelagius primum in libro *eulogiarum*, cum hæreſim ſpargere moliretur; tum deinde in libro *de natura*, cum pro ea ſcribere inciperet; denique in libris *de libero arbitrio*, poſt ſynodum Dioſpolitanam, cum damnatam defenderet. Ita quoque auctor ratiocinationum, ſive Cæleſtius ille ſit, ſive Julianus; ita & catholici, qui de erroribus Pelagianis retulerunt, Paulinus diaconus, Hieronymus, Auguſtinus, & Oroſius. His autem vocibus, *ſi velit*, tantam voluntatis noſtræ poteſtatem ſignificabat, quanta ſibi homo ſufficeret ad recte vivendum, nec alia Dei gratia egeret, quam vel ſua liber-

Digitized by Google

libertate, quæ in ortu conceſſa eſt; vel cognitione legis, quæ cum ratione accedit; vel etiam adoptione filiorum Dei, & venia peccatorum, quæ baptiſmo confertur.

Ortus ex aliis prioribus.

Et verò neceſſe fuit, in bane ſeotentiam abire Pelagium, cum duo iſta ſimul ſentiret, Adami nempe poſteros in eodem ſtatu procreari, quo creatus ille olim; & Adamum a Deo creatum, ut revera eſt, inſtructum omnibus adjumentis ad pie vivendum, ſi vellet; neque tamen hæc adjumenta eatbolico ſenſu intelligeret, id eſt, velut divina quædam dona, atque auxilia naturæ per ſe impotenti addita; ſed aliud nihil eſſe vellet, præter nativam liberi arbitrii poteſtatem, lege adjutam, & favore quodam Dei ornatam.

Duas habuit partes.

Error igitur Pelagii duas habuit partes: alteram, quod bomo poſſit eſſe ſine peccato, ſi velit: alteram, quod id ſine Dei gratia, ſuiſque naturæ viribus valeat. Propter illam Joviniano conſenſit; incertum, an ob iſtam quoque, cum Joviniani mens de gratia Dei lateat.

Prior Joviniano conſentit.

Juſta igitur de cauſa Pelagius iiſdem preſſus eſt argumentis ab Hieronymo in dialogis, quibus Jovinianus in libro ſecundo, cum paria uterque hæreticus ſentiret. Merito quoque Pelagius reus ſocietatis cum Joviniano peractus eſt, ab inclyto gratiæ defenſore: nec vim Græcæ vocis ἀναμαρτήτως neſcivit, vir linguarum peritia nemini Patrum ſecundus. Atque hæc apta videri poteſt quæſtioois ſolutio, ſi modo Jovinianus ita ſenſiſſe credatur, atque conjectum eſt.

Pelagii inconſtans ſententia ſuper ea re.

At ſi aliud impeccabilitatis genus reipſa induxit, eujuſmodi ſcilicet bæretici noſtræ ætatis, quod longe probabiliſſimum, ſin minus certum; dicendus eſt Pelagius ſententiam mutaſſe, & primis quidem temporibus, quemadmodum & Cæleſtius, Joviniano adhæſiſſe: poſtea varo, cum invidioſam cernerent conienſionem, ab eo receſſiſſe. Prius ergo aſſeruerunt hominem, qui baptiſmum vere ſuſceperit, jam non poſſe peccare, eamque aſſertionem ipſe quidem Pelagius in expoſitinnibus Paulinis, Cæleſtius in libro capitulorum tradidit: dixerunt poſtea, quod & Julianus, bominem poſt baptiſmum poſſe non peccare, quo dicto impeccantiam Joviniani duriorem per ſe, nimiumque admirabilem mollierunt, credibilioremque fecerunt.

In libello ſua fidei.

Priorem ſententiam legerat Hieronymus io operibus Pelagii Cæleſtiique ſibi notis, atque ita merito Pelagium Joviniano addidit; poſteriorem viderunt accuſatores Hieronymi in libellis fidei ab hæretico utroque editis, unde criminandi occaſionem ſumpſerunt.

Probatur idoneis teſtimoniis.

Ea vero diſtinctio oon eſt a me eacogitata, ſtudio defendendi Eccleſiæ doctoris, quanquam eſſet juſta excogitandi cauſa: ſed pars utraque ab hæreticis ipſis traditur non obſcuris verbis: & poſterior quidem, aperte in omnibus fidei libellis. *Liberum*, inquiunt, *ſic confitemur arbitrium, ut dicamus, nos ſemper indigere Dei auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non poſſe, quam illos qui cum Joviniano aſſerunt, hominem non poſſe peccare; uterque enim tollit arbitrii libertatem. Nos vero dicimus hominem ſemper peccare, & non peccare poſſe, ut ſemper nos liberi confiteamur eſſe arbitrii.* Prior vero a Pelagio ad hæc verba Pauli: *Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* Rom. 6. v. 2. Cum enim de baptiſmo ſermo fiat a Paulo, & vox interrogantis ἀδυναμίαν quamdam ſignificet, brevi ſcholio Pelagius addidit, *vult tam firmum eſſe baptizatum, tanquam perfectum*: quæ pura Joviniani & ſententia, & ratio, & loquendi forma. Deinde Cæleſtius cap. 6. libri mox appellati, aſſeruit, *filios Dei non poſſe vocari, niſi omnino abſque peccato fuerint effecti.* Quo in libro apertum eſt, dictos eſſe *filios Dei* pro baptizatis, ſiquidem baptiſmus ſit ſacramentum adoptionis; dictum quoque, *ſine peccato* pro perfectis: ſtatim enim objectione facta, in concilio Dioſpolitano infertur, *unde ſecundum ipſum dictum eſt, neque Apoſtolum Paulum eſſe filium Dei, qui dicit:* Non quod jam acceperim, aut quod jam perfectus ſim. Philip. 3. v. 12. Fuit igitur eadem Cæleſtii quæ Pelagii, eadem amborum quæ Joviniani ſententia.

Mutatio contigit in Dioſpolitana ſynodo.

Lib. de geſt. Palæſt. cap. 6.

Sed quo primum tempore, inquies, Pelagius reperitur mutaſſe ſententiam? Tunc opinor cum in Dioſpolitana ſynodo objectum eſt, quod diceret, *hominem poſſe eſſe ſine peccato, & Dei mandata obſervare, ſi velit*: reſpondit enim in bæc verba: *Poſſe quidem hominem eſſe ſine peccate, & Dei mandata cuſtodire, ſi velit, diximus: hanc enim poſſibilitatem Deus illi dedit; non autem diximus, quod inveniatur aliquis ab infantia uſque ad ſenectam, qui numquam peccaverit; ſed quoniam a peccatis converſus, proprio labore, & Dei gratia poſſit eſſe ſine peccato, nec per hoc tamen in poſterum inconvertibilis.*

Concordia Hieronymi cum Mercatore de auctoribus hæreſis Pelagianæ.

Vides, lector, conſentientem rurſus Pelagium cum Joviniano ſuas virgines a ſancto propoſito ad vitam impuram hortante, ſpe veniæ per pœnitentiam conſequendæ & redeundi ad integritatem mentis. Vides pariter conſenſionem quidem fuiſſe Jovinianum inter & Pelagium de ἀναμαρτησίᾳ, qua parte nocet moribus, licentiamque facit viris familiarius verſandi cum gregibus mulierum: noo fuiſſe tamen de cæteris dogmatibus, ſive quæ ad traducem peccati, ſive quæ ad conſequentia alia pertinerent: atque ita intelligis, Hieronymum Mercatori de primis auctoribus hæreſis Pelagianæ non pugnaſſe.

CAPUT VII.

Inquiritur in verſus quoſdam Proſpero tributos de ſocietate hæreſis Pelagianæ cum Neſtoriana.

Cauſa ſuſceptæ inquiſitionis.

PERVULGATUM eſt illud hæreſis Neſtorianæ & Pelagianæ epitaphium, quod communi utriuſque tumulo inſcriptum fertur a Proſpero; & in quo ſimile quiddam ænigmati legitur, alteram hæreſim alterius fuiſſe matrem ſimul & filiam. Dicitur enim Neſtoriana Pelagianæ ortum dediſſe, & quem dederat ortum, ab ea viciſſim recepiſſe: nam cum Neſtoriana Dominum JESUM docuiſſet, ut quidem videtur Poëtæ, naturæ meritis dignitatem, qua Chriſtus eſſet, conſecutum fuiſſe; Pelagiana multo poſt tempore, velut hinc enaſcens, aſſerere auſa eſt, ſingulos homioes iiſdem naturæ meritis gratiam, qua fiant filii Dei, accipere. Quæ cum aſſertio invaleſceret, Neſtoriana hæreſis pene anois confecta, atque emortua, cœpit inde reviviſcere, atque ita error, qui a capite Chriſto in membra, id eſt, in bomines, defluxerat, a membris poſtmodum ad caput quaſi rediit: quod canit epitaphii ſcriptor, ſed audiendus ipſe eſt.

Epitaphium hæreſis Neſtorianæ, & Pelagianæ.

Neſtoriana lues ſucceſſi Pelagianæ,
Quæ tamen eſt utero progenerata meo.
Infelix miſeræ genitrix & filia natæ,
Prodivi ex ipſo germine, quod peperi.
Nam fundare arcem meritis prior orſa ſuperbis,
De capite ad corpus ducere opus volui.
Sed mea dum proles in ſumma armatur ab imis,
Congrua bellandi tempora non habuit.
At conſanguineæ poſt triſtia vulnera fraudis,
Aſpera conſerui prælia ſine pari.
Me tamen una dedit victam ſententia letho,
Illa volens iterum ſurgere, bis cecidit.
Mecum oritur, mecum moritur, mecumque ſepulcrum
Intrat, & inferni carceris ima ſubit.
Quo nos præcipites inſana ſuperbia merſit
Exutas donis, & tumidas meritis.

Nam Chriſtum pietate operum & mercede, volentes
Eſſe Deum, in capitis fœdere non ſtetimus:
Sperantesque animi de libertate coronam,
Perdidimus, quam dat gratia, juſtitiam.
Quisque igitur geminæ miſeraris buſta ruinæ,
Ne noſtro exitio conſociere cave.
Nam ſi quæ Domini data munera ſero fatemur,
Hæc homini credis debita, noſter eris.

Ratio inſtituendæ inquiſitionis. *Libris ſeptem de incarn. Verbi.*

Ingenioſe quidem hæc & acute dicta fateor, ſed vere, an ſecus, opus eſt diligentius inquirere: tum quia ratio diſſertationis ſuſceptæ id exigit, tum propter popularem opinionem, in qua Caſſianus Poëtæ conſentiens, aliique Occidentis Patres, quibus Neſtoriana hæreſis minus initio perſpecta fuit, conceſſerunt.

Erit autem diligentis hujuſce operæ non leve pretium, ſiquidem vera utriuſque hæreſis cognatio, non admodum vulgo nota, inter inquirendum, opinor, patefiet.

Sex auctor epitaphii de hæreſi Neſtoriana tendit.

Auctor igitur epitaphii de Neſtoriana hæreſi ſex omnino docet: ipſam ſcilicet Pelagianæ originem dediſſe, ab ipſa viciſſim originem recepiſſe, voluiſſe hominem pietate & mercede operum factum eſſe Deum, pugnaſſe poſt vulnera conſanguineæ fraudis, unica ſententia peremptam eſſe, & ſimul cum Pelagiana inſepultam, atque detruſam ad inferos.

Quæ arguuntur tribus obſervatis.

Hæc omnia contendo, ut a Poëta eleganter, ut ab hiſtorico vel confuſe, vel falſo dicta; quod ut manifeſtum fiat, tria ſunt paulo attentius obſervanda.

Primum, quæſtionem de divinitate Chriſti in Oriente natam eſſe, propoſitamque ea fere communi formula, qua quæreretur, quo nomine Maria mater Jesu deberet dici, an ἀνθρωποτόκος tantum, an λογοτόκος, an Χριστοτόκος, an Θεοτόκος; non quod de vocula lis eſſet, ſed quod præcipua chriſtianæ fidei controverſia propriis, ut fit, verbis conciperetur.

Secundum, hæreſim, quæ negat Deum ex Maria natum, variam habuiſſe variis temporibus formam. Primam ipſi, quantum huc pertinet, induit Paulus Samoſatenus Antiochiæ Epiſcopus: ſecundam, Photinus, qui Sirmienſi Eccleſiæ præfuit: tertiam, Leporius monachus: quartam, Neſtorius Conſtantinopolis Præſul; atque hinc una hæreſis, ut diverſas formas, ſic & nomina a diverſis auctoribus diverſa accepit, dicta ſiquidem eſt Pauliana, Photiniana, Leporiana, & Neſtoriana.

Quid Paulus Samoſatenus tertio ſæculo.

Paulus tertio ſæculo eo veſaniæ prorupit, ut quia, quem Maria peperit, purum hominem aſſereret, Mariam diceret, proprie nominari non poſſe, niſi ἀνθρωποτόκον. Addidit vero Mariæ filium ſuis operibus promeruiſſe conjunctionem quamdam ſpecialem cum Deo, propter quam filius Dei utcumque vocaretur; ſed conjunctionem intelligebat ſolius habitudinis, eamque cum Deo ipſo toto, ſi licet ita loqui: neque enim, ut erat Judaicæ perfidiæ addictus, trinitatem perſonarum divinarum catholice fatebatur, ſed voce tenus, quare Mariam neque λογοτόκον, neque Θεοτόκον, neque Χριστοτόκον, niſi abuſive, vocari volebat.

Quid quarto Photinus.

Docuit Photinus quarto ſæculo, natum quidem ex Maria eſſe Chriſtum, id eſt, hominem conjunctum Verbo Dei: ideoque Mariam non eſſe tantum ἀνθρωποτόκον, ſed etiam Χριστοτόκον; nolebat ille vero conjunctionem pure moralem, ſed negaſſe fertur, Verbum eſſe Deum reipſa, verum prolaticium quiddam, quod ſubinde & a Deo proficiſceretur ad opus demandatum, & ad Deum rediret poſt impletum opus. Ille Mariam negabat eſſe vere Θεοτόκον, ſed tantum λογοτόκον.

Quid initio quinti Leporius.

Leporius initio quinti ſæculi, cum Paulo ſenſit, eum, quem Maria genuit, eſſe purum hominem, eumque ſuis operibus promeritum, ut conjungeretur, & quidem ſubſtantialiter, Verbo ejuſdem cum Deo ſubſtantiæ; unionem tamen nolebat fuiſſe perpetuam, quippe cum in cruce ſublata ſit, licet reſumpta poſt reſurrectionem: quare aſſeruit Virginem proprie dici debere tantum ἀνθρωποτόκον, non item aut Χριστοτόκον, aut λογοτόκον, aut Θεοτόκον.

Quid Neſtorius ann. 428.

Neſtorius ann. 428. prædicare cœpit, Mariam peperiſſe Chriſtum, atque ita dici debere, non ἀνθρωποτόκον tantum, ſed etiam Χριστοτόκον: Chriſtum tamen purum hominem eſſe, qui non meritis, ſed gratia jam inde a matris utero ſit aſſumptus a Verbo Deo, id eſt, a ſecunda Trinitatis perſona, ſed aſſumptionem non fuiſſe καθ' ὑπόστασιν, qua homo Deus fieret, ſed mere σχετικὴν, qua homo eſſet Dei, vel inſtrumentum, vel indumentum, vel templum, vel ſimulacrum: quamobrem Virginem Θεοτόκον nominari poſſe fatebatur; non tamen proprie, ſed eo tantum modo, quo Elizabeth appellari poſſet πνευματοτόκος, quia Joannem peperit, in quo eſſet Spiritus ſanctus.

Tertio de hæreſis Pelagianæ diverſis quaſi formis.

Tertium, hæreſim, quæ a Pelagio nomen accepit, variam quoque a variis auctoribus, de gratia Dei in negotio ſalutis male ſentientibus, formam accepiſſe; aliam ſcilicet a Leporio, qui Chriſtum voluit, homineſque cæteros meritis naturæ promeritos id omne divinæ gratiæ, quo donati ſunt; aliam a Pelagio, qui homines quidem promereri dixit iſtud quodcumque habent gratiæ, Chriſtum vero gratiam, qua Dei filius factus eſt, beneficio recepiſſe; aliam a quibuſdam Pelagianis, qui aſſererent, neque Chriſtum ullis ſuis meritis, neque reliquos homines mereri poſſe gratiam, qua donati ſunt; ſed homines ſuis tantum conatibus, ſuaque ad Deum fide, divinam benevolentiam provocare, ad impertiendam gratiam, qua inſtructi poſſint opera pietatis præſtare.

Primum argumentum adverſus epitaphii defenſores.

His autem animadverſis, petendum a defenſoribus epitaphii, quid nomine luis Neſtorianæ intellectum putent a Poëta, an totam hæreſim ſuis quatuor veluti partibus conſtantem; an unam potius, eamque proprii nominis Neſtorianam. Si totam, quomodo una ſententia dicitur victam dediſſe letho, cum Pauliana hæreſis Antiochenis conciliis duobus, Photiniana in Sirmienſi, Leporiana in Africano, Neſtoriana in Romano, Alexandrino & Epheſino damnata ſit. Si Neſtorianam proprie dictam ſignificatam velint, quomodo Chriſtus, operum pietate ac mercede, factus Deus dicitur, cum Neſtorius, & reipſa Deum eſſe negaverit, & in utero Virginis, qualemcumque admiſit, unionem naturarum factam dixerit?

Secundum argumentum.

Petendum pariter, quomodo velint a ſuo Poëta Pelagianam hæreſim ſpectatam? an totam, an in parte. Si totam, qua veritate cecinit hæreſim hanc, cum vellet iterum ſurgere, his cecidiſſe? Nam & in Pelagio, Cæleſtioque non ſemel, ſive Dioſpoli, ſive Romæ, ſive Carthagine, ſive Epheſi, & in Leporio in Africa anathemate percuſſa eſt. Si in parte tantum, qua ratione aſſeruit, voluiſſe Pelagium, ut Chriſtus meritis evaſerit in Deum? Cum Julianus in libello fidei, in quo libellis aliorum duorum conſonat, factam in utero Virginis conjunctionem naturarum confeſſus ſit iiſdem verbis, quibus Leporius, approbante concilio Africano, & Auguſtino ſubſcribente, ad fidem catholicam priſtino ſuo errori contrariam exponendam, uſus eſt. *Naſcitur ergo nobis*, inquit Leporius, *proprie de Spiritu ſancto & Maria ſemper Virgine Deus homo* Jesus Christus *filius Dei, &c.* Julianus. *Naſcitur ergo nobis ex Spiritu ſancto & Maria ſemper Virgine, qui ſecundum divinitatem nunquam defuit Patri: ex duabus igitur ſubſtantiis pleniſſimis, atque perfectis Dei & hominis,* Jesum Christum *Filium Dei accepimus.*

Tertium argumentum. *In libris de Incarn.*

Quod ſi nomine Pelagianæ hæreſis ipſe quoque Maſſilienſium error comprehenſus dicatur, quam multa oportet in hiſtoriam peccari? Nam & Caſſianus Maſſilienſium princeps acerrime invehitur in hanc Chriſti ex meritis, quaſi mercenariam deitatem, & Maſſilienſium dogma proſcriptum non eſt cum Neſtoriano, in Epheſina ſynodo, ſed centum fere poſt annis in Arauſicana II.

Detegitur fraus Poëtæ facta, & unde orta popularis opinio.

Quid plura perſequar? Poëtæ procul dubio Leporiana hæreſis pro Neſtoriana illuſit, cum tamen multum diſcriminis inter utramque intercedat: ſed danda Poëtæ, eo facilior venia, quod ipſe quoque Caſſianus, & in eodem peccaverit, & ſuam in ſententiam traxerit amicum Leonem Magnum, alioſque poſtmodum plures, tantam utriuſque auctoritatem ſecutos.

Unde Caſſianus deceptus.

Opinatus eſt ſcilicet Caſſianus, Neſtorium paria in omnibus cum Samoſateno meritoriæ dignitatis auctore ſentire, quicum in capitali dogmate, quod Chriſtus ſit re ipſa purus homo, conſentiebat: ſed opinione ſua falſus eſt, propterea quod in Oriente vixerat ante Neſtorii

Digitized by Google

ſtorii patefactam hæreſim, & in Occidente ſcribebat Maſſiliæ, ubi Samoſateni dogma, propter Leporium monachum, in aperto erat. Erat autem in obſcuro adhuc Neſtorius in Galliis, atque etiam in Italia: nam fama vulgante reſcitum erat, a Neſtorio Samoſateni hæreſim renovari, nec tamen ſermones, epiſtolæque Neſtorii a Leone tunc diacono, Cæleſtini juſſu ad Caſſianum miſſa ſuper ea re hæretici mentem latere volentis aperiebant: id vero facile quiſquis intelliget, ſi modo ſcriptas a Neſtorio ad Cæleſtinum literas, cum noſtris ad ipſas notis, legerit.

Quæ vera fuerit utriuſque hæreſis cognatio.

Quid ergo, inquies, nullane fuit Pelagianam inter & Neſtorianam hæreſim ſocietas? Fuit ſane, eaque longe major, quam vulgo creditur: Neſtorius enim bene ſenſiſſe non videtur; neque de peccato ipſo originali, prout mente diſcernitur a debito moriendi, propter Adami peccatum contractum; neque de gratia Chriſti, quam a lege & doctrina non diſtinguit; neque de Incarnationis fine, quem voluit eſſe ſolum recte vivendi exemplum cæteris hominibus a Chriſto præſtandum: quæ tria ſunt præcipua Pelagianarum quæſtionum capita.

Circa peccatum originale, & Chriſti gratiam.

Atque etiam circa Incarnationem. *Vide notas ad profeſſionem fidei, & diſſertationem de hæreſi Neſtoriana.* *1. part. op. M. Mercatoris lib. 4.*

Julianus vero, partim in profeſſione fidei, partim in opere poſtremo contra Auguſtinum, non obſcure prodit, ut ipſe quidem putavit Auguſtinus, ſe ſuoſque magiſtros Pelagium & Cæleſtium de incarnatione Verbi, Theodoro Mopſueſteno, Rufinoque Syro aſſentiri.

Quod confirmatur Hieronymi & ſynodi Epheſinæ teſtimonio.

Quantumcumque ergo latere conati ſint Pelagiani, verbiſque in ſpeciem catholicis diſſimulaverint mentem hæreticam, idoneis tamen indiciis produntur, ut non immerito Hieronymus Pelagium dixerit Antichriſtum, quo nomine Patres Neſtorium vocare ſolent, alioſque Chriſtomachos. Nihil ergo mirum, ſi Neſtorio tam pertinaciter Pelagii ſequaces adhæſerint, ut Epheſina ſynodus eoſdem canones adverſus Neſtorianos ac Cæleſtianos condiderit, & utrumque nomen, ejuſdem invidiæ, ejuſdemque impietatis, ea tempeſtate exiſteret.

Proponitur objectio.

Mirabitur forte quiſpiam, quod de Pelagianis aſſerimus, cum ipſos Hieronymus, Auguſtinus, Oroſius, Mercator, Patreſque in concilia tot tantaque coacti, neque hac invidia oneraverint, neque impietatis hujuſce accuſarint. qua enim ratione potuit tantam, tamque acrium fidei defenſorum diligentiam, intelligentiamque id fugere, quod aliorum oculi deprehenderint? hæc ſane gravis eſt objectio, ſed quæ poſſit inde dilui, unde vim accipere videtur.

Quæ diluitur.

Nondum profecto fuerant exortæ Neſtorianæ turbæ, cum Pelagii hæreſis in publicum erupit: nondum Theodori fama laborare cœperat, neque impietas clepens ſeſe, catholicis aut certe ambiguis verbis, deprehenſa fuerat, cum ubique proſtratus Eccleſiæ fulminibus Pelagianiſmus videbatur emortuus. Ea omnes ætate Samoſatenum, Photinumque execrabantur, tanquam geminæ blaſphemiæ reos; violatæ ſcilicet Trinitatis ac Incarnationis: infandum quidquid illi effutierant, Theodorus partim emollierat, manifeſta *ἑνώσεως* confeſſione, partim diſſimulaverat obtentu meliorum de Chriſto vocum: quare apparebat ſana in ſpeciem fides Pelagianorum de Incarnatione, dum peſtem tegerent in receſſu, cumque Theodoro, imo cum catholicis loquentes, crederentur eadem animo, quæ verbis ſentire.

Pelagiani non aperte ſententiam dixerunt de incarnatione Verbi.

Unde non venerunt olim in ſuſpicionem erroris in hac parte.

Erat autem eo propenſior in hanc partem credulitas, quo manifeſtius ſe prodebant alii errores, qui ſua ſpecie detinerent animos, ſtudioque fidei veræ ſuccenſos in ſui odium converterent.

Suſpectus tamen Auguſtino Julianus.

Quanquam Auguſtinus, ut erat hominum perſpicaciſſimus in pervidendis errorum latebris, Julianum propter imprudentes quaſdam voces ſuſpectum habuit dogmatis de mercenaria Chriſti divinitate.

Unde popularis exorta opinio.

Ex eo ſane, quod erat poſitum a Pelagianis principium, gratiam non niſi ex meritis dari, ne ſit apud Deum iniquitas, atque acceptio perſonarum, neceſſaria conſecutione connectebatur error de promerita humanis meritis a Chriſto divinitate: quare illo dato, quod erat quoddam totius hæreſis fundamentum, negari non poterat iſtud ab homine, qui ſuam vellet conſtare ſibi, atque conſentire ſententiam. Verum aliud eſt laborare vitio *ἀνακολουθίας*, aliud conſequens per ſeipſum tueri: id enim niſi ita ſe haberet, nemo hæreticus ratione unquam convinci poſſit, unde enim poſſit, quam ex eo quod verum fatetur? Pelagianos fateor peccaſſe in dialecticæ leges, peccaſſe nego contra fidem hanc Incarnationis, Caſſianum reor, præjudicio magis quam certo teſtimonio, Pelagianos accuſaſſe.

Pelagius de Deipara videtur bene ſentire. *Lib. de natura.*

Imo Pelagius eo in libro, quo maxime gratiam impugnavit, videri poteſt beatam Virginem Deiparam credidiſſe: cum enim ſanctas feminas recenſeret, pro coronide adjunxit, *ipſam etiam Domini ac Salvatoris noſtri matrem, quam ſine peccato confiteri neceſſe eſt pietati.* Si enim Maria Virgo Domini ac Salvatoris mater vere dicitur, is profecto quem genuit, neque ſuis meritis obtinuit dominatum in cæteros homines, neque operum mercede accepit, unde poſſet populum ſuum ſalvare a peccatis eorum; alioqui infirma eſſet Eccleſiæ concluſio colligentis ex ſymbolo, ubi Filius Dei dicitur, NATUS EX MARIA VIRGINE, Mariam proprie eſſe Deiparam.

Concluſio.

In ſumma, nec Caſſianus Neſtorii aut Pelagianorum doctrinam aſſecutus eſt: nec ſcriptor epitaphii pro veritate cecinit: nec ambæ hæreſes in eo cognatæ ſunt, quod utraque Deiparæ nomen Virgini Mariæ abjudicaret: nec Maſſilienſes, quorum dux Caſſianus, rati ſunt Chriſtum mercede operum factum eſſe Deum: nec Auguſtinus gratuitam prædeſtinationem aliunde probavit, quam ex confeſſo apud ipſos exemplo Chriſti: nec popularis opinio, de confœderatis contra *Θεοτόκου* hæreſibus duabus, idonea auctoritate nititur.

 PELA-

PELAGII
BRITANNI
COMMENTARII
IN EPISTOLAS
S. PAULI APOSTOLI.

Digitized by Google

* PELAGII BRITANNI PROOEMIUM COMMENTARIORUM IN EPISTOLAS SANCTI PAULI.

Litteris tuis curſim mihi allatis, & laboribus & curis in ſacris codicibus deſudare me cogis, jam mihi ſeneſcente corpore, & viribus laſſeſcentibus, Heliodore ſancte: idque in epiſtolis beati Pauli Apoſtoli: quæ & ſcientia prædicatoris & lima juſtitiæ tam magnæ & prædicando & docendo teſtimonio Spiritus Sancti prolatæ atque dilatatæ ſunt, ut comparare aut coæquare Veteri Teſtamento & evangelicæ doctrinæ non dubitemus: ipſe enim revelante ſibi Spiritu Sancto cognovit, dum ſe raptum eſſe uſque ad tertium cœlum, in corpore, aut extra corpus, *aſſerit: hoc eſt, uſque ad tertiam legem Veteris Novique teſtamenti.* In corpore, aut extra corpus: *id eſt, neque per legem naturæ, neque per legem † litteræ, ſed per Spiritum Sanctum ei, omnibus Apoſtolis minimo, noviſſime datum per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, per quem habemus acceſſum in gratia iſta, in qua & ſtamus & gloriamur. Nos vero ſimpliciter expoſuiſſe brevibuſque ſermonibus comperies. Ejus, nempe, epiſtolæ magnificentiùs ab omnibus ſapientibus & interpretantur & prædicantur.*

* De hiſce Commentariis vide dicta à *Joan. Garnerio* Diſſ. VI. c. 12.

† Id eſt, per legem Moſaïcam litterarum monumentis conſignatam, cùm lex naturalis numquam ſcripta fuerit.

S. PAULI EPISTOLA AD ROMANOS.

CAPUT. I.

[a] Paulus [b] ſervus Jeſu Chriſti [c] vocatus Apoſtolus, [d] ſegregatus in [e] Evangelium Dei: [f] quod ante promiſerat per prophetas ſuos in [g] ſcripturis ſanctis de, [h] Filio ſuo, qui factus

COMMENTARIA IN EPISTOLAM S. Pauli Ad Romanos.

CAPUT I.

(a) P*Aulus.*] Quærimus quare *Paulus* ſcribat, cum *Saulus* antea ſit vocatus? Quod ex more Sanctorum feciſſe credendum eſt. qui in virtutibus proficientes, mutato nomine ſuot vocati, ut eſſent etiam ipſo nomine novi: ut *Abraham & Sara & Cephas.* Aliter. *Paulus.* Sicut aliorum Sanctorum, tam in Veteri quam in Novo Teſtamento: id eſt, *Abraham* & *Petri* & cæterorum, profectu & incremento meritorum mutata ſunt oomina: ita & Paulus in gratia proficiens nomen ſibi ipſe mutavit.

(b) *Servus Jeſu Chriſti.*] A ſervo cœpit, exemplum nobis humilitatis oſtendens: quaſi imitator ejus, qui exinanivit ſeipſum, formam ſervi accipiens, & humiliavit ſeipſum, factus obediens uſque ad mortem: propter quod & Deus illum exaltavit: & hic per fidele primum ſervitium meruit Apoſtolatum. Item non ſecuodum timorem, ſed ſecundum dilectionem, ſicut ipſe dicit: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Galat. 2.

(c) *Vocatus Apoſtolus.*] Jam in præſentia ad hoc vocatus ut eſſet Apoſtolus. Item oſtendit non ſolum vocatum ſe ad Apoſtolatus gratiam: ſed & ſegregatum in prædicationem gentium, ut ipſe memorat. Nos in gentibus, ipſi autem in circumciſione. Vocatus ergo a Chriſto ad Apoſtolatum: ſegregatus autem in prædicationem gentium: ut oſtendat unam eſſe ſubſtantiam Patris & Filii & Spiritus Sancti.

(d) *Segregatus.*] Sicut in Actibus Apoſtolorum Spiritus Sanctus dicit: *Segregate mihi Barnabam & Paulum in opus ad quod* elegi eos. Act. 13.

(e) *In Evangelium Dei.*] *Evangelium*, Latine bona aonunciatio dicitur: nativitatis, ſcilicet, Chriſti, paſſionis & reſurrectionis & in cœlum adſcenſionis.

(f) *Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos.*] Oſtendit ſe Chriſtum non alium prædicare, quam eum cujus Evangelium Prophetæ ab Hieruſalem promiſerant eſſe venturum.

(g) *In ſcripturis ſanctis.*] Ipſos aſſerit Dei Prophe-

ſactus eſt ei [a] ex ſemine David [b] ſecundum carnem: qui [c] prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, [d] ſecundum Spiritum ſanctificationis. [e] Ex reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti Domini noſtri. Per quem [f] accepimus gratiam & Apoſtolatum: ad [g] obediendum fidei [h] in omnibus gentibus [i] pro nomine ejus: in [k] quibus eſtis & vos vocati Jeſu Chriſti. [l] Omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei, [m] vocatis ſanctis. [n] Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto. [o] Primum quidem gratias ago Deo meo, [p] per Jeſum Chriſtum, pro omnibus vobis, [q] quia fides veſtra annunciatur in univerſo mundo. [r] Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſervio in ſpiritu meo in evangelio Filii ejus, [ſ] quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis, [t] obſecrans ſi [u] quo modo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. [w] Deſidero enim videre vos, [x] ut aliquid impertiar gratiæ vobis ſpiritualis, ad confirmandos vos: [y] id eſt, ſimul conſolari in vobis, per eam quæ invicem eſt fides veſtra atque mea. [z] Nolo autem vos ignorare, fratres, quia ſæpe propoſui venire ad vos, [a] & prohibitus ſum uſque adhuc: [b] ut aliquem fructum habeam in vobis, [c] ſicut & in cæteris gentibus. [d] Græcis ac Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum: [e] itaque quod in me promtum eſt & vobis qui Ro-

mæ

tas eſſe & illas ſcripturas ſanctas de Chriſto ante cecinerunt. Verum totus hic locus contra Manichæos facit, ubi dicit: quod Evangelium ante ſit promiſſum & per Prophetas Dei & in ſanctis ſcripturis, & quod Chriſtus ſecundum carnem ex David ſtirpe, id eſt, de Maria virgine ſit creatus, ſecundum quod

Iſa. 7. prædixerat Eſaias.

(h) *De filio ſuo.*] Multi filii gratia, hic natura: cujus etiam in carne nativitas diſſimilis cæteris invenitur, eo quod ex virgine natus eſt.

(a) *Qui factus eſt ei ex ſemine David.*] Factus per Spiritum Sanctum.

(b) *Secundum carnem.*] Addendo *ſecundum carnem*, & Photinum excludit & Arium. Si enim ſecundum carnem factus eſt, ſecundum verbi utique ſubſtantiam factus non eſt.

(c) *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute.*] Dicendo, *in virtute*, oſtendit non ſolitum humanæ naturæ eſſe conceptum, ſed abſque virili ſemine ex virgine procreatum. Inferendo autem:

(d) *Secundum Spiritum Sanctificationis.*] Oſtendit creatorem ſuum Spiritum Sanctum. Item ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens, *ſecundum Spiritum Sanctificationis prædeſtinatus*, ut prior omnibus incorruptibilitatis virtute ſurgeret & viam reſurrectionis Dei filiis aperiret. De quibus ipſe dicit: *Quia filii Dei, cum ſint filii reſurrectionis.*

(e) *Et reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti Domini.*] Non omnium reſurgentium, ſed ad Chriſtum pertinentium. In ipſo Chriſto reſurrectionis forma eſt.

(f) *Per quem accepimus* &c.] Gratiam in baptiſmo: Apoſtolatum, quando à Spiritu Sancto directus eſt. Apoſtolus enim Græce, Latine miſſus dicitur. Item recto ordine, accepta gratia, honorem Apoſtolatus meruiſſe ſe dicit.

(g) *Ad obediendum fidei.*] Oſtendit Evangelii gratiam obedientibus prædicandam.

(h) *In omnibus gentibus.*] Apoſtolatum accepit, ut jam non legi, ſed fidei obedirent.

(i) *Pro nomine ejus.*] Vice nominis ejus fungimur,

† Joan. 6. ut idem ait: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Et

Matth. 10. iterum: *Qui vos recipit, me recipit.*

(k) *In quibus eſtis & vos vocati Jeſu Chriſti.*] Et in vobis: id eſt, Romanis Apoſtolatum accepimus.

(l) *Omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei.*] Hoc eſt omnibus credentibus, quos æqualiter diligit Deus ſine acceptione perſonæ Judæi vel Græci.

(m) *Vocatis ſanctis.*] Sanctis vocatione Dei, non meritis facti. Item idcirco dicit, ſanctis, quoniam gratiam Spiritus Sancti habentibus prædicabat.

(n) *Gratia vobis & pax a Deo Patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto.*] Talis eſt ubique ſalutatio ejus, ut & commemoret in nobis beneficia Dei, & optet in nobis integra permanere: quia & gratia nobis peccata dimiſſa ſunt, & reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus. Commonet etiam pacificos eſſe debere, unam eandemque gratiam conſecutos.

(o) *Primum quidem gratias ago Deo meo.*] Natura, Deus omnium eſt: merito & voluntate, paucorum: ut Deus Abraham, ſecundum quod hic ſuum nominat Deum.

(p) *Per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis.*] Hoc eſt, non pro Judæis ſolis.

(q) *Quia fides veſtra annunciatur* &c.] Oſtendit quomodo Romanorum fides omnibus Eccleſiis cognita ſit: Vel certe quod eadem fides quam Romani tenent, in univerſo mundo ab Apoſtolis prædicetur. Item prudenter laudat, ut provocet ad profectum: Sive quia omni mundo mirum fuit Romanos crediſſe, qui idolorum nimia fuerant cultura poſſeſſi, ita ut omnium gentium diis quas vicerant deſervirent. Sed & ſimpliciter eorum fidem laudaſſe credendum eſt, cujus nunc devotio demonſtratur.

(r) *Teſtis enim mihi eſt Deus* &c.] Hoc eſt, in toto corde meo & prompta devotione mea deſervio. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo. Sive Verbum hic Spiritum nominavit, ut eſt illud: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

(ſ) *Quod ſine intermiſſione.*] Hic oſtendit ſe omnia ex dilectione dicturum, ut liberius audiatur: & dat exemplum ſine intermiſſione orandi.

(t) *Obſecrans.*] Qua liberatione ad vos quandoque perveniam in voluntate Dei. Aliter enim proſperum iter non habeo, niſi me voluntas Dei quæ omnia novit illuc direxerit, ut aliquem habeam fructum.

Unde in Actibus Apoſtolorum legimus: *eos alio ire vo-* Act. 16.

lentes, alio deſtinatos. Sive ſecundum illud Jacobi: Jacobi 2.

Si Deus voluerit & vixerimus, faciemus hoc vel illud.

(u) *Si quo modo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei* &c.] Demonſtrat ſe cuncta quæ agebat, ex Dei gerere voluntate.

(w) *Deſidero enim videre vos.*] Hic oſtendit quomodo eos ſuperius laudaverat qui ad confirmandum aliquid gratiæ indigent ſpiritualis.

(x) *Ut aliquid impertiar gratiæ vobis.*] Romanos Petri prædicatione fidem tenentes confirmare ſe velle Paulus dicit: non quo minus accepiſſent à Petro: ſed ut duobus Apoſtolis, teſtibus atque doctoribus, eorum roboraretur fides.

(y) *Id eſt, ſimul conſolari in vobis* &c.] Ut per communem fidem invicem conſolemur.

(z) *Nolo enim vos ignorare fratres: quia ſæpe* &c.] Per commeantes autem fratres audire potuiſtis.

(a) *Et prohibitus ſum uſque adhuc.*] Oſtendit ſe occupatum neceſſitate Evangelii prædicandi, Romam adhuc ire non poſſe. Item *prohibitus* hic occupatus accipitur: dum aliis provinciis prædicaverit: ſicut ipſe exponit in fine epiſtolæ ſuæ dicens: *Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos.*

(b) *Ut aliquem fructum habeam in vobis.*) Mercedem laboris ſui nominat fructum.

(c) *Sicut & in cæteris* &c.] Subauditur *habeo.*

(d) *Græcis ac Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor* &c.] Sapientes, Græcos philoſophos: barbaros, inſipientes appellat.

(e) *Itaque quod in me promptum* &c.] Qui Romæ

eſtis:

mæ eſtis evangelizare. [a] Non enim erubeſco evangelium. [b] Virtus enim Dei eſt in ſalutem [c] omni credenti: [d] Judæo primum & Græco. [e] Juſtitia enim Dei in eo revelatur [f] ex fide in fidem, [g] ſicut ſcriptum eſt, [h] Juſtus autem ex fide vivit. [i] Revelatur enim ira Dei de cœlo [k] ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum, [l] eorum qui veritatem Dei in injuſtitia detinent: [m] quia quod notum eſt Dei, [n] manifeſtum eſt in illis [o] Deus enim illis manifeſtavit. [p] Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: [q] ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles. Quia cum cognoviſſent Deum, [r] non ſicut Deum glorificaverunt aut gratias egèrunt, [ſ] ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, [t] & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. [u] Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, [w] ſtulti facti ſunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimi-

eſtis: æque inſipientibus ut Græcis evangelizare vult.

(a) *Non enim &c.*] Recte dicit non ſe erubeſcere prædicationem crucis, quæ credentibus Dei virtus eſt in ſalutem. Item hoc ad taxationem ſubtiliter pertinet Paganorum: qui cum non erubeſcant credere Deum ſuum Jovem, propter inanem libidinem, in animalia irrationabilia & inſenſibilia eſſe mutatum: nobis erubeſcendum putant Dominum propter ſalutem perditi hominis credere crucifixum: cum in altero horrendum ſit dedecus, in altero admiranda pietas atque virtus. Simul & illos hæreticos tangit, qui hæc tanquam indigna Deo refugiunt ut hominem indueret, quem pro ſalute humani generis paſſioni traderet: non intelligentes nihil dignius creatori quam creaturæ ſuæ curare ſalutem: maxime cum ipſe per hoc naturæ detrimentum, quaſi impaſſibilis, ſentire non poſſit.

(b) *Virtus enim Dei eſt in ſalutem.*] Nulla major virtus eſt quam quæ devicta morte homini perdito reddit vitam.

(c) *Omni credenti.*] Quamvis infirmitas videatur incredulis.

(d) *Judæo primum & Græco.*] Sive quod juſtum fuerit: ut quomodo Abraham credens ex gentibus per ſolam primum fidem ſalvatus eſt: ita cæteri credentes ſalvarentur. Sive quod illud Teſtamentum, quod per legem Deus verax promiſerat, debuerat exhibere.

(e) *Juſtitia enim Dei in eo revelatur.*] Oſtendit ex fide uniuscuiuſque noſtrûm, prædicationis fidem poſſe roborari.

(f) *Ex fide in fidem.*] Sive quod ex fide juſtificatur Judæus, & in fide Gentilis. Et ideo expoſuerit ut cacologiæ vitium declinaret.

(g) *Sicut ſcriptum eſt.*] Non ex operibus legis.

(h) *Juſtus autem ex fide vivit.*] Propterea hoc dicit: quia ſine fide: hoc eſt, ſine ſpe retributionis bonorum operum, perficere virtutes nemo poterit: ſicut *Heb.* 11. & ipſe ad Hebræos perhibens docet. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.

(i) *Revelatur enim ira Dei de cælo.*] Si dicentibus Manichæis crudelis aſſeritur Deus veteris Teſtamenti, quia ſuper peccatores vindictam inducat: quomodo hoc loco ab Apoſtolo dicitur a Deo novi Teſtamenti vindictam impiis hominibus inferendam? Unde monſtratur unum eundemque Deum eſſe novi & veteris Teſtamenti. Item incipit ad partem gentium loqui, dicitque Dei iram per Evangelium revelari ſive per naturæ teſtimonium: noverunt enim homines & beneficia & plagas exſpectare de cœlo.

(k) *Super omnem impietatem & injuſtitiam hominum.*] Tres eſſe videntur impietates. Prima & maxima in Deum, quæ aut per blaſphemiam aut per idololatriam admittitur. Secunda in parentes, aut injuria *Levit.* 20. aut contemtus: ſicut ſcribitur in Levitico: *Si quis dormierit cum uxore patris ſui, morte moriatur: ambo impietatem fecerunt.* Tertia in extraneos, ut eſt illud: *Pſal.* 31. *Et tu remiſiſti impietatem cordis mei.* Et plura alia, quæ enumerare perlongum eſt. Sive omnis impietas, ad diverſas idolorum culturas referenda eſt: ut impietas quaſi ad injuriam Dei: injuſtitia vero ad omnia peccata pertinere videatur.

(l) *Eorum qui veritatem &c.*] Veritatem nominis Dei injuſtitia indignæ materiæ detinente dolorem. Item ſcientes delinquunt, qui Dei veritate agnita injuſte agunt.

(m) *Quia quod notum eſt Dei.*] Oſtendit quomodo omnis homo naturalem habens intellectum, agnoſcit eſſe inſequendam ſubſtantiam inviſibilem, quæ diverſas in hominibus artes & diſciplinas operatur. Quo etiam exemplo inviſibilis Deus manifeſtatur hominibus, ex his operibus quæ operatus eſt & operatur: ſimul & mens Trinitatis demonſtrat imaginem, in qua generat inſitum ſibi verbum & inſeparabilem habet ſibimet natum verbum ſapientia. Item quod poteſt naturaliter ſcire de Deo quod ſit, & quod juſtus ſit.

(n) *Manifeſtum eſt in illis.*] In conſcientiis eorum. Omnis namque creatura Deum ſe noſſe teſtatur: & ab alio factam indicat: cujus voluntati ſibi parere neceſſe ſit. Si enim Deus ſummum magnum eſt, inviſibilis, incomparabilis, incomprehenſibilis, inæſtimabilis: & qui ſuper omnia ſit: id eſt, cui neque præponi aliquid neque poſſit æquari: ſive magnitudine ſive claritate vel potentia: manifeſtum eſt hoc nulli creaturæ poſſe competere, quæ & oculis videtur, ratione colligitur, & æſtimatione judicatur. Major autem omnibus per omnia nulla eſt creatura: quia omnes ſe alterutrum vincunt. Alia enim magnitudine, ut cœlum, terra. Alia claritate, ut ſol, luna vel ſtella. Alia altitudine, ut mare. Ita ergo pervidetur quia nullum elementum ſit Deus. Quod autem facta ſint, mutabilitas eorum quæ non poteſt cadere in æternitatem demonſtrat. Quod vero non ſeipſa fecerint, manifeſtum eſt: quia ſi ſeipſa fecerunt, jam erant antequam fierent ut ſe facere poſſent: quod valde abſurdum eſt dicere. Cum vero variant, & ordines ſuos permutant: & alterutrum cedunt: oſtendunt ſe ab uno auctore facta, & non ſuam, ſed domini ſui facere voluntatem: cujus tranſgredi non poſſunt imperium.

(o) *Deus enim illis manifeſtavit.*] Virtus enim ejus occulta, ex his quæ palam ſunt æſtimatur. Si enim ea quæ videntur, tam præclare ab eo facta ſunt, ut quidam illa Deos putarent & æterna aſſerere tentarent: quanto magis factorem ſempiternum & omnipotentem & immenſum eſſe intelligere potuerunt: ſecundum Sapientiæ librum dicentem: Ad cujus magnitudinem, creaturarum comparata, poterit horum creator videri &c.

(p) *Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.*] Tam evidenter intellecta ſunt: ut conſpecta dicantur.

(q) *Sempiterna quoque ejus virtus & divinitas ita ut ſint inexcuſabiles: quia cum cognoviſſent Deum.*] Sive per naturam, ſive per facturam & rationem.

(r) *Non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.*] Pro eo quod tales facti ſunt, ut Deum poſſint agnoſcere ſi velint.

(ſ) *Sed evanuerunt in cogitationibus ſuis.*] Putantes ſe Dei magnitudinem in cogitatione poſſe comprehendere, evanuerunt in naturali ſapore, creaturas pro creatore venerati.

(t) *Et obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.*] Recedentes a lumine veritatis.

(v) *Dicentes enim ſe eſſe ſapientes.*] Quaſi qui inveniſſent quomodo inviſibilis Deus, per ſimulacrum viſibile coleretur.

(w) *Stulti facti ſunt: & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem.*] Non intelligentes nullam ſimilitudinem habere mortale immortalis, & incorruptibile ſempiterni.

ſimilitudinem [a] imaginis corruptibilis hominis: & volucrum, & quadrupedum & ſerpentium, [b] Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in [c] immunditiam, ut [d] contumeliis afficiant corpora ſua in [e] ſemetipſis. Quia [f] commutaverunt veritatem Dei in mendacium: & [g] coluerunt & ſervierunt creaturæ potius quàm creatori: [h] qui eſt benedictus in ſecula: amen. [i] Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. [k] Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem uſum, in eum uſum qui eſt contra naturam. [l] Similiter autem & maſculi, relicto naturali uſu fœminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem: maſculi in maſculos turpitudinem operantes: & [m] mercedem quam oportuit erroris ſui in ſemetipſis recipientes. Et [n] ſicut non probaverunt Deum habere in notitia: [o] tradidit illos Deus in reprobum ſenſum: ut [p] faciant ea quæ non conveniunt, [q] repletos omni iniquitate, malitia, [r] fornicatione, avaritia, nequitia, [ſ] plenos invidia, homicidiis, [t] contentione, [u] dolo, [w] malignitate: [x] ſuſurrones, [y] detractores, Deo odibiles, [z] contumelioſos, [a] ſuperbos, elatos, inventores malorum, [b] parentibus non obedientes, [c] inſipientes, incompoſitos, ſine [d] affectione, abſque fœdere, ſine [e] miſericordia. [f] Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt: quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte: [g] non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

C A.

(a) *Imaginis corruptibilis hominis, & volucrum: & quadrupedum & ſerpentium.*] Non hominis ſolum, ſed imaginis hominis: & non hujus tantum, ſed etiam animalium. Hic Jovis cultores appellat, qui eum propter amores fœdiſſimos in iſta aſſerunt transformatum: & idcirco ſe illi tales imagines conſecraſſe, in quibus libidini ſatisfecit.

(b) *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.*] In hoc quod Deus tradidiſſe dicitur propriis deſideriis peccatores, oſtendit non quod ipſe ſit cauſa, ſed quod per longanimitatem & patientiam non inducendo vindictam, patitur eos ſecundum cordis ſui agere voluntatem: hoc facit volens eos ad pœnitentiam converti. Item tradere in ſcripturis dicitur Deus, cum non retinet delinquentes propter arbitrii libertatem: ſicut in Pſalmo dicit: Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum.

(c) *In immunditia.*) Quæ eſt in turpibus miniſteriis idolorum.

(d) *Ut contumeliis afficiant corpora ſua.*] Dum ſibi In ſacramentis eorum, cauteria & combuſtiones infligunt.

(e) *In ſemetipſis.*] Ut quaſi amentes ipſi in ſe, ſuorum ſint vindices delictorum.

(f) *Quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium.*] Commutaverunt vere Dei cultum in mendacium idolorum, quæ falſo pro Diis coluerunt: & quodammodo ſtultis mentiuntur eſſe quod non ſunt.

(g) *Et coluerunt & ſervierunt creaturæ potius quam creatori.*] Non ſolum dilexerunt, ſed etiam ſervierunt: ſed quicumque alicujus creaturæ cupiditate vincitur, ipſi ſervit. A quo enim quiſque ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.

(h) *Qui eſt benedictus in ſecula.*] Cui ſi ſerviſſent, fieri benedicti in ſecula potuiſſent. Qui enim fecerit voluntatem Dei, manet in æternum: ſicut ipſe manet in æternum.

(i) *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.*] Propter cauſas ſuperius memoratas, in his flagitiis ſunt dimiſſi.

(k) *Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem uſum in eum uſum, qui eſt contra naturam.*] Omnia perverterunt in Deum perverſi. Neque enim ordinem naturæ ſervarunt: qui naturæ dereliquerunt auctorem. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali cauſa eſt, initium & finis.

(l) *Similiter autem & maſculi relicto naturali uſu fœminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem, maſculi in maſcul.* &c.] Effrenata libido modum ſervare non novit.

(m) *Et mercedem quam oportuit erroris ſui in ſemetipſis recipientes.*] Sic cucurrit ordo, ut qui Dei obliti erant, nec ſeipſos agnoſcerent.

(n) *Et ſicut non probaverunt Deum habere in notitia.*] Non neſcierunt, ſed minime probaverunt. Ille enim probat ſe Deum habere in notitia, qui ſemper illum in præſenti habens, peccare non audet.

(o) *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.*] Non reprobandi ſunt traditi in reprobum ſenſum.

(p) *Ut faciant ea quæ non conveniunt.*] Homini facere.

(q) *Repletos omni iniquitate, malitia.*] Iniquitatem & malitiam, principales cauſas oſtendit vitiorum eſſe.

(r) *Fornicatione, avaritia.*] Fornicationem autem & avaritiam ſimul junxit: quia utrique pene idololatria comparatur nequitiæ.

(ſ) *Plenos invidia, homicidio.*] Pulchre invidiam homicidio ſociavit: quia prima hujus criminis ipſa materia eſt.

(t) *Contentione.*] Contentio eſt, ubi non ratione aliquid, ſed animi pertinacia defenditur: & ubi jam non veritas quæritur, ſed proximus fatigatur.

(u) *Dolo.*] Occulta malitia, blandis ſermonibus adornata.

(w) *Malignitate.*] Malitiæ votum, vel opus, *malignitas* appellatur.

(x) *Suſurrones.*] Murmuratores, non in faciem, ſed in aurem loquentes.

(y) *Detractores, Deo odibiles.*] Nihil eſt enim tam odibile Deo quàm idololatria: cui per ſimilitudinem eradicandi pœna detractionis ſcripta conjungitur.

(z) *Contumelioſos.*] Qui veloces ſunt in verbis injuriæ.

(a) *Superbos, elatos, inventores malorum.*] Qui vult ſupergredi quod eſt, ſuperbus eſt, ſicut diabolus perdit ſeipſum quod eſt. Qui enim ſuper alios vult eſſe, hic infra ſe fiet: & ideo ſequitur inventores malorum: quia ſemper ſuperbia excogitat & invenit mala: ſicut auctor ſuperbiæ per elationem ſuam invenit ſibi malum quod ante non fuerat. Elatus autem dicitur, qui effertur ſuper menſuras ſuas.

(b) *Parentibus non obedientes.*] Veri parentes ſunt, qui per ſemen verbi generant in lucem filios ad vitam æternam.

(c) *Inſipientes, incompoſitos.*] Qui à fonte ſapientiæ receſſerunt, neceſſe eſt ut inordinate ferantur.

(d) *Sine affectione, abſque fœdere.*] Affectio eſt adimpletio caritatis.

(e) *Sine miſericordia.*] Quomodo aliis poterant miſereri, qui in ſe miſericordes eſſe noluerunt. Hæc omnia per ordinem digeſta peccata, de illis dicuntur, qui derelinquentes Deum, ab eo viciſſim ſunt derelicti. Caveamus ergo & nos ne quod malum ex his habentes; ſimiliter relinquamur.

(f) *Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt: quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte.*] Hic oſtendit quomodo unuſquiſque hominum ſcit ſe à Deo ſecundum actus proprios judicandum: in quo & ipſe alium hominem peccantem judicat atque condemnat. Item cum ex eo ſibi quiſque diſplicet quod fecerit malum, Dei juſtitiam cognoviſſe dicitur: non intellexerunt tales ab eo, & ſi non in præſenti, tamen in futuro eſſe puniendos. Si enim intellexiſſent, utique talia committere timuiſſent.

(g) *Non ſolum qui ea faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus.*] Ne quis diceret: hæc non omnia ſe feciſſe, addidit, qui conſentiunt facientibus: Sed & qui in iſtis non conſenſit qui judicabant hujuſmodi: tamen idololatriæ conſentiendo, quæ omnium horum caput & cauſa eſt, omnibus conſenſiſſe videbatur.

IN CA-

CAPUT. II.

[a] PRopter quod inexcuſabilis es, ô homo omnis qui judicas. In quo enim alterum judicas, teipſum condemnas. Eadem enim agis quæ judicas. [b] Scimus enim quoniam judicium Dei eſt ſecundum veritatem, in eos qui talia agunt. Exiſtimas autem hoc, ô homo omnis qui judicas eos qui talia agunt & facis ea: quia tu effugies judicium Dei? [c] An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? [d] Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, [e] theſautizas tibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei: qui reddet unicúique ſecundum opera ejus. His [f] quidem qui ſecundum patientiam boni operis, [g] gloriam & honorem & incorruptionem [h] quærentibus vitam æternam. His [i] autem qui ſunt ex contentione, & [k] qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, [l] ira & indignatio, [m] tribulatio & anguſtia: in [n] omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum & Græci. [o] Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, [p] Judæo primum & Græco.

[a] Non

IN CAPUT II.

(a) P*Ropter quod inexcuſabilis es, ô homo omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipſum condemnas. Eadem enim agis quæ judicas.* Omnes hujuſmodi qui dijudicabant, maxime tamen hi qui habent in reprehendendo judicium, judices & domini conveniuntur. Naturali enim judicio dignam factis profert unuſquiſque ſententiam: omnes que noverunt, & innocentiam mereri præmium, & malitiam habere ſupplicium.

(b) *Scimus enim quoniam judicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos qui talia agunt. Exiſtimas autem hoc, ô homo omnis qui judicas eos qui talia agunt & facis ea: quia tu effugies judicium Dei?*] Secundum veritatem erit judicium, quo judicabuntur hujuſmodi qui non condemnare in aliis potuerunt quæ ipſi committere non timuerunt. Si enim tu peccator, peccatorem tibi ſimilem judicas: quanto magis Deus juſtus te judicabit injuſtum? ne illi mala placere & diſplicere bona forſitan videantur. Quippe quem ſine perſonarum acceptione, nec amicis ſuis, nec Angelis legimus pepercîſſe peccantibus. Humanum autem judicium multis modis corrumpitur. Amore, odio, timore, avaritia ſæpe judicii integritas violatur: & contra juſtitiæ regulam interdum miſericordia inclinatur.

(c) *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*] Hic aperte monſtratur quare peccatori deſideria cordis ſui dimiſerit Deus: & cum poſſit prohibere peccantem, vel inferre vindictam, mavult converti ad pœnitentiam. Item numquid propterea tibi de impunitate blandiris, quia Deus in præſenti non reddit: & tu longitudinem temporis & abundantiam bonitatis intuens, putas jam non eſſe judicium? Audi ſcripturæ ſententiam: *Non tardat Dominus promiſſi, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam converti.* (2 Pet. 3.) Bonus eſt exſpectando, juſtus eſt puniendo. Unde admonet Propheta: (Eccl. 5.) *Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem: ſubito venit ira ejus, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Et iterum: *Ne dixeris peccavi, & quid accidit mihi triſte? eſt enim altiſſimus patiens redditor.* Multi ſe homines per patientiam Dei ſeducunt: quia non vult ſtatim punire peccantes: putatur enim aut res humanas minime curare, aut culpas indulgere quia differt. Plerique etiam contra ſe calumniantur, cur in præſenti non reddit: non intelligentes quod ſi ita fieret, nullus penè hominum remaneret: nec unquam de injuſtis fierent juſti. Ideo autem hominibus videtur Deus diu exſpectare peccantes: quia nos cum parvi temporis ſimus, annos centum æternitatem putamus. Ille autem, apud quem mille anni pro uno ſunt die, centum annos unius horæ ſuæ ſpacio non coæquat: quapropter hoc parvum eſt apud eum: cum etiam homines ſoleant multo tempore correptionem ſperare peccantium.

(d) *Secundum duritiam autem tuam & impœnitens cor.*] Tu autem impudens æger, ad vulnera majora abuteris ipſo remedio: quia juxta ſententiam beati Job: (Job. 24.) *pœnitentiæ loco abuteris in ſuperbiam.* Unde non agnita pietas majus tibi judicium parat: ut vindictam ſentiat qui miſericordiam ſentire contempſit. Iterum; omne enim cor quod non ſentit, induratur. Hoc enim modo induravit Deus cor Pharaonis.

(e) *Theſaurizas tibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei: qui reddet unicuique ſecundum opera ejus.*] In diem judicii, iram tibi ſuper iram ipſe condis: qui die definito & certo tempore apparebit.

(f) *His quidem qui ſecundum patientiam boni operis.*] Boni operis merces per patientiam exſpectatur: quia in præſenti vita non redditur. Per fidem enim ambulamus & non per ſpeciem. Et tunc erit perfectum opus, ſi in finem uſque duraverit: quia qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

(g) *Gloriam & honorem & incorruptionem.*] Gloriam, qua ſancti fulgebunt ut ſol. Honorem, filiorum Dei quo nihil eſt majus: per quem etiam Angelos judicabunt. Incorruptionem vitæ perpetuæ.

(h) *Quærentibus vitam æternam.*] Qui per patientiæ opera quærit vitam æternam, iſta omnia conſequitur. Et qui habet hanc ſpem, in eo ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.

(i) *His autem qui ſunt ex contentione.*] Audiant qui ſæpe victi, animoſitate contendunt, & timeant in conſuetudine peſſima permanere, ne iſta omnia ſuper eos deputentur. Jam ſuperius dictum eſt, contentioſum hunc eſſe ſpecialiter qui aliquid contra conſcientiam ſuam nititur defenſare.

(k) *Et qui non acquieſcunt veritati: credunt autem iniquitati.*] Evangelicæ veritati non credunt & conſentiunt iniquitati, ut relicto creatore, deſerviant creaturæ.

(l) *Ira & indignatio.*] In judicio pœnæ ſunt.

(m) *Tribulatio & anguſtia.*] Conſcientiæ & infructuoſæ pœnitentiæ, ſicut ſcriptum eſt: Tunc dicent (Sap. 5.) intra ſe pœnitentiam agentes & per anguſtiam ſpiritus gementes. Item, hucuſque ſermo dirigitur ad omnes naturali obnoxios legi: in quo etiam Judæi pariter continentur. Idcirco autem Judæus Gentili antefertur: quoniam præter naturalem legem, & Moyſi legem ſcriptam habent.

(n) *In omnem animam hominis &c.*] Animæ pœnam Apoſtolus comminatur propter hæreticos, qui ſolam carnem delinquere dicunt: & animam negant poſſe peccare. Sive *anima* pro toto homine dicitur: Sicut in Geneſi: *Jacob cum ſeptuaginta animabus* Aegyptum introiſſe refertur. (Gen. 46.)

(o) *Gloria autem & honor & pax omni homini operanti.*] Gloria contra iram, honor contra indignationem. Et quod ſupra incorruptionem, hic pacem appellat.

(p) *Judæo primum & Græco.*] Quod ſupra animam, hic hominem nominavit. Primum autem pro quidem ponit. Sive primum credulitatis tempore, non honore.

(a) *Non*

[a] Non enim eſt acceptio perſonatum apud Deum. [b] Quicunque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt. Et quicunque in lege pec. averunt, per legem judicabuntur. [c] Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur. [d] Cum enim gentes quæ legem non habent, [e] naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt: [f] ejuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex: [g] qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum: & [h] inter ſe invicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium, in die cum judicabit Deus occulta hominum, [i] ſecundum evangelium meum, per Jeſum Chriſtum. Si [k] autem tu Judæus cognominaris: & [l] requieſcis in lege: & [m] gloriaris in Deo: & noſti voluntatem ejus: & [n] probas utiliora inſtructus per legem: [o] confidis teipſum eſſe ducem cæcorum: [p] lumen eorum qui in tenebris ſunt: [q] eruditorem inſipientium: [r] magiſtrum infantium, [ſ] habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege. [t] Qui ergo alium doces, teipſum non doces. [u] Qui prædicas non furandum, furaris. [w] Qui dicis non mœchandum, mœcharis. [x] Qui abominaris idola, ſacrilegium facis. [y] Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. [z] Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes: [a] ſicut ſcriptum eſt. [b] Circumciſio quidem prodeſt ſi le-

(a) *Non eſt enim perſonarum acceptio apud Deum.*] Ergo nec gentes ſibi de ignorantia falſa: nec Judæi de legis circumciſione & privilegio blandiantur.

(b) *Quicunque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt. Et quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.*] Sine lege litteræ, in lege naturæ: hoc loco, peribunt & judicabuntur: unum voluit intelligi: qua & qui perit, per Dei judicium perit: & qui
Pſal. 36. judicatur peccator, perit: ſicut ſcriptum eſt: *Quia peccatores peribunt.* Nam & ſimiles illos facit dicendo: *Non auditores tantum legis juſtos eſſe, ſed factores.* Et paulò inferius, dicit gentes in die Domini judicandas. Quis enim dubitat tam ſub lege poſitos, quam ſine lege degentes, niſi Chriſtum crediderint, perituros?

(c) *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.*] Reddit rationem quare non ſint gentibus meliores. Unde & nobis timendum eſt, ne audientes legem & non facientes, cum gentibus pereamus: ſicut ipſe alibi dicit: Nec cum hoc mundo damnemur.

(d) *Cum enim gentes quæ legem non habent.*] Ne quis forte diceret, legem non habent: ad quam formam poterunt judicari.

(e) *Naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt.*) Sive de his dicit, qui naturaliter juſti fuerunt ante legem: ſive qui etiam nunc boni aliquid operantur.

(f) *Ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.*] Oſtendit illos non eſſe ſine lege, ut & gentes inexcuſabiles faciat, & Judæis de proprietate gloriam tollat.

(g) *Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.*] Natura agit legem in corde per conſcientiæ teſtimonium: ſive conſcientia teſtatur legem habere timendo dum peccat: & victis gratulando peccatis, etiam ſi nullum hominum vereatur ipſe qui peccat.

(h) *Et inter ſe invicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium, in die cum judicaverit Deus occulta hominum.*] Dicit altercationes cogitationum eſſe, cum quid faciendum, vel non faciendum diutina deliberatione decernimus: & ſecundum hoc nos in die Domini judicandos: quia bonum malumve non ignoraſſe probamur. Sive conſcientia & cogitationes noſtræ erunt in die judicii ante oculos noſtros tanquam quædam hiſtoriæ cognoſcendæ, aut ipſæ nos accuſabunt, aut etiam excuſabunt, ſicut ſcriptum eſt: Ar-
Pſal. 49. guam te & ſtatuam eam contra faciem tuam.

(i) *Secundum evangelium meum per Jeſum Chriſtum.*] Secundum quod annuncio per Jeſum Chriſtum judicabit Deus.

(k) *Si autem tu Judæus cognominaris*] Hic convertit ſe ad Judæos, docens opere non nomine tantum debere eſſe Judæum: eumque eſſe verum, cujus occulta ſunt bona.

(l) *Et requieſcis in lege.*] Confidis vel ſecurus es.

(m) *Et gloriaris in Deo: & noſti voluntatem ejus.*] Gloriaris te ſolum noſſe Deum, ejuſque voluntatem agnoſcere.

(n) *Et probas utiliora inſtructus per legem.*) Eligis majora, & inter minora diſcernis. Quæ enim per naturam utiliora probantur, utiliora ſunt per legem.

(o) *Confidis teipſum eſſe ducem cæcorum.*] Quorum cor obſcuratum eſt.

(p) *Lumen eorum qui in tenebris ſunt.*] Ignorantiæ.

(q) *Eruditorem inſipientium.*] Qui Dei non habent ſapientiam.

(r) *Magiſtrum infantium.*] Parvulorum, ætate vel ſenſu.

(ſ) *Habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege.*] Ad quam ſemper reſpiciens, errare non potes.

(t) *Qui ergo alium doces, teipſum non doces?*] Similiter gentibus dixerat: *Qui enim alium judicas, teipſum condemnas?* Qui in lege requieſcis, ô Judæe, quare tranſgrederis legem? Qui gloriaris in Deo: quare inhonoras Deum? Qui noſti voluntatem ejus: quare non obtemperas ejus voluntati? Qui probas utiliora: cur inutilia ſectaris? Dux cæcorum, quomodo viam non vides rectam? Si enim videres: per ipſam utique ambulares. Si lumen es aliorum, cur non abjicis opera tenebrarum? Eruditor inſipientium, ut quid timorem Domini, qui eſt initium ſapientiæ, reliquiſti? Magiſter infantium, quomodo puer es in ſenſu? Qui habes formam ſcientiæ veritatis in lege, quare nec ipſe ſequeris, nec alios ſequi peſſimo exemplo permittis? Quare non convenit vita tua doctrinæ tuæ, & opus tuum deſtruit fidem tuam? Unde fiet ut lex à te non cuſtodita, non ſolum tibi nihil proſit, ſed etiam majoris criminis reum, ſuum contemptorem obtineat.

(u) *Qui prædicas non furandum, furaris.*] Quidam dicunt abſcondendo ab hominibus furaris Chriſtum.

(w) *Qui dicis non mœchandum, mœcharis.*] Non eſt una mœchia. Nam omne quod Deo debet anima, ſi alicui præterquam Deo reddiderit, mœchatur.

(x) *Qui abominaris idola, ſacrilegium facis.*] Sacrilegium eſt quod proprie in Deum committitur: quaſi ſacroſancti violatio. Item in hoc, inquit, in quo committis ſacrilegium, idololatra eſſe monſtraris.

(y) *Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras.*] Exponit ſacrilegium quia dicit.

(z) *Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes.*

(a) *Sicut ſcriptum eſt.*] In Eſaia. Præpoſterato or- Eſa 52.
dine ante poſuit teſtimonium quàm diceret ſcriptum: Ita enim dicentis ſermo dilapſus eſt, ut quod ex propria intentione dicebat, eodem ſenſu ſcriptum repererit. Vel revera, quorum injuſtis actibus nomen Dei fuerat blaſphematum: ſicut ſcriptum eſt: *Polluerunt nomen meum inter gentes:* dum dicuntur populus Dei, inter quas gentes captivi, ſuis peccatis facientibus, morabantur. Item, ſicut ait: *Per bona opera veſtra benedicitur Deus:* ita nunc non recte converſantibus blaſphematur.

(b) *Circumciſio quidem prodeſt ſi legem obſerves. Si autem* &c. Quomodo nihil eſt ſi prodeſt? Prodeſt tempore

ſi legem obſerves. Si autem prævaricator legis ſis, circumciſio tua præputium ſacta eſt. [a] Si igitur præputium juſtitias legis cuſtodiat: nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur? Et [b] judicabit id quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te, qui per litteram & circumciſionem prævaricator legis es. [c] Non enim qui in manifeſto Judæus eſt, neque quæ in manifeſto in carne eſt circumciſio; ſed qui in abſcondito Judæus eſt, & [d] circumciſio cordis in [e] ſpiritu, non litera: cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.

CAPUT III.

QUid [f] ergo amplius Judæo eſt: aut quæ utilitas circumciſionis? Multum per omnem modum. [g] Primum quidem: quia credita ſunt illis eloquia Dei. [h] Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit? Abſit. Eſt [i] autem Deus verax, omnis autem homo mendax. [k] Sicut ſcriptum eſt: Ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris. Si [l] autem iniquitas noſtra juſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus eſt Deus [m] qui infert iram? [n] Secundum hominem dico: Abſit. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? Si [o] enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipſius, [p] quid adhuc & ego [q] tamquam pec-

eator

pore ſuo ſignum: prodeſt ſi juſtitia cujus eſt ſignaculum adſit. Cæterum ſine illa ſuperfluum erit, ſive quia vivere faciebat Judæum, & infantia exterminari antequàm ſapetet: ſive quia in lege facit eſſe: quia perſpecta invenitur carnis circumciſione ceſſante, veram illam cordis eſſe venturam. Et prævaricator legis eſt, dum non ſequitur id quod ibi prædictum eſt.

(a) *Si igitur præputium juſtitias legis cuſtodiat: nonne præputium illius in circumciſione reputabitur?*] Viſibilia indigeot inviſibilibus, inviſibilia non iodigent viſibilibus: eo quod viſibilia imago ſunt inviſibilium: & inviſibilia veritas ſint viſibilium: ideo circumciſio carnis, indiget cordis. Circumciſio autem cordis, non indiget carnis: quia imagine non indiget veritas: imago autem indiget veritate. Quæritur ſanè: quare ſit data circumciſio, ſi per ſeipſam non prodeſt. Primum, ut agnoſceretur Dei populus inter gentes. Denique quando ſoli erant in eremo, circumciſi non fuerunt. Sive ut corpora eorum agnoſcerentur in bello. Nam quod in tali membro ſignantur, hæc cauſa eſt. Primum, ne aliud membrum aut debile fieret, aut turpe quod publice videretur. Iterum, propter gratiæ promiſſionem, in qua erant per caſtitatem placituri. Sive ut Chriſtus ſignificaretur ex ejus ſemine naſciturus, ad quem futura erat iſta carnalis, quæ ſpiritualem habebat affetre: Cujus typum gerens Jeſu Naue, populum ſecundo circumcidere jubetur.

(b) *Et judicabit id quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te, qui per litteram & circumciſionem prævaricator legis es.*] Sive dum litteræ circumciſionem ſectaris, circumciſionem ſpiritus accipere dedignaris: ſive non ſequendo quod lex dicit: hoc eſt, ut Chriſto credens, veram circumciſionem acceperis.

(c) *Non enim qui in manifeſto Judæus eſt, neque quæ in manifeſto in carne eſt circumciſio: ſed qui in &c.*] Ipſe eſt verus. Omnia enim quæ antea circa exteriorem hominem gerebantur, figuram interioris habebant.

(d) *Et circumciſio cordis.*] De qua ſcriptum in lege

Deut. 30. eſt: *In noviſſimis diebus circumcidet Deus cor tuum, & cor ſeminis tui, ad Dominum Deum tuum amandum.* Et

Ibidem. 10. iterum: *Circumcidite vos Deo veſtro, & circumcidite præputium cordis veſtri.*

(e) *In ſpiritu, non littera: cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.*] Non ſecundum litteram legis, ſed ſecundum novum teſtamentum: quod interiora quærit, quæ ſolum videt Deus.

IN CAPUT III.

(f) *QUid ergo amplius eſt Judæo: aut quæ utilitas circumciſionis? Multum quidem per omnem modum?*] Ex perſona Judæi interrogantis dicitur: reſpondente Apoſtolo, *multum quidem ſecundum omnem modum.* Ideo autem multum intereſt: non quia circumciſionem in carne acceperunt, ſed quia credita ſunt illis eloquia Dei. Item reddit rationem, quod lex contemta non proſit: & quod carnalis circumciſionis prærogativa, nullis operibus fulta, ſit vana. Interrogat quid amplius habeat Judæus. Ex cujus perſona reſpondetur: *Multum per omnem modum.* Nam ſi ipſius ſenſus eſt: *multum per omnem modum: & omnis homo mendax:* quomodo poſtea contravenit, dicens: *Si autem iniquitas noſtra juſtitiam Dei commendat, quid dicimus? Numquid iniquus Deus? Abſit,* &c. Poſtremo, quomodo Judæos nihil amplius habere confirmat: ſi hic multum habere commemorat?

(g *Primum quidem: quia credita ſunt illis eloquia Dei.*] Hoc eſtis dicturi: primum, quod credita ſunt illis eloquia Dei: & gentibus nulla.

(h) *Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuavit? Abſit.*] Fidem promiſſorum, cum ſit dictum A- Gen. 12. brahæ: Quia in ſemine tuo benedicentur omnes gentes.

(i) *Eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax.*] Hic omnis pro maxima parte dicit, ſicut: *Om-* Phil. 2. *nes ſua quærunt.* Et: *Omnes me dereliquerunt. Lucas* 2 Tim. 4. *eſt mecum ſolus.*

(k) *Sicut ſcriptum eſt: Ut juſtificeris in ſermonibus tuis: & vincas cum judicaris.*] In pſalmo quinquageſimo. Hoc teſtimonium ita poſuit pars adverſa, quaſi diceret: Propterea ego peccavi, ut tu juſtus appareas, me judicando. Sed verus ſenſus ſic ſe habet: quia promiſerat ſe Deus ſine perſonarum acceptione in peccantibus vindicare, & quidam ejus patientiam mendacium judicabant: vincit cum judicaverit, quando eorum facta puniet: in quibus nemo putaverat vindicari. Aliter. Probaſti te curam de hominibus habere: qui per Prophetam mea abſcondita revelaſti, & viciſti eos qui te incurioſum humanorum actuum eſſe confingunt. Hucuſque objectio cucurrit: jam incipit Apoſtolus reſpondere.

(l) *Si autem iniquitas noſtra juſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus eſt Deus?*] Iniquum eſt, ſi in illis vindicat: qui ideo peccaverunt, ut illis juſtior appareret. Item non quod noſtra iniquitas addat juſtitiam Deo, ſed in tempore quando in judicium cum Deo venimus, non obſervantes præcepta ejus, promiſſionum retributionem fraudamus. Unde oſtenditur Deus verax: quia quæ promiſit ſanctis, peccatoribus non dat.

(m) *Qui infert iram.*] Ut in diluvio & Sodoma, ita in judicio.

(n) *Secundum hominem dico: Abſit.*] Secundum te, qui taliter ſentis. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? Qua juſtitia damnabit injuſtitiam: ſi, ſecundum te, humana iniquitate ſit juſtior.

(o) *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipſius.*] Hoc eſt, crevit.

(p) *Quid adhuc & ego?*] Hoc eſt, inſuper judicor ego quicunque mentior homo, qui laudari deberem, ſi meo mendacio, Dei veritas comprobatur.

(q) *Tanquam judicor peccator: & non ſic ut blaſphe-*

catot judicor? Et non ſicut blaſphemamur: & ſicut ajunt quidam nos dicere: [a] Faciamus mala, ut veniant bona. [b] Quorum damnatio juſta eſt. [c] Quid ergo? Præcellimus eos? Nequaquam. Cauſati enim ſumus, Judæos & Græcos, omnes ſub peccato eſſe. [d] Sicut ſcriptum eſt: Quia non eſt juſtus quiſquam: [e] non eſt intelligens: non eſt requirens Deum. [f] Omnes declinaverunt, [g] ſimul inutiles facti ſunt: non [h] eſt, qui faciat bonum: non eſt uſque ad unum. [i] Sepulcrum patens eſt guttur eorum: [k] linguis ſuis doloſe agebant: [l] venenum aſpidum ſub labiis [m] eorum. [n] Quorum os maledictione & [o] amaritudine plenum eſt: [p] veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. [q] Contritio & infelicitas in viis eorum: & viam pacis non cognoverunt: [r] non eſt timor Dei ante oculos eorum. [ſ] Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur: his qui in lege ſunt, loquitur. Ut [t] omne os obſtruatur: & [u] ſubditus fiat omnis mundus Deo: [w] quia ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo. Per [x] legem enim cognitio peccati. [y] Nunc autem ſine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt, [z] teſtificata à lege & Prophetis. [a] Juſtitia autem Dei per fidem

mamur: & ſicut ajunt quidam nos dicere.] Ut qui me ita judicat quaſi peccantem, & non ſicut quidam non ajunt dicere: quod quanto majora mala fecerimus, tanto majora bona recipiamus.

(a) *Faciamus mala, ut veniant bona.*] Hoc fortaſſis ideo putabant: quia non intellexerunt quod quidam dicebat: Ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit gratia. Rom 5.

(b) *Quorum damnatio juſta eſt.*] Quid juſtius, quàm ut hanc pœnam ſentiant, quam nos negare mentiti ſunt: qui nihil magis quàm juſtum Dei judicium prædicamus.

(c) *Quid ergo? Præcellimus eos? Nequaquam. Cauſati enim ſumus, Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe.*] Nos ex Judæis nullam, unde majores ſimus, invenio cauſam. Hoc enim inveſtigavit ratio, ſub peccato eſſe & Judæos & Græcos: quod non ratione ſola colligimus, ſed etiam de Judæis teſtimonio comprobamus. Item hoc oſtendit: quomodo Judæi licet legem & Prophetas haberent, nihil tamen amplius quàm gentes habeant: quia omnes ſimiliter peccaverunt, & egent gloria Dei.

(d *Sicut ſcriptum eſt: Quia non eſt juſtus quiſquam.*] In pſalmo tertiodecimo. Pſalmus iſte unde hoc teſtimonium ſumtum eſt, de inſipiente loquitur: quod teſtimonium in adventu Chriſti, præcipue oſtendit impletum, tempore ſcilicet paſſionis, quo nullus juſtus cum pateretur, puto inventus ſit.

(e) *Non eſt intelligens: non eſt requirens Deum.*] Qui non requirit fundamentum, neceſſe eſt ut declinet.

(f) *Omnes declinaverunt.*] Qui non intelligit, non requirit: ſeu ideo, non intelligit, quia non quærit. Deus autem tunc requiritur, cum ejus voluntas inquiritur: quia omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum: eo quod qui peccat, domini ſui non cognoſcit voluntatem. Nam & vulgò neſciri dicitur, cujus voluntas ignorata eſt.

(g) *Simul inutiles facti ſunt.*] Inutiles ad opus, ad quod fuerunt procreati.

(h) *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.*] Nec Apoſtolus. Item ſi non eſt qui faciat bonum, quomodo inferius, plebem ſuam arguit, devorantes, & inopum conſilium confundentes? Plebs enim Dei non erat, ſi bonum non faciebat: maxime cum juſta ibidem generatio appelletur. Hoc magis ad pſalmi expoſitionem pertinet, quàm ad Apoſtoli cauſam.

(i) *Sepulcrum patens eſt guttur eorum.*] Fœtore doctrinæ ſuæ & adulatione contaminans, & interficiens audientes. Ideo enim ſepulchrum diligenter clauditur, ne adhuc viventibus exhalatione ſua generet peſtem.

(k) *Linguis ſuis doloſe agebant.*] Aliud ore promittentes, aliud corde volutantes.

(l) *Venenum aſpidum.*] Horum ſerpentium peſſimum dicit eſſe venenum.

(m) *Sub labiis eorum.*] Hoc eſt, in corde.

(n) *Quorum os maledictione.*] Non eſt unius generis maledictio. Quicquid enim malo voto dicitur, ſine dubio male dicitur.

(o) *Et amaritudine plenum eſt.*] Amaritudo contraria eſt dulcedini verborum Dei.

(p) *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.*] Sive ſimpliciter homicidas dicit: ſive interficientes animas adulando. Unde in actibus Apoſtolorum dicit Paulus: *Mundus ſum ab omni ſanguine. Non enim ſubterfugi, quo minus vobis annunciarem omne conſilium Dei.* Act. 20.

(q) *Contritio & infelicitas in viis eorum: & viam pacis non cognoverunt.*] Conteruntur & infelices fiunt animæ in doctrinis eorum, vel in exemplis converſationis eorum.

(r) *Non eſt timor Dei ante oculos eorum.*] In timore Dei concluſit: qui ſi timorem Dei ſemper ante oculos habuiſſent, non utique deliquiſſent. Neque enim audet ſervus domino præſente peccare.

(ſ) *Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur: his qui in lege ſunt, loquitur.*] Ne dicerent, hæc in pſalmo de gentibus dicta, oſtendit quæ in lege dicta ſunt: his qui in lege ſunt, loqui. Quæritur ſanè, quomodo Judæi dixerunt Deum non eſſe. Non utique verbo dixerunt, ſed opere. Nam confitentur quidem ſe noſſe, factis autem negant. Ergo gentes hic non appellat: qui jam de illis talia dixerat in propria cauſa.

(t) *Ut omne os obſtruatur.*] Non ſolum gentium, ſed etiam Judæorum: dum non habent unde gloriari poſſint.

(u) *Et ſubditus fiat omnis mundus Deo.*] In confeſſione peccati.

(w) *Quia ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo.*] Modo non juſtificatur. Sive opera legis, circumciſionem dicit, ſabbatum, & cæteras cærimonias: quæ non tam ad juſtitiam, quam ad carnis lætitiam pertinebant. Item non contraria ſibi dicit Apoſtolus, ſuperius dicens: *Qui oſtendunt opus legis in cordibus ſuis*: Et nunc dixit: *Ex operibus legis non juſtificari omnem carnem.* Carnem accuſat, cujus prudentia legi Dei ſubjicere ſe non poteſt. Lex enim oſtendere novit peccatum: non tamen oſtendit qualiter debeat obſervari, & iterum punire noxis, non dans veniam pœnitenti: Chriſtus autem remiſſionem peccatorum donat credentibus, & docet quomodo debeant carnis vitia vitari, atque prudentia reſecari.

(x) *Per legem enim cognitio peccati.*] Non remiſſio eſt peccati, ſed cognitio. Ideo enim per legem quid ſit peccatum, agnoſcitur: quia aut in oblivione erat lex naturæ: aut ante legem litteræ, leviora quæque non cognoſcebantur eſſe peccata: id eſt, quæ aliis non nocebant: ut concupiſcentia, ebrietas, & cætera hujuſmodi.

(y) *Nunc autem ſine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt.*] Hoc eſt quod dicit: quia juſtitia, quæ in Chriſto manifeſtanda erat, in lege naturali non erat cognita. Teſtimonia autem legis Moyſi & Prophetarum, annunciatione prædicantur. Item ſine lege litteræ juſtitia manifeſtata: quæ nobis gratis à Deo donata eſt: non noſtro labore quæſita: & apertius per exempla Chriſti, evidentiora patefacta quæ latebant in lege.

(z) *Teſtificata à lege & Prophetis.*] Sive juſtitia hæc prædicata eſt à lege & Prophetis, in noviſſimis temporibus eſſe ventura: ſive cognitio peccati, à lege & Prophetis teſtimonium accepit.

(a) *Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes*

fidem Jeſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum. [a] Non enim eſt diſtinctio. [b] Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei. [c] Juſtificati gratis per gratiam ipſius, [d] per redemtionem quæ eſt in Chriſto Jeſu: [e] quem propoſuit Deus [f] propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ [g] propter remiſſionem præcedentium delictorum in [h] ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem juſtitiæ ejus in hoc tempore: [i] ut ſit ipſe juſtus & juſtificans eum, qui ex fide eſt Jeſu Chriſti. [k] Vbi eſt ergo gloriatio tua? Excluſa eſt. [l] Per quam legem? Factorum? [m] Non. Sed per legem fidei. [n] Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis. [o] An Judæorum Deus tantum? Nonne & gentium? [p] Imo & gentium. [q] Quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat [r] circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. [ſ] Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit. Sed legem ſtatuimus.

CAPUT IV.

[t] QUid ergo dicemus inveniſſe Abraham patrem [u] noſtrum [w] ſecundum carnem? [x] Si enim Abraham ex operibus legis juſtificatus eſt: [y] habet gloriam, ſed non apud Deum. [z] Quid

nes & ſuper omnes qui credunt in eum.] Juſtitia, qua creditur Chriſto.

(a) *Non enim eſt diſtinctio.*] Inter Judæum & Græcum.

(b) *Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei.*] Quia non habent ſuam.

(c) *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.*] Sine ulla operum actione per baptiſmum, quod omnibus non merentibus gratis peccata donavit.

(d) *Per redemtionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.*] Qua nos redemit ſanguine ſuo de morte: cui per peccatum venditi fueramus, ſecundum Eſaiam dicentem: *Peccatis veſtris venundati eſtis.* Quam mortem Chriſtus vicit, quia non peccavit. Omnes autem rei eramus mortis cui ſe ille indebite tradidit, ut nos ſuo ſanguine redimeret. Unde Propheta prædixerat: *Gratis venundati eſtis: & ſine pecunia redimemini.* Hoc eſt, quia nihil pro vobis accepiſtis, & Chriſti eſtis ſanguine redimendi. Simul illud notandum: quia redemit nos, non emit: quia ante per naturam ipſius fueramus, licet ſimus noſtris ab eo alienati delictis. Tunc ſanè fructuoſa erit redemtio noſtra, ſi peccare ceſſemus.

(e) *Quem propoſuit Deus.*] In promtu ante oculos omnium poſuit: ut qui redimi vult, accedat.

(f) *Propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem* &c.] Ut propitietur eis qui credunt ſe ejus ſanguine liberandos.

(g) *Propter remiſſionem præcedentium* &c.] Propterea paſſus eſt Chriſtus, ut propoſitum Dei ſedaret: quo tandem punire decreverat peccatores.

(h) *In ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem juſtitiæ* &c.] Vult oſtendere Deum quidem ad hoc exſpectaſſe, ut tandem ſe corrigerent delinquentes. Illos vero male uſos patientia Dei, in majora prolapſos eſſe peccata. Unde Job ille juſtiſſimus ſuo tempore ait de peccatore: *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ: & ille abutitur eo in ſuperbia.*

(i) *Ut ſit ipſe juſtus* &c.] Qui ſolus juſtus inventus eſt, & quem ipſe juſtificaverit: non ex operibus, ſed ex fide.

(k) *Ubi eſt ergo* &c.] Ad Judæum loquitur: ne glorieris te operibus meruiſſe juſtitiam. Item interrogatio Judæi eſt. Et reſpondetur ab Apoſtolo: *Excluſa eſt.* Item Judæus interrogat:

(l) *Per quam legem? Factorum?*] Id eſt, per naturalem. Opera legis refelluntur ab Apoſtolo.

(m) *Non. Sed* &c.] Per quam legem? Factorum? Non Subauditur, *eſt*, ſed per legem fidei. Legem, dicit ſtatum fidei terminum, hoc eſt, novum teſtamentum.

(n) *Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.*] Certi ſumus, vel judicamus. Abutuntur quidam hoc loco ad deſtructionem operum juſtitiæ, ſolam fidem poſſe ſufficere affirmantes: cum
1 Cor. 13. tamen alibi dicat Apoſtolus: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam: caritatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* In qua caritate, alio loco legis aſſerit plenitudinem contineri, dicens: *Plenitudo legis eſt caritas.* Quod ſi hæc eorum ſenſui videntur eſſe contraria: ſine quibus operibus legis, Apoſtolus juſtificari hominem per fidem dixiſſe credendus eſt? ſcilicet, circumciſionis vel ſabbati, & cæterorum hujuſmodi: non abſque juſtitiæ operibus: de quibus Beatus Jacobus dicit: *Fides ſine operibus mortua eſt:* hic Jacob. 2.
autem de illo dicit, qui ad Chriſtum veniens, ſola, cum primum credit, fide ſalvatur. Addendo autem, *operibus legis:* oſtendit eſſe etiam gratiæ opera.

(o) *An Judæorum Deus tantum? Nonne & gentium?*] Numquid Judæos ſolos Deus creavit, aut de illis ſolis curam gerit? Nam & gentes peccaverunt & vos, & ſi vos convertimini, & illi. Si vobis venit Chriſtus ex lege promiſſus; & illis. Nam & frequenter prophetæ etiam de Judæorum vocatione dixerunt.

(p) *Imo & gentium.*] Pulchro modum ſervavit in verbis. *Imo* dixit: ut oſtenderet magis gentes quamvis non erant circuncisi. Et Abraham ante circuncisionem juſtus. Et reddit rationem ne Judæos excludere videretur.

(q) *Quoniam quidem unus Deus qui juſtificat.*] Utrique uni Deo & uni Chriſto crediḋiſtis.

(r) *Circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.*] Ipſum eſt ex fide & per fidem: ſed uſus ſcripturarum hic eſt, ut in iiſdem cauſis mallent mutare quam repetere ſermonem, ſicut in Daniele ſcriptum eſt: *Propter Abraham ſervum tuum & Iſaac dilectum tuum, & Iſrael ſanctum tuum.*

(ſ) *Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit. Sed legem ſtatuimus.*] Non contraria ſibi Apoſtolus dicit, ſuperius aſſerens excluſam eſſe umbram & typum legis præſenti veritate: nunc autem infert approbare ſe legem in quo ipſe teſtimonium perhibet. Abraham, non ex operibus legis, ſed ex fide juſtificatus eſt. Item, legem ergo quæ circuncidi præcipit, ſuperfluam judicamus? Abſit. Imo ſtare faciamus, dum probamus verum eſſe quod dixit, legem legi, teſtamentum teſtamento, circumciſionem circumciſioni ſucceſſuram.

IN CAPUT IIII.

(t) QUid ergo dicemus inveniſſe Abraham.*] Revocavit illos ad caput circunciſionis: ut quod initio conſtiterit adhibeant in toto.

(u) *Patrem noſtrum.*] Patrem ſecundum carnis circumciſionem. Nam fides in mente conſiſtit.

(w) *Secundum carnem.*] Dicens *ſecundum carnem,* oſtendit traducem carnis eſſe, non animæ.

(x) *Si enim Abraham ex operibus legis juſtificatus eſt.*] Si ex eo quod ſe circumcidit, juſtificatus eſt, nihil illi Deus donavit, ſed ex ſe habuit gloriam. Aliter. Si juſſa perfecit, apud ſemetipſum habet gloriam, non apud Deum.

(y) *Habet gloriam, ſed non apud Deum.*] Dicens: *habet gloriam, ſed non apud Deum:* oſtendit eum ex operibus ſuis gloriam habere, & non ex Deo.

 (z) *Quid*

[a] Quid enim dicit ſcriptura? Credidit Abraham Deo: & [b] reputatum eſt illi ad juſtitiam. [c] Ei autem qui operatur: merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. [d] Ei vero qui non operatur: credenti autem in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam [e] ſecundum propoſitum gratiæ Dei: [f] ſicut & David dicit beatitudinem hominis [g] cui Deus accepto fert juſtitiam ſine operibus: [h] Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. [i] Beatitudo ergo hæc in circumciſione tantum manet: an etiam in præputio? [k] Dicimus enim: quia reputata eſt Abrahæ fides ad juſtitiam. [l] Quomodo ergo reputata eſt ei, in circumciſione, an in præputio? [m] Non in circumciſione, ſed in præputio. Et [n] ſignum accepit circumciſionis, [o] ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio. [p] Ut ſit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad juſtitiam: & ſit pater circumciſionis: non his tantum qui ſunt ex circumciſione, ſed & his qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ. [q] Non enim per legem promiſſio Abrahæ aut ſemini ejus [r] ut hæres eſſet mundi: ſed per juſtitiam fidei. Si [ſ] enim qui ex lege, hæredes ſunt, exinanita eſt fides: abolita eſt promiſſio. [t] Lex enim iram operatur. Ubi [u] enim non eſt lex, neque prævaricatio. Ideo ex fide ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini. Non ei qui ex lege eſt ſolum, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, qui eſt pater omnium noſtrum: ſicut ſcriptum eſt: Quia patrem multarum gentium poſui te, [w] ante Deum cui credidiſti: [x] qui vivificat mortuos: & [y] vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.

[z] Qui

(a) *Quid enim ſcriptura dicit: Credidit Abraham Deo.*] Tam magna fuit fides Abrahæ, ut priſtina ei peccata donarentur, & ſola præ omni juſtitia doceretur accepta: & tanto deinceps amore flagravit: ut ſuper omnia ſe opera præpararet.

(b) *Et reputatum eſt ei ad juſtitiam.*] Et ideo habet gloriam apud Deum, ſecundum quod lex probavit.

(c) *Ei autem qui operatur, merces non reputatur ad gratiam, ſed ſecundum debitum.*] Debitoris enim eſt facere quod jubetur: & niſi paruerit, damnatur: ſi autem fecerit, non habet gloriam: quia inutilis adhuc ſervus dicitur, qui nihil amplius quam præceptum eſt operatur. Aliter. Non illi gratis donatur juſtitia, ſed merces redditur operum priſtinorum.

(d) *Ei vero qui non operatur: credenti autem in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam.*] Convertentem impium, per ſolam fidem juſtificat Deus, non opera bona quæ non habuit. Alioquin per impietatis opera fuerat puniendus. Simul attende, quia non peccatorem dicit juſtificari per fidem, ſed impium: hoc eſt, nuper credentem aſſeruit.

(e) *Secundum propoſitum gratiæ Dei.*] Qui propoſuit gratis per ſolam fidem peccata dimittere.

(f) *Sicut & David dicit beatitudinem hominis.*] Magna beatitudo eſt ſine labore legis & pœnitentiæ Domini gratiam promereri: ſicut ſi quis aliquam dignitatem gratis accipiat.

(g) *Cui Deus accepto fert juſtitiam ſine operibus.*] Ad hoc fides prima ad juſtitiam reputatur, ut de præterito abſolvatur: & de præſenti juſtificetur: & ad futura fidei opera præparetur.

(h) *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* &c.] Quod pœnitetur, non tenetur: & quod tegitur, non apparet: & idcirco minime imputatur. Quidam dicunt remitti per baptiſmum, tegi laboribus pœnitentiæ, non imputari per martyrium. Alii autem dicunt, remiſſis per baptiſmum peccatis, augeri caritatem in Deo quæ operit multitudinem peccatorum: & deinceps non ſinit imputari, dum bonis quotidie operibus, mala præterita ſuperantur.

(i) *Beatitudo ergo hæc in circumciſione tantum manet: an etiam in præputio?*] Vult iſtam beatitudinem tribus temporibus aſſignare: naturæ, & circumciſionis, & Chriſtianitatis.

(k) *Dicimus enim: quia reputata eſt Abrahæ fides ad juſtitiam.*] Omnes enim confitemur & conſentimus: ut quod ratio de Abraham, invenerit hoc de cæteris obſervemus.

(l) *Quomodo ergo reputata eſt ei? in circumciſione, an in præputio?*] Videamus utrum circumciſio ex juſtitia, an juſtitia ex circumciſione ſit nata.

(m) *Non in circumciſione, ſed in præputio.*] Quia ante juſtus, quàm circumciſus.

(n) *Et ſignum accepit circumciſionis.*] Ne dicerent: ergo ſuperflue circumciſus eſt: ſignum ait eſſe juſtitiæ, non augmentum.

(o) *Signaculum juſtitiæ fidei quæ eſt in præputio.*] Signaculum accepit illius juſtitiæ, quam præputiati fides meruit. Perfecta enim fuit, ut ſignaculum mereretur. Semper enim res plena ſignatur. Sive ut oſtenderet: quod juſtus & fidelis eſſet, qui dolorem ſibi ex mandato Dei non dubitavit inferre. Non putetis ſuperfluum quod ab eſſentiarum Domino jubebatur: ſicut nec parricidium credidit impium, quod fons præceperat pietatis.

(p) *Ut ſit pater omnium credentium per præputium: ut reputetur & illis ad juſtitiam, & ſit pater circumciſionis: non his tantum qui ſunt ex circumciſione: ſed & his qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ.*] Ut omnes qui ex gentibus credunt, filii ſint Abrahæ: dum & illis ſola fides ad juſtitiam reputatur: Erunt & ipſi circumciſi, ſed corde. Sive quia in præputio juſtus fuit, ut eſſet incircumciſorum pater: & circumciſus juſtus permanſit, ut circumciſorum juſtorum fuerit pater.

(q) *Non enim per legem promiſſio Abrahæ aut ſemini ejus.*] Hic enim legem ipſam circumciſionem appellat: eo quod poſſit omne præceptum, lex intelligi.

(r) *Ut hæres eſſet mundi, ſed per juſtitiam fidei.*] Sive ut in ſemine ejus, quod eſt Chriſtus, benedicerentur omnes gentes: quæ illi in hæreditatem à Patre ſunt datæ. Sive ut cum eo recumbant gentes, in regno cœlorum.

(ſ) *Si enim qui ex lege, hæredes ſunt, exinanita eſt fides: abolita eſt promiſſio.*] Si illi ſoli, ut vos vultis, circumciſi hæredes ſunt: non implevit Deus promiſſum Abrahæ, ut pater eſſet multarum gentium: & ſi ita eſt, jam videbitur Deo ſine cauſa crediſſe.

(t) *Lex enim iram operatur.*] Quia injuſtis eſt poſita: & magis gravavit peccare volentes, quam abſolvit per ſcientiam cumulando delicta. Si enim cæci eſſetis, peccatum non haberetis.

(u) *Ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio: ideo ex fide* &c.] Cum ergo fides exinaniri non poſſit, nec promiſſio aboleri: non eſt ex lege hæreditas, ſed ex fide. Lex enim non donat peccata, ſed damnat: & ideo non poteſt omnes gentes filios facere Abrahæ: quia ſecundum quod omnes ſub peccato inventi ſunt, omnes erant utique puniendi. Fides autem dimiſſis per gratiam peccatis, omnes credentes filios efficit Abrahæ: ſive quia non eſt quod prævaricetur, ubi lex non eſt: ſive non eſt quod vindicetur, ubi lex neceſſaria non eſt.

(w) *Ante Deum cui credidiſti.*] Ante Deum qui pater eſt omnium credentium.

(x) *Qui vivificat mortuos.*] Hic mortuos ad generandum dicit, ut præſenti conveniat cauſæ.

(y) *Et vocat ea quæ ſunt.*] Quamvis & in principio vocaverit quæ non erant, & ſtatim eſſe cœperunt: tamen

[a] Qui contra ſpem in ſpe credidit: [b] ut fieret pater multarum gentium: ſecundum quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cœli, & tamquam arena maris. [c] Et non infirmatus eſt in fide: [d] nec conſideravit corpus ſuum emortuum: cum fere centum eſſet annorum, & emortuam vulvam Saræ. [e] In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide: [f] dans gloriam Deo, pleniſſime ſciens: quia quæcunque promiſit Deus, potens eſt & facere. [g] Ideo & reputatum eſt illi ad juſtitiam. [h] Non eſt autem ſcriptum tantum propter ipſum: quia reputatum eſt illi ad juſtitiam; ſed & propter nos quibus reputabitur, [i] credentibus in eum qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum à mortuis: [k] qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.

C A P U T V.

[l] JUſtificati igitur ex fide, [m] pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: [n] per quem & acceſſum habemus per fidem in gratiam iſtam [o] in qua ſtamus: [p] & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei: [q] Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus: ſcientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem: [r] probatio vero ſpem. Spes autem non confundit: [ſ] quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris [t] per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Ut quid [u] enim Chriſtus

men hic de filii deſperata conceptione ſignificat: quia jam non erant ei tempora generandi.

(a) *Qui contra ſpem in ſpe credidit.*] Contra ſpem naturæ eſt: ut centum annorum homo ex muliere æque jam feſſa, quæ etiam in juventute ſterilis fuiſſet: ſemen ſuum ſicut ſtellas cœli crederet eſſe futurum.

(b) *Ut fieret pater multarum gentium: ſecundum quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum.*] Qui nec unius filii jam per ſe eſſe poterat pater.

(c) *Et non infirmatus eſt in fide.*] Quæritur quomodo Abraham jam emortuo corpore, filios de Cetura generaverit, qui de Sara ante non potuit? Idcirco de Sara non genuit: qua & ſenex erat & ſterilis: in illa vero quaſi in juvene, curſu naturæ, facile potuit generare.

(d) *Nec conſideravit corpus ſuum emortuum: cum ferè centum eſſet annorum, & emortuam vulvam Saræ.*] Nihil naturæ conſiderat fides: quia omnipotentem novit eſſe qui dixit.

(e) *In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide.*] Nec de ſe, nec de ſenectutis impoſſibilitate, nec de promiſſionis magnitudine dubitavit.

(f) *Dans gloriam Deo, pleniſſime ſciens: quia quæcumque promiſit Deus, potens eſt & facere.*] Tamquam de præcepto gratias agens.

(g) *Ideo & reputatum eſt illi ad juſtitiam.*] Quia tam perfecte & firmiter credidit.

(h) *Non eſt autem ſcriptum tantum propter ipſum: quia reputatum* &c.] Non ut ejus ſolum fidem ſciremus, qua Domino placuit: quia ideo etiam tentatus eſt, ut & ipſe ſe noſſet, & nos ſequeremur.

(i) *Credentibus in eum qui ſuſcitavit Jeſum Dominum noſtrum à mortuis.*] Si tam perfecte crediderimus Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe: quomodo ille credidit corpus ſuum poſſe ad generandum vivificari jam mortuum.

(k) *Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.*] Qui morte ſua, noſtra pecata abolevit: & in ea qualitate qua mortuus eſt, neceſſario reſurgens apparuit: ut juſtitiam credentium confirmaret.

IN CAPUT V.

(l) *JUſtificati igitur ex fide.*] Pertractata cauſa quare nemo eorum ex operibus juſtificatus ſit, ſed omnes ex fide: quod exemplo Abrahæ probat, cujus ſe filios eſſe ſoli Judæi putabant: oſtendit ratione, quod non genus nec circumciſio, ſed fides faciat filios Abrahæ: qui ex ſola prima fide juſtificatus eſt. Qua ratione concluſa, pacem eos habere hortatur: quia nemo ſuo merito, ſed omnes æqualiter Dei gratia ſunt ſalvati.

(m) *Pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum* &c.] Vel ſubjecti ſimus utrique Deo: ſive pacem Dei, non tantum ſeculi habeamus.

(n) *Per quem & acceſſum habemus per fidem in gratia iſta.*] Per quem acceſſimus prope qui eramus longe.

(o) *In qua ſtamus.*] Qui ante jacebamus.

(p) *Et gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.*] Gloriamur nos ſperare filiorum Dei gloriam poſſeſſuros. Tantumque eſt quod ſperamus, quantum ex ſe nullus auderet, ne non ſpes, ſed blaſphemia putaretur: eo quod multis pro ſua magnitudine incredibile videatur.

(q) *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus: ſcientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem.*] Non ſolum in gloriæ ſpe, ſed etiam in ſaluberrimis tribulationibus gloriamur, magnitudinem præmii cognoſcentes: ſicut Jacobus ait: *Omne gaudium exiſtimate fratres*, & reliqua. Unde & gaudere debemus aliquid pati pro nomine Dei, ut acquiramus de tribulatione finienda præmium infinitum. Conſideratione enim præmii nullum poſſumus condignum æſtimare laborem. Nam & ſcimus homines propter aurum ultro ſe ad beſtias deputare: quod tameo in æternum non poterunt poſſidere: quanto magis nos exemplo Apoſtolorum in tribulationibus gaudere debemus? Quæ quidem cum ſint temporales, æternam ſalutem acquirunt: & à doloribus liberant ſempiternis. Cum multi propter ſpem parvæ ſalutis, & curam corporis, maximos ſuſtinuerunt cruciatus: nec tamen perfectam poſſunt conſequi ſanitatem. quæ etiam ſi provenerit, paulo poſt morte intercedente ſolvetur. Habemus ergo unde honeſte & ſine periculo gloriemur. Magna enim gloria eſt de imis ad ſumma creſcere: de nihilo ad maxima pervenire: de limo ad cœlum: & de ſervitute vocamur ad regnum: ſi tamen omni ſeculi gloria & jucunditate contemta, in illo ſolo quod nobis promittitur gloriemur. Quod & ſi feceritis, tale eſt, quale ſi quis nummo plumbeo contemto, gemmam regiam conſequatur: quamquam nec ſic ſit digna comparatio: quia quamvis hic precium diſtet, tamen manet utriuſque corruptio: ibi vero incorruptibilibus corrupta, & æternis caduca mutantur.

(r) *Probatio vero ſpem: ſpes autem non confundit.*] Spes futurorum omnem confuſionem expellit. Unde probatur non habere ſpem, qui præceptis confunditur Chriſti.

(ſ) *Quia caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.*] Magnitudo beneficiorum excitat in ſe magnitudinem caritatis: quæ perfecta confidit, & timere non novit. Item manifeſte hoc oſtendit: quia quæcumque hominibus a Deo Patre donantur, per Spiritum ſanctum tribuuntur.

(t) *Per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.*] Quomodo nos Deus diligat, ex hoc cognoſcimus: quia non ſolum nobis per Filii ſui mortem peccata dimiſit, ſed & Spiritum ſanctum nobis dedit, qui jam oſtendat gloriam futurorum.

(u) *Ut quid enim Chriſtus cum adhuc infirmi eſſemus.*]

ſtus, cum adhuc infirmi eſſemus, [a] ſecundum tempus, [b] pro impiis mortuus eſt? [c] Vix enim pro juſto quis moritur: [d] nam pro bono forſitan quis audeat mori. [e] Commendat autem caritatem ſuam Deus in nobis: [f] quoniam ſi, cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus [g] Chriſtus pro nobis mortuus eſt: multo igitur magis juſtificati nunc, in [h] ſanguine ipſius ſalvi erimus ab ira per ipſum. [i] Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus: [k] multo magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius. [l] Non ſolum autem, ſed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus. [m] Propterea ſicut, per unum hominem, in [n] hunc mundum peccatum intravit: & per peccatum, mors: [o] & ita in omnes homines mors pertranſiit: [p] in quo omnes peccaverunt. Uſque [q] ad legem enim peccatum erat in mundo. [r] Peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet: [ſ] ſed regnavit mors ab Adam, uſque ad Moyſen: [t] etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, [u] qui eſt

mus.] Ut quid indebite pro nobis mortuus eſt, niſi ut manifeſtaret ſuam caritatem: cum adhuc peccatorum & ſcelerum languoribus premeremur?

(a) *Secundum tempus.*] Secundum tempus infirmi, quo jam defecerat pene juſtitia. Sive quia ultimo tempore paſſus eſt Chriſtus: ſive ad tridui tempus, ut prædicebatur, eſt mortuus.

(b) *Pro impiis mortuus eſt.*] Vult oſtendere, quia pro impiis mortuus eſt: ut ex beneficiorum contemplatione ejus gratiam commendaret: & in mercato delicti, quantum eum debeamus diligere, demonſtraret: & tanto beneficio & ſancto, an aliquid præponendum ſit videremus: eum ille nobis impiis nec vitam ſuam præpoſuerit: ne neceſſariam nobis denegaret mortem.

(c) *Vix enim pro juſto quis moritur.*] Ideo pro juſto difficile moritur, quia juſtus non habet mori. Pro morituro enim forte moritur alter.

(d) *Nam pro bono forſitan* &c.] Bonus ipſe eſt, qui
Rom. 7. & juſtus. Dicit enim alibi: *Mandatum ſanctum, & juſtum & bonum.* Forſitan autem, hoc eſt, tam facile audeat, ne illi injuria fiat.

(e) *Commendat autem caritatem ſuam Deus in nobis.*] Amabilem facit, cum inſinuat quantum nos diligat: quando enim indebite aliquid præſtatur, tunc maxime caritas commendatur. Quid enim tam indebite, quam ut ſine peccato Dominus pro ſervis impiis moreretur: & univerſitatis conditor dignaretur apparere in homine contemni pro reparatione propriæ creaturæ.

(f) *Quoniam ſi cum adhuc peccatores eſſemus.*] Notandum quod plerumque Apoſtolus credentes jam in Chriſto fuiſſe peccatores, dicens: jam non eſſe ſignificat: ut qualiter ſe exhibere debeant, recognoſcant.

(g) *Chriſtus pro nobis mortuus eſt: multo igitur magis juſtificati nunc.*] Si peccatores tantum dilexit, quanto magis cuſtodiet juſtos?

(h) *In ſanguine ipſius ſalvi erimus ab ira per ipſum.*] Non animalium, ſicut in lege. Caveamus ergo, ne peccando eum pollutum dicamus, ſicut dicit ipſe Apoſtolus ad Hebræos.

(i) *Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus.*] Peccatore a inimici ſunt contemnendo: ſicut dicit Apoſtolus: *Scitis quia amicitia hujus mundi inimica eſt Deo.* Quicumque enim voluerit amicus eſſe ſeculi hujus, inimicus Dei cognoſcitur. Inimici ergo actibus, non natura. Reconciliati autem, quia conciliati naturaliter fueramus.

(k) *Multo magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius.*] Si per mortem Chriſti ſalvati ſumus: quanto magis in ejus glorificabimur vita, ſi eam fuerimus imitati?

(l) *Non ſolum autem, & ſed gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.*] Non ſolum nobis vita dabitur ſempiterna, ſed etiam quædam ſimilitudo per Chriſtum promittitur divinæ gloriæ: ſicut dicit Apoſtolus Joannes:
1 Joan. 3. Nondum apparuit quid erimus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus.

(m) * *Propterea ſicut per unum hominem.*] Si per unum hominem Evam, peccatum intravit in mundum: inſaniant qui dicunt: antequam deceperit Diabolus Evam, peccatum fuiſſe in mundo. Item hic oſtendere vult propterea Chriſtum paſſum: ut qui ſequentes Adam diſceſſeramus à Deo, per Chriſtum reconciliaremur Deo.

(n) *In hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum, mors.*] Exemplo, vel forma: Quomodo cum non eſſet peccatum, per Adam advenit: ita etiam cum penè apud nullum juſtitia remanſiſſet, per Chriſtum eſt revocata. Et quomodo per illius peccatum, mors intravit: ita & per hujus juſtitiam, vita eſt reparata: futura, non præſens.

(o) *Et ita in omnes homines mors pertranſiit.*] Dum ita peccant, & ſimiliter moriuntur. Non enim in Abra- Rom. 14.
ham, & Iſaac, & Jacob pertranſiit: de quibus dicit 2 Cor. 5.
Dominus: Omnes enim illi vivunt. Hic autem ideo dicit *omnes mortuos*: quia in multitudine peccatorum non excipientur pauci juſti, ſicut ibi: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Et omnis homo mendax.* Sive in eos omnes pertranſiit: qui humano, non cœleſti ritu vivebant. Item nunc Apoſtolus mortem animæ ſignificat: quia Adam prævaricans mortuus eſt: ſicut & Propheta dicit: *Anima quæ peccat, ipſa morietur.* Tranſivit enim & in omnes homines, qui naturalem legem prævaricati ſunt.

(p) *In quo omnes peccaverunt.*] Hoc eſt, in eo quod omnes peccaverunt exemplo Adæ peccant.

(q) *Uſque ad legem enim peccatum erat in mundo.*] Lex peccati vindex advenit: ante cujus adventum liberius vel præſeotis vitæ longitudine fruebantur. Erat quidem ante legem peccatum, ſed non ita putabatur eſſe peccatum: quia jam pene obliteratum fuerat in natura. Item dicens: *Uſque ad legem*, Moyſi ſignificat. Inferens autem, *peccatum non imputatur cum lex non eſt*: naturalem iterum oſtendit legem, per quam prævaricatus eſt Cain: & poſt ipſum qui naturalem legem prævaricati ſunt.

(r) *Peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet.*] Quomodo mors regnabat, ſi non imputabatur peccatum? niſi ſubaudias, in præſenti non imputabatur.

(ſ) *Sed regnavit mors ab Adam, uſque ad Moyſen.*] Sive dum non eſſet qui inter juſtum & injuſtum ante diſtingueret, putabat ſe omnibus dominari. Sive non ſolum in eos qui præceptum ſicut Adam tranſgreſſi ſunt: Hoc eſt de filiis Noe, quibus juſſum eſt, ne animam in ſanguine manducarent: Et de filiis Abrahæ, quibus circumciſio mandata eſt: ſed etiam in eos qui ſine præcepto legem contemſere naturæ.

(t) *Etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ.*] Hi ſunt qui non in ſimilitudinem prævaricationis Adæ peccaverunt: qui per naturalem legem transgreſſi ſunt: & non ſicut Adam per mandatum.

(u) *Qui eſt forma futuri.*] Sive ideo forma fuit Chriſti: quia ſicut Adam ſine coitu a Deo factus eſt: ita ille ex virgine Spiritu ſancto operante proceſſit. Quidam dicunt, forma e contrario, hoc eſt: ſicut ille peccati caput, ita & iſte juſtitiæ. Item forma Chriſti Adam factus eſt. Sicut enim Adam primus mandatum Dei prævaricans exemplum eſt, legem Dei prævaricare volentibus: ſic & Chriſtus voluntatem Patris complens, exemplum eſt imitari eum cupientibus.

* Hæc & ſequentia à *Caſſiodoro*, aut ab alio variè interpolata liquet ex citationibus *Auguſtini & Marii Mercatoris*, quas contulit cum interpolatione *Joan. Garnerius* Diſſert. VI. c. 2.

(g) *Nam*

eſt forma futuri. [a] Nam non ſicut delictum, ita & donum. Si [b] enim unius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit. [c] Et non ſicut per unum peccatum, ita & donum. Nam [d] judicium quidem ex uno in condemnationem: [e] gratia autem ex multis delictis in juſtificationem. Si [f] enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ & donationis & juſtitiæ, accipientes in vita, regnabunt per unum Jeſum Chriſtum. [g] Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ. [h] Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi. [i] Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum. Ubi [k] autem abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia. Ut [l] ſicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam: per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPUT VI.

Quid [m] ergo dicemus? Manebimus in peccato, ut gratia abundet? Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato: [n] quomodo adhuc vivemus in illo? An [o] ignoratis fratres: quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in [p] morte ipſius baptizati ſumus? [q] Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim [r] complantati facti ſumus

(a) *Nam non ſicut delictum, ita & donum.*] Ne in forma, æqualitas putaretur.

(b) *Si enim unius delicto, multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit.*] Hic manifeſte docet: quia non generaliter de omni homine dicit, dicens: *unius delicto, multi mortui ſunt:* quia communi & naturali morte, non ſolum peccantes, ſed & juſti moriuntur.

(c) *Et non ſicut per unum peccatum, ita & donum.*] Sed amplius.

(d) *Nam judicium quidem ex uno in condemnationem.*] Ex uno injuſto peccante, proceſſit judicium mortis.

(e) *Gratia autem ex multis delictis in juſtificationem.*] Quis non invenit Adam multam juſtitiam, quam ſuo exemplo deſtruet: Chriſtus autem, gratia ſua, multorum peccata diſſolvit. Et Adam ſolam formam fecit delicti: Chriſtus vero & gratis peccata remiſit: & juſtitiæ dedit exemplum.

(f) *Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ & donationis & juſtitiæ accipientes in vita, regnabunt per unum Jeſum Chriſtum.*] Quare multa peccata dimiſit, abundantia donationis ſpiritus ſancti: quia multa ſunt dona. Ipſa enim juſtitia donatur per baptiſmum, non ex merito poſſidetur.

(g) *Igitur ſicut per unius delictum, in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.*] Mors regnavit: ſubauditur, ita & per juſtificationem gratia regnavit. Itemque ſuperius dicit: *Numquid iniquus Deus qui infert iram?* Et adjecit: *Abſit:* quomodo poteſt unius delicto Adæ, omnes homines condemnare, cum nec unius Chriſti juſtitia, omnes homines juſtificati ſunt? *Omnes* autem dicens non generaliter dicit: ſed uniuſcujuſque partis ſignificat multitudinem. Alioquin inveniuntur omnes homines juſtificati in Chriſto, ſicut & in Adam condemnati: & non erit ultra qui puniatur.

(h) *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.*] Sicut exemplo inobedientiæ Adæ, peccaverunt multi: ita & Chriſti obedientia juſtificantur multi. Grande enim crimen inobedientiæ eſt, quod tantos occidit.

(i) *Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum.*] Quia naturalem legem habentes Hebræi & Scribæ acceperunt: propterea dicit: *ſubintravit.* Ipſi enim ad majorem mercedem accipientes legem, per ſuam negligentiam non cuſtodientes, in majus ceciderunt delictum: ne dicerent, ſed nobis lex peccatum dimiſit: non, inquit, venit dimittere, ſed demonſtrare delicta. Et dum ſcienter peccatur, cœpit abundare delictum: quaſi ſi diceret: ut video, lex peccatum non abſtulit: ſed adjecit: non tamen ſuo vitio, ſed illorum, *ſub intravit*, hoc eſt, ſubito intravit: & ita contigit ut abundaret delictum.

(k) *Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.*] Sicut ait Salvator: Cui plus dimittitur, amplius diligit. Manifeſtata eſt enim quantitas peccati ut Luc. 7.
ſciretur gratiæ magnitudo: & redderemus competens debitum charitatis.

(l) *Ut ſicut regnavit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.*] Sicut abundanter confirmatum eſt regnum peccati per contemtum legis: ita & regnum gratiæ confirmetur per multorum remiſſionem peccatorum: & indeſinentem deinceps juſtitiæ actionem.

IN CAPUT VI.

Quid ergo dicemus? *Manebimus in peccato ut gratia abundet? Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato.*] Ne non intelligentes dicerent: Si gratia creſcit in magnitudine delictorum, peccare debemus ut poſſit magis ac magis gratia abundare. Abſit. Ego de illis dico quos ita fides invenit, non de nobis qui jam mortui ſumus peccato ut gratiæ viveremus.

(n) *Quomodo adhuc vivemus in illo.*] Vult tam firmum eſſe baptizatum, tamque perfectum.

(o) *An ignoratis.*] Aut numquid neſcitis ipſum ſacramentum baptiſmatis?

(p) *Quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu.*] Tribus modis baptiſmum accipitur in ſcripturis: Aquæ & ſpiritus ſancti, qui & ignis appellatus eſt: & ſanguinis in martyrio: de quo Salvator dicebat: *Baptiſmo habeo baptizari.*

(q) *In morte ipſius baptizati ſumus.*] Ut illi commoriamur in baptiſmo. Luc. 12.

(r) *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*] Oſtendit nos propterea ita baptizari, ut per myſterium conſepeliamur Chriſto, criminibus morientes, & renunciantes priſtinæ vitæ: ut quomodo pater glorificatur in filii reſurrectione: ita & per noſtræ converſationis novitatem ab omnibus honoretur: ut ne ſigna quidem veteris hominis agnoſcantur in nobis. Nec enim aliquid velle aut cupere debent, quod volunt aut cupiunt qui nondum ſunt baptizati, & quicumque adhuc veteris vitæ erroribus implicantur.

(ſ) *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini.*] Si conſepulti ſumus nunc, & tunc reſurrectionis ejus poterimus eſſe participes: & ſi fuerimus novi & immutati in converſatione ſimiliter novi & immutati erimus in gloria.

mus (a) Hoc

mus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus. [a] Hoc ſcientes: qua vetus homo noſter [b] ſimul crucifixus eſt, ut [c] deſtruatur corpus peccati: ut ultra non ſerviamus peccato. [d] Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt a peccato. Si [e] autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul etiam vivemus cum illo. [f] Scientes quod Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur. [g] Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel. [h] Quod autem vivit, vivit Deo. Ita & [i] vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato; viventes autem Deo, in Chriſto Jeſu. Non [k] ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus. Sed neque [l] exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed [m] exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes: & [n] membra veſtra arma juſtitiæ Deo. [o] Peccatum enim vobis non dominabitur. [p] Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia. [q] Quid ergo? Peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub [r] gratia? Abſit. An [ſ] neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum: ſervi eſtis ejus cui obediſtis: ſive peccati ad mortem: ſive obeditionis ad juſtitiam. [t] Gratias autem Deo quod fuiſtis ſervi peccati: obediſtis [v] autem ex corde in eam formam doctrinæ in qua traditi eſtis. [w] Liberati autem a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ. [x] Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ. [y] Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. [z] Cum enim ſervi eſſetis peccati, li-

beri

(a) *Hoc ſcientes quia vetus homo noſter.*] Qui veterem hominem terrenum Adam imitando peccabant.

(b) *Simul crucifixus eſt.*] Per baptiſmum te crucifixum intellige, qui membrum de corpore ejus effectus es. Et ille quidem in noxium corpus appendit, ut tu noxium ſuſpendas a vitiis: in quo myſterio Moyſes ſerpentem æneum in deſerto ſuſpendit.

(c) *Ut deſtruatur corpus peccati:* &c.] Hoc eſt, ut omnia vitia deſtruantur: quia unum vitium, membrum eſt peccati: omnia, corpus totum. Chriſtus non ex parte, ſed integer eſt crucifixus. Sive ut corpus noſtrum deſtruatur a ſervitute peccati: & fiat juſtitiæ
Joan. 8. mancipium quod ſolebat eſſe delicti. Omnis enim qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.

(d) *Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt a peccato.*] Hoc eſt, alienatus eſt a peccato. Mortuus enim omnino non peccat. Ita & qui natus eſt de Deo, non peccat. Crucifixus enim omnibus membris dolore occupatis, peccare vix poterit.

(e) *Si autem mortui ſumus cum Chriſto: credimus quia ſimul etiam vivemus cum illo.*] Si commortui non ſumus, nec convivemus: quia ejus non ſumus membra.

(f) *Scientes quod Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur. Mors illi ultra non dominabitur.*] Ita & nos ſi hic voluntate mortui fuerimus: ſecundam non timebimus mortem. Sive jam non poteſtis iterum baptizari: quia Chriſtus non poteſt pro vobis iterum
Heb. 6. crucifigi: ſicut dicit ad Hebræos: *Impoſſibile eſt eos qui ſemel illuminati ſunt* &c. Quibus non pœnitentiam negat: ſed iterationem baptiſmi diffitetur.

(g) *Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel.*] Quia ipſe peccata noſtra portavit, & pro nobis doluit, ne de cætero peccaremus.

(h) *Quod autem vivit, vivit Deo.*] Vivit in gloria Deitatis.

(i) *Ita & vos exiſtimate, nos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu.*] Quaſi membra ejus ſemel vos ſcitote commortuos debere jam ſemper vivere Deo in Chriſto: in quo vita noſtra abſcondita eſt apud Deum quem induti, ejus ſequamur exemplum.

(k) *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore: ut obediatis concupiſcentiis ejus.*] In corpore mortali, vivite ut immortales. Et quomodo regnet peccatum in corpore, expoſuit: per obedientiam, ſcilicet, & conſenſum.

(l) *Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato.*] Unumquodque membrum ſi officium ſuum in malos uſus verterit, arma iniquitatis efficitur ad juſtitiam expugnandam. Simul notandum, quod homo membra ſua cui velit parti exhibeat, per arbitrii libertatem.

(m) *Sed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes.*] Tamquam qui jam reſurrexiſtis: quia tunc nec carnaliter vivitur nec peccato.

(n) *Et membra veſtra arma juſ.* &c.] Ut oculus qui ante videbat ad concupiſcendum: nunc videat nudum ad veſtiendum. Sic de reliquis membris adverte.

(o) *Peccatum enim vobis non dominabitur.*] Non vos vincet peccatum. Non enim eſtis parvuli ſed perfecti: quaſi pædagogus puero, noli facere vitium ſermonis. Non enim adhuc audis grammaticum, ſed oratorem: ſive non debet dominari. Item non quia impoſſibile ſit peccare his qui gratiam acceperunt: Deo dicit, peccatum in vobis non dominabitur.

(p) *Non enim ſub lege eſtis.*] Sed bene ſciens quia hi qui ſub gratia ſunt, alieni ſunt a multis & a diverſis præceptis legis, & ab oneribus ejus, quæ data eſt propter duritiam cordis Judæorum: ut eſt illud:
Leproſam domum deſtruere & longe a civitate in locum immundum projicere. Levit. 14.
Qui enim participes ſunt Chriſti gratiæ, didicerunt quemadmodum oportet vincere paſſiones: & Deum diligere ac proximum ſuum: ſicut ſcriptum eſt: *Non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia:* Deut. 6.
gratiam vincendi & doctrinæ præbuit exemplum.

(q) *Quid ergo? Peccabimus: quoniam non ſumus* &c.] Ne dicerent: Ergo ceſſante vindicta legis, impune peccamus.

(r) *Sed ſub gratia? Abſit.*] Si peccatis, ſub gratia non eſtis.

(ſ) *An neſcitis, quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum: ſervi eſtis ejus cui obediſtis: ſive peccati ad mortem: ſive obeditionis ad juſtitiam.*] Si volueritis peccatis ſervire, incipietis ſententiæ legis ſubjacere, quæ vindicat in peccatores: ſi autem juſtitiæ obedientis, non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.

(t) *Gratias autem Deo quod fuiſtis ſervi peccati.*] *Fuiſtis*, inquit, ſed non eſtis.

(v) *Obediſtis autem ex corde in ea forma doctrinæ in qua traditi eſtis.*] Ex corde dicit, hoc eſt fideliter.

(w) *Liberati autem a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.*] In doctrina & exemplo Chriſti: qui non ſolum peccata, ſed etiam occaſiones auferre docuit delictorum.

(x) *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ.*] Humanum dico: quia nondum ad plenum poteſtis audire divinum. Cum enim multo magis debetis ſervire juſtitiæ quam peccato cui ante ſerviſtis: ego tamen concedo infirmitati veſtræ ut tantum juſtitiæ ſerviatis. Sive ita: humana jam ratione digna loquor, quod omnes mecum ſentire poſſent, & nullus abnuere.

(y) *Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire &c.*] Quia quicquid anima carnaliter gerit, carnaliter deputatur: ſi autem caro ſpirituale opus faciat, totus homo efficitur ſpiritualis: ut eſt illud: Corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Nos exhibuimus membra noſtra ſervire peccato: non ſicut Mani- Sap. 9.
chæi dicunt: naturam corporis inſertum habere peccatum.

(z) *Cum enim ſervi eſſetis peccati, liberi juſtitiæ.*] Hoc eſt in nullo ei penitus ſervientes: ita nunc liberi eſtote ab omni peccato.

(a) *Quem*

beri fuiſtis juſtitiæ. [a] Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. [b] Nunc vero liberati à peccato: ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam. [c] Stipendia enim peccati mors: [d] gratia autem Dei, vita æterna, in Chriſto [e] Jeſu Domino noſtro.

C A P U T. VII.

AN [f] ignoratis, fratres: ſcientibus enim legem loquor: [g] quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit. [h] Nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi. Si autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri. [i] Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro. [k] Itaque, fratres mei, & vos mortificati eſtis legi [l] per corpus Chriſti, ut ſitis alterius: qui ex mortuis reſurrexit ut fructificetis Deo. [m] Cum enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut [n] fructificarent morti. [o] Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis in qua detinebamur: [p] ita ut ſerviamus in novitate ſpiritus, & [q] non in vetuſtate litteræ. [r] Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? [ſ] Abſit. Sed peccatum non cognovi, niſi per legem. [t] Nam con-

(a) *Quem ergo fructum habuiſtis* &c.] Nullus ſine dubio fructus eſt in ea re, quæ per pœnitentiam erubeſcitur. Omnis enim qui cognoſcit bonitatem, in priſtinis actibus erubeſcit: quicumque erubeſcit juſtitiam, fructum ejus ignorat. Ergo qui peccant, nec in præſenti aliquem fructum habent: & mortem perpetuam in futuro percipient. Qui vero ſerviunt Domino, & in præſenti fructum habent donum Spiritus ſancti: & in futuro vitam æternam. Aliter. Qualem fructum in actione illius rei habuiſtis: in cujus etiam recordatione verecundia eſt?

(b) *Nunc vero liberati à peccato, ſervi autem facti Deo: habetis fructum veſtrum in ſanctificatione: finem vero vitam æternam.*] Hoc ipſum ideo fructus eſt, quod vivetis ſanctificati per baptiſmum.

(c) *Stipendia peccati mors.*] Qui peccato militat, remunerationem accipit mortem. Item præmium quod offert ad deceptionem noſtram: hoc mors eſt.

(d) *Gratia autem Dei vita æterna.*] Non dixit ſimiliter, ſtipendia juſtitiæ: quia non eſt antequam remuneratur in nobis. Non enim noſtro labore quæſita eſt, ſed Dei munere condonata.

(e) *In Chriſto Jeſu Domino noſtro.*] Eſt ſive gratia, ſive vita.

IN CAPUT VII.

(f) *AN ignoratis, fratres: ſcientibus enim legem loquor.*] Hic incipit difficultatem legis oſtendere, ut illos hortetur ad gratiam ſine ejus timore tranſire.

(g) *Quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit.*] Homo: ſive lex homini.

(h) *Nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi: Si autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri.*] Comparatione legis, mandatum virum appellat: ut oſtendat legem ſine effectu vindictæ quaſi mortuam, nobis jam mortificatis impedire non poſſe: quo minus ex integro ad Chriſtum qui reſurrexit à mortuis tranſeamus: qui merito nobis viveret, ſi inveniſſet quod punire poſſet in nobis.

(i) *Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.*] Quamdiu vivit vir, tamdiu illi ſecuodum ejus ſolius neceſſe eſt vivere voluntatem: cum autem illo mortuo, alii viro mulier fuerit copulata, jam non illi ſecundum prioris viri conſuetudinem eſt vivendum.

(k) *Itaque, fratres mei, & vos mortificati eſtis legi.*] Noluit juxta comparationem, legem illis dicere mortuam: ſed quod verbis eis dicere non audebat, intellectui dereliquit.

(l) *Per corpus Chriſti, ut ſitis alterius viri, qui ex mortuis reſurrexi, ut fructificetis Deo.*] Commoriendo Chriſto, qui damnavit peccatum in caroe.

(m) *Cum enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris.*] Cum eſſemus in carnali converſatione, paſſio concupiſcentiæ operabatur in oculis, & in cæteris membris cæteræ paſſiones: quæ tamen per legem oſtendebantur eſſe peccata. Item in carne eſt, qui voluntate carnis ducitur: & legi Dei obedire prohibetur: quia non poteſt duobus dominis ſervire. Nunc autem gratia Spiritûs ſancti, docti paſſiones vincere, in carne noo ſumus: quia mortui ſumus legi, quæ doctrinam gratiæ non continet.

(n) *Ut fructificarent morti.*] Ut nos legis ſeveritas interficeret.

(o) *Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis in qua detinebamur.*] Morientes peccato, in quo detinebamur à lege.

(p) *Ita ut ſerviamus in novitate ſpiritus.*] Spiritualis gratiæ præceptis & non litteræ legis. Item ſervitus nova eſt, non diligere mundum, neque ea quæ ſunt in mundo: & carnis curam non facere in concupiſcentiis. Lex enim bona terræ promittens, nutrire novit amatorum carnis deſideria. Juſte hic diſcipuli Jeſu legi mortui ſunt, quoniam mundo abrenunciaverunt.

(q) *Et non in vetuſtatem litteræ.*] Nunc ſcriptæ & naturalis legis facit mentionem: quia ſcripta lex & naturalem continet. Infert autem dicens: *Nam concupiſcentiam neſciebam niſi per legem.* Perſonam juvenis ſumit, oſtendere volens: quia quamdiu ſumus infantes, omnino quid ſit concupiſcentia ignoramus. Cum autem creſcere cœperimus, initium accipit concupiſcentia quæ à lege prohibita eſt, in noſtram pervenire notitiam, cum jam poſſimus diſcernere bonum & malum.

(r) *Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt?*] Quia ab ea ſemper mortem dixerat eſſe ſolutam. Item exhinc vult oſtendere: quoniam non cuſtodiendo legem, non fuit legis infirmitas, ſed humanæ voluntatis. Dicendo autem: *Peccatum non cognovi niſi per legem:* perſonam pueri aſſumit, qui per ætatis infirmitatem legi obnoxius non eſt: ſed ubi adoleverit, ſub lege eſſe incipit & mandata cognoſcere.

(ſ) *Abſit.*] Contra Manichæos. Quod ſi dixerint, timuit ſcandalum: ſemper ergo timuit, & numquam contra legem locutus eſt. Unde ergo vos audiſtis, quod ille non fecit?

(t) *Sed peccatum non cognovi niſi per legem.*] Hic in perſona ejus hominis loquitur qui legem accipit: id eſt, qui primum Dei mandata cognoſcit: cum conſuetudinem habet delinquendi.

(u) *Nam concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret: Non concupiſces.*] Non dixit: non habebam aut non faciebam, ſed neſciebam: hoc eſt, neſciebam concupiſcentiam eſſe peccatum. Item ſicut lumen in tenebris vel offen-

concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. [a] Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me [b] omnem concupiſcentiam. [c] Sine lege enim [d] peccatum mortuum erat. [e] Ego autem vivebam ſine lege aliquando. [f] Sed cum veniſſet mandatum, [g] peccatum revixit. [h] Ego autem mortuus ſum, & [i] inventum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. [k] Nam peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me: & per illud occidit. Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum & juſtum & bonum. [l] Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. [m] Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem, ut [n] fiat ſupra modum peccans [o] peccatum, per mandatum. [p] Scimus enim quia lex ſpiritualis eſt: [q] ego autem carnalis ſum, [r] venumdatus ſub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odio malum, illud facio. [ſ] Si autem quod nolo illud facio: conſentio legi, quoniam bona eſt. [t] Nunc autem jam non

offendiculum vel foveam oſtendit: ſimiliter & lex præcavendum & obſervandum eſſe à peccatis facit notitiam peccatorum, & per hoc legem ſanctam & bonam eſſe dicimus.

(a) *Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me.*] Hic peccatum Diabolum appellat: ſicut in Apocalypſi nominatur: ſcilicet, auctor peccati. Dicit ergo occaſionem mandati: quod excuſationem ignorantiæ abſtulit. Gravius enim facit quam ante peccare: ſicut omnis invidus tunc magis occaſionem nocendi amplectitur: quando aliquid committitur ei cui ille molitur inſidias.

(b) *Omnem concupiſcentiam.*] Quæ fuerat lege prohibita.

(c) *Sine lege enim.*] Penè lex in oblivione erat naturalis, quæ ſuggerebat quid ſit peccatum: idcirco lex literæ ſuperducta eſt: ut commoneret oblitos. Item ſi cum lex non eſſet, peccatum mortuum eſt; inſaniunt * qui de Adam per traducem aſſerunt ad nos venire peccatum. Propterea hic dicit peccatum mortuum eſt: quia in infantibus qui ſine lege ſunt, non vivit: id eſt impune committitur. Nam maledicente infante parentibus videtur eſſe peccatum, non tamen vivum, ſed mortuum.

(d) *Peccatum mortuum eſt.*] Puer licet peccet, mortuum eſt in eo peccatum: quia non eſt legi ſubjectus.

(e) *Ego autem vivebam ſine lege aliquando.*] Quaſi juſtum & liberum vivere me putabam: ſive in præſenti vivebam. Item, cum autem puer eſſem, legi obnoxius non eram.

(f) *Sed cum veniſſet mandatum.*] In fine oblivionis recognitum eſt peccatum, adveniente mandato: ut omnis qui illud fecerit, mortuum ſe eſſe cognoſcat.

(g) *Peccatum revixit.*] Ubi adolevi & cœpi eſſe ſub lege, & delictum, quod cum eſſem puer, per ignorantiam erat in me mortuum, revixit in me lege dominante. Ita ergo, inquit, mandatum quod erat ad vitam datum, hoc mihi in morte inventum eſt, pueritiæ conſuetudine & more peccandi. Item, quia vixerat per naturalem ſcientiam, & mortuum fuerat per oblivionem, ideo dicitur revixiſſe per legem.

(h) *Ego autem mortuus ſum.*] Quia ſciens prævaricavi.

(i) *Et inventum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.*] Quod cuſtoditum proficiebat ad vitam, neglectum duxit ad mortem. Item pœnam mortem dicit, quam nobis peccatum per deceptionem ſuam acquiſivit: oſtendens temporalia & terrena quæ putantur eſſe bona: & legem prævaricare ſuadens, quæ vitam æternam facientibus repromittit.

(k) *Nam peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum & juſtum & bonum.*] Contra impugnatores legis, & contra eos qui juſtitiam à bonitate ſecernunt: lex & ſancta & bona dicitur & juſta.
Matth. 5. *Niſi*, inquit, *abundaverit juſtitia veſtra.* Sed & Deus
Joan. 17. nonnumquam in veteri inſtrumento bonus, & in novo dicitur juſtus. *Pater juſte*, ait Dominus. Contra Marcionitas hic locus facit.

(l) *Quod ergo bonum eſt mihi factum eſt mors? Abſit.*] Non mihi ipſa cauſa mortis exſtitit, ſed ego qui peccando invenio mortem.

(m) *Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum eſt mortem.*] Per bonum legis revelatur peccatum & ab ipſa punitur. Item vult oſtendere qualiter infantis qui ante ſine lege erat, cum cœperit adoleſcere, & à parentibus nihilominus prohiberi, peccatum incipiat apparere. Apparet autem cum illud vitare didicerit. Ipſum enim peccatum ſi in proficiente ætate, non ſolum non abſcinditur, ſed augetur, ſupra modum peccans efficitur, dum jam veniam non meretur.

(n) *Ut fiat ſupra modum peccans.*] Ante legem modum habebat per ignorantiam: ſupra modum eſt cum ſcienter admittitur. Item hoc dicit: quoniam peccatum cum per ætatem obnoxium non erat adoleſcenti ætati: dominante ſibi lege commiſſi reputatur in culpam: factum eſt ultra modum peccatum.

(o) *Peccatum per mandatum.*] Nunc ex perſona ejus qui ætatem legitimam habet, ſermo profertur. Qui enim dicit: *Quia lex ſpiritualis eſt*: ſeipſum condemnat propria voluntate peccante. Unde adjecit: *Ego autem carnalis ſum, venumdatus ſub peccato*: ut oſtendat, qui cum eſſet liber, ipſe ſe venumdedit peccato. Quid enim iterum dicit; Quod enim operor, non intelligo, hoc eſt nolens diſcernere nocere, volens noceo. Alieno deſiderio, in eis fraudare non optans: hoc enim oſtendit, dicens: *Non enim quod volo ago*: hoc eſt, mihi bonum fieri, *ſed quod odi illud facio*: ſimiliter intelligitur, mihi malum fieri. Si enim quod nolo mihi malum fieri, hoc facio: conſentio legi, quia bona eſt: præcipiens quod tibi fieri non vis, alii non feceris.

(p) *Scimus enim quod lex ſpiritualis eſt.*] Quæ ſpiritualia mandat.

(q) *Ego autem carnalis ſum.*] Ego quamcunque legem accipio, & carnaliter vivere conſuevi.

(r) *Venumdatus ſub peccato. Quod enim operor non intelligo &c.*] Propoſito peccato, ut ſi conſilium ejus accepero, ipſius ſervus efficiar, ſponte memet ipſum ſubjiciens: etiam quaſi inebriatus conſuetudine peccatorum ignoro quid facio. *Quod enim operor, non intelligo.* Sive ita pronunciandum: ego non intelligo malum eſſe quod invitus admitto, cum malum nolo facere quod committo: utique cum lege ſentio: quæ mala & non vult & prohibet. Poteſt autem & intelligi: Si pecco, legis ſeveritati meipſum ſubjicio. Item invenitur peccare qui voluntati carnis inſervit.

(ſ) *Si autem quod nolo illud facio &c.*] Si ea quæ lex præcepit contraria voluntati carnis, cuſtodire voluero, ſecundum carnem quod nolo, illud facio: ſecundum vero voluntatem ſpiritus, legi Dei ſpirituali atque bonæ convenio.

(t) *Nunc autem jam non ego operor illud.*] Ante conſuetudinem ergo libens ego ipſe faciebam. Item dicens; *Jam non ego operor illud*: oſtendit quia non eſt hominis rationalis, irrationalium animalium ritu vivere. Inferens autem, quod *habitat in me peccatum*: docuit quia totum ſe tradiderit paſſionibus carnis, quæ Deo ſunt inimicæ.

* Nemo dubitet quin purum putum hoc ſit *Pelagii* dogma, quod ſanè miror Interpolatorum manus fugiſſe.

(a) *Sed*

non ego operor illud, [a] ſed quod habitat in me peccatum. [b] Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum. [c] Nam velle adjacet mihi: [d] perficere autem bonum non invenio. [e] Non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago. [f] Si autem quod nolo illud facio: jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. [g] Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum: [h] quoniam mihi malum adjacet. [i] Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem. [k] Video autem aliam legem in membris meis [l] repugnantem legi mentis meæ: [m] & captivantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis. [n] Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis hujus? [o] Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. [p] Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei: [q] carne autem legi peccati.

CAPUT VIII.

[r] Nihil ergo nunc damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundum carnem ambulant. [ſ] Lex enim Spiritus vitæ, in Chriſto Jeſu, [t] liberavit me à lege peccati & mortis. [u] Nam quod impoſſibile erat legi, in [w] quo infirmabatur per carnem: [x] Deus Filium ſuum mittens in [y] ſimilitudinem carnis peccati, [z] & de peccato damnavit peccatum in

(a) *Sed quod habitat in me peccatum.*] Habitat quaſi hoſpes, & quaſi aliud in alio: non quaſi unum: ut accidentia, ſcilicet, non naturalia.

(b) *Scio enim quia non habitat in me: hoc eſt, in carne mea bonum.*] Non dicit: Non eſt caro mea bona. Item hoc ex perſona ejus dicitur, qui peccandi conſuetudinem habet, & carnis vitiis tenetur obnoxius.

(c) *Nam velle adjacet mihi.*] Eſt voluntas, ſed non eſt effectus: quia carnalis conſuetudo voluntati reſiſtit. Item voluntas carnis amatur magis quam Dei. Ideo dicit: velle adjacet mihi, ut id quod mihi bonum fieri volo non perficiam proximo: nam quod odi pati, illud facio.

(d) *Perficere autem bonum non invenio.*] Non video facere.

(e) *Non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago.*] Sicut verbi gratia, ſi quis jam devorare conſuevit, etiam cum non optat incurrit.

(f) *Si autem quod nolo illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.*] Non ego qui invitus, ſed conſuetudo peccati: quam tamen neceſſitatem mihi ipſe paravi.

(g) *Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum.*] Si ego volo, invenio mihi legem bonum facere contra adjacens malum. Item hoc eſt quod ait, ſecundum animæ voluntatem bonum velle ſe facere: adjacere ſibi malum, juxta deſideria carnis.

(h) *Quoniam mihi malum adjacet.*] Quod dicit: Quoniam mihi malum adjacet: oſtendit quia non per neceſſitatem peccat: ſed propria voluntate ducitur ad peccatum, cum vult eſſe carnis amator.

(i) *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem.*] Conſentio legi ſecundum mentem. Item interior homo noſter rationalis & intelligibilis, eſt anima quæ conſentit legi Dei. Lex enim ejus eſt rationabiliter vivere: & non duci irrationabilium animalium paſſionibus. Exterior vero, eſt corpus noſtrum. Ejus autem lex prudentia carnis eſt: quæ docet edere & potare, & cæteris uti luxuriis, quæ repugnant rationi. Et ſi ſuperaverint, legi peccati ſubjiciunt. Sic enim ita eſt ſicut quidam æſtimant: quia quod nolumus hoc facimus.

(k) *Video autem legem* &c.] Deſideria conſueta, vel perſuaſionem inimici.

(l) *Repugnantem* &c.] Conſcientiæ ſcilicet naturali, vel legi divinæ quæ in mente conſiſtit.

(m) *Et captivantem me in lege peccati quæ eſt* &c.] In conſuetudinem delictorum.

(n) *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore* &c.] Ego qui ſic detineor, quis me liberabit de conſuetudine mortifera corporali?

(o) *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.*] Admirabiliter intuit, dicens: *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum:* quia quæ Moyſes & naturalis lex non docuit: hæc docuit Dominus noſter Jeſus Chriſtus: contemnere mundum & ſuperare vitia. Unde beatus Apoſtolus hoc docet: dicens: *Qui autem Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Item, *quem lex non potuit liberare:* numquid non Paulus nondum erat Dei gratia liberatus? Unde probatur: quia ex alterius perſona hæc loquitur.

(p) *Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei.*] Recapitulat ut concludat: & rurſum in perſona ejus qui ſub lege erat, hæc loquitur.

(q) *Carne autem legi* &c.] Homo carnalis duplex eſt quodammodo & in ſemetipſo diviſus.

IN CAPUT VIII.

(r) *Nihil ergo nunc damnationis* &c.] Hic Apoſtolus, nihil in illis damnatione dignum eſſe ait, qui carnis opera crucifixerunt.

(ſ) *Lex enim Spiritus* &c.] Notandum quia gratiam legem appellat.

(t) *Liberavit me à lege* &c.] Quæ mortificat peccatores.

(u) *Nam quod impoſſibile erat legi.*] Hic oſtendit quoniam lex, per infirmitatem carnis, non poterat impleri. In eo autem in quo dicit: *Deus cum Filium ſuum miſiſſet in ſimilitudinem carnis peccati:* & propter peccatum miſiſſe demonſtrat, quoniam ante incarnationem erat filius: & ſuſcepta poſtea carne quæ ad peccandum eſſet proclivior, ipſe tamen abſque peccato eam ſuſceperit. Et idcirco dicitur *in ſimilitudinem carnis peccati* ſuſcepta carne veniſſe: & peccatum in eadem carne damnaſſe: quoniam carnem quam ſuſceperat innoxiam ſervaverit ab omni contagione peccati. Item legem dicit non præcepta ſacrificiorum, & cætera quæ erant umbra, uſque ad tempus Chriſti data: ſed illam quam & Dominus noſter Jeſus Chriſtus docuit, dicens: *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines: ſic & vos facite illis. Iſta eſt enim lex & prophetæ.* Matth. 7. Infirma enim erat qua nos volebamus. Non enim impoſſibilia mandata. Unde Filius Dei formam ſervi accipiens, factus eſt homo, ut peccatum damnaret in carne, & nos inſtrueret quemadmodum oporteat peccatum damnare in carne, ut juſtificatio legis impleatur in nobis.

(w) *In quo infirmabatur* &c.] In illis infirmabatur non in ſe.

(x) *Deus Filium ſuum mittens.*] Contra Photinum qui negat Filium ante carnem.

(y) *In ſimilitudinem carnis peccati.*] Dicens in ſimilitudinem carnis peccati, oſtendit eum eamdem quidem carnem: ſed abſque peccato portaſſe. Item hic ſimilitudo veritatem habet: ſicut Adam genuit ad ſimilitudinem ſuam. Similem ergo cæteris hominibus carnem Dominus Deus noſter Jeſus Chriſtus aſſumſit.

(z) *Et de peccato damnavit* &c.] Quaſi ſi dicas de hoſte expugnavit hoſtem. Sive, ſicut hoſtias quæ pro peccato offerebantur in lege, peccati nomine vocabant, cum ipſi

 delicta

In carne, [a] ut juſtificatio legis impleretur in nobis: [b] qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum Spiritum. Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt: qui vero ſecundum Spiritum ſunt, quæ ſunt Spiritus ſentiunt. [c] Nam prudentia carnis mors eſt: prudentia autem Spiritus vita, & pax. [d] Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo. Legi enim Dei non eſt ſubjecta: [e] nec enim poteſt. [f] Qui autem in carne ſunt, [g] Deo placere non poſſunt. [h] Vos autem in carne non eſtis, ſed in Spiritu, ſi tamen [i] Spiritus Dei habitat in vobis. [k] Si quis autem Spititum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. [l] Si autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum: [m] Spiritus vero vivit propter juſtificationem. [n] Quod ſi Spiritus ejus qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. [o] Ergo, fratres, debitores ſumus non carni ut ſecundum carnem vivamus. [p] Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini. [q] Si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. [r] Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. [ſ] Non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum Dei: [t] in quo clamamus, Abba Pater. [u] Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro

quod

delicta neſcirent, ſicut ſcriptum eſt: *Et imponent manus ſuper caput peccati ſui:* Sic & Chriſti caro, quæ pro peccatis noſtris oblata eſt, peccati nomen accepit. Quidam autem dicunt quod peccato Judæorum quod Dominum occiderunt, peccatum diaboli quod hoſtem deceperat per hominem condemnarit, ſicut ad Hebræos dicit: *Ut per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium.* Sive de illius carnis ſubſtantia quæ ante ſerviebat peccato, vicit numquam peccando peccatum: & in eadem carne damnavit peccatum ut oſtenderet voluntatem eſſe in crimine, non naturam, quæ talis a Deo facta eſt, ut poſſit non peccare ſi velit. Hebr. 2.

(a) *Ut juſtificatio legis impleretur* &c.] Ut quod in illis repugnante carnali conſuetudine implere non potuit, in nobis ſaltem impleatur qui exemplo Chriſti mortificabimus carnem.

(b) *Qui non ſecundum carnem ambulamus* &c.] Homo ex ſpiritu & carne conſtructus eſt. Quando ergo carnalia agit, totus caro dicitur: quando vero ſpiritualia, totus ſpiritus appellatur. Unaquæque enim ſubſtantia, cum eamdem altera in ſuam ditionem redigit: & vim quodammodo propriam & nomen amittit. Nam ſingulæ cognata ſibi & vicioa deſiderant.

(c) *Nam prudentia* &c.] Notandum quia non caro mors, ſed prudentia. Ejus autem mortem dicens: æternam pœnam ſignificat. Item ipſe alibi dicit: prudentiam humanam eſſe, malo vicem referre. Talis ergo prudentia mortem parit tranſgrediendo præceptum. Spiritus vero prudentiæ, in præſenti pacem habet, & non reddendo vicem, & vitam in futuro. Prudentia vero a providendo eſt appellata.

(d) *Quoniam prudentia carnis* &c.] Non ipſa caro, ut Manichæi dicunt, ſed ſenſus carnalis inimicus eſt Deo. Omne enim non ſubjectum, inimicum eſt: & quicumque ſe voluerit vindicare, etiam veteris legis nonnumquam modum excedit.

(e) *Nec enim poteſt.*] Impoſſibile dixit: ut vel ſic eos a carnis concupiſcentiis revocaret.

(f) *Qui autem in carne ſunt.*] Hic probatur quia ſuperius non carnem, ſed opera accuſaverat carnis: quia quibus hoc dicitur, utique in carne vivebant.

(g) *Deo placere* &c.] Fieri enim non poteſt ut carni deditus, aliquando non peccet.

(h) *Vos autem in carne* &c.] Hoc eſt, in ſpiritualibus operibus occupati.

(i) *Si tamen ſpiritus* &c.] Hic oſtendit, quoniam Spiritus ſanctus Patris & Filii ſit. Item in illo Spiritus Dei habitat in quo ejus apparent fructus, ſicut ait ad Galatas: *Fructus autem ſpiritus eſt, caritas, gaudium* &c.

(k) *Si quis autem Spiritum Chriſti* &c.] Spiritus Chriſti eſt humilitas & patientia: omniumque virtutum eſt: qui dilexit inimicos & pro eis oravit.

(l) *Si autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum.*) Si Chriſtum imitamini, carnalis ſenſus quaſi mortuus non reſiſtit. Unde & David ajebat: *Ego tamquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum* &c. Pſal. 37.

(m) *Spiritus vero vivit propter juſtificationem.*) Nunc Spiritum noſtrum ſignificat: qui propter juſtitiam ſuam vita appellatur, quaſi juſtificans corpus, beata illa æterna vita. Item Spiritus vivit ut juſtitiam operetur. Non enim hoc ſolum quæritur, ut a carnalibus ceſſemus, ſed etiam ut ſpiritualia faciamus.

(n) *Quod ſi Spiritus ejus qui ſuſcitavit Jeſum a mortuis, habitat in vobis* &c.] Si tamen purificati ut in nobis ſpiritus ſanctus habitare dignetur: non patitur Deus templum Spiritus interire: ſed quomodo Jeſum a mortuis ſuſcitavit: ita & corpora veſtra reſtaurabit.

(o) *Ergo, fratres, debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus.*] Hoc totum agit, ut oſtendat eis legem non eſſe neceſſariam: quæ carnalibus data eſt. Item manifeſte nunc oſtendit: quia non de communi & naturali morte ſuperius fecerit mentionem, dicens:

(p) *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini.*] Significat autem mortem pœnæ æternæ. Non enim quia caro humana mala ſit, & ſpiritus bonus, laudat ſpiritum & vituperat carnem: cum ipſe doceat, dicens: *Et virgo cogitat quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu.* Novit enim & mentem accuſare, dicens: *Homines corrupti mente:* hoc enim dicit, oſtendere volens maximam partem paſſionum, deſideria humani corporis eſſe, quod cum cæteris irrationalibus commune habemus. Sicut enim cætera animalia de terra habent nativitatem: ita & nos corpus. Anima autem noſtra ſpiritus eſt incorporeus & rationalis & immortalis. *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini.*] Secundum rationem expoſitam: carnales homines juſtitiam cuſtodire non poſſunt. 1. Cor. 7.

(q) *Si autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*] Spiritualibus actionibus, carnis opera ſubjeceritis. Notandum ſane opera carnis, non ſubſtantiam accuſare.

(r) *Quicumque autem ſpiritu Dei aguntur: hi filii Dei ſunt.*] Quicumque merentur ſancto Spiritu gubernari: Sicut e contrario: qui peccant, ſpiritu diaboli aguntur ab initio peccatore. Item quicumque ſecundum doctrinam Spiritus ſancti vivunt: ipſi ſunt qui Spiritu Dei aguntur.

(ſ) *Non enim accepiſtis ſpiritum* &c.] Notandum eſt, quia Judæi etſi filii Dei erant, tamen cum eſſent ſub lege velut ſub pædagogo agentes, ſpiritum timoris habebant. Item Judæi acceperunt ſpiritum qui illos ad ſervitutem cogeret per timorem. Timere enim ſervorum eſt: diligere filiorum, ſicut ſcriptum eſt: Servus dominum ſuum timebit: & filius diliget patrem ſuum. Illi ergo qui operari caritatis voluntate nolebant: timoris neceſſitate cogebantur. Nos vero omnia voluntarie operemur: ut filios nos omnes probemus, non ſervos timoris. Item vos Romani in adoptionem filiorum vocati eſtis, non ſicut Judæi qui ſubditi legis imperio in ſervitute tenebantur.

(t) *In quo clamamus Abba Pater.*] Qui vocat patrem, filium ſe eſſe profitetur. Debet ergo patri in moribus ſimilis inveniri: ne nomine quoque in vacuum uſurpato, majori pœnæ ſubjaceat.

(u) *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddet ſpiritui noſtro quod ſumus filii Dei.*] Teſtimonium adoptionis eſt quod habemus Spiritum per quem ita oramus. Tantam enim arram accipere non poterant niſi filii.

(x) Si

quod ſumus filii Dei. [a] Si autem filii: & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, [b] ſi tamen compatimur ut [c] glorificemur. [d] Exiſtimo enim quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis [e] ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. [f] Nam exſpectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exſpectat. [g] Vanitati enim creatura [h] ſubjecta eſt, [i] non volens, ſed propter eum qui ſubjecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. [k] Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit & parturit uſque adhuc. [l] Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias Spiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, [m] exſpectantes redemtionem corporis noſtri. Spe enim ſalvi facti ſumus. [n] Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes. Nam quod videt quis, quid ſperat? [o] Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam exſpectamus. [p] Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram. [q] Nam quid oremus ſicut oportet neſcimus: [r] ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus. [ſ] Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus: [t] quia ſecundum Deum poſtulat pro

(a) *Si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei &c.*] Qui meretur eſſe filius, meretur effici hæres Patris & veri Filii cohæres.

(b) *Si tamen compatimur.*] Si talia patimur cum neceſſe fuerit pro nomine ejus: qualia pertulit ille pro nobis.

1. Joan. 3. (c) *Ut & glorificemur.*] Sicut Joannes ait: *Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus.*

(d) *Exiſtimo enim quod non ſunt &c.*] Hic vult futuram gloriam commendare, ut præſentes preſſuras facilius toleremus. Ex revera nihil poſſet homo condignum pati gloriæ cœleſti: etiamſi talis eſſet illa qualis modo eſt vita. Quidquid enim paſſus fuerit a morte, plus non eſt quam etiam peccatis ſuis antea merebatur. Nunc autem & peccata donantur: & tunc vita æterna præſtabitur, conſortium Angelorum, ſplendor ſolis, & cætera quæ ſanctis legimus repromiſſa.

(e) *Ad futuram gloriam quæ revelabitur &c.*] Modo enim abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: & nondum apparuit quid erimus: quod Dominus repromiſit ſanctis.

(f) *Nam exſpectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei &c.*] Diverſi hunc locum, diverſis modis exponunt. Sive omnis creatura reſurrectionis tempus exſpectat: quia tunc in melius commutabitur, ſive angelica, 1. Pet. 1. ſive rationalis creatura. Petrus enim dicit, etiam angelos *gloriam deſiderare* ſanctorum. Quidam etiam ſic dicunt. Adam & Evam eſſe creaturam, quos olim ſerpens a ſpe divinitatis vanitati ſubjectos, corruptioni effecerit deſervire. non ex ſemetipſis peccantes, ſed ſerpentis inſtigatione & conſilio. Ex ipſi, inquiunt, liberabuntur, ut jam non corruptioni deſerviant. Omnem autem creaturam dicunt eſſe, quicumque uſque ad adventum Chriſti juſti fuerunt. quia & ipſi nondum accipientes exſpectant, *Deo pro nobis aliquid melius providente.* Non ſolum autem illi. ſed & nos ipſi in quibus completa ſunt, necdum tenemus, ſed in ſpe ſuſtinemus. quamvis quæ multi videre juſti cupierunt, viderimus. Item dicens: *Si tamen compatimur ut & glorificemur*, & inferens: *Exſpectatio creaturæ*, de rationali creatura ſermonem fecit: & non, ſicut quidam exiſtimant, de irrationali, vel inſenſibili, quæ ad ſervitutem hominum creata eſt, & poſt hæc peritura, quando ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cœli cadent ſuper terram: & tunc erit novum cœlum & nova tempora. Creatura autem Adam eſt & Eva quæ adhuc exſpectat ſe a Deo recipere adoptionem.

(g) *Vanitati enim creatura.*] Vanitas eſt omne quod quandoque finitur. Item vanitas eſt prævaricatio: cui ſubjecta Eva, non propria voluntate, ſed a ſerpente decepta, ſpe illa qua audierat: *Et eritis quaſi dii, ſcientes bonum & malum.* Servitus autem eſt corruptionis quam audivit Adam: *Terra es & in terram* Gen. 3. *ibis.* In reſurrectione recepturi ſunt incorruptionem filiorum Dei.

(h) *Subjecta eſt.*] Si Angeli hominibus miniſtrant.

(i) *Non volens, ſed propter eum &c.*] Jam non ſerviet eis qui Dei imaginem corruperunt.

(k) *Scimus enim quod omnis creatura &c.*] Sicut gaudent Angeli ſuper pœnitentes: ita dolent ſuper converti nolentes. Item nunc communem creaturam nominat, poſt Adam & Evam, juſtos qui fuerunt uſque ad tempus Chriſti: qui & ipſi Adæ & Evæ qui dicuntur creatura ſimul congemiſcunt, recipere deſiderantes præmia virtutum quæ Dominus promiſit eis.

(l) *Non ſolum autem illa &c.*] Non ſolum Angeli qui benigniores nobis ſunt de hujuſmodi dolent, ſed etiam nos qui jam Spiritum ſanctum habemus, de talibus ingemiſcimus, ſicut & Hieremias ingemiſcens ajebat. *Heu mihi anima quia periit a terra reverens:* & reliqua. Item dicens: *Non ſolum autem illa, ſed &* Hier. *nos ipſi primitias ſpiritus habentes:* manifeſte edocuit: quia non de irrationali vel inſenſibili creatura ſermonem fecerit, quæ non participat Spiritum ſanctum, ſed de ſanctis dicit qui Deo placuerunt naturali lege, ſimiliter & Moyſi: Diſcipuli autem Chriſti *primitias* dicuntur habere *Spiritus*, id eſt, prima & præclara chariſmata, per quæ ditaverunt omnem terram. Non enim tanta fuit gratia ante legem & in lege Moyſi. Et quod priores ſint diſcipuli Chriſti, Hebræis ſcribens docet: *Sed & hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem Deo pro nobis melius aliquid providente: ut ne ſine nobis conſummarentur.*

(m) *Exſpectantes redemtionem corporis &c.*] Nondum rem ipſam promiſſam percepimus, ſed ſperamus, ſicut ad Corinthios ait: *Per fidem enim ambulamus, & non* 2. Cor. 5. *per ſpeciem.*

(n) *Spes autem quæ videtur non eſt ſpes &c.*] Quod videtur, non ſperatur: ſed ſi proprium eſt, poſſidetur. Nulla enim ſpes in rebus viſibilibus eſt Chriſtianis. Non enim nobis præſentia promiſſa ſunt, ſed futura.

(o) *Si autem quod non videmus ſperamus &c.*] Ideo fides per patientiam grandis eſt præmii: quia quod non videt credit: & quaſi jam acceperit, ita ſecura eſt de nondum acceptis, ſicut ait ad Hebræos: *Patien-* Heb. 10. *tia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportetis repromiſſionem.* Spes enim ſine patientia eſſe non novit.

(p) *Similiter autem & Spiritus adjuvat &c.*] Secundum hanc ſpem adjuvat. ut non terrena, ſed cœleſtia poſtulemus. Infirma enim eſt noſtra poſſibilitas, niſi doctrina ſancti Spiritus adjuvetur.

(q) *Nam quid oremus &c.*] Quia adhuc per ſpeculum videmus. Frequenter obſunt, quæ prodeſſe putamus: & ideo nobis poſtulata minime conceduntur proviſione divina, ſicut & ipſe alibi ait: *Propter quod* 2. Cor. 12. *ter Dominum, ut diſcederet a me*, & reliqua. Aliter. Difficile orationis noſtræ deſiderium ſecundum quod corde concepimus, exprimere vix voce valemus: unde ſubſecutus eſt.

(r) *Sed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis &c.*] Deus ergo qui ſcrutatur corda, etſi ſermone comprehendere non ſufficimus: novit in quantum modo credere cupiamus. Scit tamen quia pro ſanctis rebus, non pro ſecularibus poſtulamus ſecundum ipſius voluntatem.

(ſ) *Qui autem ſcrutatur &c.*] Quaſi ſummus ſacerdos.

(t) *Quia ſecundum Dominum poſtulat pro ſanctis.*] Hic gratiam Spiritus, ſpiritum nominavit, ſicut alibi dicit: *Si oravero lingua, ſpiritus meus orat: & æmulato-* 1. Cor. 14. *res eſtis ſpirituum.* Poſtulat autem: quia poſtulare nos facit gemitibus, qui enarrari non poſſunt: ſicut tentare nos dicitur Deus ut ſciat, hoc eſt, ut ſcire nos faciat quales ſimus. Sed & hoc commune quod Do-

pro ſanctis. [a] Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his [b] qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſcivit & [c] prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui: [d] ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. [e] Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & magnificavit. [f] Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? [g] Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, [h] quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? [i] Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat. Quis eſt qui condemnet? [k] Chriſtus Jeſus qui mortuus eſt: imo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei: [l] qui etiam interpellat pro nobis. [m] Quis ergo nos ſeparabit à caritate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? Sicut ſcriptum eſt: [n] Quia propter te mortificamur tota die: [o] æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis. [p] Sed in his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos. [q] Certus ſum enim: quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, [r] neque creatura alia poterit nos ſeparare à caritate Dei [ſ] quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

C A-

minus fieri jubet, ipſe dicitur operari: ut ille ædificavit domum, aut ille codicem fecit: cum nec ipſe ſcripſerit, nec ille conſtruxerit. Item gratiam Spiritus, nominat ſpiritum: qui docet nos pro nobis Domino
Eſa. 11. poſtulare, ſicut Eſaias dicit: *Spiritus ſapientiæ & ſcientiæ & intellectus.* Et Corinthiis ſcribens dicit:
1. Cor. 14. *Sic & vos quoniam æmulatores eſtis ſpirituum, ad ædificationem eccleſiæ quærite ut abundetis.*

(a) *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*] Omnia quæcumque fecerimus vel paſſi fuerimus propter dilectionem Dei, omnia nobis ad mercedem creſcunt. Omnia enim quæcumque juſtus fecerit, proſperabuntur.

(b) *His qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſcivit.*] Secundum quod propoſuit ſola fide ſalvare * quos præſciverat credituros: & quos gratis vocavit ad ſalutem, multo magis glorificabit ad ſalutem operantes.

(c) *Et prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui.*] Prædeſtinare idem eſt quod præſcire. Ergo quos prævidit conformes futuros in vita, voluit ut fierent conformes in gloria. *Qui transformavit corpus humilitatis noſtræ, conforme corpori claritatis ſuæ.*

(d) *Ut ſit ipſe primogenitus in fratribus.*] Primogenitus ex mortuis in gloriam. Item hic ſecundum quod homo factus eſt, ſecundum † gratiam quæ in eo erat filius Dei, primogenitus interpellat pro nobis, non quaſi Deus interpellat, ſed quaſi ſummus ſacerdos.

(e) *Quos autem prædeſtinavit* &c.] Quos præſcivit credituros, hos vocavit. Vocatio autem volentes colligit, non invitos. Aut certe diſcretio non in perſonis, ſed in tempore eſt. Hoc ideo dicit, propter fidei inimicos: ne fortuitam Dei gratiam judicarent. Ergo vocantur per prædicationem ut credant: credentes juſtificentur per baptiſmum: glorificentur in virtutibus gratiarum.

(f) *Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?*] Vult oſtendere quod nemo poſſit impedire eos qui diligentes Deum, diliguntur a Deo: quo minus gloriam quæ promiſſa eſt, conſequantur: eo quod perfecta quæ in illis eſt caritas, omnem cauſam mortalis timoris foras expellat.

(g) *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit: ſed pro nobis omnibus tradidit illum.*] Præmiſit *tradidit*, ut tradentibus maneret libertas arbitrii: & nobis patientiæ monſtraretur exemplum. Quod dicit, *pro omnibus*, notandum quia non pro aliquantis.

(h) *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*] Quid poteſt habere carius, quod nobis neget, qui Filium non negavit?

(i) *Quis accuſabit adverſus* &c.] Quos Deus elegit credentes, ac ſignis & virtutibus juſtos oſtendit: quis pro priſtinis audebit accuſare delictis, vel pro contemtu legalium mandatorum?

(k) *Chriſtus Jeſus qui mortuus eſt*, &c.] Secundum aſſumti hominis loquitur formam: qui mortuus eſt & reſurrexit.

(l) *Qui etiam interpellat pro nobis.*] Ut cum ipſo ſimus, ubi ipſe eſt. Solent plane Ariani ex interpellationis cauſa, movere calumniam, dicentes: quod qui interpellatur, interpellante ſit major. Quibus reſpondendum eſt, Deum oblivionem non pati, ut pro ipſis commoneatur ſemper quos ipſe elegit: ſed in hoc interpellare eum dicitur, dum ſemper Patri hominem quem ſuſcepit, quaſi noſtrum pignus oſtendit: & offert ut verus pontifex & æternus.

(m) *Quis ergo nos ſeparabit a caritate Chriſti? Tribulatio* &c.] Poſt tanta & præclara beneficia vel promiſſa: quæ poterit tam gravis eſſe preſſura, quæ nos ab ejus caritate divellat? & dicendo omnes docet tales eſſe debere: qui a Chriſto nec periculis debeant ſeparari. Tunc vero Judæi volebant illos a Chriſto ita ſeparare, ut ad legis eos cuſtodiam revocarent.

(n) *Quia propter te mortificamur tota die.*] Non propter aliquod crimen, ſed propter te, qui dixiſti: *Beati eritis cum perſequentur vos* &c.

(o) *Aeſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.*] Hoc in nobis Chriſtianis maxime impletur: quibus non licet noſmetipſos defendere, ſed exemplo Domini & magiſtri: qui ſicut ovis ad victimam ductus eſt, omnia illata patientiſſime tolerare.

(p) *Sed in his omnibus ſuperamus* &c.] Has omnes tribulationes pro nihilo ducimus, propter eum qui nos tantum dilexit, ut etiam moreretur pro nobis. Et quando pro ejus nomine morimur, tunc maxime triumphamus: præſertim cum leve ſit pro ſe pati, quod pro aliis Chriſtus Dominus pati dignatus eſt.

(q) *Certus ſum enim: quia* &c.] Pro certo confido: quia nec ſi mihi quis mortem minetur, nec ſi vitam promittat: nec ſi ſe Angelum dicat à Domino deſtinatum, nec ſi ſe Angelorum principem mentiatur: nec ſi in præſenti honorem conferat, neque ſi polliceatur gloriam futurorum: neque ſi virtutes operetur: nec ſi cœlum promittat: & inferno deterreat: vel profunditatem ſcientiæ ſuadere conetur, unquam nos poterit à Chriſti ſecernere caritate.

(r) *Neque creatura alia poterit* &c.] Omnem penè creaturam nominavit: & non fuit his contentus niſi addiderit, ut etiamſi ſit alia creatura: nec ipſa valeat ſeparare.

(ſ) *Quæ eſt in Chriſto Jeſu* &c.] Deum diligit in Chriſto, cujus dilectio conſiſtit in cuſtodia mandatorum, ſicut ipſe ait: *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* Nec non imitationem amoris ſui in fraterna caritate conſtituit, dicens: In hoc cognoſcent homines: quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilexeritis invicem. Et Joannes ait: *Si fratrem quem vides, non diligis: Deum quem* 1. Joan. 4.
non vides, quomodo potes diligere?

* Hoc quoque Pelagianum eſt, aut certè Semi-pelagianum, ſi modò ullum fuerit diſcrimen, non in verbis ſed in rebus poſitum, inter *Pelagium* & eos qui Semi-pelagiani dicti ſunt.

† Gratiam intelligit dona inuſitata à Deo in naturam Chriſti humanam effuſa; propter quæ Chriſtus, etiam homo, filius Dei dici queat. Vide Joan. VIII, 36.

C A-

CAPUT. IX.

[a] VEritatem dico in Chriſto Jeſu: non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto: quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. [b] Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto, pro fratribus meis: qui ſunt cognati mei ſecundum carnem [c] qui ſunt Iſraëlitæ: quorum adoptio eſt filiorum, & [d] gloria & teſtamentum & legiſlatio & [e] obſequium & promiſſa: [f] quorum patres, [g] ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſupra omnia Deus benedictus in ſecula, Amen. [h] Non autem quod exciderit verbum Dei. [i] Non enim omnes qui ex circumcinone ſunt Iſraël, hi ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii: [k] ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen: [l] id eſt, non qui filii carnis, hi filii Dei: ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine. [m] Promiſſionis enim verbum hoc eſt: [n] Secundum hoc tempus veniam: & erit Saræ filius. [o] Non ſolum autem illa, [p] ſed & Rebecca ex uno concubitu habens Iſaac patris noſtri. [q] Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali: ut ſecundum electio-

IN CAPUT IX.

(a) VEritatem dico in Chriſto Jeſu &c.] Contra Judæos acturus, primum illis ſatisfacit: non ſe odii cauſa hæc dicere, ſed amoris: eo quod doleat illos non credere Chriſtum: ad quos primum ſalvandos advenerat. Quod autem dicit: ſe in Chriſto dicere veritatem, oſtendit hominem baptizatum: qui per communicationem corporis & ſanguinis Chriſti in ipſo manet, & ipſe in illo: quidquid vel facit vel loquitur, in Chriſto eum loqui vel agere, cujus eſt membrum. Et quidquid ei illatum injuriæ fuerit, Chriſto ſimiliter irrogari. Nam quod ait: Conſcientiam ſibi in hac parte teſtimonium perhibere. illum docet veritatem diſcere, cujus conſcientiam in omnibus atteſtatur. Nec eum mendacii reum, interna accuſatione, conſtituit. Item Apoſtolus ſe triſtem dicit valde pro fratribus ſuis ſecundum carnem, qui dicit nullum nos ſeparare à caritate Chriſti: ſciens ſe quando perſecutor erat & optabat ſe anathema eſſe à Chriſto, vocatum a Chriſto ſecundum ejus miſericordiam: & volebat eos credere, & eamdem miſericordiam promereri.

(b) *Optabam enim ego* &c.] Optabam aliquando cum perſequerer Chriſtum, non modo optarem: ſciebam quod ipſorum eſſent hæc omnia. Sed poſtquam cognovi veritatem, dereliqui eos quos taliter diligebam, & ipſi nondum convertuntur.

(c) *Qui ſunt Iſraelitæ* &c.] De ipſis enim dicebat:
Exod. 4. Filius meus primogenitus Iſrael.

(d) *Et gloria & teſtamentum & legiſlatio.*] Veteris latio, & novi promiſſio.

(e) *Et obſequium* &c.] Hoc eſt miniſterium Angelorum, vel Prophetarum.

(f) *Quorum patres.*] Abraham, Iſaac, & Jacob.

(g) *Ex quibus eſt Chriſtus* &c.] Contra Manichæum, Photinum, & Arium: quia & ex Judæis eſt ſecundum carnem, & Deus benedictus in ſæcula: ſicut &
Joan. 20. Thomas adorat & dicit: *Deus meus, Deus meus.* Quod ille confirmat, dicens: *Quia vidiſti, ideo credidiſti.*

(h) *Non autem quod exciderit verbum Dei.*] Licet Apoſtolus doleat Judæos excidiſſe a promiſſionis gratia, oſtendit tamen non inane fuiſſe verbum Dei: & his promiſſa deberi, non qui ſecundum carnem ex Abraham, Iſaac & Iſrael nati ſunt, ſed qui ſervantes fidem Patriarcharum, de quorum ſemine putantur. Item quia ſuperius dixerat dolere ſe, quod genus Iſrael proprio vitio excluderetur à regno, quorum hæc omnia fuerunt: Hic oſtendit illos qui non credunt, non eſſe filios Abrahæ: ne omnibus Judæis præjudicare putaretur, & objiceretur ei: Numquid Deus mentitus eſt Abrahæ?

(i) *Non enim omnes qui* &c.] Si non omnes, tamen aliquanti: Et ſi non omnes Iſraelitæ, Iſrael ſunt: ergo ex gentibus aliquanti, in quibus non eſt dolus.

(k) *Sed in Iſaac* &c.] In ſolo Iſaac vocati ſunt, etiam tunc filii Abrahæ: non etiam in Iſmael, cum & ipſe ex ejus ſtirpe deſcenderet. Item ſemen Iſaac non iſti qui ſecundum carnem nati ſunt: ſed hi qui ſecundum ſpiritum ſunt, hoc eſt, ſecundum fidem Iſaac. Qui enim talis, hujus promiſſio eſt & adoptio filiorum. Habebat enim primogenitum Eſau: & non eſt à Deo dilectus, niſi Iſrael.

(l) *Id eſt non qui filii carnis, hi filii Dei* &c.] Iſmaël enim ſecundum carnalem uſum natus eſt ex ancilla: Iſaac vero ſuper naturam de ſenibus ex repromiſſione Dei eſt generatus. Ita nunc Chriſtianos promiſſio facit filios Abrahæ, quam meruit fides: ut, ſcilicet, pater ſit gentium plurimarum.

(m) *Promiſſionis enim verbum hoc eſt.*] Hic oſtendit poſteriorem populum more Iſaac eſſe repromiſſionis.

(n) *Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius.*] Antequam naſceremini: imò priuſquam Rebecca Eſau & Jacob utero ſuo funderet, in Jacob dilexi vos: in Eſau Idumæum odio habui. Quem locum Paulus Apoſtolus myſtica diſputatione eventilans, ſcriptum eſt ad Romanos: duo pariter teſtimonia de Geneſi Malachiaque conjungit. Sed & Rebecca de uno concubitu habens Iſaac patrem noſtrum. Nam cum nondum nati eſſent, aut aliquid egiſſent boni vel mali: ut ſecundum electionem, propoſitum Dei maneret: non ex operibus, ſed ex vocatione dictum eſt ei: *Quia major ſerviet minori: Sicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi: Eſau autem odio habui.* Hoc enim quod dicitur: Gene. 25. Malach. 1.
Sicut ſcriptum eſt, & ad Geneſeos librum, & ad prophetam Malachiam refertur. Et non ſolum ait: Jacob dilexi antequam naſceretur: & odio habui Eſau, priuſque ex matris utero funderetur: ſed in poſteros eorum amorem meum & odium conſervavi. Odium in Eſau, cujus montes qui appellantur Seir, redegi in ſolitudinem, & urbes feci eſſe deſertas, & a ſerpentibus ac beſtiis obtineri.

(o) *Non ſolum autem illa, ſed & Rebecca.*] Non ſolum autem Iſmaël & Iſaac: qui quamvis ex uno quidem patre, diverſa tamen matre ſunt generati: non ſunt unum apud Deum, ſed etiam Jacob & Eſau: qui ex uno ſunt de Rebecca nati concubitu, antequam naſcerentur, fidei ſunt apud Deum merito ſeparati: ut propoſitum Dei de eligendis bonis, & refutandis malis, etiam in præſenti maneret. Ita ergo & nunc quos præſcivit de gentibus credituros, elegit: & ex Iſrael rejecit incredulos.

(p) *Ex uno concubitu habens Iſaac patrem noſtrum.*] Quæ legitur primo geminos edidiſſe, in eo quaſi novum aliquid acceſſerit, perterrita Deum interrogat.

(q) *Cum enim nondum nati fuiſſent* &c.] Sive ut hoc ſignificaret: quodmodo etiam de geminis, qui non credit, abjicietur.

(a) *Non*

electionem propoſitum Dei maneret: [a] non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: [b] quia major ſerviet minori, [c] ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi: Eſau autem odio habui. [d] Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Abſit. [e] Moyſi enim dixit: Miſerebor cui miſertus ſum: & miſericordiam præſtabo [f] cui miſerebor. [g] Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. [h] Dicit enim ſcriptura Pharaoni: Quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam: & ut annuncietur nomen meum in univerſa terra. [i] Ergo cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat. [k] Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis reſiſtit? [l] O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? [m] Annon habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? [n] Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa

(a) *Non ex operibus, ſed ex vocatione dictum eſt ei.*] Præſcientia Dei non præjudicavit peccatores, ſi converti voluerint. Dicit enim per Ezechielem: *Si dixero peccatori: morte morieris, & ille converſus juſtitiam fecerit: vita vivet & non morietur.*

Ezech. 18.

(b) *Quia major ſerviet minori.*] In Geneſeos libro dictum eſt: *Duæ gentes & duo populi in utero tuo: & populus populum ſuperabit: & major ſerviet minori.* Ergo prophetia non de bis eſt, qui ſecundum carnem ſunt Jacob & Eſau: ſed de bis qui futuri erant ex operibus boni & mali: & ex ipſis operibus aut odium Dei habere, aut miſericordiam ejus conſequi.

Gen. 25.

(c) *Sicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi: Eſau autem odio habui.*] Hoc autem quod dicitur: *ſicut ſcriptum eſt*, & ad Geneſeos librum, & ad prophetam Malachiam pertinet. In Geneſeos libro ad Rebeccam dicitur: *Duæ gentes & duo populi in utero tuo.* Unde bene oſtendit Apoſtolus promiſſiones non eſſe eorum qui ſecundum carnem filii ſunt Abrahæ, ſed eorum qui fidem patrum ſervant atque cuſtodiunt.

Malach. 1.

(d) *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Abſit.*] Timuit ne quod ipſe propterea dixerat, ut probaret apud Deum prærogativam generis nil valere: ſive jam tunc ſignificatum poſteriorem populum meliorem futurum, non intelligentes, putarent eum dicere: quod alios Deus bonos faceret, alios malos, ſecundum ipſorum ſententiam: quod erat iniquum punire, qui non ſua ſponte peccaſſet: proponit ſibi ex adverſo teſtimonia, quibus ipſi hoc affirmare ſolebant. Quibus exemplis per breves ſubjectiones reſpondet, oſtendens ita intelligi non poſſe.

(e) *Moyſi enim dicit. Miſerebor cui miſereor: & miſericordiam præſtabo.*] Hoc recto ſenſu ita intelligitur: Illius miſerebor, quem præſcivi poſſe miſericordiam promereri, ut jam tunc illius ſim miſertus.

(f) *Cui miſerebor.*] E contrario Judæi ſermo eſt: *Igitur non volentis neque currentis.* Et iterum: *Ergo cujus vult, miſeretur: & quem vult, indurat.* Non enim Apoſtolus tollit quod in propria voluntate habemus: qui ſuperius dicit: *Ignoras quia bonitas Dei te ad pœnitentiam adducit?* Et iterum Timotheo ſcribit: *In magna autem domo, non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia. Et quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. Si quis autem mundaverit ſe ab his, erit vas in honorem ſanctificatum.*

2. Tim. 2.

(g) *Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.*] Hoc loco Paulus Apoſtolus uſque ad illum locum: *Quid enim adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis reſiſtere poterit?* perſonam de contrario adſumit, venientis & dicentis: non eſſe in nobis, aut recte, aut malum agere, ſed in Dei arbitrio conſtitutum: *qui cujus vult, miſeretur: & quem vult, indurat. Homo, tu qui es qui contradicas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic?* Nunc Apoſtolus contradicentem ſibi ſuperius increpat, oſtendens hoc ipſum quod dicit: *Cujus vult miſeretur: & quem vult, indurat: Et quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis reſiſtere poterit?* Ex hoc igitur demonſtrat eum eſſe proprii arbitrii, vel voluntatis: quod ſicut ipſi e contrario veniens dicit: *Cujus vult miſeretur* Deus: *& quem vult, indurat*: nihil differt, quod figulus tractat in manibus quod fingenti ex ſe vas aliquid contradicere non poteſt, quid ex eo vult efficere: hic autem in eo in quo contradicit, queritur de Dei voluntate, oſtendit liberi eſſe arbitrii: qui audet de Dei judicio retractare. Item ſi non eſt volentis neque currentis, ut quidam putant: quare ipſe currit, dicens: *Curſum conſummavi.* Et alios ut currerent, adhortatus eſt, dicens: *Sic currite ut omnes comprehendatis.* Unde intelligitur quia hic interrogantis voce utitur: & redarguentis potius, quam negantis.

(h) *Dicit enim ſcriptura Pharaoni: Quia in hoc ipſum excitavi &c.*] Hoc & illi male proponunt. Sed hic locus duobus modis a diverſis exponitur. Sive quod unuſquiſque modum & finem peccatorum ſuorum implet, ut puniatur ſicut Sodomitæ & Amorræi. Hic ergo jam modum exceſſerat: & idcirco voluit Deus quaſi de jam perituro aliis providere: ut populus ejus agnoſceret juſtitiam ipſius atque virtutem: ut nec peccarent, nec ſuos adverſarios vererentur. Tale eſt hoc quod in Pharaone geſtum eſt: quale ſi medicus de cruciatu jam damnati rei multis inveniat ſanitatem, cauſas inquirendo morborum. Vel ſi judex cum poſſit criminoſum ſtatim punire, ad omnium timorem diverſis pœnis afficiat. Sive Dei patientia induratus eſt. Ceſſante enim plaga Dei durior fiebat: & quamvis ſciret eum non converti: tamen etiam in ipſo ſuam clementiam voluit demonſtrare.

(i) *Ergo cujus vult, miſeretur: & quem vult, indurat.*] Ergo ſi hoc ſic intelligitur: *Cujus vult miſeretur: & quem vult, indurat*: quod ſatis iniquum eſt: & ita propoſitio veſtra concluditur, ut dicatis malitiæ veſtræ non vos eſſe cauſam, ſed Domini voluntatem, cui contradici non poſſit: ſed reſiſtit hic rationi veſtræ ipſa natura juſtitiæ Dei.

(k) *Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? &c.*] Apoſtolus contra adverſarios dicit: Dicis itaque mihi: *Quid adhuc queritur?* Et iterum infert, confirmans hoc quod dixerat: homo tanto magis vere queritur, & juſte ex verbis tuis. Nemo enim propriam non habens voluntatem, dicere poteſt de Deo: *quid adhuc queritur,* Unde recte arguens ejus imprudentiam, dicit: *Tu quis es qui reſpondeas Deo?* Qui enim a Deo induratus eſt: ſicut tu dicis, contradicere ſuo creatori non poteſt: quaſi non habens propriam voluntatem: ſicut & lutum inſenſibilis materia fictori ſuo reſpondere non poteſt: quia in poteſtate figuli poſitum eſt.

(l) *O homo tu quis es qui reſpondeas Deo &c.*] Quibuſdam videtur & hoc adhuc ex ipſorum perſona dicere: quia ipſum eſt dicere, neminem poſſe contradicere voluntati Dei alterius miſerentis, alterum indurantis: & addere neminem Deo reſpondere. Quidam vero dicunt jam hinc Apoſtolum reſpondere: quod etiam ſi ita eſſet ut illi calumniantur, non debere eos ſuo reſpondere factori: eo quod tales ſimus ad comparationem Dei, quale ad ſuum eſt luti artificem figmentum. In Græco habet, μενοῦνγε, ὦ ἄνθρωπε: quod eſt, *o homo tanto magis.*

(m) *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem &c.*] Secundum hos qui hæc verba Apoſtoli dicunt: *maſſam* dicit omnes in Aegypto commorantes: quia & Iſrael ibi Idolis deſervierat.

(n) *Quod ſi Deus volens oſtendere iram & notam facere potentiam &c.*] Quia illum diu ſuſtinuit blaſphemantem, & populum ſuum variis operibus affligentem. Præterea quoniam innoxiam ætatem parvulorum crudeliter juſſerat enecare. Item competens reſponſum:

ta patientia [a] vaſa iræ apta in interitum : [b] ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam. [c] Quos & vocavit: non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex gentibus: [d] ſicut in Oſee dicit: [e] Vocabo non plebem meam, plebem meam, [f] & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. [g] Et erit in loco ubi dictum eſt eis: Non plebs mea vos, [h] ibi vocabuntur filii Dei vivi. [i] Eſaias autem clamat pro Iſraël: [k] Si fuerit numerus filiorum Iſraël tamquam arena maris, reliquiæ ſalvæ fient. [l] Verbum enim conſummans & abbrevians in æquitate, quia verbum breviatum faciet Dominus ſuper terram. [m] Et ſicut prædixit Eſaias: [n] Niſi Dominus ſabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorra ſimiles fuiſſemus. [o] Quid ergo dicemus? quod gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam. [p] Juſtitiam autem quæ ex fide eſt. [q] Iſraël vero ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus. [r] Offenderunt enim in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali: [ſ] & omnis qui credit in eum, non confundetur.

C A P U T X.

[t] FRatres: Voluntas quidem cordis mei & obſecratio ad Deum fit pro illis, in ſalutem. [u] Teſtimonium enim perhibeo illis: quod æmulationem quidem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. [w] Ignorantes enim juſtitiam Dei & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei

ſum: quia patientia & ejus bonitas facit eos qui propriam habent voluntatem vivendi, ſive vaſa iræ, ſive miſericordiæ.

(a) *Vaſa iræ apta in interitum.*] Implendo peccata ſua, vaſa ira digna ſunt facti, & a ſemetipſis ad interitum præparata.

(b) *Ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ &c.*] Digni erant miſericordia: quia & minora commiſerant, & graviter fuerant afflicti.

(c) *Quos & vocavit: non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex gentibus.*] Quia & tunc aliquanti Aegyptiorum exierant cum filiis Iſraël: quod ſi Deus perſonam acciperet, ſolus Iſraël debuit habere ſalutem. Ita & nunc non ſolum Judæos, ſed etiam gentes vocavit ad fidem. Secundum eos autem qui hæc non ex Apoſtoli, ſed ex Judæorum perſona dici putant: In tantum, inquiunt, quos voluit, ſalvavit: ut etiam gentes elegerit idololatras, qui numquam ſervierant Deo: & ex Iſrael paucos vocaret, ſecundum teſtimonium Eſaiæ.

(d) *Sicut in Oſee dicit.*] *Non populum*, duas tribus dicit: *& non miſericordiam conſecutam*, decem tribus.

(e) *Vocabo non plebem meam, plebem meam.*] Hoc loco Judam ſignificat.

(f) *Et non dilectam, dilectam, & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam.* Iſraeliticum populum.

(g) *Et erit in loco ubi dictum eſt eis: non plebs mea vos.*] Gentes demonſtrat in Chriſto credituras: ſicut in Evángelio per parabolam loquitur nuptiali cœna facta, cum Iſrael venire noluiſſet: & pro ipſo gentes vocantur.

(h) *Ibi vocabuntur filii Dei vivi.*] Vocationem gentium ſignificat.

(i) *Eſaias autem clamat pro Iſraël.*] Communicatio pro ipſis eſſe monſtratur.

(k) *Si fuerit numerus filiorum &c.*] Paucitatem eorum credituram eſſe demonſtrat.

(l) *Verbum enim conſummans & abbrevians in æquitate: quia verbum breviatum faciet Dominus ſuper terram.*] Hiſtoriæ hoc habet ſenſus: Sicut ego verbum abbrevio & cito definio: ita Deus hoc omni velocitate perficiet. In prophetia autem verbum breviatum, novum Teſtamentum accipitur: quia in eo breviter comprehenſa ſunt omnia & clauſa.

(m) *Et ſicut prædixit Eſaias.*] Bene prædixit: quia ſuperius ſcriptum eſt.

(n) *Niſi Dominus ſabaoth reliquiſſet nobis ſemen &c.*] Quia non eſt paſſus paucos juſtos perire cum multitudine impiorum in fide, niſi ſemen Abraham Chriſtus fuiſſet miſſus ad populum liberandum qui corruiſſet.

(o) *Quid ergo dicemus? quod gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam.*] Si ſuperiora ex perſona Apoſtoli dicuntur: hic ſibi iterum proponit: quia poterant dicere, ſi non eſt ita ut dicimus: quia non eſt volentis neque currentis: quomodo gentes invenerunt juſtitiam quam numquam antea quæſierunt. Iſrael vero quærens ſemper juſtitiam, non potuit invenire? Si vero totus ſuperior ſenſus contradicentibus applicatur: hic reſpondet Apoſtolus, & breviter recapitulat quæſtionem, dicens: Quid ergo dicemus ad ea quæ nobis objecta ſunt: niſi quia gentes vocatæ, crediderunt: & illi credere noluerunt?

(p) *Juſtitiam autem quæ ex fide eſt.*] Quia juſtitia ex fide eſt, cui illi credere noluerunt?

(q) *Iſraël vero ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervenit. Quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus legis.*] Reddit cauſas, quare non invenerint juſtitiam: quia falſo in operibus gloriati, credere noluerunt, quaſi juſtitiam gratiam reputantes: dicens, quoniam populus Judæorum ex operibus legis juſtificari ſe putans, in legem juſtitiæ, id eſt, ad fidem Chriſti dedignando non potuit pervenire.

(r) *Offenderunt enim in lapidem offenſionis &c.*] Qui videt lapidem, non offendit: qui autem cæcus eſt, impingit. Quod contigit Judæis, quos ſua malitia excæcavit: & Chriſtum non agnoſcentes crucifixerunt. Sed & idcirco lapis offenſionis & petra ſcandali, prædictus eſt Chriſtus: quia multi in nativitate ejus & paſſione, ſcandalum patiuntur: ſicut ſcriptum eſt: *Quia ſcandalizabantur in eo.* Et Apoſtolus ait: *Matth. 24.* *Chriſtum crucifixum, Judæis ſcandalum: gentibus ſtultitiam: ipſis vero vocatis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Unde & hic ſequitur: *Qui credit in eo, non confundetur.* Petrus quoque dicit: quod credentibus lapis electus ſit angularis: incredulis vero offenſionis. *1. Cor. 1.* *1. Pet. 2.*

(ſ) *Et omnis qui crediderit in eum, non confundetur.*] Non Judæus ſolus, ſed omnes credentes in eo non confundentur de priſtinis delictis.

C A P U T. X.

(t) *FRatres: Voluntas quidem cordis mei & obſecratio ad Deum fit pro illis in ſalutem.*] Hic ſe oſtendit non ſolis labiis, ſed & corde pro inimicis orare.

(u) *Teſtimonium enim perhibeo illis quod æmulationem quidem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.*] Habent ſcientiam ſectandæ legis, ſed non intelligunt: quia Chriſtus ſecundum legem venit. Et quia per legem juſtificari non poſſunt, periclitantur revera, ſi ſine ſcientia fiat: quia ſæpe vertitur in contraria.

(w) *Ignorantes enim juſtitiam Dei & ſuam quærentes*

ſtatuere,

Dei non ſunt ſubjecti. [a] Finis enim legis, Chriſtus ad juſtitiam omni credenti. [b] Moyſes enim ſcripſit juſtitiam quæ ex lege eſt: [c] quoniam qui fecerit homo, vivet in ea. [d] Quæ autem ex fide eſt juſtitia, ſic dicit: Ne dixeris in corde tuo: [e] quis adſcendet in cœlum? id eſt Chriſtum deducere: aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt Chriſtum à mortuis revocare. [f] Sed quid dicit Scriptura? Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc eſt verbum fidei quod prædicamus: [g] quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum: & in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitavit à mortuis, [h] ſalvus eris. [i] Corde enim creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem. [k] Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, [l] non confundetur. [m] Non enim eſt diſtinctio Judæi & Græci. Nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. [n] Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? [o] Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo vero prædicabunt: niſi mittantur? [p] ſicut ſcriptum eſt: Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! [q] Sed non omnes obediunt evangelio. [r] Eſaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui noſtro? [ſ] Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti. [t] Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem: [u] in omnem terram exivit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. [w] Sed dico: Numquid Iſraël non cognovit? Primus [x] Moyſes dixit: [y] Ego ad æmulatio-

ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.] Ignorantes quod Deus ex ſola fide juſtificat, & juſtos ſe ex legis operibus, quam non cuſtodierunt; eſſe putantes, noluerunt ſe remiſſioni ſubiicere peccatorum, ne peccatores fuiſſe viderentur: ſicut ſcriptum eſt: *Phariſæi autem ſpernentes conſilium Dei in ſemetipſis, noluerunt baptizari baptiſmo Joannis.* Item quia ſacrificia legis, & cætera quæ umbra erant veritatis, quæ per Chriſtum perfici habebant, præſentia Chriſti ceſſaverunt, cui credere noluerunt; bene dicit Apoſtolus, *juſtitiam ſuam*: quia jam non Dei eſt, ſed ipſorum.

(a) *Finis enim legis, Chriſtus ad juſtitiam omni credenti.*] Talis eſt ille qui Chriſtum credidit, die qua credidit, qualis ille qui univerſam legem implevit.

Levit. 18. (h) *Moyſes enim ſcripſit: quoniam juſtitiam quæ ex lege eſt.*] Moyſes diſtinxit in Levitico inter utramque juſtitiam, fidei, ſcilicet, atque factorum: quod altera operibus, altera ſola fidei credulitate accedente fiat. Item Apoſtolus oſtendere volens differentiam juſtitiæ legis, ac fidei, teſtem vocat Moyſen, item docentem de juſtitia legis: qui fecerit homo, vivet in ea. De juſtitia autem fidei: *Ne dicas*, inquit, *in corde tuo: quis adſcendet in cælum?* hoc eſt, ne dubites credere mandato, quod futurum eſt annunciare Chriſtum, qui venturus eſt dare tibi juſtitiam ex fide.

(c) *Qui fecerit homo vivet in ea.*] Nemo enim illorum vivit: quia in hoc tempore nemo perfecit legem ſine Chriſto: quia & hoc legis eſt, ut ipſi credatur. Quidam ex hoc loco putant Judæos præſentem tantum vitam ex legis operibus meruiſſe: quod verum non eſſe Domini verba declarant: qui de vita interrogatus æterna, mandata legis opponit dicens: *Si vis in vitam venire, ſerva mandata.** Unde intelligimus: quod qui ſuo tempore legem ſervavit, vitam habuit æternam.

(d) *Quæ autem ex fide eſt juſtitia, ſic dicit: Ne dixeris in corde* &c.] Ille quidem ſecundum hiſtoriam de lege hoc dixit: ſed Apoſtolus illud ad Chriſtum aptat: quia lex nec in cœlo fuit, nec in abyſſo. Sive ideo illud ſemper jubet lex meditari, ut ibi Chriſtum valeant invenire.

(e) *Quis adſcendet in cælum? id eſt Chriſtum deducere: aut quis deſcendet in abyſſum?* &c.] Quia Chriſtus Deus & homo eſt, in eo quod Deus verbum, qui cum in forma Dei erat, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, factus eſt homo: Propterea dicit: *Quis adſcendet in cælum? hoc eſt Chriſtum deducere.* Deducere dicitur ſecundum formam Dei: reducere autem ex mortuis, ſecundum formam ſervi.

Deut. 30. (f) *Sed quid dicit Scriptura? Propè eſt ver.* &c.] In Deuteronomio. Novum ſcilicet teſtamentum.

(g) *Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo* &c.] Teſtimonium cordis, eſt oris confeſſio.

(h) *Salvus eris.*] A delictis præteritis cum futuris.

(i) *Corde enim creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*] Ergo ſi fides ſufficit ad juſtitiam, & confeſſio ad ſalutem, inter Judæum & Gentilem credentes nulla diſcretio eſt.

(k) *Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum.*] Eſa. 53. In Eſaia. Non ſolum Judæus.

(l) *Non confundetur.*] Nolite ergo vos illos confundere de priſtinis actibus, quos Scriptura dicit confundi non poſſe.

(m) *Non enim eſt diſtinctio Judæi & Græci: Nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum*] Unus Dominus omnium, & abundans miſericordia & ſalute, habet unde largitur.

(n) *Omnis enim quicumque invocaverit* &c.] In Joële. Johel. 2. De gentibus objectio Judæorum, quod Deum invocare non poſſunt.

(o) *Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante* &c.] Quia numquam ad illos Prophetæ ſunt miſſi.

(p) *Sicut ſcriptum eſt: Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!*] Iſtorum pedes pulchri ſunt, qui pacem annunciant: illorum autem qui annunciant ſeculi curſum, turpes ſunt atque deformes.

(q) *Sed non omnes obediunt evangelio.*] Ergo ſi nec illi omnes obaudierunt, ad quos iſti ſunt miſſi: quanto minus iſti ad quos nemo eſt deſtinatus?

(r) *Eſaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui noſtro?*] Quis credit quod auditum à nobis, vel quod nos à te, ut aliis annunciaremus, audivimus.

(ſ) *Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti.*] Hic reſponſio Apoſtoli.

(t) *Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem.*] Etiam ante illos audiſſe confirmat.

(v) *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*] Vult hoc teſtimonium per Allegoriam, vocibus intelligi Prophetarum.

(w) *Sed dico: Numquid Iſraël non cognovit?*] Gentes eſſe vocandas ad fidem.

(x) *Primus Moyſes dicit.*] Ideo primus Moyſes: quia omnes penè Prophetæ poſtea de gentium ſalute dixerunt.

(y) *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem inſipientem, in iram vos mittam.*] Deut. 32. In cantico Deuteronomii. Antequam crediderint Deum, non erant gentes Dei. Quaſi ergo dicat, eos qui non ſunt gens mea, vocabo: & credent mihi ad veſtram irritationem: ut quibus majores debuiſtis eſſe, gaudeatis æquare: ſicut ſi quis habeat filium inobedientem, & ad corrigendum eum, dimidium patrimonii ſui det ſervo ſuo,

* Hoc ipſum, quaſi error, objectum eſt *Pelagio*, & quidem merito. Vide *Auguſtinum* de Geſtis *Pelagii*, Operum T. x. §. 13. & ſeqq.

ut

lationem vos adducam in non gentem: in gentem inſipientem, in iram vos mittam. [a] Eſaias autem audet & dicit: Inventus ſum à non quærentibus me: palam [b] apparui his qui me non interrogabant. [c] Ad Iſraël autem dicit: [d] Tota die expandi [e] manus meas ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi.

CAPUT XI.

[f] Dico ergo: Numquid Deus repulit populum ſuum? Abſit. [g] Nam & ego Iſraëlita ſum [h] ex ſemine Abraham, de tribu Benjamin. [i] Non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit. [k] An neſcitis in Elia quid dicit Scriptura, [l] quemadmodum interpellat Deum adverſum Iſraël? [m] Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. [n] Sed quid dicit illi divinum reſponſum? Reliqui millia ſeptem mihi virorum, [o] qui non curvaverunt genua ante Baal. [p] Sic ergo & in hoc tempore [q] reliquiæ, ſecundum electionem gratiæ Dei, ſalvæ factæ ſunt. [r] Si autem gratia, jam non ex operibus: [ſ] Alioquin gratia jam non eſt gratia. [t] Quid ergo? Quod quærebat Iſraël, hoc non eſt conſecutus. [u] Electio autem conſecuta eſt: [w] cæteri vero excæcati ſunt, [x] ſicut ſcriptum eſt: Dedit illis Deus Spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, [y] uſque in hodiernum diem. [z] Et David dixit: Fiat menſa

ut tandem ille converſus gaudeat, vel ſi tantum accipere mereatur. Sive non eramus gens: quia mortui eramus in peccatis.

(a) *Eſaias autem audet & dicit: Inventus ſum à non quærentibus me.*] Gentibus quæ non Deum in lege, ſed in idolo ignoranti requirebant.

(b) *Palàm apparui eis qui me non interrogabant.*] Non Deum, ſed dæmonis interrogabant per augures & haruſpices idolorum atque aſtrologos.

(c) *Ad Iſraël autem dicit.*] Ipſe qui talia gentibus iræ promiſit Judæis: ecce qualia comminatur, ut ſciatis utrumque prædictum.

(d) *Tota die expandi.*] Toto tempore mirabilia vel plagas oſtendit: & nec ſic credere voluerunt.

(e) *Manus meas ad populum non credentem* &c.] Extenſio manuum, allegorice ſignat crucem.

IN CAPUT XI.

(f) *Dico ergo: Numquid repulit Deus populum ſuum? Abſit.*] Quia ſatis illos humiliaverat: modo quaſi bonus doctor conſolatur eos, ne illos nimium exacerbare videretur. Non omnes, ait, repulit, nec ſemper, niſi quamdiu non credunt.

(g) *Nam & ego Iſraëlita ſum.*] Si omnes repuliſſet, me non ſuſcepiſſet.

(h) *Ex ſemine Abraham, de tribu Benjamin.*] Non ex ſemine proſelytorum.

(i) *Non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit.*] Illam plebem non repulit, *quam præſcivit eſſe credituram.

(k) *An neſcitis in Elia quid dicit Scriptura.*] In Regum libro, ubi ſcriptum eſt de Elia.

(l) *Quemadmodum interpellat Deum adverſus Iſraël.*] Gentibus ſuperbiam tollit,† ne glorientur quod ex Judæis pauciſſimi crediderunt: & ipſi ſoli remanſerunt Deo.

(m) *Domine, Prophetas tuos occiderunt* &c.] Omnes Prophetæ illa tantummodo ſciebant, quæ illis fuiſſent à Domino revelata. Unde & Rex Hieremiam dubie interrogat: *ſi in ea hora qua cum illo loquebatur, apud eum*
4. Reg. 4. *ſermo Domini haberetur.* Sed & Eliſæus dicit: *quomodo hæc Dominus abſcondit à me?* Ita ergo & Elias hoc loco præter ſe eſſe alios qui Deum colerent ignoravit.

(n) *Sed quid dicit illi divinum reſponſum?* &c.] Si Prophetam tanti latuerunt, quanto magis vos neſcitis quam multi Judæorum & ſalvati ſunt & ſalvandi.

(o) *Qui non curvaverunt genua ante Baal.*] Non ſolum immolando, idolis ſervitur, ſed etiam delinquendo. Si enim Deus factis negatur, utique & dæmones honorantur.

(p) *Sic ergo & in hoc tempore.*] Sicut ergo tunc non omnes perierunt, ita & nunc aliquanti ſalvantur.

(q) *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ Dei ſalvæ factæ ſunt.*] Electio gratiæ, fides eſt: ſicut opera electio legis. Cæterum quæ electio, ubi nulla diverſitas meritorum?

(r) *Si autem gratia, jam non ex operibus.*] Ne dicerent illi, de quibus Eliæ dicitur: Juſti erant: iſti vero peccatores: quomodo electi ſunt, ſubjecit: quia & ipſi gratis ſalvati ſunt ſicut & gentes.

(ſ) *Alioquin gratia jam non eſt gratia.*] Quia gratuitum munus appellatur.

(t) *Quid ergo? Quod quærebat Iſraël, hoc non eſt conſecutus.*] Ideo Iſrael totus non eſt conſecutus juſtitiam: quia eam non ex fide quærebat, ſed ex ſolis operibus legis ſe juſtificari putabat: cum maxime legis mandata contemneret. Unde à Salvatore arguuntur culi- Matth. 23.
cem liquantes, & camelum glutientes. Item propterea hoc dicit, quia Judæorum erant promiſſiones, per quas venturus erat Chriſtus ſalvare eos à ſuis peccatis: ſed quia venit, & non crediderunt; ideo dicit: Iſrael non conſecutus.

(u) *Electio autem conſecuta eſt.*] Qui per fidem electi ſunt.

(w) *Cæteri vero* &c.] Cæteri per infidelitatem excæcati ſunt: ſicut ſcriptum eſt: Niſi credideritis, non intelligetis.

(x) *Sicut ſcriptum eſt: Dedit illis Deus* &c.] In Eſaia.
Ante hominem vita & mors: quod placuerit ei, dabitur Eſa. 7.
illi: ne libertas, ſcilicet, tollatur arbitrii. Dei ergo dare, permittere eſt. Spiritum autem compunctionis, quem deſiderabant. Semper enim verbis Dei fuerunt increduli: nam ſi voluiſſent habere ſpiritum fidei accepiſſent. Sed & nunc Chriſtiani qui de reſurrectione dubitant, & præmio ac gehenna, ſimilem ſibi ſpiritum quæſierunt. Hoc enim loco Propheta de infidelibus loquitur. Divina Scriptura hoc habet, ut, cum unuſquiſque habeat libertatem faciendi bonum vel malum, Deum dicat tradere aut dare: propterea quia ipſe eſt qui dedit libertatem. Hæc enim facit ejus patientia: quia non ſtatim peccantibus infert vindictam, nec bonis præmia.

(y) *Uſque in hodiernum diem.*] Uſquequo convertantur: ſicut de velamine cordis, ad Corinthios dicit.

(z) *Et David dicit: Fiat menſa eorum coram ipſis* Pſal. 68.

* Hæc ſine dubio ſunt à manu Pelagii, fuitque etiam dogma eorum qui Semi-Pelagiani dicebantur. Cùm hi majore poſtea numero fuerint, quàm qui cum *Auguſtino* per omnia ſentiebant, mirum non eſt ab interpolatoribus hæc non fuiſſe reſecta.

† Hoc eſt, prævißam. Sic enim ſentiebat *Pelagius*. Vide antecedentem animadverſionem.

ſa eorum coram ipſis in laqueum, & in captionem & in ſcandalum, & in retributionem illis. Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva. [a] Dico ergo: Numquid ſic offenderunt ut [b] caderent? Abſit. [c] Sed illorum delictum, ſalus eſt gentibus ut illos æmulentur. [d] Quod ſi delictum illorum divitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum divitiæ gentium: quanto magis plenitudo eorum? [e] Vobis enim dico gentibus, [f] quamdiu quidem ego ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo, [g] ſi quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, [h] & ſalvos faciam aliquos ex illis. [i] Si enim amiſſio eorum reconciliatio eſt mundi, [k] quæ adſumtio, niſi vita ex mortuis? [l] Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa. [m] Et ſi radix ſancta, & rami. [n] Quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt: [o] tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, [p] & ſocius radicis & pinguedinis olivæ factus es: [q] noli gloriari adverſus ramos. Quod ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te. [r] Dicis ergo, Fracti ſunt rami ut ego inſerar. Bene propter incredulitatem fracti ſunt. [ſ] Tu autem fide ſtas: [t] noli altum ſapere, ſed time. [v] Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. [w] Vide ergo bonitatem & ſeveritatem Dei. [x] In eos quidem qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem Dei, [y] ſi permanſeris in bonitate. [z] Alioquin & tu excideris. Sed & illi ſi non permanſerint in incredulitate,

&c. & dorſum illorum ſemper incurva.] Aliter: ſemper incurva onera peccatorum: ut non dimittantur niſi crediderint: quia in paſſione Chriſti beati ſunt, paſcha comedentes. Hoc enim de illis prophetatur, qui Salvatorem aceto & felle potarunt, & tamen ipſis dicit Petrus: *Et nunc ſcio, quia per ignorantiam feciſtis hoc: Pœnitemini ergo: & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* Et ipſe Paulus poſt modicum ait: *Et illi ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur:* ut ſciamus quia ſpiritus compunctionis facultatem illis non abſtulit convertendi. Denique ſtatim ipſe ſolvit in ſequentibus verbis. Item ſacerdotes cum arbitrantur, quod ſi Chriſtum interfecerint, haberent ſemper menſam ſacrificiorum & decimarum, facta eſt illis in laqueum. Perdiderunt enim templum in quo vanam ſpem habuerunt: & nunc ſunt inter gentes maledicti.

Act. 3.

Rom. 11.

(a) *Dico ergo: Numquid ſic offenderunt.*] Modo iterum partem relevat Judæorum.

(b) *Ut caderent? Abſit.*] Non penitus & irremediabiliter ceciderunt.

(c) *Sed illorum delictum ſalus eſt gentibus* &c.] Uſque adeò illos dilexit, ut propter ſalutem illorum gentes vocarentur: quo eas videntes ad regnum Dei admitti, vel ſic facilius converterentur. Item quia diſpenſatiò Dei ita fuit, ut per mortem Chriſti, omne genus humanum ſalvaretur: ſicut ipſe Dominus dicit: *Cum exaltatus fuero, omnia ad me traham:* ideo dicit: *Sed illorum delictum ſalus gentium.* Dicens autem: *Ut illos æmulentur*, oſtendit: quia niſi gentes Chriſto crediſſent, reliquiæ illorum numquam ſalvatæ fuiſſent.

Joan. 12.

(d) *Quod ſi delictum* &c.] Si delictum eorum tantum vobis profuit, ut ſine operibus legis, vos illis faceret cohærere & ſi pauci eorum credentes, omnes vos ad ſalutem vocarunt: quanto magis ſi omnes crediderunt, prodeſſe poterant vobis per doctrinam?

(e) *Vobis enim dico gentibus.*] Vult oſtendere ad Judæorum ſalutem magnopere feſtinare.

(f) *Quamdiu quidem ego ſum gentium Apoſtolus* &c.] Quamdiu fuero in corpore conſtitutus, honorificabo miniſterium noſtrum: dum exemplo meo, plures eorum ſalvare contendo.

(g) *Si quomodo ad æmulandum provocem* &c.] Ut omni modo talem me exhibeam, ut me deſiderent imitari.

(h) *Et ſalvos faciam aliquos ex illis.*] Vel aliquantos, quia nolunt omnes.

(i) *Si enim amiſſio* &c.] Repetit quod dixerat ſuperius.

(k) *Quæ adſumtio, niſi vita ex mortuis?* Unde gentibus aſſumtio, niſi ex illorum viverent morte? Ex Judæis mortuis, Chriſtus vel Apoſtoli vita fuerunt gentibus: Sive ſi quos inde liberavero, ad veſtram proficient vitam. Item hoc dicit: quoniam ſicut gentes per fidem adſumtæ ſunt: ita etiam Judæi, ſi crediderint, ex mortuis ad vitam tranſibunt.

(l) *Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa.*] Si illi qui pauci ex eis crediderunt, ſancti ſunt, & omnes ſi credant. Hic primitias, Chriſtum dicit. Maſſam autem populum Hebræorum, à quibus Chriſtus ſecundum carnem eſt.

(m) *Et ſi radix ſancta, & rami.*] Radix, Patriarchæ: rami, Apoſtoli: hoc eſt, & primi & noviſſimi ſancti ex ipſis ſunt. Item hoc loco radicem, Abraham ſignificat: quoniam propter fidem, pater multarum gentium vocatur. Ramos vero poſteros ejus, fidem ſimiliter retinentes.

(n) *Quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt.*] Non propter te fracti ſunt, ſed propter illos tu inſertus es, quia illi fracti ſunt.

(o) *Tu autem cum oleaſter* &c.] Olea quidem, ſed inculta atque ſylveſtris. Item hoc loco contra naturam gentilem populum inſitum dicit in radice, hoc eſt, in fide Patriarcharum: & non ſecundum naturam arborum quaſi inſertum, proprii generis fructum ferre: ſed bonitatem radicis ſequi, in quam inſertus es.

(p) *Et ſocius radicis & pinguedinis olivæ factus es.*] Radicis Patrum, pinguedinis Chriſti.

(q) *Noli gloriari adverſus ramos* &c.] Noli de illorum perditione gaudere: alioquin audies quod non illi per te ſtant, ſed tu per illos. Nec tu illis vitam præſtas, ſed illi tibi.

(r) *Dicis ergo: Fracti ſunt rami, ut ego inſerar. Bene propter incredulitatem fracti ſunt.*] Tu dicis ideo illos fractos, ut tu inſeraris. Videamus ſi propterea & non magis propter incredulitatem ſuam ceciderunt.

(ſ) *Tu autem fide ſta.*) Non enim Deus perſonam tuam acciperet, & illos ſine cauſa projiceret.

(t) *Noli altum ſapere, ſed time.*] Quidam hunc locum non intelligentes, nec attendentes cauſam vel perſonas de qua & de quibus loquitur Apoſtolus, putant hic ſapientiam eſſe prohibitam. Quod ſi ita eſt ſecundum illos, invenietur ſibi ipſe contrarius: qui hic vetat, quod alibi, ut Epheſii & cæteri accipiant, magnis ſupplicationibus ad Dominum deprecatur. *Noli ergo altum ſapere*, hoc eſt, noli contra eos eſſe ſuperbus.

(v) *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.*] Si illis non pepercit propter incredulitatem, qui ex radice ſancta ſunt: multo minus tibi ſi peccaveris.

(w) *Vide ergo bonitatem & ſeveritatem Dei.* Contra eos qui alium Deum juſtum, alium adſerunt bonum. Et contra eos qui negant Deum in peccantibus vindicare.

(x) *In eos quidem qui ceciderunt ſeveritatem: in te autem bonitatem Dei.*] Quia & illi juſte fracti ſunt, & tu clementer inſertus es.

(y) *Si permanſeris in bonitate.*] In fide, quæ tibi Dei bonitate collata eſt.

(z) *Alioquin & tu excideris: ſed & illi ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur.*] Sin vero, & tu ſeveritatem ſenties, & illi bonitatem.

dulitate, inſerentur. [a] Potens eſt enim Deus iterum inſetere illos. [b] Nam & ſi tu ex naturali exciſus es oleaſtro, [c] & contra naturam inſertus es in bonam olivam: quanto magis hi qui ſecundum naturam, inſerentur ſuæ olivæ? [d] Nolo enim vos ignorare, fratres, [e] myſterium hoc, ut non ſitis [f] vobiſmetipſis ſapientes: [g] quia cæcitas ex parte contigit Iſraël, donec [h] plenitudo gentium intraret: & ſie omnis Iſrael ſalvus fieret. [i] Sicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui eripiat & avertat impietatem ab Jacob. Et [k] hoc illis à me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum. Secundum [l] evangelium quidem inimici proprer vos: ſecundum [m] electionem autem, eariſſim propter patres: Sine [n] pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei. [o] Sicut enim aliquando & vos non crediđiſtis Deo: [p] nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum: [q] ita & iſti nune non crediderunt in veſtram miſerieordiam, [r] ut & ipſi miſericordiam conſequantur [ſ] Conelufit enim Deus omnia in incredulitate, ut [t] omnium miſereatur. O [v] altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quàm [w] incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & ininveſtigabiles viæ ejus! [x] Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut [y] quis conſiliarius ejus fuit? aut [z] quis prior dedit illi & retribuetur ei? [a] Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Ipſi [b] honor & gloria, in ſecula ſeculorum: Amen.

CA-

(a) *Potens eſt enim Deus iterum inſerere illos.*] Apud homines quidem, impoſſibile eſt aridos ſurculos reformare: apud Deum omnia poſſibilia & facilia ſunt.

(b) *Nam & ſi tu ex naturali exſciſus oleaſtro.*] Quia jam olim patres eorum, naturalem legem obliti, degeneraverant à natura: & per ſucceſſiones peccandi, conſuetudine permanente, quaſi naturaliter amari, & infructuoſi eſſe cœperunt. Item hoc loco contra naturam gentilem populum inſitum dicit in radice: hoc eſt, in fide Patriarcharum: & non ſecundum naturam arborum quaſi inſertum, proprii in quam inſertus eſt.

(c) *Et contra naturam inſertus es in bonam olivam: quanto magis hi qui, ſecundum naturam, inſerentur ſuæ olivæ.*] Contra naturam eſt olivæ inſerere oleaſtrum: quia magis ramus ſolet vim radicis imitari, quam radix ramorum in ſuam vertere qualitatem.

(d) *Nolo enim vos ignorare fratres.*] Hoc totum contra illos, ne ſuperbiant gentes.

(e) *Myſterium hoc.*] Arcanum quod hominibus ignotum eſt, quare ſalvatæ ſunt gentes: quia occaſionem eis ſalutis etiam cæcitas præſtiterit Iſraël.

(f) *Ut non ſitis vobiſmetipſis ſapientes.*] Ne ſecundum humanam ſapientiam dicatis: Nos Deus elegit, & illos abjecit.

(g) *Quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël.*] In tantum Iſrael & delicta & perfidia occuparunt: ut veniret tempus, quo gentes omnes admitterentur ad vitam: & ita omnis Iſrael per fidem ſolam ſalvaretur: quomodo gentium plenitudo vita æquales eſſent in Chriſto: quia inæquales fuerant in delictis.

(h) *Donec plenitudo gentium intraret: & ſic omnis Iſrael ſalvus fieret.*] Tamdiu permanſit, donec gentes ſalvatæ viderent, quod omnes vocati ſunt ad ſalutem: ſive ex Juda & Iſrael, & lege ſcilicet. Item hoc oſtendit quoniam intrante in fidem Chriſti gentium ſupplemento: tunc zelo & æmulatione permoti, reliqui populi Judæorum, credentes in Chriſto ſalvi fiant. Præponit autem interdum Apoſtolus gentes, populo Hebræorum in fide, ea ratione, quoniam etiam ſi aliquanti ex illis Chriſto crediderant: tamen legis Moſaicæ adhuc præcepta ſervabant. Unde & ipſi poſtea exemplo gentium, Chriſtianam fidem integre cuſtodire cœperunt. Non enim pro multitudine, *plenitudinem* dicit: ſed quia repleri ſunt a Domino noſtro: ſicut & ipſe ait Paulus de credentibus: *Et ipſum dedit caput ſuper omnem eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, plenitudo ejus: qui omnia in omnibus adimplet.*

(i) *Sicut ſcriptum eſt: Veniet* &c.] Quidam hæc omnia futura exiſtimant. Quibus reſpondendum eſt: Ergo & hoc teſtimonium: *Veniet ex Sion qui eripiat Iſrael*, adhuc futurum eſt, ut rurſum Chriſtus adveniat liberare: & à Deo pro tempore excæcati ſunt & non ſemetipſis quod de illis, quomodo pereunt non credentes.

(k) *Et hoc illis* &c.] Teſtamentum novum quod promiſit Hieremias: quod non niſi novi abolitis peccatis accipient. *Hiere. 31.*

(l) *Secundum evangelium* &c.] Inimici mihi ſunt, propter quæ vobis prædico, Chriſtum prohibentes non gentibus loqui ut ſalvæ fiant.

(m) *Secundum electionem autem chariſſimi* &c.] Si autem credant chariſſimi ſunt, dupliciter commendati.

(n) *Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei.*] Si crediderint, non illis poterunt imputari peccata: quia Dominum non pœnitet Abrahæ ſemen promiſiſſe. Sive illi ſine afflictione pœnitentiæ ſi crediderint, ſalvabuntur.

(o) *Sicut enim aliquando & vos non crediđiſtis Deo.*] Quando adhuc illi credebant.

(p) *Nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum.*] Non veſtro merito.

(q) *Ita & iſti nunc non crediderunt* &c.] Miſericordia gentium, Chriſtus eſt.

(r) *Ut & ipſi miſericordiam conſequantur.*] In tantum non crediderunt: ut & ipſi operibus ſuis non juſtificentur, ſed miſericordia ſicut & vos.

(ſ) *Concluſit enim Deus omnia in incredulitate.*] Non vi concluſit, ſed ratione concluſit, quos invenit in incredulitate, hoc eſt, Judæos omnes & gentes hic concluſit: quia antea Judæi peccatores tantum erant, non etiam perfidi: poſtquam autem Chriſtum non crediderunt, gentibus ſunt æquales: & omnes ſimiliter miſericordiam conſequuntur.

(t) *Ut omnium miſereatur.*] Hâc de cauſa.

(v) *O altitudo divitiarum ſap.* &c.] Laudat ſapientiam Dei: qui tamdiu exſpectavit ſecundum præſcientiam, donec omnes miſericordia indigerent: ut omnibus de falſa jactantia operum, gloria tolleretur.

(w) *Quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & ininveſt.* &c.] Judicia Dei abyſſus multa. Aliqui enim comprehendere non poſſunt.

(x) *Quis enim cognovit ſenſum Domini?*] Ante nemo cognovit: nam in præſenti ipſe Paulus utique ſciebat, qui aliis oſtendebat. Nos autem ſenſum Domini habemus. Sive legem ipſius per ſe nemo cognovit: & nemo peculiari Deo confabulatione inſtructus, doctrina non indiget legis.

(y) *Aut quis conſiliarius ejus fuit?*] Ut ejus noverit ſacramenta.

(z) *Aut quis prior* &c.] Quis prior fecit aliquid boni & non Dei miſericordiam glorificet, ſed ſuo ſe merito recepiſſe glorietur.

(a) *Quoniam ex ipſo* &c.] Ab ipſo omnis creatura accepit initium, & per ipſum regitur, & in ipſo omnia concluduntur, nec ipſe continetur ab ullo.

(b) *Ipſi honor & gloria* &c.] Ipſe ſolus glorificandus eſt: cujus eſt etiam quod ſumus & vivimus, ac movemur. Simul etiam contra Arianos facit hic locus, cum dicitur Deus id eſſe, ex quo omnia, & per quem omnia facta eſſe monſtrantur: ſiquidem omnia per Verbum in principio facta, Evangeliſta ſignavit. Et quod de Filio Evangeliſta teſtatur, hoc Apoſtolus per unitatis myſterium, de Patre intelligendum edocet credendum.

CAPUT XII.

[a] OBſecro itaque vos, fratres, [b] per miſericordiam Dei: ut [c] exhibeatis corpora veſtra [d] hoſtiam viventem, ſanctam, [e] Deo placentem, [f] rationabile obſequium veſtrum. Et [g] nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri: ut proberis quæ ſit voluntas Dei [h] bona, & beneplacens, & perfecta. [i] Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, [k] omnibus qui ſunt inter vos, non [l] plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: [m] & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram [n] fidei. [o] Sicut enim in uno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus [p] ſumus in Chriſto: ſinguli [q] autem alter alterius membra: habentes [r] autem donationes ſecundum gratiam quæ data eſt nobis differentes. Sive [r] propheriam ſecundum rationem fidei: [s] ſive miniſterium in miniſtrando: [t] ſive qui docer in doctrina. Qui exhortatur in exhortando: [v] qui tribuit in ſimplicitate: [x] qui præeſt in ſollicitudine: [y] qui miſeretur in hilaritate. Dilectio [z] ſine ſimulatione. Odientes malum, adhærentes bono. [a] Caritatem fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes. [b] Sollicititudine non pigri, [c] ſpiritu ferventes, Domino [d] ſervientes. [e] Spe gaudentes, in [f] tribulatione patientes, orationi

IN CAPUT XII.

(a) O*Bſecro itaque vos, fratres.*] Quia de ſenſu Domini dixerat: modo dicit, quales ſe exhibere debeant, ut ſenſum Domini habere mereantur. Hucuſque de dogmatibus dicit: hinc jam moralia docet.

(b) *Per miſericordiam Dei.*] Qua magis nihil eſt, per quam liberati ſumus.

(c) *Ut exhibeatis corpora veſtra.*] Quanto magis animam: non animalium, ſicut in lege: quæ tamen licet in figura fuerint, immaculata offerebantur & viva.

(d) *Hoſtiam viventem, ſanctam.*] Hoc eſt caſtam & alienam ab omni morte peccati.

(e) *Deo placentem.*] Domino, non hominibus tantum placere, ſive talis ei placet hoſtia.

(f) *Rationabile obſequium veſtrum.*] Omne opus bonum tunc placet Deo, ſi rationabiliter fiat. Nam mercede privatur: ut puta ſi quis hominum cauſa jejunat, bonum obſequium inſipienter facit: ita & de omnibus adjacentibus ſentiendum eſt.

(g) *Et nolite conf.* &c.] Nolite ſimiles eſſe filiis mundi, qui facti eſtis filii Dei: ſed renovate ſenſum veſtrum per quem regitur corpus, & omnia membra diriguntur, ut etiam corporis actus novi fiant: qun poſſitis voluntatem Dei & ſenſum ejus agnoſcere. Hæc enim non niſi novo ſenſui revelantur.

(h) *Bona* &c.] Hoc eſt, quod bonum ſit & melius & optimum.

(i) *Dico enim per gra.* &c.] Prohibet uſum humanæ ſapientiæ, quæ propter legem eſt: non ſenſu proprio loqui ſe dicit, ſed auctoritate gratiæ Dei.

(k) *Omnibus qui* &c.) Qui ſunt ſacerdotes ſive doctores: quorum cæteri ſequuntur exemplum.

(l) *Non plus ſapere, quam opor.*] Plus vult ſapere, qui illa ſcrutatur, quæ lex non dicit. Unde & Salo-
Eccle. 3. mon ait: *Altiora te ne quæſieris: & majora te ne ſcruteris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper.*

(m) *Et unicuique* &c.] Notandum qua Deum dicat
1 Cor. 12. Spiritum ſanctum, quomodo ad Corinthios ait, dona dividere ſingulis prout vult.

(n) *Menſuram fidei.*] Menſura fidei, virtutis intelligenda eſt gratia: quam non niſi fideles accipiunt.

(o) *Sicut enim* &c.] Per comparationem corporis, eos ad concordiam cohortatur, ne vel hinc moveantur: quia dona accepere diverſa: non enim poterant omnia habere ſinguli, ne ſuperbirent nullius egentes: nec omnes eadem, ut corporis Chriſti ſimilitudo in nobis monſtretur. Item quod dicit in uno corpore multa membra, propter diverſitatem officiorum dicit. Non enim poteſt oculus audire, nec auris videre, & ſic cætera intelligenda.

(p) *Singuli autem alter alterius membra.*] Ut præſtando alterutrum quod habemus, magis ac magis caritas in nobis confirmetur.

(q) *Habentes autem donationes ſecundum gratiam quæ data eſt nobis differentes.*] Donum non ex noſtro, ſed ex donantis arbitrio pendet. Et omnibus quidem credentibus gloria promittitur in futuro: ſed qui tam mundum cor habuerit, ut hoc mereatur, gratiam virtutum accipit etiam in præſenti.

(r) *Sive prophetiam ſecundum rationem fidei.*] Fidei, non legis: ſive quia fides illa meretur. Unuſquiſque enim tantum accipit, quantum credit. Item ſecundum fidem quæ unicuique à Deo data eſt atque conceſſa.

(ſ) *Sive miniſterium in miniſtrando.*] Miniſterium ſacerdotalis, vel diaconatus officii.

(t) *Sive qui docet in doctrina: qui exh.* &c.] Qui docet, major eſt eo qui exhortatur. Exhortari enim pro viribus ſuis poſſunt, etiam minus periti. Notandum ſanè quod tertio tantum poſuerit ſive: quod quare fecerit, ſpiritualis debet lector agnoſcere.

(v) *Qui tribuit in ſimplicitate.*] Omnibus ſimpliciter largitur, cunctos credens bonos eſſe, & indigere iis quæ petunt.

(w) *Qui præeſt in ſollicitudine.*] Qui præeſt Eccleſiæ vel fratribus, debet eſſe ſollicitus.

(x) *Qui miſeretur in hilaritate.*] Maxime circa ægrotos miſericordiam exhibendo. Sive miſericordiæ titulus generalis eſt, qui circa omnes placido exhibendus 2 Cor. 9.
eſt animo. *Hilarem enim datorem diligit Deus*: & triſtem ſine dubio odit: quia melius eſt verbum bonum ſuper datum optimum.

(y) *Dilectio ſine ſimula.* &c.] Tota puritas debet eſſe in Chriſtianis, ſicut Deus pura lux eſt. Fingere enim ſervorum eſt. Et diligamus non lingua tantum, ſed opere & veritate. Ita etiam ſi neceſſe fuerit, pro invicem moriamur.

(z) *Caritatem fraternitatis invicem diligentes.*] Ita vos diligite, quaſi ex una matre generati.

(a) *Honore invicem prævenientes.*] Hoc ſi ſemper ſervaremus, & caritatem & patientiam teneremus: ſicut alibi ait: *Alter alterutrum majorem æſtimantes.* Si enim nos omnibus minores judicaremus, nec ultro alicui injuriam faceremus: nec illatam nobis graviter deputaremus.

(b) *Sollicitudine non pigri.*] Ne per ſollicitudinem ſeculi, pigri in Dei opere efficiamini & inertes.

(c) *Spiritu ferventes.*] Quia frigidos Dominus non amat, & in tepidis nauſeat. Tunc planè ſpiritu fervemus, ſi ſeculo frigidi ſumus.

(d) *Domino ſervientes.*] Non ſeculo, neque vitio, ſed Deo.

(e) *Spe gaudentes.*] Spe non præſenti. Spes enim quæ videtur, non eſt ſpes.

(f) *In tribulatione patientes.*] Propter gaudium ſpei Jac. 1.
futuræ, omnia ſuſtinete: ſicut ait: Omne gaudium exiſtimate.

(a) *Ora-*

tioni [a] inſtantes; neceſſitatibus [b] ſanctorum communicantes: [c] hoſpitalitatem ſectantes. [d] Benedicite perſequentibus vos. Benedicite & nolite maledicere. [e] Gaudere cum gaudentibus: flere cum flentibus. Idipſum [f] invicem ſentientes. [g] Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. [h] Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos. [i] Nulli malum pro malo reddentes: [k] providentes bona, non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. [l] Si fieri poteſt quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. [m] Non voſmetipſos defendentes, cariſſimi, ſed date locum iræ. [n] Scriptum eſt enim: Mihi vindictam, & [o] ego retribuam: dicit Dominus. Sed &, ſi eſurit [p] inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. [q] Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus. [r] Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.

CAPUT XIII.

[s] OMnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: [t] non eſt enim poteſtas niſi a Deo. [u] Quæ autem ſunt, a Deo ordinata ſunt. [w] Itaque qui reſiſtit poteſtati,

Dei

(a) *Orationi inſtantes.*] Inſtantia orationis nobis præſtat auxilium in adverſis.

(b) *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes.*] Miniſtrate eis qui propter Chriſtum, ſua omnia contemnentes, alienis ad tempus indigent miniſteriis. Quidem codices habent: *Memoriis ſanctorum communicantes:* quod intelligitur, quod meminerit, in qualibus ſancti, vel quibus operibus promeruerint Deum, ut participes eorum fiant, imitantes ſemper. Denique ſequitur:

(c) *Hoſpitalitatem ſectantes.*] Quia & hoc ſancti fecerunt: ſicut Abraham, ſicut Lot, qui etiam invitos hoſpites detinebant: de quis dicitur: Per hanc enim quidam Deo placuerunt angelis hoſpitio receptis.

1. Pet. 3. (d) *Benedicite perſequentibus vos* &c.] Ne putaremus utrumque nos facere debere. Ait enim & beatus Petrus: Neque maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes.

(e) *Gaudere cum gaudentibus: flere cum flentibus.*] Ut ſi quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra. Sicut Job ait: *Si non ingemui vel lacrymatus ſum, cum viderem homines in neceſſitate.* Et Dominus fletibus Mariæ ad fletum provocatur, ut
Joan. 11. nobis daret exemplum. Nec enim pro Lazaro, quem erat ſuſcitaturus, fleviſſe credendus eſt: nec propter incredulitatem illorum, qui ei ſæpe non crediderunt mirabilia facienti. Nos autem jam perverſo modo flemus cum gaudentibus, & gaudemus cum flentibus. Si quis enim laudatus fuerit, contriſtamur: ſi quis ceciderit, exſultamus. Unde oſtendimus nos qui talia facimus, de corpore Chriſti non eſſe, qui non dolemus de uno membro præciſo: ſed inimici ſumus partis noſtræ, & amici partis adverſæ: qui non dolemus de acie noſtra viros fortiſſimos corruentes: nec gaudemus, ſi videamus eos fortiter dimicantes: quamvis ipſi tam validi non ſimus ad pugnandum.

(f) *Idipſum invicem ſentientes.*] Ut ita alteri ſentiatis, ſicut vobiſmetipſis.

(g) *Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.*] Superba ſapit iſte, qui ſuam per ſe ulciſci cupit injuriam: & non humilibus rebus, id eſt, humilitate conſentit.

(h) *Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos.*] Nolite in humana ſapientia gloriari: ſed ſtulti eſtote ſeculo, ut
Pſal. 93. ſitis Domino ſapientes: ſicut ſcriptum eſt: *Beatus homo quem tu erudieris Domine: & de lege tua docueris eum.*

(i) *Nulli malum pro malo reddentes.*] Humana ſapientia eſt, ſi quæramus vicem reddere inimicis. Stultitia enim eſt in hoc ſeculo, ſi percutienti & aliam maxillam præbere volueris. Quod ſi tantæ patientiæ & humilitatis fueris: non ſolum apud Dominum, ſed & apud omnes homines poteris probabilis apparere.

(k) *Providentes bona: non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.*] Tantum cave ne ideo facias: ut non Deo, ſed ſolis hominibus placere deſideres.

(l) *Si fieri poteſt quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.*] Quod veſtrum eſt, vos cum omnibus pacem habetote: & dicite cum Propheta: *Cum* Pſal. 119.
his qui oderunt pacem, eram pacificus: optantes, ſcilicet, converſionem eorum atque ſalutem: ſicut quæ vobis fieri poſſit.

(m) *Non voſmetipſos defendentes cariſſimi, ſed date locum iræ.*] Aut fugiendo, aut permittendo nocere.

(n) *Scriptum eſt enim: Mihi vindictam.*] Ego quaſi
meam, dicit Dominus, non quaſi veſtram injuriam Zach. 2.
vindicabo: quoniam dicit Propheta: Qui vos tangit, tanquam qui tangit pupillam oculi ipſius.

(o) *Ego retribuam dicit Dominus.*] Facienti bona, retribuere promittit.

(p) *Sed & ſi eſurit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi.*] Noli illi negare, quod Deus nulli negat: quamvis ſit blaſphemus & impius.

(q) *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus.*] Ut cum ſibi carbones intellexerit per tuam indebitam miſericordiam congregari, excutiat eos: hoc eſt, convertatur, & diligat te, quem habuerat aliquando peroſum. Cæterum non eſt miſericordia, ſed crudelitas: ſi ideo eam facias, ut illi aliquid pejus eveniat, pro quo Deum præciperis deprecari. Item hoc loco docet nos imitari Deum debere: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Cibando enim inimicum & potando, eum ad pacem vel reconciliationem provocamus: ut ſi ille in malitia perſtiterit, ignem ſuo congerit capiti.

(r) *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.*] Ille dicitur viciſſe alterum, qui eum ad ſuam duxerit partem: ſicut hæreticum, vel paganum. Si ergo te fecerit ſibi vicem reddere, ille te vicit, ſibi ſimilem te faciendo: ſi autem per patientiam tuam feceris eum ceſſare ab injuria, tu viciſti.

IN CAPUT XIII.

(s) O*Mnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.*] Hæc cauſa adverſus illos prolata eſt, qui ſe putabant ita habere libertatem Chriſtianam: ut aut nulli honorem deferrent, aut tributa dependerent. Quocumque ergo modo eos humiliare deſiderat: ne forte propter ſuperbiam, magis quam propter Deum, contumeliam patiantur. Ideoque docet illos humilitate tempus redimere. Aliter: quod ſublimiores poteſtates, eccleſiaſticæ dignitates intelligantur.

(t) *Non eſt enim poteſtas niſi a Deo.*] Et quomodo Deus dicit per Prophetam: *Regnaverunt, & non ex me?*

(u) *Quæ autem ſunt, a Deo ordinata ſunt.*] Si de ſeculi poteſtatibus dicere videatur, non ideo juſtæ erunt: etiamſi a Deo exordium acceperunt. Secundum deſiderium uniuſcujuſque dantur. Nam dicit Salomon: *Quoniam data eſt nobis poteſtas a Deo. Sed cum* Sap. 6.
eſſetis miniſtri regni illius, non recte judicaſtis. Horrende & cito apparebit vobis &c. Conſtituitur enim a Deo ut juſte judicet: & ut peccatores habeant, quod timeant, ne peccent.

(w) *Itaque qui reſiſtit, poteſt.* &c.] Sicut & Rahab dicitur: Qui exierit foras, ipſe ſibi reus erit.

(a) *Nam*

Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. [a] Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. [b] Vis autem non timere poteſtatem? [c] Bonum fac, & habebis laudem ex illa. [d] Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. [e] Non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, [f] vindex in iram ei qui malum agit. [g] Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote: non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. [h] Ideo enim & tributa præſtatis. Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes. [i] Reddite ergo omnibus debita. Cui tributum, tributum: [k] cui vectigal, vectigal: [l] cui timorem, timorem: [m] cui honorem, honorem. [n] Nemini quicquam debeatis, [o] niſi ut invicem diligatis. [p] Qui enim diligit proximum, legem implevit. [q] Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces: & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. [r] Dilectio proximi malum non operatur. [ſ] Plenitudo ergo legis, eſt dilectio. [t] Et hoc ſcientes tempus: quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. [u] Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus. [w] Nox præceſſit, dies autem appropinquavit. [x] Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: ſic [y] ut in die honeſte ambulemus. [z] Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non

(a) *Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali.*] Malus debet timere poteſtatem: nam bonus non habet quod timeat: qui ſi injuſte occiditur, gaudet.

(b) *Vis autem non timere poteſtatem?*] Accipe conſilium meum, & nunquam timebis.

(c) *Bonum fac, & habebis laudem ex illa.*] Ipſa damnatio malorum, laus eſt bonorum.

(d) *Dei enim miniſter eſt tibi in bonum* &c.] Qui pro tua ſollicitus eſt quiete. Item hic dicendo: Miniſter eſt tibi boni cauſa, oſtendit in his quæ recta ſunt judicibus obediendum, non in illis quæ Religioni contraria ſunt.

(e) *Non enim ſine cauſa gladium portat: Dei* &c.] Et in te habet officium, ſi peccaveris: nec tibi proficit ad mercedem. Sive ſacerdotes gladium ſpiritualem
Act. 5. & 13. portant: ſicut Petrus percuſſit Ananiam & Sapphiram, & Paulus, Magum.

(f) *Vindex in iram ei qui malum agit.*] Quia Deus non diligit malos: qui odit omnes qui operantur iniquitatem.

(g) *Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote: non ſolum propter iram, ſed* &c.] Non ſolum quia poſſunt poteſtates etiam ſine cauſa iraſci, ſed & ne propter alicujus peccati conſcientiam condemnemini. Sive non ſolum, ne iraſcantur ſacerdotes, ſed etiam quia ſanctis illis & juſtis honorem debetis. Item malum agentes & contra præcepta viventes, propter vindictam ſubditi ſunt poteſtatibus: recte autem viventes propter conſcientiam ſubditi ſunt: quia bona & juſta ſunt quæ jubentur.

(h) *Ideo enim & tributa præſtatis.* &c.] Poſſunt & tributa ſacerdotum intelligi, quæ illis a Deo ſunt conſtituta. Sive ideo regibus tributa præſtatis: quia voluiſtis poſſidendo ſeculo eſſe ſubjecti. Miniſtros autem Dei illos appellat: ut vel ſic eis reddant, quod eis debebant: ne videretur Chriſtus ſuperbiam docuiſſe.

(i) *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum.*] Poteſt etiam eleemoſyna debitum appellari.
Eccl. 4. Dicit Scriptura: *Inclina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum.*

(k) *Cui vectigal, vectigal.*] Vectigal noſtrum eſt, ut tranſeuntibus donemus: vel nos tranſeuntes ſedentibus ad viam, & inde venientibus largiamur.

Pſal. 17. (l) *Cui timorem, timorem.*] Quomodo ergo ſcriptum eſt alibi: Præter Deum neminem eſſe timendum? Sed ſic, inquit, age ut neminem timeas. Timor enim Dei, timorem expellit humanum. Sed quoniam cauſas adhuc timoris habetis, neceſſe eſt ut timeatis.

(m) *Cui honorem, honorem.*] Etiam timorem majoribus, honorem tantum æqualibus.

(n) *Nemini quicquam debeatis.*] Præclare dixit Apoſtolus, reddenda unicuique quæ debentur, ſola tantum dilectione nos invicem obnoxios eſſe debere. Si autem ſemper fratribus debuerimus, dilectionem ſervemus, ut perpetuæ caritati connectamur. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non concupiſces: & ſi quid eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur. Item nemini debitum non reddatis.

(o) *Niſi ut invicem diligatis.*] Hoc ſolum ſemper debet manere, quod numquam perſolvi poteſt.

(p) *Qui enim diligit proximum, legem implevit.*] Secundum Domini parabolam, ſine diſcretione cunctis miſericordiam fieri jubentis, omnis homo proximus eſſe cenſendus eſt. Item dilectionem ideo præmiſit: quia fidelibus ſcribebat, & de juſtitiæ converſatione tractabat.

(q) *Nam non adulterabis &c. Diliges proximum tuum ſicut teipſum.*] Recapitulatur omnis juſtitia in proximi dilectione: & injuſtitia naſcitur, dum plus ceteris nos amamus. Qui enim ſicut ſe, diligit proximum: non ſolum illi malum non facit, ſed etiam bonum facit: quia & circa ſe utrumque cupit impendi.

(r) *Dilectio proximi, malum non operatur.*] Etiam bonum non facere, malum eſt. Nam ſi viderit illum fame periclitari, nonne ipſe illum occidit, ſi ille cum affluat, non dederit victum: quamvis ei proprias non tulerit facultates? Quiſque enim in quacumque neceſſitate ſuccurrere morituro poteſt, ſi non fecerit, occidit.

(ſ) *Plenitudo ergo legis, eſt dilectio.*] Hoc eſt, perfectio.

(t) *Et hoc ſcientes tempus: quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere.*] Hoc eſt, ut ad perfectiora tendatis. Non enim ſemper debetis eſſe parvuli & lactentes, ſicut alibi dicit: Etenim cum deberetis magiſtri eſſe &c. Item hortatur Apoſtolus, ut tenebroſa & ſomni torpore depreſſa opera relinquentes, in lumine, hoc eſt, in bonis operibus ambulemus. Item de ſomno inertiæ & ignorantiæ conſurgamus: Jam enim ſcientia lucet. Heb. 5.

(u) *Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus.*] Scientia proficiente, propior eſt ſalus, quam quando primum credidimus.

(w) *Nox præceſſit: dies autem appropinquavit.*] Comparat diei ſcientiam, & ignorantiam nocti, ſecundum Oſee dicentem: Nocti aſſimilavi matrem tuam: fa- Oſee. 4.
ctus eſt populus meus tanquam non habens ſcientiam.

(x) *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.*] Cum ignorantia abjiciamus ſimul & opera ignorantiæ: & arma lucis, hoc eſt, luminis opera induamur. Qui enim male agit, odit lucem: qui ve- Joan. 3.
ro facit veritatem, venit ad lucem.

(y) *Sic ut in die honeſte ambulemus.*] Sicut lux diei prohibet unumquemque agere, quod nocte libere committebat: ita & ſcientia nos prohibet legis mandata contemnere: quod ſciamus nos ſemper a Deo videri.

(z) *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis.*] * Comeſſatio, eſt menſæ collatio. Nos vero habemus ſpirituale convivium dicentes: *Cum convenitis, unuſquiſque pſalmum habeat*, & cætera. Ebrietatem ergo pernicioſam eſſe, & luxuriæ

* *Comeſſatio* hic abſurdè deducitur ex *cum* & *menſa*, cùm *comeſſari* ſit ἀπὸ τοῦ κωμάζειν, hoc eſt, de nocte & poſt cœnam ad amicam convivatum ire. Res eſt lippis & tonſoribus nota.

mate-

[a] non in contentione & æmulatione, ſed [b] induimini Dominum Jeſum Chriſtum: & [c] carnis curam ne feceritis in deſideriis.

CAPUT XIV.

[d] INfirmum autem in fide adſumite : [e] non in diſceptationibus cogitationum. [f] Alius enim credit ſe manducare omnia. [g] Qui autem infirmus eſt, olus manducet. [h] Is qui manducat, non manducantem non ſpernat : & [i] qui non manducat, manducantem non judicet. Deus enim illum adſumpſit. [k] Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? [l] Domino ſuo ſtat aut cadit : ſtabit [m] autem. Potens eſt enim Deus ſtatuere illum. Nam [n] alius judicat diem inter diem : alius autem judicat omnem diem. Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. [o] Qui ſapit diem, Domino ſapit : & [p] qui manducat, Domino manducat. Gratias enim agit Deo. [q] Et qui non manducat, Domino non manducat : & gratias agit Deo. [r] Nemo enim noſtrum ſibi vivit, & nemo ſibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus : ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus. [s] In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit : ut & vivorum & mortuorum dominetur. [t] Tu autem quid judicas fratrem tuum? [u] aut tu quare ſpernis fratrem tuum?

[x] Omnes

materiam: ex hinc cognoſcimus, quia impudicitiam ſubjunxit. Et alibi ait: *Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria.* Ephe. 5.

(a) *Non in contentione & æmulatione.*] Etiam contentionem & invidiam criminoſam eſſe; & aliis multis probatur exemplis, dicente Jacobo: *Si enim zelo amaro habetis* &c. Jacob. 3.

(b) *Sed induimini Dominum Jeſum Chriſtum.*] Solus Chriſtus videatur in vobis, non vetus homo. Qui enim dicit ſe in Chriſto manere; debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare: in quo omnes ſunt virtutes.

Eccl. 18. (c) *Et carnis curam ne feceritis in deſideriis.*] Sicut Salomon ait: *Poſt concupiſcentias tuas non eas.* Et iterum: *Si dederis concupiſcentiam animæ tuæ, in gaudium facies te inimicis tuis venire.*

IN CAPUT XIV.

(d) I*Nfirmum autem in fide adſumite.*] Hic oblique illos increpare incipit, qui ſe fortes putabant, ut immoderate carnibus veſcerentur. Item hic infirmos fideles dicit, qui carnes quæ in macello tunc temporis vendebantur, idololatrias eſſe credebant: & propter hoc ſic putantes, ne polluerentur, oleribus veſcebantur. Unde præcipitur ab Apoſtolo, ne imperiti ita ſentientes judicent, qui habent fidem: omnia quæ in macello veneunt, ſine diſceptatione manducent: quoniam omnis creatura Dei bona eſt: & nihil damnandum eſt eorum, quæ Deus hominibus ad edendum creavit.

(e) *Non in diſceptationibus cogitationum.*] Nolite ſecundum veſtras cogitationes, quem lex non judicat, judicare.

(f) *Alius enim credit ſe manducare omnia.*] Qui tantam fidem habet, ut non moveatur aut abſtinentia confractus, aut ſenio.

(g) *Qui autem infirmus eſt, olus manducet.*] Infirmus aut ætate, aut corporis calore. Item hic probatur: quia non de Judæis dicatur, ut quidam putant, ſed de abſtinentibus. Non enim carnes ſecuodum legem, ſed ſola olera manducabant. Aliter: Si idcirco tibi infirmitas animæ generatur: quia alium ejuſdem propoſiti, carnibus pro ſua fide veſci perhorreſcens, forte cognoſcis: noli eſſe judex alterius voluntatis, nec exigere ab aliquo. Unicuique in voluntate demiſſum eſt: ſed ſi tibi ſcandalum eſt, & non vis carnibus veſci, tibi ipſi impone modum: & melius faciens, ſola olera manduca. Magis unuſquiſque per tuam æquanimitatem ad abſtinentiam provocetur, quam irritatus de hoc ſcandalizet te. Magis in edendis carnibus confirmetur, quod tum non potes quaſi culpam in alio reprehendere, ſi unuſquiſque aut fideliter hoc præſumit, aut forte aſperitate valitudinis, aut ſenecta hoc faciat exigente.

(h) *Is qui manducat, non manducantem non ſpernat.*] Habebant inter ſe ſcandala: illi illos quaſi carnales judicabant: & illi illos tanquam ſtultos irridebant, & ſuperſtitioſos judicabant.

(i) *Et qui non manducat, manducantem non judicet. Deus enim illum adſumpſit.*] Ita illos Deus vocavit ut te.

(k) *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum?*] Cujus tu autoritatis es, ut judices eum quem lex non judicat? Unde & Jacobus ait: *Qui judicat* fratrem, Jaco 4. ſcilicet ſapientiorem ſe, *judicat legem.* Cæterum ipſe Paulus contra mandatum facientes judicavit, & aliis judicandi tribuit facultatem. Ad eum qui fide infirmus eſt ſermo dirigitur, non eum debere judicare manducantem. Omnia quæcunque in macello veneunt: qui robuſtus fide eſt, omnia munda mundis eſſe cognoſcit.

(l) *Domino ſuo ſtat aut cadit.*] Sive vivit, ſive moritur: quia & ille propter Deum abſtinet: & ille ſecundum Deum manducat.

(m) *Stabit autem: potens eſt enim Deus* &c.] Deus Dan. 1. qui tres pueros leguminibus paſtos, meliores apparere fecit, quam illos qui de menſa regis edebant, poteſt & illos diutius facere in corpore ſtare.

(n) *Nam alius judicat diem* &c.] Judæi in eſcis diem inter diem judicare non poterant. Ergo de jejunio & abſtinentia dicit, quæ non ſunt ſub certo modo legis redacta: ut unuſquiſque tantum faciat, quantum poteſt: quantam mercedem habere voluerit. Unde ſequitur: *Unuſquiſque id faciat in tali cauſa, quod melius eſſe judicat.* Item hoc eſt quod dicit, aliquos eſſe, qui certis anni temporibus, alios eſſe qui omni tempore vitæ ſuæ ab eſu carnium decreverunt abſtinendum.

(o) *Qui ſapit diem, Domino ſapit.*] Domino ſapit, qui propter Deum jejunat, & non propter homines.

(p) *Et qui manducat, Domino mand.* &c.] Qui propter Dominum manducat, ut prædicandi Evangelium poſſit habere virtutem: non ſuæ gulæ ſtudet, ſed aliorum ſaluti: propter quod converſi, gratias referant Deo.

(q) *Et qui non manducat, Domino non manducat: & gratias agit Deo.*] Quia per exemplum illius multi ſalvantur, & gratias referunt Deo. Qui enim voce agit gratias, ſolus agit: qui autem etiam in opere, in multis agit.

(r) *Nemo enim noſtrum ſibi vivit, & nemo ſibi moritur* &c.] Nemo fidelium ſibi vivit, & nemo ſibi moritur: quia Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed illi. Cavendum e contrario, ne nos aut nobis vivamus manducando; aut propter homines moriamur jejunando.

(ſ) *In hoc enim Chriſtus* &c.] Adventus Chriſti & vivos inveniet, & mortuos ſuſcitabit. Nihil ergo refert, utrum te reſuſcitet, an vivum inveniat: tantum labora, ut coram eo juſtus appareas.

(t) *Tu autem quid judicas fratrem tuum?*] Qua auctoritate quaſi voracem damnas?

(u) *Aut tu quare ſpernis fratrem tuum?*] Quaſi infirmum deſpiciens, aut ſupervacue jejunantem?

[a] Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti. [b] Scriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dominus: quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo. [c] Itaque unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo. [d] Non ergo amplius invicem judicemus. [e] Sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum. [f] Scio & confido in Domino Jeſu: quia nihil commune per ipſum, niſi ei [g] qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt. [h] Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur, [i] jam non ſecundum caritatem ambulas. [k] Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. [l] Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum. [m] Non eſt enim regnum Dei, eſca & potus, Sed [n] juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. [o] Qui enim in hoc ſervit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus. [p] Itaque quæ pacis ſunt, ſectemur: [q] & quæ ædificationis ſunt, invicem cuſtodiamus. [r] Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. [ſ] Omnia quidem munda ſunt, [t] ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat. [u] Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum: [w] neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. [x] Tu fidem quam habes penes temetipſum, habe coram Deo. [y] Beatus qui non judicat ſemetipſum in eo quod probat. [z] Qui autem diſcernit ſi manducaverit, damnatus eſt: [a] quia non ex fide. [b] Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

CAPUT

(a) *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.*] Tunc conſcientias noſtras Dominus judicabit, quid & quali voto fecerimus.

(b) *Scriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dominus: quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo.*] Hoc teſtimonio probat, quia omnes ſoli Domino reddemus noſtrorum actuum rationem.

(c) *Itaque unuſquiſque noſtrum, pro ſe rationem reddet Deo.*] De his quibus lex tacet. Cæterum ſi videns peccantem non arguerit, reddet etiam Deo pro eo rationem.

(d) *Non ergo amplius invicem judicemus.*] Sufficit quod nunc uſque feciſtis.

(e) *Sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum.*] Hic ſubtiliter ingreditur ad abſtinentiam commendandam: & dicit illos abſtinere debere quamvis firmi ſint, ne exemplo illorum, infirmi ſcandalum patiantur.

(f) *Scio & confido in Domino Jeſu: quia nihil commune per ipſum.*] Non hoc ideo dico: quia putem aliquid commune eſſe. Per Chriſtum enim ſcio omnia eſſe mundata. Commune enim dicitur, quicquid immundum videtur in eſca Judæorum.

(g) *Niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt.*] Illi per conſcientiam fit commune, qui adhuc ritu Judaico, aliquid poſt Chriſti fidem in talibus cauſis arbitratur immundum.

(h) *Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur.*] Non dixit, propter jejunium: ſed ne illum tuo exemplo aut provoces, aut compellas.

(i) *Jam non ſecundum caritatem ambulas.*] Quia invitus manducat, quod illi non expedit. Etiam non diligis proximum ſicut te, ſi non illius utilitatem cogitas ſicut tuam.

(k) *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.*] Non dixit, abſtinentia tua, ſicut quidam volunt.

(l) *Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum.*] Libertatem quam habemus in Domino, ut omnia nobis munda ſint, non ea ita debemus uti, ut videamur propter gulam & epulas ambulare. Sive blaſphematur, ſi propter talia contendimus.

(m) *Non eſt enim regnum Dei eſca & potus.*] Non per eſcam juſtificamur. Sed & hoc notandum, quod non dixerit: jejunium & ſobrietas non eſt regnum Dei, ſed eſca & potus. Item hic manifeſte monſtratur, quoniam regnum cœlorum cibum & potum non habet temporalem, ſed illic ſpiritualiter vivitur.

(n) *Sed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.*] Quæ per abſtinentiam facilius cuſtoditur. Ubi vero juſtitia, ibi & pax, ibi & gaudium ſpirituale: quia ex diſſenſione ſemper triſtitia & moleſtia generatur.

(o) *Qui enim in hoc ſervit Chriſto, placet Deo: & probatus eſt hominibus.*] De tali homine nemo poteſt dubitare, quia ſanctus eſt.

(p) *Itaque quæ pacis ſunt, ſectemur.*] Ut non invicem nos de hujuſmodi judicemus.

(q) *Et quæ ædificationis ſunt, invicem cuſtodiamus.*] Sed ædificatio eſt abſtinentia. Cæterum eſca etiam ſi neminem perdat, nullum ædificat.

(r) *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei.*] Hominem ſcilicet a Deo creatum.

(ſ) *Omnia quidem munda ſunt.*] Repetit quod ſuperius dixerat, ne creaturam damnare videretur.

(t) *Sed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat.*] Ipſum mundum, illis fit malum, ſi per illud alterum offendant.

(u) *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum.*] Exponit quid ſit per quod offendere dicebat infirmum. Item hoc loco laudat quidem abſtinentiam carnis & vini: ſed multo magis admonet, propter ſcandalum fratris abſtinendum eſſe a cibo & potu eorum, quæ idolis immolantur.

(w) *Neque in quo frater tuus offenditur* &c.] Infirmatur a pudicitia. Vinum enim & mulieres apoſtatare faciunt etiam ſapientes. Eccl. 19.

(x) *Tu fidem quam habes penes temetipſum* &c.] Si in hoc fidelem te putas: ſic manduca, ut nemo tuo infirmetur exemplo.

(y) *Beatus qui non judicat ſemetipſum in eo quod probat.*] Quia non ſuam infirmitatem probando conſiderat, ſed alterius ſalutem infirmi.

(z) *Qui autem diſcernit ſi manducaverit, damnatus eſt.*] Si quis de alio diſcernat & dicat: Iſta ſi manducaverit, plane damnandus eſt. Hoc non habet fides, & ideo ſubſequitur:

(a) *Quia non ex fide.*] Non eſt enim ex fide, ſi tu alium idcirco condemnas: quia te jejunante, ille manducat. Aliter: Qui ſe ita dijudicat. Idipſum enim eſt diſcretio & judicium: quia & judicium diſcernendo fit & diſcretio judicando.

(b) *Omne autem quod non ex fide* &c.] Non ex fide, quæ per caritatem operatur. Quicquid ergo alium deſtruit, ex fide non eſt, & idcirco peccatum.

CAPUT XV.

[a] DEbemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere: [b] & non nobis placere. Unuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in [c] bonum, ad ædificationem. [d] Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed [e] ſicut ſcriptum eſt: Improperia improperantium tibi, ceciderunt ſuper me. [f] Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ut [g] per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. [h] Deus autem patientiæ & ſolatii det [i] vobis idipſum ſapere in alterutrum, ſecundum Jeſum Chriſtum: ut [k] unanimes uno ore honorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. [l] Propter quod ſuſcipite invicem, [m] ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei. [n] Dico enim Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad [o] confirmandas promiſſiones patrum: [p] gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, [q] ſicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in gentibus Domine: & nomini tuo cantabo. Et [r] iterum dicit: Lætamini gentes cum plebe ejus. Et [s] iterum: Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi. Et rurſus Eſaïas ait: Erit radix Jeſſe: & [t] qui exſurgat regere gentes: in eum gentes ſperabunt. [u] Deus autem ſpei [w] repleat vos omni glaudio

IN CAPUT XV.

(e) DEbemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere.] Si vere firmi eſtis, ſic facite ut ego, qui factus ſum infirmus, ut infirmos lucriſacerem.

(b) *Et non nobis placere: unuſquiſque proximo ſuo placeat.*] Non à nobiſipſis, ſed à proximis collaudemur: ſicut & alibi ſuum nobis proponit exemplum, dicens: *Sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis ut ſalvi fiant.* Nemo enim poteſt ædificare alterum, cui per bonam vitam non ante placuerit. Sed & ſibi placentes ſunt, qui propria commoda quærentes, ſuam faciunt voluntatem.

(c) *In bonam ædificationem.*] Oſtendit modum placendi & cauſam: ne ad vanam gloriam placeamus. Simul cum dicit: *In bonam ædificationem:* oſtendit ma-
1 Cor. 8. lam eſſe, ſicut eſt illud: Aedificabitur ad manducandum idolothyta.

(d) *Etenim Chriſtus non ſibi placuit.*] Imitatur hoc & diſcipulus Chriſti: non quærit ſuum commodum. Ille enim ob aliorum ſalutem, etiam mortuus eſt, & improperia amariſſima ſupportavit, dicentium: *Vah qui*
Mar. 15. *deſtruis templum* &c.

Pſal. 41. (e) *Sicut ſcriptum eſt: Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me.*] Quæcumque non ſolum Chriſto, ſed etiam ſanctis exprobrantur Dei cauſa, Deo improperari dicuntur, ut eſt illud: Ubi eſt Deus tuus?

(f) *Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.*] Nihil enim ſcriptum eſt ſine cauſa. Nam & merita vel tentationes juſtorum ad noſtram proficiunt ædificationem: quia Deo manifeſtiſſimi erant.

(g) *Ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.*] Per Scripturarum ſolatia, ſpem futu-
Pſal. 118. ram patientiſſime exſpectamus, ſicut ſcriptum eſt: *Pax multa diligentibus legem tuam: & non eſt illis ſcandalum:* hoc eſt, qui conſolatione legis utuntur, moveri ulla tentatione non poſſunt, ut per exempla patientiæ & conſolationis eorum quæ ſcripta ſunt ſperemus conſolationem etiam in præſentibus tentationibus. Magna enim cauſa ſolatii eſt, ſi quæ nos patiamur, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum & ſanctos ejus ſciamus eſſe perpeſſos.

(h) *Deus autem patientiæ & ſolatii.*] Hoc loco Deus patientiæ, Spiritum Sanctum ſignificat, qui donat nobis ſecundum Chriſtum unanimes glorificare Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Item patientiæ ejus quæ eſt in converſione & ſolatio, non ira, neque diſſidio.

(i) *Det vobis idipſum ſapere* &c.] Unuſquiſque ſic quærat ſalutem alterius quaſi ſuam, ſicut Chriſtus ſua morte omnes ſalvavit à morte.

(k) *Ut unanimes uno ore honorificetis Deum & Patrem* &c.] Tunc vere Deus honorificatur, ſi uno animo & concordi voce laudatur. Si enim duo convenerint ſuper terram ex omni re, quæcumque petierint, fient illis.

(l) *Propter quod ſuſc.* &c.] Propter honorem Dei invicem onera veſtra portate: ſic adimplebitis legem Chriſti: quia nos ſuſcepit in ſe, cum eſſemus impii. Quanto ergo magis nos invicem ut ſimiles, nos ſuſtinere debemus. Iterum hic utrumque populum ad unitatem hortatur. Conſentio vobis, ô Judæi, quia Chriſtus vobis promiſſus ad vos venerit primum & gentes propter miſericordiam Dei vocatæ ſint: tamen unum corpus eſtis effecti.

(m) *Sicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei.*] Sive in gloriam divinitatis: ſive propter honorem Dei.

(o) *Dico enim Chriſtum Jeſum miniſtrum* &c.] Hic oſtendit quoniam ſecundùm carnem Chriſtus, juxta promiſſiones patrum, ex ipſis natus ſit: ut præcepta legis impleret. Item non venerat miniſtrari, ſed mi- Matth. 20.
niſtrare, & dare animam ſuam redemtionem pro multis.

(o) *Ad confirmandas promiſſiones patrum.*] Quia illis promiſerat Chriſtus, ſicut ipſe dicit: Non veni niſi ad Matth. 15.
oves perditas domus Iſrael.

(p) *Gentes autem* &c.] Cui enim plus dimittitur, Luc. 7. 8.
plus diligit.

(q) *Sicut ſcriptum eſt: Propter hæc confitebor* &c.] Tulit Judæis arrogantiam, dum gentium ſalutem docet eſſe prædictam: quamvis non fuerit nunciatus ipſe Chriſtus in gentibus. Confitetur eos miſericordiam conſecutos: quia & ipſi ſunt in corpore ejus.

(r) *Et iterum dicit: Lætamini* &c.] Qui cum ipſis eſtis ad ſalutem adducti.

(ſ) *Et iterum: Laudate omnes &c. Erit radix Jeſſe.*] Jeſſe pater fuit David de cujus ſemine, id eſt, Maria, natus eſt Chriſtus.

(t) *Et qui exſurget regere gentes: in eum* &c.] Non de proſelytis aſſerit, ſed & illud huic loco ſimile eſt: Non deficiet princeps ex Juda, nec dux de femori- Gen. 49.
bus ejus. Unde probatur vere jam veniſſe Chriſtum, in quo omnes gentes ſperare manifeſtum eſt.

(u) *Deus autem ſpei.*] In quo omnes ſperamus: hoc oſtendit quomodo Deus abſque virtute Spiritus Sancti, non replet aliquando nationem gratia, quoniam unum donum eſt Patris & Spiritus Sancti.

(w) *Repleat vos omni gaudio & pace.*] Pax fidelium, in ſpe debet eſſe futura. Et ibi omne gaudium ubi pax eſt. Nullum vero in diſſenſione gaudium, ſed univerſa mœſtitia.

gaudio & pace in [a] credendo: ut abundetis in ſpe & virtute Spiritus Sancti. [b] Certus ſum autem, fratres mei, & ego ipſe de vobis: [c] quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione: [d] repleti omni ſcientia: ita ut poſſitis alterutrum monere. [e] Audacius autem ſcripſi vobis, fratres, ex parte, [f] tamquam in memoriam vos reducens, [g] propter gratiam quæ data eſt mihi à Deo: [h] ut ſim miniſter Chriſti Jeſu in gentibus [i] ſanctificans Evangelium Dei: [k] ut fiat oblatio gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu Sancto. [l] Habeo igitur gloriam in Chriſto Jeſu ad Deum. [m] Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam gentium, in [n] verbo & factis, in virtute ſignorum & prodigiorum, in [o] virtute Spiritus Sancti: [p] ita ut ab Hieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleverim Evangelium Chriſti. Sic [q] autem prædicavi Evangelium hoc: non ubi nominatus eſt Chriſtus: ne ſuper alienum fundamentum ædificarem: ſed [r] ſicut ſcriptum eſt. [ſ] Quoniam quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt de eo, intelligent: [t] propter quod & impediebar plurimum venire ad vos: & [v] prohibitus ſum uſque adhuc. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus: [w] cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex [x] multis jam præcedentibus annis: [y] cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quod præteriens videam vos: & à [z] vobis deducar illuc, ſi vobis primum ex parte fruitus fuero. [a] Nunc igitur proficiſcar in Hieruſalem, [b] miniſtrare ſanctis. [c] Probaverunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes [d] ſanctorum

qui

(a) *In credendo ut abundetis in ſpe* &c.] Abundantia, in ſpe, in ſpiritu, virtutibus conſiſtit & ſignis.

(b) *Certus ſum autem fratres* &c.] Bonus doctor laudando provocat ad profectum, ut erubeſcant tales non eſſe quales ab Apoſtolo putantur.

(c) *Quoniam ipſi pleni eſtis dilectione.*] Providit ne umquam contentioſius dura increpaſſe videatur. Vel diſſidentes aut ſtultos oſtendit Chriſtianos ſemper alterutrum monere debera.

(d) *Repleti omni ſcientia* &c.] Hoc eſt, novi & veteris Teſtamenti.

(e) *Audacius autem ſcripſi vobis, fratres, ex parte.*] Imò ideo magis ſcribendi fiduciam habui, quia novi vos ut prudentes cito accipere rationem, ſicut Scrip-
Proverb. 9. tum eſt: Argue ſapientem, & amabit te. Item hoc loco aut humilians ſe Apoſtolus loquitur: aut certe quoniam habentibus jam prædicationem Petri, ipſe audeat prædicare.

(ſ) *Tamquam in memoriam vos reducens.*] Recordans vos eſſe prudentes ſive non ignaros, non doceo, ſed commoneo ut ſcientes.

(g) *Propter gratiam quæ data eſt mihi à Deo.*] Non propter munera terrena vel laudem, ſed ut impleam officium quod accepi.

(h) *Ut ſim miniſter Chriſti Jeſu in gentibus.*] Serviens evangelio: hoc eſt, revocans ei ſervos quoſdam fugitivos.

(i) *Sanctificans evangelium Dei.*] Meo exemplo ſanctum eſſe demonſtrans, quod cum tanto timore perficio. Quidam enim ut humanum contemnunt, quod prædicant ut divinum: & ita fit ut res ſancta videatur eſſe non ſancta, cum non perficitur ſancte. Unde di-
Joel. 2. citur: *Sanctificate jejunium*, id eſt ſanctum facite, ſive monſtrate.

(k) *Ut fiat oblatio gentium* &c.] Ut exemplo meo gentes efficiantur hoſtia Deo accepta, non igni ſanctificata vel ſuſcepta, ſed Spiritu Sancto, ſicut ſcriptum
Act. 2. eſt: *Quia ſedit ſuper apoſtolos quaſi ignis: & viſæ ſunt eis variæ linguæ.*

1 Cor. 1. (l) *Habeo igitur gloriam Chriſti* &c.] Qui gloriatur, in Domino glorietur. Gloriam habeo apud Deum, licet apud homines infamer & maculer.

(m) *Non enim audeo aliquid loqui eorum* &c.] Hic oſtendit Chriſti & Spiritus Sancti, unam eſſe potentiam atque virtutem. Item non auſus ſum aliquid dicere me in his dumtaxat rebus propria virtute feciſſe, & non omnia per me eſſe Deum operatum.

(n) *Verbo & factis in virtute* &c.] Hoc eſt doctrina & ſignis. Non enim de operibus hic, ſed de virtutibus loquebatur.

(o) *In virtute Spiritus Sancti.*] Unam eſſe virtutem atque potentiam.

(p) *Ita ut ab Hieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleverim Evangelium Chriſti.*] Repletur evangelium, cum etiam gentes credunt.

(q) *Sic autem hoc prædicavi evangelium, non ubi nominatus eſt Chriſtus: ne ſuper* &c.] Non omnis qui ſuper alienum fundamentum ædificat, male facit: ſed ſi ædificet aurum & cætera. Hic pſeudoapoſtolos tangit, qui ſemper ad eos qui jam crediderant ibant & numquam ad gentes: quia non poterant virtutes operari. Et oſtendit perfecte ſe laboraſſe, qui & fundamentum poſuit & ædificium ſuperſtruxit.

(r) *Sicut ſcriptum eſt.*] In Eſaia. Oſtendit ſuum la- Eſa. 52.
borem jam ante fuiſſe prædictum.

(ſ) *Quoniam quibus non eſt annuntiatum de eo, videbunt, & qui non audierunt intelligent.*] Oſtenditur Chriſtus in apoſtolis & per virtutes quæ in ejus nomine fiebant.

(t) *Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos.*] Expoſuit illud quod in capite dixerat.

(v) *Sed prohibitus ſum uſque adhuc. Nunc vero* &c.]. Ubi jam toti firmi ſunt, cauſam ſe negat habere ponendi fundamentum.

(w) *Cupiditatem autem habens veniendi ad vos.*] Notandum, eſſe cupiditatem etiam bonam: *Sicut cupio diſ-* Philip. 1.
ſolvi & eſſe cum Chriſto. Et: *Concupivit anima mea de-* Pſal. 118.
ſiderare juſtificationes tuas.

(x) *Ex multis jam præcedentibus annis.*] Qualis neceſſitas fuerit oſtendit, quæ illum multis detineret annis.

(y) *Sed cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero* &c.] Utrum in Hiſpania fuerit, incertum habetur.

(z) *Et à vobis deducar illuc, ſi vobis primum ex parte fruitus fuero.*] Quia ita vos exhibetis, ut nec apud vos locum aut neceſſitatem habeam diutius remorandi: & ideo ex parte illis fuiſſe dicit: quia non credere indigebant, ſed tantummodo confirmari. Sive ideo ex parte: quia nulla magnitudo temporis facit ad caritatem.

(a) *Nunc igitur proficiſcar in Hieruſalem.*] Hoc mihi reſtat deinceps ut veniam.

(b) *Miniſtrare ſanctis.*] Sancti erant in Hieruſalem, qui omnibus ſuis diſtractis, & ante Apoſtolorum pedes depoſitis, orationi, lectioni, doctrinæque vacabant. Quales autem fuerint, ex hoc cognoſcitur, ut ipſe Apoſtolus per ſe illis pergeret miniſtrare, & quibus oblationem ſuam eſſe optat acceptam: id eſt, ut eam dignentur accipere, oſtendens hoc non tam prodeſſe accipientibus, quàm dantibus. Hoc contra illos facit qui gloriam perfectionis impugnant.

(c) *Probaverunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere.*] Probaverunt hoc ſibi utile fore, ſi collationem aliquam ſumptuum facerent ſanctis.

(d) *In pauperes ſanctorum qui ſunt in Hieruſalem. Placuit enim eis.*] Quia propter ſanctorum ædificationem eſſe pauperes voluerunt. Sive ſimpliciter pauperes ſanctorum intellige.

(a) Et

qui ſunt in Hieruſalem. Placuit enim eis, & [a] debitores ſunt eorum. [b] Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt gentiles: debent & in carnalibus miniſtrare eis. [c] Hoc igitur cum conſummavero, & adſignavero eis fructum hunc: per vos proficiſcar in Hiſpaniam. [d] Scio autem quoniam veniens ad vos: in abundantia benedictionis Chriſti veniam. [e] Obſecro ergo vos, fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & [f] per caritatem Sancti Spiritus: ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum: ut [g] liberer ab infidelibus qui ſunt in Judæa: & obſequii mei oblatio accepta fiat in Hieruſalem ſanctis: ut [h] veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiſcum. [i] Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.

CAPUT. XVI.

[k] COmmendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, [l] quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchræis: ut [m] eam ſuſcipiatis in Domino digne ſanctis, & adſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit. Etenim ipſa quoque adſiſtit multis, & mihi ipſi. [n] Salutate Priſcam & Aquilam adjutores meos in Chriſto Jeſu: [o] qui pro anima mea ſuas cervices ſuppoſuerunt: Quibus non ſolum ego gratias ago, ſed & cunctæ Eccleſiæ gentium: & [p] domeſticam Eccleſiam eorum. [q] Salutate Epænetum dilectum mihi: qui eſt primitivus Eccleſiæ Aſiæ in Chriſto Jeſu. Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis. [r] Salutate Andronicum & Juniam cognatos & concaptivos meos: qui ſunt nobiles in Apoſtolis: qui & ante me fuerunt in Chriſto Jeſu. Salutate Ampliatum dilectiſſimum mihi in Domino. Salutate Urbanum adjutorem noſtrum in Chriſto Jeſu: & Stachyn dilectum meum. Salutate Apellen, probum in Chriſto. Salutate eos qui ſunt ex Ariſtobuli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui ſunt ex Narciſſi domo, qui ſunt in Domino. Salutate Tryphænam & Tryphoſam: quæ laborant in Domino. Salutate Perſidem cariſſimam quæ multum laboravit in Domino. Salutate

(a) *Et debitores ſunt eorum.*] Exemplo eorum provocat Romanos ad ſimile opus, oſtendens hoc illis non immerito placuiſſe.

(b) *Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare eis.*] Quia doctores ex ipſis habebant, & ſocii facti fuerant radicis, & pinguedinis olivæ: ideoque unuſquiſque in quo abundat debet alteri impertire.

(c) *Hoc igitur cum conſummavero & adſignavero eis fructum hunc, proficiſcar per vos in Hiſpaniam.*] Si vos bene exhibueritis, abundavit nobis bona doctrina in vos; quia quantum proficit diſcipulus, tantum provo-
1 Cor. 6. catur ad docendum & doctor. Sicut alibi ait: Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthii. Sive abundanter benedicitur in adventu meo Chriſtus in vobis.

(d) *Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedict.* &c.] Sciens Apoſtolus quoniam propter prædicationem Chriſti Romam vinctus ducendus erat, in abundantia benedictionis prædicat ſe eſſe venturum. Vel certe quoniam conſcius ſibi erat, nihilominus habere ſe gratiam ab aliis Apoſtolis.

(e) *Obſecro igitur vos, fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*] Rogat ut pro eo tota inſtanter oret Eccleſia: quia novit multum valere preces in communi multorum. Jacobo enim occiſo, Petrus fratrum precibus de carcere liberatur: qui non tam illi quàm ſibi beneficium præſtiterunt, ſcilicet, ut ejus poſſent doctrina firmari.

(f) *Et per caritatem Spiritus, ut adjuvetis* &c.] Spiritualis enim caritas facit ut pro invicem exoretis.

(g) *Ut liberer ab infidelibus qui ſunt in Judæa, & obſequii mei oblatio accepta fiat in Hieruſalem ſanctis.*] Sive ut omnes credant: ſive fidelibus miniſtrans, in manus infidelium non incurram, ne ad vos venire non poſſim.

(h) *Ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiſcum.*] Tunc in gaudio veniam, ſi oblatio mea ab eis accepta fuerit: & ſecurus verbum Dei abundantius loquar. Triſtitia enim animi multum impedit ad doctrinam.

(i) *Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.*] Deus pacis non niſi in pacificis eſt. Pulchre autem finivit, duobus populis in concordiam revocatis.

IN CAPUT XVI.

(k) *COmmendo autem vobis Phœben ſororem noſtram.*] Jam quaſi finito textu epiſtolæ, ut ſolet, commendationis gratiam ſubter adnexuit. Item hic monſtrat Apoſtolus non accipiendam aut eligendam perſonam eiſe viri vel fœminæ, quando Romanis per mulierem ut fertur literas mittit. In eadem epiſtola aliis fœminis mandat ſalutem.

(l) *Quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ quæ eſt in Cenchræis.*] Sicut etiam nunc in Orientalibus diaconiſſæ mulieres, in ſuo ſexu miniſtrare videntur in baptiſmo, ſive in miniſterio verbi: quia privatim docuiſſe fœminas invenimus, ſicut Priſcillam, cujus vir Aquila vocabatur.

(m) *Ut eam ſuſcipiatis in Domino digne ſanctis: & adſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit. Etenim ipſa quoque* &c.] Ut adjuvetis eam ſive ſumtuum opibus, ſive ſolatio: quia & ipſa quamdiu habuit, plures adjuvit.

(n) *Salutate Priſcam & Aquilam* &c.] Qui confirmaſſe ſe Apoſtolo dicuntur in fide: quos & ideo adjutores appellat: quia in opere doctrinarum ubi ipſe laborabat & iſti juverunt.

(o) *Qui pro anima mea ſuas cervices* &c.] Probando meam doctrinam, ſe periculo ſubjecerunt, propter quod illis omnes eccleſiæ gratias agunt: quia per illos ego ſervatus ſum.

(p) *Et domeſticam eorum Eccleſiam.*] Oſtendit congregationem fidelium, Eccleſiam nominari.

(q) *Salutate Epænetum dilectum mihi* &c.] Primitivos Eccleſiæ Aſiæ, iſtos omnes quos ſalutat, intelligimus ex nominibus fuiſſe peregrinos: per quorum exemplum atque doctrinam, non abſurde exiſtimamus credidiſſe Romanos.

(r) *Salutate Andronicum & Juliam, cognatos & concaptivos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis: qui & ante me fuerunt in Chriſto* &c.] Aetate, non partu, matrem ſalutate. Hi ex Judæis erant, & quia ſimul cum Paulo fuerant tribulati, nec territi: ideo nobiles hoc merito habebantur: qui ad profectum Romanorum inter cæteros fuerant deſtinati, quique priores Paulo crediſſe, ipſius teſtimonio referuntur.

tate Ruſum electum in Domino: & matrem ejus & meam. [a] Salutate Aſyneritum & Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen: & qui cum eis ſunt fratres. Salutate Philologum & Juliam, Nereum & ſororem ejus, & Olympiadem: & omnes qui cum eis ſunt ſanctos. [b] Salutate invicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti. [c] Rogo autem vos, fratres, ut obſervetis eos qui diſſenſinnes & offendicula præter doctrinam quam vos didiciſtis faciunt: & declinate ab illis. Hujuſeemodi enim Chtiſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri: & [d] per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium. [e] Veſtra enim obedientia in omni loco divulgata eſt. [f] Gaudeo igitur in vobis: ſed volo vos ſapientes eſſe in bono: & ſimplices in malo. Deus autem pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum. Salutat vos Timntheus adjutor meus, & Lucius & Jaſon & Soſipater, cognati mei. Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolam hanc in Domino. Salutat vos Caius hoſpes meus, & univerſa Eccleſia. [g] Salutat vos Eraſtus Atcarius civitatis, & Quartus frater. [h] Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis: Amen. Ei [i] autem qui potens eſt vos confirmare [k] juxta evangelium meum, & prædicationem Jeſu Chriſti, [l] ſecundum revelationem myſterii [m] temporibus æternis taciti: quod nunc pateſactum eſt per Scripturas Prophetarum, [n] ſecundum præceptum æterni Dei ad [o] obeditionem fidei in cunctis gentibus [p] cogniti, ſoli ſapienti Deo, per Jeſum Chriſtum: cui honor & gloria in ſecula ſeculorum. AMEN.

FINIS.

(a) *Saluate Aſyncriton, Phlegontem, Herman, Patrobam, Hermen: & qui cum eis ſunt fratres. Salutate Philologum & Juliam, Nereum & ſororem ejus* &c.] Suo exemplo oos docet quales amicos debeamus in noſtris literis ſalutare: non divites ſeculi, facultatibus vel dignitatibus bonoratos: ſed gratia ac fide locupletes.

(b) *Salutate invicem in oſculo ſancto. Salutant vos* &c.] Non ficte vel ſubdole, quale Judas tradidit Salvatori. Ideo enim in eccleſia pax primo anouociatur: ut oſtendat ſe cum omnibus eſſe pacificum qui corpori communicaturus eſt Chriſti.

(c) *Rogo autem vos, fratres, ut obſervetis eos qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam quam vos didiciſtis faciunt, & declinate ab illis. Hujuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri.*] De illis dicit qui ex circumciſione illo tempore venerant, jejunia & abſtinentiam deſtruentes, neomenias & ſabbata & cæteras ferias, ventris gratia prædicabaot, diſſentientes ab Apoſtolica doctrina, & fratribus offendicula præparantes.

(d) *Et per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium.*] Per blandimenta, & adulatiooes, comto ſermooe compoſitas.

(e) *Veſtra enim obedientia in omni loco divulgata eſt.*] Si illis obediſtis quibus non debuiſtis: quanto magis oobis obedire debetis? Nam & illi propterea ad vos venerunt, quia ſciebant vos per obedientiam ſimplicem cito poſſe ſeduci.

(f) *Gaudeo igitur in vobis: ſed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo* &c.] Quia bona eſt obedientia, ſed ſi rationabilis ſit: & ideo volo vos ſapientes eſſe io bono, ut malum neſcientes, ſub pedibus innocentiæ deponatis inimicum. Ita enim dedit nobis Dominus poteſtatem calcandi ſuper ſcorpiones atque ſerpentes, & omnem virtutem inimici: id eſt, ne oobis prævaleat: & omnibus ſuper eum membris liberis ac ſolutis ambulare poſſimus.

(g) *Salutat vos Eraſtus Arcarius civitatis & Quartus frater.*] Hic Arcarium ex Arcario dicit: ſicut gentes credentes ex gentibus ſæpe vocavit, ſecundum conſuetudinem legis quæ Abigail, uxorem Nabal adhuc appellat, cum jam illo mortuo in David matrimonium tranſiſſet.

(h) *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.*] Hæc ſubſcriptio manus ejus in omnibus Epiſtolis, ut in ea etiam commooeret beneficia Chriſti.

(i) *Ei autem qui potens eſt vos confirmare.*] Signis atque doctrinis. Item hic Patris perſonam monſtrat. Deſcendens autem dicit: *manifeſtatum hunc per ſcripturas Propheticas ſecundum imperium æterni Dei*: Spiritum Sanctum ſignificat. Item infert: *Cognitum eſt ſoli ſapienti Deo per Chriſtum Jeſum: cui gloria in ſecula.* Hoc loco Patrem & Filium manifeſte loquitur. Quod autem dicit: *Cognitum eſt ſoli ſapienti Deo*: in communi munere, myſterii ſignificat Trinitatem.

(k) *Juxta Evangelium meum & prædicationem Jeſu Chriſti.*] Ut ſic vivatis, quomodo ego Chriſti exemplo & auctoritate gentibus prædicavi.

(l) *Secundum revelationem myſterii.*] Myſterium de vocatione univerſarum gentium in lege diu fuerat occultatum, quod nunc per Paulum evidenter pateſactum eſt Evangelium in Chriſto, per teſtimonia Prophetarum: quia quamvis de gentibus ante multa dixiſſet, tamen quomodo & in Chriſto unum fierent & Judæi, nemo tam aperte cognoverat. Exiſtimare enim poterant quoſdam ad fidem quaſi proſelytos admittendos.

(m) *Temporibus æternis taciti, quod nunc pateſactum* &c.] Deſcendens autem dicit quid eſt pateſactum.

(n) *Secundum præceptum æterni Dei.*] Præcepit Deus ut omnes gentes obediant & Deum agnoſcant, quod futurum quandoque ſolus ante ſciebat, qui ſolus naturaliter ſapiens, ſicut naturaliter bonus: cum tamen & bomo dicatur bonus: ſed nos inſtitutione boni vel ſapientes eſſe poſſumus: ille natura. Cui per Jeſum Chriſtum gloria & bonor in ſecula ſeculorum.

(o) *Ad obeditionem* &c.] Spiritum Sanctum ſignificat. Item infert:

(p) *Cogniti ſoli ſapienti Deo per Jeſum Chriſtum: Cui honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

Commentariorum in epiſtolam ad Romanos finis.

AD CORINTHIOS

EPISTOLA PRIMA.

CAPUT I.

[a] PAulus, [b] vocatus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & [c] Soſthenes frater Eccleſiæ Dei, [d] quæ eſt Corinthi: ſanctificatis in [e] Chriſto Jeſu vocatis ſanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti: [f] in omni loco ipſorum & noſtro. [g] Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto. [h] Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu, [i] quia in omnibus divites facti eſtis in illo, [k] in omni verbo & in omni ſcientia: [l] ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis: [m] ita ut nihil vobis deſit in ulla gratia [n] exſpectantibus revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti, [o] qui & confirmabit vos uſque in finem ſine crimine, in die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti. [p] Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri. [q] Obſecro autem vos, fratres, per nomen Domini [r] noſtri Jeſu Chriſti: [ſ] ut idipſum dicatis omnes: [t] & non ſint

in

COMMENTARII IN PRIMAM Epiſtolam ad Corinthios.

CAPUT. I.

(a) PAulus.] Quod nomen præponit in epiſtolis, auctoritatis eſſe oſcendum. Item aliter. *Paulus Apoſtolus*: connectens in epiſtola fratrum nomina: vel humilitatem ſuam ſignificat: vel cooperatorem eſſe eum apoſtolicæ prædicationis oſtendit.

(b) *Vocatus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei.*] Voluntate Dei vocatur quiſquam ad fidem, ſed ſua ſponte & ſuo arbitrio eredit, ſicut ait in Actibus: *Non fui incredulus cæleſti viſioni.* Act. 16.

(c) *Et Soſthenes frater Eccleſiæ Dei.*] *Frater*, inquit, non Apoſtolus: Hunc autem idcirco ſecum ſcribentem inducit: quia ex ipſis doctor eſt: & pro his valde ſollicitus.

(d) *Quæ eſt Corinthi.*] Oſtendit qui ſunt Eccleſia Dei, ſancti, ſcilicet, & immaculati: quia Eccleſia neque maculam habet neque rugam: & ideo his ſcribit qui integram adhuc ſervabant, non qui perdiderunt ſanctitatem. Nam iſtos honorat litteris, illos auctoritate commendat.

(e) *Sanctificatis in Chriſto Jeſu vocatis ſanctis.*] Per baptiſmum ſanctificatis. *Cum omnibus qui invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti.*] Proprie ſacerdotum eſt invocare Dominum. Quibus dicitur: *Sic benedicite filiis Iſrael, invocantes nomen meum ſuper illos.* Ex Pſal. 98. pſalmiſta dicit: *Et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus.* Quem ſacerdotem fuiſſe illa res probat: quia & ſacerdoti ſucceſſit & hoſtias offerebat. De quo etiam ſecundum hiſtoriam dictum eſt: *Suſcitabo mihi ſacer-* 1. Reg. 2. *dotem fidelem.* Qui quamvis non ſit ex genere Aaron, tameo de tribu Levi eſſe in Paralipomenon legitur: quia ipſe hunc conſtituit qui & illum. Ita enim Aaron elegit, ut alios poſtea eligendi non amiſerit poteſtatem.

(f) *In omni loco ipſorum & noſtro.*] Quia ſacerdotes & ſuo & Apoſtolorum loco funguntur. Propter quod etiam *Eccleſiarum Apoſtoli* nominantur. Item aliter. Univerſis Eccleſiis provinciæ Achaiæ oſtendit ſe has litteras mittere.

(g) *Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto.*] Pax gratiam ſervat, quam quidam habere nolebant.

(h) *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu.*] Primum ſolito laudando provocat ad profectum, & dicit ſe quidem gaudere de eorum ſcientia: ſed ſcire illos debere: quia vera ſapientia non inflat, neque diſſentit.

(i) *Quia in omnibus divites facti eſtis in illo.*] In omnibus virtutibus, per ſapientiam, quæ amicos Dei & Prophetas conſtituit. Item aliter. Hoc dicendo, Apoſtolus oſtendit eos quando ad fidem Chriſti acceſſerunt, omni gratia tuoc ditatos: ounc autem oon juxta fidem converſantes, vacuefactam monſtrat gratiam quam perceperunt.

(k) *In omni verbo & in omni ſcientia.*] Id eſt, tam novi quam veteris Teſtamenti.

(l) *Sicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis.*] Teſtimonium quo ait: Omnis ſcriba doctus in regno cœlorum ſimilis eſt homini patrifamilias qui profert de theſauro ſoo nova & vetera.

(m) *Ita ut nihil vobis deſit in ulla gratia.*] Unde ait Salomon. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, Sap. 7. id eſt, cum ſapientia.

(n) *Exſpectantibus revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti.*] Ille vere exſpectat adventum Chriſti qui in omnibus præparatus eſt. Revelatio autem dicitur Domini adventus: quia modo a nobis abſcondita eſt.

(o) *Qui & confirmabit vos uſque ad finem ſine crimine in die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti.*] Per doctrioam, ſicut ait David: *Confirma me in verbis tuis.* Ex Pſal. 118. iterum: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Item aliter. Orat pro ipſis ut uſque ad finem vitæ ſuæ irreprehenſibiles in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti permaneant.

(p) *Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri.*] Quam ſocietatem Joannes exponit, dicens: *Quoniam Deus lux eſt, &* 1. Joan. 1. *tenebræ in eo non ſunt ullæ. Si dixerimus quia ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur.* Ex Paulus ait: *Si commortui ſumus, & convivemus:* 2. Tim. 2. *ſi ſuſtinemus, & conregnabimus.* Hic locus contra Arianos facit, qui in hoc minorem eſſe Filium volunt, quo per ipſum omnia facta referuntur, eum hoc etiam in Patrem cadat, per quem in ſocietatem Filii ejus credentes vocat. Item aliter: Hoe contra Arianos valet qui miniſtrum præceptorum Patris Filium dicunt: quoniam ſcriptum eſt: Omnia per ipſum facta ſunt: hic autem oſtenditur quia per Deum Patrem vocati ſunt in communionem Jeſu Chriſti Domini noſtri. Huc uſque cum laude præfatio.

(q) *Obſecro autem vos fratres.*] Ad unam ſentiendi concordiam revocat: & ut ipſi omnes idem loquaotur hortatur. Item aliter. Hic jam cauſam contra diſſenſionem aggreditur.

(r) *Per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti.*] In quo nomine ſalvati eſtis & ſigna fieri conſpexiſtis.

(ſ) *Ut idipſum dicatis omnes.*] Ut unum ſentiatis atque dicatis.

(t) *Et non ſint in vobis ſchiſmata.*] Schiſmata ſemper ex contentione naſcuntur.

(a) *Sitis*

199

in vobis ſchiſmata. [a] Sitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia. [b] Significatum eſt enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui ſunt Chloës: quia contentiones ſunt inter vos. [c] Hoc autem dico, quod unuſquiſque veſtrum dicit: Ego quidem ſum Pauli; ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Chriſti. [d] Diviſus eſt Chriſtus? [e] Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis? [f] Gratias ago Deo meo, quod neminem veſtrûm baptizavi, niſi Criſpum & Caium, ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati ſitis. Baptizavi autem & Stephanæ domum: cæterum neſcio, ſi quem alium veſtrum baptizaverim. [g] Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare: [h] non in ſapientia verbi, [i] ut non evacuetur crux Chriſti. [k] Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: [l] his autem qui ſalvi fiunt, id eſt, nobis, Dei virtus eſt. [m] Scriptum eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientium: [n] & prudentiam prudentium reprobabo. [o] Ubi ſapiens? ubi ſcriba? [p] ubi inquiſitor hujus ſeculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi? [q] Nam quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum: [r] placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. [ſ] Quoniam & Judæi ſigna petunt: [t] & Græci ſapientiam quærunt. [u] Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: [w] Judæis quidem ſcandalum: [x] gentibus autem ſtultitiam: [y] ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. [z] Quia quod ſtultum eſt

(a) *Sitis autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſcientia.*] Si unum ſentiatis & proferatis, tunc vere poteſtis eſſe perfecti.

(b) *Significatum eſt enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui ſunt Chloes: quia contentiones inter vos ſunt.*] Quæritur quomodo Apoſtolus crediderit aliquid de abſentibus, cum ſcriptum ſit: *Non credes auditui vano.*
Eccl. 13. & 19. Et iterum: *Quæ viderint oculi tui loquere* & cætera. Sed hanc gratiam habebat, ut noſſet abſens quid in ſingulis
Coloſ. 2. Eccleſiis ageretur. Sicut dicit ad Coloſſenſes: *Et ſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu præſens, gaudens & videns ordinem veſtrum* &c. Quia ergo ſciebat Corinthios ita agere, ut audiebat, non credidit ſine cauſa quaſi de abſentibus, quorum converſationem in Spiritu cognoſcebat.

(c) *Hoc autem dico quod* &c.] Sub nomine Apoſtolorum, pſeudoapoſtolos tangit, qui eos per ſapientiam circumvenerant mundi, ut unuſquiſque ejus ſe diceret eſſe cujus doctrinam elegiſſet, qui adverſa docebant. Si ergo nec de veris Apoſtolis hoc dici permittit: quanto magis de falſis non licebit?

(d) *Diviſus eſt Chriſtus?*] Dividitur corpus, cum membra diſſentiunt.

(e) *Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?*] Poteſt iſtud dici his qui relicto Chriſti exemplo ſanctos veteris Teſtamenti in ſolis divitiis cupiunt imitari: Numquid Abraham crucifixus eſt per vobis, aut in nomine Job baptizati eſtis? Et illud Domini, ubi docemur non quærere quid alii diſcipulo jubeatur, dicentis Petro: *Quid ad te? tu me ſe-*
Joan. 21. *quere.*

(f) *Gratias ago Deo meo quod neminem veſtrum baptizavi niſi Criſpum* &c.] Quod ita contigit, ut illos paucos baptizarem, qui ſe non dicunt in meo nomine baptizatos. Item aliter. Illorum ipſorum neminem, niſi quos numeravi.

(g) *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare.*] Non uſurpavit minora facere qui poterat officia implere majora. Sicut hodie & Epiſcopus vel Sacerdos, ſi voluerit, Diaconi poterit implere miniſterium.

(h) *Non in ſapientia verbi.*] Cum poſſint Apoſtoli etiam ſermones ſapientiæ prædicare, ſimpliciter docent, ne aſtutiæ prædicationis adſcribatur prudentia & evacuetur crux Chriſti.

(i) *Ut non evacuetur crux Chriſti.*] Evacuant enim vim crucis, qui aures declamatione permulcent.

(k) *Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt.*] Prædicatio crucis non intelligentibus virtutem Dei: ſtultitia videtur Dei Filium dicere crucifixum: fideles autem intelligunt Dei eſſe virtutem: qua mors victa eſt, & diabolus ſuperatus eſt.

(l) *His autem qui ſalvi fiunt, id eſt, nobis, virtus Dei eſt.*] Fides enim eorum eos ſalvos facit.

(m) *Scriptum eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientium.*] Hoc in adventu Salvatoris aſſerit adimpletum, id eſt, ad nihilum redigam.

(n) *Et prudentiam prudentium reprobabo.*] Eligendo piſcatores artem rhetoricam & philoſophicam reprobavit. Quæritur plane, unde ſit hæc ſapientia quam reprobat Eccli. 1.
Deus. Scriptum eſt enim quod omnis ſapientia a Domino Deo ſit: id eſt, de bona natura ducit exordium. Hoc enim habet ſenſus humanus, ut quocumque eum tetenderis, conſequatur & paulatim meditando proficiat. Inde eſt quod multi illiterati poemata componunt tam exquiſita, quæ viri eruditiſſimi admirentur. Hunc ergo ſenſum quem Deus ſe ex creaturis cognoſcendum, & ſuam voluntatem inquirendam dederat, illi ad inquirenda ſuperflua & curioſa verterunt. Similiter & de divitiis ac fortitudine & de omnibus quibus male utimur, poſſumus exiſtimare.

(o) *Ubi ſapiens? ubi ſcriba?*] Id eſt, doctor.

(p) *Ubi inquiſitor hujus ſeculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi?*] Qui acquirit ſapientiam ſecularem, vel quicunque alius de rebus obſcuris inquirit.

(q) *Nam quia in Dei ſapientia non cognovit mund.* &c.] Factura mundi, Dei ſapientia eſt fabricata: in qua per ſapientiam naturalem quæ ad hoc data & creata fuerat, debuit cognoſci ipſe qui fecerat: ſed quoniam non agnoverunt homines, alia illis medicina ſuccurritur. Item aliter. Hoc loco ſapientiam Dei, ordinatione creaturarum quæ videntur oſtendit: ex quibus Deum auctorem venerari & agnoſcere debuerunt.

(r) *Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.*] Non quod vere ſtultitia ſit prædicatio crucis: ſed quia apud illos ita haberetur.

(ſ) *Quoniam & Judæi ſigna petunt.*] Judæi ex conſuetudine Prophetarum ſigna petunt, quæ etiam videntes credere noluerunt.

(t) *Et Græci ſapientiam quærunt.*] Artis dialecticæ & humanæ ſapientiæ rationem.

(u) *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum.*] Multum ſuam doctrinam ab illorum ſenſu diſcrepare demonſtrat.

(w) *Judæis quidem ſcandalum.*] Scandalizantur ſi audiunt Chriſtum a ſe crucifixum. Sive ſcandalum illis eſt audire Chriſtum mori potuiſſe, quem illi quaſi immortalem exſpectant. Inde eſt quod dicebant: *Nos au-* Joan. 12.
divimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum: non intelligentes, quia primum pati illum oportebat & ſic in gloriam ſuam introire.

(x) *Gentibus autem ſtultitiam.*] Secundum mundanam ſapientiam, ſtultitia videtur Deum credere crucifixum.

(y) *Ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.*] Hic non divinitatem Chriſti dicit Dei virtutem & ſapientiam, ſed ordinationem crucis. Item aliter: Ipſi Judæi & gentes cum crediderint, intelligunt virtutem Dei eſſe quæ devicta morte hominem revocavit ad vitam: & ſapientiam quæ nos a dominatione Diaboli liberavit: quod ante per incredulitatem intelligere non valebant.

(z) *Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus.*] Quod ſtultum putatur Dei, omnem humanam ſapien-

eſt Dei, ſapientius eſt hominibus. [a] Et quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. [b] Videte enim vocationem veſtram, fratres: [c] quia non multi ſapientes ſecundum carnem: non multi potentes: non multi nobiles: [d] ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus: ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemtibilia elegit Deus, [e] & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret: [f] ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. [g] Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu: [h] Qui factus eſt nobis ſapientia a Deo & juſtitia & [i] ſanctificatio & redemtio: [k] ut, quemadmodum ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur.

CAPUT II.

1 ET ego cum veniſſem ad vos, fratres, [m] non veni per ſublimitatem ſermonis aut ſapientiæ, annuncians vobis teſtimonium Chriſti. [n] Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos niſi Jeſum Chriſtum, [o] & hunc crucifixum. [p] Et ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos: & ſermo [q] meus & prædicatio mea [r] non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis: [ſ] ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. [t] Sapientiam autem loquimur inter perfectos. [u] Sapientiam vero non hujus ſeculi, neque principum hujus ſeculi, qui deſtruuntur: [w] ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt: [x] quam prædeſtinavit Deus ante ſecula in [y] gloriam noſtram: [z] quam nemo principum hujus ſeculi cognovit. [a] Si enim cognoviſſent:

ſapientiam antecedit: quia ſapientia ſua liberari non potuerant qui per crucis myſterium ſuot ſalvati.

(a) *Et quod infirmum eſt Dei: fortius eſt hominibus.*] Mortem quam nec gigantes evadere potuerunt, crucifixi infirmitas ſuperavit.

(b) *Videte enim vocationem veſtram fratres.*] Exemplum accepit ea his qui crediderant, ut oſtendat quia non prodeſt gloriatio carnalis ad fidem, ſed magis obeſt, dum ſuperbia ſapientiæ & nobilitatis inflati, homines Dei ſapientiæ ſubjacere noluerunt.

(c) *Quia non multi ſapientes ſecundum carnem: non multi potentes: non multi nobiles.*] Hic contra illos agit oblique, qui ſe legis peritos, & fortiores Apoſtolis & nobiliores ex ſacerdotali ſtirpe deſcendere jactabant.

(d) *Sed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemtibilia elegit Deus.*] Quia Deum in ſemetipſis non confidebant, celerius crediderunt. Semper enim ſapientium & divitum & fortium gloria increpatur, ſicut ait Propheta: *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neque fortis in fortitudine ſua, neque dives in divitiis ſuis:* ſed ipſe Dominus quod per Prophetam dixerat, ipſe ad noſtrum complevit exemplum. Naſcendo enim de matre paupere, divitias reprobavit. Dum autem litteras non diſcit, refutat ſapientiam ſecularem. Cum vero traditus non reſiſtit, ſed patienter ſuſtinet crucem, in humana fortitudine prohibet gloriari. Humilient ergo ſe Deo hujuſmodi, ſi volunt & ipſi cum cæteris liberari. *Hier. 9.*

(e) *Et ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret.*] Quæ non ſunt ſapientia, fortia, nobilia, ut quæ ſunt talia diſſiparet.

(f) *Ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.*] Omnis caro non ſpiritus, quia carnalis eſt iſta gloriatio.

(g) *Ex ipſo autem vos &c.*] Si ergo ex ipſo eſtis, nolite ea quæ ille reprobat admirari.

(h) *Qui factus eſt ſapientia nobis a Deo & juſtitia.*] Nobis factus eſt, ſibi ſemper fuit: ut ſcilicet nos faceret ſapientes & juſtos & ſanctos. Item alia expoſitio. Cum ſit Chriſtus Dei Patris ſapientia, tunc tamen cum quis illum crediderit, ſapientia ei Chriſtus efficitur.

(i) *Et ſanctificatio & redemtio.*] Redemtio noſtræ ſalutis.

(k) *Ut quemadmodum ſcriptum eſt, qui &c.*] Non in ſemetipſo aut in ſuperius comprehenſis.

IN CAPUT II.

(l) ET *ego cum veniſſem ad vos fratres.*] Quia oſtenderat non illos debere humanam ſapientiam admirari, ſuo quoque hoc exemplo confirmat, eo quod ipſe non per humanam ſapientiam prædicaſſet.

(m) *Non veni per ſublimitatem ſermonis, aut ſapientiæ &c.*] Nolui pompaticum eloquentiæ jactare ſermonem in prædicatione divina.

(n) *Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos niſi Jeſum Chriſtum.*] Id eſt, non ſum gloriatus in aliquo, niſi in Chriſto.

(o) *Et hunc crucifixum.*] Quod ſtultum apud homines eſſe videtur.

(p) *Et ergo in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos.*] Neque enim alio modo Deum convenerat prædicari: non jactantia, neque gloria carnali.

(q) *Et ſermo meus & prædicatio mea.*] Quia Dialectici erant Corinthii, noluit apud illos diſputatione uti, ne hoc quoque illis nova aliqua Philoſophia videretur, ſed magis illis virtutes & miracula demonſtravit.

(r) *Non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis.*] Quia rhetorica habet colores perſuaſorios in unaquaque materia.

(ſ) *Ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.*] Sapientia hominis temporalis, ad breve prodeſt. Virtus autem Dei, ut æterna, dat ſine fine profectum.

(t) *Sapientiam autem loquimur inter perfectos.*] Ne putetis & nos ſapientiam non habere: habemus divinam, ſed vos jam tunc capere minime poteratis: quæ jam credentibus aperitur.

(u) *Sapientiam vero non hujus ſeculi, neque principum.*] Sive regum, ſive Philoſophorum, qui in hoc ſeculo primatum ſapientiæ tenere videntur. Qui cum ſapientia ſua per noſtrum Evangelium deſtruuntur.

(w) *Sed loquimur Dei ſapientiam in myſterio quæ abſcondita eſt.*] In Evangelio quod continet nativitatem Chriſti, paſſionem & cætera.

(x) *Quam prædeſtinavit Deus ante ſecula.*] Sive in præſentia, ſive in lege ante tempora. *Multi enim Prophetæ cupierunt videre & non viderunt.* *Matth. 13.*

(y) *In gloriam noſtram.*] Qui credimus Chriſto.

(z) *Quam nemo principum hujus ſeculi cognovit.*] Pilatus, Caiphas & cæteri, quorum etiam ignorantia damnatur: quia non debuerant ignorare.

(a) *Si enim cognoviſſent, numquam Dominum majeſtatis crucifixiſſent.*] Hoc loco ad defenſionem perverſi dogmatis, duæ hæreſes abutuntur, Apollinarii ſcilicet, & Arii. Una ut perfectam adſumti hominis naturam deſtruat. Alia ut Dei Verbum aſſerat eſſe paſſibile: neque erat intelligens, majeſtatis Dominum etiam aſſumtum hominem dictum: neque iſta ſciens, non divinitatis, ſed humanitatis paſſibilem eſſe natu-

100

viſſent: numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. [a] Sicut ſcriptum eſt: quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcendit: quæ præparavit Deus his qui diligunt illum. [b] Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum. [c] Spiritus enim omnia ſcrutatur: etiam profunda Dei. [d] Quis enim ſcit hominum quæ ſunt hominis: niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt nemo cognovit, niſi Spiritus Dei. [e] Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus: ſed ſpiritum qui ex Deo eſt: [f] ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis, [g] quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis: ſed in doctrina ſpiritus, [h] ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. [i] Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei. [k] Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinatur. [l] Spiritualis autem judicat omnia: & ipſe a nemine judicatur: ſicut ſcriptum eſt: [m] Quis enim cognovit ſenſum Domini: aut quis inſtruxit eum? [n] Nos autem ſenſum Chriſti habemus.

CAPUT III.

[o] ET ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. [p] Tamquam parvulis in Chriſto: [q] lac vobis potum dedi, non eſcam. Nondum enim poteratis: ſed nec nunc quidem poteſtis: adhuc enim carnales eſtis. [r] Cum enim ſit inter vos zelus & contentio: nonne carnales eſtis: [s] & ſecundum hominem ambulatis? [t] Cum enim quis dicat, ego quidem ſum Pauli: alius autem, ego Apollo: nonne homines eſtis? [u] Quid igitur eſt Apollo? quid vero Paulus? Miniſtri ejus cui credidiſtis: [w] Et unicuique

ram. Item alia expoſitio. Dominus majeſtatis carne patitur, carne crucifigitur, carne moritur, ſubſtantia autem deitatis impaſſibilis eſt. Et ſimili modo etiam Apoſtolus Petrus teſtatur in Epiſtola ſua, Chriſtum
1. Pet. 2. pro nobis in carne paſſum, dicens: *Qui peccata noſtra ipſe portavit in corpore ſuo ſuper lignum.* Item alio loco: *Chriſto igitur paſſo in carne.*

Eſa. 64. (a) *Sed ſicut ſcriptum eſt: Quod oculus non vidit, nec auris audivit* &c.] Memoratorum ſcilicet principum mens hæc videre non potuit: quia credere noluerunt. Quidam ſane dicunt, oculus non vidit virginem peperiſſe, nec auris audivit:
Matth. 13. *Tunc juſti ſicut ſol fulgebunt. Qui habet aures,* inquit, *audiendi, audiat*; & in cor hominis non adſcendit, homines cohæredes Chriſto futuros.

(b) *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum.*] Nobis qui fide meruimus Spiritum Dei accipere, qui nobis voluntatem ejus oſtendit.

(c) *Spiritus enim omnia ſcrutatur etiam profunda Dei.*] Etiam quæ in ſecreto Dei conſilio conquieſcunt.

(d) *Quis enim ſcit hominum quæ ſunt hominis: niſi ſpiritus hominis qui in ipſo* &c.] Quæ cogitationes verſentur in homine. Item alia expoſitio. Præclarum hoc adverſus hæreticos qui creaturam Spiritum Sanctum dicunt. Unde hic oſtenditur non ſolum creaturam non eſſe, verumetiam quod ipſe ſolus interiora Dei & profunda rimetur: quippe ut ejuſdem naturæ atque ſubſtantiæ ſit cum Chriſto.

(e) *Nos autem non hujus mundi ſpiritum accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt.*] Quicumque mundana ſapit, non Spiritum Dei videtur habere, ſed mundi.

(f) *Ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis.*] Ut ſciamus quanta nobis a Deo collata ſunt per Chriſti adventum.

(g) *Quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed* &c.] Quæ etiam vobis annunciamus, non a Philoſophis vel Grammaticis, ſed a Dei Spiritu eruditi.

(h) *Spiritualibus ſpiritualia comparantes.*] Illis ea dicentes qui poſſunt audire: non enim poſſunt niſi a ſibi cognitis & ſimilibus comprehendi.

(i) *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei.*] Qui Spiritum Dei non habet, animalis eſt: quia animalium ritu verſatur, quia putat nihil eſſe poſt mortem. Et ideo, ut animal, ventri libidinique committit ſe, æterna morte periturus.

(k) *Stultitia eſt enim illi, & non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinatur.*] Stultitia illi videtur primo quod ille, qui & paſſus & mortuus eſt & reſurrexit, totius creaturæ nunc Dominus prædicetur. Secundo, contemnere propria bona, alteri præbere maxillam: & cætera his ſimilia Chriſti mandata.

(l) *Spiritualis autem judicat omnia: & ipſe a nemine judicatur.*] Judicat vana eſſe, in quibus carnales homines delectantur. Et ipſe ita ſe agit, ut a nemine judicetur. Sive omnia ſpiritualis diſcernit & intelligit & ſenſu illius ab homine non intelligitur animali. Item alia expoſitio. Omnia dicit quæ ſunt ſpiritualia. Non enim artes & diſciplinas hujus mundi, animalis homo niſi ſpiritualiter intelligat, ſcire poteſt.

(m) *Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis inſtruxit eum?*] Senſum Domini qui eſt in viris ſpiritualibus, ſine Spiritu Dei nemo cognovit. Item, ſenſus hic intelligentiam ſignificat.

(n) *Nos autem ſenſum Chriſti habemus.*] Qui Spiritum ſanctum accepimus.

IN CAPUT III.

(o) *ET ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus.*] Modo timens ne putent hoc ſolum habere ſenſum Domini, quod ipſi ut parvuli audierant, non, inquit, in me ſenſus Domini defecit: ſed vobis virtus defuit audiendi. Item alia expoſitio. Arguit Apoſtolus Corinthios quod gratiam, quam in principio credentes acceperant, perdiderint. Videtur autem hoc loco univerſos in commune increpare. Cum hi reprehendantur qui non juxta fidem converſantur.

(p) *Tamquam parvulis in Chriſto.*] Non ætate carnali, ſed in Chriſto.

(q) *Lac vobis potum dedi* &c.] Hoc & beatus Petrus ait: *Deponentes igitur omnem malitiam & ſimulationem tamquam modo geniti infantes rationabiles & ſine dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem.* Si ergo adbuc illi parvuli ſunt qui omnem malitiam abjecerunt, & qui nondum ſunt in virtute perfecti, quid de illis cenſendum eſt, quibus omnis malitia dominatur?

(r) *Cum enim ſit inter vos zelus & contentio: nonne carnales eſtis?*] Ecce de quibus vitiis carnales judicantur: quæ non proprie per carnem fiunt, ſed de carnali ſenſu talia deſcendunt.

(ſ) *Et ſecundum hominem ambulatis.*] Qui nihil amplius habet quam cæteri homines, ſecundum hominem dicitur ambulare: ſed in hoc loco ob defenſionem ſingulorum, homines appellantur.

(t) *Cum enim quis dicat: ego quidem ſum Pauli: alius autem, ego Apollo: nonne homines eſtis?*] Vult nos plus eſſe quam homines.

(u) *Quid igitur eſt Apollo? quid vero Paulus? miniſtri ejus cui credidiſtis.*] Si nos nihil ſumus quos miniſtros ipſe conſtituit, quanto magis illi qui in carnalibus gloriantur?

(w) *Et unicuique ſicut Deus dedit: ego plantavi: Apollo*

que ſicut Dominus dedit. Ego plantavi: Apollo rigavit, ſed Deus nunc incrementum dedit. [a] Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat & qui rigat, unum ſunt. Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem. [b] Dei enim ſumus adjutores: Dei agricultura eſtis: Dei ædificatio eſtis. [c] Secundum gratiam Dei quæ data eſt mihi, [d] ut ſapiens architectus fundamentum poſui: [e] alius autem ſuperædificat. [f] Unuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet. [g] Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt: quod eſt Chriſtus Jeſus. [h] Si quis autem ſuperædificat ſupra fundamentum hoc, [i] aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulam: uniuſcujuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit: quia in igne revelabitur: [k] & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. [l] Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: [m] ipſe autem ſalvus erit, [n] ſic tamen quaſi per ignem. [o] Neſcitis quia templum Dei eſtis: & Spiritus Dei habitat in vobis? [p] Si quis autem templum Dei violaverit: diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. [q] Nemo vos ſeducat. [r] Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo: ſtultus fiat ut ſit ſapiens. [ſ] Sapientia enim hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum. [t] Scriptum eſt enim: Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum. [u] Et iterum: Domi-

Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit.] Hoc ipſum non ex nobis eſt, ſed Dei donum eſt, ut per manus meas ſigna fierent quæ vos excitarent ad fidem: & Apollo ſua vos doctrina firmaret: quia ſicut planta ſine aqua, ſic fides ſine doctrina marceſcit. Si ergo & plantatio & fons Dei eſt: quid nobis adſcribitis, quaſi aliquid noſtra virtute fecerimus?

(a) *Itaque neque qui plantat.* &c.] Niſi enim Deus incrementum dederit, ſine cauſa laboramus. Nos mercenarii ſumus in alieno agro. Alienis utimur ferramentis: nihil habemus proprium, niſi mercedem noſtri laboris.

(b) *Dei enim ſumus adjutores: Dei agricultura eſtis* &c.] Non in potentia, ſed in verbo adjuvamus coli Dei agrum & extrui templum.

(c) *Secundum gratiam Dei* &c.] Non ſecundum meam virtutem. Sive ponendi fundamentum gratiam accepit, ut ibi prædicarem, ubi Chriſtus non fuerat nunciatus.

(d) *Ut ſapiens* &c.] Non poteſt imperitus architectus ponere fundamentum.

(e) *Alius autem ſuperædificat.*] Alius doctor inſtituit ſupra fidem quam ego fundavi.

(f) *Unuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet.*] Sollicitus quam fortia & recta parietum latera conſurgant.

(g) *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter quod poſitum eſt: quod* &c.] Non eſt alius Chriſtus quem poſſit vobis aliquis prædicare, præter Jeſum cui fide firmiſſima credidiſtis. Hoc ſolum agitur ne per doctorum negligentiam, obnoxii incipiatis eſſe gehennæ.

(h) *Si quis autem ſuperædificat ſupra fundamentum hoc.*] Ejuſdem artis eſt qui ſuperædificat, licet minor ſit in opere, cujus ille eſt qui poſuit fundamentum. Non ergo unuſquiſque homo ſuper fidem ſuam ædificat, ſed quilibet doctor: quia nec parietes per ſe aliquando poſſunt erigi, niſi fuerint ab operatore conſtructi. Item hic magiſtros, & doctores ſignificat ſuper fundamentum quod eſt Chriſtus, homines recte inſtituere vel prave, in quibus magiſtrorum doctrina in die judicii in igne revelabitur, ubi conſumtis peccatoribus probati manebunt. Doctores autem ſuper his qui probati fuerunt, mercedem retributionis accipient: in illis vero quos ignis exurit, damno afficientur: quia in vacuum laboraverunt. Iidem autem magiſtri in judicium venientes, ſalvi fient, ſi tamen ipſi cauſa non fuerint perditorum. Quod autem ait: *Si cujus opus arſerit, damno affectus erit.* Non hic, ut quidam putant, in igne flammæ arſura ſunt opera, ſed homines qui ita operati ſunt ut mereantur incendio deputari. Si autem opera, id eſt, crimina punientur, ſalvo eo qui perpetraverat, non erit ei damnum, ſed lucrum. Unde manifeſte oſtenditur, ſicut ſupra comprehenſum eſt, homines eſſe aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam. Quia acceptis inſtitutionibus magiſtrorum, vel obſervant præcepta, vel negligunt.

(i) *Aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam: uniuſcujuſque opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit quæ in igne revelabit.*] In Eccleſia tria genera ſunt bonorum. Eſt bonum: & melius, & optimum. Quod autem primo aurum poſuit, ut ſermo melius texeretur, ſive ad fortitudinem, non ad ſpeciem comparavit. Quia argentum fortius eſt auro, ideo meliori ponitur loco. Tria ſunt e contrario genera malorum: Malum, pejus, & peſſimum. Quæ lignis, fœno, & ſtipulæ conparantur.

(k) *Et uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit: ſi cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet.*] Aurum & argentum non ſolum non ardent, ſed per ignem ſplendidiora radiabunt. Ligna vero & cætera cremabuntur. Sive examinationem judicii, igni voluit comparare: juxta conſuetudinem Scripturarum.

(l) *Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur.*] Si quis negligenter aut verbo docuerit, aut exemplo, perdet laborem ſuum. Quia opus aridum infirmumque perfecit.

(m) *Ipſe autem ſalvus erit.*] In propria juſtitia.

(n) *Sic tamen quaſi per ignem.*] Quod ſi ille non niſi per ignem ſalvus erit qui juſtus ex proprio eſt: quia negligenter ædificavit diſcipulos, quid de illis fiet qui & ſermone non ædificant, & inſuper ſcandalizant exemplo?

(o) *Neſcitis quia templum Dei eſtis: & ſpiritus Dei habitat in vobis?*] Neſcitis cujus ſitis templum, ſive in ſingulis, ſive in univerſa Eccleſia?

(p) *Si quis autem templum Dei violaverit: diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.*] Sive ſuum corpus peccando, ſive Eccleſiam ad pravam doctrinam reducendo: vel certe exemplo proprio deſtruendo. Solent hunc locum Novatiani opponere, ad pœnitentiam excludendam. Quibus reſpondendum eſt, ad quid hoc ipſum ſcribitur? *Spem veniæ non habebunt.* *Matth. 5.*

(q) *Nemo vos ſeducat.*] Propria vel aliena adulatione deceptus.

(r) *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens.*] Hic proprie mundi increpat ſapientes, quos humana ſapientia non permittebat ſentire divina. Aliter. Si quis ad reddendam vicem injuriæ, ſi eadem fecerit, putet ſe eſſe ſapientem, ſtultus fiat. In hoc enim ſeculo ſtultus eſt, qui Evangelica voluerit implere præcepta. Qui enim percutienti, alteram præbet maxillam, voluntate ſtultus eſt, non natura.

(ſ) *Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum.*] Nihil ſtultius eſt quam ut velit ſe, qui non poteſt vindicare, & Deo ſuam non reſervat injuriam. Et ita de contumelia vindictam apud Deum perdet, & de patientia mercedem.

(t) *Scriptum eſt enim: Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum.*] Ad effugiendam manum Dei, nulla ſuffragatur aſtutia.

(u) *Et iterum: Dominus novit cogitationes ſapientium quoniam vanæ ſunt.*] Nihil utilitatis conferunt ad ſalutem.

Dominus novit cogitationes ſapientium: quoniam vanæ ſunt. [a] Nemo itaque glorietur in hominibus. [b] Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, [c] ſive præſentia, ſive futura. Omnia enim veſtra ſunt: [d] vos autem, Chriſti: [e] Chriſtus autem Dei.

CAPUT IV.

[f] SIc nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores miniſteriorum Dei. Hic [g] jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Mihi [h] autem pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die. [i] Sed neque meipſum judico. Nihil enim mihi [k] conſcius ſum, ſed, [l] non in hoc juſtificatus ſum. [m] Qui autem judicat me Dominus eſt. Itaque, [n] fratres, nolite ante tempus judicare, quouſque veniat Dominus: qui & illuminabit abſcondita tenebrarum: & manifeſtabit conſilia cordium: & [o] tunc laus erit unicuique à Deo. Hæc [p] autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo: propter vos, [q] ut in nobis diſcatis: ne ſupra quam ſcriptum eſt, unus adverſus alterum infletur pro alio. [r] Quis enim te diſcernit? [ſ] Quid autem habes quod non accepiſti? Si [t] autem accepiſti: quid gloriaris quaſi non acceperis? [u] Jam ſaturati eſtis: jam divites facti eſtis. Sine [w] nobis regnatis: Et [x] utinam regnetis, ut & nos vobiſcum regnemus. [y] Puto enim quod Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, tamquam morti deſtinatos: [z] quia ſpectaculum facti ſumus mundo & angelis & hominibus. [a] Nos ſtulti propter Chriſtum: vos autem prudentes in Chriſto. Nos infirmi: vos autem fortes. Vos nobiles: nos autem ignobiles. Uſque in [a] hanc

(a) *Nemo itaque glorietur in hominibus.*] In falſis, ſcilicet, Apoſtolis humana tantum ſapientibus, cum nec in nobis quidem, ſed in eo cujus & ipſi ſumus, ſit gloriandum.

(b) *Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, nos veſtri ſumus: vos autem Chriſti: ſive mundus, ſive vita, ſive mors.*] Omnia creata ſunt propter ſanctos: qui cum nihil habeant, poſſident cuncta. Poſſumus autem hæc ad libertatem referre arbitrii, ut quod velint intelligat ſive mortem, ſive vitam.

(c) *Sive præſentia, ſive futura. Omnia enim veſtra ſunt.*] Quod ſanctis tam præſentia quam futura divinitus ſint attributa: item Chriſti vitam mortemque ſignificat. Quoniam propter nos & mortuus eſt & reſurrexit.

(d) *Vos autem Chriſti.*] Sic eſt Chriſtus Dei: ſicut alibi Deus dicitur Chriſti, & hoc ſi de divinitate velis intelligi. Cæterum hic de adſumpti hominis forma tractatur, ſecundum quam & dicitur unctus.

(e) *Chriſtus autem Dei.*] Quaſi homo.

IN CAPUT IV.

(f) *SIc nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores miniſteriorum Dei.*] Non ut æquales Chriſto.

(g) *Hic jam quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur.*] Interrogantis vox eſt, id eſt, jam hic vos putatis conſcientias judicari.

(h) *Mihi autem pro minimo eſt ut à vobis judicer, aut ab humano die.*] Humanum judicium nullius dico momenti, in quo ſæpe veritas & juſtitia fruſtratur. *Diem enim hominis non concupivi*, Hieremias ait. Hier. 17.

(i) *Sed neque meipſum judico.*] Ego qui conſcientiam meam optime novi, nihil eſſe me judico, neque meipſum judico.

(k) *Nihil enim mihi conſcius ſum.*] * Male ſentiunt qui dicunt: Nemo poteſt vitare peccatum.

(l) *Sed non in hoc juſtificatus ſum.*] Hoc pro humilitate dicit. *Nihil enim mihi ſum conſcius*: unde ſuper homines debeam gloriari. Si hoc Paulus dicit: Quid à nobis dici debeat cogitandum eſt. *Sed non in hoc juſtificatus ſum.*

(m) *Qui autem judicat me Dominus eſt.*] Non in quo me quidam ita laudant: quia ita quiſque aliena laude non juſtificatur, ut ne maculetur infamia. Unicuique enim apud Deum quod eſt, non quod dicitur, imputatur.

(n) *Itaque nolite judicare ante tempus quouſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.*] Homo videt in facie, Deus autem in corde.

(o) *Et tunc laus erit unicuique à Deo.*] Ille vero laudabilis eſt, qui Dei teſtimonio laudatur apud quem omnia occulta & inviſa ſunt cognita.

(p) *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo propter vos.*] Ut à nobis humiliatis ſumatis exemplum: ne ſupra diſciplinam ſcripturæ audeat unuſquiſque adverſus alterum pro alio inflari, doctore malæ contentionis everſo.

(q) *Ut in nobis diſcatis ne ſupra quam ſcriptum eſt, unus adverſus alterum infletur pro alio.*] Hoc eſt quod dicit: ne unuſquiſque magiſtrum proprium prædicans, alter adverſus alterum incitetur.

(r) *Quis enim te diſcernit?*] Hic ad ipſos inflatos per eloquentiam, verba convertit: quis te diſcernit, cujus momenti ſis?

(ſ) *Quid autem habes quod non accepiſti?*] Quid enim boni ex temetipſo habes quod à nullo didiceris: vel Dei dono minime conſecutus ſis?

(t) *Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?*] Quaſi in proprio gloriaris.

(v) *Jam ſaturati eſtis, jam divites facti eſtis.*] Hoc increpativo modo legendum, vel pronunciandum eſt.

(w) *Sine nobis regnatis.*] In nullo noſtri indigentes.

(x) *Et utinam regnetis, ut & nos vobiſcum regnemus.*] Utinam non eſſetis falſa gloriatione decepti, forſitan ſimul regnaremus.

(y) *Puto enim quod Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit tamquam morti deſtinatos.*] Nos omnium ultimos ad gentes tanquam ad mortem direxit.

(z) *Quia ſpectaculum facti ſumus huic mundo & Angelis & hominibus.*] Omnes noſtras publice ſpectant injurias, ſive vere angeli & homines, ſive ſancti homines & peccatores.

(a) *Nos ſtulti propter Chriſtum: vos autem prudentes in Chriſto. Nos infir.* &c.] Nos tanquam ſtulti propter Chriſtum omnia ſuſtinemus: Vos autem ita vultis eſſe Chriſtiani, ut prudentiam ſeculi teneatis. Nos infirmi, quia vicem reddere nolumus: Vos autem reddendo, fortes vos eſſe gloriamini. Nos nihil habentes voluntaria paupertate dejecti: Vos vobis etiam nobilitatem terreni generis vendicatis.

* Hoc eſt inter ea, quæ *Pelagio* objici ſolebant. Vide. Auguſtini Librum *de Geſtis Pelagii*, Cap. vi. & ſeqq. Tomo ejus Operum decimo.

(a) *Uſque*

[a] hanc horam & eſurimus, & [b] ſitimus, & nudi ſumus: & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus: & [c] laboramus operantes manibus noſtris. [d] Maledicimur, & benedicimus. Perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus. Tamquam [e] purgamenta hujus mundi facti ſumus, [f] omnium peripſema uſque adhuc. Non [g] ut confundam vos, hæc ſcribo: ſed ut filios meos cariſſimos moneo. Nam ſi [h] decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto: ſed non multos patres. Nam in [i] Chriſto Jeſu, per Evangelium, ego vos genui. [k] Rogo ergo vos imitatores mei eſtote: ſicut & ego Chriſti. [l] Ideo miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus cariſſimus & fidelis in Domino: [m] qui vos commonefaciat vias meas quæ ſunt in Chriſto Jeſu: [n] ſicut ubique in omni Eccleſia doceo. Tamquam [o] non venturus ſim ad vos, ſic inflati ſunt [p] quidam. Veniam autem ad vos cito, ſi Dominus voluerit: & [q] cognoſcam non ſermonem eorum qui inflati ſunt, ſed virtutem. [r] Non enim in ſermone eſt regnum Dei: ſed in virtute. [ſ] Quid vultis? in [t] virga veniam ad vos? an in caritate & ſpiritu manſuetudinis?

CAPUT V.

[v] OMnino auditur inter [w] vos fornicatio: & talis fornicatio qualis nec inter gentes: ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat. Et [x] vos inflati eſtis: & non magis luctum habuiſtis, [y] ut tollatur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit. [z] Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu: jam judicavi ut præſens, [a] eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti: congregatis vobis & meo Spiritu cum virtute Domini Jeſu, [b] tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis: [c] ut Spiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu

(a) *Uſque in hanc hor.* &c.] Ab initio prædicationis noſtræ uſque in præſens tempus.

(b) *Et eſurimus, & ſitimus & nudi, ſumus, & colaphis cædimur, & in* &c.] Non ſtamus in ſedibus certis, ubique Evangelii neceſſitate jactamur.

(c) *Et laboramus operantes manibus noſtris.*] Sic tamen operabantur, ut doctrinæ officium magis implerent.

(d) *Maledicimur, & benedicimus. Perſecutionem patimur, & ſuſtinemus. Blaſphemamur, & obſecramus.*] Rogamus Deum pro his qui nos blaſphemant.

(e) *Tamquam purgamenta hujus mundi facti ſumus.*] Sicut ſcriptum eſt: Juſtus immundus eſt apud malos.

(f) *Omnium peripſema uſque adhuc.*] Omnium humillimi atque ſubjecti.

(g) *Non ut confundam vos hæc ſcribo, ſed ut filios meos cariſſimos moneo.*] Poterant confundi de ſua gloria, ſi eos non televaret. Non enim ruborem illorum cupiebat, ſed profectum.

(h) *Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres.*] Omnes qui ab alio jam genitis miniſtrant, patres dici non poſſunt.

(i) *Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui.*] In novam vitam me primum prædicante, reformatos vos eſſe meminiſtis.

(k) *Rogo ergo vos, imitatores mei eſtote* &c.] Bonorum filiorum eſt, in omnibus bonos imitari parentes.

(l) *Ideo miſi ad vos Timotheum: qui eſt filius meus cariſſimus & fidelis in Domino.*] Quanto fidelior eſt cæteris, tanto carior cunctis.

(m) *Qui vos commonefaciat vias meas quæ ſunt in Chriſto Jeſu.*] Qui vos meis litteris & ſuo commoneret exemplo: aliud enim ſine alio prodeſſe non poterat.

(n) *Sicut ubique in omni eccleſia doceo.*] Quomodo ſemper & ubique meum exemplum cum doctrina concordat.

(o) *Tamquam non venturus ſim ad vos.*] Hic incipit cauſam fornicationis arguere.

(p) *Sic inflati ſunt quidam. Veniam autem cito ad vos, ſi Dominus voluerit.*] Tamdiu aliquis de ſcientia falſa ſe jactat, uſque quò veræ ſcientiæ prædicator advenit.

(q) *Et cognoſcam non ſermonem eorum qui inflati ſunt, ſed virtutem.*] Examinabo non eloquentiæ pompam, ſed converſationis effectum, ubi virtus fidei eſſe probatur.

(r) *Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute.*] Hic oſtendit nihil prodeſſe doctrinam abſque juſtitiæ operibus, ei qui non faciat quæ facienda perſuadet.

(ſ) *Quid vultis?*] Benignus magiſter diſcipulorum correctionem in eorum poteſtate dimittit: ut ſi pœnitere velint, clementiſſimus conſolator adeſſet. Si autem nollent, durus ultor aſſiſteret peccatorum.

(t) *In virga veniam ad vos* &c.] Quali virga venit Petrus ad Ananiam & Sapphiram, & ipſe Paulus ad Magum. Act. 5. Ibidem. 13

IN CAPUT V.

(v) OMnino auditur &c.] Oſtendit quare ſuperiora minatus ſit.

(w) *Inter vos fornicatio: & talis fornicatio* &c.] In Eccleſia cui vos præeſſe videmini.

(x) *Et vos inflati eſtis: & non magis Luctum habuiſtis.*] Vana ſcientia inflamini & curam de his qui pereunt non habetis: ut aut corrigantur, aut ab Eccleſiis ſeparentur, Cum bonos paſtores ſemper legamus populi defleſſe peccata: ut Hieremiam, qui ait: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?* ut oſtenderet ſibi non affectum doloris, ſed lachrymas defeciſſe. Hiere 9.

(y) *Ut tollatur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit.*] Sive homo qui peccavit tollatur, ſive Satanas ejiciatur, dum non habet per quem operetur.

(z) *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu: jam judicavi ut præſens.*] Præſentem ſe eſſe dicit in ſpiritu, ne ex ſolo auditu abſentem damnaſſe putaretur: ſecundum illud Eliſæi dicentis ad Giezi: *Nonne Spiritus meus tecum erat in via?* 4 Reg. 5.

(a) *Eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti: congregatis vobis & meo ſpiritu cum virtute Domini Jeſu.*] Qui pro me erat præſens, ſive in litterarum mearum auctoritate, per quam Domini quoque virtus aſſiſtit.

(b) *Tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis.*] Ut arripiendi illum corporaliter habeat poteſtatem. Quod dum viderit ſe nec carnis hic, nec in futuro, ſpiritus requiem habiturum, de facto pœniteat ut ſalvetur. Sive ſic quiſque pro meritis ſuis de Eccleſia pellitur, & Satanæ traditur poteſtati: ut dum caro ejus per pœnitentiam afflicta quemdam interitum patitur, ſpiritus conſervetur. Habet enim conſuetudinem Scriptura, ut hominem in parte totum intelligat. Sive ita quia & hic Scripturæ mos eſt, ut in carne carnales actus interire, in ſpiritu vero ſpiritualis converſatio ſalva fieri demonſtretur. Item hic oſtendit ejectum extra eccleſiam rabido ore dæmonum lacerandum, ſi permanſerit nolens carnis vitia mortificare, ut poſſit vitam ſanctam recuperare.

(c) *Ut Spiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſ-*

Jeſu Chriſti. [a] Non eſt bona gloriatio veſtra. Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? [b] Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi. [c] Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ; ſed in azymis ſinceritatis & veritatis. Scripſi [d] vobis in epiſtola, ne commiſceamini fornicariis. Non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis ſervientibus: [e] alioquin debueratis de hoc mundo exiſſe. [f] Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri. Si is [g] qui frater nominatur, inter vos eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, [h] cum hujuſmodi nec cibum ſumere. [i] Quid enim mihi de his qui foris ſunt judicare? [k] Nonne de his, qui intus ſunt, vos judicatis? Nam eos qui foris ſunt, Deus judicabit. [l] Auferte malum ex vobiſipſis.

CAPUT VI.

[a] AUdet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum, [n] judicari apud iniquos, & non apud ſanctos? An [o] neſcitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in [p] vobis judicabitur mundus: indigni [q] eſtis qui de minimis judicetis? Neſcitis quoniam Angelos judicabimus: quanto magis ſecularia? [r] Secularia igitur judicia ſi habueritis: [ſ] contemtibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum. Ad [t] verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam qui poſſit judicare inter fratrem ſuum: ſed [v] frater cum fratre judicio contendit: & hoc apud

ſu Chriſti.] Quoniam in ſpiritum Satanas accipere non poteſt poteſtatem, ut Domini judicio reſervetur.

(a) *Non eſt bona gloriatio veſtra. Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?*] Ignoratis quia malo exemplo poſſunt plurimi interire? Sed & per unius delictum, in omnem populum Judæorum iram Dei legimus adveniſſe.

(b) *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi.*] Nihil in vobis converſationis priſtinæ relinquatis, quod ſinceritatem poſſit naturæ corrumpere.

(c) *Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.*] Non figura, ſed veritas. Et Judæi quidem ſeptem diebus azyma comedebant. Nos vero ſemper, ſi ſimpliciter & pure verſemur. Quia in ſeptem diebus mundus eſt factus: qui ſemper in ſuo ordine revolvitur. Et quotidie nobis agnus occiditur, & paſcha quotidie celebramus: ſi fermentum malitiæ & nequitiæ non habemus. Quid eſt enim aliud niſi corruptio naturæ, fermentum: quod & ipſum prius à naturali dulcedine recedens adulterino acrore corruptum eſt?

(d) *Scripſi vobis in epiſtola, ne commiſceamini fornicariis. Non utique fornicariis hujus mundi, aut rapacite, aut rapacibus, aut idolis ſervientibus.*] Hoc ipſum in hac epiſtola ita ſcripſi, non ut à gentibus, ſed ab his qui peccant in Eccleſia ſeparemini: ſin autem, mori debueratis: quos idcirco præcipue vivere interim Deus voluit, quo cohabitatione veſtra proficerent infideles.

(e) *Alioquin debueratis de hoc mundo exiſſe.*] Sive ita: ſin autem, melius vobis fuerat de hac luce migraſſe, quàm indigere per commonitionem à gentium conſortio ſeparari.

(f) *Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri.*] Sed magis quod ſcripſi, hoc eſt, ne talibus conjungamini.

(g) *Si is qui frater nominatur, inter vos eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax.*] Non ex ſola opinione vitandus eſt. Sed ſi quis frater ſolo nomine appellatur, cum fornicator detegatur aut fur, ab hoc ſeparari jubemur: ſicut ſcriptum eſt: Qui ſe jungit fornicariis, nequam eſt: putredo & vermes hæreditabunt eum. *Eccl. 19.*

(h) *Cum hujuſmodi nec cibum ſumere.*] Nec communem quidem cibum cum talibus participandum eſſe conceſſit.

(i) *Quid enim mihi de his qui foris ſunt judicare?*] Hoc eſt, de infidelibus.

(k) *Nonne de his qui intus ſunt, vos judicatis? Nam eos qui foris ſunt, Deus judicabit.*] Numquid non vos de his ſolis qui ſunt intra Eccleſiam judicatis?

(l) *Auferte malum ex vobiſipſis.*] Quo facilius eos poſſitis docere qui foris ſunt.

IN CAPUT VI.

(m) *AUdet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum.*] Audet aliquis contra præceptum Domini venire, dicentis: Si quis vult tecum judicio contendere &c. *Matth. 5.* Notandum quod aliquando Apoſtolus in medio cauſæ quam agit, quoſdam ſenſus inſerat & de latere jactet, quibus explicitis rurſus revertatur ad cauſam.

(n) *Judicari apud iniquos & non apud ſanctos.*] Hic probatur Chriſtianos tunc judices non fuiſſe: quia iniqui dicuntur.

(o) *An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt?*] Quod Dominus repromiſit, diſcipulis dicens: Sedebitis & vos judicantes duodecim tribus Iſrael: *Matth. 19.* etiam omnibus hoc promittens, qui eos fuerint imitati. Nam ex ipſis unus periit, cujus loco alius ſucceſſit: cui nihil fuerat repromiſſum. Paulus quoque & Barnabas Apoſtoli ſunt ordinati à Sancto Spiritu.

(p) *Et ſi in vobis judicabitur mundus.*] Sive per vos, vel veſtro exemplo.

(q) *Indigni eſtis qui de minimis judicetis? Neſcitis quoniam Angelos judicabimus: quanto magis ſecularia?*] Ergo indigni ſunt de rebus exiguis judicare, qui & mundum totum & Angelos judicabunt? Illos Angelos qui cum carnem non habuerint, peccare voluerunt, hi qui in carne ſancti eſſe voluerunt, judicabunt.

(r) *Secularia igitur judicia ſi habueritis.*] Quæ de rebus ſecum oriuntur.

(ſ) *Contemtibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.*] Poſſunt de his etiam illi qui minimi ſunt in Eccleſia, judicare. Item contemptibiles in Eccleſia eos judices dicit, quos appellat in inferioribus infideles.

(t) *Ad verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam qui poſſit judicare inter fratrem ſuum.*] Erubeſcere debetis, eo quod nemo ſit inter vos tam ſapiens, qui noverit cauſas inter fratres diſcernere: ut non neceſſe ſit publice litigare.

(v) *Sed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud infideles.*] Duplex peccatum eſt: & quod judicio contenditis: & quia apud infideles vos ad jurgia provocatis.

Digitized by Google

apud infideles. [a] Jam quidem omnino delictum eſt in vobis, [b] quod judicia habetis inter vos. [c] Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, & fraudatis: & [d] hoc fratribus. An [e] neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? [f] Nolite errare: neque fornicarii, neque Idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque ſures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. Et hæc [g] aliquando quidem ſuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in [h] nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti: & in Spiritu Dei noſtri. [i] Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. [k] Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. Eſca ventri, & venter eſcis: [l] Deus autem hunc & hanc deſtruet. [m] Corpus autem non fornicationi, ſed Domino: & Dominus corpori. [n] Deus vero & Dominum ſuſcitavit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam. [o] Neſcitis quoniam corpora veſtra, membra ſunt Chriſti? [p] Tollens ergo membra Chriſti, [q] faciam membra meretricis? Abſit. An [r] neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. [ſ] Qui autem adhæret Deo, unus Spiritus eſt. [t] Fugite fornicationem. [v] Omne enim peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. An [w] neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt?

(a) *Jam quidem omnino delictum eſt in vobis.*] Jam hoc ſolum delictum eſt quod contra præceptum facitis Chriſti.

(b) *Quod judicia habetis inter vos.*] Qui ſemper pacem habere deberetis, etiam cum rerum temporalium detrimento ſervatam.

(c) *Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? ſed vos injuriam facitis & fraudatis.*] Cum illata ſecundum Evangelii præceptum, & Domini exemplum patienter ſuſtinere deberetis: vos e contrario non ſolum non ſuffertis, ſed etiam non facientibus irrogatis.

(d) *Et hoc fratribus.*] Quod nec inimicis reddere deberetis, fratribus facere non timetis.

(e) *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt.*] Quod regnum Dei non poſſidebunt, niſi omnia peccata baptiſmi gratia diluantur.

(f) *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.*] Nolite errare, putantes vobis ſolam fidem ſufficere ad ſalutem, cum omne peccatum permanens excludat à regno: ſicut ad Galatas ait: *Manifeſta ſunt opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditiæ, contentiones, iræ, & his ſimilia: quæ prædico vobis: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Ideo autem addidit, *& his ſimilia,* ne quis negaret præter hæc alia eſſe peccata, quæ regnum Dei prohiberent intrare. Gal. 5.

(g) *Et hæc aliquando quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis.*] Nolite de præteritis timere peccatis, tantum ne poſt baptiſmum delinquatis. Aut qui ut aſſolet præventus fuerit, ad pœnitentiam convertatur. Item omnia peccata, baptiſmi gratia diluuntur.

Item alia expoſitio. Hoc contra hæreticos dicit, qui Chriſtum & Spiritum Sanctum à Deo Patre ſeparare conantur. Hic enim oſtenditur quoniam ſicut Pater, ita & Chriſtus & Spiritus Sanctus peccata abluit, juſtificat atque ſanctificat.

(h) *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti: & in Spiritu Dei noſtri.*] Abluti in nomine Chriſti: ſanctificati per Spiritum Dei.

(i) *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.*] Qui de fornicatione tractabat, voluit gulam & intemperantiam, materiam fornicationis oſtendere & ſimul deſtruere. Item hoc dicit: quia liberi ſum arbitrii & licet mihi agere quod velim: non tamen debeo ipſe alicui peccato eſſe ſubjectus.

(k) *Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. Eſca ventri, & venter eſcis.*] Licet nobis manducare & bibere, ſed ſi nimium ventri ſubditi fuerimus, ipſum licitum trahit nos ad illicita: hoc eſt, ad fornicationem: ita & de omnibus intelligendum, quæ cum peccatum non ſint, occaſiones tamen poſſunt capere delictorum.

(l) *Deus autem hunc & hanc deſtruet.*] Et hæc duo: id eſt, eſcam & ventrem, & hominem his ſubditum & voluptatibus ſervientem. Item in reſurrectione mortuorum non deſtruetur ventris ſubſtantia, ſed eſus ciborum & ventris opera ceſſabunt. Quoniam regnum cœlorum, ſicut idem Apoſtolus ad Romanos dicit, neque eſca neque potus eſt. Roma. 14.

(m) *Corpus autem non fornicationi, ſed Domino: & Dominus corpori.*] Non fornicationi, ſed Domino exhibeatur: & Dominus corpori copulabitur. *Dominus enim nobiſcum eſt quamdiu fuerimus cum illo, ſi dereliquerimus eum, & ille nos derelinquet.*

(n) *Deus vero & Dominum ſuſcitavit: & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.*] Quia caput noſtrum ſuſcitavit, & nos ſuſcitabit, ſi tamen ejus membra per ſanctitatem eſſe mereamur.

(o) *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti?*] Omnis Eccleſia, corpus Chriſti eſt: ſinguli autem membra.

(p) *Tollens ergo membra Chriſti.*] Tollit Chriſti membra, id eſt, abſcindit ſe à corpore Chriſti: qui junctus eſt meretrici.

(q) *Faciam membra meretricis? Abſit.*] Non dixit, fornicatoris: ut oſtenderet eum ejuſdem & criminis eſſe, & nominis, cujus illa eſt: Apud hominem enim minus videtur viri, quàm mulieris admiſſum.

(r) *An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una.*] Quomodo cum uxore licite, ita & illicite cum meretrice una caro efficitur per amorem.

(ſ) *Qui autem adhæret Deo &c.*] Quomodo per carnis opera, caro fit: ita per opera Dei, Spiritus efficitur.

(t) *Fugite fornicationem.*] Cujus crimen videtis eſſe graviſſimum.

(v) *Omne enim peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.*] Omne peccatum poteſt & ab uno committi: qui membrum dici poteſt, non tamen corpus. In fornicatione autem duo pereunt, etiam corpus. Gravius ergo malum eſt, in quo duæ animæ moriuntur. Gravare vult fornicationis cauſam, quæ illis per conſuetudinem leviſſima videbatur. Item alia expoſitio: De his qui ſunt in conjugio conſtituti, Apoſtolus ſumit exemplum. Quomodo, inquit, ſcriptum eſt: Erunt duo in carne una: id eſt, vir & uxor, unum corpus efficitur? Unde ſi aliquis ipſorum fuerit fornicatus, peccat in alium, quaſi in proprium corpus. Reſidua autem peccata, ſpecialia uniuſcujuſque ſunt: nec alterum condemnant. Gene 2.

(w) *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt? quem habetis à Deo.*] Cui graviſſimam injuriam facitis fornicando.

(a) Et

bis eſt? quem habetis à Deo, & [a] non eſtis veſtri. Emti enim eſtis pretio magno: [b] glorificate & portate Deum in corpore veſtro.

CAPUT VII.

[c] DE quibus autem ſcripſiſtis mihi: [d] bonum eſt homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem, unuſquiſque ſuam uxorem habeat: & unaquæque ſuum virum habeat. Uxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro. [e] Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. [f] Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipſum, [g] ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram. [h] Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, & non ſecundum imperium. Volo autem omnes vos eſſe ſicut meipſum. [i] Sed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo:

(a) *Et non eſtis veſtri. Emti enim eſtis pretio magno.*] Qui non eſt ſuus, non debet ſuæ voluntati ſervire: ſed illius à quo emtus eſt, ſecundum ipſius juſſum
Luc. 9. dicentis: *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum ſibi.* Si enim homo à ſervo pauca pecunia comparato, continuam ea igit ſervitutem: quanto magis ille qui nos
1. Pet. 1. ſua morte redemit? Sicut ait Petrus: *Scientes quod non corruptibilibus, argento vel auro redemti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati & contaminati, Chriſti.* Aliter: reſcindit emtionis pactum quiſquis inculcaverit jus teſtamenti: & à ſervili conditione alienus eſt, qui libertate ſuæ voluntatis non impeditur.

(b) *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.*] Glorificate Deum actibus veſtris: & portate eum, ejus imaginem conſervando, ſicut ait alibi: Sicut portavimus imaginem terreni, ita portemus imaginem cœleſtis.

IN CAPUT VII.

(c) D*E quibus autem ſcripſiſtis mihi.*] Incipit de conjugiis: ante enim expugnavit illicita, quàm de licitis loqueretur.

(d) *Bonum eſt homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat: & unaquæque ſuum virum habeat. Uxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro.*] Bonum fuerat illud quod vobis in primordio prædicavi, hoc eſt, ſecundum conjugii uſum, non tangere mulierem. Sed quoniam multos incontinentes huic doctrinæ ſcripſiſtis refragari, concedatur remedium, ne fornicando moriantur. Ergo hoc Apoſtoli exemplo, in primis, virginitas & continentia prædicatur. Et ſi quis ſe incontinentem nos erubuerit confiteri, in languorem incontinentiæ reclamanti, non denegetur remedium nuptiarum. Quomodo ſi peritus medicus inquieto ægro, & neganti ſe poſſe a pomis omnibus abſtinere, concedat aliquantum, ne ille pernicioſa præſumat. Incontinentiæ revera uſus, & tempore, & ætate, & loco, & infirmitate prohibetur. Caſtitas vero poteſt jugiter cuſtodiri. Illud ergo debemus appetere, quod facilius cuſtodire ſine impedimento ullo poſſumus & in perpetuo poſſidere. Sed objicere amatores luxuriæ ſolent: Ut quid ergo prima Dei benedictio, creſcete & multiplicare, conceſſit? Ut terra ſcilicet repleretur: qua jam impleta, debemus ab incontinentia temperare. Sed potuit, inquies, omnes homines de terra formare, ſi ſemper illi uſus conjugii non fuerat placiturus. Sed non quæritur quid potuit, ſed quid fecit: cui omnia poſſibilia ſunt. Ipſam denique Evam noluit de terra facere, ſed de coſta. Si autem putas nobis antiqua tempora in omnibus convenire: imitare Adam, qui filiam (ut ita dixerim) ſuam accepit uxorem. Cain ſimiliter, ſi non pudet, & cæteros, qui proprias in matrimonium accepere ſorores. Quod ſi fieri non debet, omnia Dominum ſecundum præſcientiam ſuis temporibus ordinaſſe credamus: ut qui tunc terram impleri voluit, modo plus diligit caſtitatem, cui & grande præmium repromittit. Illud etiam dicendum eſt, quod nec ſecundum vetus Teſtamentum, quoſdam uxores habuiſſe videamus. Quia ibi uxores liberorum cauſa habere permiſſum eſt: non propter nimiam libidinem exercendam: qui in hoc etiam animalibus deteriores eſſe noſcuntur: qui necando filios, probant ſe non filiorum cauſa nupſiſſe. Qui autem ea ſola cauſa conjungitur: ſtatim ſe abſtinet poſt conceptum. Et ceſſante jam per ætatem partu, ceſſat & uſus.

(e) *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.*] Corpus dicitur omne quod jungitur. Sicut ergo mulier corpus dicitur viri: ita & vir, corpus mulieris appellatur. Ideo neque ſi voluerit mulier contraire, in corpore ſuo, id eſt, in uxore, vir poterit dominari. Dubium autem non eſt, multo magis nolente viro, neque in virum mulierem poſſe prævalere. Quoniam ergo de duobus incontinentibus dicit, concedit ex neceſſitate Apoſtolus: ut in idipſum, quia utrique incontinentes ſunt, revertantur: ne intercedente quacunque diſſenſionis cauſa, ambo fornicationis crimen admittant: quia utrique ſunt incontinentes. Cæterum autem ſi unus e duobus conſiderans præmium caſtitatis, voluerit continere, incontinenti aſſentire non debet: ſed ita agere, ut videndo continentiam illius provocetur incontinens: quia luxuria ad continentiam tranſire debet, non ad luxuriam continentia declinare: quamvis plurimæ mulieres caſtitati contradicant. Ita illum qui voluerit continere, agere debere: ut incontinentia adſentiat in idipſum: ne dum ille continet, illa peccet. Anima quæ peccaverit, ipſa morietur. Nec enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in ejuſmodi. Neque enim vocavit nos Deus in immunditia, ſed in ſanctificatione. Aliter: quia voluit viro eſſe ſubjectam, ſolam ſibi abſtulit libertatem.

(f) *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus: ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipſum.*] Negare videtur incontinentes orationi poſſe vacare: quæ in eo utique minor eſt communioni: qua catecumeni & pœnitentes orant, qui communicare non poſſunt. Non ſolum hoc in novo, ſed etiam in veteri Teſtamento ſanctificantur a muliere: ut deſcendenti Domino in montem, aſſiſtere mereantur. Hic probatur quid poſſit perpetua continentia,
ſi tantum valuit triduana. Unde & in Regnorum li- *1. Reg. 21.*
bro panem ſacerdotalem non niſi continentes accipiunt. Quam ob cauſam neceſſitas legem ſolvere ve-
nialiter potuit ſuffragio charitatis. Unde & Petrus *1. Pet. 3.*
hortatur noſtras orationes minime impediri debere.

(g) *Ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.*] Notandum quod ad duos reſpiciens incontinentes, uni non præjudicet continenti. Item ne uno ſe retrahenti, alius fornicetur.

(h) *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, & non ſecundum imperium. Volo autem vos eſſe ſicut meipſum.*] Hoc ut parvulis indulgeo, non præcipio ut perfectis: nam omnes homines cupio mihi ſimiles inveniri. Novi enim quanta caſtitas mercede penſetur. Numquam hoc voluiſſet Apoſtolus, ſi fieri omnino non poſſit.

(i) *Sed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius vero ſic.*] Hoc eſt, propriæ voluntatis accepit donativum.

(a) *Dico*

Dco: alius quidem ſic, alius vero ſic. [a] Dico autem non nuptis & viduis: [b] bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint ſicut & ego. [c] Quod ſi non ſe continent, nubant. [d] Mclius eſt enim nubere, quam uri. [e] His autem qui matrimonio juncti ſunt, præcipio: [f] non ego, ſcd Dominus: uxorem a viro non diſcedere. [g] Quod ſi diſceſſerit, manere innuptam: aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. [h] Nam cæteris dico ego, non Dominus: [i] Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum. [k] Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem: & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem. [l] Alioquin filii veſtri immundi eſſent: nunc autem ſancti ſunt. [m] Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat. [n] Non enim ſervituti ſubjectus eſt frater vel ſoror in ejuſmodi. [o] In pace autem vocavit vos Deus. [p] Unde enim ſcis mulier, ſi virum ſalvum facies? [q] Aut unde ſcis vir, ſi mulierem ſalvam facies? [r] Niſi unicuique, ſicut diviſit Dominus. Unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet: & ſicut in omnibus Eccleſiis doceo. [s] Circumciſus aliquis vocatus eſt? non adducat præputium. In præputio autem aliquis vocatus eſt? non circumcidatur. [t] Circumciſio nibil eſt: & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei. [u] Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Scrvus vocatus es? non ſit tibi curæ: [w] ſed & ſi potes fieri liber, magis utere. [x] Qui enim in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini. Similiter

(a) *Dico autem non nuptis & viduis.*] Incipit aliam cauſam de innuptis.

(b) *Bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint ſicut & ego.*] Magnopere appetendum eſt, quod a tanto doctore laudatur.

(c) *Quod ſi non ſe continent, nubant.*] Notandum quod incontinentibus nuptiæ concedantur.

(d) *Melius eſt enim nubere, quam uri.*] Malo fornicationis melius eſt, quod igne punitur: ſicut Judas in *Gen. 38.* Geneſi de ſua nuru pronunciat.

(e) *His autem qui matrimonio juncti ſunt.*] Item de conjugiis minime cauſa aliqua dimittendis.

(f) *Præcipio: non ego, ſed Dominus: uxorem a viro non diſcedere.*] Prohibet dimitti quacumque ex cauſa, ne aliis conjungantur ſecundum conſuetudinem *Matth. 19.* Judæorum, quam Dominus interdixit, dicens: Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur.

Aliter: *Præcipio non ego, ſed Dominus*: uxorem a viro non diſcedere. Non quia in ſe non habebat Chriſtum loquentem, hæc dicit: ſed ut oſtendat, quia ipſe Dominus per ſemetipſum de hoc in Evangelio dixit.

(g) *Quod ſi diſceſſerit, manere innuptam: aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.*] Si ob aliquam cauſam diſceſſerit, alii non nubat: aut ſuo viro, ſi voluerit, reconcilietur: quia hoc quam alteri nubere melius eſſe manifeſtum eſt.

(h) *Nam cæteris dico ego, non Dominus.*] Conſilium do, quod mihi utile eſſe videtur.

(i) *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam: & ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum.*] Si quis ſolus crediderit e duobus: non quo permiſerit fidelem infideli conjungi. Non enim dixit: ſi quis ducit, ſed ſi quis habet infidelem.

(k) *Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem: & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem.*] Exemplum refert: quia ſæpe contigerat, ut lucrifieret vir per mulierem. Unde & beatus Petrus *1. Pet. 3.* ait: *Ut ſi qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant*: id eſt, cum viderint eas in melius commutatas, cognoſcant omnes Dei legem ita conſuetudine inveterata potuiſſe mutari. Item ideo vir & uxor invicem ſanctificantur: quia ex traditione Dei, ſanctæ ſunt nuptiæ.

(l) *Alioquin filii veſtri immundi eſſent: nunc autem ſancti ſunt.*] Si non ita eſſet ut dico, filii veſtri adhuc infideles permanerent: ſæpe enim contingeret, ut filii illos parentes qui crediderant ſequerentur. Sub qua ſpe credi voluit, alterum ſalvari poſſe, tam liberorum exemplo, quam conjugis.

(m) *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat.*] Maritus enim, vel uxor non ſunt Domino præferendi.

(n) *Non enim ſervituti ſubjectus eſt frater vel ſoror in ejuſmodi.*] Non enim ita ligatus eſt in ejuſmodi cauſa, quaſi vere illi ſervire neceſſe ſit, & propter alterum interire.

(o) *In pace autem vocavit nos Deus.*] Cæterum non ad diſſidium ſumus vocati: ultro ergo diſcedere non debemus.

(p) *Unde enim ſcis, mulier, ſi virum ſalvum facies?*] In dubium quidem poſuit: ſed ſemper ambigua in melius evenire credenda ſunt. Simul quærendum, quomodo ſuperius ſanctificatus dicatur, de cujus hic ſalute dubitatur: niſi ſecundum hunc quem expoſuimus intellectum.

(q) *Aut unde ſcis vir, ſi mulierem ſalvam facies?*] Si per te credat & ſalva ſit.

(r) *Niſi unicuique ſicut diviſit Dominus. Unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet: & ſicut in omnibus Eccleſiis doceo.*] Vel cum infideli conjuge, vel etiam cum fideli: ſive in præputio, ſive circumciſus, ſervus aut liber.

(s) *Circumciſus aliquis vocatus eſt? non adducat præputium: in præputio autem aliquis vocatus eſt? non circumcidatur.*] Non putet ſe ſuperflue circumciſum, nec de hoc pœniteat: fuit enim ſuo tempore neceſſarium. Sive hoc modo: non adducat præputium, quo ſine legis cærimoniis vivat: quia tunc quibuſdam Apoſtoli permittebant opera legalia cuſtodire, ne ſubito a lege retracti, ſcandalum paterentur. Item alia expoſitio: Evidens eſt hoc loco, non hic de circumciſione carnis aut præputio Apoſtolum loqui: neque enim fieri poteſt, circumciſum aliquem poſſe præputium adducere. Sed ad eos ſermo eſt, qui ſunt in conjugio conſtituti; hoc enim dicit: Si quis ad fidem Dei acceſſerit, uxorem non habens, poſtmodum gentilem conjugem non debet accipere. Si autem in tali copula conſtitutus, ad fidem fuerit vocatus, non debere eum conjugale vinculum ſolvere.

(t) *Circumciſio nihil eſt: & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei.*] Hoc tempore nec prodeſſe poterit, nec obeſſe.

(u) *Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Servus vocatus es, non ſit tibi curæ.*] Chriſtianæ religioni conditio non poteſt obeſſe ſervilis: ne dicas ergo: quomodo Deo poſſum placere, qui ſervus ſum? Deus enim non conditionem adſpicit, ſed voluntatem quærit & mentem.

(w) *Sed & ſi potes fieri liber, magis utere.*] Uſque adeo non prodeſt libertas, nec ſervitus nocet. Item ſimiliter ad eos qui matrimonio juncti ſunt, Apoſtolus loquitur, dicens: Sed & ſi potes liber fieri, magis utere: ſi tamen tibi Deo pudice volenti ſervire, non fuerit moleſte: quoniam forte tuo conſortio, etiam ipſa ad Deum poſſit converti.

(x) *Qui enim in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini. Similiter qui liber vocatus eſt, ſervus eſt Chriſti.*] Qui hominis ſervus eſt, liber eſt Deo: & quia hominibus liber eſt, ſervus eſt Chriſti. Ambo ergo

militer qui liber vocatus eſt, ſervus eſt Chriſti. [a] Pretio emti eſtis: nolite fieri ſervi hominum. Unuſquiſque ergo in quo vocatus eſt frater, in hoc permaneat apud Deum. [b] De virginibus autem [c] præceptum Domini non habeo: [d] conſilium autem do [e] tamquam miſericordiam conſequutus a Domino, [f] ut ſim fidelis. [g] Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe [h] propter inſtantem neceſſitatem: [i] quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. [k] Alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. [l] Si autem acceperis uxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccavit. [m] Tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi. [n] Ego autem vobis pareo. [o] Hoc itaque dico, fratres. [p] Tempus breve eſt. Reliquum eſt, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes ſint: [q] & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non poſſidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur. [r] Præterit enim figura hujus mundi. [s] Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe. [t] Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, [u] quomodo placeat uxori, [w] & diviſus eſt. [x] Et mulier innupta & virgo, cogitat quæ Domini ſunt: ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. [y] Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro. [z] Porro hoc ad utilitatem veſtram dico: non ut laqueum vobis injiciam, ſed ad id quod honeſtum eſt: & quod facultatem præbeat ſine

ergo unum ſunt. Non eſt enim perſuoarum acceptio apud Deum.

(a) *Pretio emti eſtis, nolite fieri ſervi hominum. Unuſquiſque ergo in quo vocatus eſt frater, in hoc permaneat apud Deum.*] Pretio emti eſtis: hoc eſt, Chriſti ſanguine comparati: nihil ergo propter homines faciatis: ſicut alibi ait: Non ad oculum ſervientes, quaſi
Ephe. 6 hominibus placentes: ſed quaſi ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, & cætera.

(b) *De virginibus autem.*] Et de hoc conſuluerant, ubi eſſet præcepta virginitas.

(c) *Præceptum Domini non habeo.*] Quod ſub præcepto eſt, ſi non impleatur, punit: Impletum morte tantum caret: quia nihil ex ſe dat: ſed quod debet, exſolvit.

(d) *Conſilium autem do.*] Conſilium eſt autem
Matth. 19. Salvatoris dicentis: Sunt qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum.

(e) *Tanquam miſericordiam conſequutus a Domino.*] Suo exemplo docet, non niſi in Domino gloriandum.

(f) *Ut ſim fidelis.*] Domini mei ſemper ſervitio occupatus.

(g) *Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe.*] Hic exiſtimo, non pro dubio poſuit, ſed pro certo: ſicut & illud: *Puto enim quod & ego Spiritum Dei habeo.*

(h) *Propter inſtantem neceſſitatem.*] Id eſt, præſentis vitæ ſollicitudinem, quæ multum poteſt obeſſe juſtitiæ: & qua præcipue juncti matrimoniis implicantur.

(i) *Quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.*] Duplex bonum eſt: & ſollicitudinibus mundi carere, & virginitatis præmium exſpectare.

(k) *Alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem: ſolutus es ab uxore? noli quærere uxorem.*] Ita vult ſolutos noo ligari: quomodo nec ſolvi diſſidio ligatos admittit.

(l) *Si autem acceperis uxorem, non peccaſti:* &c.] Quia liberæ voluntatis es, ſi non vis eſſe major, eſto vel minor. Nuptiæ enim peccatum oon ſunt: ſed per ſollicitudinem mundi qui nubunt, legem ſervare vix poſſunt. Aliter: illos dicit noo peccare ſi nubant, qui nondum Deo voverint caſtitatem. Cæterum qui vel in corde ſuo promiſit, ſi aliud fecerit, habet damnationem: quia primam fidem irritam fecit. Quod
Act. 5. enim erat licitum, per votum ſibi fecit illicitum: ſicut Ananiæ & Sapphiræ, quibus de pretio poſſeſſionis ſuæ retinere nihil licuit: ob quam cauſam & ſubita morte proſtrati ſunt.

(m) *Tribulationem tamen* &c.] Maledicto ſe Evæ ſubjicientes, ſive ſollicitudinem ſecularis tribulationis & triſtitiæ patientur.

(n) *Ego autem vobis parco.*] Vobis virginibus, ut implere minori labore majorem poſſitis juſtitiam.

(o) *Hoc itaque dico, fratres.*] Hic omni intentione etiam habentes uxores ad continentiam cohortatur: ut multo magis ſuadeat non nubere non habentes.

(p) *Tempus breve eſt: reliquum eſt* &c.] Tempus vitæ noſtræ modicum aſſerit: ut doceat voluptatem, quæ cito finitur, noo magnopere appetendam, ſed magis concupiſcendum eſſe ætcroum præmium caſtitatis.

(q) *Et qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non poſſidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur.*] Quia & iſtud in brevi tranſibit: tempus enim omnis rei ſub ſole, tempus plangendi, & cætera.

(r) *Præterit enim figura hujus mundi.*] Hoc ſeculum, quaſi umbra pertranſit. Nolite ergo de eo multum eſſe ſolliciti, ne hujus poſſeſſione perdatis æternam, & figuram quærentes iocipiatis amittere veritatem. Hic enim mundus imago futuri eſt. Si ergo talis eſt imago, ipſa veritas qualis eſt? Unde ſi hoc tam impenſe diligitis, quanto magis illud impenſius amare debetis? Nam ſeculum hoc oos dimiſſuros, quotidiana morientium exempla teſtantur. An forte nos ſolos credimus immortales, quaſi non ſimus ex hominibus generati? Unde ſapiens ſemper aliorum caſibus emendatur, dicente Scriptura: *Cor ſapientis in domo* *Eccl. 7.*
luctus. Hic enim finis omni homini: & cui vult, dabit bonum in corde ſuo.

(ſ) *Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe.*] Debemus & oos velle, quod Apoſtolus velle ſe dicit: oe incontinentes, contra ejus videamur facere voluntatem.

(t) *Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi.*] Multum nobis expedit ſollicitudine carere mundana, ne forte ſpinæ ſuffocent ſemen,
& dicere incipiamus: *Villam comparavi: boves emi:* *Luc. 14.*
uxorem duxi: ad cœnam venire non poſſum.

(u) *Quomodo placeat uxori.*] Quale eſt uxori magis velle placere quam Deo?

(w) *Et diviſus eſt.*] Quod diviſum eſt, unum non poteſt eſſe: quia unitas diviſionem omnino oon accipit.

(x) *Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt: ut ſit ſancta corpore & ſpiritu.*] Corpore, ob uſu conjugali: ſpiritu, à rerum mundanarum ſollicitudine: dum tota divino ſervitio mancipatur.

(y) *Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.*] Nuptam viro placere aſſerit cogitando, quæ mundi ſunt: inouptam vero deeo quod illi nulla cura ſit ſeculi. Quæ ergo virum oon habet, & tamen quæ mundi ſunt, cogitat, cui placere deſiderat? Nonne incipiet illi nupta præponi, quæ cogitando mundana, complacet vel marito: cum hæc nec marito, quem non habet, poſſit placere, nec Deo.

(z) *Porro hoc ad utilitatem veſtram dico: non ut laqueum vobis injiciam, ſed ad id quod honeſtum eſt: & quod facultatem præbeat, ſine impedimento Dominum obſecrandi.*] Neceſſitatem illis videtur imponere: Dicit ſe quid illis expediat, commonere eos. Simul attende: quia ſi hoc illis utile erat quod Apoſtolus ſuadebat,

Digitized by Google

ſine impedimento Dominum obſecrandi. [a] Si quis autem turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua, quod ſit ſuperadulta: [b] & ita oportet fieri, quod vult faciat: non peccat, ſi nubat. [c] Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem: poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis: & hoc judicavit in corde ſuo, ſervare virginem ſuam, bene facit. [d] Igitur & qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit: & qui non jungit, melius facit. [e] Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit. [f] Quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt a lege. Cui autem vult, nubat, tantum in Domino. [g] Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium. [h] Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam.

CAPUT. VIII.

[i] DE his autem quæ idolis ſacrificantur, [k] ſcimus: quia omnes ſcientiam habemus. [l] Scientia inflat: [m] caritas vero ædificat. [n] Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid; nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum ſcire. [o] Si quis autem diligit Deum, hic cognitus eſt ab eo. [p] De eſcis autem quæ idolis immolantur, ſcimus: quia nihil eſt idolum in mundo: & quod nullus eſt Deus, niſi unus. [q] Nam & ſi ſunt qui dicantur Dii, ſive in cœlo, ſive in terra: ſiquidem ſunt Dii multi & Domini multi: [r] nobis tamen unus eſt Deus Pater, [ſ] ex quo omnia & nos in illo, & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per

debat, illud minus utile erat quod illi volebant.

(a) *Si quis autem turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua, quod ſit ſuperadulta.*] Turpis videri poterit, ſi cupientem virginem ſuam, nubere non permittat: & illa fuerit fornicata. Item hoc loco non parentes dicit virginum filiarum: neque enim poteſtatis illorum poteſt eſſe propoſitum alienæ continentiæ: ſed unumquemque habere propriæ carnis arbitrium, eam incorruptam ſervare.

(b) *Et ita oportet fieri, quod vult faciat: non peccat, ſi nubat.*] Si ita neceſſe fuerit propter filiæ voluntatem: nam parentes quidem uſque ad legitimam ætatem cuſtodire debent & docere, quod melius eſt: ſi autem illa noluerit, fiat quod neceſſe eſt.

(c) *Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem: poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis: & hoc judicavit in corde ſuo, ſervare virginem ſuam, bene facit.*] Ille firmus ſtatuit, cujus puellæ conſenſus, patris firmaverit voluntatem. Et non illum compellit filiæ neceſſitas facere quod nolebat, ſicut illum de quo ſupra loquutus eſt.

(d) *Igitur & qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.*] Ita concludit virginum cauſam ut eas faciat in omnibus meliores. Unde prudentibus ſemper meliora & perfectiora ſectanda ſunt: quia nec in ſecularibus & caducis norunt mediocribus eſſe contenti.

(e) *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit.*] Hic incipit de bigamis & viduis.

(f) *Quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt a lege &c.*] Secundum legem libera facta eſt a vinculo conjugali. Quod ſi nec tunc continere voluerit, conceduntur illi etiam ſecundæ nuptiæ, tantum ut infidelium ritu non nubat.

(g) *Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium.*] Beata habens maritum, ſi cuſtodiat caſtitatem. Beatior vidua: quia minor in labore, majorem inveniet caſtitatem. Beatiſſima virgo, quæ ſine labore ad ſummum præmium poſſit pervenire.

(h) *Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam.*] Ne meum conſilium tanquam humanum contemnatis.

IN CAPUT VIII.

(i) *DE his autem quæ idolis ſacrificantur.*] Incipit de idolothytis, de quibus etiam dixerat. Quia quidam in templis edebant, idolum nihil eſſe dicentes, & creatura Dei ſe debere uti: & errabant veriſimilis ratione decepti: hoc increpandum Apoſtolus dicit ad eos quia habent ſcientiam dijudicandi, nihil eſſe quod idolis immolatur. Hoc ergo ait:

(k) *Scimus, quia omnes ſcientiam habemus.*] Id eſt, non omnibus eſt notitia. Et nos omnes novimus ſicut vos: ſed ſunt aliqui qui ignorant.

(l) *Scientia inflat.*] Illa ſcientia quæ ex ſenſu proprio & humano deſcendit, eos, qui præter eam divinam non habuerint, inflat: & quæ conjecturis magis nititur, quam exemplis. Cæterum ſi divina inflat, ut quidam putant: quare illos amplius vult docendo inflare? Et in principio ipſius Epiſtolæ, gratias ſe dicit Deo agere, quod omni ſcientia ſint repleti; ſuum quoque alibi proponit exemplum, dicens: Et ſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia. Sæpe etiam arguit ignorantes: Et ignorantiam tenebris comparavit. Galatas æque ſtultitia notat: nec non Epheſiis lumen ſapientiæ ſuppliciter deprecatur.

(m) *Caritas vero ædi. &c.*] Quia non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ ædificent fratres.

(n) *Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognovit &c.*] Si quis ſibi videtur ſapiens, ſtultus eſt: quia enim vere ſapiens eſt, inſipientiorem ſe omnibus arbitratur. Unde Salomon ait: *Vidi virum qui ſibi ſapiens eſſe videbatur, & ſpem habuit inſipiens magis quam ille.* Prov. 26.

(o) *Si quis autem diligit Deum, hic cognitus eſt ab eo.*] Ille diligit Deum, qui ædificat fratres: ſicut dicitur Petro: *Si amas me, paſce oves meas.* Joan. 21.

(p) *De eſcis autem quæ idolis immolantur, ſcimus quia nihil eſt idolum in mundo: & quia nullus eſt Deus, niſi unus.*] Repetit quod ſuperius dixerat ſe ſcire, & quid ſit, evidentius oſtendit.

(q) *Nam & ſi ſunt qui dicantur dii, ſive in cœlo, ſive in terra: ſiquidem ſunt dii multi, & Domini multi.*] In cœlo, Angeli & ſancti, in terra: de quibus dicitur: *Ego dixi, dii eſtis:* & Domini ſunt ſancti eorum, quos Pſal. 81. judicabunt: de quibus dicitur: *Judicabunt nationes,* Sap. 3. *& dominabuntur populis.*

(r) *Nobis tamen unus eſt Deus Pater.*] Cujus virtute ex nihilo omnia ſunt creata. Item hunc locum hæretici ita accipiunt, perſonam Patris Filiique ſeparantes, ut dicant unum Deum Patrem: ex quo omnia, & dicunt Domino, id eſt, Chriſto eſſe majorem, per quem omnia. Hæc autem & Filio ſicut Patri eſſe communia idem Apoſtolus ad Romanos docet, dicens: *Quis enim cognovit ſenſum Domini?* id eſt, Chriſti, non Rom. 11. Dei Patris: ſicut ille dicit & infert, dicens: *Quia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Item per quem, etiam Deo Patri adſcribit idem Apoſtolus in hac eadem Epiſtola dicens: *Fidelis Deus per quem vocati eſtis in* 1. Cor. 1. *communionem filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri.*

(ſ) *Ex quo omnia, & nos in illo: & unus Dominus Jeſus Chriſtus.*] Calumniam ex hoc loco commovent Ariani: quod cum unus tantum Deus dicitur Pater, Filius a deitate ſejunctus ſit. Quibus reſpondendum: ſi ideo non eſt Filius Deus, quia unus eſt Deus Pater; ergo & Pater non erit Dominus, quia unus eſt Domi-

 nus.

[a] per quem omnia, & nos per ipſum. [b] Sed non in omnibus eſt ſcientia. [c] Quidam autem cum conſcientia uſque nunc idoli, quaſi idolothytum manducant: & conſcientia ipſorum cum ſit infirma, polluitur. [d] Eſca autem nos non commendat Deo. [e] Neque enim ſi manducaverimus, abundabimus: neque ſi non manducaverimus, deficiemus. [f] Videte autem ne forte hæc licentia veſtra [g] offendiculum fiat infirmis. [h] Si enim quis viderit eum qui habet ſcientiam, in idolio recumbentem, nonne conſcientia ejus cum ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua conſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſto peccatis. [i] Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum: ne fratrem meum ſcandalizem.

C A P U T IX.

[k] NOn ſum liber? non ſum Apoſtolus? [l] nonne Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum vidi? Nonne opus meum vos eſtis in Domino? Et ſi aliis non ſum Apoſtolus, ſed tamen vobis ſum: [m] nam ſignaculum Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino. [n] Mea defenſio apud eos [o] qui me interrogant, hæc eſt: [p] Numquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi? [q] Numquid non habemus poteſtatem ſororem mulierculam circumducendi: [r] ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? Aut ſolus ego & Barnabas non habemus poteſtatem hoc operandi? [ſ] Quis militat ſuis [t] ſtipendiis umquam? [u] Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? [w] Numquid ſecundum hominem hæc dico? [x] An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi: Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos utique hæc dicit? Nam propter nos utique ſcripta ſunt: [y] quoniam debet in ſpe qui arat arare: & qui triturat

nus Chriſtus. Si autem Pater non excluditur a dominatione, nec Filius a deitate: ſed utrumque utrique commune eſt.

(a) *Per quem omnia & nos per ipſum.*] Per Filium omnia facta ſunt: ſed & nos per ipſum ſumus ſalvati.

(b) *Sed non in omnibus eſt ſcientia.*] Non omnes ſciunt, quia per contemtum idolorum & non magis venerationis gratia manducetis.

(c) *Quidam autem cum conſcientia uſque nunc idoli, quaſi idolothytum manducant: & conſcientia ipſorum cum ſit infirma, polluitur.*] Quidam ignari ſic habent, adhuc in conſcientia ſua quomodo, antequam crederent, manducabant.

(d) *Eſca autem nos non commendat Deo.*] Sicut dicit Aggæus Propheta: *Et ſi manducaſtis & bibiſtis, nonne vobis manducaſtis & bibiſtis?* Aggai. 1.

(e) *Neque enim ſi manducaverimus, abundabimus: neque ſi non manducaverimus, deficiemus.*] Cui enim dubium eſt, nullum neque manducando abundare, neque non manducando egere? cum e contrario illis magis formidanda inopia ſit, qui gulam retinere non norunt. Sed quia magnitudini fidei ſuæ, quæ idolis immolata ſunt veſci, adſeribebant; ideo Apoſtolus neque in illis edendis fidei abundantiam, neque in non edendis inopiam eſſe teſtatur.

(f) *Videte autem ne forte hæc licentia veſtra.*] Videte ne quod vobis ſufficere minus creditis, aliis obſit. Poteſt & illis dici qui deſtruunt exemplo, quod ædificant verbo.

(g) *Offendiculum fiat infirmis.*] Ne per vos offendant & cadant.

(h) *Si enim quis viderit eum qui habet ſcientiam in idolio recumbentem &c.*] Quicumque ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, expedit ei ut mola aſinaria ſuſpendatur collo ejus, & mittatur in profundum maris. Quanto gravior pœna illos exſpectat: ut ad comparationem illius, hoc, quod graviſſimum eſt, leve putetur. Et notandum quod in Chriſto peccare dixerit, qui in membro peccaverit Chriſti. Matt. 18.

(i) *Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum &c.*] Non ſolum eſca, ſed omnia quæ ſcandalizare poterunt fratrem.

IN CAPUT IX.

(k) N*On ſum liber? non ſum Apoſtolus?*] Sicut alii? Numquid non ſum? Suam illis replicat formam quod etiam licita contemſerit, ne alii ejus infirmarentur exemplo.

(l) *Nonne Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum vidi? Nonne opus meum vos eſtis in Domino? Et ſi aliis non ſum Apoſtolus, ſed tamen vobis ſum.*] Ad quos non ſum directus a Domino, id eſt, ad Judæos.

(m) *Nam ſignaculum apoſtolatus mei vos eſtis in Domino.*] Indicium apoſtolatus mei eſt, quod per me Domino credidiſtis, ſignis & virtutibus provocati.

(n) *Mea defenſio apud eos.*] Inde Apoſtolus eſſe defendor.

(o) *Qui me interrogant hæc eſt.*] In Græco habet, judicant.

(p) *Numquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi?*] Habemus poteſtatem conceſſam a Domino de ſumptu veſtro vivendi, ſine noſtro labore.

(q) *Numquid non habemus poteſtatem ſororem mulierculam circumducendi.*] Non dixit, mulieres ducendi, ne de uxoribus dicere putaretur: ſed circumducendi, inquit, per provincias, quæ neceſſaria de ſuis facultatibus miniſtrarent.

(r) *Sicut & cæteri Apoſtoli & fratres Domini & Cephas? Aut ſolus ego & Barnabas non &c.*] Non illos condemnat, ſed ſuum dat exemplum. Illi enim fidelioribus prædicabant: & apud Judæos antiqua hæc erat conſuetudo, ut neceſſaria doctoribus a diſcipulis præberentur: quod gentes adhuc rudes poterat ſcandalizare.

(ſ) *Quis militat.*] Aliis etiam exemplis probat ſibi debitum hoc fuiſſe.

(t) *Suis ſtipendiis umquam.*] Suis, & non publicis, vel eorum pro quibus militat.

(u) *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?*] Per comparationem vineæ & gregis, populum vult intelligi. ſicut ibi: *Vineam de Aegypto tranſtuliſti.* Et iterum: Pſal. 79.
Dabo vobis paſtores ſecundum cor meum: & paſcent vos cum diſciplina. Hier. 3.

(w) *Numquid ſecundum hominem hæc dico?*] Id eſt, numquid proprio tantum ſenſu loquor?

(x) *An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moſi: Non alligabis os bovi trituranti: Numquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos &c.*) Quomodo ergo ei de pecoribus cura eſt? Et ad Jonam de Ninive dicitur: *in qua ſunt homines & pecora multa?* Sed de ipſis propter hominem cui creata ſunt, cura eſt: nam deficiente homine, & iſta deficiunt: non tamen proprie Dei curam merentur. Deut. 25.

(y) *Quoniam debet in ſpe qui arat arare: & qui triturat*

Digitized by Google

turat in ſpe fructus percipiendi. Si [a] nos vobis ſpiritualia ſeminavimus : magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus : Si [b] alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? Sed [c] non uſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus : ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti. [d] Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt? Et qui altario deſerviunt, cum altario participant? [e] Ita & Dominus ordinavit his qui Evangelium adnunciant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum uſus ſum. Non [f] autem ſcripſi hæc, ut ita fiant in me. [g] Bonum eſt enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. Nam & ſi [h] evangelizavero, non eſt mihi gloria. Neceſſitas enim mihi incumbit. Væ [i] enim mihi eſt, ſi non evangelizavero. Si [k] enim volens hoc ago, mercedem habeo : ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt. [l] Quæ eſt ergo merces mea? ut Evangelium prædicans, ſine ſumtu ponam Evangelium: ut non abutar poteſtate mea in Evangelio [m] Nam cum liber eſſem ex omnibus omnium, me ſervum feci : ut plures lucrifacerem. Et [n] factus ſum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer. His [o] qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, [p] cum ipſe non eſſem ſub lege: ut eos qui ſub lege erant, lucrifacerem. His [q] qui ſine lege erant, tamquam ſine lege eſſem: [r] cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti: ut lucrifacerem eos qui ſine lege erant. [ſ] Factus ſum infirmis infirmus : ut infirmos lucrifacerem. [t] Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos. [u] Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar. [w] Neſcitis quod hi qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Omnis [x] enim qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet : & illi [y] quidem ut corruptibilem coronam

turat in ſpe fructus percipiendi.] Debet fructum ſui laboris percipere: & qui triturat, debet de ipſa area manducare.

(a) *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus: magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?*] Si vobis ſpiritualia & divina ſeminavimus, numquid gravabimus vos, ſi à vobis quæ carni opus ſunt, velimus accipere?

(b) *Si alii poteſtatis ve.* &c.] Si illi à vobis acceperunt quibus minime debebatur, pſeudoapoſtoli, ſcilicet, quos nihil vobis certum eſt contuliſſe: quanto magis nos accipere poterimus, ſi vobis eſſe utile ſentiremus?

(c) *Sed non uſi ſumus hac poteſta.* &c.] Hoc eſt, famem & ſitim, nuditatem libentiſſime toleramus: ne per nos adverſariis occaſione accepta devorantibus offendatis. Aut ne cui prædicatio noſtra in aliquo reprehenſibilis videatur, avaritiæ ſuſpicione maculata.

(d) *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altario deſerviunt, cum altario participant.*] Apud Judæos, ſecundum conſuetudinem veteris Teſtamenti, etiam hoc exemplum eadem repetendo confirmat.

(e) *Ita & Dominus ordinavit his qui Evangelium adnunciant, de Evangelio vive.* &c.] Dicens: *Dignus eſt operarius mercede ſua.*

(f) *Non autem ſcripſi hæc, ut ita fiant in me.*] Non hæc idcirco ſcribo, ut vel modo fiat quod ante factum ſit: ſed vobis exempla præbeo tam proprii, quam alieni diſcriminis: ſaltem ab illicitis abſtinere, cum videatis me aliorum cauſa ſalutis debita non minus quam licita contemſiſſe.

(g) *Bonum eſt enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.*] Etiam ſi fame morerer, propoſitum meum, de quo ante Deum glorior, numquam poteſt immutari.

(h) *Nam & ſi evangelizavero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit.*] Cum omnia feceritis præcepta, debita vos dicite perſolviſſe. Non enim aliquid amplius feciſtis, unde gloriari poſſitis.

(i) *Væ enim mihi eſt ſi non evangelizavero.*] Damnationem habeo.

(k) *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo* &c.] Tunc magis videbitur voluntarium, ſi amore ejus licita contemnantur.

(l) *Quæ eſt ergo merces mea* &c.] Quaſi interroget, unde majorem poſſit habere mercedem: & ipſe reſpondet, ſi gratis adnunciem, nec acceptam exerceam poteſtatem.

(m) *Nam cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum* &c.) Cum poſſem uti libertate mea & de cæteris non curare; omnibus tamen compaſſus ſum, ut eos facerem ſalvos.

(n) *Et factus ſum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer.*] Quando ſe purificavit in Templo: quod tempore gratiæ ſciebat eſſe ſuperfluum.

(o) *His qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem.*] Oſtendit quomodo fuerit cum ipſis & ipſe Judæus. Poteſt & ita intelligi, quod Samaritanos dixerit eſſe ſub lege: qui legem tantum Moiſi videntur accipere.

(p) *Cum ipſe non eſſem ſub lege* &c.] Non eſt ſub lege litteræ, quæ peccatoribus data eſſe perſcribitur.

(q) *His qui ſine lege erant* &c.] Sine lege litteræ: & à gentibus imprimis ſolam fidem quærebat, quaſi non haberet præcepta legis Chriſti: quæ illos obſervare doceret: ſive in eo quo illos ad fidei credulitatem non tam legalibus doctrinis, quam rationabilibus argumentis provocabat. Sicut Athenis feciſſe perhibetur, Philoſophos & Paganos per Philoſophiam & ararum titulum exhortando, dum dicit: *Circumivi aras veſtras: &, ut quidam veſtrûm dixerunt.*

(r) *Cum ſine lege Dei non eſſem* &c.] Contra Arianos & Photinianos, quod Deus ſit Chriſtus. Etiam notandum quod novum Teſtamentum, lex appellatur.

(ſ) *Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem.*] Propter infirmos olera manducavi, cum ſecurus poſſem carnibus veſci promiſcuis.

(t) *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.*] Non aliquid mihi, nec quærens, quod mihi utile eſt, ſed quod multis. Item aliter, in his quæ ſuperius memoravimus: non, ut quidam male exiſtimant, illum etiam illicitis conſenſiſſe.

(u) *Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar.*] Ut in eo partem merear habere cum ſanctis.

(w) *Neſcitis qui hi qui* &c.] Hic ſtadii curſum, juſtitiæ vel fidei comparavit: quia quomodo illic cum omnes intra ſtadium currunt, non niſi qui bene cucurrerit, dignus præmio judicatur, ita & hic quamvis intra fidei metas cuncti credentes contineantur; ſoli tamen qui juſte vixerint, præmium cœleſte percipient. Item hoc loco inter eos qui in ſtadio currunt, unum accipientem palmam ſignificat: omnem recte fidem tenentem, & præcepta ſervantem.

(x) *Omnis autem qui in agone* &c.] Ab omnibus eſcis, quæ curſum eorum impedire conſueverunt.

(y) *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam.* &c. *ſed caſtigo* &c.] Non in vanum curro, vel fingo certamen, ſed caſtigo corpus meum & ſervituti ſubjicio per abſtinentiam & afflictionem atque labores, ſicut alibi ait: In jejuniis multis, in vigiliis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in laboribus, in carceribus &c. Sicut ad Hebræos,

coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans. Sed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne [a] forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.

CAPUT X.

[b] NOlo enim vos ignorare, fratres: qnoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt: & omnes mare tranſierunt: & [c] omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube [d] & in mari: & [e] omnes eamdem ſpiritualem eſcam manducaverunt: omnes eumdem potum ſpiritualem biberunt. [f] Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra: [g] petra autem erat Chriſtus. Sed [h] non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo. Nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc [i] autem in figura facta ſunt noſtri: ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt. Neque idololatræ [k] efficiamini, ſicut quidam ex ipſis: quemadmodum ſcriptum eſt: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Neque [l] fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt: & ceciderunt una die viginti tria millia. Neque [m] tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum [n] tentaverunt: & à ſerpentibus perierunt. Neque [o] autem murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmuraverunt: & perierunt ab exterminatore. Hæc [p] omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt. [r] Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Tentatio [ſ] vos non apprehendat, niſi humana. [t] Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed [u] faciat etiam cum tentatione proventum, ut poſ-

Prophetas, & alios ſanctos paſſos multa talia memoravit.

(a) *Ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe* &c.] Non faciendo quæ dico.

IN CAPUT X.

(b) N*Olo enim vos ignorare* &c.] Ne quis confidens in eo ſolum, quod baptizatus eſt, aut in eſca ſpirituali vel potu, putet ſibi Deum parcere, ſi peccaverit: tale patrum proponit exemplum, quo oſtendat tunc iſta merito profutura, ſi præcepta ſerventur.

(c) *Et omnes in Moyſe baptizati* &c.] In Moyſe, qui Chriſti typum gerebat. Item hæc in illo tempore, quaſi in umbra & typo fiebant: non in veritate, poſtea vero præſentia Chriſti complentur.

(d) *In nube & in mari* &c.] Quia & nubis proprium humorem portat.

(e) *Et omnes eamdem ſpiritualem eſcam manducaverunt* &c.] Manna, figura corporis Chriſti fuit.

(f) *Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra* &c.] Oſtendit Apoſtolus: quoniam populus Iſrael quamdiu in deſerto fuit, per omne iter eorum ſequebatur eos petra. Unde populo cum omni ſubſtantia ſua fluenta ſuffecerunt: donec pervenientes in terram Moab, puteum effoderunt aquarum: terra repromiſſionis in proximo conſtituta.

(g) *Petra autem erat Chriſtus* &c.] Quia Chriſtus erat poſtmodum ſecuturus: cujus figuram tunc petra gerebat. Idcirco pulchre dixit, conſequente eos petra.

(h) *Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo* &c.] Ita ergo & vobis erit, ſi eos volueritis peccando imitari.

(i) *Hæc autem in figura facta ſunt noſtri* &c.] Ipſis vere facta ſunt, quæ in figura erant noſtra: ut timeamus talia agere, ne talia incurramus. Omnia enim quæ in populo Iſrael illo tempore facta ſunt in figura, nunc in nobis in veritate celebrantur. Sicut enim illi per Moyſen ex Aegypto liberati ſunt, ſic nos per quemlibet ſacerdotem vel doctorem de ſeculo liberamur. Deinde Chriſtiani facti, ducimur per deſerta: ut per exercitium contemtus mundi & abſtinentiæ, in oblivionem nobis eant Aegypti voluptates: ita ut neſciamus ad ſæculum repedare. Cum vero baptiſmi mare tranſimus, tunc nobis Diabolus cum ſuo exercitu tanquam Pharao demergitur. Deinde Manna cibamur, & potum accipimus de Chriſti latere emanantem. Claritas quoque ſcientiæ tamquam columna ignis, in nocte ſeculi demonſtratur: & in tribulationis æſtu, divinæ conſolationis nube protegimur. Poſt quæ omnia ſi peccaverimus, iſta nobis ſola ſuffragari non poterunt: ſicut & ad Hebræos dicitur: *Irritam quis faciens legem Moyſi, duobus aut tribus teſtibus, ſine ulla miſeratione punitur.* Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, & cætera. Heb. 10.

(k) *Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam* &c.] In idolio recumbentium uſque adeò negotium aggravavit, ut illos idololatras fuiſſe definiat.

(l) *Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt* &c.] Notandum quod non ſolum idololatræ perire dicuntur.

(m) *Neque tentemus Chriſtum* &c.] Et hic Chriſtus Deus oſtenditur: quia Deum dixiſſe legimus, *tentaverunt me decies.* Num. 14.

(n) *Tentaverunt, & à ſerpentibus perierunt* &c.] Dicentes numquid poteſt Deus parare menſam in deſerto? Pſal. 77.

(o) *Neque murmuraveritis, ſicut* &c.] In tribulationibus propter Chriſtum.

(p) *Hæc autem omnia in figura* &c.] Omnia quæ illis contigerunt, ſecundum facta ſua quidem receperunt: ſed tamen ideo ſcripta ſunt, ne nos putemus impune peccare. Si enim adhuc parvulis & rudibus non pepercit, quanto magis nobis qui legem perfectionis accepimus non parcet, ſi talia fecerimus?

(q) *In quos fines ſæculorum* &c.] In quos tota temporum perfectio decucurrit.

(r) *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare*, &c.] Videat ne per hoc ipſum cadat, quod ſe ſtare firmiter gloriatur: ſive videat ne fallatur.

(ſ) *Tentatio vos non apprehendat*, &c.] Non vobis venit extrinſecus iſta tentatio, quam vobis ſponte generatis: quam etiam ſi tormentis cogeremini, admittere non deberetis. Hoc ideo dicit, quia ſpontanea voluntate, immolata idolis manducabant.

(t) *Fidelis autem Deus eſt qui non patietur vos tentari* &c.] Qui ſe pollicitus eſt ſui nominis cauſa tribulationem patientibus affuturum, ut ibi: Multæ tribulationes juſtorum, & cætera.

(u) *Sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.*] Non ampliorem vobis tribulationem venire patietur, quam ſuſtinere poſſitis.

(a) *Pro-*

ut poſſitis ſuſtinere. [a] Propter quod, cariſſimi mihi, fugite ab idolorum cultura. Ut prudentibus loquor, vos ipſi judicate quod dico. Calix [b] benedictionis cui benedicimus, nonne [c] communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et [d] panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? Quoniam unus panis & unum corpus multi ſumus: [e] omnes quidem de uno pane & de uno calice participamus. [f] Videte Iſraël ſecundum carnem. [g] Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? [h] Quid ergo? Dico quod idolis immolatum ſit aliquid, aut quod idolum ſit aliquid? Sed quæ immolant gentes, Dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri Dæmoniorum. Non [i] poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum. An [k] æmulamur Dominum? [l] Numquid fortiores illo ſumus? [m] Omnia mihi licent: ſed non omnia expediunt. [n] Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius. [o] Omne quod in macello venit, manducate: nihil interrogantes propter conſcientiam. Domini eſt [p] terra & plenitudo ejus. Si [q] quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire: omne quod vobis apponitur, manducate: nihil interrogantes propter conſcientiam. Si quis autem dixerit: hoc immolatum eſt idolis, nolite manducare propter illum qui indicavit, & propter conſcientiam. [r] Conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius. Ut [ſ] quid enim libertas mea judicatur ab aliena conſcientia? Si [t] ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo quod gratias ago? [u] Sive ergo manducatis, ſive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. [w] Sine offenſione eſtote Judæis & gentibus, & Eccleſiæ Dei: [x] ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile eſt: ſed quod multis ut ſalvi fiant.

C A-

(a) *Propter quod, cariſſimi mihi, fugite ab idolorum cultura* &c.] Propter omnia quæ ſuperius comprehendi.

(b) *Calix benedictionis cui benedicimus.*] Ideo primum calicem nominavit, ut poſſit de pane latius diſputare.

(c) *Nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?*] Sicut ipſe Salvator dicit: *Qui manducat carnem meam,* Joan. 6. *& biberit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo.*

(d) *Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?*] Ita & panis idololatriæ Dæmonum participatio eſſe monſtratur.

(e) *Omnes quidem de uno pane & de uno calice participamus.*] Ita ſi cum idololatris de uno pane comedimus, unum cum illis corpus efficimur.

(f) *Videte Iſraël ſecundum carnem.*] Carnalis Iſraël, carnales hoſtias offerebat: ſicut ſpiritualis, ſacrificia ſpiritualia offert Chriſto. Item ideo ſecundum carnem, quod juxta literam non ſpiritualiter ſervierunt.

(g) *Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?*] Sicut illi edentes hoſtias, participes fiebant divini altaris: ita iſti ſimiliter idolorum.

(h) *Quid ergo quod idolis dico immolatum ſit aliquid* &c.] Prævenit, ne quis diceret. Ergo dicis vim aliquam habere idolum, vel poſſe polluere: Non, inquit, idolum inſenſibile polluit, ſed Dæmones, qui templis præſident ad homines depravandos, & ſuo ſervitio mancipandos.

(i) *Non poteſtis calicem Domini bibere & calicem Dæmoniorum* &c.] Non poteſtis & Dei & Dæmonum eſſe participes.

(k) *An æmulamur Dominum?*] Alii codices habent, Ipſi me zelaverunt in Domino: hoc eſt, ad zelum provocaverunt.

(l) *Numquid fortiores illo ſumus?*] Qui iſta non fecit: nam ſi ſciſſet hinc fidem firmiſſimam comprobari, in hoc quoque dediſſet exemplum.

(m) *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.*] Omnia quæ à lege non prohibentur, licent: quia per ſe non habent peccatum, ſed non ſemper expediunt: quia occaſionem nonnumquam generant delinquendi.

(n) *Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant* &c.] Omne quod expedit, licet: non omne quod licet, expedit: ſed nos Apoſtoli exemplo & Chriſti non debemus illa tamen conſiderare quæ licent, ſed illa potius quæ nobis expediunt & ædificant fratres, ut non quæramus quæ nobis ſolis temporaliter proſint, & aliis forte nocent.

(o) *Omne quod in macello venit, manducate: nihil* &c.] Si vultis manducare carnes, ſaltem de macello comparate, tantum ne in idolio comedatis: & nolite interrogare utrum immolatæ ſint, ne cognoſcentes vos, omnia immolata eſſe reſpondeant: & non poſſitis propter conſcientiam manducare.

(p) *Domini eſt terra & plenitudo ejus.*] Si Domini ſunt, munda ſunt omnia ſimpliciter utentibus.

(q) *Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis* &c.] Conceſſit ire ſi velint. Tunc ſane debet Chriſtianus ad infidelem ire, ſi novit eſſe profectum: ſicut Salvator qui ad hoc ibat, ut aut ſigna faceret, aut doceret: ſicut apud Phariſæum, primo ipſum docuit non divites paſcendos eſſe, ſed debiles. Deinde ſimul diſcumbentes docuit humilitatem etiam in accubitu cuſtodire. Poſtremo legiſperitos arguit arrogantes: eo quod ipſi redarguerent ſuperbiam, nec alios paterentur.

(r) *Conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius.*] Ne quis putet illa vos quaſi ſancta comedere.

(ſ) *Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conſcientia?*] Hoc eſt, ad quem profectum ita utor libertate mea, ut me alius reprehendat?

(t) *Si ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo quod gratias ago?*] Non ideo ſub gratia ſumus, ut ſub libertatis ſpecie, occaſionem demus infidelibus blaſphemandi.

(u) *Sive ergo manducatis, ſive bibitis* &c.] Nihil magis agendum eſt Chriſtiano, quam ut in omni opere ejus Dei gloria prædicetur: nec aliquid faciat, unde Chriſti doctrina poſſit in aliquo reprehendi.

(w) *Sine offenſione eſtote Judæis & gentibus* &c.] Quia & Judæi tamquam de idololatriis ſcandalum patientes, credere non audebant: & gentes in colendis idolis firmabantur: & Chriſtiani tali deſtruebantur exemplo.

(x) *Sicut & ego per omnia omnibus* &c.] Ego me ſic exhibeo, ut omnibus placeam ad profectum. Si quis me ſine cauſa odiſſe voluerit, ego non ſum in culpa. Numquam Apoſtolus ipſe ſe laudat: non ſe ad extollentiam laudat, ſed ſuo exemplo illos provocat ad profectum. Unde & nos ad hoc ſolum debemus velle placere: ut ſicut illius tantum Deus noſtram noverit conſcientiam: quia non hoc propter favorem, ſed propter ſalutem hominum facimus.

I N C A-

CAPUT XI.

[a] IMitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. [b] Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores eſtis: & [c] ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. [d] Volo autem vos ſeire, quod [e] omnis viri caput, Chriſtus eſt: [f] caput autem mulieris, vir: [g] caput vero Chriſti, Deus. Omnis vir [h] orans vel prophetans [i] velato eapite, deturpat caput ſuum. Omnis [k] autem mulier orans aut prophetans, non velato eapire, deturpat caput ſuum. Unum enim eſt, ac ſi decalvetur. Nam ſi non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe eſt mulieri tonderi aut decalvari, velet caput ſuum. Vir [l] quidem non debet velare caput ſuum: [m] quoniam imago & gloria Dei eſt: mulier autem gloria viri eſt. [n] Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro. Etenim [o] non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum. [p] Ideo debet mulier velamen habere ſuper caput ſuum, & [q] propter Angelos. [r] Verumtamen neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro in Domino. Nam [ſ] ſicut mulier de viro, ita & vir per mulierem. Omnia [t] autem ex Deo. Voſipſi [u] judicate: decet mulierem non velatam orare Deum? [w] Nec ipſa natura docet vos, quod vir [x] quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi: mulier vero ſi comam nutriat, gloria eſt illi: [y] quoniam capilli pro velamine dati ſunt ei? Si [z] quis autem videtur contentioſus eſſe: [a] nos talem conſuetudinem non habemus: neque [b] Eccleſia Dei. [c] Hoc autem præcipio: non

IN CAPUT XI.

(a) *IMitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.*] Chriſtus oihil propter ſe fecit aut paſſus eſt, ſed ſalutis cauſa multorum. Item qui non quærit ea quæ ſibi ſoli expediant, ſed & pluribus, ut ſalvi fiant, ipſe imitator eſt Chriſti, qui pro nobis & paſſus eſt, & mortuus.

(b) *Laudo autem vos fratres, quod per omnia mei memores eſtis.*] Incipit de velamentis: & laudando ad rationem provocat: quia in hac cauſa, auctoritatem legis oon habet quam profert. Hæc irridendo Apoſtolus dicit, quod ejus præcepta minime ſervarent.

(c) *Et ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.*] Quaſi legem præcepta mea tenetis, ſcientes illum in me Spiritum loqui, qui in lege locutus eſt & Prophetis.

(d) *Volo autem vos ſcire.*] Etiam in hoc volo vos inſtruere ut illud ſimiliter teneatis.

(e) *Quod omnis viri caput, Chriſtus eſt.*] Vir nulli ſubjectus eſt niſi Chriſto, qui & homo & Deus eſt. Mulier vero, & Chriſto & viro debet eſſe ſubjecta.

(f) *Caput autem mulieris vir.*] Secundum ordinem naturalem. Cæterum in Chriſto Jeſu neque maſculus, neque fœmina, ſed voluit eas eſſe ſubjectas.

(g) *Caput vero Chriſti, Deus.*] Secundum adſumti hominis formam. Item ideo caput Chriſti Deus: quoniam ſuſceptam incarnationem ſecundum hominem, Deitas quæ in eo inerat, gubernat: ſicut idem Apoſtolus alibi dicit: *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi.* 2 Cor. 5.

(h) *Omnis vir orans vel prophetans.*] Sive docens, ſive futura prædicans.

(i) *Velato capite, deturpat* &c.] Venit ad cauſam: quia & viri comam nutriebant: & mulieres nudo capite procedebant in Eccleſiam, gloriantes in crinibus: quod non ſolum inhoneſtum erat, ſed etiam concupiſcentiæ fomenta præſtabat. Vir ergo ut liber, non debet habere velamen, cujus caput eſt Chriſtus. Mulier vero debet eſſe velata: ut oſtendatur quia debet eſſe humilis & ſubjecta.

(k) *Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato &c. velet ea.* &c.] In ſuo ſexu, aut io domo.

(l) *Vir quidem non debet velare caput ſuum.*] Ergo nec comam nutrire.

(m) *Quoniam imago & gloria Dei* &c.] Vir ad imaginem Dei factus eſt: & idcirco liber eſt. Mulier vero ad viri ſimilitudinem eſt formata: unde jubetur eſſe ſubjecta.

(n) *Non enim vir ex muliere eſt, ſed mul. ex viro.*] Ex coſta, ſcilicet, viri.

(o) *Etenim non eſt* &c.] Vir propter ſeipſum factus eſt: mulier vero ad viri adjutorium creata eſt.

(p) *Ideo debet mulier velamen habere ſuper caput ſuum.*] Velamen, ſignum poteſtatis eſſe declarat.

(q) *Et propter Angelos.*] Item hoc loco Angelos, Eccleſiis præſidentes dicit: ſicut & Malachias Propheta teſtatur ſacerdotem angelum eſſe, dicens: *Labia enim ſacerdotis, cuſtodiunt ſcientiam: Et legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt*: Sive vere propter honorem Angelorum, qui Eccleſiæ adſiſtere perhibentur.

(r) *Verumtamen neque vir ſine muliere* &c.] Conſolatur illas, ne oimium eas gravaſſe videatur: & nec vir ſine muliere poteſt naſci, nec mulier ſine viro.

(ſ) *Nam ſicut mulier* &c.] Hoc eſt, in principio. Poteſt & ita dici: *Sicut Eva ex Adam: ita ſecundum hominem, Chriſtus ex Maria.*

(t) *Omnia autem ex Deo.*] Contra Manichæos, qui negant carnem factam à Deo.

(u) *Voſipſi judicate* &c.] In ipſorum judicio ponit, ut ſua conſcientia convincantur.

(w) *Nec ipſa natura docet vos.*] Poteſt dici, ſi hoc natura eſt: quare oon ab omnibus gentibus cuſtoditur? quia illi à natura deciderunt: ſicut ex multis aliis comprobatur. Denique ſine lege vivunt: & ſi apud illos loqueretur Apoſtolus, aliis rationibus uteretur.

(x) *Quod vir quidem ſi comam nutriat* &c.] Nazaræi ut comam outrirent, ex Dei præcepto devotiſſime faciebant.

(y) *Quoniam capilli pro velamine dati ſunt ei.*] Expoſuit quod dixerat, ſi non velatur & tondeatur.

(z) *Si quis autem videtur contentioſus eſſe.*] Prævenit illos, ne quis diceret: ubi ſcriptum eſt, vel aliis argumentis huic reſiſteret rationi.

(a) *Nos talem conſuetudinem non habemus.*] Sive contendendi, ſive talia faciendi.

(b) *Neque Eccleſia Dei.*] Quæ manſuetudini potius, quam contentionibus ſtudet.

(c) *Hoc autem præcipio.*] Conſiderandum eſt quid audierit à Domino ille ſervus, qui ſolum acceptum talentum cuſtodivit. Unde non eſt laudandus qui oon ſemper creſcit melius, quia fides eo perfectior eſſe debet quo ſenior. Miſerum autem eſt, ſi ſemper infans lacte potetur: aut qui litteris ſtudet, hoc ſolum habeat, quod in primis rudimentis accepit. Quanto igitur magis ille ſine ſpe eſt, qui non ſolum non proficit, ſed etiam deficit, & illud ipſum penitus obliviſcitur, quod accepit?

(a) Nos

non [a] laudans quod non in melius, ſed in deterius convenitis. Primum [b] quidem convenientibus vobis in Eccleſiam, [c] audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo. Nam [d] oportet & hæreſes eſſe: ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis. [e] Convenientibus ergo vobis in unum, jam non eſt Dominicam cœnam manducare. Unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum. Et [f] alius quidem eſurit: alius autem ebrius eſt. [g] Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? [h] Aut Eccleſiam Dei contemnitis: & [i] confunditis eos qui non habent? [k] Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo. [l] Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, [m] quoniam Dominus Jeſus in qua [n] nocte tradebatur: [o] accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate: [p] hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnavit, dicens: Hic [q] calix novum teſtamentum eſt [r] in meo ſanguine. Hoc facite [ſ] quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem. [t] Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, [u] donec veniat. [w] Itaque quicumque manducaverit panem hunc: & biberit calicem Domini indigne, [x] reus erit corporis & ſanguinis Domini. [y] Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. [z] Qui enim manducat &

(a) *Non laudans quod non in melius, ſed in deterius convenitis.*] Subauditur, vitupero, quod in deterius proficitis.

(b) *Primum quidem convenientibus vobis in Eccleſiam.*] Incipit de ſacramentis.

(c) *Audio ſciſſuras eſſe inter vos* &c.] Secundum quod mihi à Domino revelatum eſt: ſive quia ſcio contentioſos vos eſſe.

(d) *Nam oportet & hæreſes eſſe* &c.] Quia tales contentiones habetis, neceſſe eſt vos etiam uſque ad hæreſes pervenire. Sicut ſi dicas: ille qui tantum bibit, neceſſe habet inebriari. Item non hoc dicit Apoſtolus: quia debent eſſe hæreſes, ſed quia inter ſe ſciſſuras habebant: ideo dicit: oportet hoc eſſe, & neceſſe eſt hæreſes eſſe.

(e) *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non eſt Dominicam* &c.] Jam non eſt Dominica, ſed humana: quando unuſquiſque tamquam cœnam propriam ſolus invadit: & alii qui non obtulerit, non impertit: ita ut magis propter ſaturitatem, quàm propter myſterium, videamini convenire. Cæterum Dominica cœna omnibus debet eſſe communis: quia illa omnibus diſcipulis ſuis qui aderant æqualiter tradidit ſacramenta. Cœna autem ideo dicitur: quia Dominus in cœna tradidit ſacramenta. Item hoc ideo dicit: quia in Eccleſia convenientes oblationes ſuas ſeparatim offerebant: & poſt communionem quæcumque eis de ſacrificiis ſuperfuiſſent, illic in Eccleſia communem cœnam comedentes, pariter conſumebant.

(f) *Et alius quidem eſurit, alius* &c.] Quicumque non obtuliſſet, non communicabat: quia omnia ſoli qui obtulerant, inſumebant. Quidam hunc locum ad illos referunt, qui epulas in Eccleſia faciebant. Aliter: Quidam eſurit, quidam ebrius eſt: ideo dicit quia ſupervenientibus mediocribus & volentibus ſumere ſacramenta deerant: quoniam ab illis qui obtulerant oblationes in communi convivio, fuerant cuncta conſumta.

(g) *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum?*] Si vultis ſaturari, domi manducate. Sanctificatio enim etiam in parvo conſiſtit.

(h) *Aut Eccleſiam Dei contemnitis.*] Facientes eam triclinium epularum.

(i) *Et confunditis eos qui non habent?*] Confundebantur, ab omnibus denotati: cum ita debeant communicare, ut eum qui obtulerit, nemo cognoſcat.

(k) *Quid dicam vobis? laudo vos? in hoc* &c.] Sicut in aliis laudavi, ubi laudabiliter egiſtis; in hoc omnino non laudo.

(l) *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.*] Non eſt meum quod vobis tradidi, ſed à Domino illud accepi: ſicut ipſe alibi dicit: Non ab hominibus, ſed omnia à Deo didiciſſe.

(m) *Quoniam Dominus Jeſus.*] Jam hinc quaſi oblitus commemorat, quam magnum ſit hujus myſterii ſacramentum.

(n) *In qua nocte tradebatur.*] Id eſt à Juda.

(o) *Accepit panem, & gratias agens* &c.] Hoc eſt, benedicens: etiam paſſurus, ultimam nobis commemorationem, ſive memoriam dereliquit. Quemadmodum ſi quis peregre proficiſcens aliquod pignus ei quem diligit, derelinquat: ut quotieſcumque illud viderit, poſſit ejus beneficia & amicitias memorari: quem ille ſi perfectè dilexit, ſine ingenti deſiderio non poteſt videre, vel fletu.

(p) *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur* &c.] *Qui manducat corpus meum, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo.* Unde agnoſcere ſe debet, quiſquis Chriſti aut corpus edit, aut ſanguinem bibit: ne quid indignum ei faciat, cujus corpus effectus eſt.

(q) *Hic calix novum teſtamentum eſt.*] Quia vetus, hoc per ſanguinem animalium portendebat.

(r) *In meo ſanguine. Hoc fac.*] Et vetus & novum per ſanguinem dedicatur: quia ſine morte firmum eſſe non poteſt teſtamentum.

(ſ) *Quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem.*] Ideo hoc Salvator tradidit ſacramentum, ut per hoc ſemper commemoremus, quia pro nobis eſt mortuus. Nam & ideo cum accipimus à ſacerdotibus, commonemur, quia corpus & ſanguis eſt Chriſti, ut beneficiis ejus non exſiſtamus ingrati.

(t) *Quotieſcumque enim manducabitis panem* &c.] Sive ipſi myſterio nunciatis, ſiva in cordibus veſtris agnoſcitis.

(u) *Donec veniat.*] Tamdiu memoria opus eſt, donec ipſe venire dignetur.

(w) *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indigne.*] Sicut ſcriptum eſt: *Omnis mundus manducabit.* Et iterum: *Anima quæ* Exod. 30.
manducaverit immunda, exterminabitur de populo ſuo. Et Matth. 5.
ipſe Dominus ait: *Si ante altare recordatus fueris, quia habet frater tuus aliquid adverſum te: relinque munus tuum ante altare, & vade reconciliari fratri tuo.* Prius ergo perſcrutanda eſt conſcientia, ſi in nullo nos reprehendit: & ſic aut offerre aut communicare debemus. Quidam ſanè dicunt: quia non indignum, ſed indigne accipientem revocet à ſancto. Si ergo etiam dignus indigne accedens retrahitur, quanto magis indignus qui non poteſt accipere digne? Unde oportet otioſum ceſſare à vitiis ut ſanctum Domini corpus ſancte percipiat.

x *Reus erit corporis & ſanguinis Domini.*] Quia tanti myſterii ſacramentum pro vili deſpexerit.

(y) *Probet autem ſeipſum homo* &c.] Si in linteum, vel vas ſordidum, non illud mittere audet: quanto magis in corde polluto: quam immunditiam Deus ſuper omnia exſecratur: & quæ ſola injuria ejus eſt corpori. Nam & Joſeph ille juſtus propterea ſindo- Mar. 15.
ne munda involutum in ſepulchro novo corpus Domini ſepelivit: præfigurans corpus Domini accepturos, tam mundam mentem debere habere, quam novam.

(z) *Qui enim manducat & bibit indigne* &c.] Dupliciter reus effectus, præſumtionis ſcilicet, & peccati.

cat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, [a] non dijudicans corpus Domini. [b] Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles: & dormiunt multi. Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique dijudicaremur. [c] Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. [d] Itaque, fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem exſpectate. Si quis eſurit, domi manducet: [e] ut non in judicium conveniatis. [f] Cætera autem cum venero, diſponam.

CAPUT XII.

[g] DE ſpiritualibus autem [h] nolo vos ignorare, fratres. [i] Scitis autem quoniam cum gentes eſſetis, ad ſimulacra muta [k] prout ducebamini euntes. [l] Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jeſu. [m] Et nemo poteſt dicere: Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto. [n] Diviſiones vero gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. Et diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. [o] Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem. [p] Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ. [q] Alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritum. [r] Alteri fides in eodem Spiritu, [ſ] alii gratia ſanitatum in uno Spiritu, [t] alii operatio virtutum, [u] alii prophetia, alii [w] diſcretio Spirituum, alii genera linguarum, [x] alii interpretatio ſermonum. [y] Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, [z] dividens ſingulis prout vult. [a] Sicut enim corpus

(a) *Non dijudicans corpus Domini.*] Non diſcernens a cibo communi.

(b) *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles:* &c.] Erat præſens correptio, & nunc eſt: ſed quia multi talia patiuntur, putamus conſuetudinis eſſe quod culpæ eſt. Tribus ſane cauſis infirmitates adveniunt corporales. Aut ex tentatione, ſicut Job & Tobiæ: aut ex peccato, ſicut Aſariæ regi, & his qui in præſenti ab Apoſtolo arguuntur: aut ex aliqua intemperantia, ut Timotheo: & his qui jubentur medicum honorare. Huic tantum cauſæ, humana poteſt ſuccurrere medicina. Item ſignificat Corinthios propter ſupradictum peccatum, ægrotatione & imbecillitate & morte a Domino eſſe correptos.

(c) *Dum judicamur autem, a Domino corripi.* &c.] Correptio paterna eſt pietatis, ut pœniteamus: ne cum infidelibus mundi damnemur in æternum.

(d) *Itaque, fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem exſpectate* &c.] Quia nemo alium exſpectabat, ut communiter offerretur.

(e) *Ut non in judicium conveniatis.*] Non in ſanctificationem, ſed ad judicium conveniebant.

(f) *Cætera autem cum venero, diſponam.*] Cætera de ipſius myſterii ſacramento.

IN CAPUT XII.

(g) DE *ſpiritualibus autem.*] Incipit de ſpiritualibus ſacramentis. Creſcente fide, jam linguarum gratia quam propter infideles acceperant, deſinebat: hinc ergo plurimi contriſtati, adbuc etiam hanc gratiam habentibus invidebant, omnibus donis hanc majorem eſſe putantes.

(h) *Nolo vos ignorare fratres.*] Nolo vos hujus myſterii neſcire rationem.

(i) *Scitis autem quoniam cum gentes eſſetis ad ſimulacra muta* &c.] Hoc eſt, irrationabiles, ſecundum Prophetam dicentem: Similes illis fiant qui faciunt ea:
Pſal. 134. & omnes qui confidunt in eis.

(k) *Prout ducebamini euntes.*] A Magis vel aruſpicibus idolorum.

(l) *Ideo notum vobis facio quod nemo in Spiritu Dei loquens* &c.] Utinam irrationabiles mobileſque non ſitis, cum religione enim, & mores mutare debetis, & noſſe veſtræ fidei rationem.

(m) *Et nemo poteſt dicere: Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto.*] Quomodo ergo operarios iniquitatis Dominus cognoſcet, ſi etiam virtutes ſint operati: & Deus malis operibus denegatur? Sed nemo poteſt in Spiritu Sancto Dominum appellare, niſi qui eum & verbis & operibus confitetur. Item docet Corinthios: niſi in Spiritu Sancto, hoc eſt, in bonis operibus convertantes, Dominum Jeſum dicant, eis prodeſſe non poſſe: Matth. 7.
ſicut & ipſe Dominus in Evangelio dicit: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, introibit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei.*

(n) *Diviſionem vero gratiarum* &c.] Hic vult oſtendere gratiæ Spiritus Sancti diviſiones eſſe, non ipſius. Et quamvis hic locus proprie contra Macedonianos faciat qui Spiritum Sanctum negant eſſe Deum; (dicendo enim ſemper idem, omnia ſe dicere de Spiritu Sancto declarat: ſed & paulo poſt ait: *Hæc autem omnia cooperatur unus atque idem Spiritus*, ut eum & Deum & Dominum demonſtraret) tamen contra Arianos non mediocre eſt argumentum: qui de hoc calumniari ſolent, quod primo Pater, ſecundo Filius, tertio Spiritus Sanctus nominatur. Hic enim iſtum ordinem permutavit. Item manifeſta prædicatio eſt, unius deitatis atque ſubſtantiæ Patrem & Filium & Spiritum Sanctum eſſe, qui poteſtatem ut Dominus & Deus, ſingulis quibuſque, ut vult, gratiarum dona largitur.

(o) *Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus* &c.] Ut appareat illum Spiritum Sanctum accepiſſe.

(p) *Alii quidem per Spiritum datur ſer. ſa.*] Sapientiæ ſermo eſt, ſapienter & apte ac rationabiliter loqui, & poſſe diſſerere, vel docere quod norit ſane. Qui ex dono habet ſapientiam ſine ſuo conatu loquitur & labore: & nemo illi ſicut beato Stephano prævalet contraire. Ad utilitatem: & incredulorum, ut credant: & credentium, ut firmentur.

(q) *Alii autem ſer.* &c.] Ut ſciat legis myſteria explanare: vel ut præterita noverit, & æſtimet de futuris.

(r) *Alteri fides* &c.] Hic fides, prodigia facienda, quæ montes transferat. Abuſive enim rem poſuit pro effectu.

(ſ) *Alii gratia ſanitatum* &c.] Ut curet ægrotos.

(t) *Alii operatio virtutum.*] Opus virtutis eſt, dæmonia ejicere, vel mortuos ſuſcitare.

(u) *Alii Prophetia.*] Hoc eſt, ut futura prædicat.

(w) *Alii diſcretio ſpirituum* &c.] Ut qualis vel quo Spiritu veniat vel loquatur, intelligat.

(x) *Alii interpretatio ſer.*] Alius interpretari poterat, quæ alius loqueretur.

(y) *Hæc autem omnia* &c.] Si omnia unus Spiritus operatur, quare contriſtaris, quod aliam gratiam accepiſti: & alium, quaſi majorem partem invaſerit, æmularis: cum hoc non noſtra, ſed in donantis ſit poſitum poteſtate?

(z) *Dividens ſin.* &c.] Sic quoque Spiritum Domini dicit: dum non juſſus, ſed voluntarius operatur.

(a) *Sicut enim corpus* &c.] Per comparationem corporis, oſtendit non naturam membrorum, ſed officia eſſe diverſa: & neminem debere curare cujus ſit officii, dum omnes uno eodemque Spiritu animentur.

Sumit

corpus unum eſt, & membra habet multa. Omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt: [a] ita & Chriſtus. [b] Etenim in uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi: [c] & omnes in uno ſpiritu vocati ſumus. [d] Nam & corpus non eſt [e] unum membrum, ſed multa. [f] Si dixerit pes: [g] quoniam non ſum manus, [h] non ſum de corpore: num ideo non eſt de corpore? Et ſi dixerit auris: quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore: num ideo non eſt de corpore? [i] Si totum corpus oculus, ubi auditus? [k] Si totum auditus, ubi odoratus? [l] Nunc autem poſuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore ſicut voluit. [m] Quod ſi eſſent omnia unum membrum, ubi corpus? [n] Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. [o] Non poteſt autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo: [p] aut iterum caput pedibus, [q] non eſtis mihi neceſſarii. [r] Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt. [ſ] Et quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, [t] his honorem abundantiorem circumdamus. [u] Et quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent. Honeſta autem noſtra nullius egent. [w] Sed Deus temperavit corpus, ei cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem: [x] ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed in idipſum [y] pro invicem ſollicita ſint membra. [z] Et ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: [a] ſive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. [b] Vos autem eſtis corpus Chriſti, [c] & membra de membro. [d] Et quoſdam quidem poſuit Deus in [e] Eccleſia, primo Apoſtolos: [f] ſecundo Prophetas, tertio doctores, [g] deinde virtutes, exinde gratias curationum, [h] opitulationes, [i] gubernationes,

Sumit exemplum ex humano corpore: ut doceat ita eſſe Eccleſias in Chriſto unum corpus, ſicut ſunt membra in corpore hominis: ne adverſum alterum alter infletur.

(a) *Ita & Chriſtus.*] Notandum quod Chriſtus per corpus ſuum dicatur Eccleſia.

(b) *Etenim in uno Spiritu* &c.] Ut unum corpus efficiamur in Chriſto. Quorum ergo ſpiritualia & cœleſtia communia ſunt, debent terrena & carnalia communiter poſſidere, ſecundum ſententiam Prophetæ: Malach. 2. *Nonne pater unus eſt omnium?* Item hic manifeſte oſtenditur: quoniam qui baptizantur in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, in una baptizantur ſubſtantia: quoniam trinitas Deitatis non habet diverſitatem, dicente Apoſtolo.

(c) *Et omnes in uno Spiritu* &c.] Quaſi potionati Spiritu, quem accipiunt baptizati per manus impoſitionem.

(d) *Nam & corpus.*] Revertitur ad exemplum.

(e) *Non eſt unum membrum*, &c.] Non poteſt totum corpus unum officium agere: ſed unumquodque membrorum id agit ad quod aptum eſt.

(f) *Si dixerit pes.*] Pes Eccleſia dici poteſt, qui ad incedendum egreditur.

(g) *Quoniam non ſum manus.*] Manus, eſt ille qui operatur.

(h) *Non ſum* &c.] Dicebat enim non eſſe ſe de corpore: quia hanc, quam alii acceperunt gratiam, non habebat.

(i) *Si totum corpus oculus*, &c.] Si omnes ſcientes, ubi ſunt auditores?

(k) *Si totum auditus* &c.] Si omnes auditores, quis erit boni odoris malive diſcretor, ut unum corpus efficiamur in Chriſto?

(l) *Nunc autem poſuit Deus membra*, &c.] Sicut in corpore apte & ordinate conſtituta ſunt membra: ita & in Eccleſia unuſquiſque a Deo ad id quod aptus eſt, ordinatur.

(m) *Quod ſi eſſent omnia unum membrum* &c.] Si omnes unam gratiam haberent, reliquæ ubi eſſent? nec corpus jam poterant eſſe, ſed membra.

(n) *Nunc autem multa quidem membra, unum* &c.] Hoc eſt, humanum: quod multa membra oſtendit.

(o) *Non poteſt autem oculus dicere manui* &c.] Ideo invicem indigemus, ut magis ac magis caritas confirmetur. Nam ſi unus omnia haberet, adverſus cæteros inflaretur.

(p) *Aut iterum caput pedibus.*] Sacerdos eſt caput: infirmi, pedes Eccleſiæ. Si dixerit auricula: quæ ſapiens auditor eſt (Nam auris inter cætera auferri dicitur a Judæa per Eſaiam Prophetam) Eſa. 6. Non ſum oculus, non ſum ex corpore: non ideo non eſt de corpore?

(q) *Non eſtis mihi neceſſarii.*] Oculus eſt qui intelligit: os ille qui docet, vel loquitur linguis.

(r) *Sed multo magis* &c.] Membra quæ ſpernitis in Eccleſia, majoris utilitatis eſſe probantur: ſicut in corpore ſine manibus & pedibus vivitur, ſine inteſtinis omnino non vivitur.

(ſ) *Et quæ putamus ignobiliora membra* &c.] Non quo vere ſint talia.

(t) *His honorem abundantiorem circumdamus.*] Cum cautius veſtimentis & diligentius conteguntur.

(u) *Et quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent. Honeſta autem* &c.] Quæ per ſe pulchra ſunt, nullius tegminis egent pulchritudine: ut eſt caput & manus.

(w) *Sed Deus temperavit corpus* &c.] Minoribus majora dona concedens: ut qui honore minor erat, gratia abundaret.

(x) *Ut non ſit ſchiſma in corpore.*] Ut pro invicem ſolliciti ſimus, dum alterutro indigemus; ne quis ſequatur, & gratia & honore privatum.

(y) *Sed in idipſum pro invicem ſollicita ſint membra.*] Sicut oculi viam pedibus prævident, & manus pro toto corpore operantur: & omnia alterutrum membra deſerviunt.

(z) *Et ſi quid patitur unum membrum* &c.] Si unum membrum dolet, totum corpus affligitur: & ad ſanitatem ejus membra omnia collaborant.

(a) *Sive gloriatur unum membrum*, &c.] Sicut ait Salomon: *Corde lætante, vultus floret.* Prov. 14. Nos autem compaſſionem & congratulationem in contraria permutamus.

(b) *Vos autem eſtis corpus Chriſti.*] Hoc eſt, Eccleſia de carne ejus, & de oſſibus ejus, ſicut ad Epheſios ait.

(c) *Et membra de membro.*] Toti, corpus: ſinguli, membra.

(d) *Et quoſdam quidem poſuit Deus.*] Modo ipſum vult membrorum ordinem demonſtrare.

(e) *In Eccleſia primo Apoſtolos.*] Non in ſynagoga, ne putemus eum de antiquis dixiſſe Prophetis, ſicut erat Agabus: cæterum Patriarchas quoque debuerat nominare.

(f) *Secundo Prophetas* &c.] Prophetæ ſunt, qui explanant obſcura Prophetarum, & qui homines exhortantur, ſicut alibi dicit: 1. Cor. 14. *Nam qui prophetat hominibus, loquitur ad ædificationem, exhortationem & conſolationes.*

(g) *Deinde virtutes* &c.] Hic virtutes, ſigna majora ſignificat.

(h) *Opitulationes.*] Hoc eſt, adjutoria. Unde Paulo in viſu dicitur a viro Macedone: *Veni adjuva nos.* Act. 16.

(y) *Gubernationes* &c.] Qui ſciunt ſingulos, prout apti ſunt gubernare.

nationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. [a] Numquid omnes Apoſtoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes doctores? Numquid omnes virtutes? Numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur? [b] Aemulamini autem chariſmata meliora. [c] Et adhuc excellentiorem viam [d] vobis demonſtro.

CAPUT XIII.

[e] SI linguis hominum loquar & Angelorum: [f] caritatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. [g] Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, [h] & omnem ſcientiam: & ſi habuero [i] omnem fidem, ita ut montes transferam: caritatem autem non habuero, nihil ſum. [k] Et ſi diſtribuero in eibos pauperum omnes facultates meas: [l] & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam: caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. [m] Caritas patiens eſt, benigna eſt. [n] Caritas non æmulatur: non agit perperam: non inflatur: [o] non eſt ambitioſa: [p] non quærit quæ ſua ſunt: [q] non irritatur: [r] non cogitat malum: [ſ] non gaudet ſuper iniquitate: [t] congaudet autem veritati. Omnia ſuffert, omnia credit, [u] omnia ſperat, omnia ſuſtinet. [w] Caritas numquam excidit, [x] ſive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. [y] Cum autem venerit quod perfectum eſt: evacuabitur quod ex parte eſt. [z] Cum eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus: cogitabam ut parvulus. [a] Quando autem factus ſum vir: evacuavi quæ erant parvuli. [b] Videmus nunc [c] per ſpeculum in ænigmate, [d] tunc autem facie ad faciem.

(a) *Numquid omnes Apoſtoli?* &c.] Hoc eſt quod ſuperius dixerat: *Si eſſent omnia unum membrum, ubi corpus?*

(b) *Aemulamini autem chariſmata meliora.*] Hoc eſt, ſectamini Prophetas.

(c) *Et adhuc excellentiorem.*] In Græco habet, *ſuper modum.*

(d) *Viam vobis demonſtro.*] Caritatem per quam pervenitur ad Deum. Vult nos magis illa quærere quæ ex nobis ſunt, & ad vitam proſunt, quam ſigna quæ non ſunt in noſtra poteſtate poſita.

IN CAPUT XIII.

(e) SI *linguis* &c.] Non ſolum omnium hominum, ſed etiam ſi quæ ſunt Angelorum.

(f) *Caritatem etc. velut æs* &c.] Quod non ex ſe, ſed ab alio impulſum ſolum ſonitum reddit, & delectat auditum. Caritas vero ex nobis eſt, & omnem poſſidet fructum.

(g) *Et ſi habuero prophetiam*, &c.] Hic futura prædicare, myſteriorum cognitio eſt & omnium ſecretorum. Scientia vero noſſe omnia quæ fuerunt & ſunt. Si iſta omnia tam magna ſine caritate nihil ſunt? quanto magis ſine abſtinentia, jejunio, & his ſimilibus, in quibus ſibi plerique relicta caritate gloriantur?

(h) *Et omnem ſcientiam.*] Et hic ſcientia magna: quia cum his computatur, etiam ſi minor ſit caritate.

(i) *Et ſi habuero omnem fidem*, &c.] Hic intelligitur magna fides eſſe, quæ in Evangelio grano ſinapis comparatur: quæ non propter modicitatem, ſed propter integritatem, vel vigorem appoſita eſt. Notandum ſane quod inter cætera etiam omnis fides, quæ montes transferat, ſine caritate non proſit.

(k) *Et ſi diſtribuero in cibos paup.* &c.] Apoſtolus de ſummo caritatis bono tractans, magnis eam procul dubio rebus prætuliſſe credendus eſt: neque enim potuerunt rei ſummæ comparari non magnæ, quod ex ipſis ſpeciebus agnoſcitur. Nam linguis hominum loqui & Angelorum, & habere prophetiam & omnia myſteria noſſe, omnemque ſcientiam poſſidere, & habere omnem fidem, & ignibus ſe cremandum tradere, magna eſſe quis neſciat? His etiam mundi contemtus annectitur: qui ſi magnus non eſſet, nec rei ſummæ, id eſt, caritati compararetur, nec inter magna utique poneretur: quod illorum ſententiam deſtruit qui, renuntiandum rebus ſeculi certo tempore, perſecutione cogente volunt eſſe præceptum: ut & Apoſtolis gloriam tollant, quod non voluntarie fecerint, ſed inviti: & noſtri ævi perfectos, vanos conſtituant, qui rem alterius temporis fruſtra nunc voluerunt exercere. Item aliter: notandum, quod contemtus mundi, martyrio comparetur, contra eos qui illud de Evangelio variis argumentis nituntur exſolvere, ubi dicitur ad divitem: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Luc. 18.

(l) *Et ſi tradidero corpus meum* &c.] Non propter Deum, ſed propter gloriam humanam. Vel certe ſi quis in ipſo martyrio adverſum fratrem retineat iram, contemnens eum qui juſſit nos malitiam proximi oblivisci, & in ipſa etiam morte prævaricator exiſtens.

(m) *Caritas patiens* &c.] Semper benevolens. Modo deſcribit omnia membra & ſpecies caritatis. Parentes quia multum diligunt filios, eorum etiam libenter patiuntur injurias.

(o) *Caritas non æmulatur* &c.] Nemo illi quem vere amat invidet, cujuſvis eum eſſe conſpiciat gloriæ vel honoris, ſed omnem ejus felicitatem, quaſi ſuam libenter amplectitur.

(o) *Non eſt ambitioſa.*] Major eſſe aliis non ambit: & ſuper fratres non cupit dominari.

(p) *Non quærit quæ ſua ſunt.*] Non quærit quod ſibi tantum ſit utile, ſed quod multis.

(q) *Non irritatur.*] Non incitatur ad jurgia ab illo quem diligit.

(r) *Non cogitat malum.*] Non ſolum non facit, ſed ne cogitat quidem.

(ſ) *Non gaudet ſuper iniquitate.*] Contriſtatur ſi quem iniquum aliquid vel feciſſe, vel paſſum eſſe conſpexerit.

(t) *Congaudet autem veritati.* &c.] Id eſt, bonis operibus, vel fidei veritatis.

(u) *Omnia ſperat, omnia ſuſtinet.*] Suffert injurias, ſatisfacienti credit, ſperat ejus emendationem, & donec corrigat patienter exſpectat.

(w) *Caritas numquam excidit.*] Hoc eſt, ipſa ſola permanet in futuro. Aut certe quæ vera eſt non finitur.

(x) *Sive prophetiæ evacuabuntur* &c.] Non omnia ſcimus, nec omnia prophetamus. Et ita ut in majus proficiamus, deſtruentur: per iſta enim ad perfecta venimus.

(y) *Cum autem venerit* &c.] Quod ſanctis promiſſum eſt in futuro.

(z) *Cum eſſem parvulus, loquebar* &c.] Exemplo carnalis incrementi, vult ſpiritualem demonſtrare profectum.

(a) *Quando factus ſum vir, evacuavi* &c.] Expoſuit qualiter evacuentur, quæ ſuperius memoravit.

(b) *Videmus nunc.*] Quaſi parvuli, qui non poſſunt ſerena cordis luce, perfecte lumen perſpicere veritatis.

(c) *Per ſpeculum in ænigmate.*] Per ſpeculum legis, quaſi rerum imaginem contemplamur.

(d) *Tunc facie ad faciem.*] Id eſt, in præſentia.

(a) *Nunc*

faciem. [a] Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. [b] Nunc autem manent, fides, [c] ſpes, caritas, tria hæc: major autem horum eſt caritas.

CAPUT XIV.

[d] SEctamini caritatem: [e] æmulamini ſpiritualia, magis autem prophetetis. [f] Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo. Nemo enim audit. [g] Spiritus autem loquitur myſteria. [h] Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem & exhortationem & conſolationem. Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat: qui autem prophetat, Eccleſiam Dei ædificat. [i] Volo autem omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare. [k] Nam major eſt qui prophetat, quam [l] qui loquitur linguis, niſi forte interpretetur, ut Eccleſia ædificationem accipiat. [m] Nunc autem fratres, ſi venero ad vos, linguis loquens: quid vobis prodero, niſi vobis loquar, aut in revelatione, aut in ſcientia, aut in prophetia, aut in doctrina? [n] Tamen quæ ſine anima ſunt, vocem dantia: ſive tibia, ſive cithara, niſi diſtinctionem ſonituum dederint, quomodo ſcietur id quod canitur, aut quod citharizatur? [o] Etenim ſi incertam vocem det tuba; quis parabit ſe ad bellum? Ita & vos per linguam, niſi manifeſtum ſermonem dederitis; quomodo ſcietur id quod dicitur? [p] Eritis enim in aëra loquentes. Tam multa, ut puta, genera linguarum ſunt in hoc mundo: & nihil [q] ſine voce eſt. Si [r] ergo neſciero virtutem vocis, ero ei cui loquar, barbarus: & qui loquitur mihi, barbarus. Sic & vos [ſ] quoniam æmulatores eſtis Spirituum ad ædificationem Eccleſiæ quærite ut abundetis. Et [t] ideo qui loquitur lingua: oret ut interpretetur. [u] Nam ſi orem lingua, ſpiritus meus orat: mens [w] autem mea ſine fructu eſt. Quid ergo? [x] Orabo ſpiritu, orabo & mente. Pſallam ſpiritu: pſallam & mente. [y] Cæterum ſi benedixeris ſpiritu: [z] quis ſupplet locum idiotæ? [a] quomodo dicet Amen, ſuper tuam benedictionem? Quoniam quid dicas, neſcit. Nam [b] tu quidem bene gratias

(a) *Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.*] Sicut me perfecte Deus novit, ita & ego quæ ſunt divina cognoſcam.

(b) *Nunc autem manet fides.*] In præſenti tria hæc, in futuro ſola Dei caritas & Angelorum & ſanctorum omnium permanebit. Magis ergo eſt quod ſemper erit, quam quod aliquando ceſſabit. Item in Patre & Filio & Spiritu Sancto, fides ſtabilis eſt, additamento enim opus non habet. Spem autem eam manere dicit quæ eſt non eorum quæ videmus. Caritas vero ideo major eſt omnibus: quia qui diligit, & credit & ſperat.

(c) *Spes, caritas, tria hæc* &c.] Omne quod ſperamus credimus, non omne quod credimus ſperamus.

IN CAPUT XIV.

(d) S*Ectamini caritatem.*] Omni conatu ipſam ſequamini: quia in veſtra eſt poteſtate.

(e) *Aemulamini ſpiritualia* &c.] Et ſpiritualia dona æmulari vos ac quærere non prohibeo, ſed ut magis proficiatis exhortor.

(f) *Qui enim loquitur lingua* &c.] Nemo per auditum aurium de his quæ dicuntur accipit intellectum niſi Deus, & qui interpretandi donum accepit, vel qui ejuſdem eſt linguæ.

(g) *Spiritus autem* &c.] Iterum linguam ſignificat.

(h) *Nam qui prophetat* &c.] Notandum quoniam prophetiam doctrinam dicit: expoſuit quot modis intelligenda ſit prophetia. Quicumque hanc habet Propheta eſſe cenſendus eſt.

(i) *Volo autem omnes vos* &c.] Hoc quidem volo, ſed illud malo: hoc non prohibeo, illud exhortor.

(k) *Nam major eſt qui prophetat.*] Quia & hoc magnum opus eſt caritatis, per quod multi proficiunt.

(l) *Quam qui loquitur linguis.*] Quod vos præcipuum exiſtimatis. Niſi forte ut Eccleſia ædificationem accipiat. Si interpretetur, æqualis eſſe poterit prophetanti.

(m) *Nunc autem fratres.* &c.] Suum illis proponit exemplum: erit vobis ſola admiratio, non profectus, niſi vobis aut interpreter aut plana faciam legis occulta quæ novi, aut prophetias exponam, aut vos moralibus doceam inſtitutis.

(n) *Tamen ea quæ ſine anima* &c.] Cum hæc inanimantia niſi diſtinctionem habeant, non poſſunt reddere cantilenam, & ut ſuperflua reſpuuntur, quanto magis vobis qui ſpirituales eſtis, ſuavitas non aures debet mulcere, ſed mentes.

(o) *Etenim ſi incertam vocem det tuba* &c.] Si vox tubæ incerta fuerit utrum ſolennitatis an belli ſit, nemo pugnabit: ita ergo & veſter intelligendus eſt ſermo, ut poſſit ad ſpirituale prælium Chriſti milites præparare.

(p) *Eritis enim in aëra loquentes. Tam multa* &c.] Etiam ſi tam multis loquamini ut genera ſunt linguarum: quid proderit, cum omnia in aëra ſolvantur & nulli proficiant?

(q) *Et nihil ſine voce.*] Nihil ſine voce linguam habens.

(r) *Si ergo neſcio.* &c.] Omnis ſermo qui non intelligitur, barbarus judicatur.

(ſ) *Quoniam æmulatores* &c.] Quoniam ſpiritualia dona ſectamini, illa magis quærite quæ ædificent auditores.

(t) *Et ideo qui loquitur lingua, oret ut* &c.] Oratio hoc loco oris elocutio intelligitur. Sic ergo loquatur, ut gratiæ verba quæ dicit, poſſint intelligi: ſive oret, ut illi interpretandi gratia donetur.

(u) *Nam ſi orem lingua, ſpiritus meus orat.*] Hoc dicit: quoniam ſi quis incognitis aliis linguis loquatur, mens ejus, non ipſi efficitur ſine fructu, ſed audienti: quicquid enim dicitur, ignorat. Item ſi lingua dicam, non ego loquor, ſed ſpiritus, qui in me eſt. Si autem ad orationem requiratur ſpiritus, ſermo non intelligendus eſt, qui nonnumquam mentem alia cogitantem precatur.

(w) *Mens autem mea* &c.] Qui non intelligo quod loquor.

(x) *Orabo ſpiritu* &c.] Qui enim interpretatur, neceſſe eſt ut ante intelligat quod aliis eſt dicturus. Item ſic loquendum ut intelligant alii.

(y) *Cæterum ſi benedixeris ſpiritu.*] Benedicitur omne quod vere & ſecundum Deum dicitur.

(z) *Quis ſupplet locum idiotæ.*] Laicum ſignificat qui nullo gradu Eccleſiaſtico fungitur. Aliter. Inanitatem ſcientiæ in corde ignari quis implet?

(a) *Quomodo dicet Amen ſuper tuam benedictionem?* &c.] Quomodo tuæ perhibet benedictioni teſtimonium, vel conſenſum?

(b) *Nam tu quidem bene gratias* &c.] Quod ſuperius dixerat, omni benedicas, hic ipſum exponit.

gratias agis, ſed alter non ædificatur. [a] Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua loquor. [b] Sed in Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, [c] ut & alios inſtruam; quam decem millia verborum in lingua. [d] Fratres, nolite pueri effiei ſenſibus: ſed [e] malitia parvuli eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote. In [f] lege enim ſcriptum eſt. Quoniam in aliis linguis & in aliis labiis loquar populo huic, & nec ſic exaudient me, dicit Dominus. [g] Itaque linguæ in ſignum ſunt, non fidelibus, ſed [h] infidelibus: [i] prophetiæ autem non infidelibus, ſed fidelibus. Si [k] ergo conveniat univerſa Eccleſia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent [l] autem idiotæ aut infideles: nonne [m] dicent, quid inſanitis? [n] Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. Occulta enim cordis ejus manifeſta fiunt: & [o] ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis ſit. [p] Quid ergo eſt fratres? Cum [q] convenitis, unuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet? [r] Apocalypſin habet? linguam habet? interpretationem habet? [ſ] omnia ad ædificationem fiant. Sive [t] lingua quis loquitur ſecundum duos, aut ut multum tres, & per partes, & unus interpretetur. Si [u] autem non fuerit interpres, taceat in Eccleſia: ſibi autem loquatur & Deo. [w] Prophetæ autem duo aut tres dicant: & cæteri dijudicent. Quod ſi alii revelatum fuerit ſedenti, prior taceat. Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare: ut omnes diſcant & omnes exhortentur. Et ſpiritus [x] Prophetarum Prophetis ſubjectus eſt. Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: [y] ſicut & in omnibus Eccleſiis ſanctorum doceo. [z] Mulieres in Eccleſiis taceant. Non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe: ſicut & lex dicit. Si [a] quid autem volunt diſcere, [b] domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia. An à [c] vobis verbum Dei proceſſit, aut in vos ſolos pervenit? [d] Si quis videtur Propheta eſſe, aut ſpiritualis: cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur. [e] Itaque fratres, æmulamini Prophetare: & loqui linguis nolite prohibere. [f] Omnia autem honeſte & ſecundum ordinem fiant in vobis.

C A-

(a) *Gratias ago Deo quod omnium veſtrum linguis loquor.*] Ne putetis me hanc quoque gratiam non habere, & vos ideo prohibere, & idcirco non loqui.

(b) *Sed in Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui.*] Sed malo perpauca ad profectum loqui, quam multa quæ nulli proficiant. Quidam ſane quærunt quæ ſunt quinque verba: a quibus e contrario, quæ ſint decem millia eſt quærendum.

(c) *Ut alios inſtruam* &c.] Id eſt, proprio intellectu & ſimplici ratione.

(d) *Fratres, nolite pueri* &c.] Scire debetis quamdiu futuræ ſunt linguæ, vel quare ſint datæ.

(e) *Sed malitia parvuli eſtote* &c.] Malitia debetis parvuli, eſſe non Senſu: ſimul oſtendit neminem niſi parvulum malitia, ſenſu eſſe perfectum. Quia in malivolam animam non introibit ſpiritus ſapientiæ.

Sapi. 1.

(f) *In lege ſcriptum eſt: quoniam* &c.] Etiam hoc ſignum dabo ut per ſanctos meos inuſitato ſermone loquar, & nec ſic eloquentem intelligent.

(g) *Itaque linguæ in ſignum ſunt non fidelibus.*] Hic oſtenditur creſcente fide, ſigna ceſſaſſe, quoniam infidelium cauſa danda eſſe prædicebatur.

(h) *Sed infidelibus.*] Ut ejus ſaltem admiratione moverentur.

(i) *Prophetiæ autem non infidelibus* &c.] Major eſt ergo & utilior quæ fidelibus prodeſt & ſemper eſt opus.

(k) *Si ergo conveniat* &c.] Hoc eſt, ſi fieri poteſt ut concederetur vobis, qui omnes hoc vultis.

(l) *Intret & idiota* &c.] Idiotæ nuper credentes dicuntur hoc loco.

(m) *Nonne dicent* &c.] Sicut Judæi de Apoſtolis dixerunt: *Hi pleni ſunt muſto.* Aliter, ſicut initio Apoſtoli quando acceperunt Spiritum Sanctum, viſi ſunt quaſi ebrii.

Act. 2.

(n) *Si autem omnes prophetent* &c. *Occulta etiam cordis ejus manifeſta fiunt.*] Quoniam ejus pulſatur conſcientia per doctrinam.

(o) *Et ita cadens in faciem adorabit* &c.] Sicut Nabuchodonoſor adoravit Danielem: *Vere Deus veſter ipſe eſt Deus*: poſtquam ſomnium quod oblitus fuerat & interpretationem ejus audiſſet.

Dan. 2.

(p) *Quid ergo eſt fratres?*] Quid ergo eſt faciendum, vel quid definiemus eſſe tenendum.

(q) *Cum convenitis, unuſquiſque veſtrum pſalmum* &c.] Hoc eſt, intelligit pſalmum.

(r) *Apocalypſin habet? linguam* &c.] Revelationem aliquam myſteriorum, quod intelligitur revelatio.

(ſ) *Omnia ad ædificationem fiant.*] Nihil ſit in vobis, quod non vos alterutrum ædificet.

(t) *Sive lingua quis loquitur* &c.] Hoc eſt, viciſſim prophetantes dicant, & unus paulatim interpretetur.

(u) *Si autem non fuerit interpres, taceat* &c.] Sua conſcientia & Dei teneat eum gratiam hanc habere.

(w) *Prophetæ autem duo aut tres dicant* &c. *Poteſtis enim omnes per ſingulos* &c.] Non ſtantibus, ſed Prophetis ſedentibus.

(x) *Et ſpiritus Prophetarum Prophetis* &c.] Sive gratia ſpiritus alteri Prophetæ conſenſit ut alterutrum ſibi cedant: ſive ſpiritum humilitatis & caritatis debent habere Prophetæ. Quia Deus qui in ipſis eſt, non eſt Deus diſſenſionis neque ſuperbiæ. Item hoc ait: quia in quo eſt ſpiritus prophetiæ, ipſe aliis Prophetis per ſocietatem gratiæ ſubjectus eſt: in qua non æmulatur alterum Prophetare, cum ei fuerit revelatum.

(y) *Sicut & in omnibus Eccleſiis.*] Sic eſt ubique, ne novi aliquid me vobis imperare putetis.

(z) *Mulieres* &c.] Quia contra ordinem eſt naturæ, vel legis, ut in conventu virorum fœminæ loquantur. Quæritur ergo quomodo alibi dicat, mulieres docere prudentiam & caſtitatem debere. Sed hoc in ſexu ſuo: ſed & hic deſignat locum, ubi taceant, alibi eis loqui permiſit, ſicut & lex dicit.

(a) *Si quid autem volunt diſcere.*] Quia & vir prius factus eſt, & Sara Dominum vocabat Abraham.

(b) *Domi viros interrogent* &c.] Ne videretur eas etiam diſcere vetuiſſe, domi illas hoc quod publice non decebat, facere debere præcepit.

(c) *An à vobis ſermo Dei proceſſit* &c.] Numquid doctrina Chriſti aut ex vobis eſt, aut apud vos remanſit? De ſcientia ſimiliter eſt dicendum.

(d) *Si quis videtur Propheta eſſe, aut ſpirit.* &c.] Hoc probatis verum Prophetam, ſi iſta cognoverit Domini mandata eſſe quæ dico: ſi quis autem ignorat hæc, ignorabitur & à nobis, & à Domino dicente eis, qui ſe in ejus nomine prophetaſſe dicebant, neſcio vos.

(e) *Itaque fratres, æmulamini* &c.] Illud ſectamini, hoc prohibere nolite.

(f) *Omnia autem honeſte & ſecundum ordinem fiant.*] Nihil perverſo ordine, aut per contentionem, vel inanem gloriam faciatis.

IN CA.

CAPUT XV.

[a] NOtum autem vobis facio, fratres, evangelium quod prædicavi vobis: [b] quod & accepiſtis: in [c] quo ſtatis: per quod & ſalvamini: [d] qua ratione prædicaverim vobis, ſi [e] tenetis: niſi fruſtra credidiſtis. [f] Tradidi enim vobis in primis [g] quod & accepi: [h] quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum Scripturas, & quia ſepultus eſt: & [i] quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas: & [k] quia viſus eſt Cephæ: & [l] poſt hoc undecim. [m] Deinde viſus eſt plus quam quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent uſque adhuc: quidam autem dormierunt. [n] Deinde viſus eſt Jacobo: [o] Deinde Apoſtolis omnibus. [p] Noviſſime autem omnium [q] tamquam abortivo [r] viſus eſt & mihi. [ſ] Ego enim ſum nimimus Apoſtolorum, [t] qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. [u] Gratia autem Dei ſum id quod ſum: & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed [w] abundantius illis omnibus laboravi. Non [x] ego autem, ſed gratia Dei mecum. [y] Sive enim ego, ſive illi, ſic prædicavimus, & ſic credidiſtis. Si [z] autem Chriſtus prædicatur quod reſurrexit à mortuis: [a] quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? Si autem reſurrectio mortuorum non eſt: [b] neque Chriſtus reſurrexit. [c] Si autem Chriſtus non reſurrexit: inanis eſt prædicatio noſtra: inanis eſt & fides

IN CAPUT XV.

(a) NOtum autem vobis facio, fratres, Evangelium &c.] Incipit cauſa reſurrectionis. Inter cætera, quidam Corinthiorum etiam reſurrectionem carnis auſi fuerant ex veteris ſcientiæ præſumtione negare: qui hic ab Apoſtolo arguuntur.

(b) *Quod & accepiſtis.*] Ne illi hoc noo credidiſſe viderentur: vel omnes creditum reſpuiſſe.

(c) *In quo ſtatis* &c.] In cujus doctrina ſtatis, & per quod ſalutem ſperatis: & in præſenti de diverſis infirmitatibus ſæpe ſalvamini.

(d) *Qua ratione prædicaverim.*] Tota ratio prædicationis noſtræ hæc eſt, ut reſurrectionem credatis: hoc eſt enim primum omnium qui Chriſto deſerviunt: alioquin ſuperfluus omnis labor eſt orationum jejuniorumque, quem in hac vita patimini, cum vobis hic proſpera vel adverſa cum infidelibus eſſe communia videantur: ſicut & ipſi ſolent Pagani proponere: quid ab illis amplius habemus, & verum eſt: Si horum laborum præmium in vita alia non habemus, pejores illis ſumus, quia illi vel in præſenti voluptatum & luxuriæ conſolationem habere videntur.

(e) *Si tenetis niſi fruſtra credidiſtis.*] Si fidei veſtræ & laboris præmium non ſperatis, ſuperfluum hoc credidiſtis.

(f) *Tradidi enim vobis in primis.*] In primordio, ſive maxime.

(g) *Quod & accepi.*] Vel à lege vel à prioribus, ſive per revelationem Chriſti.

(h) *Quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum Scripturas.*] Poſſet quidem Apoſtolis prædicantibus & multa virtutum ſigna facientibus haberi fides, eſſe ipſum Chriſtum quem evangelizant: ſed ut majore beatus Apoſtolus auctoritate firmaret hunc eſſe Chriſtum Salvatorem mundi, quem Moyſes & Prophetæ annunciaverunt: ideo ſecundum Scripturas prædictum eſſe commemorat, ſicut inter cætera Eſajas
Eſa. 53. Propheta dicit: *Sicut ovis ad occiſionem ducitur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcit.* Item ioſra idem Propheta: *Et dabit impios pro ſepultura, & divitem pro morte ſua.* Similiter Oſee Propheta, tertia die reſurre-
Oſee. 6. ctionem Chriſti futuram annunciat, dicens: *Vivificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus.*

(i) *Et quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas: & quia viſus eſt.*] Sicut Oſee dicit: Vivificabit nos in biduo & die tertia reſurgemus.

Luc. 24. (k) *Et quia viſus eſt Cephæ.*] Quod in Evangelio dicitur: Apparuit Simoni.

(l) *Et poſt hæc undecim.*] Iterum Petro & reliquis decem.

(m) *Deinde viſus eſt pluſquam quingentis* &c.] Vides quia in Evangelio non omnes ſcriptæ ſunt viſiones, niſi quæ ſufficerent ad fidem. Hic autem quoniam de Apoſtolis dixerat, etiam hoc addidit: ne Apoſtoli tanquam intimi ejus, putarentur eſſe mentiti. Et ut major fides multitudini teſtium haberetur: etiam multi vivere dicuntur qui poſſint interrogati dicere quæ viderunt.

(n) *Deinde viſus eſt Jacobo.*] Jacobo ſeorſum apparuit.

(o) *Deinde Apoſtolis omnibus.*] Sive iterum, ſive Apoſtolis, quos extra duodecim ad prædicandum miſit.

(p) *Noviſſime autem omnium.*] Ne putarent eum audita potius quam viſa narrare.

(q) *Tamquam omnium abortivo.*] De cujus vita deſperatum eſt.

(r) *Viſus eſt & mihi.*] In via ſcilicet, vel in templo.

(ſ) *Ego enim ſum minimus Apoſtolorum.*] Minimus tempore, non labore.

(t) *Qui non ſum dignus* &c.] *Fili, peccaſti, ne adjicias iterum, ſed & de priſtinis deprecare.* Unde & Eccli. 12. per Eſaiam Dominus dicit: *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas: & non memorabor, tu autem memorare.* Melius eſt enim dimiſſa recordari peccata, quam detenta oblivviſci. Eſa. 43.

(u) *Gratia Dei ſum* &c.] Non fuit ſine fructu, ſicut ille qui talentum Domini defodit in terram. Matth. 25.

(w) *Sed abundantius* &c.] Quia illis diutius.

(x) *Non ego autem* &c.] Non ex me, ſed gratia Dei: nec ſine gratia dicit in evangelio laboraſſe, ne contra illud quod ſuperius dixerat ſibi aliquid dari videretur; nec gratiam ſine ſe, ut liberum ſervaret arbitrium.

(y) *Sive enim ego* &c.] Unde igitur & nos ſic prædicavimus & vos ſimiliter credidiſtis? quia Chriſtus idcirco ſurrexit primus, ut viam reſurrectionis aperiret: hoc illis commemorat, ut illi quod conſequens eſt negare non poſſint.

(z) *Si autem Chriſtus prædicatur* &c.] Quæ conſequentia rationis. Jam enim hoc ipſum reſurrectio eſt quod Chriſtus à mortuis reſurrexit.

(a) *Quomodo quidam dicunt* &c.] Alterum ex altero pendet: aut utrumque negare, aut utrumque neceſſe eſt confiteri.

(b) *Neque Chriſtus reſurrexit.*] Cæterum rei non futuræ exemplum dare noo debuit.

(c) *Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio no.* &c.] Ergo & oos ſine cauſa hæc prædicavimus, ſi vere non reſurrexit, & vos in illum fruſtra credidiſtis. Quidam hæretici animæ reſurrectiooem volunt adſignare

fides veſtra. [a] Invenimur autem & falſi teſtes Dei: quoniam teſtimonium diximus adverſus Deum, quod ſuſciraverit Chriſtum: quem non ſuſcitavit, ſi mortui non reſurgunt. [b] Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. [c] Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra. Adhuc enim eſtis in peccatis veſtris. [d] Ergo & qui dormierunr in Chriſto, perierunt. Si in [e] hac vira tantum in Chriſto ſperantes ſumus: miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. [f] Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ [g] dormientium: [h] quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et [i] ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. [k] Unuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ [l] Chriſtus: deinde hi qui ſunt Chriſti: qui in adventu ejus crediderunt. Deinde finis: cum [m] tradiderit regnum Deo & Patri, [n] cum evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem & virturem. [o] Oportet autem illum regnare, donec ponat [p] omnes inimicos ſub pedibus ejus. [q] Noviſſime autem inimica deſtruetur mors. Omnia enim ſubjecit ſub pedibus ejus. [r] Cum autem dicat, omnia ſubjecta ſunt ei, ſine dubio [ſ] præter eum qui ſubjecit ei omnia. Cum autem ſubjecta fuerint illi omnia: tunc & ipſe Filius ſubjectus erit illi, qui ſubjecit ſibi omnia: [t] ut ſit Deus omnia in omnibus. [u] Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis:

adſignare, non carnis, ſed reſurgere non dicitur niſi quod cecidit & reſurgit: ergo neque anima morte cecidit, nequa ſemper jacuit corpus: alioquin ſurgere magis quam reſurgere diceretur.

(a) *Invenimur autem & falſi teſtes Dei* &c.] Non ſolum vani, ſed etiam falſi contra Deum invenimur exſtitiſſe: ſi quidem mortui non reſurgunt.

(b) *Nam ſi mortui non reſurgunt* &c.] Sed quoniam de illo nemo dubitat, & de nobis nemo dubitet.

(c) *Quod ſi Chriſtus non reſurrexit* &c.] Si mentitus eſt ſe poſt triduum reſurrecturum, mentitus eſt etiam ſe peccata dimittere. Aut ita: omnes in reſurrectione ejus baptizamur, ut noſtra peccata diluantur. Si ergo non reſurrexit, nec nobis remiſſa ſunt peccata.

(d) *Ergo & qui dormierunt* &c.] Maxime de his dicit, qui pro Chriſto ſunr mortui: ſine cauſa enim hanc vitam perdiderunt ſi aliam non habebunt.

(e) *Si in hac vita tantum in Chriſto* &c.] Illi enim vel in præſenti gloriantur: nos autem hic tribulationes quotidie ſuſtinemus.

(f) *Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis.*] Quod apud omnes eſt certum: quia in primis probatum eſt.

(g) *Primitiæ dormientium.*] Quia primus in corruptione ſurrexit. Si ergo caput reſurrexit, neceſſe eſt etiam ut cætera membra ſequantur.

(h) *Quoniam quidem per hominem mors* &c.] Sicut per Adam mors intravit, quia primus ipſe eſt mortuus: ita per Chriſtum reſurrectio, quia primus reſurrexit. Et ſicut ille morientium forma eſt, ita & iſte reſurgentium. Aliter: ſpem reſurrectionis volens oſtendere hoc dicit: ſicut in Adam mortales ſumus: ſic & in Chriſto immortales erimus.

(i) *Et ſicut in Adam omnes* &c.] Omnes quidem reſurgent, ſed ſoli hi vivificabuntur in Chriſto, qui Chriſti merebuntur copulari corpori. Item de communi morte & de communi reſurrectione dicit.

(k) *Unuſquiſque autem* &c.] Temporis vel honoris.

(l) *Primitiæ* &c. *deinde finis* &c.] Tunc erit finis omnium, etiam mortis, cum univerſi reſurgent.

(m) *Cum tradiderit* &c.] Regnum, ſcilicet, humani generis. Secundum Petri epiſtolam & Apocalypſin Joannis, Patri traditurum aſſerit eſſe per Filium: ut ibi regnet Deus per gloriam, ubi per vitia Diabolus ante regnabat. Deo & Patri. Deo ſecundum humanitatem, Patri ſecundum deitatem. Hoc loco calumniari ſolent Ariani dicentes minorem eſſe Filium. Si enim tradet, inquiunt, Patri regnum: ipſe utique jam regnare deſinet. Quibus primo dicendum eſt: quia hic non de Trinitatis ſubſtantia, ſed de reſurrectione tractabat, quam Chriſti reſurrectione confirmat. Ergo ſecundum ſubſtantiam ejus loquitur, qui à mortuis reſurrexit. Si tamen ideo Chriſtus non regnabit, quia regnum traditurus eſt Patri: ergo nec Pater regnarat antequam ei tradatur à Filio. Si autem Pater non primum regnavit, quamvis tunc ſuſcipiat regnum, nec Filius illum quamvis tunc tradere videatur, amittit. Aliter. In hoc Deo Patri Chriſtus regnum tradit: quoniam nemo poteſt ad Patrem venire niſi crediderit in Chriſto, ſicut ipſe in Evangelio dicit: *Nemo venit ad* Joan. 14.
Patrem niſi per me.

(n) *Cum evacuaverit omnem principatum* &c.] Evacuatis peccatis, evacuabuntur à nobis omnes contrariæ poteſtates: ab eo quod nobis ſe ſequentibus principantur poteſtate qua nos vicerant. Virtus enim eorum noſtra peccata ſunt.

(o) *Oportet enim illum regnare donec ponat.*] Cum omnibus, ſcilicet, ſuis. *Donec*, non ſemper finem ſignificat, ſicut eſt illud: *Ego Deus veſter donec ſeneſcatis*, & cætera talia. Aliter. Oportet, inquit, regnare omnibus Chriſtum, donec inimicos & in ſe incredulos, ſubjiciat ſibi & Patri. Non eſt autem una ſubjectio: nam juſtos ad ſe fide & credulitate venientes ſubjicit. Infideles autem & impios deſtruens, ſubjugabit æterno ſupplicio deputandos.

(p) *Omnes inimicos ſub pedibus ejus.*] Quando alii voluntate, alii erunt neceſſitate ſubjecti.

(q) *Noviſſima autem inimica deſtruetur mors, omnia* &c.] Diabolus qui in Apocalypſi peccatum & mors appellatur: quia auctor eſt peccati & mortis.

(r) *Præter eum qui ſubjecit omnia.*] Caute Apoſtolus dicit Filio, qui Deo Patri ſubjecit omnia, cuncta eſſe ſubjecta: ne & ipſum ſimul cum omnibus quæ ſubjecta ſunt, credamus eſſe ſubjectum: quoniam à dextris Patris ſedet, æquali poteſtate cum Patre judicaturus.

(ſ) *Cum autem ſubjecta* &c.] Hic quoque Ariani ita calumniantur, ut dicant, quia poſt reſurrectionem omnium & finem, erit Filius Patri ſubjectus, ut minor, ſcilicet, majori. Quibus reſpondendum eſt: Subjectionem non ſemper ad diminutionem honoris pertinere, ſed etiam ad caritatis officium: maxime cum & Spiritus Prophetarum *Prophetis* dicatur eſſe *ſubjectus*: ut non ſit Deus ibi diſſenſionis, ſed pacis. Et ipſe Dominus Joſeph ac Mariæ ſcribitur fuiſſe *ſubjectus*. Multi Luc. 2.
ſanè de hoc capitulo diverſa ſenſerunt. Nam quidam dicunt, ſicut in ſuis eſurientibus eſurit vel cibatur, ita & in Eccleſia quæ eſt corpus ejus, ipſe ſubjicitur. Alii ajunt quod ipſa humana natura quam induit, in gratiarum actionem ſemper ſit ſubjecta divinitati, cui ſecum unum faciendo omnia ſubjecerit. Multi etiam alia & diverſa dicunt, quæ inſerere & enumerare, prolixum eſt.

(t) *Ut ſit Deus omnia in omnibus.*] Tunc Deus omnia in omnibus erit, cum evacuata morte, & omni malitia vel errore deſtructo, ſolus regnabit in cunctis.

(u) *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis?*] Quicumque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus: id eſt, jam quaſi commortui cum illo ſumus. Quid ergo prodeſt nos huic mundo mori, ſi hunc contemptum voluptatum vita non ſequitur æterna? Item hoc eſt quod dicit: quia non ſolum propter remiſſionem peccatorum baptizantur, ſed & propter reſurrectionem carnis noſtræ. Carnem autem noſtram mortuam appellat, quoniam hac

morte

tuis: Si [a] omnino mortui non reſurgunt: ut quid baptizantur pro illis? Ut quid & nos periclitamur omni hora? [b] Quotidie morior [c] propter veſtram gloriam, fratres, [d] quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Si [e] ſecundum hominem ad beſtias pugnavi Epheſi: quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? [f] Manducemus & bibamus, eras enim moriemur. [g] Nolite ſeduci. [h] Corrumpunt mores bonos colloquia mala. [i] Evigilate juſti: & nolite peccare. [k] Ignorantiam enim Dei quidam habent. Ad [l] reverentiam vobis loquor. [m] Sed dicet aliquis: [n] Quomodo reſurgent mortui? Quali autem corpore venient? [o] Inſipiens tu, quod ſeminas non vivificatur: niſi prius moriatur. Et [p] quid ſeminas, non corpus quod futurum eſt ſeminas: ſed nudum granum, ut puta, tritici: aut alicujus cæterorum. [q] Deus autem dat illi corpus ſicut vult: & [r] unicuique ſeminum proprium corpus. [ſ] Non omnis caro eadem caro, ſed alia hominum, alia pecorum, [t] alia volucrum, alia autem piſcium. Et [u] corpora cœleſtia & corpora terreſtria. [w] Sed alia quidem cœleſtium gloria: alia autem terreſtrium. Alia claritas ſolis: alia claritas lunæ: & alia claritas ſtellarum. [x] Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum. [y] Seminatur in corruptione: ſurget in corruptione. [z] Seminatur in ignobilitate, [a] ſurget in gloria. [b] Seminatur in infirmi-

morte anima non moritur. Unde increpando ait: *Aut quid facient qui baptizantur pro mortuis ſi omnino mortui non reſurgunt*, id eſt, quid baptizari opus carnem ſi non reſurgat?

(a) *Si omnino mortui non reſurgunt* &c.] Si nihil eſſet in futuro, non eramus tam ſtulti ut tantas tribulationes pro illis pateremur.

(b) *Quotidie morior.*] Semper paratus ad mortem, & quotidie exſpecto me pro veſtra gloria moriturum.

(c) *Per gloriam veſtram, fratres.*] Per, non ſemper ſignificatio juramenti eſt. Nam ſi dicam per puerum miſi, non ſtatim per puerum juraſſe recte putabor.

(d) *Quam habeo in Chriſto Jeſu* &c.] Ego habeo mercedem laborum in vobis: etiamſi vos proficere nolueritis.

(e) *Si ſecundum hominem ad beſtias pugnavi Epheſi: quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt?*] Si nihil remunerationis a Deo pro hoc certamine ſpero, quare pugnavi, ut hominibus forte placerem? Aliter. Hic beſtias eos commemorat, qui Epheſi ſeditionem adverſus eum moverant popularem, propter Dianæ idolum, cujus culturam prædicatione apoſtolica deſtruebat. Quod autem manifeſte conſtet, beſtias cum quibus pugnavit Apoſtolus, adverſarios homines debere in-
2 Tim. 4. telligi: idem in alia epiſtola memorat, dicens: *Et liberatus ſum de ore leonis.* In quo oſtendit ſe ſævitiam Neronis evaſiſſe, quando prima vice Romam vinctus
1 Cor. 15. deductus eſt. Dicens vero, *quid mihi prodeſt ſi mortui non reſurgunt*: illorum dogma deſtruit, qui dicunt ante corpora animas in cœlo factas, actum quemdam propriæ converſationis habuiſſe. Aliter. Multa dicuntur in Epiſtolis quæ in Actibus non continentur: & multa in Actibus quæ in Epiſtolis non ſcribuntur. Per allegoriam autem beſtiæ poſſunt intelligi adverſariæ poteſtates: ſicut ait in pſalmo: Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi: ad quas hic dicit ſe pugnaſſe.

(f) *Manducemus & bibeamus: eras enim moriemur.*] Increpat exemplo Prophetæ gulæ deditos, deſperatione futurorum, cujus rei crimen negatur eis remitti quoadusque morintur.

(g) *Nolite ſeduci.*] Ab his qui talia loquuntur.

(h) *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.*] Ne dicerent, ergo tales nos judicas qui facile ſeducamur? non, inquit, de vobis timeo, ſed de illorum converſatione formido: ſed quomodo mala colloquia bonos mores corrumpunt: ita e contrario bona colloquia, malos mores ædificant.

(i) *Evigilate juſti & nolite peccare.*] Ille juſtus eſt qui non peccat.

(k) *Ignorantiam enim Dei quidam habent.*] Ignorant virtutem Dei, qui eum putant ſuſcitare non poſſe, potentiam ejus ex ſua imbecillitate cenſentes.

(l) *Ad reverentiam vobis loquor.*] Ut erubeſcatis vos his ſermonibus tamquam adhuc parvulos erudiri.

(m) *Sed dicet aliquis.*] Ipſe ſibi ex contradicentium perſona proponit. Aliter. Præclarum hoc loco Apoſtolus de reſurrectione carnis, frumentorum ſumit exemplum. Quorum ſemen cum nudum feratur, non ita ut terræ mandatur renaſcitur, ſed ſicut in principio ſecundum ordinem unicuique ſeminum, quale corpus, Deus eſſe præcepit: & quemadmodum juſſit terram producere ordinatione ſua, durat & permanet: ita & unicuique hominum carnem quam unicuique initio naſcendi ſpecialiter tribuit, in reſurrectione reſtituet. Dicendo autem dat illi corpus ſicut voluit, & non ſicut vult, oſtendit à principio conſtitutionem Dei immutabilem permanere.

(n) *Quomodo reſurgent mortui?*] Multi ſolent proponere utrum debilia corpora ut ſunt defuncta, reſurgant. Quibus reſpondendum eſt in reſurrectione non debilitatis vitium, ſed integritatem reparari naturæ. Numquam enim tam debile eſt corpus, quam cum fuerit in pulverem reſolutum. Qui ergo creditur totum reddere, cur ex parte reparare dubitetur, hoc eſt, verbi gratia, cur non reddat oculos qui totum reſtituet corpus?

(o) *Inſipiens* &c.] Qui etiam naturalibus exemplis edocere debueras, adhuc divinis promiſſionibus infidelis exſiſtis.

(p) *Et quod ſeminas, non* &c.] Sicut de grano reſurgit fœcundior cum granis ariſta: ita & corruptibile corpus in gloria reſurgit cum augmento.

(q) *Deus autem dat illi corpus prout voluit.*] Sicut ab initio diſpoſuit, ut omnia ſemina cum putruerint, in amplius reformentur.

(r) *Et unicuique ſeminum proprium corpus.*] Attende quia proprium corpus dixerit, non alienum.

(ſ) *Non omnis caro eadem caro, ſed alia hominum, alia pecorum.*] Cujus juſſu in principio terra, tanta & tam diverſa corpora animata quæ non acceperat, dedit, quid mirum ſi ejus juſſu hominem reſtituat quem accepit?

(t) *Alia volucrum* &c.] Similiter & de aquis intellige, quæ tantam diverſitatem volucrum & piſcium ediderunt.

(u) *Et corpora cæleſtia* &c.] Qui talia fecit corpora elementorum, cur non poſſit exiguum corpus humanum reficere?

(w) *Sed alia quidem cæleſtium* &c.] Tota comparationis hujus diverſitas ad hoc facit, ut credas unum genus reparare facile poſſe, qui tanta fecit ex nihilo.

(x) *Stella enim à ſtella differt* &c.] Stellarum diverſitati, juſtorum differentiam comparat: quos gradus virtutum in gloria, non peccata facient eſſe diverſos. Nam peccatorum diverſitas in cœlo non erit, ſed in pœna.

(y) *Seminatur* &c.] Ut nec febres jam nec cætera corruptibilitatis genera patiantur. Aliter. Sanctis & peccatoribus reſurrectio carnis communis eſt: ſed ſanctorum corpora æterna gloria veſtientur cum incorruptione & immortalitate.

(z) *Seminatur in ignob.* &c.] Quid tam ignobile quam cadaver?

(a) *Surget in gloria.*] In gloria ſplendoris ut ſol.

(b) *Seminatur in* &c.] Imbecillitatis humanæ.

infirmitate: [a] ſurget in virtute. Seminatur [b] corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. Si eſt corpus animale, eſt & ſpirituale: ſicut ſcriptum eſt: [c] Factus eſt primus homo Adam in animam viventem: noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem. [d] Sed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale eſt: deinde quod ſpirituale. Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Qualis terrenus: tales & terreni. Et [e] qualis cœleſtis: tales & cœleſtes. Igitur [f] ſicut portavimus imaginem terreni: portemus & imaginem cœleſtis. Hoc [g] autem dico, fratres: quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt: neque corruptio incorruptelam poſſidebit. [h] Ecce myſterium vobis dico. Omnes [i] quidem reſurgemus: ſed non omnes immutabimur. In [k] momento, in ictu oculi, in [l] noviſſima tuba. Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti: & nos immutabimur. [m] Oportet enim corruptibile hoc [n] induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem. [o] Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem: tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria. Ubi eſt [p] mors victoria tua? Ubi eſt mors ſtimulus tuus? Stimulus [q] autem mortis peccatum eſt: [r] virtus vero peccati lex. [ſ] Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. [t] Itaque, fratres mei dilecti, ſtabiles [u] eſtote & immobiles: abundantes in omni opere Domini, ſemper ſcientes quod labot veſter non eſt inanis in Domino.

C A-

(a) *Surgit in virtute.*] In virtute æternitatis.

(b) *Seminatur corpus* &c.] Hic animale eſt corpus, quia oon ſemper habet Spiritum Sanctum. Tunc vero ſemper manebit io ſanctis. Item ſeminatur corpus animale, ſurgit corpus ſpirituale. Aliter. Animale corpus dicit quod conditum terræ corrumpitur, ſpirituale vero quod incorruptum reſurgit, ut poſſit aera penetrare feſtinans ad cœlos. Primus Adam ad hoc factus eſt, tantum ut viveret. Noviſſimus Adam, id eſt, Chriſtus, ideo ſuſcepit hominem, ut vivificaret.

(c) *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem: noviſſimus Adam* &c.] Notandum quod cum duos Adam dicit, ejuſdem oaturæ utroſque demonſtrat. Quod cootra Manichæos & Apollinariſtas facit, qui negant à Dei verbo perfectum hominem eſſe ſuſceptum.

(d) *Sed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale &c. Primus homo de terra terrenus:* &c.] Cœleſtis dicitur, quia noo humanæ fragilitatis ritu, ſed divinæ majeſtatis nutu & conceptus eſt & enixus: nam uſque adeo naturam ooſtram habuit, ut ſecundus Adam dicatur & homo. Aliter. Hic primum & ſecundum hominem, juxta opera terreſtrem & cœleſtem dicit: Nam & Chriſtus ſecundum carnem, ex noſtra maſſa fuit.

(e) *Et qualis cœleſtis, tales cœleſtes.*] Si ideo, ut hæretici volunt, noſtri generis aſſumtus homo non fuit, quia cœleſtis dicitur: ergo nec iſti oaturæ noſtræ ſuot, qui cœleſtes appellaotur. Si vero de his nemo dubitat, nec de illis eſt ambigendum.

(f) *Igitur ſicut portavimus imaginem* &c.] Peccator Adæ imaginem portat: juſtus vero imaginem Chriſti. Ergo ſicut portavimus veterem hominem ante baptiſmum, ita & poſt baptiſmum portemus novum.

(g) *Hoc autem dico, fratres* &c.] Frequenter Scriptura caroem pro operibus nominat carnis ut ibi: *Vos autem iu carne non eſtis, ſed in ſpiritu.* Aliter. Caro ſicut eſt, regoum Dei ooo poſſidebit, oiſi immortalitate veſtita.

(h) *Ecce myſterium vobis dico.*] Obſcuritatem ſignificat oominando myſterium.

(i) *Omnes quidem* &c.] Omnes homines reſurgent: ſed ſoli qui regnaturi ſunt in gloria, mutabuntur. Sive ita, reſurgemus omnes qui in adventu Chriſti mortui inveniemur. Non omnes immutabuntur qui in corpore ſint reperti, quia ſancti ſoli beatitudinis gloriam conſequentur. Aliter io quibuſdam Græcis codicibus habetur. *Omnes enim dormiemus: non omnes immutabimur.* In aliis autem: *Omnes enim non dormiemus: omnes autem immutabimur*, quod quadrat magis ad ſenſum Apoſtoli: quia hic ſermo noo de omnibus generaliter dicitur, ſed de ſolis ſanctis.

(k) *In momento, in ictu oculi.*] Per ictum oculi, nimiam brevitatem vult ſignificare momenti, ut quanta ſit Dei potentia, ex reſurrectionis celeritate cognoſcas.

(l) *In noviſſima tuba* &c.] Noviſſima tuba, noviſſimus adventus intelligitur Chriſti: mortui autem vel peccatores intelligendi ſunt: qui etiam viventes mortui eſſe dicuntur, ut ad pœnam, aut immortales, aut abſque aliqua membrorum diminutione reſurgant: vel certe ſimpliciter omnes mortuos reſurgere dicit: & ſolos ſanctos cum his qui vivi juſti inventi fueriot, in gloriam immutari.

(m) *Oportet enim corruptibile hoc.*] Neceſſe eſt fieri quod promiſſum eſt.

(n) *Induere incorruptelam* &c.] Eſt quod induit, & eſt ſimiliter indumeotum.

(o) *Cum autem mortale hoc &c. Abſorpta eſt mors in victoria.*] Ut evacuatis cauſis mortis, per divinam victoriam, ſibi abſorpta non appareat.

(p) *Ubi eſt mors victoria tua? Ubi eſt mors ſtimulus?*] Propheta ex perſona juſtorum loquitur inſultantium morti.

(q) *Stimulus autem mortis peccatum eſt.*] Sagittæ mortis peccatum, per quod animæ jugulantur.

(r) *Virtus vero peccati lex.*] Dum fortius & majus fit per ſcientiam peccatum.

(ſ) *Deo aute gratias qui dedit nobis* &c.] Victoriam illius peccati, in quo lex per carnalem noſtram voluntatem fuerat infirmata, quam Chriſtus cruce & exemplo deſtruxit.

(t) *Itaque, fratres mei dilecti.*] Reddita reſurrectioois ratiooe de qua hæſitabaot, hortatur eos in Dei opere permanere, jam certos de retributione futura.

(u) *Stabiles eſtote & immobiles, abundantes in opere Domini* &c.] Nemo vos de gradu ſpei futuræ ultra permoveat.

IN CA-

CAPUT XVI.

[a] DE collectis autem quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi in Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite [b] per unam ſabbati. [c] Unuſquiſque veſtrum apud ſe reponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non cum venero, tunc collectæ fiant. Cum [d] autem præſens fuero, quos probaveritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Hieruſalem. Quod ſi dignum fuerit, ut ego eam, mecum ibunt. Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertranſiero. Nam Macedoniam pertranſibo. Apud vos autem forſitan manebo: vel etiam hyemabo: ut vos me deducatis quocumque iero. Nolo enim vos modo in tranſitu videre. Spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos: ſi Dominus permiſerit. [e] Permanebo autem Epheſi, uſque ad pentecoſten. Oſtium enim mihi apertum eſt magnum & evidens, & adverſarii multi. [f] Si autem venerit Timotheus, videte ut ſine timore ſit apud vos. Opus enim Domini operatur, ſicut & ego. Ne quis ergo illum ſpernat. [g] Deducite autem illum in pace, ut veniat ad me. Exſpectabo enim illum cum fratribus. De [h] Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogavi eum, ut veniret ad vos cum fratribus, & utique non fuit voluntas ejus, ut nunc veniret. Veniet autem cum ei vacuum fuerit. Vigilate, ſtate in fide, viriliter [i] agite & [k] confortamini, omnia enim veſtra in caritate fiant. [l] Obſecro autem vos fratres, noſtis domum Stephanæ & Fortunati & Achaici: quoniam ſunt primitiæ Achaiæ, & in miniſterium ſanctorum ordinaverunt ſeipſos, ut & vos ſubditi ſitis ejuſmodi, & omni cooperanti & laboranti. Gaudeo autem in præſentia Stephanæ & Fortunati & Achaici, quoniam id quod vobis deerat, ipſi ſuppleverunt. [m] Refecerunt enim & meum ſpiritum & veſtrum. [n] Cognoſcite ergo quæ ejuſmodi ſunt. [o] Salutant vos Eccleſiæ Aſiæ. Salutant vos in Domino multum Aquila & Priſca: cum domeſtica ſua Eccleſia, apud quos & hoſpitor. Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in oſculo ſancto. [p] Salutatio mea manu Pauli. Si quis non amet Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema [q] Maranatha. [r] Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum. [ſ] Caritas mea cum omnibus vobis in [t] Chriſto Jeſu, [u] Amen.

SECUN-

IN CAPUT XVI.

(a) *DE collectis autem quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ: ita & vos facite.*] De ſumtibus dicit, qui per ſingulas Eccleſias collecti, Hieroſolymam ſanctis pauperibus mittebantur.

(b) *Per unam ſabbati.*] *Una ſabbati* dominica dies eſt: ſicut in Evangelio dicitur, Dominum una ſabbati ſurrexiſſe.

(c) *Unuſquiſque veſtrum apud ſe reponat,* &c.] Ut paulatim reſervantes, non una hora gravari ſe putent: ut hilares datores diligantur à Deo.

(d) *Dum autem præſens fuero &c. Veniam autem ad vos cum Macedoniam pertranſiero* &c.] Quia ita ſe agunt Macedones, ut non ſit neceſſe mihi apud eos diutius demorari: apud vos autem neceſſe eſt ut maneam vel hyemem. Multa enim ſont quæ corriganrur in vobis: ſicut medicus ibi moram habet, ubi plures ægrotant.

(e) *Permanebo autem Epheſi uſque ad pentecoſten: oſtium* &c.] Ideo ibi permanebo, quia cum mihi evidens datus ſit aditus prædicandi, ſunt plurimi, qui reſiſtant.

(f) *Si autem venerit Timotheus: videte ut ſine timore ſit apud vos. Opus enim Domini operatur ſicut ego: ne quis illum ergo ſpernat.*] Sine tribulationis formidine, vel etiam veſtri contemptu.

(g) *Deducite autem illum in pace ut veniat ad me. Exſpecto enim illum cum fratribus.*] Nihil admittentes, quod ad animæ ejus faciat læſionem.

(h) *De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogavi eum ut veniret ad vos cum fratribus: & utique non fuit voluntas, ut nunc veniret. Veniet autem cum ei vacuum* &c.] Vigilate mentis oculis ad diaboli aſtutias præcavendas. Stare, quia ſtantibus difficile ſomnus obrepit.

(i) *Viriliter agite.*] Muliebris enim omnis inconſtantia & varietas judicatur.

(k) *Et confortamini, omnia enim veſtra in caritate fiant.*] Ut ſit in veſtra virtute profectus, omnia non inanis gloriæ cauſa, ſed caritatis gratia facere feſtinate.

(l) *Obſecro autem vos, fratres, noſtis domum Stephanæ & Fortunati & Achaici, quoniam ſunt primitiæ Achaiæ* &c.] Quia præſentes ſunt apud vos, & in illis magnum poteſtis habere profectum. Sive quia mihi venerunt pro vobis miniſtrare officium caritatis.

(m) *Refecerunt enim & meum ſpiritum & veſtrum.*] Meum ſpiritum caritate pro vobis, veſtrum pro mea lætitia refecerunt.

(n) *Cognoſcite ergo qui ejuſmodi ſunt.*] Unde & alibi ait: *Cognoſcite eos qui ita ambulant, ut habetis formam noſtram.* Hos cognoſcite, honorate cognoſcentes eorum ſtudium vel laborem. Phil. 3.

(o) *Salutant vos Eccleſiæ Aſiæ. Salutant vos in Domino multum Aquila* &c.] Domeſticam congregationem fraternitatis Eccleſiam nominavit.

(p) *Salutatio mea manu Pauli. Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema.*] Sicut illis qui eum amant, redemtio venturus eſt Chriſtus: ita & qui eum non amant, anathema ſint, id eſt, ut illos abominetur & perdat.

(q) *Maranatha.*] Magis Syrum eſt quam Hebræum, tametſi ex confinio utrarumque linguarum aliquid Hebræum ſonet. Et interpretatur, Dominus noſter venit.

(r) *Gratia Domini noſtri vobiſcum.*] Propriæ manus conſueta ſubſcriptio.

(ſ) *Caritas mea cum omnibus vobis.*] Ut quomodo vos ego diligo, ita & in Chriſto invicem diligatis.

(t) *In Chriſto Jeſu.*] Non ſecundum ſæculi caritatem.

(u) *Amen.*] Confirmatio eſt benedictionis hic ſermo, ſicut ſuperius ipſe demonſtrat: quomodo, inquiens, dicit Amen ſuper tuam benedictionem?

Finis Epiſtolæ ad Corinthios primæ.

SECUNDA EPISTOLA PAULI
AD CORINTHIOS.
CAPUT I.

[a] PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti, per voluntatem Dei, [b] & Timotheus frater Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, [c] cum omnibus ſanctis qui ſunt in univerſa Achaia. [d] Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto. [e] Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, [f] & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni [g] tribulatione noſtra, [h] ut poſſimus & ipſi conſolari eos qui in omni preſſura ſunt per exhortationem qua exhortamur & ipſi a Deo. [i] Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, [k] ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. [l] Sive autem tribulamur pro veſtra exhortatione & ſalute: ſive conſolamur pro veſtra conſolatione: ſive exhortamur pro veſtra exhortatione & ſalute, [m] quæ operatur tolerantiam earumdem paſſionum quas & nos patimur: ut ſpes noſtra firma ſit pro vobis. [n] Scientes quoniam ſicut ſocii paſſionum eſtis: ſic eritis & conſolationis: [o] non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione noſtra quæ facta eſt in Aſia: [p] quoniam ſupra modum gravati ſumus ſupra virtutem: [q] ita ut tæderet nos etiam vivere. [r] Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus: ut non ſimus fidentes in nobis, [s] ſed in Deo qui ſuſcitat mortuos: [t] qui de tantis periculis nos eripuit & eruit, in quem ſperamus, quoniam & adhuc eripiet. [u] Adjuvantibus & vobis in oratione [w] pro nobis: [x] ut ex multarum perſonis facierum ejus quæ in nobis eſt donationis: per

COMMENTARII IN SECUNDAM Epiſtolam ad Corinthios.

CAPUT. I.

(s) PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti.] *Quæritur cur in omnibus epiſtolis contra uſum epiſtolarum, primum ſuum oomeo ponat, quam eorum ad quos litteræ deſtinantur.* Sed hoc ex auctoritate Apoſtolici ordinis, quia minoribus ſcripſit: ut etiam ſeculi judices ſolent ad eos quos regunt, ſcripta dirigere. Per voluntatem Dei, id eſt, non hominum voluntate. Simul vult oſtendere non ſine voluntate Patris ſe miſſum a Chriſto.

(b) *Et Timotheus frater* &c.] Non dixit Paulus & Timotheus, quia noo ambo Apoſtoli. Ad Philippenſes vero ubi non erat tanta auctoritas neceſſaria, ſervi ambo ponuntur.

(c) *Cum omnibus ſanctis qui* &c.] Hic ſancti poſſunt accipi ſacerdotes, quia in prima ponuntur invocantes Dominum: & ad Philippenſes cum Epiſcopis & Diaconibus. Ideo autem poſtea nominantur, ne parum intelligentes, eos prætermiſſos eſſe putarent. Cum ſint in Eccleſia comprehenſi Achaiæ, cujus eſt metropolis Corinthus.

(d) *Gratia vobis & pax a Deo Patre no.* &c.] Hæc eſt ſolita ſalutatio. Hic gratias agit Deo gaudens ſe ideo conſolari, ut ipſe alios conſoletur.

(e) *Benedictus Deus Pater Domini noſtri Jeſu, Pater miſericordiar.*] Quia ex ipſo eſt omnis miſericordia.

(f) *Et Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos.*] Id eſt, perfectæ conſolationis, quia non eſt minus tribulatione ſolatium.

(g) *In omni tribulatione noſtra.*] Id eſt, noo in aliquibus, ſed in omnibus.

(h) *Ut poſſimus & ipſi conſolari eos qui in omni preſſura ſunt: per exhortationem qua exhortamur & ipſi a Deo*] Id eſt, propterea liberamur, ut & nos alios conſolari & de triſtitia liberare poſſimus. Aut ita formam dat nobis alios conſolandi, ut per exhortationem qua ipſi a Deo conſolamur, agnoſcamus quod Deus timentium ſe neminem derelinquat: & multo magis in futuro remuneret, quos etiam in præſenti noo deſerit.

(i) *Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis.*] Id eſt, pro nomine Chriſti.

(k) *Ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.*] Ut Petrus eſt de carcere liberatus, & Paulus viſione Domini & voce confirmatus io templo.

(l) *Sive autem tribulamur pro veſtra exhortatione & ſalute.*] Quia vos ad ſalutem hortamur: vel ut vobis exemplum tolerantiæ præbeamus.

(m) *Quæ operatur ſufferentiam earumdem paſſionum quas & nos patimur: ut ſpes noſtra firma ſit pro vobis.*] Id eſt, ideo liberamur ut ipſa re confirmemini non pertimeſcere paſſiones, vel ut vos hortemur patienter ferre illa quæ ad præſentem conſolationem pertinent & futuram.

(n) *Scientes quoniam ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſimul & conſolationum eritis.*] Id eſt, hæc eſt ſpes noſtra firma pro vobis.

(o) *Non enim volumus vos ignorare, fratres, de tribulatione noſtra quæ facta eſt in Aſia.*] Narrat ſuas paſſiones, ut illi ſe ad illarum comparationem parva pati cognoſcant, maxime cum illi talia patiantur, qui vice Chriſti fuerant deſtinati. Sicut ſi quis diſcipulus doleat ſuper injuria ſua, cum audierit magiſtrum majora perpeſſum, conſolatione accepta dolere deſinit.

(p) *Quoniam ſupra modum gravati ſumus.*] Supra virtutem gravati pondere paſſionum.

(q) *Ita ut tæderet nos vivere.*] Ita ut mori omni deſiderio cuperemus.

(r) *Sed ipſi in nobis reſponſum mortis habuimus: ut non ſimus fidentes in nobis.*] Hoc eſt, in noſtra prudentia vel cautela.

(ſ) *Sed in Deo qui ſuſcitavit mortuos.*] Ipſa mors docuit nos, omne humanum auxilium defeciſſe, & ab illo ſolo ſperandum eſſe remedium, cui etiam poſſibile eſt mortuos ſuſcitare.

(t) *Qui de tantis periculis eripuit nos & eruit adhuc in quem ſperamus, quoniam liberabit nos.*] Scit ſe adhuc multa paſſurum qui ſperat ſe ad liberandum.

(u) *Adjuvantibus vobis.*] Niſi laborans non dicitur ab alio juvari.

(w) *Per orationem pro nobis.*] Multum valet oratio totius Eccleſiæ: quæ Petrum de carcere liberavit.

(x) *Ut ex multarum perſonis facierum ejus quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur Deo pro nobis.*] Id eſt, ut ex multorum conventu pro eo quod vobis donamur, Domino gratiæ referantur: vel quia multis donati ſumus, plures convertentes, per nos gratiam agunt.

(a) *Nam*

per multos gratiæ agantur pro nobis. [a] Nam gloria noſtra hæc eſt, [b] teſtimonium conſcientiæ noſtræ. [c] Quod in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei: [d] & non in ſapientia carnali: ſed in gratia Dei converſati ſumus in hoc mundo: [e] abundantius autem ad vos. [f] Non enim alia ſcribimus vobis, quam [g] quæ legiſtis & cognoviſtis. [h] Spero autem quod uſque in finem cognoſcetis: [i] ſicut & cognoviſtis nos ex parte: [k] quia gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra: [l] in die Domini noſtri Jeſu Chriſti. [m] Et hac confidentia volui prius venire ad vos, [n] ut ſecundam gratiam haberetis: & per vos tranſirem in Macedoniam: & iterum a Macedonia venirem ad vos: & a vobis deduci in Judæam. [o] Cum ergo hoc voluiſſem, numquid levitate uſus ſum? [p] Aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito: [q] ut ſit apud me eſt & non eſt? [r] Fidelis autem Deus: [ſ] quia ſermo noſter qui fuit apud vos, non eſt in illo, eſt & non: ſed eſt in illo eſt. [t] Dei enim Filius Jeſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, per me & Silvanum & Timotheum, non fuit in illo, eſt & non: ſed eſt in illo fuit. [u] Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo eſt. Ideo & per ipſum dicimus Amen Deo ad gloriam noſtram. [w] Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, [x] & qui unxit nos Deus & [y] qui ſignavit nos, [z] dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris. [a] Ego autem teſtem Deum invoco in [b] animam meam, [c] quod parcens vobis non veni ultra Corinthum: [d] non quia dominamur fidei veſtræ: ſed adjutores ſumus gaudii veſtri. [e] Nam fide ſtatis.

CAPUT II.

[f] STatui autem hoc ipſum apud me: ne iterum in triſtitia venirem ad vos. [g] Si enim ego contriſto vos: & quis eſt qui me lætificet, [h] niſi qui contriſtatur ex me? [i] Et hoc ipſum

(a) *Nam gloria noſtra hæc eſt.*] Ideo in ipſis paſſionibus gloriamur, quoniam conſcientia nos minime reprehendit, eo quod gloriæ vel lucri cauſa docere videamur.

(b) *Teſtimonium conſcientiæ noſtræ.*] Id eſt beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

(c) *Quod in ſimplicitate & ſinceritate Dei non eſt.*] Quomodo Deus ſimplex eſt & ſincerus.

(d) *Non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei converſati ſumus in mundo.*] Hoc non ſubdole vel aſtute docentes, ut ſapientia carnalis quæ mercede diſtrahitur, ſed gratis: ſicut a Deo accepimus, vel Dei ſolius cauſa docemus.

(e) *Abundantius autem ad vos.*] A quibus nec victum qui nobis jure debetur accepimus.

(f) *Non enim alia ſcribimus vobis.*] Non confundor, quia vos ooſtis certum eſſe quod dico.

(g) *Quam quæ legiſtis & cognoviſtis.*] Id eſt, quæ legiſtis in epiſtola, cognoviſtis in conſcientia.

(h) *Spero autem quod uſque in finem cognoſcetis.*] Id eſt, certus ſum meum propoſitum non mutari.

(i) *Sicut & cognoviſtis ex parte nos.*] Quia nondum finis eſt, cum autem venerit, ex integro cognoſcetis.

(k) *Quia gloria veſtra nos ſumus, ſicut & vos noſtra.*] Sic gloriantur diſcipuli de bono doctore, quomodo & magiſter in bonis diſcipulis gloriatur.

(l) *In die Domini noſtri Jeſu Chriſti.*] Quoniam & veri magiſtri & boni diſcipuli probabuntur.

(m) *Et hac confidentia* &c.] Id eſt, quod nihil aliud veſtrum quæſivi quam ſalutem.

(n) *Ut ſecundam gratiam haberetis* &c.] Quia primam in primo habuiſtis adventu: vel ut gratiam ſecundam præſentiæ meæ poſt litteras haberetis.

(o) *Cum ergo hoc voluiſſem* &c.] Quia promiſſum non impleverat, ne levitatis accuſaretur, ſe excuſat.

(p) *Aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito?*] Id eſt, ſecundum carnalem voluntatem, carnale enim eſt aliquem nulla majore cauſa exſiſtente non facere quæ promiſit.

(q) *Ut ſit apud me eſt & non.*] Ideo non cogito ſecundum carnem, ut non mendax vel duplex inveniar.

(r) *Fidelis autem Deus.*] Ita & nos per quos ipſe loquitur, dum eum imitamur non ſumus infideles.

(ſ) *Quia ſermo noſter qui fuit apud vos* &c.] Nulla in eo ambiguitas, nec nos vobis ſumus aliquando mentiti.

(t) *Dei enim Filius Jeſus* &c.] Quare cum promiſiſſet ire ſe ad centurionis puerum, non perrexit? Sed affuit ſpirituali gratia, qui non affuit præſentia corporali. Sed eſt in illo fuit, id eſt, immutabilis veritas, ut ad Moyſen dicit: *Qui eſt miſit me.* Ille enim vere eſt, qui ſemper idem eſt. *Exod. 3.*

(u) *Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt in illo eſt. Et ideo* &c.] Omnis veritas promiſſionis in Chriſto eſt: quæ per nos ad Dei gloriam prædicatur.

(w) *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto.*] Gratia & doctrina. Et quia dixerat per nos, modo oſtendit Deum totum facere, qui in eis iſta omnia operatus eſt.

(x) *Et qui unxit nos Deus.*] Spiritu Sancto vel chriſmate.

(y) *Et qui ſignavit nos.*] Illud ſignatur, quod aliquod intrinſecus continet pretioſum.

(z) *Et dedit pignus ſpiritus* &c.] Id eſt, pro arrha, Spiritus gratiam: omnis autem arrha pro magnitudine pretii dari ſolet. Quantum ergo pretium eſt, cujus tanta eſt arrha?

(a) *Ego autem teſtem invoco.*] Reddit cauſam non impleti promiſſi: hoc non ſuæ levitati, ſed illorum infirmitati aſſerit deputandum.

(b) *In animam meam.*] Cujus ſecreta ſolus agnoſcit.

(c) *Quod parcens vobis non veni ultra Corinthum.*] Ne in vobis acrius vindicarem.

(d) *Non quia dominamur fidei veſtræ: ſed adjutores ſumus gaudii veſtri.*] Non quod ideo credideritis ut vobis dominemur, ſicut in lege ſacerdotes, & ideo vos terremus; ſed omnia ad veſtram facimus emendationem, ut hic in conſcientia & in perpetuo gaudeatis, ne ipſa libertate uſi fueritis in pejus.

(e) *Nam fide ſtatis.*] Fide, non lege, id credendo Chriſto ſtare cœpiſtis.

IN CAPUT II.

(f) *STatui autem hoc ipſum apud me: ne iterum in triſtitia venirem ad vos.*] Cogitavi vel diſpoſui, ne in triſtitia ſecundo venirem. Qui cum primum credidiſtis, apud vos in gaudio fui.

(g) *Si enim contriſto ego vos: & quis eſt qui me lætificet?*] Propterea id facio, ut poſſim gaudere de vobis.

(h) *Niſi qui contriſtatur ex me.*] Qui enim contriſtatur, intelligit ſe peccaſſe: ſicut æger qui dolorem ſentit, poteſt percipere ſanitatem, & ad medici lætitiam pertinere.

(i) *Et hoc ipſum ſcripſi vobis.*] Modo enim ideo ſcribo vel ante ſcripſi, ut litteris emendati, præſentem me gaudere faciatis.

ipſum ſcripſi vobis: [a] ut non cum venero, triſtitiam ſuper triſtitiam habeam: [b] de quibus oportuerat me gaudere: [c] confidens in omnibus vobis: quia meum gaudium omnium veſtrum eſt. Nam ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi [d] vobis per multas lacrymas: [e] non ut contriſtemini, ſed ut ſciatis quam caritatem habeam [f] abundantius in vobis. [g] Si quis autem contriſtavit me, non me contriſtavit, [h] ſed ex parte, ut [i] non onerem omnes vos. [k] Sufficit illi qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc quæ fit a pluribus: [l] ita ut e contrario magis donetis & [m] conſolemini: [n] ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt. [o] Propter quod obſecro vos ut confirmetis in illum caritatem. [p] Ideo enim & ſcripſi vobis ut cognoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis. [q] Cui autem aliquid donatis: & ego. [r] Nam & ego quod donavi, [ſ] ſi quid donavi, propter vos in [t] perſona Chriſti: [u] ut non circumveniamur a Satana. Non enim ignoramus cogitationes ejus. [w] Cum veniſſem autem Troadem propter evangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino, non habui requiem ſpiritui meo: eo quod non invenerim Titum fratrem meum. [x] Sed valefaciens eis, profectus ſum in [y] Macedoniam. [z] Deo autem gratias qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu: [a] & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: [b] quia Chriſti bonus odor ſumus Deo in his qui ſalvi fiunt, & in his qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. [c] Et ad hæc quis tam idoneus? [d] Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei: [e] ſed ex ſinceritate ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur.

CAPUT

(a) *Ut non cum venero, triſtitiam ſuper triſtitiam habeam.*] Triſtitiam habeo quia peccatis: quæ magis augebitur, ſi vos oon perfecte videro emendaſſe.

(b) *De quibus oportuerat me gaudere.*] De quibus ſemper gaudere debueram, vel de emendatiooe gratulari.

(c) *Confidens in omnibus vobis:* &c.] Id eſt, confido vos iotelligere, quia tunc ſit verum gaudium veſtrum, ſi ego gaudeam. Sive confido quod me taliter diligatis, ut meum gaudium veſtrum eſſe dicatis.

(d) *Scripſi vobis per multas lacrymas.*] Primam epiſtolam qua vos corripui, & hinc intelligendum quam fuerit de omoium ſalute ſollicitus.

(e) *Non ut contriſtemini: ſed ſciatis quam caritatem habeam.*] Non ideo commemoro ut iterum contriſtemini: ſed ut ſciatis me omnia in caritate feciſſe.

(f) *Abundantius in vobis.*] Ex majori ſollicitudine, abundantiorem cognoſcite caritatem.

(g) *Si quis autem contriſtavit.*] Quia per illius peccatum vos etiam correpti, amplius profeciſtis. Sive qui me emeodavit, non me penitus contriſtavit.

(h) *Sed ex parte.*] Id eſt, ex ea ſolum parte qua nocuit ſibi, dum illi neceſſe eſt pœnitere.

(i) *Ut onerem omnes vos.*] Ideo ſcribo eum recipi, ut non ooeremini, ſi per veſtram duritiam deſperaverit de ſalute.

(k) *Sufficit illi qui ejuſmodi eſt* &c.] Non de illo ſolum dicit qui paternum polluit torum, ſed de omni peccante: nam multos illic peccaſſe, epiſtola prima demonſtrat.

(l) *Ita ut e contrario magis donetis.*] Ut contra objurgationem donetis veniam.

(m) *Et conſolemini.*] Verbis prophetiæ dicentis:
Ezech. 18. *Nolo mortem peccatoris.* Et: *iniquus quacumque die fue-*
& 33. *rit converſus, non memorabuntur peccata ejus.*

(n) *Ne forte abundantiore triſti.* &c.] Ne forte per deſperationem indulgentiæ abſorbeatur gurgite vitiorum, & a diabolo perſuaſus, ad infidelitatis & blaſphemiæ majora præcipitia deducatur.

(o) *Propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illum caritatem.*] Qua perfecte recognoſcat ſe veniam conſecutum.

(p) *Ideo enim & ſcripſi vobis ut cognoſcam* &c.] Ut videam ſi quomodo obaudiſtis io vindicando. ita obaudiatis in indulgendo. Obedieotia enim illa vera & perfecta eſt, quæ in nullo contemnit.

(q) *Cui autem aliquid donatis: & ego.*] Sicut vobiſcum vindicavi: ita & dono vobiſcum.

(r) *Nam & ego quod donavi.*] Noo in mea perſo-
Matth. 16. na, ſed io Chriſti qui dixit: *Quæcumque ſolveritis in terra, erunt & in cælo ſoluta.*

(ſ) *Si quid donavi propter vos.*] Ne vos gravemini, vel contriſtemini.

(t) *In perſona Chriſti.*] Quia vice fungimur Chriſti.

(u) *Ut non circumveniamur* &c.] Nec enim ejus ignoramus verſutias. Idem ſimiliter circumvenit per nimiam duritiam peccatores, ut pereant deſperando: quomodo oimia remiſſione minime corrigendo. Unde
Salomon ait: *Non declines in dexteram neque ſiniſtram.* Prov. 4.
Quamvis ergo tota epiſtola contra Novatum ſit, tamen hic evidentiſſime oſtenditur a Diabolo circumventus pœnitentiam denegare: cujus iſta verſutia eſt, ut ſub ſpecie juſtitiæ fallat incautos.

(w) *Cum veniſſem autem Troadem* &c.] Modo illis vult probare quaoto amplius eos diligat: quorum cauſa tantum ſollicitus eſt ut cum eſſent illi omnia proſperata, nullam requiem habuerit, quia Titum quem ad eos videndos miſerat, non invenit, timens jam, ne minime eos correxiſſet: quia nondum ei quidquam renunciaverat Titus.

(x) *Sed valef.* &c.] Cito inde egreſſus ſum: quamvis occaſionem habuerim prædicandi.

(y) *In Macedoniam.*] Per quam a vobis Titus erat utique rediturus. Vicinior eſt enim Macedonia Achaiæ quam Troadi: denique cum ibi eſſet, dicit Titum poſtea adveniſſe.

(z) *Deo autem gratias* &c.] Triumphare facit nos per Chriſtum, vel in nobis ipſe triumphat.

(a) *Et odorem* &c.] Odor notitiæ Dei, per doctrinam manifeſtatur & ſigna. Odor autem ideo dicitur, quia ſentitur potius quam videtur: & quia primo credentes, aliquid tamquam per modicum odorem ſentire valebant.

(b) *Quia Chriſti bonus* &c.] Quidam ita dicunt, noſter labor Deo ſemper eſt gratus, quia omoibus prædicamus, ſeu veliot credere, ſeu nolint: ſed hic proprie de illis dicitur, qui vel ſanabantur per ipſos, vel in quibus vindicta fiebat. Bonus ergo odor in utriſque, quia juſtus.

(c) *Et ad hæc quis tam idoneus.*] Ad hæc facienda, quis poteſt tam idoneus eſſe quam nos, qui ad hoc ſumus electi?

(d) *Non enim ſumus ſicut plurimi adulterantes.* &c.] Pſeudoapoſtolos tangit, humanum ſenſum divinæ prædicationi miſcentes. Unde Eſaias ait: *Caupones tui mi-* Eſa. 1.
ſcent vino aquam, id eſt, meræ doctrinæ adulationis mollia verba, quibus homines non tam inebriati ferveant quam delectati tabeſcant.

(e) *Sed ex ſinceritate.* &c.] Ex Deo proceſſit doctrina, quam ſcimus ipſo præſente in perſona dicere Chriſti, id eſt, ſicut ipſe prædicavit.

IN CA-

CAPUT III.

[a] INcipimus iterum noſmetipſos commendare? [b] Aut numquid egemus, ſicut quidam, commendatitiis epiſtolis ad vos, aut ex vobis? [c] Epiſtola noſtra vos eſtis [d] ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus, manifeſtati, [e] quoniam epiſtola eſtis Chriſti [f] miniſtrata a nobis [g] & ſcripta, non atramento, ſed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. [h] Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum. [i] Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis: [k] ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. [l] Qui & idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti: [m] non littera ſed ſpiritu. [n] Littera enim occidit: ſpiritus autem vivificat. [o] Quod ſi miniſtratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria: [p] ita ut non poſſent intendere filii Iſraël in faciem Moyſi propter [q] gloriam vultus ejus quæ evacuatur: [r] quomodo non magis miniſtratio Spiritus erit in gloria? [ſ] Nam ſi miniſtratio damnationis in gloria eſt, [t] multo magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria. [u] Nam nec glorificatum eſt quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. [w] Si enim quod evacuatur, per gloriam eſt; multo magis quod manet, in gloria eſt. [x] Habentes igitur talem ſpem, [y] multa fiducia utimur. [z] Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam: [a] ut non intenderent filii Iſraël in finem ejus, [b] quod evacuatur:

IN CAPUT III.

(a) I*Ncipimus iterum noſmetipſos* &c.] Non ut commendemus nos vobis iſta dicendo, laudare nos volumus: ſed hæc ne ab aliis ſeducamini, cogimur commemorare.

(b) *Aut numquid egemus* &c.] Quos non commendat gratia virtutum, illos digne commendant epiſtolæ amicorum.

(c) *Epiſtola noſtra vos eſtis.*] Per veſtram fidem omnibus commendamur, ſicut alibi dicit: Signaculum apoſtolatus mei vos eſtis.

(d) *Scripta in cordibus* &c.] In conſcientiis noſtris: & vos nobis prædicantibus credidiſſe, vel in corde noſtro eſt prædicatio per quam epiſtola noſtra eſtis facti, quæ cognoſcitur & quæ legitur ab omnibus hominibus & manifeſtatur.

(e) *Quoniam epiſtola* &c.] Omnibus manifeſtum eſt, Chriſti vos per noſtram credidiſſe doctrinam, confirmante virtutem Spiritu ſancto. Sive vere hinc cognoſcimini Chriſti eſſe, quod ejus Spiritum accepiſtis.

(f) *Miniſtrata à nobis.*] Hoc eſt Spiritu ſancto præparata.

(g) *Et ſcripta, non atramento,* &c.] Hic differentiam inducit legis & gratiæ. Judæi in dura materia legem acceperunt, ſignificante duritiam mentis eorum, ſicut & velamen faciei Moyſi, cordis eorum velamen ignorantiæ portendebat. Nos vero quamvis legem Chriſti ſcriptam in Evangeliis habeamus, tamen in primis non quaſi abſentes tabulis ſcriptis, ſed præſentes per auditum Domini verba corde ſuſcepimus. Evangelia vero poſtmodum ſcripta ſunt, ad memoriam poſterorum. Si ergo inexcuſabiles ſunt qui legem in lapidibus acceperunt: quanto magis nos qui verba Chriſti ſuſcepimus, ſi peccemus? ut ad Hebræos ſcribitur: *Si*
Heb. 2. *enim illi non effugerunt ſuper terram loquente illis*, & reliqua.

(h) *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum.*] Quia novimus vos per nos credidiſſe: vel quod nos non humana epiſtola, ſed gratia divina commendat.

(i) *Non quod* &c.] Vult oſtendere ſe nihil ſua prudentia facere, vel virtute, quia pauci homines ruſtici, numquam ſine Dei gratia totum mundum ſalvare potuiſſent.

(k) *Sed ſufficientia* &c.] Ideo hoc præmiſit, quia dicturus erat tanto majus ſe quam Moyſen miniſterium ſuſcepiſſe, quanto majus eſt novum Teſtamentum lege, ut eos a falſis Apoſtolis ſibi detrahentibus revocaret.

(l) *Qui & idoneos* &c.] Dum ad hoc idonei ad implendum non eſſemus.

(m) *Non litteram* &c.] Non litteræ legis, ſed ſpiritui gratiæ miniſtrantes.

(n) *Littera* &c.] Quomodo alibi dicit, legem eſſe
Rom. 7. ſpiritualem ſpiritualibus. Cæterum peccatores occidit: gratia autem vivificat impium convertentem. Quidam dicunt quoniam hiſtoricus intellectus occidat: neſcientes quod nec ubique hiſtoria, nec ubique poſſit allegoria ſervari: nam ſicut quædam in figura dicta ſunt, ut ſi percepta velis allegorice intelligere, omnem virtutem eorum evacuans, omnibus aperuiſti viam delinquendi. Sed ille verus ſpiritualis intellectus eſt qui non veriſimilibus coloribus pulchrum mendacium pingit, ſed virtute rerum ipſam rem exprimit veritatis.

(o) *Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria.*] Quæ mortificat peccatores: cæterum ipſe eam ſanctam & juſtam & bonam alibi dicit.

(p) *Ita ut non poſſent intendere filii Iſraël in faciem Moyſi.*] Id eſt contra Manichæos. Numquam enim Apoſtolus poſſet contraria comparare, id eſt, majorem miniſtrorum novi Teſtamenti quam Moyſi gloriam dicere, ſi inter eos non videretur eſſe communio.

(q) *Propter gloriam vultus ejus* &c.] Gloria legis per gloriam Evangelii evacuatur: ſed ita evacuatur ut proficiat: ſicut infantem ipſe dicit evacuari in viri perfecti ætatem. Semen quoque evacuatur in fructum, melior fructus ſemine, ſed ſine eo eſſe non poteſt. Fructus non perit, ſed multiplicabitur ſemen in fructu: & ita evacuatur ſicut prophetia & ſcientia deſtruentur.

(r) *Quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria?*] In gloria noſtra, quæ ut perfecta non poteſt evacuari.

(ſ) *Nam ſi miniſtratio damnationis in gloria eſt.*] Expoſuit quod ſuperius dixerat: litteram occidere, miniſtrationem eſſe mortis jam damnando peccantes.

(t) *Multo magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria.*] Quod miniſtrat juſtitiam, admittendo peccata.

(u) *Nam nec glorificatum eſt quod claruit in hac* &c.] In comparatione gloriæ evangelicæ obumbratur gloria legis: ut orto ſole lumen obtunditur lunæ, cum tamen ſuo tempore magnum habeat fulgorem: hoc oſtendit etiam Dominus cum adſcendens montem ſolus, ſplendore ſolis viſus eſt radiaſſe: cum tamen Moyſes & Helias viſi in gloria referantur: & ideo vox deſuper Patris ipſum ſolum præcepit audiri.

(w) *Si enim quod evacuatur* &c.] Si evacuandum per gloriam datum eſt teſtamentum, quanto magis erit quod permanet glorioſum?

(x) *Habentes igitur talem ſpem.*] Talem ſpem gloriæ, quia ſpe ſalvi facti ſumus.

(y) *Multa fiducia utimur.*] In Deo qui fecit nos idoneos.

(z) *Et non ſicut* &c.] Non ita facimus, quia jam omnes Chriſtiani vident gloriam Domini, ſancto Spiritu revelante.

(a) *Ut non intenderent filii Iſraël uſque in finem.* &c.] Uſque in finem ejus: id eſt, uſque in finem vitæ ejus: ita & lex non intelligitur uſque dum in finem ejus, id eſt, dum Chriſto credatur.

(b) *Quod evacuatur.*] Velamen nunc evacuatur in Chriſto.

(a) *Sed*

cuatur: [a] ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Uſque in hodiernum diem idipſum [b] velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non revelatum, [c] quod in Chriſto evacuatur: [d] ſed uſque in hodiernum diem cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. [e] Cum autem converſus fuerit ad Deum, auferetur velamen. [f] Dominus autem ſpiritus eſt. [g] Ubi autem ſpiritus Domini: ibi libertas. [h] Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, [i] in eamdem imaginem transformamur a [k] claritate in claritatem tamquam a Domini ſpiritu.

C A P U T IV.

1 IDeo habentes hanc adminiſtrationem, juxta quod miſericordiam conſecuti ſumus: [m] non deficimus: [n] ſed abdicamus occulta dedecoris: [o] non ambulantes in aſtutia: [p] neque adulterantes verbum Dei: [q] ſed in manifeſtatione veritatis, commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum [r] coram Deo. [ſ] Quod ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum, in his qui pereunt eſt opertum: [t] in quibus Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti [u] qui eſt imago Dei. [w] Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. [x] Nos autem ſervos veſtros per Jeſum: [y] quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe [z] illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in [a] facie Chriſti Jeſu. [b] Habemus autem theſaurum [c] iſtum in vaſis fictilibus, ut ſublimitas ſit virtutis Dei: & non ex nobis. [d] In omnibus tribulationem patimur: ſed non anguſtiamur. [e] Aporiamur: ſed

(a) *Sed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Uſque in hodiernum diem.*] Niſi enim crediderint, intelligere ſecundum Prophetam omnino non poſſunt.

(b) *Idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non revelatum.*] Cujus figuram ille geſtabat in facie.

(c) *Quod in Chriſto evacuatur.*] Qui finis eſt legis.

(d) *Sed uſque in hodiernum diem cum legitur Moyſes, velamen* &c.] Ignorantiæ, ſuper cor eorum quibus legitur Moyſes, id eſt, Judæorum.

(e) *Cum autem converſus fuerit* &c.] Cum converſus fuerit Judæus, ſicut Moyſes convertebatur ad Dominum audiendum.

(f) *Dominus autem ſpiritus eſt.*] Nihil in illo obſcurum vel velatum.

(g) *Ubi autem ſpiritus Domini: ibi libertas.*] Liber eſt ſpiritus, & idcirco non poteſt velamen accipere, cum magis ipſe omnia revelet: quia qui ſpiritum Dei habet, omnia illi nuda ſunt & aperta: quia ſpiritus omnia ſcrutatur.

(h) *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes.*] Evidenter & clare Domini gloriam contemplamur.

(i) *In eamdem imaginem transformamur.*] Quam Dominus oſtendit in monte, ſicut alibi dicit: Qui transfiguravit corpus humilitatis noſtræ, conforme corpori claritatis ſuæ: Sive transformamur quotidie & nitimur transformari.

(k) *A claritate in claritatem tamquam a Domini ſpiritu.*] Id eſt, ab hac gloria in futuram proficimus, ſpiritu Domini operante.

IN CAPUT IV.

(l) I*Deo habentes hanc adminiſtrationem,* &c.] Quia per nos idonei tanto officio non eramus.

(m) *Non deficimus.*] In omnibus tribulationibus noſtris.

(n) *Sed abdicamus occulta* &c.] Id eſt occulta vitiorum. Dedecus eſt enim delinquere Chriſtianum.

(o) *Non ambulantes in aſtutia.*] Non turpis lucri gratia prædicantes.

(p) *Neque adulterantes verbum Dei.*] Per adulationem excuſando peccata: ut aliqui cauſa lætificandi cor hominis verbo Dei ſermonem vilem admiſcent & per terram repunt.

(q) *Sed in manifeſtatione* &c.] Sed ita manifeſtum eſt apud homines verum eſſe quod dicimus, ut eorum conſcientia teſtimonium perhibeat nobis, qui reſiſtant.

(r) *Coram Deo.*] Non hominibus, id non propter ipſos eis non commendamus.

(ſ) *Quod ſi etiam opertum eſt Evangelium noſt.* &c.] Quaſi aliquis illi objeciſſet, quod hanc non omnes intelligant veritatem, ſed non credentes, inquit, vel ſubdoli non fideles: etiam plurimi Judæorum ignorabant.

(t) *In quibus Deus hujus ſeculi* &c.] Deus ſeculi poteſt ita accipi quomodo princeps mundi, quia ipſe ſibi in infidelibus vindicat principatum: ſed propter calumniam hæreticorum ita intelligendum eſt, ut dicamus Deum mentes infidelium hujus ſeculi merito infidelitatis excæcaſſe: ſicut ait Salvator: *In judicium veni in* Joan. 9. *hunc mundum, ut qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant.* Et ipſe Apoſtolus alibi ait: *Quia non* Theſſ. 2. *crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati: miſit illis Deus ſpiritum erroris:* hoc eſt, dari permittit, quia credere noluerunt: quaſi ſi medicus inobedientem ægrum deſerat, ipſe ægritudinem dicitur prolongaſſe cum tota illius culpa ſit, quia audire contempſit. Tamen ſi rurſus roget & obtemperet, poteſt recipere ſanitatem.

(u) *Qui eſt imago Dei.*] Imago expreſſa ſubſtantiæ Dei, ſicut ſcriptum eſt ad Hebræos.

(w) *Non enim noſmetipſos* &c.] Qui enim commoda propria quærit, non Chriſtum, ſed ſemetipſum prædicat, ſicut qui ſuo ventri ſerviunt.

(x) *Nos autem ſervos veſtros per Jeſum.*] Quia veſtræ utilitati omnia procuramus, exemplo Chriſti qui formam ſervi accepit, non gloriæ nec avaritiæ cauſa docemus.

(y) *Quoniam Deus* &c.] Hoc contra omnes inimicos veteris Teſtamenti: quia a Patre Chriſti eſt datum.

(z) *Ipſe illuxit in cor.* &c.] Illuxit primus in cordibus noſtris per Jeſum Chriſtum, ut nos alios illuminare poſſimus.

(a) *In facie Chriſti* &c.] Quæ claritas eſt in facie Chriſti major quam Moyſi? vel in perſona Chriſti nos homines ſcientia illuminamus.

(b) *Habemus autem.*] Hic incipit oſtendere quare tanta & talia patiantur: quia de hoc illis pſeudoapoſtoli detrahebant.

(c) *Theſaurum* &c.] Theſaurum gratiæ ſpiritualis in fragili corpore bajulamus, in quo etiam cum alios ſanemus, ipſi aliquoties infirmamur, ut quod facimus, non noſtræ virtutis, ſed Dei eſſe noſcatur.

(d) *In omnibus* &c.] Perſecutionem quidem patimur, ſed per ſolatium futuræ ſpei, non anguſtiamur, ſed amplius delectamur.

(e) *Aporiamur: ſed non deſtitui.* &c.] Et cæde & opprobriis, ſed divino non deſolamur auxilio.

(a) *Di-*

ſed non deſtituimur. Perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur. Humiliamur: ſed non confundimur. [a] Dejicimur: ſed non perimus. [b] Semper mortificationem Jeſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes: ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris. [c] Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jeſum: [d] ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali. [e] Ergo mors in nobis operatur: vita autem in vobis. [f] Habentes autem eumdem ſpiritum fidei: ſicut ſcriptum eſt: [g] Credidi propter quod locutus ſum: & nos credimus propter quod & loquimur: [h] ſcientes quoniam qui ſuſcitavit Jeſum & [i] nos cum Jeſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum. [k] Omnia enim propter vos: ut gratia [l] abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei. [m] Propter quod non deficimus. [n] Sed licet is qui foris eſt noſter homo corrumpatur; tamen is qui intus eſt, renovatur de die in diem. [o] Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, [p] ſupra modum in ſublimitate [q] æternum gloriæ pondus operatur in nobis: [r] non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.

CAPUT V.

[ſ] SCimus enim quoniam, ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur: quod ædificationem ex Deo habemus [t] domum non manufactam ſed æternam in cœlis. [u] Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram quæ de cœlo eſt ſuperindui cupientes: [w] ſi tamen veſtiti & non nudi inveniamur. [x] Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati: eo quod nolumus exſpoliari, ſed ſuperveſtiri: [y] ut abſorbeatur quod mortale eſt a vita. [z] Qui autem efficit nos in hoc ipſum Deus, [a] qui dedit nobis pignus ſpiritûs.

(a) *Dejicimur: ſed non perimus.*] Uſque ad deſperationem vitæ venimus, ſed non morimur: ſed & ſi morimur, non perimus.

(b) *Semper mort.* &c.] Per tribulationem ſicut alibi
1. Cor. 15. ait: Quotidie morimur per veſtram gloriam: ergo ſi commorimur, inquit, & convivemus. Illi autem qui nolunt commori, nec convivent.

(c) *Semper enim nos qui vivi.* &c.] Quamdiu ſumus in corpore.

(d) *Propter Jeſum:* &c.] Non propter opera mala, ſed propter corpus ejus, id eſt, Eccleſiam, patimur, quod paſſus eſt ille pro nobis ut vita ejus, hoc eſt, æterna manifeſtetur in carne noſtra mortali, ut poſſit
1. Joan. 3. fieri immortalis. Nondum enim apparuit in nobis quod erimus.

(c) *Ergo mors in* &c.] Numquid in nobis ſemper erit mors & in vobis vita & futura & præſens?

(f) *Habentes autem* &c.] Increpat eos, qui falſia Apoſtoli crediderunt: idcirco Paulum paſſionibus ſubjacere, quia fidei minoris ſit. Si ergo per fidem tribulari non poſſit, e contrario oſtendit ſe propter fidem talia ſuſtinere: illos vero cauſas odii non habere, per adulationem atque diſſidium. Unde ad Galatas ait: Qui volunt
Gal. 6. in carne placere tantum, ut crucis Chriſti perſecutionem minime patiantur.

(g) *Credidi propter* &c.] Hoc teſtimonio credere ſe probat. Si enim ille ideo quia credidit loquebatur: nemo enim ſanæ mentis alteri affirmat quod ipſe non credit: ergo & nos qui loquimur, inquit, credimus: qui etiam propterea tribulamur.

(h) *Scientes quoniam* &c.] Firmiter tenentes hanc fidem, a qua nec morte divellimur.

(i) *Et nos cum* &c.] Sicut illum ſuſcitavit, & nos, ſi pro eo morimur.

(k) *Omnia propter vos.*] Omnia ideo patimur quia fideliter veſtram ſalutem quærimus & optamus.

(l) *Ut gratia abundans per multos in gratiarum actione* &c.] Hunc ſenſum habet: ut per multitudinem credentium, propter gratiam abundantem, & actio abundet in gloriam Dei.

(m) *Propter quod* &c.] Propter vos & propter gloriam Dei, in omnibus tribulationibus & opprobriis non ceſſamus.

(n) *Sed licet is qui foris eſt, noſter homo corrumpatur.*] Licet corpus paſſionum injuriis corrumpatur, anima tamen ſpe futurorum quotidie confirmatur ad omnia ſuſtinenda.

(o) *Nam id quod præſens* &c.] Præſens tribulatio quantolibet tempore perſeverans, ad comparationem immenſæ gloriæ æternæ brevia & facilis eſt: ſicut ad Romanos ait: *Exiſtimo enim quod non ſunt condignæ* Rom. 8.
paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam.

(p) *Supra modum in* &c.] Quia nulla comparatio poteſt eſſe.

(q) *Aeternum gloriæ pondus* &c.] Quia illud leve dixerat, ideo poſuit hic pondus, ſervans metaphoram ſlateræ: vel quod tribulationum pondus quæ ſupra modum ſunt in præſenti, ſublimitatem gloriæ æternæ perficiant.

(r) *Non contemplantibus vobis* &c.] De viſibilibus nec bonis movemur, nec malis, quia utraque finiuntur.

IN CAPUT V.

(ſ) S*Cimus enim quoniam ſi terreſtris* &c.] Quaſi aliquis ei dixiſſet, quando iſtud erit cum ſciam me eſſe mortalem: ideo reſurrectionem gloriæ induxit. Domus noſtra, inquit, terrenum corpus, in quo in hoc ſeculo adhuc corporaliter habitamus, ſi ante adventum Domini vel paſſionibus vel conditione naturæ fuerit diſſolutum, cœleſtem incorruptionem ex Deo corpore reviviſcente ſumemus.

(t) *Domum* &c.] Quia animale corpus, quod Dei quodammodo manu dicitur eſſe plaſmatum, hoc ipſum ſpirituale fiet, per ſpiritum.

(u) *Nam & in* &c.] Gemitus hic pro labore accipitur: quia cum gemitu laboratur, ſicut & partus pro labore ponitur. Ad hoc ergo laboramus ut illa ſuperindui mereamur.

(w) *Si tamen* &c.] A fide vel opere pietatis.

(x) *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo* &c.] Nam qui vivi invenientur, hoc laborabunt ut non exſpolientur ab igne cum peccatoribus, cum omnia cœperint elementa conſumi: ſed ut cum juſtis immortalitate ſuperindui mereantur.

(y) *Ut abſorbeatur quod mortale eſt a vita.*] Quod abſorbetur non apparet cum ſit, ſicut ferrum ſi mittatur in ignem, manente ejus materia, totum fit ignis. nam & ſplendorem & calorem ipſius ignis aſſumit.

(z) *Qui autem efficit nos in hoc ipſum, Deus.*] Deum hoc dicit facere, ne cui impoſſibile videretur.

(a) *Qui dedit nobis pignus ſpiritus.*] Qui nobis dedit pignus ſpiritûs, ut ſciamus quia templum ſui ſpiritûs perire non patitur.

ritûs. [a] Audentes igitur ſemper & ſcientes, quoniam [b] dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. Audemus autem & bonam voluntatem habemus [c] magis peregrinari à corpore & præſentes eſſe [d] ad Dominum: & [e] ideo contendimus, ſive abſentes, ſive præſentes placere illi. [f] Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti: ut [g] referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. [h] Scientes ergo timorem Domini, hominibus ſuademus: Deo autem manifeſti ſumus. [i] Spero autem & in conſcientiis veſtris manifeſtos nos eſſe. [k] Non iterum commendamus nos vobis, ſed [l] occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis: ut [m] habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde. [n] Sive enim mente excedimus Deo, [o] ſive ſobrii ſumus, vobis. [p] Caritas enim Chriſti urget nos, [q] æſtimantes hoc: quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt. Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: ut & [r] qui vivunt jam non ſibi vivant, ſed [ſ] ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit. [t] Itaque nos ex hoc neminem novimus ſecundum carnem. Et ſi [u] cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus. Si [w] qua ergo in Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia nova. [x] Omnia autem ex Deo

(a) *Audentes igitur* &c.] Ideo hoc audemus petere: quia quamdiu in corpore ſumus in hac vita, incertis jactamur eventibus, finem noſtri exitus neſcientes. Cum autem exceſſerimus è corpore, tunc ſcimus nos Domino propinquare: quoniam adverſis & incertis ſumus ſeculi moleſtiis liberati.

(b) *Quoniam dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur* &c.] Peregrinamor: quia adhuc non ſumus in hæreditate paterna. Ut peregrini ergo non debemus de hujus ſeculi rebus magnopere curare: ſed neceſſariis contenti, deſiderium omne & ſtudium perveniendi ad patriam habeamus: quia fide adhuc ſperamus, & nondum ſpecie poſſidemus. Audemus autem, & conſentimus, & prorſus hoc audenter legimus: ſicut alibi ait: Diſſolvi & cum Chriſto eſſe, multo magis melius. Phil. 1.

(c) *Magis pereg.* &c.] Bene ait, peregrinari à corpore: quia ad id ſumus iterum regreſſuri.

(d) *Et præſentes* &c.] Quamquam creatori ſuo nulla creatura ſit abſena: ſed nos quodammodo tunc illi magis præſentes erimus, ut etiam perfecti, cum à carnis fuerimus fragilitate ſejuncti. Sive quod ſecundum nos Deo præſentes erimus, quia ſecundum illum abſentes eſſe numquam poſſumus.

(e) *Et ideo contendimus ſive ab.* &c.] Jam modo tales eſſe actu conamur, quales futuri ſumus io regno, natura incorruptibili ſine dubio & perfecti. Hoc dicit: quamdiu in mundo poſiti peregrinamur à Domino, converſatione bona id agamus, ut ei in futuro placere poſſimus: non, ut quidam putant, quia poſtea quàm exceſſerimus è corpore, ibi aliquid operantes Deum promereamur.

(f) *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribu.* &c.] Pro magnitudine potentiæ ſedentis, magnitudo tribunalis, & terror judicii æſtimanda ſunt.

(g) *Ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.*] Quia de reſurrectionis tempore fecerat mentionem, vult oſtendere animam omnia per corpus operatam, ſive bonum, ſive malum. *Venite ad me benedicti. Et: Diſcedite à me maledicti.* Matth. 35.

h) *Scientes ergo timorem Domini, hominibus ſuademus* &c.] Scientes quantus metus ſit divini judicii, hominibus ſuademus ut caveant: Deo autem manifeſti ſumus, ſi non & nos formidamus.

(i) *Spero autem & in conſcientiis veſtris manifeſtos nos eſſe.*] Quamvis male vobis ſuggeſtum ſit de nobis: puto tamen quod non recipiat conſcientia veſtra de nobis aliud ſuſpicari, quàm novit: nec poſſit aliis magis fidem accommodare, quàm ſibi.

(k) *Non iterum commendamus nos vobis.*] Quia ſuperius dixerat: incipimus noſmetipſos commendare.

(l) *Sed occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis.*] Contra pſeudoapoſtolos, qui primum per detractionem odium eis volebant inſerere: ut eis fides facilius haberetur.

(m) *Ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde.*] Ut habeatis ad eos qui in carnalibus, & in viſibilibus & non in conſcientiis gloriantur. Quid reſpondere poteſtis contra ea quæ de noſtra obtrectatione confingunt: ut etiam ſui cordis teſtimonio revincatur.

(n) *Sive enim mente excedimus Deo.*] Si, inquit, ſenſu proprio, recta pervertimus in vitia, ipſi à Deo excidimus, atque alienamur ab eo. Si autem integre ſentimus & ſobrii, vobis ſufficit noſtra prædicatio. Dicebant enim de illis, ſi eorum eſſet memoria coram Deo, numquam talia paterentur. Quidam aliter dicunt: Sive in ecſtaſi ſumus Deo, ſive noſtro ſenſu loquimur vobis.

(o) *Sive ſobrii ſumus, vobis.*] Sive abſtinentes, propter vos.

(p) *Caritas enim Chriſti urg.* &c.] Neceſſe eſt nobis vel aliquatenus vicem ejus rependere caritati: id eſt, ut pro ejus corpore patiamur, qui mori pro nobis morte dignatus eſt.

(q) *Aeſtimantes hoc: quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt. Et pro omnibus* &c.] Solus inventus eſt, qui ut immaculata hoſtia pro omnibus, qui erant in peccatis, mortui offerretur

(r) *Ut qui vivunt, jam non ſibi vivant.*] Ei debemus vitam noſtram, qui illam in omnibus ſua morte ſervavit. Si quis ergo ſuam potius quam Dei voluntatem facit: ſibi vivit, non illi. Unde ipſe Dominus ait: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum ſibi &c. Matth. 16.

(ſ) *Sed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.*] Propter calumniam, ſemper mortis reſurrectionem adjungit. De abolitione veterum, & renovatione creaturæ, & reconciliatione noſtra ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

(t) *Itaque nos ex hoc neminem novimus ſecundum carnem.*] Id eſt, carnaliter circumciſum, & carnales cærimonias ſervantem & nullius veterum imitamur exemplum.

(u) *Et ſi cognovimus ſecundum car.* &c.] Cognovimus, inquit, ſecundum carnem Chriſtum: quando maledictum factus, patibulum crucis pro noſtra ſalute ſuſcepit. Nunc autem non ita cognoſcimus: non enim eſt jam paſſurus pro nobis, qui ſemel pro omnibus & mortuus eſt, & reſurrexit. Aliter: Et ſi cognovimus Chriſtum, cum adhuc eſſemus ſecundum carnem: ſed nunc jam non novimus. Quia eis exempla veterum proponebat: ait Chriſtum carnaliter circumciſum cum Judæis omnia celebraſſe. Sed nunc jam iſta non novimus: quia poſt reſurrectionem ejus, novum eſt Teſtamentum. Aliter: Qui infirmi ſunt, carnaliter credunt Chriſto: perfecti vero intelligunt jam poſt reſurrectionem nihil imbecillitatis in eo eſſe carnalis.

(w) *Si qua ergo in Chriſto nova* &c.] Si quis credit in Chriſto, nova eſt creatura: intelligens vetera, ſuo tempore fuiſſe disjuncta, & amodo novo more vivendum.

(x) *Omnia autem ex Deo.*] Quia etiam præcepta innovata ſunt, tamen & nova vetera ab uno Deo pro diverſitate temporum ſunt diſpenſata.

(a) Qui

ex Deo qui [a] nos reconciliavit ſibi [b] per Chriſtum & dedit [c] nobis miniſterium reconciliationis. [d] Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi: [e] non reputans illis delicta ipſorum: & poſuit in [f] nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tamquam [g] Deo exhortante per nos. [h] Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. [i] Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit: ut [k] nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.

CAPUT. VI.

[l] ADjuvantes autem exhortamur: ne [m] in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: [n] Tempore accepto exaudivi te: & in die ſalutis adjuvi te. [o] Ecce nunc tempus acceptabile: ecce [p] nunc dies ſalutis. [q] Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum: ſed in [r] omnibus [ſ] exhibeamus noſmetipſos, [t] ſicut Dei miniſtros. In [u] multa patientia, in tribulationibus, in [w] neceſſitatibus, in [x] anguſtiis, in [y] plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in [z] vigiliis, in [a] jejuniis. In [b] caſtitate, in [c] ſcientia, in [d] longanimitate, in [e] ſuavitate, in ſpiritu [f] ſancto, in [g] caritate non ficta, in [h] verbo veritatis, in [i] virtute Dei. Per arma [k] juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, [l] per gloriam & igno-

(a) *Qui nos reconciliavit ſibi.*] Quia peccando fueramus ab eo averſi.

(b) *Per Chriſtum.*] Per Chriſti doctrinam, pariter & exemplum.

(c) *Et dedit nob.* &c.] Ut & nos alios reconciliare poſſimus.

(d) *Quoniam quidem* &c.] Tribus modis ineſſe Deum legimus: Secundum infinitatem omni creaturæ: ſicut ipſe dicit per Prophetam: Nonoe cœlum & terram ego impleo? Secundum ſanctificationem &
Levit. 26. peculiarem inhabitationem in Sanctis: juxta illud: *Et inhabitabo in illis.* Secundum plenitudinem divinitatis
Col. 2. in Chriſto: dicente alibi Apoſtolo: *Quia in ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, mundum reconcilians ſibi.

(e) *Non reputans illis delicta ipſorum.*] Hoc eſt, per ſolam fidem cogooſcens.

(f) *Et poſuit in nobis verbum recon.* &c.] Ut pro Chriſto nos reconciliemus homines Deo, cujus Chriſti vice, legati ſumus Dei.

(g) *Tamquam Deo exhortante per nos.*] Id eſt, non ex nobis loquimur, ſed ex Deo.

(h) *Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.*] Quod dicit, hoc eſt, non inquit, nos pro Chriſto deprecamur, ſed propter id quod pro nobis paſſus eſt: ut credentes in ipſum, recoociliemini Deo: hoc eſt, vice Chriſti.

(i) *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.*] Secundum illud: Chriſtus qui abſque peccato erat, pro nobis dicitur factus peccatum: quia pro peccatis noſtris mortuus eſt. Pater pro oobis Chriſtum, qui peccatum neſciebat, peccatum fecit; hoc eſt, ſicut hoſtia pro peccato oblata, peccatum voca-
Levi. 1. & 3. batur io lege: ut in Levitico ſcriptum eſt: *Et imponet manum ſuper caput peccati ſui*: ita & Chriſtus pro peccatis noſtris oblatus, peccati nomen accepit.

(k) *Ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.*] Noo noſtra, nec oobis.

IN CAPUT VI.

(l) A*Djuvantes autem* &c.] Verbo vos adjuvantes.

(m *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*] In vacuum gratiam Dei recipit, qui io novo Teſtamento ooo novus eſt, hoc eſt, nihil in illo proficit.

(o) *Ait enim: Tempore accepto* &c.] Acceptum tempus ad exaudiendum & ad ſalutem miſerandum in hac
Joan. 12. vita præſenti eſt: ſicut ait Salvator: *Ambulate dum lucem habetis: ne vos tenebræ comprehendant.*

(o) *Ecce nunc tempus acceptabile.*] Sicut alibi: *Dum tempus habemus*, ait, *operemur quod bonum eſt.* Dies autem ideo dicitur hæc vita: quia ad operandum eſt apta, & coocluditur nocte judicii: quæ dies tenebræ erunt peccatoribus, non lux in qoa jam nemo poterit operari Aeſtati quoque aſſimilatur hoc tempus: in cujus comparatione, formica dicitur hyemem ſperare venturam.

(p) *Ecce nunc dies ſalutis.*] Modo ſolam poſſumus invenire ſalutem: quia juxta Prophetæ teſtimonium, in inferno nemo confitebitur.

(q) *Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur* &c.] Nemo à noſtro offendatur exemplo: ne noo tam ooſtrum vitium putetur eſſe, quam legis

(r) *Sed in omnibus.*] Non in aliquaotis.

(ſ) *Exhibeamus noſmetipſos.*] Omnes autem hujus cauſæ in noſtra ſunt poteſtate.

(t) *Sicut Dei miniſtros.*] Dei miniſtri, Deum debent, prout poſſibile eſt, imitari, ut ex actu cognoſcantur Dei eſſe cultores. Unde alibi ait: *Portate Deum* 1 Cor. 6.
in corpore veſtro: ſicut ille ſe ab omnibus patitur blaſphemari: & tameo in præſenti vita ingratis etiam ſua beneficia noo denegat.

(u) *In multa patientia, in tribulationibus.*] Omnis læſio, tribulatio eſt.

(w) *In neceſſitatibus.*] Omne quod neceſſe eſſe, feramus ut neceſſe eſt.

(x) *In anguſtiis.*] Anguſtia eſt omnis egeotia.

(y) *In plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus.*] Maouum, vel diſcurſuum.

(z) *In vigiliis.*] Non minus mentis, quàm corporis.

(a) *In jejuniis.*] Notandum jejunia tum virtutibus numerari.

(b) *In caſtitate.*] Illa eſt vera caſtitas, quæ oec mente polluitur.

(c) *In ſcientia.*] Notaodum quod ſcientia ſit inter ſpecies virtutum.

(d) *In longanimitate*] Id eſt, ſuſtioentia longa.

(e) *In ſuavitate.*] Ut oulli verbis noſtris amaritudioem generemus: & dicatur de nobis: Fauces ejus dulcedines, & totum deſiderium.

(f) *In Spiritu Sancto.*] Dum dignum ei nos habitaculum præparamus.

(g) *In caritate non ficta.*] Omnia quæ nobis volumus facere, aliis faciamus: ut ooo diligamus verbo, ſed opere & veritate.

(h) *In verbo veritatis.*] Id eſt, in verbo Chriſti: ſi apte proferatur & vere, ne fiat de veritate mendacium.

(i) *In virtute Dei* &c.] In virtute Dei, ſive legis, contra Diabolum dimicemus.

(k) *A dextris & à ſiniſtris.*] Nec proſperis elevemur, nec frangamur adverſis.

(l) *Per gloriam & ignobilitatem.*] Gloriam virtutum, & ignobilitatem carceria.

& ignobilitatem, [a] per infamiam & bonam famam. Ut ſeductores & veraces, [b] ſicut qui ignoti & cogniti: quaſi [c] morientes, & ecce vivimus: ut [d] caſtigati & non mortificati. [e] Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes. [f] Sicut egentes, multos autem locupletantes. [g] Tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Os [h] noſtrum patet ad vos, ô Corinthii: cor noſtrum dilatatum eſt. [i] Non anguſtiamini in nobis: anguſtiamini autem in viſceribus veſtris. [k] Eamdem autem habentes remunerationem: [l] tamquam filiis dico, dilatamini & vos. [m] Nolite jugum ducere cum infidelibus. [n] Quæ enim participatio juſtitiæ, cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? [o] Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? [p] Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus. [q] Quoniam inhabitabo in illis, & [r] inambulabo inter eos, & [ſ] ero illorum Deus, & ipſi [t] erunt mihi populus. [u] Propter quod exite de medio eorum: & ſeparamini, dicit Dominus, & [w] immundum ne tetigeritis: & [x] ego recipiam vos, & [y] ero vobis in patrem: & vos eritis mihi in filios, & filias: dicit [z] Dominus omnipotens.

C A-

(a) *Per infamiam & bonam famam. Ut ſeductores & veraces.*] Ab aliis ut veraces laudamur: ut ſeductores ab aliis infamamur: ſicut & ipſe Salvator appellatus eſt à Judæis ſeductor: quæ omnia æqualiter ferimus, ne extollant nos laudantes, nec dejiciant detrahentes: quia neceſſe eſt utramque partem aliquando mentiri. Unde ad conſcientiam redeuntes, non debemus aliis magis fidem accommodare quam nobis.

(b) *Sicut qui ignoti & cogniti.*] Ignoti perfidis & ingratis, & cogniti à fidelibus & juſtis.

(c) *Quaſi morientes & ecce vivimus.*] Hoc eſt, uſque ad mortem pervenientes: ſicut quando lapidatus eſt, & mortuus æſtimatus ſurgens docebat in Lyſtris.

(d) *Ut caſtigati & non &c.*] Caſtigans caſtigavit me me Dominus, & morti non tradidit me.

(e) *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes.*] Triſtes ſeveritate vultus: corde vero etiam in tribulatione gaudentes.

(f) *Sicut egentes, multos autem locupletantes.*] In hoc ipſo quo nobis egemus, aliis abundamus: dum per nos eleemoſynæ fiunt: ſive terrenis egentes, alios bonis cœleſtibus facimus locupletes. Simul attendendum, quomodo omnia quaſi pati ſe dicit: non tamen pati, ut oſtendat iſta eſſe, quaſi imagines paſſionum, ad comparationem præmii ſempiterni.

(g) *Tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.*] Sicut ait Salomon, ejus qui fidelis eſt totus mundus divitiarum. Nam excepto quod omnia noſtra Dei ſunt: nemo plus habet, quam qui nullius indiget: Ille vero nihil eget, qui præter neceſſaria nihil requirit. De ſeparatione fidelium ab infidelibus: & quod omnes ſancti templum ſint Dei.

(h) *Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthii &c.*] Ita ſumus veſtro profectu provocati, ut tacere penitus non poſſimus. Profectus enim diſcipuli, aperit os magiſtri. Et cor dilatat atque amplificat, id eſt, facit ſenſibus abundare. Sicut de Salomone ſcriptum eſt: *Quia dedit illi Deus latitudinem cordis, ſicut arenam maris.*

(i) *Non anguſtiamini in nobis &c.*] Non ex nobis ſermonis anguſtia: ſed quia validiorem vos non poteſtis audire doctrinam: ideo ex vobis cauſa procedit anguſtiæ.

(k) *Eamdem autem habentes remunerationem.*] Si eundem ſuſtinueritis laborem. Aut certe ſi tantum, quantum dicere poſſumus, capiatis.

(l) *Tamquam filiis dico, dilatamini & vos.*] Quaſi filii meo exemplo dilatamini: ut majora recipiatis. Sive ſacerdotes in doctrina exemplo ſuo præcipit dilatari.

(m) *Nolite jugum ducere cum infidelibus.*] Nolite illis conjungi, vel æquari: quia jugum ſimul non trahunt, niſi pares, id eſt, nolite pſeudoapoſtolis ſociari, vel his qui in idolio recumbebant.

(n) *Quæ enim participatio juſtitiæ &c.*] Nulla, ſicut nec cum tenebris luci. Simul oſtendit neminem poſſe eſſe juſtum & injuſtum: valde contraria exempla proponens.

(o) *Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?*] Penitus illi non poteſt convenire. In Belial autem Diabolum, ſive Antichriſtum in vocabulo idoli nominavit.

(p) *Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? vos enim &c.*] Idola ipſos homines dicit, qui idola colunt: quia templa ſunt Dæmonum: ſicut juſti templum Dei ſunt.

(q) *Sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis.*] Cum ubique ſit Deus: tamen in illis proprie habitare ſe dicit, qui ejus gratia perfruuntur: & qui mundum ei præparant ſui cordis hoſpitium.

(r) *Et inter eos ambulabo.*] Omnes eorum ſenſus obtinebo, vel percurram.

(ſ) *Et ero illorum Deus.*] Deus enim natura omnium eſt, voluntate paucorum, non enim eſt Deus mortuorum, ſed vivorum.

(t) *Et ipſi erunt mihi populus.*] Qui voluntate ſervi ſunt, non natura tantum.

(u) *Propter quod exite de medio eorum: & ſeparamini, dicit Dominus.*] Actu vel converſatione vel familiaritate, non loco.

(w) *Et immundum non tetigeritis.*] Omnis qui peccat, immundus eſt: immundus enim apud Deum omnis iniquus.

(x) *Et ego recipiam vos.*] Si vos illi ejecerint.

(y) *Et ero vobis in Patrem & vos eritis mihi in filios & filias.*] Si vos parentes abdicaverint infideles, me patrem habebitis ſempiternum.

(z) *Dicit Dominus omnipotens.*] Addidit omnipotens, ne cui impoſſibile videretur.

IN CA-

CAPUT VII.

[a] HAs ergo habentes promiſſiones, cariſſimi: [b] mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, [c] perficientes ſanctificationem in [d] timore Dei. [e] Capite nos. Neminem læſimus: [f] neminem corrupimus: [g] neminem circumvenimus. [h] Non ad condemnationem veſtram dico. Prædiximus enim quod in cordibus noſtris eſtis ad commoriendum & ad convivendum. [i] Multa mihi fiducia eſt apud vos: [k] multa mihi gloriatio pro vobis. [l] Repletus ſum conſolatione: [m] ſuperabundo gaudio: in omni tribulatione veſtra. [n] Nam & cum veniſſemus in Macedoniam: nullam requiem habuit caro noſtra: ſed [o] omnem tribulationem paſſi ſumus. [p] Foris pugnæ: intus timores. [q] Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus, in [r] adventu Titi. Non ſolum autem in adventu ejus, ſed etiam in conſolatione, in [ſ] qua conſolatus eſt in vobis, [t] referens nobis deſiderium veſtrum: veſtrum fletum: [u] veſtram æmulationem pro me [w] ita ut magis gauderem. [x] Quoniam & ſi contriſtavi vos in epiſtola, non me pœnitet. Et ſi pœniteret, videns quod epiſtola illa, etſi ad horam vos contriſtavit: nunc gaudeo: non quia contriſtati eſtis: ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. [y] Contriſtati enim eſtis ſecundum Deum: [z] ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. [a] Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt: pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: [b] ſeculi autem triſtitia, mortem operatur. [c] Ecce enim hoc ipſum ſecundum Deum contriſtari vos: quantam in vobis operatur ſollicitudinem? ſed [d] defenſionem, [e] ſed indignationem, ſed [f] timorem, ſed [g] deſiderium, ſed [h] æmulationem, ſed

IN CAPUT VII.

(a) H*As ergo habentes promiſſiones, cariſſimi.*] Tantas & tales promiſſiones habentibus, quanto ſtudio mundanda eſt domus talem hoſpitem receptura: & Dei filii quomodo debent patrem in omnibus juſtitiæ operibus imitari?

(b) *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.*] Inquinamentum carnis eſt, quod per carnem admittitur, ſpiritus vero, quod ſola cogitatione peccatur.

(c) *Perficientes ſanctificationem.*] Tunc erit perfecta ſanctificatio, ſi utraque munda ſerventur.

(d) *In timore Dei.*] Non in laude hominum, vel timore.

(e) *Capite nos. Neminem læſimus.*] Accipite quod dicimus, ſive quod vivimus, ut exemplum noſtrum teneatis.

(f) *Neminem corrupimus.*] Mala doctrina.

(g) *Neminem circumvenimus.*] Ut ejus aliquid tolleremus.

(h) *Non ad condemnationem veſtram dico. Prædiximus enim quod* &c.] Non me excuſando, vos tales expono: non enim poſſum de vobis hoc ſentire quos diligo, ut ſuperius commemoravi.

(i) *Multa mihi fiducia eſt* &c.] Multam mihi fiduciam dediſtis loquendi: quia in omnibus obediſtis, ſive quia multum me à vobis diligi non ignoro.

(k) *Multa mihi gloriatio pro vobis.*] Apud alias Eccleſias, de veſtra emendatione mihi applaudo.

(l) *Repletus ſum conſolatione.*] Poſt multam triſtitiam. Sive ſermo mihi ſuppeditat conſolationem, veſtro provocatus exemplo & profectu.

(m) *Superabundo gaudio: in omni tribulatione veſtra.*] In omni tribulatione veſtra tantum gaudeo, ut obliviſcar omnium preſſurarum.

(o) *Nam & cum veniſſemus in Macedoniam: nullam* &c.] Oſtendere illis vult quantam preſſuram magnitudo gaudii ſuperarit.

(o) *Sed omnem tribulationem paſſi ſumus.*] Nullum genus tribulationis experti non ſumus.

(p) *Foris pugnæ: intus timores.*] Pugnæ contra infideles, & timor de fratribus falſis: ſive timebamus ne ſcandalizarentur infirmi.

(q) *Sed qui conſolatur humiles* &c.] Hoc eſt, humiliatos paſſionibus & afflictos.

(r) *In adventu Titi. Non ſolum autem in adventu ejus* &c.] Non ſolum quia deſideratus advenit, ſed etiam quia illa nuncisvit: propter quæ ejus maxime exſpectabamus adventum.

(ſ) *In qua conſolatus* &c.] Poſt luctum quem pro vobis nobiſcum habebat.

(t) *Referens nobis* &c.] Pro noſtra contriſtatione, & quorumdam peccatis.

(u) *Veſtram æmulationem pro me.*] Quia vice mea æmulati eſtis Dei æmulatione peccantes, ſive triplex eſt æmulatio, aut imitationis, aut invidiæ, aut de qua agitur in præſenti.

(w) *Ita ut magis gauderem.*] Quia non modo correxiſtis vos, ſed etiam amplius profeciſtis.

(x) *Quoniam & ſi contriſtavi vos in epiſtola, non me pœnitet. Et ſi pœniteret videns quod in epiſtola illa* &c.] Et ſi me pœnituiſſet, eo quod vos durius corripuerim: tamen veſter facit profectus, ut non me pœniteat: quaſi ſi dicat medicus: etiam ſi doluiſſet mihi tam ardenti me uſum eſſe cauterio: ſed nunc gaudeo, non quia doluiſtis, ſed quia dolor ille vobis profuit ad ſalutem.

(y) *Contriſtati enim eſtis ſecundum Deum.*] Non ſecundum ſeculum.

(z) *Ut in nullo detrimentum patiamini ex vobis.*] Aut noſtra negligentia. Aut ut venientes aliquem veſtrûm damnaremus.

(a) *Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt: pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.*] Eſt enim pœnitentia diabolica adverſa ſaluti: ſi quis de bono opere pœniteat. Stabilem operatur, ſtabilem ſalutem ſive permanentem poenitentiam. De propitiatu enim peccatorum, non debemus eſſe ſine metu.

(b) *Seculi autem triſtitia mortem operatur.*] Seculi triſtitia eſt: aut de amiſſis rebus propriis, aut de alienis non invaſis dolere, vel de alterius felicitate torqueri. Secundum Deum vero triſtitia eſt: ſive ſua, ſive aliena lugere commiſſa.

(c) *Ecce enim hoc ipſum ſecundum Deum contriſtari vos: quantam in vobis operatur ſollicitudinem?*] Hoc ipſum quod modo factum eſt, poteſt vos docere: quid ſit inter utramque triſtitiam.

(d) *Sed defenſionem.*] Quidam habent, ſed excuſationem: in Græco autem ἀπολογίαν, id eſt, ſatisfactionem præcepti, ſcilicet, dicit. Quidam dicunt, hoc loco, Sed, præpoſitionem in Latino eſſe ſuperfluam. Apud Græcos vero conſequentiam, ſtructuræ eſſe ſermonis.

(e) *Sed indignationem.*] Contra peccantes, non negligentiam.

(f) *Sed timorem.*] Timorem doni, non ſecuritatem.

(g) *Sed deſiderium.*] Non faſtidium, ſed deſiderium noſtrum.

(h) *Sed æmulationem.*] Contra peccantes: ne ultra peccarent: non remiſſionem.

ſed [a] vindictam. In [b] omnibus exhibuiſtis vos incontaminatos eſſe negotio. [c] Igitur & ſi ſcripſi vobis: non propter eum qui fecit injuriam: nec propter eum qui paſſus eſt: ſed ad [d] manifeſtandam ſollicitudinem noſtram, quam habemus pro vobis coram Deo. [e] Ideo quoque conſolati ſumus. In [f] conſolatione autem noſtra abundantius magis gaviſi ſumus ſuper gaudio Titi: quia refectus eſt ſpiritus ejus ab omnibus vobis. Et ſi [g] quid apud illum de vobis gloriatus ſum, [h] non confuſus ſum: ſed ſicut omnia vobis in veritate locuti ſumus: [i] ita & gloriatio noſtra quæ fuit ad Titum, veritas facta eſt. Et [k] viſcera ejus abundantius in vobis ſunt: reminiſcentis omnium veſtrum obedientiam, [l] quomodo cum timore & tremore excepiſtis illum. [m] Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.

CAPUT VIII.

[n] NOtam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ & [o] quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipſorum fuit, & [p] altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum. [q] Quia ſecundum virtutem teſtimonium illis reddo: & ſupra virtutem voluntarii fuerunt, [r] cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam & communicationem miniſterii quod fit in ſanctos. Et [s] non ſicut ſperavimus: ſed ſemetipſos dederunt primum Domino: deinde nobis: [t] per voluntatem Dei: ita ut [u] rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit: ita & perficiat in vobis etiam gratiam iſtam. [w] Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone & ſcientia: & in omni ſollicitudine, inſuper & caritate veſtra in nos: [x] ut & in hac gratia abundetis. [y] Non quaſi imperans dico: ſed per aliorum ſollicitudinem etiam veſtræ caritatis ingenium bonum comprobans. Scitis [z] enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti: quoniam propter vos egenus factus eſt cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis: & conſilium in hoc

(a) *Sed vindictam.*] Non veniam nocivam: ſed vindictam ſalutarem.

(b) *In omnibus exhibuiſtis vos incontaminatos* &c.] Probaſtis vos immunes à culpa: contaminatus enim auctoritatem non habet vindicandi.

(c) *Igitur & ſi ſcripſi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui paſſus eſt.*] Non propter eum qui patri fecit injuriam tantum, nec propter ipſum ſolummodo patrem ſcripſi. Poteſt & ita dici. Non propter eum qui excommunicavit: neque propter eum qui ejectus eſt ſcripſi: neque enim per me hæc ſola emendata, vel correpta eſt cauſa.

(d) *Sed ad manifeſtandam* &c.] Ne putetis nos aliquid poſſe latere, dum pro vobis ſumus nimia cura ſolliciti.

(e) *Ideo quoque* &c.] Quia vos caſtos probatis eſſe in negotio.

(f) *In conſolatione autem noſtra abundan.* &c.] In hoc autem amplius gratulati ſumus, quod ita à vobis Titi ſpiritus eſt refectus, ut numquam de ejus mente poſſitis recedere. Profectus quippe diſcipulorum, ſpiritualia gaudia ſunt magiſtrorum.

(g) *Et ſi quid apud illum de vobis glor.* &c.] Quaſi peritus medicus agit: qui vulnus jam prope ſanatum, blandis unctionibus fovet, ut facilius cauterii uſtura ſanetur.

(h) *Non ſum confuſus* &c.] Confuſionem non habet gloria de profectu.

(i) *Ita & gloriatio noſtra quæ fuit ad Titum, veritas facta eſt.*] De rebus juſtis, non vanitatis, ſed veritatis eſt gloriatio.

(k) *Et viſcera ejus abund.* &c.] Omnia vos affectuum ejus membra deſiderant: ut oculi præſentiam: aures ſermonem, os colloquium exſpectet.

(l) *Quomodo cum timore* &c.] Obedientiam fidelem deſcripſit: qui enim ex caritate obedit, timet contriſtare quem diligit.

(m) *Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.*] Feciſtis me gaudere: quia de obedientia veſtra numquam potui hæſitare: & de miniſterio in ſanctos.

IN CAPUT VIII.

(n) N*Otam autem facimus vobis, fratres, gratiam* &c.] Cauſam inchoat de collectis, & exemplo Eccleſiarum illarum, eos ad pœnitentiam & eleemoſynam provocat, ut non putarent ſibi grave, quod pauperiores videant jam feciſſe.

(o) *Quod in multo* &c. *gaudii ipſorum fuit.*] Tunc maxime gaudent, quando fuerint tribulati, ſcientes Apoſtolos contumeliam in concilio paſſos pro nomine Chriſti, publica lætitia fuiſſe gaviſos.

(p) *Et altiſſima pau.* &c.] Multum quidem in terrena facultate ſunt pauperes: ſed in magna ſimplicitate ſunt divites, plus cupientes dare quam habent: ac propterea Deus animum magis probat quam quod dextera porrigit: qui enim quantum poteſt facit, totum fecit: ſimiliter dives & pauper, quamvis dives amplius dare videatur.

(q) *Quia ſecundum virtutem* &c.] Verbis præpoſteris hoc dicit. *Teſtimonium illis reddo: quod ſecundum vires facientes, ſupra virtutem voluntarii fuerunt.*

(r) *Cum multa exhortatione* &c.] Multum ſuadentes nos, rogaverunt, ut gratanter quæ offerebant ſuſciperemus in miniſterium ſanctorum.

(ſ) *Et non ſicut ſpe.* &c.] Amplius quam ſperabamus fecerunt: non contenti ſuadere, ſed ſeipſos primo Domino tradiderunt, deinde nobis, hoc eſt, Deus videt voluntatem eorum, non effectum.

(t) *Per voluntatem Dei.*] Non ut nobis placerent ſine Domini voluntate.

(u) *Ita ut rogaremus Titum* &c.] Illorum devotione accenſi ſumus mittere eum ad vos, ut doctrina & diſpoſitione ſua, etiam hoc in vobis perficiat, ne quid minus cæteris habeatis. De collaudatione Corinthiorum & æqualitate, prout quiſque habuit & de miniſterio quod fit in ſanctos agit.

(w) *Sed ſicut in omnibus abundatis fide & ſermone & ſcientia: & in omni ſollicitudine* &c.] Nota cum fide ſcientiam eſſe laudabilem.

(x) *Ut & in hac gratia abundetis.*] Ne cum in aliis vindicatis, in hoc ab aliis ſuperemini.

(y) *Non quaſi imperans dico: ſed* &c.] Non impero, nec exigo: ſed conſilium do: ut ſicut in multis formam aliis præbetis: ita & in iſto opere faciatis. Eſt enim vobis ſic ingenita pietas, ut ab aliis eam diſcere minime egeatis.

(z) *Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti: quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives: ut illius inopia vos divites eſſetis. Et conſilium in hoc do.*

Hoc

in hoc do. Hoc enim vobis utile eſt, [a] qui non ſolum facere: ſed & velle cœpiſtis ab anno priore. [b] Nunc vero & facto perficite: ut quemadmodum promtus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi ex eo quod habetis. [c] Si enim voluntas promta eſt ſecundum id quod habet, accepta eſt, non ſecundum id quod non habet. [d] Non enim ut aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio: ſed ex æqualitate in præſenti tempore, [e] veſtra abundantia, illorum inopiam ſuppleat: ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum ut fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt: [f] Qui multum habuit, non abundavit: & qui modicum, non minoravit. [g] Gratias autem ago Deo qui dedit eandem ſollicitudinem pro vobis in corde Titi: quoniam exhortationem quidem ſuſcepit: ſed cum ſollicitior eſſet, ſua voluntate profectus eſt ad vos. [h] Miſimus autem cum illo fratrem noſtrum, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias. [i] Non ſolum autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ in hanc gratiam quæ miniſtratur a nobis [k] ad Domini gloriam: & deſtinatam voluntatem noſtram. Devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine quæ miniſtratur a nobis in Domini gloriam. [l] Providemus enim bona, non ſolum coram Deo: ſed etiam coram hominibus. [m] Miſimus autem cum illis & fratrem noſtrum, [n] quem probavimus in multis ſæpe ſollicitum eſſe. [o] Nunc autem multo ſollicitiorem confidentia multa in vos: [p] ſive pro Tito qui eſt ſocius meus, & in vobis adjutor: ſive fratres noſtri Apoſtoli Eccleſiarum, gloriæ Chriſti. [q] Oſtenſionem ergo quæ eſt caritatis veſtræ & noſtræ gloriæ pro vobis, in illos oſtendite in faciem Eccleſiarum.

C A-

Hoc enim vobis utile eſt.] Non ignoratis Dei Filium propter vos pauperem factum: qui univerſorum conditor & Dominus: ut ejus exemplo bonis cœleſtibus ditaremini. Si ergo ille propter vos temporalia univerſa contempſit: quanto magis vos dare debetis parva, non veſtra, imo ſua ei reddere: Ipſi enim datur, quicquid ejus corrigitur. Simul & contra Photinum facit: quod prius quam pauper fieret Chriſtus, dives erat, quia habitabat in Patre.

(a) *Qui non ſolum facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore.*] Oſtendit quoſdam poſſe facere non volentes: cum aut importunitas petentis, aut auctoritas præcipientis exigeret.

(b) *Nunc vero & facto perficite: ut quemadmodum promptus &c.*] Quod voluntarie incœpiſtis, implete. Omnis enim boni operis finis eſt expetendus. Quia ſicut factum inviti acceptum non eſt: ita voluntas infructuoſa eſt, habentibus eam ſine facto.

(c) *Si enim voluntas promta eſt ſecundum id quod habet, accepta eſt &c.*] Ne puteris me aliquem ſupra vires cogere, aut tantum in hac cauſa a paupere, quantum a divite expetere. Omnes æqualiter dabunt, ſi unuſquiſque tantum dederit, quantum poteſt, non ſecundum quod non habet. Hoc & Tobias dicebat ad filium: *Prout habueris, fili, fac eleemoſynam.*

Tob. 4.

(d) *Non enim ut aliis ſit remiſſio: vobis autem tribulatio: ſed ex &c.*] Non dico ut vobis nihil ſervetis, ſed quod quidem utriſque ſufficiat.

(e) *Veſtra abundantia, illorum inopiam ſuppleat: ut & illorum abundantia veſtræ &c.*] Date illis carnalia, ut & illi vacantes poſſint vobis reddere ſpiritualia. Iſti enim duo gradus, ſine alterutro eſſe non poſſunt: jam enim ille perfectus non erit de carnalibus cogitando, quamvis miſericors, cum non habet cui dare vel quomodo dare doceatur.

(f) *Qui multum habuit: non abundavit, &c.*] De manna hoc dicitur, quod accepit populus in deſerto, cujus exemplo docemur quod omnis ſuperabundantia generet vermes. Simul & oſtenditur quæ Deus dat, omnibus æqualia eſſe debere. Et propter hujus teſtimonii auctoritatem, vult nobis Apoſtolus præſentia omnia eſſe communia, ut & perfecti doctrinam non abſcondant: & habentes ſubſtantiam mundi, non denegent eis victum. *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo.* Matt. 10.

(g) *Gratias autem ago &c.*] Gratia quidem exhortationis, & voluntate propria feſtinavit, ut mercedem haberet: non invitus quaſi ei ſit credita diſpenſatio.

(h) *Miſimus autem cum illo &c.*] Hoc de Luca intelligitur: quia laudem in Evangelio conſcribendo videtur habere præ cæteris, qui etiam Actus Apoſtolorum præter Evangelia ſcripſit.

(i) *Non ſolum autem, ſed ordinatus eſt &c.*] Teſtimonio Eccleſiarum idoneum eum & probatum fuiſſe, demonſtrat.

(k) *Ad Domini gloriam & deſtinatam voluntatem noſtram.*] Propoſitam ſive paratam. *Devitantes hoc, ne quis nos vituperet &c.*] Ne quis dicat: quomodo Chriſtus legem implevit: cum videamus Chriſtianos, non tantam eleemoſynam facere, quantam fieri in lege præceptum eſt?

(l) *Providemus enim &c.*] Nihil enim propter humanam gloriam facimus: ſed tamen nolumus ut per nos aliquis ſcandalum merito patiatur: ſed ut omnes videntes opera noſtra bona, magnificent Patrem noſtrum.

(m) *Miſimus autem cum illis & fratrem noſtrum.*] Quidam hoc de Apollo aſſerunt dictum.

(o) *Quem probavimus in multis ſæpe ſollicitum eſſe.*] Teſtimonium illi dat ut facilius audiatur.

(o) *Nunc autem ſollicitiorem multo &c.*] Multo nunc ſollicitiorem comprobamus eum propter vos, quia veſtra obedientia provocatur, ſive quia adjuti a Tito, ſive quia per ſeipſum comprobavit.

(p) *Sive pro Tito qui eſt ſocius meus & in vobis adjut. &c.*] Quod dicit, hoc eſt: Tam Titi cauſa qui eorum obedientiam collaudaverat, quam eorum qui ad ipſum fuerant pariter deſtinati, ita ſe exhiberent, ut & caritatis ſinceritatem, & apoſtolicæ præ ipſis gloriæ veritatem, in conſpectu omnium comprobarent.

(q) *Oſtenſionem ergo quæ eſt caritatis veſtræ & noſtræ gloriæ, pro vobis in illos oſtendite in faciem Eccleſiarum.*] Ut videant verum eſſe quod dicitur in omnibus Eccleſiis, de veſtro profectu. Sive aliter: oſtendite caritatem veſtram, de qua coram omnibus Eccleſiis gloriamur.

IN CA-

C A P U T IX.

[a] NAm de miniſterio quod fit in ſanctos, ex abundanti eſt mibi ſeribere vobis. Scio enim promtum animum veſtrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones, [b] quoniam & Achaia parata eſt ab anno præterito: [c] & veſtra æmulatio provocavit plurimos. [d] Miſimus autem fratres, ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte: [e] ut, quemadmodum dixi, parati ſitis: ne cum venerint Macedones mecum & invenerint vos imparatos, erubeſcamus nos, ut non dicamus vos in hac ſubſtantia. [f] Neceſſarium ergo exiſtimavi rogare, fratres: ut præveniant ad vos, & præparent repromiſſam benedictionem banc paratam eſſe: [g] ſic quaſi benedictionem, non quaſi avaritiam. Hoc autem dico: Qui parce ſeminat, parce metet. Et qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo: non ex triſtitia aut ex neceſſitate. [h] Hilarem enim datorem diligit Deus. [i] Potens eſt autem Deus, [k] omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in [l] omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. Sicut ſcriptum eſt: [m] Diſperſit, dedit pauperibus: [n] juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi. [o] Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti: & panem ad manducandum præſtabit. [p] Et multiplicabit ſemen veſtrum: [q] & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ: [r] ut in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem: quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. [ſ] Quoniam miniſterium bujus officii non ſolum ſupplet ea quæ deſunt ſanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, [t] per probationem miniſterii hujus: glorificantes Deum in obedientia confeſſionis veſtræ, in Evangelio Chriſti & [u] ſimplicitate commu-

IN CAPUT IX.

(a) N*Am de miniſterio quod fit in ſanctos, ex abundanti eſt mibi ſcribere vobis. Scio enim* &c.] Mutare videtur ſanctos hic ſeoſum: & ideo quidam dicunt eum ſuperius de laicis dixiſſe: hic vero de ſacerdotibus ſanctis. Alii vero ajunt eum de eleemoſynis huc-uſque tractaſſe: modo autem de mioiſterio verbi commonere, quod ſanctificatis per baptiſmum exhibetur. Hi vero duo ſenſus uſque ad finem cauſæ diligenter utrique ſunt colligendi.

(b) *Quoniam & Achaia parata eſt ab anno præterito.*] Tota proviocia cujus caput eſtis, per nos ad hoc miniſterium provocata eſt.

(c) *Et veſtra æmulatio provocavit plurimos.*] Hic æmulatio pro imitatione ponitur.

(d) *Miſimus autem fratres, ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in parte.*] Superius memoratur: Qui vos commoneant ne aliter inveniant: in parte doctrinæ, ſive miniſterii, quam putabam.

(e) *Ut, quemadmodum dixi, parati ſitis: ne cum venerint* &c.] Si nos erubuerimus falſo gloriantes: quanto magis vos & pro veſtra negligentia, & pro noſtro rubore? Multa enim confuſio eſt: ſi quis pro eo qui eum diligit, erubeſcat.

(f) *Neceſſarium ergo exiſtimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, & præparent repromiſſam benedictionem* &c.] Sive a benedicendo, ſive quia per humanitatem eorum benedictio naſcitur Dei.

(g) *Sic quaſi bened.* &c.] Benedictio erit, ſi grato animo tribuatur.

(h) *Hilarem enim datorem diligit Deus.*] Avarus autem hilariter dare non novit. In ſcientia autem avarus eſt, qui ſenſum non vult implere quem cœpit. Unde Dominus neminem in via ſalutare præcepit, hoc eſt, nulli tranſitorie verbum adnunciare ſalutis. Hoc eſt autem qui parce ſeminat, parce & metet. Contra Jovinianum etiam hic locus facit, ubi meritorum gradus eſſe monſtrantur. Et qui ſeminat io benedictionibus, de benedictionibus & metet. E contrario ergo in maledictione ſeminans, inde & metet, ſicut ſcriptum eſt:
Eccl. 7. *Non ſemina mala in ſulcis injuriæ & non metes ea ſeptuplum.* Unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, id eſt, voluntarius, non coactus, non ex triſtitia aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus, ſecuodum
Eccl. 35. ſapientiam Salomonis. *Et in omni dato, hilarem fac vultum tuum.* Si autem de ſcientia intelligitur, hilarem in labore ſuo vult eſſe doctorem: ſicut de ſe alibi dicit. *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo,* & reliqua.

(i) *Potens eſt autem Deus,*] Sive ne inopiam formidarent, ſive gratuitum donum ſapientiæ.

(k) *Omnem gratiam abundare facere in vobis.*] Gratiam naſcentiæ, quia exinde per opera veſtra, Deo gratiæ referuntur. A fructu enim frumenti, vini & Pſal. 4.
olei ſui multiplicati ſunt.

(l) *Ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes* &c.] Ita ut tam carnalium miſericordiarum quam ſpiritualium, id eſt, doctrinarum opus bonum poſſetis implere, ſicut ſcriptum eſt.

(m) *Diſperſit, dedit pauperibus.*] Sive ſenſu pauperibus, ſive ſubſtantia: ſicut ſuperius ait, illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum.

(o) *Juſtitia ejus manet in æternum.*] Rebus temporalibus, æterna juſtitia comparatur.

(o) *Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti: & panem ad manducandum præſtabit.*] Hoc ait: Quod Deus qui velle eis præſtitit, etiam facere perficiat in vobis. Hoc eſt, Deus qui tibi dedit unde diſpenſes, eſurientem minime patietur. Si autem ad ſemen verbi referas: Qui dedit officium docendi, præſtabit & eſcam tibi: modo ad hoc ſolum vacare velis.

(p) *Et ſemen veſtrum.*] Humilitatis vel ſermonis.

(q) *Et augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ.*] Fruges juſtitiæ, ſunt facultates, cum de eis fit juſtitia. Cum vero aut inique congregantur, aut ad avaritiam, vel ſuperbiam poſſidentur, fruges iniquitatis fiunt. Pretio enim gravans triticum in populo maledicitur: ſive fruges juſtitiæ, ſermones ſunt Dei. *De* Sap. 3.
fructu enim laborum ſuorum ſatiabitur ſapiens.

(r) *Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem: quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.*] Ut ſine diſcretione omnibus ſimpliciter iodigentibus tribuatis. Non quærentes cui, ſed quare detis.

(ſ) *Quoniam miniſterium hujus officii non ſolum* &c.] Duplicem poteſtis habere mercedem, & perfectionem ſanctorum, & gratiarum in Domino actiones. Aliter: Non ſolum docet ſanctos, ſed Domino gratias agit, qui nos tanta ſapientia erudivit.

(t) *Per probationem miniſterii hujus* &c.] Per hoc miniſterium eſſe probamini Chriſtiani, magnificantes Deum per operum confeſſionem, ſicut e contrario alii factis negare dicuntur. Aliter, perfecte docetis & oſtenditis divinum eſſe, in quo Deum per obedientiam magnificatis.

(u) *Et ſimplicitate* &c.] In omnes ſimpliciter tribuentes ſive docentes bona, quæ communicatis potius quam donatis,

communicationis veſtræ in illos, & in omnes, & in ipſorum obſecratione pro vobis, [a] deſiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. [b] Gratias ago Deo ſuper inenarrabili dono ejus.

CAPUT X.

[c] Ipſe autem ego Paulus, obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti: [d] qui in facie quidem humilis ſum inter vos: abſens autem confido in vobis. [e] Rogo autem vos ne præſens audeam [f] per eam confidentiam qua exiſtimor audere in quoſdam, [g] qui arbitrantur nos tamquam ſecundum carnem ambulemus. [h] In carne enim ambulantes, non tamen ſecundum carnem militamus. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, [i] ad deſtructionem munitionum conſilia deſtruentes, [k] & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei: [l] & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti: [m] & in promtu habentes ulciſci omnem inobedientiam: cum impleta fuerit veſtra obedientia. [n] Quæ ſecundum faciem ſunt, videte. [o] Si quis confidit Chriſti ſe eſſe, hoc cogitet iterum apud ſe, quia ſicut & ipſe Chriſti eſt, ita & nos. [p] Nam & ſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra quam dedit nobis Dominus in ædificationem, [q] & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam. [r] Ut autem non exiſtimer tamquam terrere vos per epiſtolas: quoniam quidem epiſtolæ, inquiunt, graves ſunt & fortes, præſentia autem corporis infirma & ſermo contemtibilis: [ſ] hoc cogitet qui ejuſmodi eſt, quia quales ſumus verbo per epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto. [t] Non enim audemus inſerere aut comparare nos quibuſdam, qui ſeipſos commendant: ſed & ipſi in [u] nobis noſmetipſos metientes & comparantes nos metipſos nobis. [x] Nos autem non in immenſum gloriabimur: ſed ſecundum menſuram regulæ qua menſus eſt nobis Deus menſuram pertingendi uſque ad vos. Non enim quaſi non

tis, certi vos cum multiplici ea fœnore recepturos. Hæc omnia operatur adminiſtratio bujus officii, quæ etiam in boc abundat.

(a) *Deſiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis.*] Quis autem non deſideret talem, propter gratiam ſive ſcientiæ ſive miſericordiæ cæteris eminentem?

(b) *Gratias Deo ſuper inenarrabili dono ejus.*] Qui tantam nobis gratiam pietate ſua conferre dignatus eſt. De armis carnalibus & ſpiritualibus, & de Apoſtoli poteſtate, & de his qui ſe ipſos commendare conantur.

IN CAPUT X.

(c) *Ipſe autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem* &c.] Ea vos manſuetudine rogo qua Chriſtus, cum ſe poſſet de injurioſis ulciſci, noluit, ut vel ſero ſe corrigerent.

(d) *Qui in facie quidem humilis ſum inter vos: abſens* &c.] Semper ſanctorum præſentia, per nimiam humilitatem, minus intelligentibus poteſt eſſe contemtui. Abſentes vero ſi neceſſe fuerit, confidenter ſuam indicant poteſtatem. Qui præſentes, ſic ſunt quaſi nihil poſſint babere virtutum, ſi tamen nihil delicti repererint in ſubjectis.

(e) *Rogo autem vos ne* &c.] Ita agite ne mihi neceſſe ſit manifeſtare virtutem.

(f) *Per eam confidentiam qua exiſtimor* &c.] Nam omnis exiſtimatio facta eſt: ſicut eſt. Puto autem quod & ego Spiritum Dei babeam.

(g) *Qui arbitrantur nos tamquam ſec.* &c.] Qui putant nos nihil amplius cæteris hominibus habere virtutis.

(h) *In carne enim ambulantes, non tamen ſecundum carnem militamus* &c.] In corpore videmur incedere, ſed ut Dei miniſtri ſpiritualiter militamus. Arma quippe militiæ noſtræ non ſunt facta de ferro, nec manu hominis fabricata ſunt, ſed potentia Dei: qua plus vel verbo agas, quam alii homines carnalibus armis.

(i) *Ad deſtructionem munitionum conſilia deſtruentes.*] Muniunt enim & circuodant doctrinam ſuam falſi doctores aſtutiæ argumentis: quas aereas poteſtates Apoſtolus deſtruit virtute gratiæ ſpiritualis: ſicut

Act. 13. illum Magum vias Domini per verſis diſputationibus ſubvertentem, Paulus verbo cæcavit. Item cogitationes adverſarias, quæ adverſus Chriſtum ſuggeruntur, deſtruendas dicit.

(k) *Et omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei.*] Quid tam ſuperbum, quam divinis contraire doctrinis?

(l) *Et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.*] Illos deſtruimus qui, ſub nomine obſequii Chriſti, omnem intellectum ſententiæ cupiunt captivare.

(m) *Et in promtu habentes ulciſci omnem inobedientiam* &c.] Parati ad ulciſcendum omnem inobedientiam cum impleta fuerit obedientia. Hoc dicit Apoſtolus, modo paratum ſe eſſe ulciſci omnem inobedientiam cum ea quæ præcipiuntur impleverint. Item cum jam veſtra per nos obedientia fuerit impleta, illi non audiantur poteſtatem ſe vindicandi accepiſſe a Domino, quia mentiuntur.

(n) *Quæ ſecundum faciem ſunt, videte.*] Hoc eſt, ab illis qui in facie gloriantur, cavete. Tam manifeſta eſt rei probatio ut facillima ſit intellectu. Sive ab his hypocritis vobis cavete, qui in præſentia gloriantur.

(o) *Si quis confidit Chriſti eſſe* &c.] Nemo tam ſtultus eſt, quam qui ſe ſolum Chriſti eſſe gloriatur.

(p) *Nam & ſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra* &c.] Nam & ſi me magis poteſtatem a Chriſto accepiſſe dixero quam cæteros ut Apoſtolus, non erubeſcam, quia verum dico, & non gloriæ ſed ædificationis cauſa compulſus hæc facio.

(q) *Et non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam.*] Unam illi & uſurpatam & in deſtructionem exercere cupiunt poteſtatem.

(r) *Ut non exiſtimer quaſi terrere vos per epiſtolas* &c.] Hoc ideo dico, ne quis me putet illa comminari quæ implere non poſſum, ut de me jactant deceptores.

(ſ) *Hoc cogitet qui ejuſmodi eſt* &c.] Qui putat hoc, ſciat omnia me poſſe facere, ſi neceſſe ſit, quæ promitto. Nam obedientibus per humilitatem infirmus, & peccantibus per ſeveritatem fortis exſiſto.

(t) *Non enim audemus inſerere* &c.] Id eſt, non debemus ita Deum contemnere ut coæquemur aliquibus, qui ſuis laudibus malunt quam Dei gratia commendari: nec de nobis poſſumus majora jactare quam ſumus.

(u) *Sed & ipſi in nobis* &c.] Non excedimus menſuræ noſtræ terminos.

(w) *Et comparantes noſmetipſos nobis.*] Non minoribus: ſicut cum illi nihil ſint, Apoſtolus ſe non modo æquales faciunt, ſed etiam anteponunt.

(x) *Nos autem non in immenſum* &c.] Nibil ſupra men-

non pertingentes, ad vos ſuperextendimus nos. [a] Uſque ad vos enim pervenimus in Evangelio Chriſti, [b] non in immenſum gloriantes in alienis laboribus. [c] Spem autem habentes creſcentis fidei veſtræ in vobis magnificari ſecundum regulam noſtram in [d] abundantia: etiam in illa quæ ultra vos ſunt evangelizare, [e] non in aliena regula in his quæ præparata ſunt gloriari. [f] Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. [g] Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat.

CAPUT XI.

[h] UTinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ: ſed & ſupportate me. [i] Aemulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto. [k] Timeo autem ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, [l] & excidant a ſimplicitate [m] quæ eſt in Chriſto Jeſu. [n] Nam ſi is qui venit, alium Chriſtum prædicat quem non prædicavimus: aut alium Spiritum accipitis quem non accepiſtis: aut aliud Evangelium quod non recepiſtis, recte pateremini. [o] Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe a [p] magnis Apoſtolis. [q] Nam & ſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia. [r] In omnibus autem manifeſtus ſum vobis. [ſ] Aut numquid peccatum feci meipſum humilians ut vos exaltemini? [t] Quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis: [u] alias Eccleſias exſpoliavi, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum. Et [w] cum eſſem apud vos & egerem, nulli oneroſus fui. [x] Nam quod mihi deerat, ſuppleverunt fratres qui venerunt de Macedonia, [y] & in omnibus ſine onete me vobis ſervavi & ſervabo. [z] Eſt veritas Chriſti in me, [a] quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ. [b] Quare? Quia non diligo vos. Deus ſcit. [c] Quod autem facio & faciam,

menſuram humanam facimus, ſed in Apoſtolatus gratia, quantum nobis Dominus donare dignatus eſt, per quam vobis Corinthii prædicamus, nec enim hoc uſurpatione fecimua, ſed præcepto.

(a) *Uſque ad vos enim pervenimus in Evangelio Chriſti.*] Non noſtro, ut illi qui prædicando ſe, ſuum Evangelium faciunt.

(b) *Non in immenſ.* &c.] Immenſum eſt in alienis laboribus gloriari. Illi autem ſemper ad fidelea ibant, quia ſigna minime quærebant.

(c) *Spem autem habentes.* &c.] Qui non munera a vobis, ſed mercedem a Deo veſtræ fidei exſpectamus.

(d) *In abundantia illa quæ ultra vos ſunt, Evang.*] Id eſt, non enim uſque ad vos ſufficit pervenire: ſed cum veſtra fides creverit, alio tranſiemus.

(e) *Non in aliena regula* &c.] Sicut illi de præparatis jam ab aliis impudenter gloriantur.

(f) *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.*] Jam gloriari in Domino exhortatur, cujus virtutes in eo operatæ ſunt.

(g) *Non enim* &c.] Seipſum commendat qui ipſe laudat ſe: illum vero Dominus commendat, qui ſignorum virtutibus commendatur.

IN CAPUT XI.

(h) U*Tinam ſuſtineretis* &c.] Suſtinete me, qui multum ſuſtinere conſueviſtis imprudentiam meam. Ideo inſipientem ſe dicit: quia illi neceſſe erat, aliqua de ſe dicere, licet vera: ut oſtendat quam vere inſipientes ſuot qui falſo ſe laudant. Sed & ſupportate me.

(i) *Aemulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos* &c.] Id eſt, non ſtimulo livoris inflammor, ſed vos tamquam pater divina æmulatione cuſtodio, ut poſſim vos immaculatos Chriſto conjungere: tanto majore ſtudio converſatos, quanto meliori eſtis ſponſo jungendi.

(k) *Timeo autem ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutia ſua* &c.] Serpens Evam de Deo mentiendo ſeduxit, affirmana ſolum Deum comminatum eſſe mortem, nec eſſe jam illaturum. Ita & pſeudoapoſtoli aſſerebant ideo Evangelii præcepta addita, ut vel ſic lex antiqua ſervaretur: & eam ſolam ſufficere cuſtoditam perquirunt æmulatores. Jam ounc ſerpens ſimiliter quoſdam ſeducit, gehennam propter ſolum terrorem aſſerentes nominari, quam aut penitus non eſſe, aut æternam non eſſe affirmat, contra auctoritatem omnium Scripturarum.

(l) *Et excidant a ſimplicitate.*] Quia Dei verbum ſimpliciter credere non eſt hominum perverſorum.

(m) *Quæ eſt in Chriſto Jeſu.*] Caſtus ſenſus qui uni viro conjungitur Chriſto: & ſolius illi ſemel promiſſa ſufficiunt.

(n) *Nam ſi is qui venit alium Chriſtum prædicat quem non prædicavimus* &c.] Si vobis amplius aliquod gratiæ prædicaretur quam per oos accepiſtis, recte eos nobis præponi forſitan pateremini.

(o) *Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe.*] Me minus feciſſe iſtis qui nihil ſunt ne putetis.

(p) *A magnis Apoſtolis.*] Quanto magis Petrus & cæteri prædicant minus aliquid accepiſſe.

(q) *Nam & ſi imperitus ſum ſermone, ſed non ſcientia.*] Non ſicut iſti qui cum ſint ſcientia imperiti, in ſermone tumido gloriantur.

(r) *In omnibus autem manifeſtus ſum in vobis.*] Oſtendit iotegritatem ſuam, qua per Deum omnia fecerit, cum nec avaritiam, nec gulam, nec gloriam ab eis aliquando quæreret.

(ſ) *Aut numquid peccatum feci* &c.] Si forte hoc ſolum peccavi, qui propter vos etiam licita & conceſſa cootempſi.

(t) *Quoniam gratis Evangelium evangelizavi vobis.*] Qui neque panem quotidianum, quem ordinavit Dominus, accepimus.

(u) *Alias Eccleſias exſpoliavi, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum.*] Cum vobis prædicarem, mihi Macedones miniſtrabant.

(w) *Cum eſſem apud vos* &c.] Hoc fuit ex veritate infirmitatem portare parvulorum, ut nec tunc quidem vellet accipere cum egeret.

(x) *Nam quod mihi deerat ſuppleverunt fratres* &c.] Qui oon occurrebaot, manibus adorando fratres quos noverunt falſos: nec pſeudoapoſtolos ſuſceperant, quinimo viocebant.

(y) *Et in omnibus ſine onere* &c.] Quando infirmos vos habueritis.

(z) *Eſt veritas Chriſti in me.*] Sicut Chriſtus ſemel ſtatuit, nec negavit, neceſſe eſt ut aliquando non mentitus ita faciam.

(a) *Quoniam hæc gloriatio non infringetur in me* &c.] Gloriationem, propter Deum conceſſam contemoit, præcipue ſi inopiam patiatur.

(b) *Quare?. Quia non diligo vos. Deus ſcit.*] Ipſe novit utrum vos diligam, an non. Imo ideo a vobis oon accipio: quia multum vos diligo.

(c) *Quod autem facio & faciam, ut am.* &c.] Hic reddit cauſam, quare ipſe non acceperit, & adverſarii cur docerent gulam, avaritiamque ſectareotur, quærentes perpaueum aditum invenire lucrandi, ut hic

faciam: ut amputem occaſionem eorum qui volunt occaſionem: ut in quo gloriantur, inveniantur ſicut & nos. Nam [a] ejuſmodi pſeudoapoſtoli ſunt [b] operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et [c] non mirum: ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis. [d] Non ergo eſt magnum ſi miniſtri ejus transfigurentur velut miniſtri juſtitiæ, [e] quorum finis erit ſecundum opera eorum. [f] Iterum dico ne quis putet me inſipientem eſſe. Alioquin velut inſipientem accipite me: ut & ego modicum quid glorier. [g] Quod loquor, non loquor ſecundum Deum: ſed quaſi inſipientia in hac ſubſtantia gloriæ: [h] quoniam multi gloriantur ſecundum carnem: & ego gloriabor. [i] Libenter enim ſuffertis inſipientes: cum ſitis ipſi ſapientes. [k] Suſtinetis enim ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi [l] quis devorat, ſi [m] quis accipit, ſi quis extollitur, ſi [n] quis in faciem vos cædit. [o] Secundum ignobilitatem dico, [p] quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. [q] In quo quis audet: in inſipientia dico: [r] audeo & ego. Hebræi ſunt, & [s] ego. Iſraelitæ ſunt, & ego. Semen Abrahæ ſunt, & ego. Miniſtri Chriſti ſunt, & [t] ego. Ut [u] minus ſapiens dico, plus ego. In laboribus plurimis: in carceribus abundantius: in plagis ſupra modum: in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter virgis cæſus ſum. ſemel lapidatus ſum: [w] ter naufragium feci: nocte ac die in profundo maris fui. In [x] itineribus ſæpe: periculis fluminum: periculis latronum: periculis ex genere, periculis ex gentibus: periculis in civitate, periculis in ſolitudine. periculis in mari: periculis in falſis fratribus. In [y] labore & ærumna: in vigiliis multis: in fame & in ſiti: & in jejuniis multis, in frigore & nuditate: [z] præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. [a] Quis infirmatur: & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur: & ego non uror? Si [b] gloriari oportet: [c] quæ

hic vel panem acciperet, illi aurum licentius exigerent. Ideo tollit occaſionem Apoſtolus, ut in hoc appareant qui propter Deum docerent, ſi à diſcipulis nihil expeterent.

(a) *Nam ejuſmodi pſeudoapoſtoli ſunt.*] Dicentes: Hæc dicit Dominus, cum ipſe non miſerit eos & viſiones a corde ſuo loquuntur.

(b) *Operarii ſubdoli transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.*] Subdolus eſt qui aliud fingit, cum aliud agit, ut ſub contemplatione Evangelicæ prædicationis contegat rapacitatem. Tales enim prædicatores, ut hominibus placeant, neceſſe eſt adulari, ut adulando placeant, & placendo accipiant. ea quæ commendantur dicunt, non ea quæ ædificant audientem. Plerique eorum non tam pecuniam deſiderant, quam honorem, arbitrantes ſe ſummis opibus eſſe ditatos, ſi ab omnibus collaudentur: ſed nec pecunias ideo ſpernunt, quia non habent, ſed quia in reconditis habent. Veri autem & ſimplices magiſtri Apoſtolos imitantur, dicentes: *Neque enim fuimus in ſermone adulationis aliquando, nec in occaſione avaritiæ: neque quærentes ab omnibus gloriam, nec a vobis.*

(c) *Et non mirum: ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis.*] Non tam facile ſomniis, aut aliquibus quaſi Angelis lucis, fides habenda: ne forte transfiguret ſe Satanas in Angelum lucis, & decipiat ac fallat incautos.

(d) *Non eſt ergo magnum ſi min.* &c.] Non mirum ſi miniſtri Satanæ, avaritiæ, id eſt, gloriæ cauſa fingant ſe juſtitiam prædicare.

(e) *Quorum finis erit ſecundum opera ipſorum.*] Mala opera, malus finis exſpectat.

(f) *Iterum dico, ne quis putet me inſipientem eſſe* &c.] Jam ſuperius dixit: Suſtinete modicum quid inſipientiæ meæ: & reddiderat rationem: quia zelo Dei eos zelaret: non gloriæ deſiderio eſſet de ſe aliquid dicturus: ne ejus in odium verſi, falſos Apoſtolos ſequerentur. Si ergo inſipientia ejus tam ſapiens eſt, quam ſapiens erit ipſa ſapientia? Simul notandum, quia mirum eſſe non debet ſi ad tempus falſa doctrina prævaleat, cujus auctoribus in fine vindicta promittitur.

(g) *Quod loquor, non loquor ſecundum Deum* &c.] Si hic neceſſitate populi compulſus, negat ſe ſecundum Deum gloriari, quid de illis ſentiendum eſt, qui ſola jactantia gloriantur ſubſtantiæ gloriæ? Eſt enim alia vera ſubſtantia gloriandi.

(h) *Quoniam multi gloriantur ſecundum carnem, & ego gloriabor.*] Quoniam in nobilitate terreni generis gloriari, carnale eſt.

(i) *Libenter enim ſuffertis inſipientes, cum ſitis ipſi ſapientes.*] Video enim vos cum edocti ſitis, nullius momenti inſipientibus facile conſenſiſſe.

(k) *Suſtinetis enim ſi quis vos* &c.] Legis vel Phariſæorum qui dominatum in populum exercebant.

(l) *Si quis devorat: ſi quis acc.*] Convivia vel munera. Si quis accipit pecuniam.

(m) *Si quis extollitur.*] Judaica ſuperbia, vel de ſcientia, vel de generis qualitate.

(n) *Si quis in faciem vos cædit.*] Si quis etiam præſentes objurgat.

(o) *Secundum ignobilitatem dico.*] Ignobilitas enim maxima eſt, ſi quis filius Dei de terrena nobilitate ſe jactet.

(p) *Quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte.*] Ab illis minus aliquid habeamus.

(q) *In quo quis audet.*] Hic ſe Apoſtolis comparat laborum ſuorum contemplatione. Item notandum quod quaſi temerarium dixerit audere.

(r) *Audeo & ego.*] Poſſum audere ſi volo.

(ſ) *Hebræi ſunt & ego: Iſraelitæ ſunt, & ego* &c.] Si in hoc gloriantur: & ego hujus ſum gentis.

(t) *Miniſtri Chriſti ſunt, & ego.*] Notandum quod ſi quis de Chriſti ſolum miniſterio glorietur, non ſapienter hoc facit.

(u) *Ut minus ſapiens dico, plus ego: in laboribus plurimis* &c.] Quinque vicibus tricenas & novenas quaſi tranſgreſſor legis accepit. Hæc autem in Actibus Apoſtolorum non omnia reperiuntur: quia nec in Epiſtolis omnia, quæ ibi ſcripta ſunt continentur.

(w) *Ter naufragium feci, nocte ac die in profundo maris fui.*] In ultimo periculo, cum navim in profunda tempeſtate deductam, in horas fluctum operiri putaremus.

(x) *In itineribus ſæpe: periculis fluminum &c. periculis in falſis fratribus.*] Qui explorare ſubintroierunt noſtram libertatem.

(y) *In labore & ærumna: in vigiliis multis: in fame & ſiti* &c.] Fames neceſſitatis eſt, jejunium voluntatis.

(z) *Præter illa quæ extrinſecus ſunt inſtantia mea quotidiana ſollicitudo omnium Eccleſiarum.*] Præter illa quæ per manſuetudinem leviora eſſe videntur.

(a) *Quis infirmatur &c. quis ſcandalizatur* &c.] Non dixit, ſcandalizor: quia in fide ſcandalizatur. Cum infirmantibus infirmor: cum pereuntibus perire me credo: ſic enim uror triſtitia, ut animo ardere me ſentiam.

(b) *Si gloriari oportet.*] Nam ſi gloriari neceſſe eſt, non in his quæ ad lætitiam ſed quæ ad mœrorem pertinent gloriabor.

[a] quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor. [b] Deus & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti ſcit, qui eſt benedictus in ſecula, quod non mentior. [c] Damaſci præpoſitus gentis Aretæ regis cuſtodiebat civitatem Damaſcenorum: ut me comprehenderet. Et per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum pet murum: & ſic effugi manus ejus.

CAPUT XII.

[d] SI gloriari oportet: non expedit quidem. [e] Veniam autem ad viſiones & revelationes Domini. [f] Scio hominem in Chriſto ante [g] annos quatuordecim: ſive in corpore, neſcio: ſive extra corpus, neſcio: Deus ſcit: raptum hujuſcemodi uſque ad tertium cœlum. Et [h] ſcio hujuſcemodi hominem: ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit: quoniam raptus eſt in paradiſum & [i] audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. [k] Pro hujuſcemodi gloriabor; pro me autem nihil, niſi in [l] infirmitatibus meis. Nam & ſi voluero gloriari, non ero iuſipiens: veritatem enim dicam [m] Parco autem ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me: aut audit aliquid ex me. Et [n] ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ qui [o] me colaphizet. [p] Propter quod ter Dominum rogavi ut diſcederet à me. Et dixit mihi. Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. [q] Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis: ut inhabitet in me virtus Chriſti. [r] Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis: in contumeliis, in [ſ] neceſſitatibus, in [t] perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Cum [u] enim infirmor tunc potens ſum. [w] Factus ſum inſipiens, [x] vos me coëgiſtis. Ego enim à vobis debui commendari. Nihil enim minus feci ab his qui ſunt ſupra modum Apoſtoli. [y] Tametſi nihil ſum, ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper

(a) *Quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor.*] Manifeſte infirmitates ſuas Apoſtolus, tentationes, quas ſuſtinebat, perſecutionesque ſignificat. Item omnes ſuperiores neceſſitates, uno infirmitatis nomine definivit, eo quod humanas imbecillitates iſtæ prævaleant.

(b) *Deus & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti ſcit, qui eſt benedictus in ſecula, quod* &c.] Rem quaſi difficilem dicturus, quod Judæi contra eum etiam principes gentium concitaſſent, ante implorat teſtimonium Dei: ne veræ hoc jactantiæ imputaretur, quod adverſus eum etiam regna ſurrexerint, & nihil potuerint prævalere. Hæc autem idcirco enumerat, ut oſtendat, quid interſit inter veros & falſos Apoſtolos.

(c) *Damaſci præpoſitus gentis Aretæ regis, cuſtodiebat civitatem Damaſcenorum* &c.] Præpoſitus gentis illius erat, cui imperabat Areta rex.

IN CAPUT XII.

(d) SI *gloriari oportet, non expedit* &c.] Non mihi expedit, qui neceſſitate compellor.

(e) *Veniam autem ad viſiones & revelationes Domini.*] Sibi infirmitates, Domino viſiones adſcribit.

(f) *Scio hominem in Chriſto.*] Sive humilitatis cauſa de ſe in a tertius perſona loquitur: ſive de alio: verum poteſt utrumque conſtare.

(g) *Ante annos quatuordecim, ſive in corpore, ſive extra corpus* &c.] Quia iterum repetit, oſtendit aliam fuiſſe viſionem. Vide quanta neceſſitas fuit ut quod annis quatuordecim celaverat, prodere cogeretur.

(h) *Et ſcio hujuſcemodi* &c.] Iterando Apoſtolus hunc talem hominem, oſtendit ſecundo eſſe raptum: ſemel uſque ad tertium cœlum, ubi vidit viſiones: & ſemel in paradiſum, ubi revelata ſunt ei ineffabilia verba.

(i) *Et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.*] Sive quæ nulli dicere fas eſt, ſive quæ impoſſibile eſt humanam enarrare naturam. Hoc contra Arianos.

(k) *Pro hujuſmodi gloriabor: pro me autem nihil.*] Viſione vel homine: per me autem non gloriabor in mea virtute: quia non eſt revelatio mea, ſed Dei.

(l) *Niſi in infirmitatibus meis. Nam & ſi voluero gloriari, non ero inſipiens* &c.] Hic videtur oſtendere, cum de alio dicat, etiam ſi dicat, cauſam gloriandi habere nolle.

(m) *Parco autem, ne quis me exiſtim.* &c.] Sufficiunt manifeſta, etiam ſi celentur occulta.

(n) *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi* &c.] Quanta putatis eſſe quæ celo, ut merito mihi eſſet ſtimulus neceſſarius, qui me hominem eſſe ſemper mihi demonſtraret. Stimulum carnis, Angelum Satanæ, tentationes perſecutionum, Apoſtolus ſe ſuſtinuiſſe ſignificat.

(o) *Ut me colaphizet.*] Aut tribulationes ſuſcitando, aut dolores. Quidam enim dicunt eum frequenter dolore capitis laboraſſe.

(p) *Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me: & dixit mihi: Sufficit* &c.] Hic intelligimus etiam ſanctos ignoranter nonnumquam alia inimpetrabilia poſtulaſſe: ſimul etiam diſcimus, quod importuna petitio vel reſponſum mereatur, ſi non meretur effectum.

(q) *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis* &c.] Poſtquam cognovi prodeſſe, quod nocere putabam.

(r) *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis.*] Non in honoribus.

(ſ) *In neceſſitatibus.*] Non in ocio, non in divitiis.

(t) *In perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto.*] Non pro crimine: unde ſalvator docuit, ut ſola cauſa juſtitiæ patiamur: Petro ſimiliter id atteſtante.

(u) *Cum enim infirmor, tunc potens ſum.*] Maxima potentia eſt infirmari pro Chriſto, & magnæ divitiæ indigere.

(w) *Factus ſum inſipiens.*] Inſipientem eſſe dicit, aliquem ſe in laboribus jactare vel virtutibus.

(x) *Vos me coegiſtis ego enim à vobis debui commendari. Nihil enim minus feci ab his qui ſunt* &c.] Sed hoc vos coegiſtis, qui cum aliis de me ſatisfacere deberetis, quod nihil minus fuerim à magnis Apoſtolis, iterum opus habetis, ut vos denuo commendemus.

(y) *Tametſi nihil ſum, ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia* &c.] Ego quidem nihil ſum ut homo, ſed Apoſtolatus ſua in vobis ſigna monſtravit: hoc eſt, patientiam in moribus: & prodigia in ſignis.

(a) *Quid*

per vos in omni patientia, in ſignis & prodigiis & virtutibus. [a] Quid eſt enim quod minus habuiſtis præ cæteris Eccleſiis, niſi quod ego ipſe non gravavi vos? Donate mihi hanc injuriam. Ecce [b] tertio hoc paratus ſum venire ad vos: & non ero gravis vobis. Nonenim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. [c] nec enim debent filii parentibus theſaurizare: ſed parentes filiis. [d] Ego autem libentiſſime impendam: & ſuper impendar ego ipſe pro animabus veſtris abundantius: licet plus vos diligens, minus diligar. [e] Sed eſto. Ego vos non gravavi: ſed cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi. Numquid per aliquem eorum, quos miſi ad vos, circumveni vos? [f] Rogavi Titum, & miſi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? [g] Nonne eodem ſpiritu ambulavimus? Nonne eiſdem veſtigiis? Olim [h] putatis quod excuſemus nos apud vos. [i] Coram Deo in Chriſto loquimur. Omnia autem cariſſimi propter ædificationem veſtram. [k] Timeo enim ne forte cum venero: non quales volo inveniam vos: & ego inveniar à vobis qualem non vultis: ne forte [l] contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſentiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones ſint inter vos. Ne iterum cum venero humiliet me Deus apud vos: & [m] lugeam multos ex his qui ante pecaverunt: & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia & [n] fornicatione: & impudicitia quam geſſerunt.

CAPUT XIII.

[o] ECce tertio hoc venio ad vos, & in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Prædixi enim & [p] prædico: ut præſens vobis & nunc abſens his qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus: quoniam ſi venero iterum non parcam, An [q] experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Chriſtus? [r] Qui in vobis non infirmatur, ſed [ſ] potens eſt in vobis. Nam & ſi [t] crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei. Nam & [u] nos infirmi ſumus, in illo: ſed vivemus cum eo ex virtute Dei, in vobis. [w] Voſmetipſos tentate ſi eſtis in fide: ipſi vos probate. An [x] non cognoſcitis voſmetipſos: quia Chriſtus Jeſus in vobis eſt? Niſi forte reprobi eſtis. [y] Spero autem quod cognoſcitis: quia nos non ſumus reprobi. [z] Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis, non ut nos probati

(a) *Quid eſt enim quod minus habuiſtis præ cæteris Eccleſiis* &c.] Quibus alii Apoſtoli prædicaverunt. De integritate Apoſtoli, & ſeveritate acceptæ poteſtatis a Domino in eos qui pœnitentiam negarunt agit.

(b) *Ecce tertio hoc paratus ſum venire ad vos: & non ero vobis gravis. Non enim quæro quæ veſtra, ſunt ſed vos.*] Salutem veſtram deſidero, non munera.

(c) *Nec enim debent filii parentibus theſaurizare: ſed parentes filiis.*] Ego magis ſi haberem, vobis dare deberem.

(d) *Ego autem libentiſſime impendam* &c.] Quod habeo labore nimio, impendo, & pluſquam poſſum impendam. Perfecta enim dilectio non ſolum totum quod habet gratis impendit, ſed etiam ipſa libenter ſuper impenditur ſi neceſſe eſt.

(e) *Sed eſto: ego vos non gravavi* &c.] Per omnia ſe purgat, ipſorum ſemper conſcientiam teſtem invocans: ſimul, & quomodo ſe ab illis poſſint cavere demonſtrans.

(f) *Rogavi Titum, & miſi cum illo fratrem* &c.] Numquid aliquid vobis abſtulit ad me perferendum?

(g) *Nonne eodem ſpiritu* &c.] Nonne uno ſpiritu omnia gerimus?

(h) *Olim putatis quod excuſemus nos apud.*] Non ſicut ſuperius dixi placemus nobis, ſed ne nobiscum venerimus neceſſe ſit acrius vindicare.

(i) *Coram Deo in Chriſto loquimur* &c.] Quem fallere impoſſibile eſt.

(k) *Timeo enim ne* &c.] Timeo ſi vos non invenero juſtos: & ego vobis ſeverus inveniar. Blandimentis minas jungit.

(l) *Ne forte contentiones, æmulationes* &c.] Propter hæc ſe dicebat ſeveriſſime vindicare. Quid faceret ſi noſtris temporibus adveniret, quibus ad comparationem aliorum criminum, iſta ne putantur quidem eſſe peccata?

(m) *Et lugeam mult.* &c.] Hoc eſt contra Novatianos pœnitentiæ negatores: ſi enim luget pœnitentiam non agentes: utique de agentibus gaudet.

(n) *Fornicatione* &c.] Impudicitia gravior eſt fornicatione: quaſi monſtruoſa turpitudo: ſicut ille fecit, qui uxorem patris accepit.

IN CAPUT XIII.

(o) *ECce tertio hoc venio ad vos: ut in ore duorum, vel trium teſtium* &c.] Secundum legem contra Manichæos.

(p) *Prædixi & prædico ut præſentibus & nunc abſens* &c.] Qui poſt documenta priorum peccaverint, non ipſis parcam: quia antecedentium ruina ſequentes debet facere cautiores.

(q) *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus?*] An in me Chriſtum tentatis: utrum in vobis valeat vindicare?

(r) *Qui in vobis non infirmatur.*] Quem non infirmum, ſed potentem eſſe nec ipſi neſcitis.

(ſ) *Sed potens* &c.] Quanto magis in vobis carptoribus ſui.

(t) *Nam & ſi crucifixus eſt* &c.] Quod crucifixus eſt, noſtræ eſt infirmitatis: quod vivit, ſuæ virtutis.

(u) *Nam & nos infirmi* &c.] Sive, qui nos quaſi infirmos provocatis, invenietis nos vivere cum Chriſto in virtute Dei, cum in vos vindicare cœperimus. Sive nos in præſenti quidem infirmamur, ſed in futuro cum illo non in noſtra, ſed Dei virtute vivemus.

(w) *Voſmetipſos tentate ſi eſtis in fide, ipſi vos probate.*] Si in fide eſtis, & in vobis vos cognoſcite: date ſententiam in peccante, & videte ſi non ſtatim cum veſtro verbo vindicta procedat.

(x) *An non cognoſcitis vos ipſos, quia Chriſtus Jeſus in vobis eſt.*] Dei virtus, ſi tamen vos minime reprobavit.

(y) *Spero autem quod cognoſcitis* &c.] Spero vos ſenſiſſe quomodo nos converſemur.

(z) *Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis, non ut nos probati pare. &c. ſed ut vos* &c.] Si enim aliquid feceritis, nos vindicando parebimus probati: ſed maluimus nos reprobos videri, tantum ut vos quod bonum eſt faciatis.

probati pareamus, ſed ut vos quod bonum eſt faciatis. Nos autem ut reprobi ſumus. [a] Non poſſumus enim aliquid adverſus veritatem: ſed pro veritate. [b] Gaudemus enim quoniam nos infirmi ſumus, vos autem potentes eſtis. [c] Hoc & oramus veſtram conſummationem. [d] Ideo enim hæc abſens ſcribo, ut non præſens durius agam, ſecundum poteſtatem quam Dominus dedit mihi in [e] ædificationem & [f] non in deſtructionem. De [g] cætero fratres gaudete: perfecti eſtote, exhortamini: idipſum [h] ſapite. Pacem habete: & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum. [i] Salutate invicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes ſancti. [k] Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti: & caritas Dei & communicatio Sancti Spiritus ſit [l] cum omnibus vobis. Amen.

(a) *Non enim poſſumus aliquid adverſus veritatem* &c.] Innocentiæ enim noſtræ ſententia obeſſe non poterit, niſi ei qui pro certo peccaverit.

(b) *Gaudemus enim quoniam infirmi ſumus* &c.] Gaudemus ſi non ſit neceſſe ut noſtra virtus appareat, ſicut Petri apparuit in Sapphira & Anania.

(c) *Hoc oramus veſtram conſummationem.*] Ut vos perfecti ſitis atque potentes.

(d) *Ideo hæc abſens ſcribo, ut non præſens durius agam* &c.] Si non correxeritis vos, durius adhuc acturus ſum, quam ſcribendo denuncio.

(e) *In ædificationem.*] Ut vos de cætero emendetis: & alii peccare formident.

(f) *Et non in deſtructionem.*] Ad quam ſibi pſeudo-apoſtoli poteſtatem uſurpant.

(g) *De cætero autem fratres gaudete: perfecti eſtote, exhortamini.*] Non tantum quod toti Eccleſiæ ſcribens, dicit eos omnes debere eſſe perfectos: & quod laicos jubet ſeinvicem exhortari.

(h) *Idipſum ſapite, Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum.*] Alioquin auctor diſſenſionis & odii, contrarius erit vobis: & vos cum illo permanebitis in æternum: ſi ille hic vobiſcum manſerit ſemper.

(i) *Salutate invicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes ſancti.*] Non honorati aut divites.

(k) *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti & caritas Dei & communicatio Sancti Spiritus.*] Contra Arianos, qui ideo Patrem majorem eſſe contendunt: quia plerumque primus nominatur in ordine.

(l) *Sit cum omnibus vobis, amen.*] Non aliquantis: ſive quod omnes in his donis velit eſſe perfectos.

Commentariorum in ſecundam Epiſtolam ad Corinthios finis.

S. PAULI APOSTOLI

EPISTOLA AD GALATAS

CAPUT I.

[a] PAulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem: ſed [b] per Jeſum Chriſtum & [c] Deum patrem: [d] qui ſuſcitavit eum à mortuis: & [e] qui mecum ſunt omnes fratres, Eccleſiis Galatiæ. [f] Gratia vobis & [g] pax à Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto:

PELAGII COMMENTARII IN EPISTOLAM AD GALATAS.

IN CAPUT. I.

(a) P*Aulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem.*] Sicut Sacrarum Scripturarum teſtatur auctoritas: *Neminem venire ad Patrem, niſi per Filium* & Spiritum Sanctum. Item neminem *venire ad Filium, niſi quem vocaverit Pater* & Spiritus Sanctus: ita & hoc loco manifeſte oſtenditur, Paulum Apoſtolum in Evangelii prædicationem, per Jeſum Chriſtum & Deum Patrem vocatum eſſe à Sancto Spiritu: quemadmodum liber Apoſtolicorum actuum docet, dicens: *Miniſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Barnabam, & Saulum in opus ad quod adſumpſi eos.* Item & infra in eodem loco: *Et ipſe quidem miſſi à Spiritu Sancto abierunt Seleuciam.* Quod autem hic Jeſum Chriſtum primo loco ponit, & ita demum Patrem & alibi indifferenter Deum Patrem anteponit, frequenter etiam Spiritum Sanctum, hoc oſtendit: quoniam in Patre & Filio & Spiritu Sancto, non ordo, non major aut minor, ſed una eſt gloria eademque ſubſtantia. Quod vero dicit, *neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum:* hic perſonam Deitatis oſtendit. Quod autem ait: *qui ſuſcitavit eum à mortuis* adſumti hominis ſignificat incarnationem. Aliter: Non humana præſumtione, ut illi dicunt: neque per Apoſtolos alios, ut Aaron per Moyſen, ſed per ipſum Dominum, ut Moyſes & omnes Apoſtoli vel Prophetæ, ſed plerique ab hominibus ordinantur, cum indigne favore populi patientiam Domini contemnentes, divino ſacerdotio contra meritum ordinantur.

(b) *Sed per Jeſum Chriſtum.*] Qui Petrum & cæteros Apoſtolos in miniſterium Apoſtolatus elegit.

(c) *Et Deum patrem.*] Oſtendit unam eſſe Patris & Filii operationem.

(d) *Qui ſuſcit.* &c.] Secundum quod mori potuit, ſecundum carnem, ſcilicet.

(e) *Et qui mecum ſunt omnes fratres, Eccleſiis Galatiæ.*] Ne ſolus indigna ferre putaretur, ſuam conculcari doctrinam, Apoſtolus objurgaturus Galatas propter converſationem ſuam, non tantum ex ſua perſona ſcribit ad eos, ſed ex omnium fratrum, qui in conſortio ſecum erant: quos in epiſtola ad Corinthios Apoſtolos vocat, dicens: *Sive fratres noſtri Apoſtoli Eccleſiarum gloriam Chriſti.* Cor. 15.

(f) *Gratia vobis.*] Quia ſola eſtis fide ſalvati.

(g) *Et pax a Deo Patre* &c.] Quia remiſſis delictis omnibus, reconciliati fuerant Deo.

Chriſto: [a] qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris: [b] ut eriperet nos de præſenti ſeculo nequam, [c] ſecundum voluntatem Dei & Patris noſtri: [d] cui eſt gloria in ſecula ſeculorum: Amen. [e] Miror quod ſic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium: quod non eſt aliud, niſi ſunt [f] aliqui qui vos conturbant: & volunt [g] convertere Evangelium Chriſti. [h] Sed licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod Evangelizavimus vobis, [i] anathema ſit. [k] Sicut prædiximus, & nunc iterum dico. Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. [l] Modo enim hominibus ſuadeo, an Deo? [m] An quæro hominibus placere? [n] Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. [o] Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum eſt a me: [p] quia non eſt ſecundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti. [q] Audiſtis enim converſationem meam aliquando in Judaiſmo: [r] quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam: & proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator exſiſtens paternarum mearum traditionum. [ſ] Cum autem placuit ei qui me ſegregavit ex utero matris meæ, [t] & vocavit per gratiam ſuam, [u] ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in gentibus: [w] continuo non acquievi carni & ſanguini. [x] Neque veni Hieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos, ſed abii in Arabiam: & iterum reverſus ſum Damaſcum. [y] Deinde poſt annos tres [z] veni Hieroſolymam [a] videre Petrum: [b] & manſi apud eum diebus quindecim. [c] Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, [d] niſi Jacobum fratrem Domini. Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo: quia non mentior.

Deinde

(a) *Qui dedit ſemetipſum* &c.] Oſtendit beneficia Chriſti, quibus exſiſtebant ingrati, in lege quæ peccatoribus data eſt, vivere cupientibus, cum illis omnia eſſent peccata dimiſſa.

(b) *Ut eriperet nos de præſenti ſeculo nequam.*] Non quod ſeculum nequam ſit, ſed quod mala ſint quæ aguntur in ſeculo: ſicut & Dominus in Evan-
Matt. 6. gelio dicit: *Sufficit dies malitia ſua.* Non quia dies mala ſit, ſed propter illa, quæ in ejus tempore aguntur, vel bona vel mala dicitur. Item mala ſeculi opera dicuntur quæ committuntur in ipſo.

(c) *Secundum voluntatem Dei & Patris noſtri.*] Non ſecundum merita noſtra.

(d) *Cui eſt gloria in ſecula ſeculorum: Amen.*] Infinitis beneficiis infinita gloria debetur.

(e) *Miror quod ſic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium: quod non eſt aliud:*] Manifeſtatis beneficiis, mirari ſe dicit quod ab illo potuerint ſeparari.

(f) *Niſi ſunt aliqui qui vos conturbant.*] Nam Evangelium verum aliud eſſe non poteſt, niſi Chriſti.

(g) *Et volunt convertere Evangelium Chriſti.*] Dum lex ad Evangelium profecerit, illi perverſo ordine Evangelium ad legem provocare nituntur.

(h) *Sed licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod* &c.] Breviter omni voluit præjudicare perſonæ: quando nec Apoſtolus contra id quod primum prædicaverat, nec vocem de cœlo loquentis Angeli permiſit audire. Facit autem ſententia contra omnes hæreticos, qui traditiones apoſtolicas mutare conantur.

(i) *Anathema ſit.*] Hoc eſt, abominabilis vobis ſit.

(k) *Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.*] Repetitum fortius commendatur.

(l) *Modo enim hominibus ſuadeo, an Deo?*] Numquid propter homines vobis ſuadeo, ſicut propter Judæorum traditiones ante faciebam? Oſtendere vult odia hominum ſe non timentem, libere defendere veritatem.

(m) *An quæro hominibus placere?*] Ubicumque ſine additamento aliquo homines nominantur, in malam
Pſal. 115. partem accipitur in Scripturis. Ut eſt illud: *Omnis homo mendax.* Et: *Quem dicunt homines eſſe?* Et: *Nonne ho-*
1. Cor. 3. *mines eſtis?* Et: *Secundum hominem ambulatis.* Igitur quicumque talibus placere voluerit, neceſſe eſt ut eorum faciat voluntatem. Sancti autem Deo tantum & Deum amantibus placent, qui plus quam homines eſſe meruerunt.

(n) *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.*] Nam ideo me oderunt, quia ſervus ſum Chriſti.

(o) *Notum enim vobis facio fratres Evangelium, quod evangelizatum eſt a me.*] Vult purgare uſurpationis & humanæ traditionis infamiam.

(p) *Quia non eſt ſecundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti.*] Neque a me confinxi, neque ab alio homine accepi, neque a quoquam didici, quod gentes ſola fide ſalvarentur.

(q) *Audiſtis enim converſationem meam aliquando in Judaiſmo.*] Nec vos credo latere quod dico. Oſtendere vult quam firmiter tenuerit Judaiſmum: & quam fideliter pro traditionibus patrum expugnarit Eccleſiam: ut intelligamus eum non potuiſſe inde humano conſilio, niſi revelatione ſeparari divina.

(r) *Quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam: & proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator exſiſtens paternarum mearum traditionum.*] Non ſupra omnes, ne jactabundus putaretur.

(ſ) *Cum autem placuit ei qui me ſegregavit ex utero matris meæ.*] Hic præſcientiam Dei, ad dilectionem Apoſtoli antequam naſceretur, oſtendit. Item qui me in præſcientia ab utero ſegregavit, quando voluit, fecit quod ſciebat eſſe futurum.

(t) *Et vocavit per gratiam ſuam.*] Non meis meritis.

(u) *Ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in gentibus.*] Ut Filium ſuum per me gentibus revelaret.

(w) *Continuo non acquievi carni & ſanguini.*] Hoc dicit: quoniam ſecundum myſterium revelationis, commiſſam ſibi prædicationem Evangelii exercuerit: neque tunc carnis & ſanguinis vocem audivi, ſed Dei.

(x) *Neque veni Hieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos, ſed abii in Arabiam: & iterum reverſus ſum Damaſcum.*] Non quod mihi neceſſe fuit, ut ab illis aliquid edocerer: ſed de Damaſco in Arabiam protinus ibam, ut docerem quod mihi a Deo revelatum fuerat.

(y) *Deinde poſt annos tres.*] Oſtendit ſe non indiguiſſe doceri, qui tribus jam annis aliis prædicarat.

(z) *Veni Hieroſolymam.*] Quando ſe diſcipulis jungere attentabat.

(a) *Videre Petrum.*] Et ſuſceptum ſe ab illo in caritate demonſtrat: & in tam brevi tempore nihil diſcere potuiſſe.

(b) *Et manſi* &c.] Videndi gratia, non diſcendi.

(c) *Alium autem Apoſtolorum vidi neminem.*] Ne vel ab illis didiciſſe videretur.

(d) *Niſi Jacobum fratrem?* &c.] Quatuor modis fratres appellari quis dubitat? Primo, naturæ: ſecundo, cognatione: tertio, gente: quarto, affectu. Unde Jacobus ſecundum cognationem frater Domini dicitur: quoniam de Maria Cleophæ ſorore matris Domini, natus eſſe monſtratur.

(a) *Dein-*

[a] Deinde veni in partes Syriæ & Ciliciæ. Eram autem ignotus facie Eccleſiis Judææ, [b] quæ erant in Chriſto. Tantum autem auditum habebant: quoniam qui perſequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem quam aliquando expugnabat: [c] & in me clarificabant Deum.

CAPUT II.

[d] DEinde poſt annos quatuordecim, iterum [e] adſcendi Hieroſolymam cum Barnaba, adſumto & Tito. [f] Adſcendi autem ſecundum revelationem: [g] & contuli cum illis Evangelium quod prædico in gentibus. [h] Seorſum autem his qui videbantur aliquid eſſe: [i] ne forte in vacuum currerem aut cucurriſſem. [k] Sed neque Titus qui mecum erat, cum eſſet gentilis, compulſus eſt circumcidi: [l] ſed propter ſubintroductos falſos fratres, [m] qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtram quam habemus in Chriſto Jeſu: ut nos in ſervitutem redigerent: [n] quibus neque ad horam ceſſimus ſubjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos. [o] Ab his autem qui videbantur eſſe aliquid, [p] quales aliquando fuerint, nihil mea intereſt. Deus enim perſonam hominis non accipit. [q] Mihi autem qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt: ſed e contrario cum vidiſſent quod creditum eſt mihi Evangelium præputii, [r] ſicut & Petro circumciſionis. Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes. Et cum cognoviſſent gratiam quæ data eſt mihi: [ſ] Jacobus & Cephas & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, [t] dextras dederunt mihi & [u] Barnabæ ſocietatis: ut nos in gentes, ipſi autem in circunciſionem: tantum ut [w] pauperum memores eſſemus. [x] Quod etiam ſollicitus fui hoc ipſum facere. [y] Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti: quia reprehenſibilis erat. [z] Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat. [a] Cum autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe, timens eos qui ex circumciſione erant: & ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi: [b] ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. [c] Sed cum vidiſſem quod

(a) *Deinde veni in partes Syriæ & Ciliciæ: eram autem ignotus facie Eccleſiæ Judææ.*] Notandum quia per triennium Eccleſiis Judææ erat ignotus.

(b) *Quæ erant in Chriſto. Tan.* &c.] Seorſum qui ex Judæis erant, Eccleſia habebantur: nec his qui erant ex gentibus, miſcebantur.

(c) *Et in me clarificabant Deum.*] De re difficili, maxima naſcitur admiratio: & laudabatur Deus qui hoc ſolus poſſet efficere. De falſis fratribus, & de Petro in circumciſione: Paulo vero in gentibus ordinatis.

IN CAPUT II.

(d) D*Einde poſt annos qua.* &c.] Quando de oneribus legis quæſtio movebatur.

(e) *Iterum adſcendi Hieroſolymam cum Barnaba* &c.] Non voluntate mea, ſed imperii divini neceſſitate.

(f) *Adſcendi autem ſecundum revelationem.*] Hoc ait Apoſtolus: Cum venirem, inquit, Hieroſolymam ſecundum revelationem Dei: congregationi fratrum per ædificationem meam reddidi rationem, ſeorſum & Apoſtolis: non ut ab illis in aliquo inſtruerer, quippe qui plenam fueram gratiam conſecutus: ſed ut manifeſtarem eis recto ordine, me Chriſti Evangelium prædicare.

(g) *Et contuli cum illis Evangelium quod prædico in gentibus.*] Non didici, ſed contuli Evangelium, per quod gentes ſola fide ſalvantur.

(h) *Seorſum autem his qui videbantur aliquid eſſe:*] Ne illos diſcipuli de Evangelio dubitare putarent.

(i) *Ne forte in vacuum currerem aut cucurriſſem.*] Hoc non eſt dubitantis, ſed potius confirmantis.

(k) *Sed neque Titus qui mecum erat, cum eſſet gentilis, compulſus eſt circumcidi.*] In vacuum cucurrit.

(l) *Sed propter ſub introduct.* &c.] Reddit cauſas cur circumcidit Titum: non quia illi circumciſio prodeſſet, ſed ut ſcandalum imminens vitaretur.

(m) *Qui ſubintroierunt explorare* &c.] Qua abſoluti ſumus a jugo legis.

(n) *Quibus neque ad ho.* &c.] Ut periculum vitaremus: & eſſent in nobis qui veritatem Evangelii confirmarent.

(o) *Ab his autem qui videbantur eſſe aliquid.*] Hic eos ſignificat, qui Galatas judaizare compulerant: qui aliquando inſignes inter diſcipulos Apoſtolorum fuerant: quique præſenti tempore a fide Chriſtiana ad obſervationem Judaicam convertebantur.

(p) *Quales aliquando fuerint, nihil mea inter.* &c.] Non mihi cura eſt, quia cum Domino ambulaverunt: quia nec tempus præjudicat fidei, nec perſona labori.

(q) *Mihi autem &c. quod creditum eſt mihi Evangelium præputii,*] Ut prædicem in gentibus, ſicut illi Judæis.

(r) *Sicut & Petro circumciſionis. Qui enim operatus eſt Petro in apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes* &c.] In nullo ſum illo inferior: quia ab uno Deo ſumus in miniſterio ordinati.

(ſ) *Jacobus & Cephas & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe.*] Super quas erat Eccleſia confirmata.

(t) *Dextras dederunt.*] Ita nos docere debere.

(u) *Mihi & Barnabæ ſocietatis* &c.] Ambo enim miſſi erant ſimul, ut gentibus prædicarent.

(w) *Ut pauperum memores eſſemus.*] Quia omnia ſua diſtribuentes, ad Apoſtolorum pedes pretia deponebant: Vel quorum bona fuerant a Judæis invaſa: ſicut legimus ad Hebræos.

(x) *Quod etiam ſollicitus fui hoc ipſum facere.*] Hoc eſt, quod in omni pene ſcribit epiſtola.

(y) *Cum autem veniſſet Ceph.* &c.] Galatarum infirmitas compellit eum narrare, quod nec ipſi Apoſtolorum principi Petro pepercerit, veritatem Evangelii non libere defendenti: ſicut etiam ad profectum Corinthiorum manifeſtara viſionem, quam annis quatuordecim celaverat. Hoc autem totum ait, ut oſtendat ſe nunquam circumciſionis fuiſſe factorem, quod de illo falſi Apoſtoli confingebant. Unde & alibi dicit: *Ego autem fratres, ſi circumciſionem prædico, quid adhuc perſecutionem patior?* Gal. 5.

(z) *Prius enim* &c.] Sciens ſibi oſtenſum ut nullius generis hominem vocaret immundum.

(a) *Cum autem veniſſent, ſub.* &c.] Non ideo reprehenſibilis erat, quia cum illis edebat: ſed quia poſtea propter homines ſe ſubtrahebat.

(b) *Ita ut & Barnabas duceretur* &c.] Qui mecum ad gentes miſſus, nihil inter eos docuerat eſſe diſcriminis.

(c) *Sed cum vidiſſem* &c.] Quamvis hoc propter ſcandalum faceret Judæorum: tamen publice illum conveni, ut & Judæis ſuperbia, & gentibus deſperatio tolleretur.

(a) *Dixi*

quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, [a] dixi Cephæ coram omnibus: [b] Si tu cum Judæus ſis, [c] gentiliter vivis & non Judaice: [d] quomodo gentes cogis judaizare? [e] Nos natura Judæi, & non ex gentibus peccatores. [f] Scientes autem quod non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti: & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro. [g] Quod ſi quærentes juſtificari in Chriſto, inventi ſumus & ipſi peccatores: numquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit. [h] Si enim quæ deſtruxi, iterum hæc reædifico, prævaricatorem me conſtituo. [i] Ego enim per legem legi mortuus ſum, [k] ut Deo vivam: [l] Chriſto confixus ſum cruci. [m] Vivo autem jam non ego, [n] vivit vero in me Chriſtus. [o] Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei: [p] qui dilexit me, & tradidit ſeipſum pro me. [q] Non abjicio gratiam Dei. [r] Si enim per legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.

CAPUT. III.

[s] O Inſenſati Galatæ, [t] quis vos faſcinavit non obedire veritati? [u] Ante quorum oculos Chriſtus Jeſus proſcriptus eſt: [w] & in vobis crucifixus. [x] Hoc ſolum a vobis volo diſcere: [y] Ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei? Sic ſtulti eſtis, [z] ut, cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini? [a] Tanta paſſi eſtis ſine cauſa, ſi tamen ſine cauſa? [b] Qui ergo tribuit vobis ſpiritum: & operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei? ſicut ſcriptum eſt: [c] Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. [d] Cognoſcite ergo: quia qui ex fide ſunt, hi ſunt filii Abrahæ. [e] Provi-
-dens

(a) *Dixi Cephæ* &c.] Publicum ſcandalum oon poterat private curari.

(b) *Si tu cum Judæus ſis.*] Si tu non tenes quod natus es, quomodo illos facis tenere quod nati non ſuot? Rationem reddit, non injuriam facit.

(c) *Gentiliter vivis & non Judaice.*] Nuo ex operibus legis, ſed ſola fide ſicut gentes, vitam io Chriſto inveniſſe te noſti.

(d) *Quomodo gentibus.* &c.] Cur ſubtrahis te tanquam a peccatoribus?

(e) *Nos natura Judæi, & non ex gentibus peccatores.*] Peccatores tamen eramus: quia conclusit Scriptura omnia ſub peccato.

(f) *Scientes autem quod non juſtific.* &c.] Opera legis, circumciſio & ſabbatum, dies feſti, & cætera: quæ non propter juſtitiam, ſed ad edomandam populi duritiam ſunt mandata.

(g) *Quod ſi quærentes juſtifi.* &c.] Si enim gentes fides ſola non ſalvat: nec nos, quia ex operibus nemo juſtificatur. Ergo adhuc peccatores ſumus, & Chriſtus peccatorum miniſter eſt, tamquam non valens peccata indulgere.

(h) *Si enim quæ deſtruxi iterum hæc reædi.* &c.] Si deſtruxi Judæos, & ounc (ut illi dicunt) ipſos reædifico, meæ ſententiæ prævaricator invenior.

(i) *Ego enim per legem legi mortuus ſum*] Hoc eſt quod dicit: per legem Chriſti, legi Moyſi mortuus ſum: aut certe per ipſam Moyſi legem, legis ejuſdem ſum obſervationibus liberatus: quoniam ſcriptum eſt io eadem lege: *Quia Abraham ex fide juſtificatus eſt*, & non ex operibus legis. Item per legem Chriſti, legi literæ, & Moſi lege veteri ſum mortuus: quia ſe ceſſaturam eſſe prædixit. Gen. 15.

(k) *Ut Deo vivam.*] Quia legem ſuam innovavit.

(l) *Chriſto confixus ſum cruci.*] Omnibus peccatis quibus lex eſt data, ſum mortuus: ergo lex mihi minime eſt neceſſaria.

(m) *Vivo autem jam non ego.*] Vetus homo.

(n) *Vivit vero in me Chriſtus.*] In illo vivit Chriſtus, in quo Chriſtus vegetat actus & vitam.

(o) *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.*] In ſola fide: quia nihil debeo legi antiquæ.

(p) *Qui dilexit me: & tradidit ſeipſum pro me.*] Non pecuniam, non aliquod aliud pretium, ſed ſe.

(q) *Non abjicio gratiam Dei.*] Non debeo illi eſſe ingratus: qui me tantum dilexit, ut pro me etiam moreretur. Abjecta enim eſt gratia, ſi mihi ſola non ſufficit.

(r) *Si enim per legem juſtitia, ergo* &c.] Si lex poterat juſtificare, ſuperflue mortuus eſt Chriſtus.

IN CAPUT III.

(s) O *Inſenſati Galatæ.*] Non eſt contrarium Salvatoris verbo, quo fratrem fatuum vocari prohibuit: non enim hic dicitur ſine cauſa.

(t) *Quis vos faſcinavit?*] Per vulgi verbum, invidiam ſignificavit: ſicut ait Salomon: Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona. Sap. 4.

(u) *Ante quorum oculos Chriſtus Jeſus proſcriptus eſt.*] Quibus per meam prædicationem ita manifeſtata eſt paſſio ejus, ut ipſum ante vos pendere putaretis. Proſcriptus eſt, ſententiam damnationis accepit.

(w) *Et in vobis crucifixus.*] Quaſi apud vos omnia facta ſint. Sive ſic, quem vere pro damnato & mortuo etiam nunc vilem habetis, dum putatis eum vobis non ſufficere ad ſalutem.

(x) *Hoc ſolum a vobis* &c.] Hoc unum vos iotertogo.

(y) *Ex operibus legis ſpiritum accepiſtis* &c.] Si ex merito fidei ſpiritum accepiſtis, quid nobis lex amplius poterit dare?

(z) *Sic ſtulti eſtis, ut, cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini?*] Cum nec Judæi aliter ſpiritum accipiant, quam per fidem Chriſti, vos e contrario putatis vobis ſpiritum non ſufficere ſine lege?

(a) *Tanta paſſi eſtis* &c.] Oſtendit quia in Galatia conſtituti, pro Chriſti fide paſſi ſunt perſecutionem. Item tanta ſine cauſa pro Chriſto toleraſtis, ſi non iterum pro Chriſto corrigatis. Sive quod hic, ſi tamen, non dubitantis ſermo ſit, ſed potius confirmantis, ſecundum illud: ſi tamen juſtum eſt apud Deum retribuere, qui nos tribulant, tribulationem.

(b) *Qui ergo tribuit vobis* &c.] Spiritum ſanctum ſola fide accepiſtis: qui non niſi a juſtis accipitur: juſtos autem ſine legis oneribus eſſe vos conſtat.

(c) *Abraham credidit Deo, & rep.* &c.] Ita & vobis ad juſtitiam ſola ſufficit fides.

(d) *Cognoſcite ergo: quia qui ex fide ſunt, hi ſunt filii Abrahæ.*] Sive Judæi, ſive Græci, oon carnaliter circumciſi.

(e) *Providens autem Scriptura &c. quia benedicentur in te omnes gentes.*] Non una gens Judaica, ſed omnes quæ ex operibus legis ſunt.

(a) *Igitur*

dens autem Scriptura, quia ex fide juſtificat gentes Deus, prænunciavit Abrahæ: quia benedicentur in te omnes gentes. [a] Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham. [b] Quicumque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim: [c] Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis ut faciat ea: [d] Quoniam autem in lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt: [e] quia juſtus ex fide vivit. [f] Lex autem non eſt ex fide: [g] ſed qui fecerit ea, vivet in illis. [h] Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia ſcriptum eſt: [i] Maledictus omnis qui pendet in ligno: [k] ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Jeſu, [l] ut pollicitationem ſpiritus accipiamus per fidem. [m] Fratres, ſecundum hominem dico: tamen hominis confirmatum teſtamentum [n] nemo ſpernit aut ſuperordinat. Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus. Non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in uno, & ſemini tuo qui eſt Chriſtus. [o] Hoc autem dico: teſtamentum confirmatum a Deo, [p] quæ poſt quadringentos & triginta annos, facta eſt lex, non irritum facit ad evacuandam promiſſionem. [q] Nam ſi ex lege hæreditas, jam non ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſionem donavit Deus. [r] Quid igitur lex? [ſ] Propter tranſgreſſionem poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat, [t] ordinata per Angelos in [u] manu mediatoris. [w] Mediator autem unius non eſt: [x] Deus autem unus eſt. [y] Lex ergo adverſus promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex quæ poſſet vivificare, vere ex lege eſſet juſtitia. [z] Sed concludit Scriptura omnia ſub peccato: ut

(a) *Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham.*]. Non enim circumciſæ ſunt gentes, ut poſſint ex operibus benedici.

(b) *Quicumque enim ex operibus legis ſunt, ſub maled.* &c.] Quia ita prævaluit conſuetudo peccandi, ut nemo jam perficiat legem.

(c) *Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt* &c.] Hoc eſt, qui non omnia uſque ad finem legis mandata ſervaverit. Quæritur ſane hoc loco, ſi fides ſola ſufficiat Chriſtiano: & utrum non ſit maledictus, qui Evangelica præcepta contemnet. Sed fides ad hoc proficit: ut in primitiis credulitatis accedentes ad Deum juſtificet, ſi deinceps in juſtificatione permaneat: cæterum ſine operibus fidei, non legis, mortua eſt fides. Qui enim non credit mandatis, & eos qui Evangelii præcepta contemnunt, maledictos eſſe, & Salvator edocuit, dicens: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum.* Et Jacobus Apoſtolus, minus mandati tranſgreſſorem, omnium reum eſſe demonſtravit. Matth. 25. Jacob 2.

(d) *Quoniam autem in lege nemo juſtific.* &c.] Quia nemo illam ſervat, ideo dictum eſt, quod ſola fide juſtificandi eſſent credentes. Item vult oſtendere, quia ex operibus legis Moyſi juſtificari homo non poſſit, niſi habuerit & fidem: quia veniam dat credenti in Deo. Non enim qui credunt in Chriſto, ſine lege vivere poſſunt.

(e) *Quia ju.* &c.] Perfecta fides eſt: non ſolum Chriſtum, ſed & Chriſto credere.

(f) *Lex autem non eſt ex fide.*] Non juſtificat ſola fides.

(g) *Sed qui fecerit ea, vivet in illis.*] Suo labore conquirat juſtitiam, & vivet in æternum.

(h) *Chriſtus nos redemit* &c.] Qui ſub maledicto non erat: quia per omnia legem implevit. Et ideo indebito maledicto ejus, noſtrum debitum compenſatum eſt, ut liberet tranſeuntes ad fidem.

Deut. 21. (i) *Maledictus omnis qui pendet in ligno.*] Sic eſt ſcriptum: *Si cui fuerit judicium mortis, ſuſpendetis eum in ligno.* Non ideo maledictus, quia pendet: ſed ideo pendet, quia maledictus. Chriſtus ergo cui non erat judicium mortis, nec cauſa ſubeundæ crucis & maledicti reatus, pro nobis maledictum ſuſcepit quia omnes maledicti eramus, & debiti ligno: & ideo maledicti, quia non permanſimus in omnibus quæ ſcripta erant in lege.

(k) *Ut in gentibus benedictio Abrahæ fie.* &c.] Ut ſola fide, gentes benedicerentur in Chriſto, ſicut promiſſum fuerat Abrahæ.

Joh. 2. (l) *Ut pollicitationem ſpiritus* &c.] Quæ per Joëlem Prophetam omni carni promiſſa eſt: id eſt, univerſo generi hominum.

(m) *Fratres, ſecundum hominem dico: tamen hominis confirmatum teſtamentum.*] Humano utor exemplo: comparari enim humana divinis, propter evidentiorem intellectum, poſſunt: æquari non poſſunt.

(n) *Nemo ſpernit aut ſuperordinat. Abrahæ dictæ ſunt pro.* &c.] Quia poſt tantum temporis data eſt lex.

(o) *Hoc autem dico. teſtamentum confirmatum a Deo.*] In Chriſto Jeſu.

(p) *Quæ poſt quadringentos* &c.] Ne quis putet eſſe contrarium: quoniam in libro Geneſeos ad Abraham a Deo dicitur: *Scito prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua: & ſubjicient eos ſervituti: & affligent quadringentos annos:* & hic Apoſtolus triginta annos amplius ponat. Quod autem dicit, hoc eſt. Septuageſimo quinto ætatis ſuæ anno, Abraham accepit a Deo repromiſſionem: a quo tempore uſque ad initium legis Moſaicæ quadringenti & triginta anni, hac ratione complentur: Ex tempore repromiſſionis uſque ad centeſimum annum Abrahæ, quando Iſaac filius ei natus fuit, viginti quinque anni numerantur. Poſtea quinto ætatis anno, Iſaac parvulus, ab Iſmaele cœpit affligi. ſicut idem Apoſtolus in hac ipſa epiſtola ſcribit. Evidenter ergo monſtratur ſecundum ſermonem Dei ad Abraham factum, poſt centum triginta annos repromiſſionis, ſemen ejus perſecutionibus laborare cœpiſſe. Gen. 15.

(q) *Nam ſi ex lege hæreditas, jam non ex promiſſione: Abrahæ autem per repromiſſionem donavit Deus.*] Non per legem, quæ necdum erat.

(r) *Quid igitur lex?*] Quare ergo data eſt lex?

(ſ) *Propter tranſgreſſionem poſita eſt donec veniret ſemen cui promiſerat.*] Propterea data eſt, ut nos non tranſgredi, vel cogeret, vel doceret, uſquedum Chriſtus veniret.

(t) *Ordinata per Angelos.*] Hoc loco Moſem, Dei & Hebræorum mediatorem ſignificat, legem per Angelum Domini accepiſſe: ſicut in libro Actuum Apoſtolorum Stephanus dicit: *Hic eſt Moſes, qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina.* Item legimus Angelos per legem ſæpe populo affuiſſe. Act. 7.

(u) *In manu mediatoris.*] Sive Moſi (ut quidam putant) ſive Chriſti. Nam & Moſes, ajunt, inter Deum & populum medius fuit.

(w) *Mediator autem unius non eſt.*] Id eſt, unius partis.

(x) *Deus autem unus eſt.*] Hoc ideo addidit, ne quis putaret Chriſtum ab unitate divinæ naturæ penitus eſſe diviſum: quia mediatoris ſuſcepiſſet officium.

(y) *Lex ergo adverſus promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex quæ poſſet vivifi.* &c.] Sicut ad Romanos ait: *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur,* ſcilicet, quæ a nemine ſervabatur. Rom. 8.

(z) *Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato: ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.*] Adveniente Chriſto, qui ſub lege Moſi erant, concluſi ſunt peccato, ſi ultra in legis obſervatione permanere voluerint: Quia maledicti qui umbræ legis deſervierunt, veritate præſente. Item oſtendit, quoniam non potuit inveniri, qui daretur credentibus: ut neceſſe eſſet ſola fide ſalvari credentes.

(a) *Prius*

ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus Prius [a] autem quàm veniret fides ; ſub [b] lege cuſtodiebamur : concluſi in eam fidem quæ revelanda erat. [c] Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur. At [d] ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagogo. [e] Omnes enim filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. [f] Quicumque enim in Chriſto Jeſu baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. [g] Non eſt Judæus, neque Græcus : non eſt ſervus, neque liber : non eſt maſculus, neque fœmina : Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu. Si [h] autem vos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis ſecundum promiſſionem hæredes.

C A P U T IIII.

[i] DIco autem : Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cum ſit Dominus omnium, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt uſque ad præfinitum tempus à patre. [k] Ita & nos cum eſſemus parvuli, ſub elementis mundi eramus ſervientes. At [l] ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, [m] factum ex muliere, [n] factum ſub lege : ut eos qui ſub lege erant, redimeret : [o] ut adoptionem filiorum reciperemus [p] Quoniam autem eſtis filii Dei, miſit Deus ſpiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem, Abba pater. [q] Itaque jam non eſt ſervus, ſed filius : quod ſi filius, & hæres per Deum. [r] Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui natura non ſunt Dii, ſerviebatis. [ſ] Nunc autem cum cognoveritis Deum, imo cogniti ſitis à Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis ?

Dies

(a) *Prius autem quam veniret fides.*] Priuſquam veniret eui crederemus.

(b) *Sub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ revelanda erat.*] Servabamur à lege, huic fidei quæ erat ſuo tempore revelanda.

(c) *Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur.*] Ad diſciplinam nos arctius retentans, perfectam doctrinam vero magiſtro ſervabat.

(d) *At ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagogo.*] Perfectæ ætatis diſcipuli non indigent pædagogo.

(e) *Omnes enim filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.*] Aequaliter & Judæi & gentes per ſolam fidem filii Dei eſtis, qua crediſtis Chriſto.

(f) *Quicumque enim in Chriſto Jeſu baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.*] Filium Dei induti, & toti membra ejus effecti, filii Dei ſitis neceſſe eſt : ut quid ergo vobis lex quæ ſervis & peccatoribus data eſt, quibus per baptiſmum peccata remiſſa ſunt?

(g) *Non eſt Judæus, neque Græcus : non eſt ſervus, neque liber : non eſt maſculus, neque fœmina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu.*] Anta enim non ſolum inter Judæum & Græcum, ſed etiam inter tribum & tribum erat magna diverſitas.

(h) *Si autem vos Chriſti, ergo ſemen Abra.* &c.] Si omnes unum corpus eſtis Chriſti, Abrahæ ſemen eſtis, & veri hæredes : non ex carnali ſemine, ſed ex divina promiſſione generati.

IN CAPUT IIII.

(i) D*Ico autem &c. ſub tutoribus & acoribus eſt* &c.] Quia dominatum quondam ſacerdotes & principes exercebant, quos tutores & actores appellat. Modo autem non dominari, ſed formam præbere jubentur : quia ſacerdotale genus ſumus, & omnia communiter habemus : quamvis per illos percipiamus ſacramenta.

(k) *Ita & nos cum eſſemus parvuli, ſub ele.* &c.] Dierum videlicet & temporum, quæ fuerant eorum infirmitati neceſſaria, pro temporis qualitate.

(l) *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum.*] Impletum jam erat tempus, quando legem per malam conſuetudinem nemo poterat cuſtodire.

(m) *Factum ex muliere.*] Dicens factum ex muliere, ſexum ſignificat, non corruptionem. Cæterum ut manifeſte oſtenderet natum ex virgine, ait : ex muliere, non per mulierem. In eo autem quod dicit : ex muliere, monſtrat non more ſolito ex conventu viri & fœminæ, ſed per Spiritum Sanctum, ex matre tantum Chriſtum incarnationem hominis ſuſcepiſſe. Nam 1 *Cor.* 7.
idem Apoſtolus ad Corinthios ſcribens ait : *Sicut mulier ex viro, ita & vir per mulierem.* Unde ſicut in principio generationis, mulier ex viro ſumta eſt : ita & Chriſtus ſecundum carnem, ex matre tantum eſt. Omnis autem reſidua humana generatio, non eſt ex muliere, ſecundum Apoſtoli dictum, ſed per mulierem : ut clareat generatio hominum ex viro per mulierem creari.

(n) *Factum ſub lege : ut eos qui* &c.] Chriſtus ſub lege factus eſt : ut peccatum in carne vincens, credentes in ſe, à legis vinculis liberaret. Ipſe autem ſub lege tamdiu fuit, donec baptizatus, novi Teſtamenti inciperet Evangelium prædicare. Item ſi ſub lege factus non eſſet, Judæos ſalvare non poterat, gentes vero poterat poſitus ſub lege redimere.

(o) *Ut adoptionem filiorum reciperemus.*] Non enim omnes recepiſſemus adoptionem, ſi factus ſub lege non eſſet.

(p) *Quoniam autem eſtis filii Dei, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem, Abba Pater.*] Ex hoc nos probat filios eſſe Dei, quoniam ſpiritum Chriſti accepimus.

(q) *Itaque jam non eſt ſervus, ſed filius : quod ſi filius, & hæres per Deum.*] Quid vis iterum ſervus eſſe, qui jam filius & hæres es ? Item hic manifeſte oſtendit, quia totus populus, unus filius vocatur.

(r) *Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui natura non ſunt dii, ſerviebatis.*] Convertit ſe ad illos, qui ex gentibus crediderant, & arguit illos, quia dies feſtos & tempora Judæorum obſervare vellent, ſicut antea idolis fecerant. Nam Judæis iſti dies ideirco conceſſi ſunt, ne eos, amore feſtivitatis, idolis exhiberent.

(ſ) *Nunc autem cum cognoveritis Deum, imo cogniti ſitis à Deo.*] Ante ignorabamini ab illo, quia non novit iniquos : & non vos illum quæſiſtis, ſed ille vos perditos requiſivit.

(t) *Quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis?*] Evidenter oſtendit Apoſtolus Galatas, poſt acceptam fidem Chriſti, ad idolorum iterum rediſſe culturam.

(a) *Dies*

2 2 5

[a] Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos. [b] Timeo ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis. [c] Eſtote ſicut ego: quia & ego ſicut vos. [d] Fratres, obſecro vos, nihil me læſiſtis. Scitis [e] autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem: & [f] tentationem veſtram in carne mea non ſpreviſtis, neque reſpuiſtis: ſed [g] ſicut Angelum Dei excepiſtis me, [h] ſicut Chriſtum Jeſum. Ubi [i] eſt ergo beatitudo veſtra? [k] Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia, ſi fieri potuiſſet, oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi. [l] Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis? [m] Aemulantur vos non bene, ſed excludere vos volunt: ut illos æmulemini. [n] Bonum autem æmulamini in bono ſemper: & non tantum cum præſens ſum apud vos. [o] Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. [p] Vellem autem eſſe apud vos modo, & [q] mutare vocem meam: [r] quoniam confundor in vobis. [ſ] Dicite mihi qui ſub lege vultis eſſe, Legem non legiſtis? Scriptum eſt enim: quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt: qui autem de libera, per repromiſſionem: [t] quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc [u] enim ſunt duo Teſtamenta: [w] unum quidem in monte Sina, in ſervitutem generans, [x] quæ eſt Agar. [y] Sina enim mons eſt in

(a) *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos.*] Nos non ſimiliter obſervamus: non enim Calendas colimus, nec dies feſtos, ſicut illi in luxuria & epulis, ſed in ſinceritate azyma epulamur.

(b) *Timeo ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis.*] Nihil enim prodeſt Chriſtianos vos factos, ſi illa iterum obſervetis.

(c) *Eſtote ſicut ego: quia & ego ſicut vos.*] Hoc eſt quod dicit: me imitamini gentiliter viventem: quia & ego gentiliter vivo, Judaica obſervatione depoſita: ſicut Apoſtolus in hac eadem epiſtola Petro Apoſtolo
Gal. 2. dicit: *Si tu cum ſis Judæus, gentiliter vivis, quomodo cogis gentes judaizare?*

(d) *Fratres, obſecro vos, nihil me læſiſtis.*] Ut merito putetis me inimicitiarum & non ſalutis veſtræ cauſa moveri.

(e) *Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem.*] Vel per paſſionem, vel etiam per naturalem infirmitatem: qua theſaurum gratiæ in vaſis fictilibus bajulabat.

(f) *Et tentationem veſtram in carne mea non ſpreviſtis, neque reſpuiſtis.*] Increpando hoc Apoſtolus dicit: quia cum fidem Chriſti apud Galatas prædicaret, perſecutionem ab incredulis civibus eorum paſſus eſt: & nihilominus ipſi tentationi & variis injuriis permiſerunt Apoſtolum ſubjacere. Item grandis tentatio eſt, ſi vir ſanctus aut infirmetur, aut impune lædatur. Sed ideo iſta pati permittitur à Deo, ut virtutem per infirmitatem perficiat: & ut corruptionem hanc ſentientes, incorruptam vitam, majori ſtudio & amore perquirant.

(g) *Sed ſicut Angelum Dei excepiſtis me.*] Cum ſe Angelis comparatum gaudet, probat Angelos hominibus eſſe majores.

(h) *Sicut Chriſtum Jeſum.*] Non ſolum ut Angelum.

(i) *Ubi eſt ergo beatitudo veſtra?*] Quam nunc taliter ſuſcepiſtis.

(k) *Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia ſi fieri potuiſſet, oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi.*] Oſtendit quanta eum caritate dilexerint. & quomodo ſe totos ejus doctrinæ tradiderint. Utique cariſſima corporis ſui membra eidem tradere cupierant, hanc ſolam evangelico lumini dignam eſſe viciſſitudinem arbitrantes, ſi ſua lumina ei reddidiſſent.

(l) *Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis.*] Hæc eſt conditio veritatis, ut eam ſemper inimicitiæ ſequantur: ſicut per adulationem pernicioſam, amicitiæ conquiruntur. Libenter enim quod delectat, auditur: & offendit omne quod nolumus. Ita enim & hi diligere cœperant Sabbati otia, & dierum feſtorum epulas prædicantes contra Apoſtolum, qui omnem continentiam ſuo illis exemplo monſtrabat.

(m) *Aemulantur vos non bene, ſed excludere vos volunt: ut illos æmulemini.*] Aemulus & imitator, poteſt & inimicus intelligi. Sic non bonum æmulatur, qui ut alium dejiciat, non ut ipſe proficiat, æmulatur. Aemulamini autem meliora chariſmata.

(n) *Bonum autem æmulamini in bono ſemper: & non tantum cum præſens ſum apud vos.*] Nolite illos æmulari, ſed bonum ſemper æmulamini: non præſentia mea tantum.

(o) *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.*] Evidenter hoc adverſus hæreticos valet: qui poſt baptiſma peccantibus, pœnitentiam non dant, Item in illo vere Chriſtus formatur, qui virtutem fidei ejus intelligit: & in quo omnis converſatio ejus exprimitur atque depingitur.

(p) *Vellem autem eſſe apud vos modo,*] Quia quanta vos audire meremini, ſcribere tanta non poſſum.

(q) *Et mutar vocem* &c.] Vocem blandientis patris, in rigorem magiſtri veteris mutare.

(r) *Quoniam confundor in vobis.*] Detrimentum diſcipulorum, confuſio eſt magiſtri: ſicut profectus eorum, eſt gloria præceptoris. Confunditur autem: quia jam filii facti, rurſum ſervi eſſe cupiebant.

(ſ) *Dicite mihi qui ſub lege &c. quoniam Abraham duos filios* &c.] Iſmael, carnis: Iſaac, filius fidei. Illum enim Abraham ſecundum carnalem uſum genuit: iſtum contra naturam promiſſione ſuſcepit.

(t) *Quæ ſunt per alleg. dicta.*] Quæ quidem ſunt per allegoriam dicta, hoc eſt, alia ex aliis figurata. Dedit autem regulam hoc loco amplius intelligendi allegoricas rationes, ſcilicet ut, manente hiſtoriæ veritate, figuras veteris Teſtamenti exponamus. Nam cum dixiſſet, Abraham duas uxores veriſſime habuiſſe, poſtea quid præfiguraverint, demonſtravit: & hoc ipſum ibi fecit, ubi aliqua ſanctorum honeſta geſta referuntur: non ubi peccata notantur. Cæterum delicta dicere per myſteria, aut impoſſibilitatis, aut ignorantiæ Deum eſt criminari. Qui autem aliter ſua monſtrare non poterit ſacramenta: aut certe putans ſibi quorumdam peccata neceſſaria, prius illa generaliter condemnet: ſed & poſtea reprehendendo atque vindicando oſtendat, illa non propter ſua myſteria fieri voluiſſe: præcepta vero difficile inveniet Apoſtoli, taliter exponentis: ne eorum vitam videretur enervare.

(u) *Hæc enim ſunt duo teſtamenta.*] Vetus & novum, ſingulos populos generantia.

(w) *Unum quidem in monte Sina, in ſervitutem generans.*] Judæi metu præſentium cogebantur, ut feræ: nos vero præmiis invitamur, ut liberi: & illi quaſi ſervi præter moralia præcepta, etiam diverſis operibus premebantur: nobis autem quaſi filiis, moralibus monitis adimpletis, ſervilia onera auferuntur: ſed illi ſacerdotibus ſuis ex debito ſervientibus, tributa etiam reddere cogebantur: nos præter caritatem nihil debentes, antiſtites noſtros voluntarie honoramus.

(x) *Quæ eſt Agar.*] Cujus typum habuit Synagoga.

(y) *Sina enim mons eſt in Arabia, qui conjunctus eſt ei quæ nunc eſt Hieruſalem.*] Ex qualitatibus locorum, vult intelligi diverſitatem Teſtamentorum.

(a) *Et*

eſt in Arabia: qui conjunctus eſt ei, quæ nunc eſt Hieruſalem: [a] & ſervit cum filiis ſuis. [b] Illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt: quæ eſt mater noſtra, ſicut ſcriptum eſt: [c] Lætare ſterilis quæ non paris: [d] erumpe & clama quæ non parturis: [e] quia multi filii deſertæ magis [f] quam ejus quæ habet virum. Nos [g] autem, fratres, ſecundum Iſaac, promiſſionis filii ſumus. [h] Sed quomodo tunc is qui ſecundum carnem natus fuerat, [i] perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum: [k] ita & nunc. [l] Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. [m] Itaque, fratres, non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ, qua libertate nos Chriſtus liberavit.

C A P U T V.

[n] STate & nolite iterum jugo ſervitutis contineri. [o] Ecce ego Paulus dico vobis: [p] quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. [q] Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe: quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ. [r] Evacuati eſtis à Chriſto: qui in lege juſtificamini, à gratia excidiſtis. [ſ] Nos enim ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ exſpectamus. [t] Nam in Chriſto Jeſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed [u] fides quæ per caritatem operatur. [w] Currebatis bene: [x] quis vos impedivit veritati non obedire? [y] Nemini conſenſeritis. Perſuaſio hæc non eſt ex eo qui vocat vos. [a] Modi-

(a) *Et ſervit cum filiis ſuis.*] Cum filiis Hieruſalem gentibus ſervit.

(b) *Illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt: quæ eſt mater noſtra &c.*] Recte dicit Apoſtolus, Hieruſalem cœleſtem ſterilem eſſe generatione filiorum: quia non illic generat filios: ſed hic per fidem renatos in Chriſto, poſtea ſuſcipit: & eorum quos ſuſceperit, mater efficitur. Hoc autem valet contra dogma eorum, qui dicunt animas de cœlo propter peccatum in terras demitti, & naſcentibus corporibus infundi. Quod autem ait: *Multi filii deſertæ magis quam quæ habet virum:* Filios deſertæ, ſignificat Eccleſiæ populos ex gentibus congregatos. Habentem autem virum, Synagogam Judæorum teſtatur: ſicut Oſee Propheta
Oſe. 2. monſtrat: *Judicate matrem veſtram, judicate: quia ipſa non uxor mea: & ego non vir ejus.* Item Eccleſia mater eſt tam gentilium credentium, quam etiam Judæorum: cujus filii ſervi eſſe non poſſunt. Et ideo & mediator novi Teſtamenti de cœlo advenit pontifex: & Evangelium non in uno loco, ſed in toto mundo eſt prædicatum.

(c) *Lætare ſterilis quæ non paris.*] Prophetico teſ-
Iſa. 54. timonio probat meliorem nos, quam Judæos, matrem habere.

(d) *Erumpe & clama quæ non parturis.* Clamor, pro prophetia ponitur in hoc loco.

(e) *Quia multi filii deſertæ magis*] Hoc præfigura-
1 Reg. 2. bat Anna, quæ dixit: Sterilis quæ peperit ſeptem: & fœtoſa in filiis infirmata eſt.

(f) *Quàm ejus quæ habet virum.*] Quæ virum habere putans de fœcunditate gloriatur. Aut quia habebat virum antequam ejiceretur cum filio ſuo.

(g) *Nos autem, fratres, ſecundum Iſaac promiſſionis filii ſumus.*] Quomodo de Iſaac, ita & de nobis eſt Abrahæ repromiſſum: quod ſcilicet in eo benedicendæ eſſent omnes gentes.

(h) *Sed quomodo tunc is qui ſecundum &c.*] Semper carnales homines, eos qui ſpirituales ſunt, perſequuntur. Unde mirum non eſt, ſi modo carnei & ſeculares, homines ſanctos tribulent & affligant: imo inde cognoſcendi ſunt juſti eſſe, ſi à talibus opprimantur.

(i) *Perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum.*] In
Gene. 21. Geneſi quidem hoc ſcriptum eſt: Quia illuſerat Iſaac Iſmael. Sed Apoſtolus oſtendit non ſimplicem luſum fuiſſe, quem perſecutionem appellat. Quia ſcurrilem eum & levem ſicut ipſe erat, facere cupiebat, ne illi poſſit in hæreditate præferri. Ideo Abraham dejiciendo eum, vocem Saræ jubet audire.

(k) *Ita & nunc.*] Ita & iſti ſervos ſuos ſibi ſimiles facere nituntur.

(l) *Sed quid dicit Scriptura? Ejice &c.*] Quantumvis ſe extollat iniquitas, ancilla eſt, & ſubjicienda ſanctis: ſicut & Judæi, quamvis Abrahæ filios ſe jactent, quamdiu filii ancillæ fuerint, nobiſcum hæreditatem habere non poſſunt.

(m) *Itaque, fratres, non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ: qua libertate nos Chriſtus liberavit.*] Non debemus ancillam ſequi, matre relicta: quia licet ejuſdem viri fuerit uxor, tamen ad tempus: quia Saræ tempus nondum venerat generandi.

IN CAPUT V.

(n) S*Tate & nolite iterum jugo ſervitutis contineri.*] State in fide Evangelii, jam enim tempus legis effluxit: nolite jugum cum Judæis trahere, quod nec ipſi ferre poſſunt.

(o) *Ecce ego Paulus dico vobis.*] Ego vobis audenter dico, neminem pertimeſcens.

(p) *Quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil prode.*] Quia ſolum illum ad ſalutem vobis ſufficere non putatis.

(q) *Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti. &c.*] Qui caput operum legis ſuſcepit, neceſſe eſt ut cætera membra ſuſtineat, ne maledicto ſubjaceat.

(r) *Evacuati eſtis à Chriſto: qui in lege juſtificamini, à gratia excidiſtis*] Si in lege ſpem ponitis, & juſtificare poſſe vos creditis, infirmam Chriſti gratiam judicatis: & quod jam gratis conſecuti eſtis, tamquam non habentes, propriis vultis laboribus adipiſci.

(ſ) *Nos enim ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ exſpectamus.*] Spirituali converſatione perfectæ fidei, ſperamus nos juſtitiæ immortalem accepturos eſſe mercedem.

(t) *Nam in Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium.*] Neque circumciſio prodeſt, nec præputium nocet temporibus Chriſtianis.

(u) *Sed fides quæ per caritatem operatur.*] Ergo & fides operatur per caritatem, non per timorem. qui enim credit Deo, attendit mandatis: nam qui credit futuris, amplius operatur, quam qui præſentem metuit pœnam.

(w) *Currebatis bene.*] Fidei greſſibus, & moralibus diſciplinis.

(x) *Quis vos impedivit veritati non obedire?*] Quis ille fuit qui legis operibus implicavit, ut curſum veſtræ fidei impediret?

(y) *Nemini conſenſeritis: perſuaſio hæc non eſt ex eo qui vocat vos.*] Nec illis, nec mihi, ſine verbis Dei conſentire debetis, qui vos iterum ad pœnitentiam vocat.

[a] Modicum fermentum, totam maſſam corrumpit. [b] Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud ſapietis. [c] Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque eſt ille. [d] Ego autem, fratres, ſi circumciſionem adhuc prædico, quid adhuc perſecutionem patior? [e] Ergo evacuatum eſt ſcandalum crucis? [f] Utinam abſcindantur qui vos conturbant. [g] Vos enim in libertatem vocati eſtis, fratres, tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis: ſed [h] per caritatem ſpiritus, ſervite invicem. Omnis [i] enim lex in uno ſermone impletur: [k] Diliges proximum tuum [l] ſicut teipſum. Quod ſi [m] invicem mordetis & comeditis, [n] videte ne ab invicem conſumamini. [o] Dico autem in Chriſto. Spiritu ambulate: & [p] deſideria carnis non perficietis. [q] Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum: ſpiritus autem adverſus carnem. [r] Hæc enim ſibi invicem adverſantur: ut non quæcumque vultis, illa faciatis. [ſ] Quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. [t] Manifeſta ſunt autem opera carnis: [u] quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: [w] quæ prædico vobis ſicut prædixi: [x] quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. [y] Fructus autem ſpiritus, eſt caritas, [z] gaudium, [a] pax, patientia, [b] benignitas, bonitas, [c] longanimitas. [d] manſuetudo, [e] fides, [f] modeſtia, [g] continentia, [h] caſtitas. [i] Adverſus hujuſcemodi non eſt lex. [k] Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.

C A-

(a) *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.*] Ne quis diceret: Cur omnes corripis, dum non omnes erraverunt? Oſtendit, quod modicum malitiæ fermentum, totam poſſit Eccleſiam, & maſſam ſuam à veritate corrumpere.

(b) *Ego confido in vobis in Domino, quia nihil aliud ſapietis.*] Quam habet veritas Chriſti.

(c) *Qui autem conturbat vos, portabit judicium quicumque eſt ille.*] Ab Evangelii veritate.

(d) *Ego autem, fratres, ſi circumciſionem adhuc prædico*, &c.] Quod de me vobis mentiti ſunt deceptores, ita me aliis prædicare. Quid perſecutionem patior, ſi ipſius circumciſionis non inimicus ſum, ut affirmatur?

(e) *Ergo evacuatam eſt ſcandalum crucis?*] Ideo ſcandalum patiuntur, quia in ſola fide crucis dico eſſe ſalutem.

(f) *Utinam abſcindantur qui vos conturbant.*] Si putant ſibi hoc prodeſſe: non ſolum circumcidantur, ſed etiam abſcindantur: ſi enim exſpoliatio membri proficit, multo magis ablatio. Quidam dicunt: Utinam errore abſciſſi, veritatis radicibus inſerantur.

(g) *Vos enim in libertatem vocati eſtis, fratres: tamen ne libertatem in occaſionem* &c.] Tantum ne per occaſionem circumciſionis, ad legis ſervitium redeatis.

(h) *Sed per caritatem* &c.] Non ſuperbiam per ſpeciem libertatis inſinuo: ſed ſpontaneum eſſe volo ſervitium, non coactum.

(i) *Omnis enim lex* &c.] Legis etiam ipſa moralia, quæcumque ſunt, uno poſſunt ſermone concludi: & in uno hoc præcepto compleri.

(k) *Diliges proximum tuum.*] Dilectio vel caritas, in quatuor modis conſiſtit: hoc eſt, in Dei dilectione, quæ prima eſt: ſecunda, ſi nos metipſos ſecundum Deum amemus: tertia, proximos: quarta, etiam inimicos. Deum ergo pluſquam nos diligere debemus, proximum ſicut nos: inimicum ut proximum. Proximus diligebatur in lege: & niſi Deum primo dilexerimus, nos minime poſſumus non peccando diligere: & nos diligamus ad quam formam proximos diligimus: quod ſi proximos non amamus, quomodo inimicum amare poterimus? Si ergo volumus dilectionem habere, primo Deum pluſquam noſtras animas diligamus: quod inde probatur, ſi propter Deum etiam ſalutem noſtram, & ipſas animas contemnamus.

(l) *Sicut teipſum.*] Qui ſe cum proximum diligit, utraque complet genera mandatorum: id eſt, nec malum facit ulli, nec bonum facit.

(m) *Quod ſi invi.* &c.] Per contentiones ſinguli vos meliores alteris judicando.

(n) *Videte* &c.] Dum alter alteri occaſio perditionis exſtat.

(o) *Dico autem in Chriſto: Spiritu amb.*] Spiritualibus actibus, quos infra deſcribit.

(p) *Et deſideria* &c.] Non quo caro ſine anima concupiſcat: ſed quoniam ipſa anima carnalia cogitat, caro dicitur: quoniam vero ſpiritualia, unus cum Deo fit ſpiritus. Quamdiu vero duplex in nobis eſt deſiderium vel voluntas, non perficimus quæcumque volumus, uno ædificante in nobis, & alio deſtruente.

(q) *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum: ſpiritus autem adverſus carnem.*] Carnalis conſuetudo adverſus ſpirituale deſiderium.

(r) *Hæc enim ſibi invicem adverſantur: ut non quæcumque vultis, illa faciatis.*] Hoc facit ratio, ut non voluntatem ſequatur effectus.

(ſ) *Quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.*] Si vos ſpiritualibus per omnia actibus occupetis, non eſt vobis lex neceſſaria, quæ carnalibus data eſt.

(t) *Manifeſta ſunt autem opera carnis.*] Non eſt difficile diſcernere inter utraque opera.

(u) *Quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ* &c.] Inimicitias & cætera ſequentia, carnalia dicit: quæ animæ ſunt, non carnis: ne Manichæi eum ſubſtantiam carnis accuſare putarent: ſed omne malum carnale definivit, omne bonum ſpirituale, quia cœleſte.

(w) *Quæ prædico vobis ſicut prædixi.*) Ex his cætera colligere poteram: quæ compendii gratia prætermiſi.

(x) *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.*] Notandum atque plangendum quod contentioſos atque diſſidentes vel iracundos, cum idololatris, & veneficis, & homicidis penitus excluſit à regno.

(y) *Fructus autem ſpiritus eſt caritas.*] Omnium virtutum prima eſt caritas, quam in quatuor partes diviſibilem annotavimus.

(z) *Gaudium.*] Spirituale.

(a) *Pax, patientia.*] Etiam cum odientibus pacem.

(b) *Benignitas, bonitas.*] Semper bene velle facere.

(c) *Longanimitas.*] Illatas injurias ſuſtinere patienter.

(d) *Manſuetudo.*] Nulli injuriam irrogare.

(e) *Fides.*] Vel debes credere, vel omnibus promiſſa complere.

(f) *Modeſtia.*] Nec læſus iraſci.

(g) *Continentia.*] In conjugiis ſpiritualibus.

(h) *Caſtitas.*] In virginibus intelligitur.

(i) *Adverſus hujuſcemodi non eſt lex.*] Non enim iſta prohibuit: ſed & qui novum implet, non eſt ſub veteri Teſtamento.

(k) *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifi.* &c.] Si omnia ſimul vitia crucifixa ſunt, & caro quaſi pendens in ligno, non concupiſcit: ut quid nobis lex, quæ data eſt ad vitia coërcenda? Simul illud notandum quod eos dixerit Chriſti eſſe, qui carnem cum vitiis crucifixerunt. Hoc contra illos, qui ſolam fidem ſufficere arbitrantur.

IN CA-

CAPUT VI.

[a] SI ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus. [b] Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, [c] invicem provocantes, invicem invidentes. [d] Fratres, & ſi præoccupatus homo fuerit in aliquo delicto: vos qui ſpirituales eſtis, hujuſcemodi inſtruite in ſpiritu lenitatis: [e] conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. [f] Alter alterius onera portate: & ſic adimplebitis legem Chriſti. [g] Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. [h] Opus autem ſuum probet unuſquiſque: [i] & ſic in ſemetipſo tantum gloriam habebit, & non in altero. [k] Unuſquiſque enim onus ſuum portabit. [l] Communicet autem is qui catechizatur verbo ei qui ſe catechizat in omnibus bonis. [m] Nolite errare, Deus non irridetur. [n] Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet: quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem. [o] Qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. [p] Bonum autem facientes non deficiamus: [q] tempore enim ſuo metemus non deficientes. [r] Ergo dum tempus habemus, [ſ] operemur bonum ad omnes: maxime autem ad domeſticos fidei. [t] Videte qualibus litteris ſcripſi vobis mea manu, [u] Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi: tantum ut crucis Chriſti perſecutionem non patiantur. [w] Neque enim qui circumciduntur, legem cuſtodiunt: [x] ſed volunt vos circumcidi, ut in carne veſtra glorientur. [y] Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. [z] In Chriſto enim

IN CAPUT VI.

(a) S*I ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus.*] Si per ſpiritum vitam habemus, ſpiritualiter converſemur, & non carnaliter legi ſervimus.

(b) *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.*] Inanis gloriæ eſt cupidus, qui alterius quamvis veram doctrinam evacuare conatur, ut plures videatur habere diſcipulos: hujuſmodi tamen ſe alterutrum ad iracundiam provocare conſueverunt: quamdiu ſibi invicem invidere non deſinunt. Inanis aliter goria eſt: ſi ex his quæ non præcipiuntur in lege, omnes cogamus facere, quantum non facimus: & cum ipſi non poterimus, hæc ſuperflua dicamus.

(c) *Invicem provocantes, invicem invidentes.*] Si irridendo ſeductos ad iracundiam provocetis, & illi vobis invideant.

(d) *Fratres, & ſi præoccupatus homo fuerit* &c.] Hoc illis dicit, qui non fuerant periali: ut præventos corrigant manſuete. Sane in his prævenitur humana fragilitas: quæ leviora ſunt, & ex inſperato contingunt. Cæterum non eſt prævenio, ubi aliquid cum conſilio diu meditato committitur.

(e) *Conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.*] Quia & tu ipſe homo cum ſis, poteſm aliquin præveniri, & adjutorio indigere, ſicuti ſani infirmos ſuſtinent: & mortuos ſepeliunt vivi: quia & ipſi infirmari & mori ſe poſſe credunt.

(f) *Alter alterius onera portate: & ſic* &c.] Lex
Joan. 13. Chriſti, caritas eſt: ſicut ipſe dicit: *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis*: ſicut & ego dilexi vos. Notandum quod gratia, lex dicatur.

(g) *Nam ſi quis exiſtimat* &c.] Qui ſe putat non poſſe tentari: ſive qui plus de ſe laudanti, quam ſuæ conſcientiæ credit.

(h) *Opus autem ſuum probet unuſquiſque.*] Teſtimonio conſcientiæ.

(i) *Et ſic in ſemetipſo* &c.] In ſua conſcientia, & non in alterius adulatione: ſive in ſua juſtitia, non alieno peccato. Nemo enim proficit ad alterius detrimentum: nec ex illius delicto, juſtior quam fuerit, apparebit.

(k) *Unuſquiſque enim onus ſuum por.*] Non enim onus ejus aufert laus ſectantis.

(l) *Communicet autem* &c.] Sive obedientiam verbo, & actibus imitationem, ſive ſubſtantiam victus.

(m) *Nolite errare* &c.] Homo poteſt a ſerpente, Dei vindictam negante, irrideri, ſicut Eva. Nam Deus exhibet quod promittit: nam ut omnem ejus aſtutiam excluderet: amplius primo peccantibus reddidit, quam promiſit: & uxori Lot etiam quod non dixerat, fecit.

(n) *Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet: quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem.*] Qui ſpem habet in circumciſione carnali, vel qui vitia ſeminat, metet pœnam.

(o) *Qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.*] Qui in ſpirituali converſatione ſeminat, vel fide.

(p) *Bonum autem facientes non deficiamus.*] Sicut
Eccleſiaſticus ait: *Non impediaris orare ſemper: & non* Eccl. 18.
verearis uſque ad mortem juſtificari: quoniam merces Domini manet in æternum. Indeficientem enim juſtitiam, indeficiens præmium ſubſequitur: quia qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit.

(q) *Tempore enim ſuo metemus non deficientes.*] Nunc tempus ſeminandi eſt, non metendi.

(r) *Ergo dum tempus habemus.*] Ultimum ſementis hoc tempus eſt: feſtinemus ergo campos omnes ſerere: ſed magis eos qui ſunt uberrimi, repleamus: ne incipiamus tempore meſſis, aliis ambulantibus eſurire.

(ſ) *Operemur bonum ad omnes: maxime autem ad domeſticos fidei.*] Indigentibus Judæis & Paganis, & omnibus Chriſtianis, bonis maliſque miſericordiam faciamus: nec alicui quod Dominus communiter tribuit, denegemus: maxime tamen his qui peculiarem fidei exhibent famulatum.

(t) *Videte qualibus litteris ſcripſi vobis mea manu.*] Intelligite quam non timeam, qui litteras manu mea nuper ſcripſi.

(u) *Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi: tantum ut crucis Chriſti perſecutionem non patiantur.*] Qui Judæis carnalibus placere deſiderant, crucis Chriſti perſecutionem ſuſtinere timentes.

(w) *Neque enim qui circumciduntur, legem cuſtodiunt.*] Si circumciſio legem faceret cuſtodire, aliquid videretur habere rationis iſta perſuaſio.

(x) *Sed volunt vos circumcidi, ut in carne veſtra glorientur.*] Ut de carne veſtra apud Judæos laudem habeant: ſive quod diſcipulos ad ſe traxerint, glorientur.

(y) *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.*] Non in propria juſtitia, vel doctrina, ſed in fide crucis: per quam mihi omnia peccata dimiſſa ſunt: ut ego mundo morerer, & ille mihi.

(z) *In Chriſto enim Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura.*] Hoc tempore ſolum hoc prodeſt: ſi quis renatus in Chriſto,
nova converſatione utatur: ut Propheta ait: Inno- Hier. 4.
vate vobis novam meſſem: & ne ſeminaveritis inter ſpinas

enim Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura. [a] Et quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos & miſericordia, [b] & ſuper Iſraël Dei. [c] De cætero nemo mihi moleſtus ſit. Ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto. [d] Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro, fratres. Amen.

ſpinas. Circumcidite vos Deo veſtro: & circumcidite præputium cordis veſtri.

(a) *Et quicunque hanc regulam ſequuti fuerint, pax ſuper illos & miſericordia.*] Quia in ſola fide ſpes collocatur animarum.

Rom. 9. (b) *Et ſuper Iſraël Dei.*] Dei eſt ergo Iſraël: Non enim omnes qui ſunt ex Iſrael, hi ſunt Iſraelitæ.

(c) *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.*] Nemo me amplius interroget, quaſi dubitans: quia omnem expoſui veritatem. Ego enim ſigna & characteres, noo circumciſionis, ſed crucis & paſſionis in corpore meo circumfero.

(d) *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro fratres.*] Subſcriptio talis eſt Apoſtoli. Optat autem ut gratia eos Domini, noo legis opera comitentur. Simul & attende: quia cum ſpiritu veſtro dixerit, oon cum carne: in cujus circumciſione gloriantur carnales: vos autem ſpiritualiter converſamini, ut ſpiritualiter circumciſi.

Commentariorum in Epiſtolam ad Galatas finis.

S. PAULI APOSTOLI

EPISTOLA AD EPHESIOS.

CAPUT I.

[a] PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti [b], per voluntatem Dei: [b] omnibus ſanctis [c] qui ſunt Epheſi: & fidelibus in Chriſto Jeſu [d] Gratia vobs & pax a [e] Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto. [f] Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, [g] qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, [h] in cœleſtibus in [i] Chriſto: [k] ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem: ut eſſemus ſancti & immaculati in [l] conſpectu ejus in [m] caritate. [n] Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum [o] per Jeſum Chriſtum in ipſum, [p] ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, [q] in laudem gloriæ gratiæ ſuæ: [r] in qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo, [ſ] in quo habemus redentionem, per ſanguinem ejus in remiſſionem peccatorum, ſecundum divitias gratiæ ejus: [t] quæ ſuperabundavit in nobis in omni ſapientia & prudentia: ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum ejus quod propoſuit in eo in [u] diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare

PELAGII COMMENTARII IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

IN CAPUT. I.

(a) P*Aulus Apoſtolus Jeſu Chriſti, per voluntatem Dei.*] Noo meis meritis.

(b) *Omnibus ſanctis.*] Omnes ſancti fideles, non omnes fideles ſancti: Quia poſſunt etiam catechumeni ex eo quod Chriſto credunt, fideles dici, non tamen ſancti ſunt, quia non per baptiſmum ſanctificati. Sive ſic intelligendum, quod ſcribat, fideliter ſervantibus gratiam ſanctitatis.

(c) *Qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Jeſu.*] Non omnibus Epheſiis, ſed his qui credunt in Chriſto.

(d) *Gratia vobis & pax.*] Tunc vobis valebit gratia, ſi ei non ſitis ingrati: ſalutem veſtram veſtris meritis deputantes. Pacem vero reconciliationis obſervabimus, ſi nihil ejus bonitati vel juſtitiæ deinceps faciamus contrarium.

(e) *A Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.*] Unum eſſe Patrem & Filium demonſtrat, utique pariter operantes.

(f) *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti.*] Laudat Deum, eo quod donaverit infra ſcripta.

(g) *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali.*] Non aliquantis, ſed omnibus ſpiritualibus gratiæ benedictionibus: ut quomodo in nobis nihil deeſt ex illo, ita voluntati ejus nihil deſit ex nobis.

(h) *In cœleſtibus.*] Non in carnali proſperitate, nec In terrena abundatia.

(i) *In Chriſto.*] In capite omnia membra benedixit.

(k) *Sicut elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem &c.*] Quia oihil novum eſt ei apud quem omnia erant, antequam fierent. Noo ut quidam hæretici ſomniant animas noſtra in cœlo fuiſſe ſegregatas.

(l) *In conſpectu ejus.*] Non hominum.

(m) *In caritate.*] Hoc fecit: ſive immaculatos diligit Deus.

(n) *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem &c.*] Hoc prædeſtinavit, ut haberent poteſtatem filii Dei fieri homines, qui credere voluiſſent: ſicut ſcriptum eſt: *Loquebantur verbum cum fiducia omni volenti credere.*

(o) *Per Jeſum Chriſtum in ipſum.*] Ut membra ejus ſimus.

(p) *Secundum propoſitum voluntatis ſuæ.*] Non ſecundum merita noſtra.

(q) *In laudem &c.*] Ut laudemus gloriam gratiæ ejus.

(r) *In qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo.*] In qua gratia gratos fecit nos ſibi in Chriſto.

(ſ) *In quo habemus redemtionem, per ſanguinem &c.*] Non ſolum redemit, ſed etiam peccata remiſit: ſine labore noſtro, juſtos nos fecit, ſecundum divitias gloriæ ejus.

(t) *Quæ ſuperabundavit in &c.*] Pluſquam abundavit, ut oon ſolum a morte redemtis gratis peccata dimitteret, ſed etiam nobis tantam ſapieotiam donaret, ut voluntatis ejus occulta myſteria noſceremus.

(u) *In diſpenſa. &c.*] In noviſſimis temporibus: quoniam omnis diſpenſatio temporum, legis & naturæ, prophetarumque tranſacta eſt.

(a) *In-*

[a] inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis & quæ in terra ſunt in ipſo. [b] In quo etiam nos ſorte vocati ſumus, [c] prædeſtinati [d] ſecundum propoſitum ejus, qui [e] operatur omnia [f] ſecundum conſilium voluntatis ſuæ: [g] ut ſimus in laudem gloriæ ejus, nos [h] qui ante ſperavimus in Chriſto. In [i] quo & vos cum audiſſetis verbum veritatis, Evangelium ſalutis veſtræ: in [k] quo & credentes [l] ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ in [m] redemtionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius. [n] Propterea & ego audiens fidem veſtram, quæ eſt in Chriſto Jeſu, & [o] dilectionem in omnes ſanctos: [p] non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis: [q] ut Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti, pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis in [r] agnitionem ejus, [ſ] illuminatos oculos cordis veſtri: ut [t] ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus: & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis. Et [u] quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus ſecundum operationem potentiæ virtutis ejus; quam operatus eſt in Chriſto Jeſu, ſuſcitans illum à mortuis: & [w] conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, [x] ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem: & [y] omne nomen quod nominatur: non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro: & [z] omnia ſubjecit ſub pedibus ejus. Et ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam: quæ eſt corpus ipſius & plenitudo ejus, qui [a] omnia in omnibus adimpletur.

C A-

(a) *Inſtaur.* &c.] Multi ſuper hac re diverſa dixerunt. Nam quidam aiunt cœlos, animas: terram, corpora accipienda. Alii cœlos, Judæos, qui cœleſtia præcepta habuerant: terram eſſe Gentiles affirmant. Alii vero aſſerunt, non Angelos per cœlos ſignificari, ſed eorum ſcientiam, ex Chriſti enim tempore profeciſſe, qui tamquam ignari interrogabant: Quis eſt iſte Rex gloriæ? Et doceotur Dominum eum eſſe virtutum. Sed quoniam ioſtaurare non dicitur, niſi lapſum: melius eſt ſi eorum gaudium in ſalute hominum inſtauratum eſſe dicamus, quod habuerant antequam bomines à juſtitia penitus declinarent. In terra vero inſtauratum genus bominum, per Chriſtum, nullus ignorat.

(b) *In quo etiam* &c.] Nos qui ex Judæis credimus.

(c) *Prædeſtinati.*] Per fidem, * ſive præcogniti.

(d) *Secundum propoſ. ejus.*] Propoſuit omnia reſtaurare: ſed primo oves perditas domus Iſrael.

(e) *Qui operatur omnia.*] Omnium borum cauſa, voluntas Dei eſt: quam rationabilem eſſe noo dubium eſt.

(f) *Secundum conſi. vo. ſuæ.*] Non ſecundum merita noſtra.

(g) *Ut ſimus* &c.] Ut per converſationem noſtram, & ſigna quæ facimus, detur gloria Deo.

(b) *Nos qui* &c.] Nos Apoſtoli vel Judæi, qui priores credimus Chriſto: ſive ex lege exſpectavimus.

(i) *In quo & vos cum audiſſetis ver.* &c.] In quo etiam vobis gentibus adnunciata eſt ſalus.

(k) *In quo & credentes.*] Io quo Evangelio, ſive Chriſto.

(l) *Signati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſtis* &c.] Hinc cognoſcimini unum eſſe, quia eumdem ſpiritum accepiſtis: cujus ſigna, arrha ſunt hæreditatis futuræ. Si ergo mortuos ſuſcitare arrba eſt, quanta erit iſta poſſeſſio? Pignus vero promiſſis fidem operatur ſpiritu promiſſionis, qui non carni promiſſus eſt.

(m) *In redemtionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius.*] Quos redimendo ſuo ſanguioe acquiſivit, ut etiam in hoc laudemus gloriam ejus.

(n) *Propterea & ego audiens fidem veſtram, quæ eſt in Chriſto Jeſu.*] Quam firmiter teneatis fidem Jeſu.

(o) *Et dilectionem in omnes ſanctos.*] Hoc eſt, fidem operibus comprobatis: & omnes bonos, ſine exceptione perſonæ vel notitiæ, diligitis. Cavere autem à pſeudoprophetis, & oon omni ſpiritui credere: & non ante probationem nobis judicare præcipitur.

(p) *Non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis.*] Non ut quidam in jucunditate convivii: mihi autem nihil oratione jucundius.

(q) *Ut Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti pater* &c.] Notandum quia fidem & caritatem habentibus ſapientia à Domino prædicatur: noverat enim adjutricem eſſe virtutum.

(r) *In agnitionem ejus.*] Quomodo optat ut agnoſcant Deum, quem uſque adeo noverant, ut ei credentes, omnes propter ipſum diligerent ſanctos? Sed hoc petit, ut perfecte agnoſcant magnitudinem ejus atque virtutem, qua poteſt promiſſa præmia vel pœnas implere. Magnitudinem: qui cum ubique ſit, nihil eum poteſt omnino latere: qui eum pro certo cognoverit, oullo poterit in loco peccare: nam qui bumanum teſtimonium erubeſcit, multo magis divinum poterit revereri. Unde filii * cum ſacerdotes eſſent, Deum neſciſſe dicuntur: quia præſentiam & potentiam ejus minime timuerunt. Et Joannes amplius omoem qui peccat, *Deum non cognoviſſe* coofirmat.

(ſ) *Illuminatos oculos cordis veſtri.*] Spiritualia promiſſa non niſi ſpiritualibus oculis pervidentur.

(t) *Ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus* &c.] Si ſciretis ad quantam ſpem vocati eſtis, omnem ſpem ſeculi facile contemneretis: & ſi divitias hæreditatis Dei videretis, omois terrena vobis borrebit hæreditas. Nemo enim regnum cum opibus ſuis ſperans, curator eſſe & mediocrem ſubſtantiam poſſidere dignatur.

(u) *Et quæ ſit ſupereminens* &c.] Omnis magnitudo virtutum Dei in natura vel lege ſupereminet, quia præſtiuit Chriſtianis ut Filio ſuo non parceret: ut eum caput noſtrum factum, ad ſuam dexteram in cœleſtibus collocaret.

(w) *Et conſtituens ad de.* &c.] Hic dextera pro honore pooitur: ne Deus corporeus eſſe credatur. Nam & Pater à dextris eſſe ſcribitur Chriſti. *Dominus*, inquit, *à dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ reges.* Ambo ergo à dextris ſunt: quia nihil eſt in divinitate ſiniſtrum. *Pſal. 109.*

(x) *Super omnem prin.* &c.] Quis eſt unum jam cum Deo aſſumptus homo qui ſuſcitatus eſt.

(y) *Et omne nomen* &c.] Si quod eſt aliud.

(z) *Et omnia ſubjecit &c. ſuper omnem* &c.] Eccleſia omnia plenitudo membrorum eſt.

(a) *Qui omnia in omnibus adimpletur.*] Quando omoes credent, tunc erit corpus ejus effectus in omnibus membris. Totus enim in membris, non in ſingulis impletur, ne nulla ſit diverſitas meritorum.

* Hic quoque dogma Pelagii, aut certe Semipelagianorum agnoſcas; utrique enim à Deo eos prædeſtinatos volebant, quorum fidem præſciviſſet.

* Excidit hic vox *Heli*, reſpicit enim Pelagius ad filios Heli, de quibus 1 Sam. II, 12. *Porrò filii Heli, filii Belial, neſcientes Dominum.* Miror hanc lacunam in ſediſſe non tantùm primam Editionem *Eraſmi* Baſileenſem, ſed & Gryphianam, & Baſileenſem anni MDLIII. quæ emendatiores ſunt.

298

CAPUT II.

[a] ET vos convivificavit cum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in [b] quibus aliquando ambulaſtis, ſecundum ſeculum [c] mundi hujus: [d] ſecundum principem poteſtatis aëris hujus ſpiritus, qui [e] nunc operatur in filios diffidentiæ: [f] in quibus & nos omnes aliquando converſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum: & [g] eramus natura filii iræ ſicut & cæteri. [h] Deus autem qui dives eſt in miſericordia, [i] propter nimiam caritatem ſuam qua dilexit nos, & cum [k] eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, [l] cujus gratia eſtis ſalvati: & [m] conreſuſcitavit & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu: [n] ut oſtenderet in ſeculis ſupervenientibus [o] abundantes divitias gratiæ ſuæ in [p] bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu. [q] Gratia enim eſtis ſalvati per fidem: & hoc non ex vobis. [r] Dei enim donum eſt, non ex operibus: ut ne quis glorietur. Ipſius [ſ] enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus. [t] Propter quod memores eſtore, quod aliquando vos qui gentes eratis in carne: qui [u] dicebamini præputium ab ea quæ dicitur circumciſio in [w] carne manufacta: qui [x] eratis illo in tempore ſine Chriſto, [y] alienati à converſatione Iſraël: & [z] hoſpites teſtamentorum: [a] promiſſionis ſpem non habentes, & [b] ſine Deo in hoc mundo. Nunc [c] autem in Chriſto Jeſu vos, qui aliquando eratis longe, facti

IN CAPUT II.

(a) *ET vos convivificavit cum eſſetis mortui delictis & peccatis.*] Incipit collata beneficia replicare: ut juxta officium mandatorum ex contemplatione donatæ indulgentiæ, avidius concitentur. Mortui enim erant * peccatis facientibus, ſicut Adam & Eva, in deliciis viventes.

(b) *In quibus aliquando ambula.*] Notandum quod in peccatis ambulaſſe illos, non ambulare dixerit.

(c) *Secundum ſeculum* &c.] Seculi hominibus ſimiles, ſequentes Diaboli voluptatem.

(d) *Secundum principem poteſtatis aëris hujus ſpiritus.*] Secundum principem illius poteſtatis, qui hujus aëria ſatellitibus ſuis ad decipiendos diverſis peccatis homines, dives erat poteſtate.

(e) *Qui nunc operatur in filios diffidentiæ.*] Operatur ſuaſione, non vi, in eos qui non credunt. Illi autem qui deſperant atque diffiduot de promiſſione Dei, dicuot filii diffidentiæ, ſicut filii iræ, & gehennæ, & mortis. *In quibus & nos omnes aliquando converſati ſumus.*] Non ſolum vos gentes non credendo, ſed & nos Judæi peccando.

(f) *In deſideriis carnis noſtræ* &c.] Quando mens noſtra rebus terrenis & carnalibus inhærebat, non ſolum deſiderabant, ſed & faciebant quæcumque mala cogitatio ſuggeſſiſſet.

(g) *Et eramus natura filii iræ* &c.] Ita nos paternæ traditionis * conſuetudo poſſederat, ut omnes ad damnationem naſci videremur.

(h) *Deus autem qui dives eſt in miſericordia.*] Miſericors hominibus: quia omnia diligis quæ creaſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti.

(i) *Propter nimiam caritatem* &c.] Nimia caritas eſt, rebelles ſervos quaſi filios diligere. Unde conſiderandum eſt quantum diligit ſanctos & perfectos, qui tantum dignatus eſt diligere peccatores.

(k) *Et cum eſſemus mortui pecca.* &c.] Sine peccato, ſicut Chriſtus per baptiſmum faciendo.

(l) *Cujus gratia eſtis ſalvati.*] Propter uſum, ſive qui pro vobis gratis nullo veſtro juſtitiæ merito intercedente mortuus eſt, cum ipſe reus non eſſet.

(m) *Et conreſuſcitavit & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu.*] Non poſſumus deſperare quod noſtra jam poſſidet natura: qua ubi caput eſt, ibi erit & corpus: ſicut ipſe ait: *Volo ubi ego ſum, & iſti ſint mecum.* Joan. 17.

(n) *Ut oſtenderet in ſeculis ſupervenientibus.*] Ante prædeſtinavit, quod erat his temporibus completurus.

(o) *Abundantes divitias gratiæ ſuæ.*] Vere abundans eſt gratia, quæ non ſolum peccata donavit, ſed etiam cum Chriſto reſuſcitans in dextera Dei in cœleſtibus collocavit.

(p) *In bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu.*] Exemplo vel corpore Chriſti.

(q) *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis.*] Non meritis prioris vitæ, ſed ſola fide: ſed tamen non ſine fide.

(r) *Dei enim donum eſt, non ex operibus: ut ne quis glorietur.*] Quaſi ſuis meritis aliquid in baptiſmo accepiſſet.

(ſ) *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu* &c.] Quia nuper ſumus in Chriſto renati: ut quæ in Evangeliis ſunt defenſa.

(t) *Propter quod memores eſtote, quod aliquando vos qui gentes eratis in carne.*] Commemorat illa, ne de tanta ignobilitate qua ad ſummum regni perducti ſunt dignitatem, ſint ingrati beneficiis largitoris.

(u) *Qui dicebamini præputium ab ea quæ dicitur circumciſio.*] Gentes præputium: Judæi circumciſio dicebantur.

(w) *In carne manufacta.*] In manu humana: in carne, non in ſpiritu Dei aut corde.

(x) *Qui eratis illo in tempore ſine Chriſto.*] Neſcientes Chriſtum, idola inſenſibilia colebatis.

(y) *Alienati à converſatione Iſrael.*] Qui tunc erat populus Dei.

(z) *Et hoſpites teſtamentorum.*] Etiam ſi credideritis, proſelyti: hoc eſt, advenæ habebamini.

(a) *Promiſſionis ſpem non habentes.*] Quam Deus promiſit Abrahæ, illi ſoli ſperare videbantur.

(b) *Et ſine Deo in hoc mundo.*] Multos enim falſos Deos ſequentes unum amiſerant verum.

(c) *Nunc autem in Chriſto Jeſu vos qui* &c.] Ita ut Judæos ſequeremini, qui cum Deo erant.

* Hoc quidem ita poteſt intelligi, ut dicat *Pelagius*, peccata feciſſe ut eſſent mortui, quod verum eſt; malim tamen *peccata facientes*, ut vitetur ambiguitas, quam minime captare ſolet.

* Qui hæc probe penſitabunt vix dubitare poterunt an ſint hæc à manu *Pelagii*, qui vocem *natura* de conſuetudine interpretari neceſſe habebat, aut alii ſimili ratione, quæ excluderet peccatum originis ab Adamo deductum.

(a) *In*

facti eſtis prope in [a] ſanguine Chriſti. Ipſe enim [b] eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum: & [c] medium parietem maceriæ [d] ſolvens inimicitias in carne ſua: [e] legem mandatorum decretis evacuans, ut [f] duos condat in ſemetipſo in [g] uno novo homine faciens pacem: ut [h] reconciliet ambos in uno corpore Deo: per [i] crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo: & [k] veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuiſtis: & pacem his qui prope: quoniam per ipſum [l] habemus acceſſum ambo in uno ſpiritu ad Patrem. [m] Ergo jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei, [n] ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu: in quo omnis ædificatio conſtructa, [o] creſcit in templum ſanctum in Domino. In [p] quo & vos coædificamini in tabernaculum Dei in Spiritu Sancto.

CAPUT III.

[q] HUjus rei gratia [r] ego Paulus vinctus Chriſti Jeſu [ſ] pro vobis gentibus: ſi [t] tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis: [u] quoniam ſecundum revelationem [w] notum factum mihi eſt ſacramentum, ſicut ſupra ſcripſi in [x] brevi: prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in [y] miniſterio Chriſti, [z] quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum: ſicut nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus & Prophetis in ſpiritu, eſſe [a] gentes cohæredes & [b] concorporales, & comparticipes promiſ-

ſionis

(a) *In ſanguine Chri.*] Credendo vos eſſe ſanguine ejus & paſſione liberatos.

(b) *Ipſe enim eſt pax noſtra* &c.] Ipſe eſt reconciliatio utriuſque populi ad invicem ad Deum.

(c) *Et medium parietem maceriæ.*] Medius paries, & ſepis & maceries, onera legis erant, duos populos dividentes: & ideo ipſe paries inimicitiæ nominantur.

d) *Solvens inimicitias in carne ſua.*] Circumciſionis & cæterorum, quæ non tam Dei voluntas, quam aut temporis ratio, aut populi duritia exegerat.

(e) *Legem mandatorum decretis evac.*] Per ſolam fidem juſtificans, moralia ſola decernens.

(f) *Ut duos condat in ſemet.*] Judæum & gentem in ſuo corpore æqualiter conjungens.

(g) *In uno novo homine* &c.] In unum populum Chriſtianum ex duobus effectum.

(h) *Reconciliet ambos* &c.] Quia ambo per peccatum fuerant inimici.

(i) *Per crucem interficiens inimicitias* &c.] Per ſolam fidem crucis, quæ nullum deterret: non enim gravis aut difficilis eſt, quam habere etiam latro potuit crucifixus.

(k) *Et veniens evangelizavit pacem* &c.] Ad hoc venit, ut diſſidens humanum genus in ſemetipſo & in Deo, ad reconciliationis gratiam revocaret.

(l) *Quoniam per ipſum habemus acceſſum* &c.] Nemo venit ad Patrem, niſi per me. In uno ſpiritu, unum corpus, unum ſpiritum habet, & ſignum pacis.

(m) *Ergo jam non eſtis hoſp.*] Jam non extranei & Eſa. 56. proſelyti: nec enim ſeparavit nos Deus à populo ſuo: ſicut dixit Eſaias: ſed cives, qui ſunt ejuſdem originis vel hoſpitii, & habitationis.

Act. 11. (n) *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum* &c.] Prophetarum novi Teſtamenti, in quibus Agabus fuit. Chriſtus eſt etiam fundamentum, qui etiam lapis dicitur angularis, duos conjungens & continens parietes. Ideo autem fundamentum, & ſummus eſt: quia in ipſo fundatur & conſummatur Eccleſia.

(o) *Creſcit in templum ſanctum in Domino.*] In templo ſancto non poſſunt lapides niſi ſancti poni: ad comparationem templi Hieruſalem dixit extrui corpus Chriſti, id eſt, Eccleſiam: & multo majorem munditiam & ſanctitatem habet veritas, quam imago.

(p) *In quo & vos coædificamini in Tabernaculum Dei in Spiritu Sancto.*] Ut cum Apoſtolis & Prophetis, ſitis habitaculum Dei ſpirituale, non manu factum.

IN CAPUT III.

(q) *HUjus rei gratia.*] Quam ſuperius memoravit, quo Filius Dei & gentes ſalvaverit & Judæos: & utroſque fecerit unum.

(r) *Ego Paulus vinctus Chriſti Jeſu*] Sive catenis, ſive Chriſti amore ligatus, non poſſum meam, niſi Domini facere voluntatem. Sane quomodo vinctum ſe nominat, confirmat Evangelium Chriſti. Oſtendit quanta ſit ſpes, pro quo talia pati libenter amplectitur: cum poſſet apud Judæos, ut legis doctor, & magnis divitiis abundare, & ſummo honore gaudere.

(ſ) *Pro vobis gentibus:*] Secundum Evangelium, inimici propter vos: quia vos ſimiles eſſe dicimus Judæorum.

(t) *Si tamen audiſtis diſpen. gratiæ Dei* &c.] Si tamen firmiter retinetis me in vobis diſpenſationem accepiſſe doctrinæ. *Quis enim fidelis ſervus & prudens,* Matth. 24. *quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam: ut det illis eſcam in tempore.*

(u) *Quoniam ſecundum revelationem.*] Non ſecundum humanam doctrinam.

(w) *Notum factum mihi eſt ſacramentum, ſicut ſupra ſcripſi.*] Judæos & gentes unum eſſe in Chriſto.

(x) *In brevi: prout poteſtis* &c.] Non quantum poteram ego ſcribere, ſed quantum vos aſſequi valebatis.

(y) *In miniſterio Chriſti,*] Non eloquio ſeculari.

(z) *Quod aliis generationibus non eſt agnitum* &c.] Sciebant quidem Prophetæ priores, gentes eſſe vocandas: non tamen ſciebant nullam inter ipſos & Judæos diſcretionem futuram.

(a) *In ſpiritu eſſe gentes cohæredes*] Per ſpiritum mihi revelatum, ſive in ſpiritu illos ſociatos eſſe, non carnis circumciſione.

(b) *Et concorporales & comparticipes promiſſionis in Chriſto Jeſu*] Id eſt, unius corporis: non ſolum cohæredes, quod potuit diverſi generis eſſe, nec ſolum concorporales: quia poſſunt ejuſdem generis filii, non ejuſdem in hæreditate eſſe ſubſtantiæ.

(a) *Per*

ſionis in Chriſto Jeſu per [a] Evangelium: cujus factus ſum ego miniſter, ſecundum [b] donum gratiæ, quæ data eſt mihi ſecundum [c] operationem virtutis ejus. Mihi [d] enim omnium ſanctorem minimo data eſt gratia hæc [e] in gentibus evangelizare ininveſtigabiles divitias Chriſti: & [f] illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti [g] abſconditi à ſeculis in Deo qui [h] omnia creavit: ut [i] innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei [k] ſecundum præfinitionem ſeculorum, quam fecit in Chriſto Jeſu Domino noſtro: in [l] quo habemus fiduciam & aceeſſum in confidentia per fidem ejus. [m] Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra. [n] Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti: ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur: ut [o] det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ virtutem corroborari per ſpiritum ejus in [p] interiori homine, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in [q] caritate radicati & ſundati: ut [r] poſſitis comprehendere, [ſ] cum omnibus ſanctis, [t] quæ ſit latitudo & longitudo & ſublimitas & profundum. [u] Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ caritatem Chriſti: [w] ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei [x] autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quam petimus aut intelligimus, ſecundum virtutem quæ operatur in nobis: ipſi [y] gloria in Eccleſia & in Chriſto Jeſu in [z] omnes generationes ſeculi ſeculorum. Amen.

C A-

(a) *Per Evangelium, cujus factus ſum ego miniſter,*] Per meam prædicationem omnibus innoteſcet: quia hoc mihi peculiariter revelatum.

(b) *Secundum donum gratiæ Dei* &c.] Non ſecundum meritum meum.

(c) *Secundum operationem virtutis ejus.*] Cujus virtus me confirmavit: ſive cujus virtutes meum confirmant Evangelium.

(d) *Mihi enim omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc*] Minimo tempore, non labore. Notandum quod inter ſanctos ſe humiliando fecerit gratum.

(e) *In gentibus evangelizare ininveſtigabiles divitias Chriſti.*] Adnuntiare futuras hæreditates, divitias promiſſas: quas ſenſus humanus apprehendere non valet, niſi per revelationem.

(f) *Et illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti.*] Judæis & gentibus hujus ſacramenti pandere rationem.

(g) *Abſconditi à ſeculis in Deo.*] Hoc eſt, quod in primis temporibus, ſoli Deo confirmatum erat.

(h) *Qui omnia creavit.*] Et Judæos & gentes: ſive omnem creaturam, ut ſenſus contra Marcionem proficiat, & omnes hæreticos.

(i) *Ut innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.*] Ut per me his qui rebus cœleſtibus per omnem Eccleſiam principantur, multiformis ſapientia innoteſcat.

(k) *Secundum præfinitionem ſeculorum, quam fecit in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*] Quam præfiniunt & hoc tempore, quando jam homines aliter ſalvari non poterunt, niſi Chriſti fide ſalventur.

(l) *In quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ejus.*] Nno per noſtram juſtitiam, ſed per eum cujus fides peccata dimiſit.

(m) *Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra.*] Ne me audientes impune lædi, ad Deum non pertinere putetis, in quo magis gloriari debetis: intelligentes me tanta abſque certa ſpei fiducia ſuſtinere non poſſe.

(n) *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti: ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur.*] Ex quo omnis paternitas nomen accepit. Sive ex quo omnis res, pater nominatur.

(o) *Ut det vobis ſecundum divitias glo. ſuæ* &c.] Ut vos per illuminationem ſcientiæ & divitiarum fructum confirmet.

(p) *In interiori homine habitare Chriſtum* &c.] Ubi interior homo per fidem robuſtus eſt, ibi habitat Chriſtus, non ubi exterior ſaginatur.

(q) *In caritate radicati & fundati.*] Ut in ejus amore firmiter ſtarent, beneficiorum ejus recordatur, ut eum cognitis ejus beneficiis diligerent.

(r) *Ut poſſitis comprehendere.*] Ut ex omni parte magnitudinem ſcientiæ adipiſci valeatis. Proverb. 14.

(ſ) *Cum omnibus ſanctis.*] Quære ſapientiam apud malos, & non invenies. Et alibi: *In corde autem boni requieſcit ſapientia.*

(t) *Quæ ſit latitudo & longitudo & ſublimitas & profundum.*] Quidam dicunt quod latitudo ſpacioſa via intelligatur: longitudo vita æterna: altitudo cœlum: profundum infernus: ut, ſcilicet, horum omnium notitiam habentes, noverint quid diligant, vel quid refutent.

(u) *Scire etiam ſupereminentem.*] Supereminet fructus.

(w) *Ut impleamini in omnem plen. Dei.*] Ut efficiamini pleni omnibus virtutibus.

(x) *Ei autem qui potens eſt omnia facere* &c.] Frequenter majora tribuit, non ſolum quam petimus, ſed etiam quam petere intelligimus, quæ operatur in nobis.

(y) *Ipſi gloria in Eccleſia & in Chriſto Jeſu.*] Quia veniens Chriſtus ſibimet ad Dei gloriam Eccleſiam congregavit.

(z) *In omnes generationes ſeculi ſec.*] Immenſa beneficia, immenſis laudibus celebranda, non ſolum de his quæ Chriſti temporibus contulit, ſed etiam quæ ante fecit, faciet.

IN CA-

CAPUT IV.

[a] Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis: [b] cum omni humilitate & manſuetudine, [c] cum patientia ſupportantes invicem in caritate: [d] ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus, in vinculo pacis. [e] Unum corpus & unus ſpiritus: ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una fides, unum baptiſma. [f] Unus Deus & Pater omnium, [g] qui ſuper omnes, & per omnia & in omnibus vobis. [h] Unicuique autem noſtrum data eſt gratia, [i] ſecundum menſuram [k] donationis Chriſti. [l] Propter quod dicit: Adſcendens in altum, captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus. [m] Quod autem adſcendit, quid eſt niſi quia & deſcendit primum in [n] inferiores partes terræ? [o] Qui deſcendit, ipſe eſt & qui adſcendit ſuper omnes cœlos: [p] ut adimpleret omnia. [q] Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos: quoſdam autem Prophetas: [r] alios vero Evangeliſtas: [ſ] alios autem Paſtores & Doctores, [t] ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti: [u] donec occurramus omnes in unitatem fidei, [w] & agnitionis Filii Dei in [x] virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: [y] ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ [z] in nequitia hominum, in aſtutia [a] ad circumventionem erroris. [b] Veritatem autem facien-

IN CAPUT IIII.

(a) *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis* &c.] Ego vos rogo, qui veſtri cauſa ſum vinctus, ut vos Dei Filium agnoſcentes, digne tanto honore converſemini: quia una dignitas eſt qua agnoſcuntur propria inſtituta.

(b) *Cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia.*] Et mentis & corporis. Humilitas vera nihil ſibi vindicat, manſuetus nulli nocet, patiens nulli vicem reddit injuriæ.

(c) *Supportantes invicem in caritate.*] Sufferunt & Philoſophi, ſed non in caritate. Nos vero non ut laudari, ſed ut ille quem ſuſtinemus proficiat, diligentes, ſuſtinere debemus.

(d) *Sollicits ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis.*] Per vinculum pacis in vobis unitas ſpiritus continetur. *Multitudinis enim credentium erat cor unum & anima una.* Act. 4.

(e) *Unum corpus & unus ſpiritus, ſicut* &c.] Unum conſenſum debet habere in uno corpore omnium compago membrorum, quæ ad unam ſpem ſunt vocata ſalutis. Unde diligentius legere debent hunc locum hi, qui in ſeculi occupationibus ligati, putant ſibi licere peccare, & aliis non licere: cum omnes in unum corpus baptizati, eumdem ſpiritum acceperint, & in una ſpe vocati ſint Dei. Sive ſic: ſi unum ſpiritum habetis, & ex uno Patre Deo nati eſtis, nolite vobis de terrena nobilitate aliquid arrogare, ne veſtram gloriam amittatis.

(f) *Unus Deus & Pater omnium.*] Etiam eorum qui ex gentibus crediderunt.

(g) *Qui ſuper omnes, & per omnia & in omnibus vobis.*] Super omnes virtutes, ut potens, per omnia opera ſua, qui immenſus omnibus Chriſtianis: ſecundum quam habitare dignatur.

(h) *Unicuique autem noſtrum data eſt gratia.*] Non multa ſunt corpora per varietatem gratiarum, ſed membra diverſa.

(i) *Secundum menſuram.*] Non tam noſtræ captivitatis quam illius largientis.

(k) *Donationis Chriſti.*] Ad quam gratiam qui ſe aptaverit, ipſam conſequitur: ut puta: qui ſtudioſus legis eſt, ſapientiam multam: oranti & jejunanti conceditur ſpiritus poteſtas.

(l) *Propter quod dicit: Adſcendens in altum captivum duxit captivitatem* &c.] Quos Diabolus captivos tenebat ad mortem, Chriſtus captivavit ad vitam: ad caput noſtrum in cœleſtibus collocandum.

(m) *Quod autem adſcendit, quid eſt niſi quia & deſcendit.*] Exponit cur dicatur adſcendiſſe, quem nuſquam non eſſe non dubium eſt: ſecundum formam, ſcilicet, ſervi: ad quam non localiter, ſed dignanter deſcenderat.

(n) *In inferiores partes terræ?*] Infernum ſub terra eſſe nemo jam ambigat.

(o) *Qui deſcendit ipſe eſt* &c.] Qui deſcendit cum anima in infernum, ipſe cum anima & corpore adſcendit in cœlum.

(p) *Ut adimpleret omnia.*] Gloria triumphantis, ſive quæ ſcripta ſunt, ſive dum jam humanitas cum divinitate unum effectum eſt.

(q) *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas.*] Contra Arianos, ut Filii & Patris una ſit operatio. Nam ad Corinthios Deum Patrem dicit in Eccleſia ordinaſſe: hic vero Chriſtum hoc dixiſſe commemorat.

(r) *Alios vero Evangeliſtas.*] Omnis Apoſtolus Evangeliſta: non omnis Evangeliſta Apoſtolus: ſicut Philippus, qui unus erat ex ſeptem.

(ſ) *Alios autem Paſtores & Doctores.*] Paſtores vero omnes, qui ſunt idonei ad alios inſtruendos. Omnis ergo paſtor doctor: non omnis qui doctor eſt & paſtor.

(t) *Ad conſummationem ſanctorum* &c.] Ut perficiantur ſancti, ſive eorum numerus impleatur, omnes ſunt conſtituti ad ædificandam Eccleſiam, quæ corpus Chriſti eſt: ut omnes ad perfectionem fidei perducant.

(u) *Donec occurramus omnes in unitate fidei.*] Hoc votum etiam falſis doctoribus ineſt: id eſt, volo omnes eſſe ſicut me.

(w) *Et agnitionis filii Dei.*] Ille agnovit gratiam Filii Dei qui non peccat: quia omnis qui peccat, non videt eum, nec cognovit eum.

(x) *In virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*] Qui enim dicit ſe in Chriſto manere, debet quomodo ille ambulavit, ambulare. & non annorum ejus ætatem, ſed plenitudinem imitari.

(y) *Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes* &c.] Ut non ſimus ignorantes nec dubii ac vacillantes, & more imperiti gubernatoris, omnes doctrinæ vento noſtræ fidei velut appendentes, ne facile naufragemus, aut ad portum perfectionis numquam pervenire poſſimus.

(z) *In nequitia hominum* &c.] Nequitia hominum, aſtutis diſputationibus, a recto fidei curſu detorquet incautos.

(a) *Ad circumventionem erroris.*] Sive cum multi quoddam erroris ſui remedium putent, ſi multos ſecum traxerint ad errorem, ſive errantibus remedium ſine labore permittentes permanere faciunt in errore.

(b) *Veritatem autem facientes in caritate.*] Omnia in veritate propter caritatem Chriſti: & nihil in hypocriſi facientes.

 (a) *Cre-*

ſacientes in caritate, [a] creſcamus in illo per omnia [b] qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in [c] menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem ſui in caritate. [d] Hoc igitur dico & teſtificor in Domino: [e] ut jam non ambuletis ſicut & gentes ambulant in [f] vanitate ſenſus ſui, [g] tenebris obſcuratum habentes intellectum: [h] alienati a vita Dei per [i] ignorantiam, quæ eſt in illis [k] propter cæcitatem cordis ipſorum, [l] qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ in [m] operatione immunditiæ omnis in avaritiam. [n] Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum: ſi tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis: [o] ſicut eſt veritas in Jeſu. [p] Deponite vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem: [q] qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. [r] Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ: & [s] induite novum hominem, [t] qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis. [u] Propter quod deponentes mendacium [w] loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo: quoniam ſumus invicem membra. [x] Iraſcimini, & nolite peccare. [y] Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. [z] Nolite locum dare Diabolo. [a] Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret operando [b] manibus ſuis, quod bonum eſt: ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti. [c] Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi [d] quis bonus eſt ad ædificationem fidei: [e] ut det gratiam audientibus. [f] Et nolite contriſtare Spiritum Sanctum

(a) *Creſcamus in illo per omnia.*] In illius perfectione ex omni parte creſcamus.

(b) *Qui eſt caput Chriſtus* &c.] Ex capite connexum corpus per omnem ſubjunctionem operationis creſcit, dum ſe alterutrum membra ædificant diligendo: ita ut unumquodque membrum in ſua menſura augeatur: hoc eſt, ut qui eſt per ſapientiam oculus, in eorum numerum creſcat, qui oculi officium geſturi ſunt: & ſingula quæque membra proficiant.

(c) *In menſuram uniuſcujuſque membri augmentum corporis facit* &c.] Dum ſingula membra creſcunt, majus efficitur corpus.

(d) *Hoc igitur dico & teſtificor in Domino.*] Quos ſuperius obſecraverat, hic in Domino obteſtatione conſtringit.

(e) *Ut jam non ambuletis ſicut & gentes ambulant.*] Nolo, ait, ſolo vos nomine eſſe Chriſtianos: & Deum ore confitentes operibus denegare, ſed quantum inter Diabolum diſtat & Deum, tanta differentia debent filii Dei a filiis Diaboli in operibus diſcrepare. Ne Deum labiis honorantes, cordis timore longius abſiſtamus: & dicatur de nobis: *Sine cauſa colunt me*: hoc eſt, ex mea cultura nullos accipient fructus.

(f) *In vanitate ſenſus ſui.*] Vani ſunt enim omnes homines, quibus non eſt ſapientia Dei.

(g) *Tenebris obſcuratum habentes intellectum.*] Sed ignorantia & mundanarum rerum ſollicitudinum a caligine ac tenebris obſcuratum.

(h) *Alienati a vita Dei.*] Illi ideo a vita alienati ſunt Dei, quia ignorant: vos autem, quia cognoviſtis, Deum ſequi debetis.

(i) *Per ignorantiam quæ eſt in illis.*] Notandum quia contemtus ignorantiam generavit.

(k) *Propter cæcitatem cordis eorum* &c.] Dicentium, non eſt Deus.

(l) *Qui deſperantes* &c.] Deſperantes pœnam impiorum & præmium juſtorum, neceſſe eſt ut præſentibus voluptatibus adhæreant, qui futura deſperant: Sap. 2. Venite & fruamur bonis quæ ſunt, & cætera.

(m) *In operatione immunditiæ* &c.] Omnia crimina, immunditiæ & avaritiæ nomine comprehendit.

(n) *Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum* &c.] Et ſicut ille, non gentili ritu vivatis. Ille enim vere Chriſtum audivit & ab ipſo didicit, qui nullo ſimilis vitio gentibus invenitur.

(o) *Sicut eſt veritas in Jeſu.*] Sicut ille vere mortuus eſt & ſurrexit, ut nos vere in novitate ambulemus.

(p) *Deponite vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem.*] Expoſuit quid ſit vetus homo, & quomodo deponatur; ſcilicet, ut priſtinos errores abjiciat hujus mundi: & non membris corporis, ſed mente & converſatione mutetur.

(q) *Quæ corrumpitur ſecundum deſideria erroris.*] Faciens voluntatem carnalium cogitationum.

Ezech. 18. (r) *Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ.*] Sicut Hieremias ait: *Facite vobis cor novum & ſpiritum novum.*

(ſ) *Et induite novum hominem.*] Ex veteri intellige novum.

(t) *Qui ſecundum Deum creatus eſt* &c.] Expoſuit quid ſit hominem ad imaginem Dei creatum: ut, ſcilicet, juſtus & ſanctus & verax ſicut Deus, ut ſanctitate veritatis, non vanitatis, ſit præditus: hoc eſt, quæ vanam hominum gloriam aucupatur, cum ſcriptum ſit: Juſte quod juſtum eſt perſequeris.

(u) *Propter quod deponentes mendacium.*] Hic deſcribitur ipſa ſpecies caſtitatis, quibus novus homo cognoſcitur.

(w) *Loquimini veritatem unuſquiſque cum* &c.] Nemo ſuum circumveniat fratrem: quia verum corpus ſumus, & non poſſunt alterutrum membra ſe fallere: nec enim manus illudit oculo, aut dentes lacerant membra, niſi forte ubi ſpiritus immundus inhabitat.

(x) *Iraſcimini & nolite pec.*] Ira non inebriet mentem, ſed veritas diſpenſet: nec tuam injuriam, ſed fratris animadverte peccatum.

(y) *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.*] Ne ſcientiæ lumen in tua indignatione deficiat.

(z) *Nolite locum* &c.] Iraſcendo, vel quolibet alio delicto. Porta enim Diaboli eſt peccatum: ſicut homo juſtus Spiritus ſancti porta eſt.

(a) *Qui furabatur &c. magis autem labo.*] Alienos labores aliquando direpto nunc ſuo labore compenſet, & operando tribuat indigentibus, qui multos furando fecit egentes.

(b) *Operando manibus* &c.] Non quod malum: ſunt enim multæ vel inhoneſtæ, vel malæ artes, ut maleficia & omnia quæ non ad naturæ neceſſitatem, ſed ad concupiſcentiarum proficiunt voluntatem.

(c) *Omnis ſermo ma.* &c.] Non unus, nec duo, ſed omnes mali ſermones, in hoc Chriſtiani debent eſſe crucifixi.

(d) *Sed ſi quis bonus eſt* &c.] Non ſilentium impoſuit, ſed qualitatem loquendi monſtravit, ut omnis ſermo fidem ædificet Chriſtianam: & os noſtrum ſolum appetat verbum Dei. Simul notandum, quia hoc univerſæ Eccleſiæ præcipitur.

(e) *Ut det gratiam aud.*] Hoc eſt quod alibi dicit. Coloſ. 4. *Sermo veſter in gratia ſit ſale conditus*: & in ſermone noſtro gratiam accipiant audientes.

(f) *Et nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei.*] Hominibus loquens, comparationem inducit humanam: ut ex nobis intelligamus quantam Spiritui ſancto injuriam facimus, cum donum ejus in nobis aliqua peccati ſorde polluimus. Et quia de hoſpitio ſuo nobis condolet: ideo ſibi dolens triſtis abſcedit. Cæterum triſtitia & ira & cætera hujuſmodi in nobis paſſiones ſunt: quia paſſibiles ſumus. In Deo vero diſpenſationes: nos illa inviti patimur: ille voluntate ad noſtram emendationem aſſumit. Et hæc eſt quæ aſſumit Deum & hominem, harum conditionum diverſitas & natura.

(a) In

ctum Dei : [a] in quo ſignati eſtis in die redemtionis. [b] Omnis amaritudo [c] & ira [d] & indignatio & [e] clamor & [f] blaſphemia tollatur a vobis cum omni malitia. [g] Eſtote autem invicem benigni, [h] miſericordes : [i] donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis.

CAPUT V.

[k] EStote ergo imitatores Dei, ſicut filii cariſſimi : [l] & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos : [m] & tradidit ſemetipſum [n] pro nobis [o] oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis. [p] Fornicatio autem & omnis immunditia aut avaritia [q] nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos : [r] aut turpitudo, aut ſtultiloquium, [ſ] aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet : [t] ſed magis gratiarum actio. [u] Hoc enim ſcitote, intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus : quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. [w] Nemo vos ſeducat [x] inanibus verbis : [y] propter hæc enim venit ira Dei in [z] filios diffidentiæ. [a] Nolite ergo effici participes eorum. [b] Eratis enim aliquando tenebræ : nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate. [c] Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia & veritate : [d] probantes quid ſit beneplacitum Deo. [e] Et nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum : [f] magis autem redarguite. [g] Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis, [h] turpe eſt & dicere. [i] Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifeſtantur. [k] Omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt. [l] Propter quod dicit : Surge qui dormis : [m] & exſurge a mortuis : [n] & illuminabit te Chriſtus.

Videre

(a) *In quo ſignati* &c.] Signaculum ſancti Spiritus in die baptiſmi accepiſtis: novum ſignaculum habere cœpiſtis.

(b) *Omnis amaritudo.*] In qua contriſtatur Spiritus Sanctus. Recte autem poſuit amaritudinem: quia ipſa eſt provocatio.

(c) *Et ira.*] Omnem aufert iram.

(d) *Et indignatio.*] Indignatio ex ſuperbia eſt, cum aliquem judicamus indignum: ideo eum nolumus ſuſtinere.

(e) *Et clamor.*] Qui ex furore deſcendit, quem non habeant Chriſtiani. Cæterum Eſaias bene clamare jubetur. Sed & ipſe Jeſus clamabat in templo: *Qui ſitit, veniat & bibat.* — Eſa. 58. Joan. 7.

(f) *Et blaſphemia tollatur a vobis cum omni malitia.*] Quæ vel inimico poteſt vicem reddere.

(g) *Eſtote autem invicem benigni.*] Servat ordinem legis, ut non ſolum malitia tollatur, ſed etiam benignitas inferatur.

(h) *Miſericordes.*] Id eſt, condolentes.

(i) *Donantes invi.* &c.] Remittentes peccata: ne vobis dicatur: Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi: oportuit & te dimittere conſervo tuo.

IN CAPUT V.

(k) E*Stote ergo imitatores Dei* &c.] Imitatione enim, non natura filii Dei ſumus: ſicut ait Salvator: *Ut ſitis filii Patris mei qui in cælis eſt* &c. — Matth. 6.

(l) *Et ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos.*] Unde & Joannes ait: *In hoc cognovimus caritatem: quia ille animam ſuam pro nobis poſuit. Debemus ergo & nos pro fratribus animas ponere.* — Joan 10.

(m) *Et tradidit ſemetipſum.*] Voluntarie ipſe ſe tradidit, non ab alio invitus traditus eſt.

(n) *Pro nobis.*] Pro peccatoribus, ut fierent juſti.

(o) *Oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.*] Suaviſſimus Deo odor eſt caritas.

(p) *Fornicatio autem & omnis immunditia aut avaritia.*] Omnia crimina breviter comprehendit, duorum criminum deſignando radices.

(q) *Nec nominetur in vobis* &c.] Conſiderandum ſcilicet non licere fieri quod non licet nominare.

(r) *Aut turpitudo, aut ſtultiloquium.*] Hoc etiam in filiis hominum reprehendit honeſtorum.

(ſ) *Aut ſcurrilitas quæ ad rem non pertinet.*] Riſum movens qui gravitati non convenit Chriſtianæ: quia ad rem non pertinet cœleſtem & divinam.

(t) *Sed magis gratiarum actio.*] Hoc magis ſemper tractare debetis, quomodo Deo & actu & cogitatione placeatis.

(u) *Hoc enim ſcitote, intelligentes quod omnis fornic.* &c.] Contra illos agit qui ſolam fidem dicunt ſufficere: quia hujuſmodi actus non Deo, ſed Dæmoni exhibentur. Hæreditas autem regni cœlorum Dei filiis, non Diaboli præparatur.

(w) *Nemo vos ſeducat.*] Dicendo hoc, ſolummodo opus eſt ut fides ſit & homo Chriſti baptiſma conſequatur, quamvis peccet, perire non poteſt.

(x) *Inanibus verbis.*] Quæ hominem liberare non poſſunt.

(y) *Propter hæc venit ira Dei.*] Ex præteritis futura cognoſcite: ſi Sodomitis non pepercit, & his qui in diluvio perierunt, parcet vobis?

(z) *In filios diffid.*] Qui non crediderunt iram comminantis ſe ſuperventuram.

(a) *Nolite ergo effici parti* &c.] Si in peccatis, judicio deſperantium participes fueritis, eritis & in pœna conſortes.

(b) *Eratis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino.*] Quando neſciebatis Domini voluntatem. Nunc vero omnia cognoviſtis. Quantum ergo inter lucem diſtat & tenebras, tantum a priſtina converſatione diſcrepare debetis.

(c) *Fructus enim lucis in omni bonitate & juſtitia & veritate.*] Talem habet ſcientia fructum.

(d) *Probantes quid ſit beneplacitum Deo.*] Ex lege probate quod beneplaceat Deo, non quod homines aſſerunt.

(e) *Et nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum.*) Non prodeſt quicquid fit ſine ſcientia veritatis: quia nec lux poteſt communicare cum tenebris.

(f) *Magis autem redarguite.*] Non ſolum communicare nolite, ſed etiam redarguite.

(g) *Quæ in occulto fiunt ab ipſis.*] In ſecretis locis domorum, vel templi.

(h) *Turpe eſt & dicere.*] Nobis dicere turpe eſt, quæ illi vel in tenebris facere non erubeſcunt.

(i) *Omnia enim quæ arguuntur, a lumine manifeſtantur.*] Sicut ad Corinthios ait: *Occulta etiam cordis ejus manifeſta fiunt. Et tunc cadens in faciem adorabit Deum pronuncians quod Deus vere eſt in nobis.* — 1. Cor. 14.

(k) *Omne enim quod man. lumen eſt.*] Incipit lumen eſſe cum crediderit, & vobis adjungitur.

(l) *Propter quod dicit: Surge* &c.] Voce alicujus ſapientis conſcientiam increduli pulſare cupientis, de ſomno ignorantiæ excitat.

(m) *Et exſurge a mortuis.*] A peccatis, vel idolis.

(n) *Et illuminabit te Chriſtus.*] Cum ei credideris, efficieris & ipſe lux.

(a Via

[a] Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis: non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, [b] redimentes tempus: [c] quoniam dies mali ſunt. [d] Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei. [e] Et nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria: ſed impleamini Spiritu Sancto: [f] loquentes vobiſmetipſis in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus: [g] cantantes & pſallentes in cordibus veſtris [h] Domino, grarias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, [i] Deo & Patri. Subjecti invicem in timore Chriſti. [k] Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint [l] ſicut Domino: [m] quoniam vir caput eſt mulieris: ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: ipſe ſalvator corporis ejus. Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto: ita & mulieres viris ſuis in omnibus. [n] Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam: & ſeipſum [o] tradidit pro ea: ut illam [p] ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ: [q] ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi: [r] ſed ut ſit ſancta & immaculata. [ſ] Ita & viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua. [t] Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit. [u] Nemo enim umquam carnem ſuam odio habuit: ſed nutrit & fovet eam: [w] ſicut & Chriſtus Eccleſiam: quia membra ſumus corporis ejus [x] de carne ejus & de oſſibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam: [y] & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. [z] Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. [a] Verumtamen & vos ſinguli unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat: uxor autem timeat virum ſuum.

CAPUT

(a) *Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis: non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes.*] Quaſi filii ſapientiæ & lucis, ne alicui offendiculum detis, & incipiatis cauſa perditionis exſiſtere.

(b) *Redimentes tempus.*] Veſtra ſapientia vel cautela.

(c) *Quoniam dies mali ſunt.*] Non dies mali ſunt per ſe, ſed per homines: ſicut locus malus dicitur, in quo aliquod committitur mali.

(d) *Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei.*] Scrutamini legem, in qua ejus voluntas agnoſcitur.

(e) *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxu.* &c.] Exponit continentiæ utilitatem. Quia luxuriæ materiam expetere non convenit crucifixis, ſed ſpiritu ſancto repleri.

(f) *Loquentes vobiſmetipſis in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus.*] Non in actibus ſeculi: ſicut ait
Pſal. 16. Propheta: *Ut non loquatur os meum opera hominum.*

(g) *Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris.*] Ne ore tantum verba Dei reſonemus.

(h) *Domino gratias agentes pro omnibus* &c.] Sive
Job 1. bonis ſive malis, ſicut ait Job: Sit nomen Domini benedictum.

(i) *Deo Patri ſubjecti invicem* &c.] Non humano timore, vel avaritiæ ſtudio: ſicut quidam ſuis patronis adulari conſueverunt.

(k) *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint.*] Non eos ſicut Corinthios lacte alebat, ſed perfecto cibo continentiæ nutriebat. Timet enim ne, ceſſante in pleriſque carnis officio, aut mulieribus ſubjectio, aut in viris ceſſaret caritatis affectus: & ne tamquam divortium docuiſſe crederetur. Cæterum tale eſt, ut novæ vitæ prædicator nulla exiſtente cauſa hoc doceret quod naturaliter poſſidebant.

(l) *Sicut Domino.*] Quomodo Sara ſubdita erat
Gen. 18. Abrahæ, Dominum eum vocans.

(m) *Quoniam vir caput* &c.] Reddit juſtam cauſam ſubjectionis: quia & prior eſt vir, & utriuſque corporis debet eſſe ſalvator.

(n) *Viri, diligite uxores* &c.] Tam ſancta & tam venerabili caritate.

(o) *Et ſeipſum tradidit pro ea.*] Ita & vos pro ſanctitate uxorum, nec mori ſi neceſſe fuerit, recuſetis.

(p) *Ut illam ſanctificaret, mundans lavacro* &c.] Aqua lavit corpus, animam doctrina mundavit: ſicut
ait ad Hebræos: *Adſperſi corda a conſcientia mala &* Heb. 10.
abluti corpus aqua munda: ita & vos corpora uxorum, conſcientiæ animas, mundate doctrinis.

(q) *Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam* &c.] Ita ſibi Chriſtus mundavit Eccleſiam, ut antiqua crimina ablueret, & novas maculas quomodo incurrimus, & verbo oſtenderet & exemplo.

(r) *Ut ſit ſancta & immaculata.*] Si omnibus immaculata eſt, maculati ab ea alieni eſſe cenſentur, niſi rurſum per pœnitentiam fuerint expurgati.

(ſ) *Ita viri debent diligere* &c.] Item quales uxores cupiunt invenire, tales exhibeant ſe uxoribus.

(t) *Qui ſuam uxorem* &c.] Quia duo ſunt in carne una.

(u) *Nemo enim unquam* &c.] Non ut ei labores & dolores infligat, ſed ut ſecuram faciat & quietam. Non nuptias damnat, ſed ad continentiam cohortatur.

(w) *Sicut & Chriſtus Eccleſiam: quia membra ſum.* &c.] Membra ejus eum debent in omnibus imitari.

(x) *De carne ejus & de oſſibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem.* &c.] Amore ſi non bono.

(y) *Et adhærebit uxori* &c.] Objectio ex perſona carnalium volentium ſe amare carnaliter, ut quibuſdam videtur.

(z) *Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico* &c.] Ego hoc, inquit, in Chriſto intelligendum dico, & in Eccleſia: unde vos majore affectu debetis uxores veſtras ſanctas diligere ſpirituales, qui ante dilexiſtis peccatrices, & in gentilitate carnales.

(a) *Verumtamen & vos ſinguli unuſquiſque* &c.] Subjecta ſit tamquam infirmior ut * regnetur.

* Quamvis non ignorem verbum *regnari*, in paſſiva conjugatione, apud optimos Scriptores legi, attamen vir crediderim *Pelagium* dixiſſe uxorem *regnari* a viro. Itaque legendum crediderim, *ut regatur*; vir enim *rector* uxoris dici queat, at non *rex*.

IN CA-

CAPUT VI.

[a] FIlii, obedite parentibus veſtris in Domino. [b] Hoc enim juſtum eſt. [c] Honora patrem tuum & matrem tuam: [d] quod eſt mandatum primum in [e] promiſſione: ut bene ſit tibi: & ſis longævus ſuper terram. [f] Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocate filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini. [g] Servi obedite Dominis carnalibus, [h] cum timore & tremore: in ſimplicitate cordis veſtri: [i] ſicut Chriſto. [k] Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes: ſed ut [l] ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, [m] cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus: [n] ſcientes quoniam unuſquiſque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, ſive ſervus, ſive liber. [o] Et vos, Domini, eadem facite illis, [p] remittentes minas: ſcientes quia & illorum & veſter Dominus eſt in cœlis: & perſonarum acceptio non eſt apud Deum. [q] De cætero, fratres, [r] confortamini in Domino & in potentia virtutis ejus. [ſ] Induite vos armaturam Dei: ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli: [t] quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem: [u] ſed adverſus principes & poteſtates: [x] adverſus mundi rectores tenebrarum harum, [y] contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. [z] Propterea accipite armaturam Dei, ut poſſitis [a] reſiſtere in die malo: [b] & in omnibus perfecti ſtare. [c] State ergo ſuccincti lumbos veſtros [d] in veritate: [e] & induti loricam juſtitiæ: & cal-

IN CAPUT VI.

(a) F*Ilii, obedite parentibus veſtris in Domino.*] Parat illos diſciplinæ, qua illos a parentibus ſecundum Deum præcepit erudire.

(b) *Hoc enim juſtum eſt.*] Ut mutuam invicem dilectionem exbibeatis.

(c) *Honora patrem tuum & matrem tuam.*] Jubet honorare parentes, ſed bonos. Cæterum contra Deum viventes, ipſcetiam Moyſes probibuit agnoſci.

(d) *Quod eſt mandatum primum.*] In ſecunda tabula primum, quæ ad bumanitatem pertinentia præcepta ſex numero continebat. Prima enim tabula proprie officia exigebat.

(e) *In promiſſione &c. ſuper terram.*] Non in hac terra, in qua impii nonnunquam & in parentes ſceleſti ſeneſcunt: ſed ſuper terram illam quam Dominus mitibus promittit, in qua juſti habitabunt, & cujus bona viſurum eſſe ſe credunt.

(f) *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios veſtros: ſed docete eos in diſciplina & correptione Domini.*] Sive in moderatione. Et non irrationabiliter verberaodo: ſive ne eos ad ſecularia ſtudia provocantes iracundiam diſcere faciatis: ſed divinæ legis eos inſtituite diſciplinis: talibus ergo parentibus præcepit obedire.

(g) *Servi, obedite Dominis carnalibus.*] Non enim venit Chriſtus conditiones mutare. Nam ſervitium non natura dedit, ſed captivitas fecit: neque ex maledicto Cham, ut quidam putant, cum ex eo reges legamus eſſe generatos. Maledictum illud in filiis Cham impletum eſt, qui ab Iſraël ſunt ſubjugati. Providet ſane hic Apoſtolus, ne doctrina Dei in aliquo blaſphemetur, ſi credentes ſervi ſuis Dominis inutiles fiant; & qui forte permiſſurus erat, alios ſervos fieri Chriſtianos, de ipſis jam factis incipiat pœnitere. Si vero viderit eos in melius profeciſſe, & ex infidelibus fideles effectos, non ſolum alios optabit credere famulos ſuos: ſed etiam ipſe fortaſſe ſalvabitur.

(h) *Cum timore & tremore in ſimplicitate* &c.] Cum omni obedientia & feſtinatione humilitatis, priori ſuperbia & ſimulatione depoſita.

(i) *Sicut in Chriſto.*] Hoc in Chriſto fit, quicquid ejus contemplatione hominibus exbibetur.

(k) *Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes.*] Non timentes Dominos tantum, quaſi ipſis, non Deo placere volentes.

(l) *Sed ut ſervi Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo.*] In his quæ Dei non ſunt contraria voluntati. In multis enim concordat cum lege naturali animus Dominorum: quia ſervos & fideles & ſobrios & caſtos & humiles habere deſiderant.

(m) *Cum bona voluntate ſervientes ſicut Domino, & non hominibus.*] Non cum murmuratione, ne apud homines gratia, apud Deum mercede privemini.

(n) *Scientes quoniam unuſquiſque quodcumque fecerit* &c.] Quidquid propter Dominum feceris, babebis ab ipſo mercedem, nec te deſperare faciat conditio ſervitutis.

(o) *Et vos, Domini, eadem facite illis.*] Ne ſi fugerint, tuæ malitiæ incipias deputare, non legi. Hoc etiam paganus feciſſet, ſi aliter tractaretur præceptum: & tu audire de illo non vis quod juſtum eſt?

(p) *Remittentes minas, ſcientes quia illorum & veſter Dominus eſt* &c.] Minamini propter diſciplinam, ſed remittite propter miſericordiam: & ut vobis a veſtro Domino remittatur, apud quem utique unum eſtis: ut hæreditas quæ promiſſa eſt, una ſit in vobis.

(q) *De cætero, fratres.*] Generaliter epiſtolam exbortatione concludit.

(r) *Confortamini in Domino & in potentia virtutis ejus.*] Exemplo Domini & virtute.

(ſ) *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli.*] Contra ſpirituales hoſtes ſpiritualia arma ſumenda ſont: ut a diſſimilitudine Diaboli natura armorum fortitudine protegatur.

(t) *Quia non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem.*] Caro & ſanguis bomo dicitur

(u) *Sed adverſus principes & poteſtates.*] Qui ſibi principatum in hujus mundi bomines uſurparunt: & qui ignorantes animas per peccata ſeducunt.

(x) *Sed adverſus mundi rectores tenebrarum harum.*] Contra Dæmonum poteſtatem, qui ſibi in homines mundi bujus poteſtatem capientes, ignorantiæ erroribus præſumunt, qui tenebris comparantur: ſicut ipſe ait: Fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.

(y) *Contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſt.*] Sunt autem ſpirituales bonitates in cœleſtibus in aëre, ubi volucres cœli appellantur.

(z) *Propterea accipite armaturam Dei.*] Quia tales habetis inimicos.

(a) *Ut poſſitis reſiſtere in die malo.*] Non ſibi malus eſt dies, ſed nobis, quando impugnamur a malo.

(b) *Et in omnibus perfecti ſtare.*] Non in aliquantis perfectum vult hominem. Sed & hoc notandum, quod omnes ad perfectionem bortatur.

(c) *State ergo ſuccincti lumbos veſtros.*] Perfecte ſtate, lumbis mentis ſuccincti: boc eſt, in omni prælio præparati: & ab omnibus curis ſeculi expediti.

(d) *In veritate.*] Non hypocriſi: nemo enim coronatur, niſi qui legitime certaverit.

(e) *Et induti loricam juſtitiæ.*] Sicut lorica multis circulis vel armillis intexitur: ita & juſtitia diverſis virtutum connectitur ſpeciebus. Monet autem non ſolum peccatoris conſcientiam, ſed & ventris continen-

Hhh tiam:

calciati [a] pedes in præparatione Evangelii pacis. [b] In omnibus ſumentes ſcutum fidei: in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea exſtinguere. [c] Et galeam ſalutis adſumite: [d] & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, [e] per omnem orationem & obſecrationem, [f] orantes omni tempore in ſpiritu: & in ipſo [g] vigilantes in omni inſtantia & obſecratione [h] pro omnibus ſanctis, [i] & pro me: ut detur mihi ſermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere myſterium Evangelii: [k] pro quo legatione fungor in catena iſta: ita ut in ipſo audeam prout oportet me loqui. [l] Ut autem & vos ſciatis quæ circa me ſunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus cariſſimus frater, & fidelis miniſter in Domino: quem miſi ad vos in hoc ipſum, ut cognoſcatis quæ circa nos ſunt, & conſoletur corda veſtra. [m] Pax fratribus & caritas cum fide a Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto. [n] Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in incorruptione. Amen.

tiam: necnon & ad femorum uſque pertingit libidinem coercendam.

(a) *Et calciati pedes in præparatione Evangelii pacis.*] Cum fiducia incedentes intrepide prædicate.

(b) *In omnibus ſumentes ſcutum fidei: in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea exſtinguere.*] In omnibus certaminibus fide muniamur. Quia ſicut ſcutum ipſorum quoque armorum defenſio eſt: & ſine hoc omnis armatus inermis eſt: ita & hæ virtutes ſine fide ſalvare non poſſunt. Nam ſicut ſcutum omnia injecta repellit & recutit: ita & fides omnes Diaboli perſuaſiones exſtinguit: quamvis quaſi lumen rationis habere videantur.

(c) *Et galeam ſalutis adſumite.*] Quæ omnes capitis ſenſus, a pravis officiis protegat & abſcondat.

(d) *Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.*] Nemo militum audet ad bellum ſine gladio proficiſci: ſe enim utcunque tueri poteſt: ſed hoſtem non valet occidere. Nonnumquam etiam ab audaci inimico perimitur, & armis omnibus exſpoliatur: ita ſine Dei verbo, juſtitia omnis intuta eſt.

(e) *Per omnem orationem & obſecrationem.*] Semper hunc gladium poſtulate.

(f) *Orantes omni tempore in ſpiritu.*] Non impediaris orare ſemper: & pro rebus ſpiritualibus deprecari.

(g) *Et in ipſo vigilantes in omni inſtantia & obſecratione.*] Nihil enim prodeſt dormientis more latere corpore, & animo prægravari, dum in hac vanitate nec ab homine poſſit aliquid impetrari.

(h) *Pro omnibus ſanctis.*] Sancti eſtote, ut poſſitis orare pro ſanctis.

(i) *Et pro me: ut detur mihi ſermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere myſterium Evangelii.*] Ut abundanter & ſine metu exponam perſecutiones vel odia Judæorum, muniti in Chriſti populi ratione.

(k) *Pro quo legatione fungor in catena iſta: ita ut in ipſo audeam, prout oportet, me loqui.*] Omnis enim verbi legatus, talia neceſſe eſt ut ſuſtineat: ſed verbum Dei non poteſt alligari: tunc enim major fiducia erit ſi rationabiliter dicatus, & ſi abundanter exprimatur ratione.

(l) *Ut autem & vos ſciatis quæ circa me ſunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus cariſſimus frater, & fidelis miniſter in Domino: quem miſi ad vos in hoc ipſum, ut cognoſcatis quæ circa nos ſunt, & conſoletur corda veſtra.*] Sollicite agit, non ſolum ut proficiant, ſed & ne in tribulationibus deficiant: vel ne in aliquo contriſtentur.

(m) *Pax fratribus & caritas cum fide a Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto.*] Pax & caritas & fides perfectum faciunt Chriſtianum. Tamen ſine fide infructuoſa eſt caritas, ſicut fides ſine caritate vel pace. Caritas major eſt pace. Poteſt enim odio non haberi quis, non tamen & amari.

(n) *Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in incorruptione.*] In quorum corde, adulterino more, per ſecularia Chriſti dilectio non violatur.

Commentariorum in Epiſtolam ad Epheſios finis.

PAULI

S. PAULI EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

CAPUT I.

[a] PAulus & Timotheus ſervi Jeſu Chriſti: [b] omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, [c] cum Epiſcopis & Diaconibus: Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto. [d] Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri, ſemper in cunctis [e] orationibus meis, pro [f] omnibus vobis cum [g] gaudio, deprecationem faciens ſuper [h] communicatione veſtra in Evangelio Chriſti: à [i] prima die uſque nunc, [k] confidens in hoc ipſum: [l] quia qui cœpit in vobis opus bonum, [m] perficiet [n] uſque in diem Chriſti Jeſu [o] Sicut eſt mihi juſtum hoc ſentire pro omnibus vobis: [p] eo quod habeam vos in corde & in vinculis meis, & in defenſione & [q] confirmatione Evangelii [r] ſocios gaudii mei omnes vos eſſe. [ſ] Teſtis enim mihi eſt Deus: quomodo cupiam omnes vos eſſe in viſceribus Jeſu Chriſti. Et [t] hoc oro, ut caritas veſtra magis ac magis abundet in [u] ſcientia & in omni ſenſu: ut proberis potiora, [w] ut ſitis ſinceri & ſine offenſa in diem Chriſti, [x] repleti fructu juſtitiæ per Jeſum Chriſtum, in [y] gloriam & laudem Dei. [z] Scire autem volo vos, fratres, quia quæ circa me ſunt, [a] magis ad profectum venerunt Evangelii: ita ut vincula mea manifeſta fierent in Chriſto, in omni prætorio, & in cæteris omnibus: [b] ut plures e fratribus in Do-

PELAGII COMMENTARII IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

IN CAPUT. I.

(a) P*Aulus & Timotheus ſervi Jeſu Chriſti.*] Ambo ſervi, non ambo Apoſtoli. *Omnis* enim Apoſtolus ſervus: non omnis autem ſervus Apoſtolus.

(b) *Et omnibus ſanctis in Chriſto Je.* &c.] Quia nemo ſine Chriſto ſanctus eſt: & ſanctis non omnibus, Philippenſibus etiam paganis.

(c) *Cum omnibus Epiſcopis* &c.] Hic Epiſcopos Preſbyteros intelligimus: non enim in una urbe plures Epiſcopi eſſe potuiſſent, ſed etiam hoc in Apoſtolorum Actibus habetur.

(d) *Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri.*] Bonorum memoriam cum gratiarum actione celebrat.

(e) *Semper in orationibus meis.*] Oſtendit circa eos dilectionem ſuam, pro quibus ſemper oret.

(f) *Pro omnibus vobis.*] Quia omnes tales eſtis.

(g) *Cum gaudio deprecationem faciens.*] Non in peccati alicujus triſtitia vel mœrore.

(h) *Super communicatione veſtra in Evangelio.*] Quia mihi communicaſtis in Evangelio prædicando.

(i) *A prima die uſque nunc.*] Ab initio fidei veſtræ: deprecor ut perſeveretis: ſive quod communicatis ab initio prædicando.

(k) *Confidens in hoc ipſum.*] Confido me impetrare.

(l) *Quia qui cœpit in vobis opus bonum.*] Cœpit doctrinam, ſive gratiam ſcientiæ largiendo.

(m) *Perficiet.*] Perficiendo quod docti fuerint ut doceant.

(n) *Uſque in diem Jeſu Chriſti.*] Uſque ad diem, quo de corpore recedebant. Ex quo jam ad Domini unuſquiſque ſervatur adventum.

(o) *Sicut eſt m[ihi] juſtum* &c.] Caritas enim omnia ſperat.

(p) *Eo quod habeam vos in corde & in vin.* &c.] Tantum vos diligo ut mihi memoriam veſtri, nec hæc tribulatio nec ſolicitudo defenſionis auferat.

(q) *Et confirmatione Evangelii.*] Confirmatio Evangelii, eſt conſtans tolerantia prædicantis.

(r) *Socios gaudii mei* &c.] Hoc ſentio de vobis & credo: quia ſicut meæ tribulationis ſocii eſtis, ita eritis & gaudii ſempiterni. Sive ſic: ſcio vos ita Evangelio credidiſſe, ut etiam in tribulationibus meis pro ejus defenſione mecum pariter gaudeatis.

(ſ) *Teſtis enim mihi De.* &c.] Sive eſſe ejus in viſceribus: ſive ita vos deſiderio tamquam viſcera Chriſti.

(t) *Et hoc oro ut caritas* &c.] Ut vos in eo quod habetis, amplius abundetis.

(u) *In ſcientia* &c.] Notandum quia ſcientibus adhuc ſcientiam deprecatur, ut ſinceres in omnibus eſſe valeant. Nemo enim æger an ſanari poſſit agnoſcit.

(w) *Ut ſitis ſinceres* &c.] * Sinceris materia eſt quæ naturam ſuam ſervat, nulla extrinſecus corruptione fucata: tale vinum ſemper in melius proficit, non in pejus.

(x) *Repleti fructu* &c.] Non ſolum ſinceres ab omni corruptione ſitis, ſed etiam fructu juſtitiæ abundetis, exemplo Chriſti qui non modo malitiam non habet, ſed etiam bono redundat.

(y) *In glor.* &c.] Ut glorietur Deus in actibus veſtris.

(z) *Scire au.* &c.] Hic conſolatur eos de ſua tribulatione: quia audierant eum vinctum in urbe Roma cuſtodiri.

(a) *Magis* &c.] Non ſolum non obſunt, ſed etiam profuerunt, dum manifeſtatur me non pro aliquo crimine, ſed pro Chriſto omnia ſuſtinere.

(b) *Ut plur.* &c.] Plures mea tribulatione conſtantes effecti ſunt, quam doctrina.

* Abſurda hæc notula orta eſt ex prava lectione vocis *ſinceres*, pro *ſinceri*, quæ vox reſpondet Græcæ εἰλικρινεῖς, quæ ſignificat, *puros*, *ſinceros*, *impermiſtos*, quaſi ἐν εἵλῃ κρινόμενοι, dijudicatos ac ſelectos *in ſplendore ſolis*; quod ſolet fieri in rebus, quæ ægre permiſtæ diſtinguuntur.

in Domino [a] confidentes, in vinculis meis abundantius auderent ſine timore verbum Dei loqui. [b] Quidam quidem & propter invidiam & contentionem, [c] quidam autem & propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant. [d] Quidam ex caritate, [e] ſcientes quoniam in defenſione Evangelii poſitus ſum. [f] Quidam autem ex contentione Chriſtum adnunciant non ſincere, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis. [g] Quid enim? Dum omni modo [h] ſive per occaſionem, ſive per veritatem [i] Chriſtus adnuncietur: & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. [k] Scio enim quia hoc mihi proveniet ad ſalutem per veſtram orationem, [l] & ſubminiſtrationem ſpiritus Jeſu Chriſti, [m] ſecundum exſpectationem & ſpem meam: [n] quia in nullo confundar: ſed in [o] omni fiducia ſicut ſemper, & [p] nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo: [q] ſive per vitam, ſive per mortem. Mihi [r] enim vivere Chriſtus eſt, & [ſ] mori lucrum. [t] Quod ſi vivere in carne hic mihi fructus operis eſt: & [u] quid eligam, ignoro: coarctor autem è duobus, [w] deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto: multo magis melius: permanere autem in carne neceſſarium propter vos. Et [x] hoc confidens ſcio, quia manebo & [y] permanebo omnibus vobis, [z] ad profectum veſtrum & gaudium fidei: [a] ut gratulatio veſtra abundet in Chriſto Jeſu in me, per meum adventum iterum ad vos. [b] Tantum digne Evangelio Chriſti converſemini: [c] ut ſive cum venero & videro vos, ſive abſens, audiam de vobis: quia ſtatis in uno ſpiritu [d] unanimes, collaborantes fidei Evangelii: & in [e] nullo terreamini ab adverſariis: quæ eſt illis cauſa perditionis: vobis autem ſalutis. Et [f] hoc à Deo. Quia vobis donatum eſt pro Chriſto: [g] non ſolum,

(a) *Confidentes* &c.] Vinculorum meorum exemplo ſunt incitati, dum me viderunt pro Chriſto libentiſſime ſuſtinere.

(b) *Quidam* &c.] Dum mihi apud credentes gloriam auferre ſe putant, ne ſolus mihi vendicare videar ſcientiam prædicandi.

(c) *Quidam autem & pro.* &c.] Alii etiam alios ſalvare volentes, fideliter Chriſtum adnunciant.

(d) *Quidam ex caritate* &c.] Quidam vero ex mea caritate adjuvant me Evangelium defenſando.

(e) *Scientes quoniam in def.* &c.] Non humanæ dilectionis affectu, ſed quia ſciunt me à Domino ad defendendum Evangelium ordinatum.

(f) *Quidam autem ex contentione Chriſtum adnunciant* &c.] Alii dolore prædicant ad me gravandum, quaſi plures diſcipulos facientem, & doctrina mea, totum orbem implere conantem: ut ex hoc ſaltem major mihi cumuletur injuria vel preſſura.

(g) *Quid enim? dum omni modo ſive per occaſionem.*] Odii vel invidiæ.

(h) *Sive per occaſionem* &c.] Simplicis vel puræ prædicationis.

(i) *Chriſtus adnuncietur: & in hoc gaud.* &c.] Non mihi curæ eſt qua prædicent mente, dummodo quod cupio, Chriſti nomen omnibus innoteſcat: à & multis credatur. Quapropter & modo gaudeo: & in futurn gaudebo.

(k) *Scio enim quia hoc mihi proveniet ad ſalutem per orationem veſtram.*] Quod mihi nocere putant, in ſalutem proveniet: quia non ſolum per verbum & paſſionem meam: ſed etiam per odium, Chriſti Eccleſia augmentatur.

(l) *Et ſubminiſtrationem ſpiritus Jeſu Chriſti.*] Quia ad meam per omnia ſalutem gubernati.

(m) *Secundum exſpectationem & ſpem meam.*] Quia de omnibus his exſpecto & ſpero mercedem.

(n) *Quia in nullo confundor.*] Neque in vita, neque in morte, neque in contumeliis, neque in opprobriis: denique in nullo Apoſtolus confundebatur. Nos in omnibus erubeſcimus, & in quo vituperamur ultra non facimus: quamvis ſecundum Deum cœperimus: unde oſtendimus nos laudibus, non Chriſto ſervire. Apoſtolus non confundebatur in catenis, nos confundimur in opprobriis.

(o) *Sed in omni fiducia ſicut ſemper.*] Nulla res me poterit deterrere.

(p) *Et nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo.*] Inimicis ſuis inſultat, quod ei nocere non valeant. Si enim eum occiderint, martyrio coronabitur. Si ſervaverint ad Chriſtum annunciandum, plurimum facient fructum.

(q) *Sive per vitam, ſive* &c.] Et vita noſtra & mors ad magnificentiam pertinet Chriſti.

(r) *Mihi enim vivere Chriſtus eſt.*] Non alia cauſa volui vivere, niſi Chriſti: ut ejus corpus ædificem.

(ſ) *Et mori lucrum.*] Corona.

(t) *Quod ſi vivere in carne hic mihi fructus operis eſt.*] Si vivere in carne me voluerint, habebo tempus operandi.

(u) *Et quid eligam, igno.* &c.] In tantum mihi utraque conveniunt, ut quid eligam ſcire non poſſim.

(w) *Deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto: multo* &c.] Illud melius mihi, iſtud neceſſarium vobis. Et mortem illos non timere, ſed diligere debere eos, ſuo demonſtrat exemplo: & ut non contriſtentur, manſurum ſe carne ſpiritu prophetico promittit.

(x) *Et hoc confidens ſcio, quia manebo.*] Non ſolum credo, ſed etiam certiſſime novi.

(y) *Et permanebo omnibus vobis.*] Non mihi id eſſe, non mei cauſa.

(z) *Ad profectum veſtrum & gau.* &c.] Profectum de fructu fidei veſtræ & gaudium habeatis, ſive ut gaudeatis: quia veſtra me fides & oratio conſervavit.

(a) *Ut gratulatio veſtra abundet in Chriſto Jeſu* &c.] Ut poſtquam viſerim vos, iterum abundantius gratulemini.

(b) *Tantum digne* &c.] Omnia ejus præcepta ſervantes, ſive digne Evangelii prædicatoribus conſervare debetis.

(c) *Ut ſive cum &c. quia ſtatis* &c.] Sicut legimus: quia erat eis cor unum & anima una: nec Act. 4.
quiſque ſuum dicebat: ſed erant illis omnia communia.

(d) *Unanimes, collab.* &c.] Omnis pugna unanimiter agreſſa victoriam parit.

(e) *Et in nullo terreamini* &c.] Neque verſutis diſputationibus, nec paſſionibus opprobriiſque turbemini. Quia vobis magis ad mercedem poſſunt prodeſſe. Sicut Apoſtoli ibant gaudentes: quia pro Act. 5.
nomine Domini digni habiti ſunt contumeliam pati.

(f) *Et hoc à Deo* &c.] Quia vult vos coronari probatos: ſicut Job permittitur tentari. Quia nec vinci habebat, & ejus gloria amplianda erat adverſario ſuperato atque confuſo.

(g) *Ut non ſolum* &c.] Occaſio fidei à Deo donata eſt: quia ſi non veniſſet Chriſtus & docuiſſet, non utique crederemus: cæterum & fidem voluntariam in actibus legimus: non ſolum ergo vult ut fidei meritum, ſed etiam ut martyrii præmium habeatis, dum vos tentari Deus patitur ut vincatis.

(a) *Idem*

ſolum, ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini: [a] idem certamen habentes, quale & vidiſtis in me, & nunc audiſtis de me.

CAPUT II.

[b] SI qua ergo conſolatio in Chriſto, [c] ſi quod ſolatium caritatis, [d] ſi qua ſocietas ſpiritus, [e] ſi qua viſcera miſerationis, implete [f] gaudium meum: [g] ut idem ſapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes, idipſum ſentientes. [h] Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, [i] ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes: [k] non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum. [l] Hoc enim ſentite in vobis quod & in Chriſto Jeſu. [m] Qui cum in forma Dei eſſet: [n] non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in [p] ſimilitudinem hominum factus, & [q] habitu inventus ut homo, [r] humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem: [ſ] mortem autem crucis. Propter [t] quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen [u] quod eſt ſuper omne nomen, ut in [w] nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & [x] infernorum. Et [y] omnis lingua confiteatur, [z] quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. [a] Itaque, cariſſimi mei, ſicut ſemper obediſtis; [b] non in præſentia mei tantum, ſed [c] multo magis nunc in abſentia mea, cum [a] metu

(a) *Idem certamen habentes &c.*] Nihil novum patimini, ſed hoc quod præſentes vidiſtis in me, & nunc abſentes de me audiſtis. Non ſit ergo illud vobis indignum, in quo nos conſpexiſtis gloriari.

IN CAPUT II.

(b) S*I qua ergo conſolatio in Chriſto.*] Si in omni tribulatione ab ipſo ſolo conſolamini, non ſit veſtra conſolatio, patrimonium terrenum.

(c) *Si quod ſolatium caritatis.*] Caritas Chriſti, non amicorum.

(d) *Si qua ſocietas ſpiritus.*] Spiritualium, non carnalium.

(e) *Si qua viſcera miſerationis.*] Veſtri miſeremini potius quam parentum.

(f) *Implete gaudium meum.*] Quod jam habeo ex parte, in talibus enim doctor exſultat. Aliter, ſi qua mihi à vobis conſolatio exhibetur in Chriſto, & ſi quod ſolatium caritatis: ſi qua vos ſocietas ſpiritus connectit, & ſi qua ſint apud vos viſcera pietatis, hoc mihi præſtate, quod rogo, ut gaudium noſtrum unitatis & electionis impleatis.

(g) *Ut idem ſapiatis, eamdem caritatem habentes &c.*] Nolite caritatem ſcindere, ſentiendo diverſa.

(h) *Nihil per contentionem neque per inanem gloriam.*] Ne aliquid non Dei æmulatione faciatis, ſed ut quiſque alius videatur.

(i) *Sed in omni humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes.*] Si omnes à quibus injuriam patimur, ſuperiores arbitraremur, facile patientiam ſervaremus. Nemo enim à patre vel à Domino ægre ſe fert injuriam conſecutum.

(k) *Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum.*] Non quæ nobis ſolis expediunt, ſed quæ & aliis proſunt.

(l) *Hoc enim ſentite in vobis quod & in Chriſto Jeſu.*] Vult oſtendere Chriſtum, non pro ſe, ſed pro aliis paſſum: ſive, tam humilis ſenſus ſit in vobis, quam fuit in Chriſto. Multi præterea hunc locum ita intelligunt, quod ſecundum divinitatem ſe humiliaverit Chriſtus, ſecundum formam, videlicet, ſecundum quam æquam æqualitatem Dei, non rapinam uſurpaverit, quam naturaliter poſſidebat: Et exinanivit ſe, non ſubſtantiam evacuans, ſed honorem declinans: formam ſervi, hoc eſt naturam hominis induendo, & per omnia homo tantummodo atque humilitatis ſuæ obedientiæ, nec crucis mortem recuſando. Quod in Chriſto Jeſu, ſecundum quod unctus eſt, Chriſtus eſt, Jeſus nomen accepit: hoc eſt, ſecundum hominem.

(m) *Qui cum in forma Dei eſſet.*] In qua erat, ſive quia abſque peccato erat ad imaginem Dei, ſcilicet.

(n) *Non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo &c.*] Quod erat, humilitate celavit, dans nobis exemplum ne in his gloriemur quæ forſitan non habemus.

(o) *Formam ſervi accipiens.*] Ita ut etiam pedes lavaret diſcipulorum.

(p) *In ſimilitudinem hominum factus.*] Interdum ſimilitudo recipit veritatem, nam genuit Adam filium *ſecundum imaginem & ſimilitudinem ſuam, & vocavit nomen ejus Seth.* In ſimilitudine humana, humilitate ſerviendo cum omnium Dominus eſſet.

(q) *Et habitu inventus ut homo.*] Hoc ut verum ſit, ſicut quaſi unigeniti à patre ita intelligendum.

(r) *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem.*] Ut nobis perfectæ obedientiæ monſtraret exemplum.

(ſ) *Mortem autem crucis.*] Qua nulla mors poteſt eſſe deterior.

(t) *Propter quod & Deus exaltavit illum & donavit illi nomen.*] Quia ſe adſumtus homo humiliare dignatus eſt, divinitas quæ humiliari non poteſt, eum qui humiliatus fuerat exaltavit. Sed & illi donatum eſt nomen, quia ante non habuit: unde rectius locus hic ſecundum humanam naturam intelligendus eſt, quam divinam. Si ergo nos ex alto reſpicimus, exemplo Chriſti fratribus ſerviamus. Si enim ille Dominus & magiſter, ſervis & diſcipulis miniſtravit, quanto magis nos æqualibus & majoribus ſervire debemus, & Deo & ſanctis ejus, uſque ad mortem etiam obedire: ne magiſtrum humilem, ſuperbi diſcipuli non ſequamur: & dominum mitem, ſervi contemnamus ingrati.

(u) *Quod eſt ſuper omne nomen.*] Cui enim Angelorum dixit, filius meus es tu?

(w) *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium.*] Ut omnes ſimul hominem adorent cum verbo aſſumtum.

(x) *Et infernorum.*] Hic infernorum cuſtodes inducit.

(y) *Et omnis lingua confiteatur.*] Omnium gentium, ſcilicet.

(z) *Quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.*] Hoc eſt, in natura & gloria deitatis, dum ejuſdem eſt gloriæ cujus Pater.

(a) *Itaque, cariſſimi mei, ſicut ſemper obediſtis.*] Exemplo ejus, qui uſque ad mortem obedivit.

(b) *Non in præſentia mei tantum.*] Quaſi ſervi ad oculum ſervientes.

(c) *Sed multo magis nunc in abſentia mea.*] Quia ſi quid me præſente liberius agebatis, corrigere poteram.

[a] metu & tremore veſtram ſalutem operamini. [b] Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & proficere, [c] pro bona voluntate. [d] Omnia autem facite ſine murmurationibus & [e] hæſitationibus: [f] ut ſitis ſine querela, & ſimplices filii Dei, ſine reprehenſione, in [g] medio nationis pravæ atque perverſæ: [h] inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo: [i] verbum vitæ continentes, ad [k] gloriam meam in [l] die Chriſti, [m] quia non in vacuum cucurri: neque in vacuum laboravi. [n] Sed & ſi immolor ſupra ſacrificium & obſequium fidei veſtræ: gaudeo & congratulor omnibus vobis. Idipſum [o] autem & vos gaudete & congratulamini mihi. [p] Spero autem in Domino Jeſu Timotheum me cito mittere ad vos, [q] ut & ego bono animo ſim, cognitis quæ circa vos ſunt. [r] Neminem enim habeo tam unanimem, qui ſincera affectione pro vobis ſollicitus ſit. [s] Omnes enim quæ ſua ſunt, quærunt: [t] non quæ Jeſu Chriſti. [u] Experimentum autem ejus cognoſcite, [w] quoniam ſicut patri filius mecum, ſervivit in Evangelio. [x] Hunc igitur ſpero me mittere ad vos, mox ut videro quæ circa me ſunt. [y] Confido autem in Domino: quoniam & ipſe veniam ad vos cito. [z] Neceſſarium autem exiſtimavi Epaphroditum fratrem & cooperatorem & [a] commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, & [b] miniſtrum neceſſitatis meæ, mittere ad vos: [c] quoniam quidem omnes vos deſiderabat: & [d] mœſtus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum. [e] Nam & infirmatus eſt uſque ad mortem, ſed Deus miſertus eſt ejus. [f] Non ſolum autem ejus: verum etiam & mei: ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem. [g] Feſtinantius ergo miſi illum: ut viſo illo iterum gaudeatis, & [h] ego ſine triſtitia ſim. Excipite [i] itaque illum cum omni gaudio in Domino, & [k] ejuſmodi cum honore habetote: [l] quoniam propter opus Chriſti uſque ad mortem acceſſit, [m] tradens animam ſuam: [n] ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obſequium.

C A-

(a) *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini.*] Non cum negligentia, ſed ſicut ait Job: *Verebar omnia opera mea propter Deum, ſciens quod non parceres delinquenti.* Et ſuper humilem & quietum & trementem verba Dei Spiritus Sanctus requieſcit.

(b) *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle & proficere.*] Velle operatur ſuadendo, & præmia promittendo. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Cæterum proficere noſtrum omnino, nec velle, quicquam eſt: quia utrumque ejuſdem loci definitione tenetur.

(c) *Pro bona voluntate.*] Si in ea maneatis.

(d) *Omnia autem facite ſine murmurationibus.*] Ingratus eſt ſervus, qui gravia Domini ſui queritur eſſe præcepta. Qui enim murmurat de præceptis, dubitat de præmiis. Hic etiam ſi operatur, non eſt ſine querela. Unde alibi ait: Neque murmuraveritis, & cætera.

(e) *Et hæſitationibus.*] De mercede futura.

(f) *Ut ſitis ſine querela, & ſimplices ſicut filii Dei &c.*] Sicut Deus vos fecit. Conſiderate cujus filii ſitis, qui cum in omnibus ſanctus ac purus ſit, filios non poteſt habere degeneres.

(g) *In medio nationis pravæ atque perverſæ.*] Quæ omnem rationabilis naturæ pervertit ordinem & perdidit.

(h) *Inter quos lucete ſicut luminaria in mundo.*] Sic luceat Dei genus in genere humano, ſicut ſol & luna illuminant mundum.

(i) *Verbum vitæ continentes.*] Ut per vos illuminentur & exemplo confirmentur.

(k) *Ad gloriam meam.*] Gloria patris filiorum eſt, ut ait Salomon.

(l) *In die Chriſti.*] In die judicii.

(m) *Quia non in vacuum cucurri: neque in vacuum laboravi.*] Qui talem Deo populum acquiſivi.

(n) *Sed & ſi immolor ſupra ſacrificium* &c.] Etiam ſi occidar: quia ſacrificium & obſequium fidei veſtræ obtuli Deo: vincit profectus veſtri gaudium, triſtitiam pœnæ vel mortis: ſive jam non timeo mori, ſacrificio fidei veſtræ conſummato: ſive quia veſtræ fidei miniſtravi.

(o) *Idipſum autem & vos congaudete & congratulamini mihi.*] Quia mihi grande præmium eſt pro vobis occidi, ſive quia mihi expedit ſolvi.

(p) *Spero autem in Domino Jeſu Timotheum me cito mittere ad vos.*] Dat exemplum non temere quid definiendi, ſed omnia ſpe Domini promittendi.

(q) *Ut & ego bono animo ſim, cognitis quæ circa vos ſunt.*] Ut ſciatis quia vos meæ paſſiones minime tenuerunt.

(r) *Neminem enim habeo tam unanimem qui ſincera affectione pro vobis ſollicitus ſit.*] Qui ita mecum pro omnium veſtrum ſalute ſollicitus ſit.

(ſ) *Omnes enim quæ ſua ſunt, quærunt.*] Commodum vel quietem, nolentes pro anima tribulari.

(t) *Non quæ Jeſu Chriſti.*] Non curantes de corpore vel exemplo Chriſti, qui pro omnium ſalute mori minime recuſavit.

(u) *Experimentum ejus cognoſcite.*] Ut qualis ſit noveritis.

(w) *Quoniam ſicut patri filius mecum* &c.] Secundum hominem, propter homines factus obediens uſque ad mortem.

(x) *Hunc igitur ſpero me mittere ad vos* &c.] Modo enim incertus ſum.

(y) *Confido autem in Domino* &c.] Non ſolum illum mitto quem unicum habeo ſolatium.

(z) *Neceſſarium autem exiſtimavi Epaphroditum* &c.] Neceſſarium vobis & cooperatorem propter Evangelii opus.

(a) *Et commilitonem meum* &c.] Commilito propter honorem: quia & ipſe acceperat in illis apoſtolatus officium.

(b) *Et miniſtrum neceſſitatis meæ mittere ad vos.*] Quia venit meæ neceſſitati miniſtrare pro vobis.

(c) *Quoniam quidem omnes vos* &c.] Caritatem ejus circa illos ſollicitam commendat, ut & ipſe ab eis amplius diligatur.

(d) *Et mœſtus erat, propterea quod audieratis infirmatum.*] Triſtitiæ veſtræ cauſa mœſtus erat, eo quod vos per infirmitatis ſuæ nuncium paveret nimium contriſtatos.

(e) *Nam & infirmatus eſt uſque ad mortem* &c.] Ut majorem docendo colligat fructum.

(f) *Non ſolum autem ejus: verum etiam* &c.] Ne triſtitiam carceris triſtitia deſolationis augeret.

(g) *Feſtinantius ergo miſi illum: ut viſo illo iterum gaudeatis.*] Pro cujus novi vos abſentia contriſtari.

(h) *Et ego ſine triſtitia ſim.*] Quam veſtra triſtitia generat.

(i) *Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino.*] Solventes ſi quem ſcrupulum de ejus tarditate animus forte ſuſceperat.

(k) *Et ejuſmodi cum honore habetote.*] Non ſolum hunc qui veſter eſt doctor, ſed & omnes qui tales gratiæ ſunt honorate.

(l) *Quoniam propter opus Chriſti uſque ad mortem acceſſit.*] Qui mihi non timuit in carcere miniſtrare.

(m) *Tradens animam ſuam.*] In manus inimicorum: hoc eſt paratus ad mortem.

(n) *Ut impleret id quod deerat* &c.] Ut reliquum veſtrum erga me ſolus impleret obſequium.

IN CA-

C A P U T. III.

[a] DE cætero, ſratres mei, gaudete in Domino: [b] eadem vobis ſcribere mihi quidem non pigrum, [c] vobis autem neceſſarium. [d] Videte canes, [e] videte malos operarios, [f] videte conciſionem. [g] Nos enim ſumus circumciſio, qui ſpiritu ſervimus Deo, & [h] gloriamur in Chriſto Jeſu: & non in carne fiduciam habentes: quamquam & [i] ego habeam confidentiam in carne. [k] Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis: circumciſus octavo die, ex genere Iſraël, de [l] tribu Benjamin, [m] Hebræus ex Hebræis, [n] ſecundum legem Phariſæus: ſecundum [o] æmulationem perſequens Eccleſiam Dei, [p] ſecundum juſtitiam quæ in lege eſt, [q] converſatus ſine querela. [r] Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. [ſ] Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, [t] ut Chriſtum lucrifaciam: ut & inveniar in illo, [u] non habens meam juſtitiam quæ ex lege eſt, ſed illam [w] quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu, quæ ex Deo eſt juſtitia in fide, [x] ad cognoſcendum illum & [y] virtutem reſurrectionis ejus, & ſocietatem [z] paſſionis illius: configuratus morti ejus, [a] ſi quomodo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis: [b] non quod jam acceperim, [c] aut jam perfectus ſim. [d] Sequor autem ſi quo modo comprehendam: in quo & comprehenſus ſum a Chriſto Jeſu. [e] Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. [f] Unum autem, quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea vero quæ ſunt priora, extendens meipſum, [g] ad deſtinatum perſequor bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu. [h] Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus, & ſi

IN CAPUT III.

(a) D*E cætero, fratres, mei gaudete in Domino.*] Non in rebus humanis vel in aliquo præterquam in Domino gaudeatis.

(b) *Eadem vobis ſcribere* &c.] Eadem repetere quæ præſens dixeram.

(c) *Vobis autem neceſſarium.*] Sicut horto crebrius irrigari.

(d) *Videte can.*] Hic contra pſeudoapoſtolos agit Chriſti Evangelium lacerantes.

(e) *Videte malos* &c.] Qui quod nos bene conſtruximus, deſtruere conantur.

(f) *Videte conciſionem.*] Conciſio enim potius quam circumciſio ſunt dicendi.

(g) *Nos enim ſumus circumciſio* &c.] Nos ſumus viri Judæi, qui non unius membri pellem, ſed totius carnis vitia amputamus, ſpiritualiter, ſcilicet, circumciſi.

(h) *Et gloriamur in Chriſto Jeſu* &c.] Io ſola fide Chriſti, oon in circumciſione carnali.

(i) *Quamquam & ego habeam* &c.] Ne quis putet me hoc ideo dicere: quia ego gloriandi cauſam noo habeam, & idcirco non glorier.

(k) *Si quis alius videtur confidere in carne* &c.] Quia ex illis fortè aliqui erant proſelyti: ego ſecundum genus, non poſt annos, ut aliqui peregrini.

(l) *De tribu Benjamin.*] Quæ ſemper cum Juda conjuncta fuit.

(m) *Hebræus ex Hebræis.*] Non ex gentibus proſelytus.

(n) *Secundum legem Phariſæus.*] Legiſperitus vel diviſus a turba, qui non poſſem poſſe quod probarem.

(o) *Secundum æmulationem* &c.] Tantam habui æmulationem, ut neſcius etiam Eccleſiam inſectarer.

(p) *Secundum juſtit.* &c.] Primus fui in omnibus, io quibus illi falſo gloriantur, ſed quia hoc tempore illa non valere cognovi, ideo illa nullius duco momenti, & tamquam impedimenta projicio, quibus me vitam acquirere poſſe putabam.

(q) *Converſatus ſine querela.*] Omnium juſtificationum & cærimoniarum purificationem & mandata complebam, ſed hæc nulla putavi, dum crederem Chriſto quæ lex ipſa promiſerat.

(r) *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimentu.*] Ad comparationem inventi auri, contemnitur æramentum: quamvis ab uno ſit conditum, & pro temporis qualitate neceſſarium.

(ſ) *Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe &c. ut ſtercora* &c.] Stercora ciborum ſunt reliquiæ, & quondam rerum utilium purgamenta.

(t) *Ut Chriſtum lucrifaciam* &c.] Ut Chriſtum habeam caput, & ejus inveniar membrum.

(u) *Non habens meam juſtitsam* &c.] Hoc eſt meo labore quæſitam.

(w) *Sed illam quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu.* &c.] Sed illam quæ a Deo proprie & ſola fide collata eſt Chriſtianis.

(x) *Ad cognoſcendum illum.*] Ut beneficium ejus perfecte cognoſcam.

(y) *Et virtutem reſurrectionis ejus.*] Quia ideo ſurrexit ut nos ſimiliter reſurgamus. Qui autem hoc vere cognoſcit, ſatis agit, ſi omnino oon peccet.

(z) *Et ſocietatem paſſionis illius* &c.] Si enim compatimur & convivimus.

(a) *Si quo modo occurram ad reſurrectionem* &c.] Ad illam quæ perfectorum eſt proprie, non ad illam quam etiam invitos habere neceſſe eſt.

(b) *Non quod jam acceperim.*] Quia mundi nondum finis advenit, ſed in ſpe eſt quod credimus, non in re.

(c) *Aut jam perfectus ſim.*] Adhuc ait ſe perfectione hac, & de tali reſurrectione ſuſpenſum.

(d) *Sequor autem ſi quomodo comprehendam* &c.] Si comprehendam meritum Apoſtolatus, in quo Apoſtolatu a Chriſto ſum comprehenſus.

(e) *Fratres, ego me* &c.] Se humiliando, omnibus gloriam tollit, & univerſos provocat ad perfectionem.

(f) *Unum autem, quæ quidem retro ſunt obli.* &c.] Hoc ſolum ſcio, quia quotidie proficio, & præteritum laborem non computans, ad priora feſtino: ſive legis obliviſcens ad perfecta Evangelii præcepta me teneo.

(g) *Ad deſtinatum perſequor* &c.] Quod perfectis Deus promiſit in Chriſto in cœlis, quod non niſi vincentes accipient.

(h) *Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus.*] Quomodo negat ſe eſſe perfectum, ſi alii ſunt, niſi humilitatis gratia hoc dictum accipias? Quicumque perfectus eſt, hoc ſentiat, vetera ſcilicet obliviſcendo, & nova ſectando: quia perfecti debent eſſe diſcipuli Chriſti: licet ſuperius de perfectione præmii, hic vero de ſcientia ſit locutus.

(a) *Si*

[a] ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis revelabit Deus. [b] Verumtamen ad quod pervenimus, [c] ut idem ſapiamus, [d] & in eadem permaneamus regula. [e] Imitatores mei eſtote, fratres, [f] & obſervare eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram. [g] Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, [h] nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti: [i] Quorum finis interitus: quorum [k] Deus venter eſt: [l] & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. [m] Noſtra autem converſatio in cœlis eſt. [n] Unde etiam Salvatorem exſpectamus, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: [o] qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, [p] ſecundum operationem virtutis ſuæ, qua etiam poſſit ſubjicere ſibi omnia.

CAPUT IV.

[q] ITaque, fratres mei cariſſimi & deſideratiſſimi, [r] gaudium meum & corona mea, [ſ] ſic ſtate in Domino cariſſimi. [t] Evodiam rogo & Syntychen deprecor idipſum ſapere in Domino. [u] Etiam rogo & te, germane compar: [w] adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio, [x] cum Clemente & cæteris adjutoribus meis: [y] quorum nomina ſunt in libro vitæ. [z] Gaudete in Domino ſemper: [a] iterum dico gaudete. [b] Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus: [c] Dominus enim prope eſt. [d] Nihil ſolliciti ſitis, ſed in omni [e] oratione & obſecratione cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. [f] Et pax Dei quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras

(a) *Si quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus revelabit.*] Si quid aliū Deus revelavit: Aliter inquit, non aliud: hoc eſt alia aſſertione, non fide.

(b) *Verumtamen ad quod pervenimus.*] Ad perfectionem novi Teſtamenti.

(c) *Ut idem ſapiamus.*] Idem ſit, aliter ſcilicet alter non adſtruat.

(d) *Et in eadem perma.* &c.] Non enim ſcire ſufficit ſine facto.

(e) *Imitatores mei eſtote fratres.*] *Me ſequimini, non falſos Apoſtolos.

(f) *Et obſervate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.*] Dupliciter dicitur obſervare, vel ad imitandum ut hic: vel ad cavendum ſicut ad Romanos ait: Obſervate eos qui diſſenſiones & offendicula faciunt. Rom. 16.

(g) *Multi enim ambulant quos ſæpe dicebam vobis.*] De his dicit qui ſpem paſſionis Chriſti, per quam peccata dimiſſa ſunt, auferentes, in legis cærimoniis collocabant. Poteſt & de Joviniani ſtudiis accipi, qui jejuniorum afflictionem & omnem corporis cruciatum, in luxuriam & epulas converterit.

(h) *Nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti.*] Notandum quod vero affectu, omnium ſalutem optaverit, qui etiam inimicos crucis Chriſti deflebat, ultro in interitum properantes.

(i) *Quorum finis eſt interitus.*] Quia in corruptione ſeminant carnis.

(k) *Quorum Deus venter eſt.*] Qui ſe in hoc putant Deo ſervire, ſi comedant, non audientes Prophetam dicentem: Si manducaveritis & biberitis, nonne vos manducatis & bibitis?

(l) *Et gloria in confuſione ipſorum* &c.] In circumciſione verecundi membri.

(m) *Noſtra autem converſatio in cælis eſt.*] Hoc non poteſt dicere terrenis vitiis mancipatus.

(n) *Unde etiam ſalvatorem exſpectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*] Qui caput eſt noſtrum.

(o) *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.*] Sicut monſtravit in monte, cum unum ex viventibus & unum ex mortuis, claritatis ſuæ corpori configurat: exemplum reſurrectionis oſtendens & in mortuis & in viventibus.

(p) *Secundum operationem qua poſſit ſibi ſubjicere omnia.*] Quia non ſolum conformavit nos, ſed etiam corpori ſuo omnia fecit eſſe ſubjecta: ſive ſecundum ſententiam qua ſibi cuncta ſubjecit, etiam hoc illi poſſibile eſt.

IN CAPUT IV.

(q) *ITaque, fratres mei cariſſimi & deſideratiſſimi.*] Quia perfectiores.

(r) *Gaudium meum & corona mea.*] Per vos in præſenti lætificor, & in futuro coronabor.

(ſ) *Sic ſtate in Domino, cariſſimi.*] In ſola Chriſti fide, ut ſuperius comprehendi, ſpem ponentes, & in converſatione cœleſti.

(t) *Evodiam rogo & Syntychen deprecor idipſum ſapere in Domino.*] Quod dicit, ideſt, una mecum. Hæ mulieres ſcientes erant legis: quia ſimiliter ut iſtas eadem ſentire commemorat & hortatur.

(u) *Etiam rogo te & Germane compar.*] Germanus dictus eſt nomine, qui egerat, conpar officii.

(w) *Adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio.*] Non viros, ſed fœminas quæ erant docentes, non in Eccleſia, ſed in domo.

(x) *Cum Clemente & cæteris adjutoribus meis.*] Clemens ex Philoſopho magnæ doctrinæ vir, qui Romæ Epiſcopus fuit.

(y) *Quorum nomina ſunt in libro vitæ.*] Ne moleſte ferrent ſua nomina in hac Epiſtola comprehenſa, ſcripta eſſe dicit in cœlis. Hujus libri etiam Moyſes & David meminit & Dominus in Evangelio.

(z) *Gaudete in Domino ſemper.*] Quia ſeculi gaudium non habetis.

(a) *Iterum dico gaudete.*] Repetit, ut magis ac magis gaudium confirmetur.

(b) *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus* &c.] Judæis & gentibus omnibus: qui vos tribulant & perſequuntur.

(c) *Dominus enim prope eſt.*] Scit quid opus ſit antequam petatis ab eo: ſive de congruentibus cogitationibus, ſollicitudinem gerite: quam enim Dominus nobis prope ſit, optime noviſtis, ſecundum illud: *Juxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde.* Pſal. 33.

(d) *Nihil ſolliciti ſitis.*] Nolite cogitare quid manducetis aut quid induamini, hæc omnia gentes inquirunt.

(e) *Sed in omni oratione & obſecra.* &c.] Non cum murmuratione, aut triſtitia: tunc poteſt oratio veſtra digna eſſe auribus Salvatoris: ſi pro omnibus quæ patimini, gratias referatis, ſicut Apoſtoli faciebant.

(f) *Et pax Dei quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias.* &c.] Qua malos ſuſtinet & ingratos. Chriſti pax qua pro ſuis perſecutoribus

veſtras in Chriſto Jeſu. De [a] cætero fratres [b] quæcumque ſunt vera, [c] quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ: ſi [d] qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate quæ & didiciſtis & accepiſtis, & audiſtis & vidiſtis in me. Hæc [e] agite: & [f] Deus pacis erit vobiſcum. [g] Gaviſus ſum autem in Domino vehementer: quoniam tandem aliquando refloruiſtis pro me ſentire, ſicut & ſentiebatis. Occupati autem eratis. [h] Non quaſi propter penuriam dico. [i] Ego enim didici in quibus ſum ſufficiens eſſe. [k] Scio & humiliari, ſcio & abundare. Ubique & in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari & eſurire, & abundare & penuriam pati. [l] Omnia poſſum in eo qui me confortat. [m] Verumtamen bene feciſtis, communicantes tribulationi meæ. Scitis [n] autem & vos Philippenſes, quod in principio Evangelii quando profectus ſum à Macedonia, nulla mihi Eccleſia communicavit in [o] ratione dati & accepti, niſi vos ſoli: [p] quia & Theſſalonicam ſemel & bis in uſum mihi miſiſtis: non quia quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra. [q] Habeo autem omnia & abundo. Repletus ſum exceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis in [r] odorem ſuavitatis, [s] hoſtiam acceptam, placentem Deo. [t] Deus autem meus impleat omne deſiderium veſtrum ſecundum divitias ſuas in gloria, in Chriſto Jeſu. Deo autem & patri noſtro gloria in ſecula ſeculorum: Amen. [u] Salutate omnem ſanctum in Chriſto Jeſu. Salutant vos qui mecum ſunt fratres. [w] Salutant vos omnes ſancti: maxime autem qui de Cæſaris domo ſunt. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum ſpiritu veſtro. Amen.

S. PAULI

toribus exorabat ſi recogitemus, omnem mentem ſuperat & inclinat. Hæc ergo pax corda & intelligentias veſtras exemplo Chriſti cuſtodiat.

(a) *De cætero fratres.*] Ad extremum ut omnia breviter comprehendam.

(b) *Quæcumque ſunt vera.*] Permanenda.

(c) *Quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia* &c.] Quia omnis natura humana novit diligenter amare quod bonum eſt.

(d) *Si qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ: hæc cogitate quæ & didic.* &c.] Virtus tolerantiæ, ſive laus converſationis, & reliqua bona, quæ & didiciſtis verbo, & accepiſtis exemplo, & audiſtis, auribus & vidiſtis oculis: hæc tantummodo cogitate.

(e) *Hæc agite.*] Non enim ſola, ſine actu, ſufficit cogitatio. Hæc poſteriora, illa explanant ſuperiora.

(f) *Et Deus pacis erit vobiſcum.*] Si hæc non modo cogitetis, ſed etiam faciatis.

(g) *Gaviſus autem ſum in Domino vehementer: quoniam tandem aliquando refloruiſtis* &c.] Iterum florem boni operis recepiſtis, qui mei immemores, occupatione, non voluntate arefacti fueratis effecti.

(h) *Non quaſi propter penuriam dico.*] Non propter meam inopiam, ſed propter veſtrum fructum dico me eſſe gaviſum.

(i) *Ego enim didici in quibus ſum ſufficiens eſſe.*] A Chriſto omnia æquanimiter ferre ſum edoctus.

(k) *Scio & humiliari, ſcio & abundare. Ubique & in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari & eſurire, & abundare & penuriam pati.*] Ut nec abundantia extollar, nec frangar inopia.

(l) *Omnia poſſum in eo qui me confortat.*] Dans intelligentiam, vel ſua doctrina confirmat. *

(m) *Verumtamen bene feciſtis, communicantes tribulationi meæ.*] Non enim debuit mea inopia veſtram impedire mercedem.

(o) *Scitis autem & vos Philippenſes, quod in principio Evangelii quando profectus ſum à Macedonia, nulla mihi Eccle.* &c.] Quando profectus ſum, ſcitis, quia vos ſolos à quibus ſumptus accepimus elegimus, fideliores vos omnibus judicantes.

(o) *In ratione dati & accepti* &c.] Dantes carnalia, ſpiritualia recepiſtis.

(p) *Quia & Theſſalonicam ſemel & bis &c. ſed requiro fructum abundan.* &c.] Abundans fructus orationis eſt, cum ſanctis etiam abſentibus miniſtratur.

(q) *Habeo autem omnia & abundo. Reple.* &c.] Provocat eos laudando & gratias referendo.

(r) *In odorem ſuavitatis.*] Odor ſuavitatis, non in re oblata, ſed in mentis devotione conſiſtit: ſicut ſacrificium Noë Deus deſcribitur odoratus, cum ipſe dicat nec carnibus, nec animalium ſanguine ſe delectari. *Gen. 8. Eſa. 1.*

(ſ) *Hoſtiam acceptam placentem Deo.*] Notandum quod eleemoſyna hoſtia appellatur: quæ ſicut à ſanctis oblata, accepta eſt, ita eorum qui in peccatis duraverint reprobatur.

(t) *Deus autem meus impleat* &c.] Quia ut perfecti alia deſiderare non poterant, niſi quæ ſunt ſecundum divitias Dei, non ſeculi, & quæ ad gloriam pertinent Chriſti.

(u) *Salutate omnem ſanctum in Chriſto Jeſu* &c.] Erant enim omnes ſancti, quos ſalvere jubet & omnes præcepit ſalutari: ſicut & in omnibus epiſtolis facit: & procul dubio verum dixiſſe credendus eſt: Si vere ſancti erant, peccatores utique non erant: & quia non peccatores, ſed ſancti erant, tam poterant eſſe quod erant, quàm poterant non eſſe quod non erant. Igitur ſanctos homines hac ratione eſſe poſſibile eſt.

(w) *Salutant vos omnes ſancti: maxime autem qui de Cæſaris domo ſunt.*] Qui ſuot ouper de Cæſaris domo converſi.

Commentariorum in Epiſtolam ad Philippenſes finis.

* Hic quoque Pelagiani quidpiam latet, *Pelagius* enim nullam gratiam agnoſcebat, à doctrina, inſtitutione quæ ſejunctam, quemadmodum alii; qui afflatum quemdam præterea eſſe contendunt, quo homines Evangelio credunt, atque a vitiis abſtinent, quamvis Neſciant cur fidem Chriſto habeant, curve vitia fugiant. Lege & ad totationem cui *il* littera præfixa eſt, & in Cap. 1. ad Coloſſ. eam cui il præpoſitum, nec dubitabis quin ſint etiam *Pelagii*.

S. PAULI APOSTOLI

EPISTOLA AD COLOSSENSES.

CAPUT I.

[a] PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater, his qui ſunt Coloſſis, ſanctis & fidelibus fratribus in Chriſto Jeſu: Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro. [b] Gratias agimus Deo & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti ſemper pro vobis orantes, audientes fidem veſtram in Chriſto Jeſu, & dilectionem quam habetis in ſanctos omnes: [c] propter ſpem quæ repoſita eſt vobis in cœlis: quam audiſtis in verbo veritatis Evangelii quod pervenit ad vos: [d] ſicut & in univerſo mundo eſt: & fructificat & [e] creſcit, ſicut in [f] vobis, ex ea die qua audiſtis & cognoviſtis gratiam Dei in veritate: [g] ſicut didiciſtis ad Epaphra cariſſimo conſervo noſtro: qui eſt fidelis pro vobis miniſter Chriſti Jeſu [h] Qui etiam manifeſtavit nobis dilectionem veſtram in ſpiritu. [i] Ideo & nos ex qua die audivimus, non ceſſamus pro vobis orantes & poſtulantes: ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni ſapientia & intellectu ſpirituali: [k] ut ambuletis digne Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes: & creſcentes in ſcientia Dei, in [l] omni virtute confortati, [m] ſecundum potentiam claritatis ejus, in [n] omni patientia & longanimitate cum gaudio, [o] gratias agentes Deo & Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine. [p] Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & transtulit in [q] regnum Filii dilectionis ſuæ: in [r] quo habemus redemtionem & remiſſionem peccatorum. [ſ] Qui eſt imago Dei inviſibilis, [t] primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipſo [u] condita ſunt univerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates. Omnia [w] per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt [x] ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. Et ipſe eſt [y] caput corporis

PELAGII COMMENTARII IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

IN CAPUT I.

(a) P*Aulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater, his qui ſunt Coloſſis, ſanctis &c. Gratia vobis* &c.] Et Chriſto Jeſu Domino noſtro.

(b) *Gratias agimus Deo & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti &c. & dilectionem in omnes ſanctos.*] Sine exceptione perſonarum, vel notitiæ, ſolam diligitis in omnibus ſanctitatem.

(c) *Propter ſpem quæ repoſita eſt vobis in cœlis* &c.] Non propter hominum laudem, ſed propter vitam æternam quæ in Chriſto eſt.

(d) *Sicut & in univerſo mundo eſt: & fructificat.*] Aliud triceſimum, aliud ſexageſimum, aliud centeſimum, ſecundum parabolam ſeminantis.

(e) *Et creſcit.*] In numero vel virtute.

(f) *Sicut in vobis, ex ea die qua audi.* &c.] Qui ejus beneficia malis actibus non evacuant.

(g) *Sicut didiciſtis ab Epaphra cariſſimo conſervo noſtro: qui eſt fidelis* &c.] Fideliter pro vobis in oratione incumbens, miniſterium Chriſti exhibet voluntate.

(h) *Qui etiam manifeſtavit nobis dil.* &c.] Quam habetis in ſpiritualibus caritatem.

(i) *Ideo & nos ex qua die audivimus &c. ut impleamini agnitione voluntatis ejus.*] Quia eam aliter facere non poteſtis: quod Propheta intelligens dicebat ad Deum: Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

(k) *Ut ambuletis digne Deo, per omnia placentes, in omni opere* &c.] Bene ille Deo ambulat, qui ei per omnia placet, hoc eſt, ut in opere bono cum ſcientia Dei fructificet. Simul expoſuit quod frequenter obſcure dicebat: hoc eſt, quomodo Deus det velle vel adjuvet & confirmet: docendo ſcilicet ſapientiam, & intellectum gratiarum tribuendo, non libertatem arbitrii auferendo: ſicut etiam in præſenti orat ut impleantur agnitione voluntatis ejus, in omni ſapientia & intellectu ſpirituali: quo poſſint digne Deo per omnia ambulare.

(l) *In omni virtute confortati.*] Virtus magna eſt inveteratum vincere vitium: vel in paſſionibus carnis, infirmitatem ſuperare.

(m) *Secundum potentiam cla.* &c.] Ut & vos ſicut & ille patienter omnia ſufferatis.

(n) *In omni patientia & longanimitate* &c.] Ibi eſt vera longanimitas & patientia, ubi aliquis gaudet etiam ſuſtinere quod patitur.

(o) *Gratias agentes Deo* &c.] Plus vocatio lætificet, quam affligat triſtitia paſſionum. Cognominat ſortem ſanctorum, ſortem hæreditatis, ſicut etiam Scriptura commemorat: quia Jeſus diviſit terram in ſorte. *Joſue. 1.*

(p) *Qui eripuit nos de pot.* &c.] Ab ignorantia vel errore.

(q) *Et transtulit in regnum Filii* &c.] De regno erroris & mortis, quo & dilecti & filii fieremus.

(r) *In quo habemus redemtionem & remiſſi.* &c.] Redemtis fide, per baptiſmum peccata dimiſit.

(ſ) *Qui eſt imago Dei inviſi.* &c.] Secundum Epiſtolam ad Hebræos.

(t) *Primogenitus omnis creaturæ.*] Primogenitus ſecundum aſſumti hominis formam, non tempore, ſed honore: juxta illud: *Filius meus primogenitus Iſraël.* *Exod. 4.*

(u) *Quoniam in ipſo condita* &c.] Id contra Manichæos facit.

(w) *Omnia per ipſum* &c.] In ipſius creata ſunt poteſtate.

(x) *Et ipſe eſt ante omnes* &c.] Dum per ipſum ſubſiſtunt.

(y) *Et ipſe eſt caput* &c.] Quia omnes credentes ejus membra ſunt.

(a) *Qui*

poris Eccleſiæ, qui eſt [a] principium primogenitus ex mortuis: ut ſit in [b] omnibus ipſe primatum tenens. Quia in ipſo [c] complacuit omnem plenitudinem Divinitatis inhabitare: & [d] per eum reconciliari omnia in ipſum; pacificans per ſanguinem crucis ejus, [e] ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt. Et [f] vos cum eſſetis aliquando alienati & inimici ſenſu in operibus malis: nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, [g] exhibere vos ſanctos & [h] immaculatos & irreprehenſibiles coram ipſo. Si [i] tamen permanetis in fide fundati, & ſtabiles & immobiles à [k] ſpe Evangelii quod audiſtis, [l] quod prædicatum eſt in univerſa creatura quæ ſub cœlo eſt. [m] Cujus factus ſum ego Paulus miniſter, qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & [n] adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore ejus quod eſt Eccleſia. Cujus factus ſum ego miniſter [o] ſecundum diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi in vobis: ut impleam verbum Dei, myſterium quod abſconditum fuit à ſeculis & generationibus: [p] nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis ejus, quibus voluit Deus [q] notas facere divitias gloriæ ſacramenti hujus in gentibus: [r] quod eſt Chriſtus in vobis ſpes gloriæ, quem nos adnunciamus: corripientes omnem hominem, & docentes in omni ſapientia, ut [ſ] exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu: in quo & & laboro, certando ſecundum operationem ejus quam operatur in me in virtute.

CAPUT II.

[t] VOlo enim vos ſcire qualem ſollicitudinem habeam pro vobis & pro his qui ſunt Laodiceæ: & quicumque non viderunt faciem meam in carne: ut conſolentur corda ipſorum, inſtructi in caritate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitione myſterii Dei Patris & Chriſti Jeſu: in [u] quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ [w] abſconditi. Hoc [x] autem dico, ut nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonum. Nam & ſi [y] corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum: gaudens & videns ordinem veſtrum & firmamentum

(a) *Qui eſt principium primogenitus ex mortuis.*] Incorruptibilis gloriæ.

(b) *Ut ſit in omnibus ipſe* &c.] Tam in viſibilibus, quam inviſibilibus creaturis.

(c) *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem* &c.] In aliis, hoc eſt, in Apoſtolis, Patriarchis, vel Prophetis, gratia fuit ex parte. In Chriſto autem tota divinitas habitavit corporaliter, quaſi ſi dicas ſummaliter.

(d) *Et per eum reconciliari omnia in ipſum* &c.] Per quem ſunt homines emundati.

(e) *Sive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt.*] Terrena cœleſtibus, quæ ab eis per contrarietatem vitæ fuerant ſeparata. Unde orare docemur, ut voluntas Dei quemadmodum celebratur in cœlis, ita fiat & in terris.

(f) *Et vos cum eſſetis aliquando alienati & inimici* &c.] Quæ fuerint inimicitiæ, evidentiſſime declaravit.

(g) *Exhibere vos ſanctos.*] Ne ejus beneficium irritum facientes, ſitis iterum inimici.

(h) *Et immaculatos & irreprehenſibiles coram ipſo.*] Vide * ſi ſciebat ſe impoſſibilia præcepiſſe.

(i) *Si tamen permanetis in fide fundati, & ſtabiles & immobiles.*] Tunc poteritis immaculati eſſe, ſi hominum vos exempla minime decipiant, ſed firmiter futura credatis.

(k) *A ſpe Evangelii quod audiſtis.*] Spem Evangelii, contra Evangelium viventes ſperare non poſſunt.

(l) *Quod prædicatum eſt in univerſa creatura, quæ ſub cœlo eſt.*] Rationabili ſcilicet. Notandum ſane quomodo omnem creaturam, homines ſolos nominavit.

(m) *Cujus factus ſum ego Paulus miniſter, qui nunc gaudeo in paſ.* &c.] Pro aliis patitur: quia pro ipſo ante paſſus eſt Chriſtus.

(n) *Et adimpleo ea quæ deſunt paſſionum* &c.] Uſqueadeo præſentibus non terreor perſecutionibus, ut mihi parvum eſſe videatur quod patior, quoad uſque in me paſſio impleatur, ſicut ad Hebræos dicit: Ut non fatigemini animis veſtris deficientes, nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis. Hebr. 12.

(o) *Secundum diſpenſationem Dei* &c.] Doctrinæ Evangelicæ, quam vobis gentibus juſſus ſum erogare.

(p) *Nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis ejus* &c.] Tempore quo voluit gentes vocare, quibus voluit ſanctis aperuit ſacramentum.

(q) *Notas facere divitias* &c.] Quia idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.

(r) *Quod eſt Chriſtus in vobis ſpes gloriæ* &c.] Judæum & Græcum, ſervum & liberum. Simul attende quod omnes ſapientiam doceat.

(ſ) *Ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu* &c.] Notandum quod omnes conetur exhibere perfectos.

IN CAPUT II.

(t) *VOlo enim vos ſcire* &c. *& quicumque non viderunt faciem meam* &c.] Qui ſi me vidiſſent: & caritatem meam erga ſe, & divitias myſterii plenius cognoviſſent, majorem præſtitiſſent affectum, & abundantiam rationis à me, quam ab ipſo Chriſto didici, docerentur, & per hæc conſolationem fuiſſent conſecuti.

(u) *In quo ſunt omnes theſauri ſap.* &c.] Qui latebant in litteris legis, ſicut Eſaias ait: *In theſauris ſalus noſtra venit.* Eſa. 33. ſecundum LXX

(w) *Abſconditi.*] Qui Moyſi erant velamine contecti.

(x) *Hoc autem dico, ut nemo* &c.] Idcirco melius fuiſſet, ut ego præſens inſtruerem: ſed tamen breviter omnem ſapientiam in ipſo eſſe complexam: ut ſenſum vel ſermonem Philoſophiæ quæ contra illum eſt, non ſolum non timeatis, ſed etiam ſtultitiæ deputetis.

(y) *Nam & ſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu* &c.] Habebant hanc gratiam Apoſtoli, ut alibi poſiti, quid alibi ageretur, agnoſcerent: ſicut Heliſæi ſpiritus cum 4 Reg. 5.

* Pelagii hoc quoque eſt contendentis poſſibilia eſſe quæcumque præcipiuntur, adeoque omnibus numeris abſolutam ſanctitatem. Vide Lib. *Auguſtini* de Natura & Gratia Cap. 21.

mentum ejus quæ in Chriſto eſt fidei veſtræ. [a] Sicut ergo accepiſtis Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in ipſo ambulate: [b] radicati & ſuperædificati in ipſo, & [c] confirmati in fide: ſicut & didiciſtis, abundantes in illo in gratiarum actione. [d] Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum: ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum: [e] quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & eſtis in [f] illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis. In [g] quo & circumciſi eſtis, circumciſione non manufacta, in exſpoliatione corporis carnis: ſed in [h] circumciſione Jeſu Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo, in [i] quo reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum à mortuis. Et [k] vos cum mortui eſſetis in delictis præputio carnis veſtræ, [l] convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens [m] quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Et ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: & [n] exſpolians principatus & poteſtates [o] traduxit confidenter palam, triumphans illos in ſeipſo. [p] Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum: [q] quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti. [r] Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans fruſtra, inflatus ſenſu ſuæ carnis: & [ſ] non tenens caput, ex quo totum [t] corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum creſcit in [u] augmentum Dei. Si [w] ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis hujus mundi: [x] quid adhuc tamquam viventes mundo decernitis? Ne [y] tetigeritis, neque guſtaveritis, neque contrectaveritis: quæ ſunt [z] omnia in interitum ipſo uſu [a] ſecundum præcepta & doctrinas hominum, quæ ſunt ratio-

Giezi fuit in via. Supplens id quod eſt de utilitate veſtræ fidei: vel impleo quod præſentia implere non poſſum.

(a) *Sicut ergo accepiſtis Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum* &c.] Exemplum Chriſti in vobis ſufficit ad vitam, etiamſi aliquid interim minus ſcientiæ habeatis.

(b) *Radicati & ſuperædificati in ipſo.*] Secundum robur fundamenti, validum ædificium ſupercreſcit.

(c) *Et confirmati in fide, ſicut & did.* &c.] Semper creſcentes in illo: & pro omnibus beneficiis ejus gratias referentes.

(d) *Videte ne quis vos decipiat* &c.] Contra Philoſophos ait, quorum omnis pene diſputatio de elementis eſt, & de viſibilibus creaturis, & ex rebus naturalibus virtutem exiſtimant Dei, dicentes: ex nihilo fieri nihil poſſe, & animam, aut initium non habere, aut eſſe mortalem: & virginem parere omnino non poſſe: ſed & Deum ex homine naſci, mori, atque reſurgere ſtultum eſſe.

(e) *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divin.* &c.] Omnis plenitudo divinæ naturæ in corpore ejus inhabitat.

(f) *Et eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus* &c.] Si illius ſcientia docemini, qui prodidit initium inviſibili creaturæ, quid vobis conferent qui nihil plus intelligunt, quam quod vident?

(g) *In quo & circumciſi eſtis, circumciſione* &c.] Hic jam pſeudoapoſtolos taxat, ne ab ipſis quidam ſeducantur.

(h) *Sed in circumciſione Jeſu Chriſti conſepulti ei jam baptiſmo.*] Per quam totum hominem exſpoliaſtis.

(i) *In quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum à mortuis.*] Surrexiſtis in novam vitam, credentes eum etiam propter hoc ſurrexiſſe.

(k) *Et vos cum mortui eſſetis in delictis & præputio carnis veſtræ.*] Quia non ſolum peccantes, ſed etiam non circumciſi in lege pariter damnabuntur. Cum ergo dupliciter indigni eſſetis, filiorum conſortes effecti eſtis.

(l) *Convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta.*] Auferendo cauſas mortis, id eſt peccata.

(m) *Delens quod adverſus nos erat chirographum decreti* &c.] Chirographum, maledictum legis eſt. Unde alibi ait: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, quia in ea continetur: Maledictus omnis qui non permanſerit in libro legis, ut faciat ea.* Quidam vero chirographum dicunt eſſe, quaſi ſcriptam quamdam apud Deum memoriam peccatorum. Unde ipſe in Canticis dicit: *Nonne hæc congregata ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?* Et Hieremias ait: *Peccatum Judæ in ungue adamantino.* Etiam hæc deleta eſt in cruce, dum dimiſſis peccatis, etiam memoria oblita eſt delictorum.

Galat. 3. Deut. 32. Hier. 17.

(n) *Et exſpolians principatus & pot.* &c.] Ut per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium, ſe offerendo pro eis.

(o) *Traduxit confidenter palam* &c.] Devicit palam crucifixus, confuſione contempta triumphavit: non occidendo, ſed moriendo: ut nobis confracta omni ſuperbia monſtraret exemplum.

(p) *Nemo ergo vos judicet in cibo aut in potu* &c.] Nullum ergo in hoc judicium eſt quod eſt umbra, & ceſſavit corpore veniente: quia imagine opus non eſt, veritate præſente.

(q) *Quæ ſunt umbra futurorum* &c.] Tunc enim futura erant, quæ modo ſunt.

(r) *Nemo vos ſeducat volens, in humilitate & religione Angelorum* &c.] Nemo ficta humilitate ſuperbus, & Angelos ſe videre mentiens, fruſtra ſe ſuper homines jactet: qui viſiones à ſuo corde loquitur: ſive nemo tam humilis ſibi, & religioſus videatur, ut Angelos qui Deum vident, ſe videre mentiatur.

(ſ) *Et non tenens caput.*] Chriſto non credens, qui omnium ſanctorum caput eſt.

(t) *Ex quo totum corpus* &c.] Quia membris per totum corpus membra junguntur. Quicumque igitur extra hoc corpus eſt, quantumlibet ſe jactet, ille caput non habet, quod eſt Chriſtus qui eſt vita.

(u) *In augmentum Dei.*] Augmentum illius corporis quod unitum eſt Deo.

(w) *Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elem.* &c.] Poſſunt intelligi etiam avaritia, luxuria, & cetera his ſimilia.

(x) *Quid adhuc tamquam viventes* &c.] Ne ſimilitudinem quidem ullam viventium in mundo voluit nos habere, hoc eſt, illorum qui futura non credunt.

(y) *Ne tetigeritis, neque guſtaveritis* &c.] Illo tactu & guſtu & contrectatione, quo hi qui in concupiſcentiis abutuntur, & terrena diligunt pro æternis.

(z) *Quæ ſunt omnia* &c.] Ex partibus mundi, conditionem ipſius advertimus: cui enim membra componuntur atque ſolvuntur, neceſſe eſt ut totus aliquando compoſitus fuerit, & quandoque ſolvatur. Non ergo mortalia pro immortalibus debent diligi & æternis.

(a) *Secundum præcepta & doctrinas hominum* &c.] Secundum quod multi etiam homines, natura docente, tradiderunt quod mundus eſſet aliquando ſolvendus: & ideo Deo quem ſolum æternum intellexerunt,

licet

rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione & humilitate: & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.

CAPUT III.

[a] IGitur ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite: ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: [b] Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, [c] & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. [d] Mortificate ergo [e] membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, [f] fornicationem, immunditiam, libidinem, [g] concupiſcentiam malam, [h] & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus: [i] propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis, [k] in quibus & vos ambulaſtis aliquando, cum viveretis in illis. Nunc autem deponite & vos omnia, [l] iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, [m] turpem ſermonem de ore veſtro. [n] Nolite mentiri invicem, [o] exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, [p] & induentes novum, eum qui renovatur in agnitione Dei, [q] ſecundum imaginem ejus qui creavit eum: [r] ubi non eſt maſculus & fœmina, Gentilis & Judæus, circuncifio & præputium, Barbarus & Scytha, ſervus & liber, [ſ] ſed omnia & in omnibus Chriſtus. [t] Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti & dilecti [u] viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, [w] ſupportantes invicem & [x] donantes vobiſmetipſis, [y] ſi quis adverſus aliquem habet querelam: [z] ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. [a] Super omnia autem hæc caritatem habete, [b] quod eſt vinculum perfectionis. [c] Et pax Chriſti [d] exſultet in cordibus veſtris: in qua

licet ſuperſtitioſe, tamen humiliter venerati ſunt: & non parcendum duxerunt corpori, nec carnem in ſaturitate honorandam, utpote morituram. Aliter: Non vos ſeducat Philoſophia ad humanam doctrinam, quæ ſapientiæ & abſtinentiæ ſpecie ſubornatur. In qua iam vana eſt corporis afflictio: tam ſtulta meditationis intentio: cujus bonum ad capiendas & infirmandas mentes, quaſi quidam laqueus, Diabolo aucupante, prætenditur: quo facilius malum ſuum ſequens inducat.

IN CAPUT III.

(a) I*Gitur ſi conſurrexiſtis cum Chriſto* &c.] Conſequenter primo commortuos, deinde conſurrexiſſe nos dicit: nec ſolum terræ mori, ſed etiam cœlo nos vivere hortatur: nihil inquit terrenum ambiatis, nihil mortale quæratis.

(b) *Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram* &c.] Cœleſtem ſectamini ſapientiam: ſed nos laborioſius humanæ ſapientiæ ſtudium impendimus: & artibus viliſſimis ingenium occupamus.

(c) *Et vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo* &c.] Quia *filii Dei cum ſimus, nondum apparuit. Sci-*
1. Joan. 3. *mus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus.* Non ergo debemus hic noſtram quærere gloriam, in præſenti: ne de nobis quoque dicatur: perceperunt mercedem ſuam.

(d) *Mortificate ergo.*] Quod profeſſi eſtis, implete.

(e) *Membra veſtra quæ ſunt ſuper terram.*] Membra vitiorum veſtrorum: ſive malum membrorum, nominat veſtra membra.

(f) *Fornicationem, immunditiam, libidinem.*] Omnem impudicitiam & immunditiam & libidinem nominavit.

Dan. 9. (g) *Concupiſcentiam malam.*] Eſt enim concupiſcentia bona. Unde Daniel *vir concupiſcentiarum* ap-
Pſ. 118. pellatur. Et David inquit: *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.*

(h) *Et avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus.*] Nihil prodeſt Deo nomine, & idolis operibus ſervire.

(i) *Propter quæ venit ira Dei ſuper filios* &c.] Super Sodomam & eos qui in diluvio perierunt. Ex præteritis ergo exemplis futura timenda ſunt.

(k) *In quibus & vos ambulaſtis aliquando* &c.] Nolite itaque nunc ambulare, ne fruſtra videamini crediſſe.

(l) *Iram, indignationem, mal.* &c.] Ipſa eſt quæ inebriat mentem, per malitiam inferre alteri, quod pati nolis.

(m) *Turpem ſermonem de ore veſtro.*] Quia hic in diſciplinis filiis hominum non convenit educatis: quanto magis Dei, quibus non minus eſt turpis ſermo quam actus.

(n) *Nolite mentiri invicem.*] Non decet mentiri invicem filios veritatis, cum de veritate non ſit omne mendacium.

(o) *Exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis.*] Cum actibus voluptatum.

(p) *Et induentes novum, eum qui renovatur in agnitione Dei.*] Cum cognoverit cujus imago eſt: & in quantum debet & poteſt, nititur ſimulate.

(q) *Secundum imaginem ejus qui creavit eum.*] Expoſuit imaginem in actu conſiſtere.

(r) *Ubi non eſt maſculus & fœmina, Gentilis & Judæus, circumciſio* &c.] Apud Deum non præjudicat ſexus, vel genus, vel conditio, ſed converſatio ſola.

(ſ) *Sed omnia & in omnibus Chriſtus.*] Omnes quicumque baptizati ſumus, Chriſtum induimus.

(t) *Induite vos ergo, ſicut electi Dei, ſancti & dilecti.*] Illa deponentes induite: quia ad hoc facti eſtis.

(u) *Viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilita.* &c.] Quia illa membra dixerat, hæc viſcera nominavit.

(w) *Supportantes invicem.*] Exemplo Chriſti, qui infirmitates noſtras portavit.

(x) *Et donantes vobiſmetipſis.*] Indulgentes invicem, ſicut Chriſtus omnibus indulſit: etiam pro perſecutoribus orans, ut & nobis a Patre cœleſti debita remittantur: ne impleatur in vobis illa ſententia: Homo ho- Eccl. 28.
mini reſervat iram, & a Domino quærit medelam &c.

(y) *Si quis adverſus aliquem habet querelam.*] Unuſquiſque malitiæ proximi ſui non meminerit, ne forte exigentes a conſervis, etiam propria indulta reddere cogamur.

(z) *Sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos.*] Si ille indulſit qui potuit, vindicta aut nulla, aut ſatis parva eſt.

(a) *Super omnia autem hæc, caritatem habete.*] Super hæc omnia eſt caritas: quia omnem quem diligimus ſuſtinemus, & non omnem quem ſufferimus, diligimus.

(b) *Quod eſt vinculum perfectionis.*] Caritas enim multa membra in unum colligit corpus.

(c) *Et pax Chriſti.*] Non ſeculi, quam nobis reliquit: qui pro omnibus mortuus eſt, & nos inimicos dilexit.

(d) *Exſultet in cordibus veſtris, in qua & vocati*

qua & vocati eſtis in uno corpore, [a] & grati eſtote. [b] Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, [c] in omni ſapientia docentes & commonentes voſmetipſos [d] in pſalmis, & hymnis & canticis ſpiritualibus in gratia, [e] cantantes in cordibus veſtris in Domino. [f] Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti: gratias agentes Deo & Patri per ipſum. [g] Mulieres, ſubditæ eſtote viris veſtris, ſicut oportet in Domino. [h] Viri, diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas. Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum eſt in Domino. [i] Patres, nolite ad indignationem provocare filios veſtros: ut non puſillo animo fiant. [k] Servi, obedite per omnia Dominis carnalibus: [l] non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, [m] ſed in ſimplicitate cordis, timentes Dominum. [n] Quodcumque facitis, ex animo operamini ſicut Domino, & non hominibus, [o] ſcientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis. [p] Domino Chriſto ſervite. [q] Qui enim injuriam facit, recipiet id quod inique geſſit: Et non eſt perſonarum acceptio apud Deum.

CAPUT IV.

[r] DOmini, quod juſtum eſt & æquum, ſervis præſtate: [ſ] ſcientes quoniam & vos Dominum habetis in cœlo. [t] Orationi inſtate, vigilantes in ea in [u] gratiarum actione: [w] orantes ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti: propter quod etiam vinctus ſum, [x] ut manifeſtem illud, ita ut oportet, me loqui. [y] In ſapientia ambulate ad eos qui foris ſunt, [z] tempus redimentes. [a] Sermo veſter ſemper in gratia [b] ſale ſit conditus, [c] ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere. [d] Quæ circa

eſtis in uno corpore.] Non in facie fallaciter arridente, vel ſermone doloſo.

(a) *Et grati eſtote.*] Beneficiis ſcilicet Chriſti. In nonnullis exemplaribus habet, *gratia eſtote*. hoc eſt, nolite legi adſimulari quæ vicem reddit, ſed gratiæ, quæ ignoſcit etiam inimicis, & pro eis Dominum deprecatur.

(b) *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter.*] Hic oſtenditur verbum Chriſti non ſufficienter, ſed abundanter etiam laicos habere debere, & docere ſe invicem vel monere.

(c) *In omni ſapientia docentes & commonentes voſmetipſos.*] Ut ſapienter & rationabiliter proferatur.

(d) *In pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus in gratia.*] Pſalmis, ut David: hymnis, ut trium puerorum: canticis, ut Moyſi: & cæterorum, quæ ſunt ſpiritualia: & non carnalibus vel turpibus cantilenis.

(e) *Cantantes in cordibus veſtris Domino.*] Nuſquam legimus aliquem ſine voce cantaſſe. Unde neceſſe eſt hic, in corde, ex corde intelligi: ſcilicet, ut non ſolum ore, ſed etiam corde cantemus: *Confitebor*, inquit, *tibi Domine, in toto corde meo.*

(f) *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere* &c.] Sive docetis, ſive operamini, nihil ad veſtram, ſed omnia ad Domini gloriam faciatis: Deo gratias referentes, qui filium ſuum ad hæc docenda deſtinare dignatus eſt: ſive per actus veſtros Deo gratiæ referantur.

(g) *Mulieres ſubditæ eſtote viris veſtris* &c.] Secundum legem, in his quæ conveniunt Domino.

(h) *Viri, diligite uxores veſtras* &c.] Numquam rem naturalem hortaretur, niſi continentes eſſe cœpiſſent, ſicut ad Epheſios plenius notatum eſt.

(i) *Patres, nolite ad indignationem provocare filios ve.* &c.] Ne exaſperati iracundi fiant, qui exemplo veſtro, patientiam diſcere debuiſſent.

(k) *Servi, obedite per omnia Dominis carnalibus.*] Qui carnis ſolam dominationem exercent.

(l) *Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus* &c.] Non ad hoc tantum, ut hominibus videamini carnalibus laborantes.

(m) *Sed in ſimplicitate cordis* &c.] Qui ubique ſemper videt & cuſtodit omne quod factum eſt.

(n) *Quodcumque facitis, ex animo operamini: ſicut Domino & non hominibus.*] Non neceſſitate conditionis, ſed religionis facite voluntate: ut per opera veſtra Domino gratiæ referantur, cum ex tempore credulitatis talia viderint proficiſci.

(o) *Scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis.*] Nolite putare veſtrum infructuoſum eſſe ſervitium, quod propter Deum exhibitum, cœleſti remuneratione penſabitur.

(p) *Domino Chriſto ſervite.*] Ipſi enim ſervit Deo, qui propter ipſum homini ſervit.

(q) *Qui enim injuriam facit, recipiet id quod inique geſſit* &c.] Sive ſervus qui Dominum contempſerit, ſive Dominus qui ſervum inique tractaverit: ideo hoc dicit ut conſolationem habeant, ſcientes ſuam inultam non eſſe injuriam apud Deum.

IN CAPUT IV.

(r) *DOmini, quod juſtum eſt & æquum, ſervis præſtate.*] Patres magis vos ſentire debent quam Dominos. Unde & patres familiâs appellantur.

(ſ) *Scientes quoniam & vos Dominum habetis in cœlo.*] Qualem circa vos Dominum vultis eſſe, tales & vos eſtote conſervis.

(t) *Orationi inſtate, vigilantes in ea.*] Negligentis enim & dormientis oratio, nec ab homine prævalet impetrare.

(u) *In gratiarum actione.*] Pro omnibus quæ conceſſa ſunt vobis.

(w) *Orantes ſimul & pro nobis* &c.] Vobis enim orantibus ſi de tribulatione liberemur, vobis proficiet in doctrina.

(x) *Ut manifeſtem illud, ita ut oportet me loqui.*] Ut ipſe deſtinet quod agendum, quando, vel cui debeat prædicare, ſicut Eſaias ait: *Ut ſciam quando oportet me dicere ſermonem.* Eſa. 50. ſecundum LXX.

(y) *In ſapientia ambulate ad eos qui foris ſunt.*] Nolite eos ultra ad iracundiam provocare.

(z) *Tempus redimentes.*] De malo tempore, bonum tempus veſtra prudentia facientes.

(a) *Sermo veſter ſemper in gratia.*] In novo, ſcilicet, Teſtamento, vel certe gratum proferatis ſermonem.

(b) *Sale ſit conditus.*] Sapientiæ & rationis, ne ſtulta noſtra religio a Philoſophis & gentibus exiſtimetur.

(c) *Ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.*] Aliter Paganis, aliter Judæis, aliter Hæreticis contradicentibus veritati. Unde & Petrus ait: *Parati ſemper ad ſatisfactionem* &c. 1. Pet. 3.

(d) *Quæ circa me ſunt, omnia vobis nota faciet Tychicus cariſſimus frater & fidelis* &c.] Securos illos vult eſſe de ſua incolumitate, ne hac eſſent triſtitia occupati.

(a) Sa-

circa me ſunt, omnia vobis nota faciet Tychicus cariſſimus frater & fidelis miniſter, & conſervus in Domino: quem miſi ad vos ad hoc ipſum, ut cognoſcat quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra cum Oneſimo cariſſimo & fideli fratre, qui ex vobis eſt: qui omnia quæ hic aguntur, nota facient vobis. [a] Salutat vos Ariſtarchus concaptivus meus, [b] & Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata. Si venerit ad vos, ſuſcipite illum. Et Jeſus qui dicitur juſtus, qui ſunt ex circumciſione. Hi ſoli ſunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt ſolatio. [c] Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt ſervus Chriſti Jeſu, ſemper ſollicitus pro vobis in orationibus, ut ſtetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei. [d] Teſtimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, & pro his qui ſunt Laodiceæ, & qui Hierapoli. [e] Salutat vos Lucas medicus cariſſimus, & Demas. Salutate fratres qui ſunt Laodiceæ, & Nympham, & quæ in domo ejus eſt Eccleſiam. Et cum lecta fuerit apud vos epiſtola hæc, facite ut & in Laodicenſium Eccleſia legatur, & ea quæ Laodicenſium eſt, vobis legatur. [f] Et dicite Archippo: Vide miniſterium quod accepiſti in Domino, ut illud impleas. [g] Salutatio mea manu Pauli. Memores eſtote vinculorum meorum. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum: Amen.

(a) *Salutat vos Ariſtarchus concaptivus meus.*] Simul vinctus erat, ſive compatiebatur caritatis affectu.

(b) *Et Marcus conſobrinus Barnabæ de quo accepiſtis &c. Hi ſoli ſunt adjutores mei in regno Dei* &c.] In Novo Teſtamento, per quod intratur regnum, ſicut Satanas mors dicitur, quia ipſe cauſa mortis.

(c) *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt ſervus Chriſti Jeſu, ſemper ſollicitus pro vobis in orationibus, ut ſtetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei.*] Tam erant perfecti, qui perſeverare monentur. Laborem ergo eorum ſuis orationibus adjuvabat.

(d) *Teſtimonium enim illi perhibeo quod habet &c. qui ſunt Laodiceæ, & qui Hierapoli.*] Tales erant primi temporis diſcipuli Apoſtolorum, ut imitarentur magiſtros, & pro omnium eſſent ſalute ſolliciti.

(e) *Salutat vos Lucas medicus cariſſimus, & Demas.*] Evangeliſta ex medico erat, ſicut Matthæus jam Apoſtolus adhuc dicitur publicanus.

(f) *Et dicite Archippo* &c.] Hic diaconus fuiſſe perhibetur.

(g) *Salutatio mea manu Pauli. Memores eſtote vinculorum meorum* &c.] Sive orate, ut reddat vobis: ſive mementote, quia veſtri hæc patior cauſa, & imitamini tolerantiam poſſionum.

Commentariorum in Epiſtolam ad Coloſſenſes finis.

S. PAULI APOSTOLI
EPISTOLA I. AD THESSALONICENSES.
CAPUT I.

[a] PAulus & Silvanus & Timotheus Eccleſiæ Theſſalonicenſium in [b] Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto: [c] Gratia vobis & pax. [d] Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis, [e] memoriam veſtri facientes in orationibus noſtris ſine intermiſſione, [f] memores operis fidei veſtræ, & laboris, & [g] caritatis & ſuſtinentiæ ſpei Domini noſtri Jeſu Chriſti ante Deum & Patrem noſtrum. [h] Scientes fratres dilecti a Deo, electionem veſtram: [i] quia Evangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, [k] ſed & in virtute & in [l] ſpiritu ſancto, [m] & in plenitudine multa: [n] ſicut ſcitis quales fuerimus in vobis

PELAGII COMMENTARII IN I. EPISTOLAM AD THESSALONICENSES.
IN CAPUT I.

(a) *PAulus & Silvanus & Timotheus Eccleſiæ Theſſalonicenſium.*] Quia per ipſos filiis verbum fuerat nunciatum, ſicut & Corinthiis, quod & ad eoſdem in ſecunda commorat.

(b) *In Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.*] Quia per fidem Filii, tam in Patre, quàm in Filio erant: Quia quicumque confitetur Filium, & Patrem habet.

(c) *Gratia vobis & pax.*] A Deo Patre ſcilicet, & Domino noſtro Jeſu Chriſto.

(d) *Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis.*] Quia omnium nobis gratia, memoria eſt.

(e) *Memoriam veſtri facientes in orationibus noſtris, ſine intermiſſione.*] In indeſinenti oratione memoriæ quantitas & dilectionis oſtenditur, quam eorum merita poſtulabant.

(f) *Memoras operis fidei veſtræ & laboris.*] Non immerito illius fidei memores ſunt, quam & juſtitiæ labor & caritas affectus & paſſionum tolerantia comprobabant.

(g) *Et caritatis & ſuſtinentiæ ſpei Domini noſtri Jeſu Chriſti* &c.] Ad Deum Patrem noſtrum. Qui perfectæ caritatis eſt, ſuſtinet omnia patienter propter ſpem futuram.

(h) *Scientes fratres dilecti a Deo, electionem veſtram* &c.] Retinentes tempus electionis veſtræ, qualiter nos prædicaverimus, & vos credideritis.

(i) *Quia Evangelium noſtrum non fuit ad vos* &c.] Notandum quod illa efficax poſſit eſſe doctrina, quæ juſtitiæ commendatur exemplo.

(k) *Sed & in virtute.*] In virtute ſive ſignorum, ſive tolerantia paſſionum.

(l) *Et in ſpiritu ſancto.*] Quem devote accepiſtis: vel cujus virtutem per ſigna monſtravimus.

(m) *Et in plenitudine multa.*] Perfectionis, juſtitiæ, converſationis, & vitæ.

(n) *Sicut ſcitis quales fuerimus in vobis* &c.] Ad profectum veſtrum etiam ab illicitis abſtinentes, ut inferius continetur.

(a) Et

239

vobis propter vos. [a] Et vos imitatores noſtri facti eſtis & Domini, [b] excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus Sancti: [c] ita ut facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia. [d] A vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini: non ſolum in Macedonia & in Achaia, ſed & in omni loco fides [e] veſtra, quæ eſt ad Deum, profecta eſt: [f] ita ut non ſit nobis neceſſe quicquam loqui. [g] Ipſi enim de nobis adnunciant qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo converſi eſtis ad Deum, a [h] ſimulacris ſervire Deo vivo & vero: [i] & exſpectare filium ejus de cœlis quem ſuſcitavit ex mortuis Jeſum, [k] qui eripuit nos ab ira ventura.

CAPUT II.

[l] NAm & ipſi ſcitis, fratres, introitum noſtrum ad vos: [m] quia non inanis fuit, ſed ante paſſi multa, & contumeliis affecti: [n] ſicut ſcitis in Philippis, [o] fiduciam habuimus in Deo noſtro [p] loqui ad vos Evangelium Dei in multa ſollicitudine. [q] Exhortatio enim noſtra non de errore, [r] neque de immunditia, [ſ] neque in dolo, ſed ſicut [t] probati ſumus a Deo, ut crederetur a nobis Evangelium, ita loquimur: non quaſi hominibus placentes, [u] ſed Deo, qui probat corda noſtra. [w] Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis, [x] neque in occaſione avaritiæ, Deus teſtis eſt, neque quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis: [y] cum poſſemus vobis oneri eſſe, ut Chriſti Apoſtoli. [z] Sed facti ſumus parvuli in medio veſtrum, [a] tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos: [b] ita deſiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis, non ſolum Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras: [c] quoniam cariſſimi nobis facti eſtis. [d] Memores enim facti eſtis fratres, laboris noſtri & fatigationis, nocte & die operantes, [e] ne quemquam

(a) *Et vos imitatores noſtri* &c.] In paſſionibus verbum ſuſcipientes: ſicut & nos docuimus, & Dominus prædicavit.

(b) *Excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio* &c.] Hoc eſt, vere in Spiritu Sancto gaudere: ſicut & Apoſtolos feciſſe legimus.

(c) *Ita ut facti ſitis forma omnibus credenti.* &c.] Perfectorum exempla, forma omnibus credentibus exhibetur: veſtro ergo exemplo etiam provinciæ profecerunt.

(d) *A vobis diffamatus eſt ſermo Domini: non ſolum* &c.] Natura famæ hæc eſt: ut ſive bonum, ſive malum nuncians, ubique omni celeritate diſcurrat.

(e) *Fides veſtra quæ eſt ad Deum profecta eſt.*] A vobis ad Deum converſa.

(f) *Ita ut non ſit nobis neceſſe quicquam loqui.*] Id ut nobis incipientibus aliquod de veſtro exemplo, ipſi optime ſcire ſe dicant.

(g) *Ipſi enim de nobis adnunciant, qualem introitum habuerimus ad vos* &c.] Et noſtræ conſtantiæ & veſtræ converſationis omnibus nota eſt qualitas.

(h) *A ſimulacris ſervire Deo vivo & vero.*] Simulacrum, a ſimulando dicitur. Pulchre ad Deum verum & vivum, a falſis Dominis converſi eſſe dicuntur.

(i) *Et exſpectare Filium ejus de cœlis quem ſuſcitavit ex mortuis Jeſum.*] Talis eſt, ut fiducialiter & cum gaudio adventum Domini exſpectetis.

(k) *Qui eripuit nos ab ira ventura.*] Dimittendo peccata: & doctrina ſua, & exemplo ab ira nos liberavit. Jam ergo in ſpe libertatem habemus.

IN CAPUT II.

(l) *NAm & ipſi ſcitis fratres, introitum noſtrum ad vos.*] Commemorat illos, ut agnoſcant verum quod dicunt: & eorum magis proficiant exemplo.

(m) *Quia non inanis fuit* &c.] Non eſt inanis ſermo, qui completur conſtantia paſſionis.

(n) *Sicut ſcitis in Philippis.*] Quia aliquantis veſtrum videtur nos Philippis paſſos, nec expaviſſe perſecutiones, nec prædicare ceſſaſſe.

(o) *Fiduciam habuimus in Deo noſtro.*] Qui nos liberare in præſenti vel in futuro poteſt, & laboris noſtri mercedem omnibus recompenſare.

(p) *Loqui ad vos Evangelium Dei in multa ſollicitudine.*] Non negligenter, nec tranſitorie, ſed in ſollicitudine non parva, ſed multa.

(q) *Exhortatio enim noſtra non de errore.*] Ideo non erramus: errat enim quicumque putat vel docet multos poſſe regnare cum Chriſto, ſicut alibi dicit: Nolite errare: quia Deus non irridetur. *Gal. 6.*

(r) *Neque de immunditia.*] Sicut Joviani doctrina fuit.

(ſ) *Neque in dolo.*] Non contra conſtantiam noſtram docentes, atque ſuadentes.

(t) *Sed ſicut probati ſumus a Deo &c. non quaſi hominibus placentes.*] Qui falli poſſunt.

(u) *Sed Deo, qui probat corda noſtra.*] Integri, quaſi a Deo probati & ab ipſo in officium deſtinati: qui cordis occulta rimatur.

(w) *Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis ſicut ſcitis.*] Sicut qui hominibus placent, tamquam ægris deſiderata omnia concedentes, & mortem eorum negligentes.

(x) *Neque in occaſione avaritiæ, Deus teſtis* &c.] Omnis qui adulatur, aut propter avaritiam, aut propter vanam gloriam adulatur: ille vero propter Deum docere probatur, qui iſta non quærit.

(y) *Cum poſſemus vobis oneri eſſe, ut Chriſti Apoſtoli.*] Vel in hoc quod Deus ordinavit: id eſt, ut de Evangelio viveremus.

(z) *Sed facti ſumus parvuli in medio veſtrûm.*] Humiliantes nos, & nec honorem debitum requirentes.

(a) *Tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos.*] Humilians ſe in omnibus, parvulo ſe coæquans: ut illos ad majora ſua imitatione perducat. Nam & balbutit interdum lingua: & manducare fingit, & cum eis lente ambulare conſueſcit.

(b) *Ita deſiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis* &c.] Sicut nutrix non ſolum verbum, ſed etiam omnem ſenſum perfectionis ſuæ in parvulum transfundere cupit: ut ei cito poſſit æquari: ita nos omnia fecimus, per quæ proficere poteratis.

(c) *Quoniam cariſſimi nobis facti eſtis.*] Propter fidem & converſationem veſtram, quam ſuperius memoravimus.

(d) *Memores enim facti eſtis fratres, laboris noſtri & fatigationis, nocte & die operantes.*] Laborem manuum nocte & fatigationem verbi die, cæterum ſemper operabatur, quando docebant.

(e) *Ne quemquam veſtrum gravaremus.*] Apud iſtos & Corinthios & Epheſios laboravit, quibus occaſionem

quam veſtrum gravaremus, [a] prædicavimus in vobis Evangelium Dei. Vos teſtes eſtis & Deus, [b] quam ſancte & juſte, & ſine querela vobis qui credidiſtis, adſuimus: [c] ſicut ſcitis qualiter unumquemque veſtrum, tamquam Pater filios ſuos, deprecantes vos & [d] conſolantes, teſtificati ſumus ut [e] ambularetis digne Deo [f] qui vocavit vos in ſuum regnum & gloriam. [g] Ideo & nos gratias agimus Deo ſine ioternuiſſione: quooiam cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, [h] accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt vere, verbum Dei, [i] qui operatur in vobis qui credidiſtis. [k] Vos enim imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Judæa in Chriſto Jeſu: [l] quia eadem paſſi eſtis & vos a contribulibus veſtris, ſicut & ipſi a Judæis: [m] qui & Dominum occiderunt Jeſum, & Prophetas: & nos perſecuti ſuot, & Deo non placent: [n] & omnibus hominibus adverſantur, prohibentes nos gentibus loqui, ut ſalvi fiant, ut impleant peccata ſua ſemper. [o] Pervenit enim ira Dei ſuper illos, uſque io finem. [p] Nos autem fratres, deſolati a vobis ad tempus horæ, adſpectu, non corde, [q] abundantius feſtinavimus faciem veſtram videre cum multo deſiderio. Quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus & ſemel & iterum, ſed impedivit nos Satanas. [r] Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos, ante Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in adventu ejus? [ſ] Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.

C A P U T. III.

[t] PRopter quod non ſuſtinentes amplius, [u] placuit nobis remanere Athenis, ſoli: [w] & miſimus Timotheum fratrem noſtrum & [x] miniſtrum Dei in Evangelio Chriſti, [y] ad confirmandos vos & exhortandos pro fide veſtra: [z] ut nemo moveatur in tribulationibus iſtis. [a] Ipſi enim ſcitis, quod in hoc poſiti ſumus. [b] Nam & cum apud vos eſſemus, prædicebamus vobis paſſuros nos tribulationes: ſicut & factum eſt, & ſcitis. [c] Propterea & ego amplius non ſuſtinens, miſi ad cognoſcendum fidem veſtram: ne forte teotaverit vos is [d] qui tentat, [e] & inanis fiat labor noſter. [f] Nunc autem veniente Timotheo ad oos a vobis, & adnun-

nem auferre cupiebat, vel docendi, vel de ſe aliquid ſuſpicandi.

(a) *Prædicavimus in volis Evangelium Dei* &c.] Sicut Samuel populum conteſtatur. 1. Reg. 12.

(b) *Quam ſancte & juſte, & ſine querela vobis qui credidiſtis, adſuimus.*] Ne vobis ullam offenſionem dare videremur.

(c) *Sicut ſcitis qualiter unumquemque veſtrum tanquam Pater filios* &c.] Parvulos outrix fovet: proficientes vero jam Pater inſtituit.

(d) *Et conſolantes teſtificati ſumus.*] In tribulationibus, promiſſioribus Chriſti vos ſumus conſolati.

(e) *Ut ambularetis digne Deo.*] Digne Deo ambulat, qui nihil Deo agit indigoum.

(f) *Qui vocavit vos in ſuum regnum & gloriam.*] Quod noo niſi ejus ſimiles poſſidebuot, juſtitiæ, ſcilicet & ſanctitatis exemplo.

(g) *Ideo & nos gratias agimus Deo* &c.] Quod primum de Deo auditis, ſive audieritis Deum.

(h) *Accepiſtis illud non ut verbum hominum* &c.] Ut verbum hominum accipit, qui contemnit: vos autem ita credidiſtis, ut ab ipſo Deo audire putaretis.

(i) *Qui operatur in vobis qui credidiſtis*] Verbo vel ſignis: ſive virtutes exercet. *Credentes enim*, ait Marcus, *hæc ſigna ſequentur.* Mar. 16.

(k) *Vos enim imitatores facti eſtis fratres, Eccleſiarum Dei* &c.] Quibus dicitur: *Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.*

(l) *Quia eadem paſſi eſtis & vos a contribulibus veſtris, ſicut & ipſi a Judæis.*]. De vobis plus miror, qui oec legis nec Prophetarum babuiſtis exempla.

(m) *Qui & Dominum occiderunt Jeſum, & Prophetas, & nos perſecuti ſunt* &c.] Quid mirum ſi nos mali perſequuotur, qui nec ipſi Domino pepercerunt?

(o) *Et omnibus hominibus adverſantur, prohibentes nos gentibus loqui ut ſalvi fiant* &c.] Non ſolom Judæos impediunt, ſed etiam gentibus iovident, ad ſuorum cumulum peccatorum.

(o) *Pervenit enim ira Dei ſuper illos uſque in finem.*] Sive quia prædico qua pœna captivi ſunt: ſive quia ablatus eſt non credentibus intellectus.

(p) *Nos autem fratres deſolati a vobis ad tempus* &c.] Sicut alibi ais: Et corpore abſens, ſed ſpiritu præſens. 1. Cor. 5.

(q) *Abundantius feſtinavimus* &c. *ſed impedivit nos Satanas.*] Tribulationibus perſequentium.

(r) *Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium; aut corona gloriæ* &c.] Non immerito vos deſideramus, per quos lætitiæ gaudium ſperamus, & gloriæ coronam.

(ſ) *Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.*] Boni magiſtri, omnem ſpem, & gaudium, & gloriam ſolent collocare io profectu diſcipulorum.

IN CAPUT III.

(t) P*Ropter quod non ſuſtinentes amplius.*] Ad vos neminem ooſtrum venire.

(o) *Placuit nobis remanere Athenis ſoli.*] Maluimus ſoli remanere, quam oeſcire quid ageretis.

(w) *Et miſimus Timotheum fratrem* &c.] Quæritur quomodo Timotheus miſſus eſt: ſed prius id dictum eſt.

(x) *Et adjutorem Dei* &c.] Adjutores pro diſcipulis etiam vulgo dicuntur.

(y) *Ad confirmandos vos & exhortandos pro fide veſtra.*] Pro hac cauſa dumtaxat: quia perfecte credidiſtis.

(z) *Ut nemo moveatur in tribulationibus iſtis.*] Non dico: ne omnes, ſed oe vel aliquis moveatur.

(a) *Ipſi enim ſcitis, quod in hoc poſiti ſumus.*] Non ergo mirari debetis, ſcientes nos aliter tranſire non poſſe, dicente Domino: *Ecce ego mitto vos ſicut oves, in medio luporum.* Et iterum: *Ecce dixi vobis ut in me pacem habeatis: in hoc autem ſeculo preſſuram.* Matt. 10. Joan. 16.

(b) *Nam & cum apud vos eſſemus, prædicebamus vobis paſſuros* &c.] Ne vos ipſa novitas deterreret, ſed magis Prophetia ooſtra confirmaret: ſicut & Dominus paſſurum ſe ante prædixit.

(c) *Propterea & ego* &c. *ne forte tentaverit vos.*] Dicens: Ecce io quibus putatis Deum eſſe, qualia patiuntur: & fidem veſtram forſitan commoveret.

(d) *Is qui tentat.*] Sicut Job a Domino probatur.

(e) *Et inanis fiat labor noſter.*] Si aliquem ſcrupulum patiemini. Notandum doctrinam dici laborem.

(f) *Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis; & adnunciante* &c.] Quia firmiter Chriſto credentes, tene-

adnunciante nobis fidem & caritatem veſtram: & quia memoriam noſtri habetis bonam, ſemper deſiderantes nos videre, ſicut & nos quoque & vos: [a] ideo conſolati ſumus, fratres, in vobis, in omni neceſſitate & tribulatione noſtra per fidem veſtram: [b] quoniam nunc vivimus, ſi vos ſtatis in Domino. [c] Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo tribuere pro vobis, in omni gaudio quo gaudemus propter vos ante Dominum Deum noſtrum? [d] nocte ac die abundantius orantes, ut videamus faciem veſtram: [e] & compleamus ea quæ deſunt fidei veſtræ. [f] Ipſe autem Deus & Pater noſter & Dominus Jeſus Chriſtus dirigat viam noſtram ad vos. [g] Vos autem Dominus multiplicet & abundare faciat caritatem veſtram in [h] invicem & in omnes: [i] quemadmodum & nos in vobis ad confirmanda corda veſtra [k] ſine querela in ſanctitate ante Deum & Patrem noſtrum, in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus ſanctis ejus: Amen.

CAPUT IV.

1 [l] DE cætero ergo, fratres, [m] rogamus vos & obſecramus in Domino Jeſu: ut quemadmodum accepiſtis a nobis, quomodo oporteat vos ambulate & placere Deo, ſic & ambuletis, ut abundetis magis. [n] Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jeſum. Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: ut abſtineatis vos a fornicatione: [o] ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore: [p] non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes quæ ignorant Deum. [q] Et ne quis ſupergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem ſuum: [r] quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis & teſtificati ſumus. [ſ] Non enim vocavit nos Deus in immunditia, ſed in [t] ſanctificationem. [u] Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum Sanctum in nobis. [w] De caritate autem fraternitatis, non neceſſe habuimus ſcribere vobis. [x] Ipſi enim vos a Deo didiciſtis, ut diligatis

tenetis fidem: & nos ſolita dilectione diligitis.

(a) *Ideo conſolati ſumus fratres, in vobis* &c.] Omnem neceſſitatem & tribulationem non ſentimus, præ magnitudine gaudii ſtatus veſtri.

(b) *Quoniam nunc vivimus* &c.] Etiam ſi occidamur, vivimus: quia vita noſtra in veſtra firmitate conſiſtit.

(c) *Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo tribuere pro vobis* &c.] Triplicem lætitiæ cauſam nobis veſtra converſatio præſtat: quia & vos proficitis, & Dominus per vos benedicitur, & aliis præbetis exemplum.

(d) *Nocte ac die abundantius orantes, ut videamus faciem veſtram.*] Oſtendit quantum aliis deſiderandi ſint fratribus, quos tantum ipſe deſiderat: Quis enim cum famam peperit, videre non cupiat?

(e) *Et compleamus ea quæ deſunt fidei veſtræ.*] Si quid fides veſtra minus habet doctrinæ.

(f) *Ipſe autem Deus &c. dirigat viam* &c.] Remotis Diaboli ſcandalis, quibus noſter impeditur ad vos adventus.

(g) *Vos autem Dominus multiplicet & abundare faciat caritatem veſtram.*] Quia jam plena, & opere comprobata eſt.

(h) *In vicem & in omnes.*] Ut non ſolum Chriſtianos, ſed etiam omnis ſectæ homines, non erroris, ſed naturæ gratia diligatis: & eis in quo indiguerint, miſericordiam quam illis in præſenti Deus exhibet, non negetis.

(i) *Quemadmodum & nos in vobis ad confirmanda corda veſtra.*] Fecit abundare, ut & vos aliorum corda firmetis.

(k) *Sine querela in ſanctitate ante Deum* &c.] Non ante homines, ſicut de Zacharia, Eliſabet. Et per
Eſa. 43. Eſaiam: Et vos eritis mihi juſti, dicit Dominus.

IN CAPUT IV.

(l) *DE cætero ergo fratres.*] Poſt laudem & conſolationem, incipit exhortatio.

(m) *Rogamus vos &c. quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, ſic & ambuletis, ut abundetis magis.*] Quibus via Chriſtus eſt, dignis eo greſſibus ambulate. quia cum ætate fides augeri debet & mores: ſicut cum ætate carnis, & cibus creſcit & ſtudium.

(n) *Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jeſum: hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: ut abſtineatis vos a fornicatione.*] Sanctificatio ab omni incontinentia revocat Chriſtianum, cui incontinenti non expedit ſanctum Chriſti corpus attingere: maxime cum Moyſes Judæos ſanctificare volens, populum totum ab omni fœmina ſe continere præcepit, ut Dei potiri præſentia mererentur.

(o) *Ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore.*] Suum corpus unuſquiſque caſtum ſervando ſanctificet & honoret. Simul conſiderandum: quia eis tanquam perfectis, non ſicut Corinthiis ſcribit infirmis.

(p) *Non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes quæ ignorant Deum.*] Ne nimiæ & immoderatæ libidini ſervientes, ſimiles gentibus fiatis, quæ Deum amatorem caſtitatis ignorant.

(q) *Et ne quis ſupergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem ſuum.*] Ne quis poſt devotam continentiam & conſenſum, fratri ſuo aliquam circumventionem vi circumferre nitatur: ſive in quolibet negotio, ne quis alterum fraudet.

(r) *Quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus* &c.] Non ſolum de fornicatione & publica turpitudine, ſed etiam de transgreſſione propoſiti. Quiſquis enim continentiam Deo voverit, fecit ſibi illicitum quod licebat.

(ſ) *Non enim vocavit nos Deus in immunditia.*] Quæ corpus Chriſti audenter non permittit accipi.

(t) *Sed in ſanctificationem.*] Ut exemplo Chriſti vivatis. Qui enim habet ſpem hanc in eum, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.

(u) *Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum* &c.] Non me, ſed eum qui in me loquitur Chriſtum: cujus ſpiritui injuriam facit omnis qui non ſancte verſatur.

(w) *De caritate autem fraternitatis non neceſſe habuimus ſcribere vobis.*] Videte quam perfecti erant qui de tanto & tam neceſſario præcepto, non indigebant admoneri.

(x) *Ipſi enim vos a Deo didiciſtis, ut diligatis invicem*

ligatis invicem. Etenim illud ſacitis in omnes ſratres in univerſâ Macedonia. [a] Rogamus autem vos fratres, ut abundetis magis, & operam detis ut [b] quieti ſitis: & veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris: ſicut præcepimus vobis, [c] ut & honeſte ambuletis ad eos qui ſoris ſunt: & nullius aliquid deſideretis. [d] Nolumus autem vos ignorare fratres, de dormientibus: [e] ut non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent. [f] Si enim etedimus quod Jeſus mortuus eſt & reſurrexit: [g] ita & Deus eos, qui dormierunt per Jeſum, adducet cum eo. [h] Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini: [i] quia nos qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventu Domini, [k] non præveniemus eos qui dormierunt. [l] Quoniam ipſe Dominus in juſſu & in voce Archangeli & in [m] tuba Dei deſcendet de eœlo: [n] & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos qui vivimus qui telinquimut, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aëra: [o] & ſie ſemper cum Domino erimus. [p] Itaque conſolamini invieem in verbis iſtis.

C A P U T V.

[a] DEte mporibus autem & momentis ſratres, non indigetis ut ſeribamus vobis. Ipſi enim diligentet ſcitis: [e] quia dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet. [f] Cum enim dixerint: pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus: [t] ſicut dolor in utero habentis, & non effugient. [u] Vos autem, fratres, non eſtis in tenebris: ut vos dies ille tamquam ſur comprehendat. [w] Omnes enim vos filii lucis eſtis & filii diei. [x] Non ſumus noctis neque tenebrarum. [y] Igitur non dormiamus ſicut & cæteri, [z] ſed vigilemus & ſobrii ſimus. [a] Qui enim dormiunt, nocte dotmiunt: & qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt. [b] Nos autem qui diei ſumus, ſobrii ſimus: [c] induti loricam fidei & earitatis, & galeam ſpem ſalutis: [d] quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis

Joan. 13. *cem* &c.] A Chriſto, qui dixit: *Mandatum novum do vobis.* Hoc novum eſt, ut pro alterutro moriamur: quia hoc vetus, oon ſunm erat teſtamentum.

(a) *Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis & operam detis.*] Hoc eſt, ut jam ignotos quoſque diligatis.

(b) *Ut quieti ſitis: & ut veſtrum negotium agatis & operemini manibus veſtris* &c.] Quidam inquiete per diverſorum diſcurrebant domus: aliqua etiam ad religionis opprobrium poſtulantes ab infidelibus: quamquam ad eos in ſecunda plenius exſequitur. Unde magis vult eos vel proprii negotii cura, vel labore manuum occupari, quam otioſitatis detrimentum, & inquietudinis habere peccatum.

(c) *Ut & honeſte ambuletis ad eos qui foris ſunt, & nullius aliquid deſideretis.*] Ne vos ipſi denotent, qui præſtare videntur.

(d) *Nolumus autem vos ignorare fratres, de dormientibus.*] Dormit enim quem certum eſt ſurrecturum, ſicut dictum eſt in Evangelio de Lazaro.

(e) *Ut non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent.*] Aliter debet fiere qui peregre pergit, aliter ille qui moritur.

(f) *Si enim credimus quod Jeſus mortuus eſt & reſurſurrexit.*] Si ea credimus quæ oon videmus, & per ejus reſurrectionem certi ſumus nos veniam conſecutos; cur illud ſimiliter non credamus, quod gentes qui viventi Deo noo credunt?

(g) *Ita & Deus eos qui dormierunt per Jeſum, adducet cum eo.*] Qui caput ſuſcitavit, etiam cætera membra ſuſcitaturum ſe promittit.

(h) *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini.*] Ex Evangelii ſententia.

(i) *Quia nos qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventu Domini.*] Semper Apoſtolus diem Domini fecit habere ſuſpectum, quaſi eos in corpore inveniret.

(k) *Non præveniemus eos qui dormierunt.*] Tam velox erit eorum reſurrectio, quam noſtra aſſumtio.

(l) *Quoniam ipſe Dominus in juſſu & in voce Archangeli.*] Terrorem illius diei monſtrat, quo omnis poteſtas cœli, & elementa movenda ſunt: ut nos ſciamus quali conſcientia diem Domini exſpectemus.

(m) *Et in tuba Dei deſcendet de cælo.*] Si ad hominis tubam terra videtur permoveri, quanto magis ad Dei:
4. Reg. 2. ſicut Elias quoque terribilem in monte Domini vidit adventum.

(n) *Et mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi* &c.] Qui in Chriſto mortui fuerint, reſurgent primo: & qui vivi inventi fuerint ſancti, cum ipſis pariter rapientur: qui non judicabuntur, ſed potius judicabunt.

(o) *Et ſic ſemper cum Domino erimus.*] In eadem gloria æternitatis.

(p) *Itaque conſolamini invicem in verbis iſtis.*] Notandum quod lætis hoc præcipit, ut alterutrum ſe doctrinis inſtruant.

IN CAPUT V.

(q) D*E temporibus autem &c. Ipſi enim diligenter ſcitis.*] Evidentiſſima Evangelii lectione edocti.

(r) *Quia dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet.*] Quando omnes ſciet dormire ſecuros.

(ſ) *Cum enim dixerint: pax & ſecuritas* &c.] Tunc maxime timenda eſt poena, quam nunc non exſpectant.

(t) *Sicut dolor in utero habentis, & non effugient.*] Sicut mulier veniente partu, dolores non effugit.

(u) *Vos autem, fratres, non eſtis in tenebris: ut vos dies ille tamquam fur comprehendat.*] Non eſtis adeo ignorantes, ut neſciatis vos ſemper paratos eſſe debere.

(w) *Omnes enim vos filii lucis eſtis & fil.* &c.] Scientiæ veritatis.

(x) *Non ſumus noctis neque tenebrarum.*] Quia ſicut tenebræ, ita & ignorantia, dat fiduciam delinquendi.

(y) *Igitur non dormiamus ſicut & cæteri.*] Qui ſic dormierunt, etiam obliti ſunt ſui.

(z) *Sed vigilemus & ſobrii ſimus.*] Attendite vobis, ne graventur corda veſtra in crapula & in ebrietate, & curis hujus vitæ: ergo & curæ inebriant mentem.

(a) *Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt.*] Ideo otioſi & ebrii ſunt, quia in tenebris ſunt.

(b) *Nos autem qui diei ſumus, ſobrii ſimus.*] Nos qui diem Chriſtum habemus, nec ocioſi, nec ebrii eſſe debemus.

(c) *Induti loricam fidei & caritatis.* &c.] Fide & caritate, & juſtitia omnia conſtant, quas & loricæ alibi comparavit.

(d) *Quoniam non poſuit nos Deus in iram* &c.] In ira ſunt poſiti: quia jam judicati ſunt.

541

lutis per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum : [a] qui mortuus eſt pro nobis, ut ſive [b] vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum illo vivamus. [c] Propter quod conſolamini invicem, & ædificate alterutrum, ſicut & facitis. [d] Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, [e] & præſunt vobis in Domino: & monent, vos ut habeatis [f] illos abundantius in caritate propter opus illorum, & pacem habete cum eis. [g] Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, [h] ſuſcipite infirmos, patientes [i] eſtote ad omnes. [k] Videte ne quis malum pro malo alicui reddat : [l] ſed ſemper quod bonum eſt, ſectamini in invicem & in omnes. [m] Semper gaudete, [n] ſine intermiſſione orate, [o] in omnibus gratias agite. [p] Hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu, in omnibus vobis. [q] Spiritum nolite exſtinguere, [r] prophetias nolite ſpernere. Omnia autem probate: quod bonum eſt, tenete : ab omni ſpecie mala abſtinete vos. [s] Ipſe autem Deus pacis ſanctificet [t] vos per omnia : [u] ut integer ſpiritus veſter, & anima & corpus, [w] ſine querela, in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur. [x] Fidelis eſt qui vocavit vos, [y] qui etiam faciet. Fratres, orate pro nobis. Salutate fratres omnes in oſculo ſancto. [z] Adjuro [a] per Dominum, ut legatur epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus. [b] Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum : Amen.

(a) *Qui mortuus eſt pro nobis.*] Ut nos non moreremur.

(b) *Ut ſive vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum illo vivamus.*] Ut ſive in corpore, ſive extra corpus inveniamur, ſemper cum ipſo vivamus.

(c) *Propter quod conſolamini invicem, & ædificate alterutrum, ſicut & facitis.*] Notandum quia hoc laicis præcipit : quos etiam monet, ut ſtudeant exhibere officia caritatis.

(d) *Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos.*] Ut intelligatis laborem eorum.

(e) *Et præſunt vobis in Domino, & monent vos.*] Exemplo juſtitiæ, non poteſtate terrena: ſicut ait Petrus.

(f) *Ut habeatis illos abundantius in caritate, propter opus illorum: & pacem habete cum eis.*] Presbyteri qui laborant in verbo, dupliciter honorandi ſunt : id eſt, caritatis obſequio, & ordinis dignitate.

(g) *Rogamus autem vos fratres: corripite inquietos: conſolamini puſillanimes.*] Pro diverſitate morborum, diverſitas adhibenda eſt medicinæ. Illi corripiendi, ne pereant: iſti conſolandi ſunt, ne deficiant.

(h) *Suſcipite infirmos.*] Suſtinete nuper credentes, qui nondum ſunt confirmati.

(i) *Patientes eſtote ad omnes.*] Etiam ad correptos : quia impatiens non corrigitur, ſed irritatur.

(k) *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat.*] Omni diligentia cave, ne cui infirmiori ut ignarus, vel vicem mali reddas: quia ultro aliquem id facere non credo. Omnis enim qui injuriam facit, male facit: & qui vicem injuriæ reddit, injuriam facit, & male facit: quia ut ſuperius dictum eſt, omnis qui facit injuriam, male facit.

(l) *Sed ſemper quod bonum eſt, ſectamini in invicem, & in omnes.*] Non ſolum in vos Chriſtianos, ſed etiam in omnes homines.

(m) *Semper gaudete.*] In conſcientiæ puritate.

(n) *Sine intermiſſione orate.*] Si jugiter non potes lingua, ſaltem corde, ſicut Moyſi tacenti dicitur :
Exod. 14. *Quid clamas ad me?* Sive omnis actus veſter talis ſit, ut pro vobis ſemper Deum oret.

(o) *In omnibus gratias agite.*] In omnibus quæ acciderint, ſicut Job: ſive in omni converſatione veſtra Domino gratiæ referantur.

(p) *Hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu in omnibus vobis.*] Sicut in Chriſto per omnia impleta eſt, ita & in vobis omnibus impleatur.

(q) *Spiritum nolite exſtinguere.*] Spiritum exhortationis, quæſtionibus nolite exſtinguere. Sive ſpiritum pro gratia linguarum poſuit, ſicut ait: *Si oravero lin-* 1. Cor. 14.
gua, ſpiritus meus orat: quomodo etiam ad Corinthios dicit: Et loqui linguis nolite prohibere, ita & hic ſpi- 1. Cor. 14.
ritum non exſtinguendum eſſe teſtatur.

(r) *Prophetias nolite ſpernere. Omnia autem probate, quod bonum eſt, tenete : ab omni ſpecie mala abſtinete vos.*] Sive futura prædicentes, ſive præterita differentes: tantum, ut probetis, ſi legi non ſunt contraria quæ dicuntur: ſi quid tale fuerit, refutate.

(s) *Ipſe autem Deus pacis.*] Qui omnia ſuſtinet, etiam blaſphemantes.

(t) *Sanctificet vos per omnia.*] Sive gratia, ſive doctrina.

(u) *Ut integer ſpiritus veſter, & anima & corpus.*] Gratia ſpiritus quamvis in ſe ſemper integra ſit, non tamen in nobis integra, niſi ab integris habeatur.

(w) *Sine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur.*] Uſque in diem judicii : quia non ſunt tantum initia laudanda, ſed finis.

(x) *Fidelis eſt qui vocavit vos.*] Qui dixit : *Venite* Matth. 11.
ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos requieſcere faciam.

(y) *Qui etiam faciet oſculo ſancto.*] Quod promiſit.

(z) *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus.*] Adjurare permittitur, non jurare.

(a) *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum: Amen.*] Gratia cum omnibus perſeveret.

Commentariorum in I. Epiſtolam ad Theſſalonicenſes finis.

S. PAULI

S. PAULI APOSTOLI
II. EPISTOLA AD THESSALONICENSES
CAPUT I.

[a] PAulus & Silvanus & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto. Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis, fratres: ita ut dignum eſt: [b] quoniam ſupercreſcit fides veſtra: & abundat [c] caritas uniuſcujuſque veſtrum in invicem: ita ut & noſipſi in vobis gloriemur in Eccleſiiis Dei [d] pro patientia veſtra & fide: & in omnibus perſecutionibus veſtris & tribulationibus, quas ſuſtinetis in [e] exemplum juſti judicii Dei: ut digni habeamini in [f] regno Dei, pro quo & patimini. Si tamen [g] juſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem his qui vos tribulant: & vobis [h] qui tribulamini, requiem nobiſcum in [i] revelationem Domini Jeſu de cœlo cum Angelis virtutis ejus in [k] flamma ignis, dantis vindictam his [l] qui non noverunt Deum: & qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti. [m] Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie [n] Domini, & à gloria virtutis ejus, cùm [o] venerit glorificari in ſanctis ſuis: & [p] admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt: [q] quia creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos in die illo. In [r] quo etiam oramus ſemper pro vobis, ut dignetur vos ſua vocatione Deus noſter: & [ſ] impleat omnem voluntatem bonitatis ſuæ, & opus fidei in virtute: ut clarificetur [t] nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in vobis, & vos in illo ſecundum [u] gratiam Dei noſtri & Domini Jeſu Chriſti.

C A-

PELAGII COMMENTARII IN II. EPISTOLAM AD THESSALONICENSES.

IN CAPUT I.

(a) P*Aulus & Silvanus & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto* &c.] Qui ſibi talem Eccleſiam conquiſivit.

(b) *Quoniam ſupercreſcit fides veſtra.*] Ideo laus augetur.

(c) *Et abundat caritas uniuſcujuſque veſtrum in invicem: ita ut & noſipſi in vobis gloriemur, in Eccleſiis Dei.*] In tantum proficitis, ut non ſolum alii vos inferiores quicumque collaudent, ſed etiam noſipſi vos præferamus, omnibus imitandos.

(d) *Pro patientia veſtra & fide*, &c.] Niſi futura crederetis, iſta minime ſufferre velletis.

(e) *In exemplum juſti judicii Dei.*] Ut exemplum detis, juſtum Dei judicium expectandi: quem ita creditis eſſe venturum.

(f) *Ut digni habeamini in regno Dei: pro quo & patimini.*] Hi digni ſunt regno Dei, qui gloriam ei tribuerunt: ſcientes nullam paſſionem eſſe condignam.

(g) *Si tamen juſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem his qui vos tribulant.*] Hic, ſi tamen, confirmantis ſermo eſt, non dubitantis: quaſi dicat: ſi tamen foris poteſt judicare juſtitia, quod juſtum eſt: nam ſicut indubitanter pro nomine Domini patientibus requiem, ita & incunctanter tribulationem his qui eos tribulant, repromiſit.

(h) *Et vobis qui tribulamini, requiem nobiſcum.*] Quia nobis conpatimini.

(i) *In revelationem Domini Jeſu de cœlo cum Angelis virtutis ejus.*] Qui venient vindicare.

(k) *In flamma ignis dantis vindictam.*] Si potuit flamma, Dei imperio, tres pueros omnino non tangere, quare non eadem potentia aliis ſæviat, aliis mitior eſſe credatur? Hoc contra eos propterea quod pœnam conſcientiæ ſomniarunt: quia hoc illis impoſſibile videbatur.

(l) *His qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti.*] Non ſolum qui non noverunt, ſed etiam qui non obaudiunt Evangelii diſciplinis.

(m) *Qui pœnas dabunt in interitum æternas.*] Pœnas in eo qui patitur, non poteſt dici.

(n) *A facie Domini, & a gloria virtutis ejus.*] A juſti conſpectu, ſententiam damnationis accipiant.

(o) *Cum venerit glorificari in ſanctis ſuis.*] Ipſe in ſuis gloriandus eſt membris, quæ ſolis ſplendore fulgebunt.

(p) *Et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.*] Mirabuntur impii, & irriſores humilitatis, in ſubitatione ſalutis inſperatæ juſtorum.

(q) *Quia creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos in die illo.*] Quia multi in die illo, noſtro teſtimonio credidiſtis.

(r) *In quo etiam oramus ſemper pro vobis, ut dignetur vos ſua vocatione Deus noſter.*] Ut digni inveniamini ad id quod vocati eſtis: quia priores invitati, non erant digni.

(ſ) *Et impleat omnem voluntatem bonitatis ſuæ, & opus fidei in virtute.*] Adjutoriæ gratiæ, & conſolatione ſcientiæ virtutum, quæ opus ſunt fidei.

(t) *Ut clarificetur nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in vobis, & vos in illo.*] Et ut Chriſti nomen in veſtris actibus clarum ſit: & vos in ejus ſignis & virtutibus glorioſi.

(u) *Secundum gratiam Dei noſtri & Domini Jeſu Chriſti.*] Expetit à nobis quod poſſumus: ut quod non poſſumus, largiatur.

CAPUT II.

[a] ROgamus autem vos, fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & [b] noſtræ congregationis in ipſum, ut non [c] cito moveamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque [d] per ſpiritum, neque per ſermonem, neque [e] per epiſtolam tamquam per nos miſſam, [f] quaſi inſtet dies Domini. Ne quis vos ſeducat ullo modo. [g] Quoniam niſi venerit diſceſſio primum: & [h] revelatus fuerit homo peccati, filius [i] perditionis, [k] qui adverſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus. [l] Non retinetis quod cum adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat ſcitis, ut [m] reveletur in ſuo tempore. [n] Nam myſterium jam operatur iniquitatis: tantum, ut [o] qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus, [p] quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & [q] deſtruet illuſtratione adventus ſui: [r] Eum cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis & prodigiis mendacibus: & in omni ſeductione iniquitatis, his qui pereunt: eo quod [ſ] veritatis caritatem non receperunt ut ſalvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio: ut [t] judicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. [u] Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis fratres dilecti à Deo, [w] quod elegerit nos Deus primitias in ſalutem in ſanctificatione Spiritus & in fide veritatis: in [x] qua & vocavit vos per Evangelium noſtrum in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti. [y] Itaque fratres, ſtate, & [z] tenete traditiones quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram. Ipſe [a] autem Dominus

IN CAPUT II.

(a) R*Ogamus autem vos fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti.*] Quo vobis carius nihil eſſe ſum certus.

(b) *Et noſtræ congregationis in ipſum.*] Quando à quatuor veotis cœli congregabuntur electi, ut ubi fuerit corpus, illuc concurrent & aquilæ.

(c) *Ut non cito moveamini à veſtro ſenſu, neque terreamini.*] Perfacilis eſt qui de Domioi adventu, contra Evangelicam ſententiam, commovetur.

(d) *Neque per ſpiritum, neque per ſermonem.*] Ne ſigna vos terreant quaſi per ſpiritum facta: quia & hoc Salvator ante præmonuit: nec ſermo dialecticæ vos ſeducat.

(e) *Neque per epiſtolam.*] Neque per oos poterant, & hoc diabolica excogitare verſutia, ſicut in multis apocryphis apparet, quæ ad fidem perfidiæ facieodam, Apoſtolorum nomine intitulantur.

(f) *Quaſi inſtet dies Domini. Ne quis vos ſeducat ullo modo.*] Dicentes: hic Chriſtus, ecce illic.

(g) *Quoniam niſi venerit diſceſſio primum.*] Niſi Aotichriſtus venerit, noo veniet Chriſtus. Quod autem diſceſſionem hic dicit, alibi refugam appellavit. Io Latinis exemplaribus utrumque ita intelligendum eſt, quod niſi venerit refuga veritatis, ſive ſui principatus deſertor, ſive diſceſſio Gentilium à regno Romano, ſicut in Daniele per beſtiæ imaginem dicit.

(h) *Et revelatus fuerit homo peccati.*] Diabolus ſcilicet.

(i) *Filius perditionis.*] Quia eum quaſi ſibi natum, ſervitio poſſidebit: qui ſecundum Eſaiam conturbare dicitur gentes.

(k) *Qui adverſatur & extollitur, ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur* &c.] Supra omnem potentiam & æternitatem ſe jactabit: ut ſacramenta culturæ corrigere vel augere ſe dicat: & templum Hieruſalem reficere tentabit, omneſque legis ceremonias reſtaurare: tantum ut veritatis Chriſti Evangelium ſolvat: quæ res Judæis eum pro Chriſto ſuſcipere ſuadebit, in ſuo, non Dei oomine venientem.

(l) *Non retinetis quod cum adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis. Et nunc quid detineat ſcitis.*] Hoc eſt, quæ mora eſt, ut oon veniat.

(m) *Ut reveletur in ſuo tempore.*] Quod tempus nondum advenit.

(n) *Nam myſterium jam operatur iniquitatis: tantum.*] Io his qui falſis doctrinis ejus, prævium faciunt iter: quos beatus Joannes in mundum dicit exiſſe. 1 *Joan.* 4.

(o) *Ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus.*] Dooec regnum quod nunc tenet, de medio auferatur, prius quàm Antichriſtus reveletur.

(p) *Quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui.*] Cœleſti imperio vel ſolo.

(q) *Et deſtruet illuſtratione adventus ſui.*] Quia ſicut fulgur, ubique coruſcabit in mundo, ſolutis commotiſque elementis per ignem.

(r) *Eum cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ* &c.] Sicut ante prædixit: dabunt ſigna, ut ſeducant, ſi fieri poteſt etiam electos per phantaſiam ſimulatiooemque virtutum: ſicut Jamnes & Mambre coram Pharaone fecerunt.

(ſ) *Eo quod veritatem caritatis non receperunt ut ſalvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*] Permittit venire: nam ſi Deus mittit, non eſt operatio Satanæ.

(t) *Ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.*] Noo ſe propter incarnationis Chriſti obſcuritatem excuſent, divinis noo credidiſſe virtutibus: cum homini crediderint, diabolica arte fallente.

(u) *Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti à Deo*] Quia caritatem recipimus veritatis: & propter hoc nos diligit Deus.

(w) *Quod elegerit nos Deus primitias in ſalutem in ſanctificatione ſpiritus & in fide veritatis.*] Videns paratos ad credendum, ſicut & alibi, recumbenti viro Macedone revelatum eſt.

(x) *In qua vocavit & vos per Evangelium noſtrum in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti.*] Ad hoc vocati ſumus, ut Chriſti goriam acquiramus: Scimus enim quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus. 1 *Joan.* 3.

(y) *Itaque fratres, ſtate.*] In fide veritatis immobiles.

(z) *Et tenete traditiones quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.*] Quando ſua vult teneri, oon vult extranea ſuperaddi. Apoſtolica autem traditio eſt, quæ in toto mundo prædicatur: ut baptiſmi ſacramenta.

(a) *Ipſe autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus Pater noſter qui dilexit nos.*] Etiamſi oon meriti fuimus. Contra Arium facit, qui Filio majorem Patrem putat, quia prior ſoleat oominari.

(a) *Et*

minus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus Pater noſter qui dilexit nos, & dedit [a] conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, [b] exhortetur corda veſtra, & confirmet in [c] omni opere & ſermone bono.

CAPUT III.

[d] DE cætero, fratres, orate pro nobis: ut [e] ſermo Dei currat & clarificetur, ſicut & apud vos: & [f] ut liberemur ab importunis & malis hominibus. Non enim omnium eſt fides. Fidelis [g] autem Deus eſt [h] qui confirmabit vos [i] & cuſtodiet à malo. Confidimus autem de vobis, fratres, in Domino: quoniam quæcumque præcipimus, & facitis & facietis. Dominus autem dirigat corda veſtra in caritate Dei & patientia Chriſti. [k] Denunciamus autem vobis, fratres, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti: ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem quam acceperunt à nobis. Ipſi enim ſcitis [l] quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos: neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore & fatigatione, nocte ac die operantes: ne quem veſtrum gravaremus. Non [m] quaſi non habuerimus poteſtatem, ſed ut [n] noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & [o] cum eſſemus apud vos, hæc denunciabamus vobis: [p] quoniam ſi quis non vult operari, [q] nec manducet. Audivimus enim [r] inter vos quoſdam ambulare inquiete: nihil operantes, ſed [ſ] curioſe agentes. His [t] autem qui ejuſmodi ſunt, denunciamus & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto: ut [u] cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent. Vos [w] autem, fratres, nolite deficere benefacientes. [x] Quod ſi quis non obedierit verbo noſtro, per Epiſtolam hunc notate: & non commiſceamini cum illo ut [y] confundatur. Et [z] nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem. Ipſe [a] autem Deus pacis det vobis pacem ſempiternam in omni loco. Dominus ſit cum omnibus vobis. Salutatio mea manu Pauli, quod eſt ſignum in omni Epiſtola, ita ſcribo: Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis: Amen.

S. PAU-

(a) *Et dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia.*] Promiſſionem, ſive ſpiritum conſolatorem, qui Græce paracletus appellatur. Poteſt eſſe & ſpes mala in gratia.

(b) *Exhortetur corda veſtra, & confirmet.*] Virtutibus & revelatione.

(c) *In omni opere & ſermone bono.*] Prius opere & poſtea ſermone.

IN CAPUT III.

(d) DE *cætero, fratres, orate pro nobis.*] Dat humilitatis exemplum, & occaſionem caritatis: ut pro alterutro audacius exoremus. Simul notandum in quibus cauſis orare poſcat Apoſtolus.

(e) *Ut ſermo Dei currat & clarificetur, ſicut & apud vos.*] Currat affluentia, magnificetur auditorum profectu.

(f) *Et ut liberemur ab importunis & malis hominibus: non enim omnium eſt fides.*] Non omnes credunt, ideo contradicunt.

(g) *Fidelis autem Deus eſt.*] Quia non relinquit, niſi relinquentes ſe.

(h) *Qui confirmabit vos & cuſtodiet à malo.*] In fide per doctrinam & gratiam.

(i) *Confidimus autem de vobis, fratres, in Domino &c.*] Revelando quanta ſint, quæ amoris ſui cauſa contumelias patientibus promiſit.

(k) *Denunciamus autem vobis, fratres, in nomine Domini &c.*] Quia in prima plenius commonuimus, & emendare ſe noluerunt. Vel hoc modo, quod ſancti ſe ab eis ſeparant, erubeſcant. Hujus plane loci auctoritate ſubtrahendum eſt ſe ab omni Chriſtiano, qui non ſecundum Apoſtoli incedit præcepta.

(l) *Ipſi enim ſcitis quemadmodum oporteat imitari nos &c.*] Qui ſumus forma credentium.

(m) *Non quaſi non habuerimus poteſtatem.*] Quia dignus eſt operarius mercede ſua.

(n) *Sed ut noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos.*] Ne cui occaſionem avaritiæ, quæ fons eſt inquietudinis, præberemus.

(o) *Nam & cum eſſemus apud vos, hæc denunciabamus vobis.*] Quia prævidebamus aliquos tales eſſe futuros.

(p) *Quoniam ſi quis non vult operari.*] Aut ſedeant quieti, aut ſi veri ſunt Apoſtoli, non ſequantur: ſi non avaritiæ, ſed Dei cauſa ambulare ſe dicunt.

(q) *Nec manducet.*] Hæc ſit inquietudinis non ſolum pœna, ſed etiam emendatio.

(r) *Audivimus enim inter vos quoſdam ambulare inquiete &c.*] Reddit ſuperioris ſententiæ cauſas, ad quos legitime debeat pertinere: ſcilicet ad inquiete ambulantes, non ad quiete ſedentes.

(ſ) *Sed curioſe agentes.*] Inquirentes quid in unaquaque civitate, vel provincia geratur & domo.

(t) *His autem qui ejuſmodi ſunt, de. &c.*] Non ipſos poſt alteram correctionem deſinit commonere.

(u) *Ut cum ſilentio operantes, ſuum &c.*] Non cum inquietudine alienum.

(w) *Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes.*] Non omnibus, ſed talibus dari prohibeo: ne putetis me boni operis conſuetudinem amputare.

(x) *Si quis non obedierit verbo noſtro &c.*] Si quis tertio noluerit emendari.

(y) *Ut confundatur.*] Non ut penitus abſcindatur.

(z) *Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem.*] Corrigite, ut emendetur: & nolite abſcindere, ut deſperet. Aeger curandus eſt, non necandus, ne in apoſtaſiam inquietudo vertatur.

(a) *Ipſe autem Deus pacis &c.*] His verbis omnes Epiſtolas ſubſcribebat: excepta Galatarum, quam ex integro manu propria perſcripſit: ut poſt eam nec ſibi, nec Angelo crederetur.

Commentariorum in ſecundam Epiſtolam ad Theſſalonicenſes finis.

PELA-

S. PAULI APOSTOLI

I. EPISTOLA AD TIMOTHEUM.

CAPUT I.

[a] PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti, [b] ſecundum imperium Dei Salvatoris noſtri, & Chriſti Jeſu ſpei noſtræ, [c] Timotheo dilecto filio in fide, [d] gratia & miſericordia, & pax à Deo Patre & Chriſto Jeſu Domino noſtro. [e] Sicut rogavi te ut remaneres Epheſi, cum irem in Macedoniam, ut denunciares quibuſdam, ne aliter docerent, [f] neque intenderent fabulis & [g] genealogiis interminatis, [h] quæ quæſtiones præſtant magis quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide. Finis [i] autem præcepti eſt caritas de corde puro & [k] conſcientia bona, & [l] fide non ficta. A [m] quibus quidam aberrantes converſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe legis doctores: non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. [n] Scimus autem quia bona eſt lex, ſi [o] quis ea legitime utatur: [p] ſcientes hoc, quia lex juſto non eſt poſita, ſed [q] injuſtis & non ſubditis, impiis & peccatoribus, ſceleratis & contaminatis, parricidis & matricidis, homicidis, fornicariis, maſculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus & perjuris: & ſi [r] quid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur, quæ eſt ſecundum Evangelium [ſ] gloriæ beati Dei, [t] quod creditum eſt mihi. [u] Gratias ago ei qui me confortavit in Chriſto Jeſu Domino noſtro: [w] quia fidelem me exiſtimavit ponens in miniſterio. Qui prius blaſphemus fui & perſecutor, & contumelioſus, ſed [x] miſericordiam Dei conſecutus ſum: quia ignorans feci in [y] incredulitate. [z] Superabundavit autem gratia Domini noſtri cum fide & dilectione, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Fidelis [a] ſermo &

PELAGII COMMENTARII IN I. EPISTOLAM AD TIMOTHEUM.

IN CAPUT. I.

(a) PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti.] Auctoritas & nominis & officii prænotatur, propter eos quibus erat reſponſurus.

(b) *Secundum imperium Dei Salvatoris noſtri* &c.] Non ſecundum meam præſumtionem: ſimul & Patris & Filii unum imperium monſtratur.

(c) *Timotheo dilecto filio in fide.*] in fide filio, non in carne.

(d) *Gratia & miſericordia* &c.] Gratis miſericordiam conſecuti, reconciliati ſumus Deo.

(e) *Sicut rogavi te ut remaneres Epheſi* &c.] Quibus in Actibus prædixerat intraturos lupos qui gregi oon parcerent.

Mar. 7. (f) *Neque intenderent fabulis.*] Quas Deuteroſeis appellant. Uodein Evangelio, docentes doctrinas hominum condemnantur.

(g) *Et genealogiis interminatis.*] Generationibus antiquorum: in quibus ſibi ſummam ſcientiam vendicant, ſi omnes ab initio generationes enumerent.

(h) *Quæ quæſtiones præſtant magis, quam ædificationem* &c.] Tam veteres contrarietates, quam generationum ſollicitudines ſuperfluas.

(i) *Finis autem præcepti eſt caritas de corde puro.*] Caritas Dei & proximi, in qua tota lex pendet & Prophetæ: hæc ſi de corde puro ſit, difficile delinquere poterimus.

(k) *Et conſcientia bona.*] Et conſcientia tua teſtimonium perhibeat veritati.

(l) *Et fide non ficta.*] Fides enim ficta eſt quæ ſolo ore promittitur, & actu negatur.

(m) *A quibus quidam aberrantes converſi ſunt in vaniloquium, vo.* &c.] Infinitæ ſtultitiæ eſt, non intellecta de magis non intellectis velle firmare.

(n) *Scimus autem quia bona eſt lex.*] Ut à Deo promulgata eſt, pro qualitate temporis: ſicut alibi lex ſancta eſt appellata.

(o) *Si quis ea legitime utatur.*] Si quis ſciat quibus, quare, quam diu habenda ſit data.

(p) *Scientes hoc: quia lex juſto non eſt poſita.*] Ergo Chriſtianis non opus eſt, qui ſunt juſtificati per Chriſtum: qui didicerunt etiam occaſiones fugere delictorum: nam ut quid dicitur: Non occides, quibus iraſci non permittitur?

(q) *Sed injuſtis & non ſubditis, impiis & peccatoribus* &c.] Illis omnibus data eſt: quos abjectis criminibus nititur revocare.

(r) *Et ſi quid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur, quæ eſt ſecundum Evangelium.*] Sunt ergo doctrinæ oon ſanæ, contra quas etiam data lex eſt, quæ contrariæ ſunt cœleſtibus inſtitutis. Quid ergo ibi quærunt, quod hic non habent? ſimul & legem Evangeliis concordare demonſtrat

(ſ) *Gloriæ beati Dei.*] Per quam glorificatur Deus.

(t) *Quod creditum eſt mihi.*] Ne dicerent adverſarii: quis erat ille, cui Evangelium crederetur, ait

(u) *Gratias ago ei qui me confortavit in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*] Cum eſſem inutilis & infirmus.

(w) *Quia fidelem me exiſtimavit ponens in miniſterio* &c.] Juſtus in primordio accuſator ſui eſt: ut ſtatim eum cœperit, adverſarius confundatur.

(x) *Sed miſericordiam Dei conſecutus ſum: quia ignorans feci.*] Levius eſſe peccatum ignorantiæ demonſtratur.

(y) *In incredulitate.*] Quia non credens, intelligere non valebam.

(z) *Superabundavit autem gratia Domini noſtri cum fide & dilectione, quæ eſt in* &c.] Ubi autem iniquitas abundaverat, ſtatim ut credidi, amplius cœpi diligere Chriſtum, qui mihi magna peccata dimiſit.

(a) *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus.*] Quem omnes credant, & omnium conſcientiæ verum eſſe cognoſcant.

(a) Quia

Digitized by Google

mo & omni acceptione dignus: [a] quia Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, [b] quorum primus ego ſum. Sed [c] ideo miſericotdiam conſecutus ſum: ut in [d] me primo oſtenderet Chriſtus Jeſus omnem patientiam ad [e] informationem eorum qui credituri ſunt illi in vitam æternam. Regi [f] autem ſeculotum immortali, inviſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſecula ſeculorum: Amen. Hoc [g] præceptum commendo tibi, fili Timothee, ſecundum [h] præcedentes in te prophetias: ut [i] milites in illis bonam militiam, [k] habens fidem & [l] bonam conſcientiam. Quam [m] quidam repellentes circa fidem naufragaverunt: ex [n] quibus eſt Hymenæus & Alexander, quos [o] tradidi Satanæ: ut diſcant non blaſphemare.

CAPUT II.

[p] OBſecro igitut primum omnium fieri obſecrationes, [q] orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro [r] omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt: ut [s] quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Hoc [t] enim bonum eſt & acceptum coram ſalvatore noſtro Deo: [u] qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad [w] agnitionem veritatis venire. [x] Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, [y] homo Chriſtus Jeſus: qui dedit [z] redemtionem ſemetipſum pro omnibus. [a] Cujus teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt: in [b] quo poſitus ſum ego prædicator & Apoſtolus. [c] Veritatem dico, non mentior, doctor gentium in fide & veritate.

(a) *Quia Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere.*] Ergo & me ſalvavit inter cæteros peccatores: tunc enim merito mihi præjudicaretur, ſi ſolos juſtos vocare veniſſet.

(b) *Quorum primus ego ſum.*] Hic, ſum, pro fui, ponitur. ſicut Matthæus dicitur publicanus, cum jam Chriſti eſſet Apoſtolus.

(c) *Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum.*] Ut David ait: *Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.* Si mihi viderint indulta peccata, tunc docebo oeminem deſperare debere.

(d) *Ut in me primo oſtenderet Chriſtus Jeſus omnem patientiam.*] Qui etiam perſecutoribus converſis non ſolum indulget, ſed etiam coofert Apoſtolatus honorem.

(e) *Ad informationem eorum qui credituri ſunt illi in vitam æternam.*] Ad exemplum, ut ne deſperent.

(f) *Regi autem ſeculorum immortali, inviſibili* &c.] Qui mihi veniam tribuit noo merenti. Rex enim parvuli temporis & mortalis, ac viſibilis, & capax conſortis, honorem & gloriam temporalem habere poteſt, non tamen ſempiternam.

(g) *Hoc præceptum commendo tibi, fili mi Timothee.*] Hucuſque de ſtatu ſuo, quomodo adverſariis reſpooderet: hinc dat auctoritatem ordinandi, docendi, quæque præcepta ſunt commendat.

(h) *Secundum præcedentes in te prophetias.*] Secundum quod etiam ante hoc officium habebas gratiam prophetandi.

(i) *Ut milites in illis bonam militiam.*] Bona militia eſt, in qua contra Diabolum & vitia militatur.

(k) *Habens fidem.*] Pro armis, fidem in Chriſto perfectam.

(l) *Et bonam conſcientiam.*] Implendo quod doces.

(m) *Quam quidem repellentes, circa fidem naufragaverunt.*] Male vivendo, ipſam quoque fidem perdiderunt, quam habere videbantur: ſive etiam jam vitia defendentes.

(n) *Ex quibus eſt Hymenæus & Alexander.*] Qui amore vitiorum, ad hæreſim tranſierunt.

(o) *Quos tradidi Satanæ: ut diſcant* &c.] Io interitum carois, ut ex præſenti correptione diſcant futurum judicium non negare: ad emendandum traditi, non ad perdendum.

IN CAPUT II.

(p) *OBſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes.*] Obſecratio, impenſior eſt oratio.

(q) *Orationes, poſtulationes, gratiarum actiones.*] Pro eo quod nos dignos fecit: etiam pro his qui vos perſequuntur & tribulant.

(r) *Pro omnibus hominibus, pro regibus* &c.] Ut cognoſcant Deum: ſive ut ſubjectas habeant geotes. Illorum enim pace, tranquillitas noſtra conſiſtit: ſed ſi nobis Chriſtianis ſit perſecutionis turbatio: omnis inquietudo ceſſabit.

(ſ) *Ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate.*] Ad hoc nos vult eſſe quietos, ut pietate & caſtitate, ooo diſſenſione atque luxuria, tranquillitas noſtra proficiat.

(t) *Hoc enim bonum eſt & acceptum co.* &c.] Ut quieti in ſanctis operibus ſerviamus.

(u) *Qui omnes homines vult ſalvos fieri.*] * Hic probatur nemini oportere ad credendum vim ioferre, nec tollere arbitrii libertatem. Sed & illud hoc loco ſolvitur de induratione Pharaonis, & cæteræ hujuſmodi objectionis quæſtiones.

(w) *Et ad agnitionem veritatis venire.*] Si ipſi tamen vocanti Deo cooſentire voluerint.

(x) *Unus enim Deus* &c.] Unus enim Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus: id eſt, una in tribus perſonis oatura eſt Deitatis.

(y) *Homo Chriſtus Jeſus.*] Sicut unus Deus, ita unus eſt mediator inter Deum & homioes univerſos: hoc eſt, oullus alius talis, nec Moyſes, oec aliquis Propheta: quia hic & homo erat & Deus. Sed quia de traditione erat dicturus, ideo hominem ſolummodo nominavit.

(z) *Qui dedit redemtionem ſemetipſum pro omnibus*] Ille ſe pro omnibus dedit, ſi omnes redimi vellent.

(a) *Cujus teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt.*] In teſtimonium generi humano, ſanctæ vitæ dedit exemplum: quia & Prophetæ ſuis teſtimonium fuere temporibus: noviſſime autem miſit Filium ſuum ad colonos.

(b) *In quo poſitus ſum ego prædicator & Apoſtolus.*] In Chriſti teſtimonio, ſive Chriſto.

(c) *Veritatem dico &c. Volo vos orare* &c.] Magiſter gentium dat legem orandi, ut auctoritate Salvatoris, oeque in monte, neque in Hieroſolymis aliquis orandi eligat locum, ſed in ſpiritu: qui ubique nobiſcum eſſe intelligitur. Sanè de hoc loco, & hac cauſa

* Hinc quoque intelligere queas hæc eſſe à manu *Pelagii*, nam hæc ejus eſt objectio.

veritate. Volo ergo viros orare in omni loco, [a] levantes puras manus ſine ira & diſceptatione. Similiter & [b] mulieres in [c] habitu ornato, [d] cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, & [e] non in tortis crinibus, aut [f] auro, aut margaritis, vel [g] veſte pretioſa, ſed [h] quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. [i] Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione. [k] Docere autem mulieri non permitto, [l] neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio. Adam [m] enim primus formatus eſt, deinde Eva. Et Adam non eſt ſeductus: Mulier autem ſeducta in [n] prævaricatione fuit. Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi [o] permanſerint in fide & [p] dilectione, & [q] ſanctificatione cum ſobrietate.

CAPUT III.

[r] Fidelis ſermo. Si quis Epiſcopatum deſiderat, [ſ] bonum opus deſiderat. Oportet [t] enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, [u] unius uxoris virum, [w] ſobrium, [x] ornatum, prudentem, pudicum, [y] hoſpitalem, [z] doctorem, non [a] vinolentum, non [b] percuſſorem, [c] ſed modeſtum: [d] non ligitioſum, non cupidum, ſed ſuæ domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Si [e] quis autem domui ſuæ bene præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? [f] Non neophytum: ne in ſuperbiam elatus,

à Judæis mota fuit quæſtio, qui in templo ſolummodo in Hieroſolymis orare cupiebant.

(a) *Levantes puras manus* &c.] A cæde, & ſanguine, omnique opere malo. Teſtimonium enim innocentiæ eſt manuum elevatio. Non ſolum autem manus ab opere, ſed etiam mentem ab ira & diſceptationis cogitatu, qui ſibi dimitti petit, debet habere mundas. Nemo aliquid impetrare poteſt alia cogitando.

(b) *Similiter & mulieres.*] Omnia quæ dixi de viris.

(c) *In habitu ornato.*] Honeſto & convenienti naturæ.

(d) *Cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe.*] Hæc ſunt ornamenta fœminæ Chriſtianæ.

(e) *Et non in tortis crinibus.*] Non debent occaſionem dare concupiſcentiæ.

(f) *Aut auro, aut margaritis.*] Quæ terræ ſunt partes: cujus eſt homo Dominus inſtitutus.

(g) *Vel veſte pretioſa.*] Quæ præ nimia ſubtilitate, nec frigus arceat: & de cujus pretio plurimi veſtiri ejuſdem naturæ homines potuiſſent.

(h) *Sed quod decet mulieres, promittentes caſtitatem per opera bona.*] Iſta ergo non ſunt promittentium, ſed negantium caſtitatem.

(i) *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione.*] Diſcat quidem, ſed cum omni humilitate & caritate.

(k) *Docere autem mulieri non permitto.*] Publice non permittit: nam filium aut fratrem debet docere privatim.

(l) *Neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio.*] Ne magiſterium ſibi uſurpando ſuperbiat, ſed taceat in Eccleſia.

(m) *Adam enim primus formatus eſt, deinde Eva.*] Reddit cauſam, quare eas velit eſſe ſubjectas: ſcilicet, quia & poſteriores in factura ſunt, & priores in culpa.

(n) *In prævaricatione fuit. Salvabitur autem per filiorum generationem.*] In prævaricatione fuit mandati. Sed non ideo deſperet mulier: quia per baptiſmum quod eſt filiorum generatio, ipſa ſalvabitur, non Eva, ſed credens mulier: quia Eva ad exemplum adducta eſt creationis: non de ipſius ſalute proprie tractabatur. Cæterum quomodo juſtitia juſti ſuper ipſum erit, & quomodo Noë, Job & Daniel filios ſuos liberabunt, ſic per filios Eva ſalvabitur.

1 Tim. 2. (o) *Si permanſerint.*] Sicut ſuperius de plurali numero mulierum, ad ſingularem dicens, *mulier in ſilentio diſcat:* ita & hic redit ad pluralem.

(p) *In fide & dilectione.*] Chriſti, & dilectione proximorum.

(q) *Et ſanctificatione cum ſobrietate.*] Notandum quod ſola fides ad ſalutem ei qui poſt baptiſmum ſupervixerit, non ſufficiat: niſi ſanctitatem mentis & corporis habeat, quæ ſine ſobrietate difficile cuſtoditur.

IN CAPUT III.

(r) *Fidelis ſermo. Si quis Epiſcopatum deſiderat.*] Primum laicos inſtituit: de quibus optimi quique in ſacerdotium eliguntur, & ſic dicit quales debeant ordinari.

(ſ) *Bonum opus deſiderat.*] Ad boni operis deſiderium eum provocat, non ad honorem.

(t) *Oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.*] Aut Eccleſiæ princeps non erit: quam ideo Apoſtolus ſine macula alibi definivit.

(u) *Unius uxoris virum.*] Viris nec hoc licet, quod velati incedant: multo magis illa quæ etiam laico prohibentur.

(w) *Sobrium.*] Et mente & corpore.

(x) *Ornatum, prudentem, pudicum.*] His omnibus ſpiritualibus ornamentis.

(y) *Hoſpitalem.*] Ad humanitatis opus, cuncta plebs rectoris forma provocetur.

(z) *Doctorem.*] Tam verbo, quàm exemplo. Si enim omnium vota ſcire voluerit, vel deberet quomodo omnes valeant reſpondere: quanto magis ſacerdos legem exquiret: quia angelus Dei omnipotentis eſt.

(a) *Non invulentum.*] Ut fiducialiter poſſit corripere ebrioſos.

(b) *Non percuſſorem.*] Sive ne ſit petulans ad cædendum: ſive ne malo exemplo conſcientias feriat infirmorum.

(c) *Sed modeſtum.*] Qui omnia faciat cum menſura.

(d) *Non ligitioſum, non cupidum.*] Servum Dei non oportet litigare. Lites autem & jurgia maxime ex cupiditatibus oriuntur.

(e) *Si quis autem domui ſuæ bene præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?*] Ipſe in ſequentibus expoſuit, ſi filios in caſtitate & humilitate nutrivit: hinc ejus diligentia comprobatur: ſi enim filios ſuos erudire neſcivit, quomodo tantos Dei filios gubernabit, quorum mores ſecundum numerum ſunt diverſi? vel qua fiducia, qui indiſciplinatos habet filios, audebit exigere diſciplinam?

(f) *Non neophytum: ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat.*] Ne nuper renatus, cito poſſit per ignorantiam exaltari: & putet ſe non tam miniſterium humilitatis, quàm adminiſtrationem ſecularis poteſtatis adeptum: & condemnationem ſuperbiæ mereatur: ſicut Diabolus qui per jactantiam judicatus atque dejectus eſt.

(a) Oportet

elatus, in judicium incidat Diaboli. [a] Oportet autem & illum teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt: [b] ut non in opprobium incidat, & in laqueum diaboli. [c] Diacones ſimiliter [d] pudicos, non [e] bilingues, [f] non multo vino deditos, [g] non turpe lucrum ſectantes, [h] habentes myſterium fidei in conſcientia pura. [i] Et hi autem probentur primum: & ſic miniſtrent nullum crimen habentes. [k] Mulieres ſimiliter pudicas, [l] non detrahentes, [m] ſobrias, fideles in omnibus. [n] Diacones ſint unius uxoris viri: qui filiis ſuis bene præſint & ſuis domibus. [o] Qui enim bene miniſtraverint, [p] gradum bonum ſibi acquirent: [q] & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Jeſu. [r] Hæc tibi ſcribo, fili Timothee, ſperans me venire ad te cito. Si autem tardavero, ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, [ſ] columna & firmamentum veritatis. [t] Et manifeſte magnum eſt pietatis ſacramentum, [u] quod manifeſtatum eſt in carne, [w] & juſtificatum eſt in ſpiritu, [x] apparuit Angelis, [y] prædicatum eſt gentibus. [z] creditum eſt in mundo, aſſumtum eſt in gloria.

CAPUT IV.

[a] SPiritus autem manifeſte dicit: quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, [b] attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorum [c] in hypocriſi, loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, [d] prohibentium nubere: abſtinere a cibis, quos

---

(a) *Oportet autem & illum teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt.*] Ut ſine offenſione Judæis, infidelibus, atque Græcis, præſit Eccleſiæ Dei. Omnes enim naturaliter noverunt culpare vitia, & laudare virtutes.

(b) *Ut non in opprobrium incidat, & in laqueum Diaboli.*] Ut non vituperetur miniſterium noſtrum: & per illum Diabolus multos in laqueum teneat, qui poterant fieri Chriſtiani.

(c) *Diacones ſimiliter.*] Irreprehenſibiles, ut Epiſcopi eligantur. Quæritur cur de Presbyteris nullam fecerit mentionem: ſed eos in Epiſcoporum nomine comprehenderit: quia ſecundus, imo pene unus eſt gradus: ſicut ad Philippenſes Epiſcopis ac Diaconis ſcribit, cum una civitas plures Epiſcopos habere non poſſit: & in Actibus Apoſtolorum Presbyteros Eccleſiæ iturus Hieroſolymas congregans ait, inter cætera: videte gregem, in quo vos Spiritus ſanctus Epiſcopos ordinavit.

(d) *Pudicos.*] Continentes, ſcilicet.

(e) *Non bilingues.*] Suſurro & bilinguis multos turbat pacem habentes.

(f) *Non multo vino deditos.*] Conceſſit neceſſitati parum, qui voluptati amplius denegavit.

(g) *Non turpe lucrum ſectantes.*] Turpe lucrum eſt de cœleſtibus myſteriis, terrena ſectari.

(h) *Habentes myſterium fidei in conſcientia pura.*] Myſterium eſt, quod paſſio Chriſti redemtio eſt ſalutis humanæ: ſi ergo intelligit pure, non confunditur de humilitate Chriſti. Sive ſi propter hoc ſolum prædicat myſterium fidei, propter quod debet prædicari: non ultra debitum myſterium quæſtum eſſe exiſtimet pietatem.

(i) *Et hi autem probentur primum: & ſic miniſtrent nullum crimen habentes.*] Non ſolum Epiſcopi, ſed & iſti ante ordinationem probari debent.

(k) *Mulieres ſimiliter pudicas.*] Similiter eas ut diacones eligi jubet. Unde intelligitur quod de his Dicat, quas adhuc hodie in Oriente Diaconiſſas appellant.

(l) *Non detrahentes.*] Quod illis ex vi præcipue dominantur.

(m) *Sobrias, fideles in omnibus.*] In nullo dubitantes.

(n) *Diacones ſint unius uxoris viri: qui filiis ſuis bene præſint & ſuis domibus.*] Non ut ſi non habuerint, ducant: ſed ne duas habeant. Si enim digniorem facit uxor, cur non magis & digami & trigami ordinantur?

(o) *Qui enim bene miniſtraverint.*] Oſtendit non miniſterium tantum, ſed qualitatem miniſterii præmium promereri.

(p) *Gradum bonum ſibi acquirent.*] Bonum, hic pro gradu majori poſuit: ſunt enim minores.

(q) *Et multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Jeſu.*] Apud Dominum petendi, & apud homines docendi, vel etiam arguendi.

(r) *Hæc tibi ſcribo, fili Timothee, ſperans me venire ad te cito.*] Ut auctoritatem habeas pro me omnia ordinandi, hujus Epiſtolæ ſcientia confirmatus.

(ſ) *Columna & firmamentum veritatis.*] In qua nunc ſola veritas ſtat firmata: quæ ante in lege erat poſita vel naturæ, quæ ſola ſuſtinet ædificium.

(t) *Et manifeſte magnum eſt pietatis ſacramentum.*] Quod ſcire te cupio ſacramentum incarnationis Chriſti, per quam generi humano pietas collata eſt.

(u) *Quod manifeſtatum eſt in carne.*] Quod nunc in carne ejus declaratum eſt.

(w) *Et juſtificatum eſt in ſpiritu.*] Demonſtratum eſt.

(x) *Apparuit Angelis.*] Quando dicebant: Gloria in excelſis Deo: quando illi in eremo miniſtrabant.

(y) *Prædicatum eſt gentibus.*] In gentibus, omne genus hominum comprehendit.

(z) *Creditum eſt in mundo, aſſumtum eſt in gloria.*] Videntibus Apoſtolis, adſcendit in cœlum.

IN CAPUT IV.

(a) *SPiritus autem manifeſte dicit: quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide.*] Prophetalem inducit affectum, quod antiqui dicebant: Hæc dicit Spiritus ſanctus.

(b) *Attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorum.*] Omnis hæretica doctrina, Dæmonum arte compoſita eſt.

(c) *In hypocriſi, loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam.*] In hypocriſi loquuntur, qui cum non contineant, tam caſti volunt videri, ut etiam nuptias damnent: tam abſtinentes, ut creatura Dei parce utentes judicent: cum ipſi comeſſationibus vacent. Hic vero ita caſtitatem & abſtinentiam prædicat, ut nec naturam, nec creaturas damnet. Ad illud fortiores hortatur: iſtud concedit infirmis. Illi autem hoc non amore caſtitatis & abſtinentiæ, ſed ad obumbrandum ejus juſtitiam faciebant: ſanctiores videri volentes, quàm ille qui amore caſtitatis etiam nuptias concedebat: ſcilicet ne fornicationis crimen incurrerent. Omnis enim qui nuptias damnat, non amator, ſed inimicus eſt caſtitatis: dum & continentibus laudem tollit: incontinentibus ſublato nuptiarum remedio, fornicationis facit inire diſcrimen.

(d) *Prohibentium nubere: abſtinere a cibis, quos Deus*

creavit

245

quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus, & his qui cognoverunt veritatem: Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. [a] Hæc præponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti Jeſu, [b] enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ, quam aſſecutus es. [c] Ineptas autem & aniles fabulas devita. [d] Exerce autem teipſum ad pietatem: [e] Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt. [f] Pietas autem ad omnia utilis eſt: promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ. [g] Fidelis ſermo & omni acceptione dignus. [h] In hoc enim laboramus & maledicimur: quia ſperamus in Deum vivum, [i] qui eſt ſalvator omnium hominum, maxime fidelium. [k] Præcipe hæc & doce. [l] Nemo adoleſcentiam tuam contemnat, [m] ſed exemplum eſto fidelium in [n] verbo, in converſatione, [o] in caritate, [p] in fide, [q] in caſtitate. [r] Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. [ſ] Noli negligere gratiam quæ eſt in te: [t] quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii. [u] Hæc meditare, [w] in his eſto, [x] ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. [y] Attende enim tibi & doctrinæ inſta in illis. Hoc enim faciens: & teipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt.

CAPUT V.

[z] SEniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem. [a] Juvenes ut fratres, [b] anus ut matres, [c] juvenculas ut ſorores in omni caſtitate. [d] Viduas honora, [e] quæ vere viduæ ſunt. [f] Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, diſcat primum domum ſuam regere,

creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cog. &c.] Si ad proprietatem ſermonis attendas: monſtruoſa neſcio quæ prædicatio prædicatur: quæ tam nubere, quam abſtinere prohibeat, dicentium hæc omnia quæ ſequuntur.

(a) *Hæc præponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti Jeſu.*] Libram in omnibus tenens, & omnia rationabiliter, & moderate diſpenſans.

(b) *Enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ, quam aſſecutus es.*] Quia ſacris legis litteris ab infantia eruditus fuerat. Verba propriæ fidei, ſunt traditio ſymboli. Bona vero doctrina, qua vita inſtituitur Chriſtiana.

(c) *Ineptas autem & aniles fabulas devita.*] Fidei vel religioni non aptas.

3. Reg. 17. (d) *Exerce teipſum ad pietatem.*] Pietas eſt etiam cum tua tribulatione aliis ſubvenire, ſicut Sareptana vidua fecit.

(e) *Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt.*] Sanctarum balnearum, venationum, & hujuſmodi quæ ad breve tempus in carnali proficiunt ſanitate.

(f) *Pietas autem ad omnia utilis eſt* &c.] Et ad præſens tempus, & in futurum: nam & ipſa vidua & in præſenti caſta eſt, & merces ejus manet in ea.

(g) *Fidelis ſermo, & omni acceptione* &c.] Verus apud omnium conſcientiam, & cui nemo reſiſtit.

(h) *In hoc enim laboramus* &c.] Cum certum ſit apud homines, nihil nos dignum odio perpetraſſe, quid aliud ſequitur, quam quod propter vitam diſſimilem blaſphemamur?

(i) *Qui eſt ſalvator omnium hominum, maxime fidelium.*] Omnium in præſenti, fidelium in futuro. Sive quia omnes de periculis liberat, & maxime fideles.

(k) *Præcipe hæc & doce.*] Præcipe ut fiant, doce quomodo fiant: vel quali præmio remuneranda ſint.

(l) *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat.*] Sic age ut admirationi ſis, priuſquam contemptui habearis. Hoc enim illi præcipit, quod in illius poteſtate conſtabat.

(m) *Sed exemplum eſto fidelium.*] Parum eſt infidelium eſſe formam, apud quos qui graviora crimina non habet, magnus habetur. Hoc multum eſt, ut talem ſe exhibeat, per quem etiam ſancti proficiant.

(n) *In verbo, in converſatione.*] Nihil aliud magis loquaris, quàm Domini verbum. Notandum quia fidelibus etiam verbi præbere cœpit exemplum.

(o) *In caritate.*] Ut exemplum illis dilectionis oſtendat.

(p) *In fide.*] Catholica, vel perfecta.

(q) *In caſtitate.*] Mentis & corporis: cujus inſignia etiam gravitate habitus præferuntur.

(r) *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.*] Fac, lege, exhortare ut fiant: doce, quomodo intelligantur obſcura, ut poſſint fieri quæ leguntur.

(ſ) *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te.*] Negligit gratiam, qui acceptum talentum non exercet.

(t) *Quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii.*] Prophetiæ gratiam habebat cum ordinatione epiſcopatus.

(u) *Hæc meditare.*] Omnis enim profectus ex meditatione deſcendit.

(w) *In his eſto.*] Non enim omnis qui in his eſt, meditatur.

(x) *Ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus.*] Tunc manifeſtus erit, ſi in meditatione ſis ſemper: & cum manifeſtus fueris, poterunt exemplo tuo ad meliora proficere.

(y) *Attende enim tibi & doctrinæ inſta in illis. Hoc enim* &c.] Primo tibi, deinde doctrinæ, ut ubique & actu ſalves illos doctrina pariter & exemplo.

IN CAPUT V.

(z) *SEniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem.*] Ne indigne ferens, ſe a juniore correptum, exaſperetur, & non proficiat: ſed obſecra, ut ſuo quaſi Pater exemplo inſtituat juniores.

(a) *Juvenes ut fratres.*] Quia hac via liberius commoneotur: ſimiliter & ſorores.

(b) *Anus ut matres.*] Cum omni reverentia.

(c) *Juvenculas ut ſorores in omni caſtitate.*] Et mentis & corporis.

(d) *Viduas honora.*] Neceſſaria præbendo, vel ſolatio confovendo.

(e) *Quæ vere viduæ ſunt.*] Illas veras viduas eſſe definivit, quæ univerſis curis exutæ ſunt, & ab omnibus deſolatæ.

(f) *Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, diſcat primum domum ſuam regere* &c.] Tamdiu regat domum, quamdiu docet filios parvulos aut nepotes: ut quod a parentibus pietatis accepit, filiis reddat: ita tamen ut non hac excuſatione, avaritiæ ſtudeat, ſed ſufficientiam tantum ſibi reſervet: & ne liberis ejus ipſa occaſionem det ſeculo ſerviendi.

(a) *Quæ*

re, & mutuam vicem reddere parentibus. Hoc enim acceptum eſt coram Deo. [a] Quæ autem vere vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum: & inſtet obſecrationibus & orationibus nocte ac die. [b] Nam quæ in deliciis eſt vivens, mortua eſt. [c] Et hoc præcipe, ut irreprehenſibiles ſint. [d] Si quis autem ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior. [e] Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, [f] in operibus bonis, [g] teſtimonium habens, [h] ſi filios educavit, [i] ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit, [k] ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit, [l] ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt. [m] Adoleſcentiores autem viduas devita. [n] Cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt: [o] habentes damnationem: quia primam fidem irritam fecerunt. [p] Simul autem & otioſe diſcunt circumire domos, [q] non ſolum otioſe, ſed & verboſe & curioſe loquentes quæ non oportet. [r] Volo autem juniores nubere: filios procreare: [ſ] matresfamilias eſſe: [t] nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratia. [u] Jam enim quædam converſæ ſunt retro poſt Satanam. [w] Si quis fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis ut non gravetur Eccleſia: [x] ut his quæ vere viduæ ſunt, ſufficiat. [y] Qui bene præſunt Presbyteri, [z] duplici honore digni habeantur: [a] maxime qui laborant in verbo & doctrina. [b] Dicit enim ſcriptura: Non infrænabis os bovi trituranti: & dignus eſt operarius mercede ſua. [c] Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. [d] Peccantes coram omnibus argue: [e] ut cæteri timorem habeant. [f] Teſtor coram Deo & Chriſto Jeſu & electis Angelis ejus, ut hæc cuſtodias ſine præjudicio: [g] nihil faciens in alteram partem declinando. [h] Manus cito nemini impoſueris: [i] neque communicaveris peccatis alienis. [k] Teipſum caſtum cuſtodi. [l] Noli adhue

(a) *Quæ autem vere vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum: & inſtet obſecrationibus & orationibus nocte ac die.*] Qualis erat Anna filia Phanuel. tales præcipit honorari.

(b) *Nam quæ in deliciis eſt vivens, mortua eſt.*] Quicquid modum naturæ excedit, deliciis deputatur. Hic maxime noſtri temporis viduas tangit: quæ eum hominem ſuæ naturæ, qualicumque panno non veſtiant, parietes pretioſis marmorum cruſtis exornant.

(c) *Et hoc præcipe, ut irreprehenſibiles ſint.*] Notandum irreprehenſibiles eas tam poſſe, quàm eſſe debere.

(d) *Si quis autem ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.*] Si quis viduas abjicit aut pupillos, vel maxime parentes & pauperes, deterior eſt infideli: quia & illi habent naturaliter circa proximos pietatem. Sive, ſi qua vidua filios orphanos negligat, hujus ſententiæ crimen incurrit. Simul notandum quoſdam fideles nomine, qui infidelibus converſatione pejores ſunt.

(e) *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor.*] Tales voluit eligi Diaconiſſas, quæ omnibus eſſent exemplum vivendi.

(f) *In operibus bonis.*] Si ex tempore viduitatis ſuæ iſta omnia cuſtodivit.

(g) *Teſtimonium habens.*] Sicut Tabitha.

(h) *Si filios educavit.*] Subauditur, Deo.

(i) *Si hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit.*] Si non ſolum humilitatis habet inſignia: cui non ſufficit hoſpitio ſuſcipere, ſed etiam manu propria lavare hoſpitum pedes.

(k) *Si tribulationem patientibus ſubminiſtravit.*] Hoc eſt, in carcere poſitis, vel ægrotis.

(l) *Si omne opus bonum ſubſecuta eſt.*] Breviter univerſa conclusit.

(m) *Adoleſcentiores autem viduas devita.*] Devita aliis miniſterio Diaconatus præponere, ne malum pro bono detur exemplum.

(o) *Cum enim luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt.*] Cum ſub eo tempore religionis abundantiam habuerint, quæ ſæpe ſolet generare luxuriam.

(o) *Habentes damnationem: quia primam fidem irritam fecerunt.*] Quæ ſe viduas promiſerant permanſuras. Hæc regula non ſolum in viduis, ſed in virginibus continentibus, quæ primam fidem irritam fecerunt, intelligenda eſt.

(p) *Simul autem & otioſe diſcunt circumire domos.*] Divino minime timore detentæ, nec mariti poteſtate ſubjectæ, nullaque cura domeſticæ occupationis adſcriptæ.

(q) *Non ſolum otioſe, ſed & verboſe & curioſe loquentes quæ non oportet.*] Dum voluntatis ſuæ cupiunt præbere exemplum.

(r) *Volo ergo* &c.] Volo, quia neceſſe eſt ut tales ante hoc faciant, quam illud promittant: inde ſi tranſgreſſæ fuerint, damnationem acquiruot.

(ſ) *Matresfamilias eſſe.*] Matresfamilias dici poſſunt etiam quæ duos habent, vel tres ſervos: hoc dicit ne ex hoc nomine avaritia defendatur.

(t) *Nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratia.*] Si incontinentes ſunt, vel ne per illas religio blaſphemetur.

(u) *Jam enim quædam converſæ ſunt re.* &c.] Reddit cauſas quare eas nubere velle prædixerit, ne eum putaremus optare: quia quædam promiſſum prupoſitum Deo non reddentes fuerant fornicatæ.

(w) *Si quis fidelis habet viduas, ſubmi.* &c.] In domo propria, ut parentibus.

(x) *Ut his quæ vere viduæ ſunt* &c.] Quæ ſunt omnium auxilio deſolatæ.

(y) *Qui bene præſunt presbyteri.*] Qui implent officium ſuum.

(z) *Duplici honore digni habeantur.*] Et officii & doctrinæ.

(a) *Maxime qui laborant in verbo & doctrina.*] Non dixit omnium qui habent verbum, ſed qui laborant in verbo. Cæterum omnes habentes præcipit ordinare.

(b) *Dicit enim ſcriptura: Non infrænabis os bovi trituranti* &c.] Vult illis præſtare carnalia a quibus alii ſpiritualia conſequuntur: quia occupati in doctrina, neceſſaria ſibi providere non poſſuot.

(c) *Adverſus presbyterum accuſationem noli recipere.*] Injuſtum eſt etiam adverſus laicum accuſationem recipere, cum hoc nec ſeculares faciant: quanto magis adverſus Domini ſacerdotem?

(d) *Peccantes coram omnibus argue.*] Si de illis fuerit comprobatum.

(e) *Ut cæteri timorem habeant.*] Videntes te nemini pepercisse.

(f) *Teſtor coram Deo & Chriſto Jeſu* &c.] Obteſtatur illum divina & cœleſti teſtificatione, ut nulla res præjudicet ad iſta ſervanda, nec electi Angeli, qui ſacris aſſiſtunt altaribus.

(g) *Nihil faciens in alteram* &c.] Neque in dexteram, neque in ſiniſtram.

(h) *Manus cito nemini impoſueris.*] Niſi talem inveneris qualem dixi.

(i) *Neque communicaveris* &c.] Communicare eum dicit peccatis, qui non probatus fuerit ordinatus.

(k) *Teipſum caſtum cuſtodi.*] Non alios cuſtodire præcipit, ut poſſit audenter arguere delinquentes.

(l) *Noli adhuc* &c.] Ne putaret etiam abſtinentiæ ſe formam infirmis dare debere: maxime cum audierit a magiſtro dicente: omnibus bonum eſſe non bibere vinum. Dat ergo ei conſilium ut plus doctrinæ cauſam quam abſtinentiæ curet: & ſimul Rom. 14.

adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. [a] Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad judicium: [b] quorumdam autem & ſubſequuntur. [c] Similiter & facta bona manifeſta ſunt: & quæ aliter ſe habent, abſcondi non poſſunt.

CAPUT VI.

[d] QUicumque ſunt ſub jugo ſervi, Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur: [e] ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur. [f] Qui autem fideles habent Dominos, non contemnant, quia fratres ſunt: [g] ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt & dilecti, quia beneficii participes ſunt. [h] Hæc doce & exhortare. [i] Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ, [k] ſuperbus eſt, nihil ſciens: [l] ſed languens circa quæſtiones & [m] pugnas verborum, [n] ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, [o] ſuſpiciones malæ, [p] conflictationes hominum mente corruptorum, & qui a veritate privati ſunt, [q] exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem. [r] Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia. [ſ] Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quia nec auferre quid poſſumus. [t] Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus. [u] Nam qui volunt divites fieri, [w] incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, [x] & deſideria multa & inutilia & nociva, [y] quæ mergunt homines in interitum & perditionem. [z] Radix enim omnium malorum eſt cupiditas: [a] quam quidam appetentes, erraverunt a fide & [b] inſeruerunt ſe doloribus multis. [c] Tu autem, ô homo Dei, hæc [d] fuge. [e] Sectare vero juſtitiam, pietatem, fidem, [a] carita-

mul oſtendit quas infirmitates creaturarum medicina poſſit ſanare.

(a) *Quorumdam hominum* &c.] Detecti excommunicantur: ſive plagis præſentibus damnantur.

(b) *Quorumdam autem & ſubſequuntur.*] In futuro judicio: ſive hic diu latere non poſſunt: non ergo debent facile ordinari.

Matt. 5. (c) *Similiter & facta bona manifeſta ſunt: & quæ ali.* &c.] Non enim poteſt abſcondi civitas ſupra montem poſita, ſed etiam quæ ad tempus latent, non poſſunt diutius occultari.

IN CAPUT VI.

(d) QUicumque ſunt ſub jugo ſervi, dominos ſuos omni honore *&c.] Non ſolum bonos, ſed etiam infideles.

(e) *Ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur.*] Ne videantur, per religionem, in deterius profeciſſe.

(f) *Qui autem fideles* &c.]. Ne ſibi æqualem contemnant.

(g) *Sed magis* &c.] Si ſerviebant infidelibus timore odioſo: quanto magis debent ſervire fidelibus, quorum caritatis participes eſſe merentur.

(h) *Hæc doce & exhortare.*] Doce ita debere fieri, exhortare præmium oſtendere Deum.

(i) *Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti: & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ.*] Novi Teſtamenti, Veteris enim ſevera doctrina eſt.

(k) *Superbus eſt, nihil ſciens.*] Super alios ſe extollens, cum non ſit deſurſum veniens, quam prædicat ſapientiam.

(l) *Sed languens circa quæſtiones.*] Nec enim recuſando penitus fidem, moritur, nec adverſitatis ſcientia convaleſcit, ſed diverſis occaſionibus languet.

(m) *Et pugnas verborum.*] Relicto ſenſu veritatis ambiguitates verborum obſervant: ſicut Manichæi ex verbo diverſitatem Teſtamentorum.

(n) *Ex quibus oriuntur* &c.] Quæ generant lites ac blaſphemias in Deum pugnando ſermonibus.

(o) *Suſpiciones malæ.*] Sive hæreſim de altero ſuſpicantur, ſive audientes putant efficere veritatem.

(p) *Conflictationes hominum mente corruptorum: & qui à veritate privati ſunt.*] Ab integritate Evangelii vel naturæ.

(q) *Exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem.*] Qui putant quæſtus ſui cauſa, novum veniſſe Teſtamentum.

(r) *Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia.*] Multum inquirit qui habet pietatem, cum ſufficientia non luxuriæ, ſed naturæ. Sive ſicut pietas eſt cultura Dei, ita impietas eſt contemtus.

(ſ) *Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quia nec auferre quid poſſumus.*] Nudi nati ſumus, nudi etiam morituri. Quicquid hic invenitur, hic relinquetur: non eſt noſtrum, quod non ſemper noſtrum eſt. Tamquam peregrini ergo ſufficienti uſu contenti ſimus: illas divitias acquiramus quas nobiſcum ad cœleſtem patriam ferre poſſimus.

(t) *Habentes autem alimenta & quibus tegamur: his contenti ſimus.*] Superius dixerat ſufficientiam, quicquid his amplius eſt, divitiis deputatur:

(u) *Nam qui volunt divites fieri.*] Voluntatem divitiarum definivit: quæ voluntas & habentibus eſt & quærentibus.

(w) *Incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli.*] Occaſio tentationis eſt & laqueus Diaboli, velle habere divitias.

(x) *Et deſideria multa & inutilia & nociva.*] Numquam ergo divitiarum deſideria ſatiantur.

(y) *Quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.*] Dum ambitione bonorum tumentes, ad cœlos elevari, uſque ad inferos demerguntur: ſive deſiderantes alienas opes, ut Acbab, uſque ad homicidii perveniunt factiones. 3. Reg. 21.

(z) *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.*] Quia & fons eſt, & omnium criminum augmentum. Radix exciſos ſemper denſius reparat ramos: evellenda eſt ergo radix, ne rami ſuperflue excidantur.

(a) *Quam quidam appetentes, erraverunt a fide.*] Hoc eſt, receſſerunt à fide promiſſorum Dei, dum præſentibus oblectantur.

(b) *Et inſeruerunt ſe doloribus multis.*] Quanto amplius habuerint, tanto plures ſollicitudinum ſuſtinent cruciatus: unde & Dominus divitiarum ærumnas circa reliqua concupiſcentiæ verba aſſeruit ſuffocare.

(c) *Tu autem homo Dei.*] Non divitiarum homo, ſed Dei: nec Mammonæ ſervus, ſed Chriſti, cujus ſunt omnia quæ videntur.

(d) *Hæc fuge.*] Quaſi cauſas perfidiæ, vel dolorum.

(e) *Sectare vero juſtitiam, pietatem, fidem.*] In his te cupio divitiis eſſe locupletem.

(a) *Cari-*

[a] caritatem, [b] patientiam, manſuetudinem. [c] Certa bonum certamen fidei: [d] apprehende [e] vitam æternam: in quam vocatus es, & [f] confeſſus es bonam confeſſionem [g] coram multis teſtibus. [h] Præcipio tibi coram Deo qui [i] vivificat omnia: & [k] Chriſto Jeſu qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem: [l] ut ſerves mandatum ſine [m] macula irreprehenſibile [n] uſque in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti: [o] quem ſuis temporibus oſtendet beatus & ſolus potens, rex regum, & dominus dominantium: [p] qui ſolus habet immortalitatem: & [q] lucem habitat inacceſſibilem: [r] quem nullus hominum vidit: ſed nec videre poteſt: cui eſt honor & imperium ſempiternum: Amen. [ſ] Divitibus hujus ſeculi præcipe [t] non ſublime ſapere: [u] neque ſperare in [w] incerto divitiarum, ſed in [x] Deo vivo [y] qui præſtat nobis omnia abunde ad [z] fruendum: [a] bene agere: divites fieri in operibus bonis, facile [b] tribuere, communicare, [c] theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum: [d] ut apprehendant veram vitam. O [e] Timothee, depoſitum cuſtodi, [f] devitans prophanas vocum novitates & [g] oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ: quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. [h] Gratia tecum. Amen.

S. PAU-

(a) *Caritatem.*] Dei & proximi.

(b) *Patientiam, manſuetudinem.*] Patientiam ſuſtinendi, manſuetudinem non nocendi.

(c) *Certa bonum certamen fidei.*] Bonum certamen eſt, non pro rebus ſeculi ſed uſque ad mortem pro fidei veritate certare, ſicut ſcriptum eſt: In juſtitia agonizare pro anima tua: & uſque ad mortem certa pro juſtitia: Sive, ut illi ſtudent in divitiis omnia vincere, ita & tu in fide.

(d) *Apprehende.*] Quomodo ego comprehendi.

(e) *Vitam æternam in quam vocatus es.*] Ut illi gerere cupiunt temporalem.

(f) *Et confeſſus es bonam confeſſionem.*] In baptiſmo, abrenunciando ſeculo & pompis ejus.

(g) *Coram multis teſtibus.*] Sacerdotibus vel miniſtris, virtutibusque cœleſtibus.

(h) *Præcipio tibi coram Deo.*] Præcipit auctoritate magiſtri.

(i) *Qui vivificat omnia.*] Omnia quæ vivunt etiam ſi areſiant, per ejus potentiam reviviſcunt.

(k) *In Chriſto Jeſu qui teſtimonium reddidit ſub Pon-*
Joan. 18. *tio Pilato bonam confeſſionem.*] Dicens ad Pilatum: *Ego ad hoc veni in hunc mundum ut teſtimonium perhiberem veritati*: ſcilicet, pro ea etiam moriendo.

(l) *Ut ſerves mandatum.*] Sicut ille uſque ad mortem.

(m) *Sine macula irreprehenſibile.*] Maculat quodammodo & reprehendi facit mandata, qui peccat.

(n) *Uſque in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti.*] Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

(o) *Quem ſuis temporibus oſtendet beatus & ſolus potens, rex regum & dominus dominantium.*] Quando voluerit qui hoc ſolum poteſt Deus.

(p) *Qui ſolus habet immortalitatem.*] Ille ſolus proprie habet, qui Angelis & hominibus dedit habere. Nos autem nec ſoli nec nobis habemus ut ille: Hoc contra Manichæos, qui mali naturam putant immortalem atque perpetuam.

(q) *Et lucem habitat inacceſſibilem.*] Omni creaturæ.
Matth. 11. Nemo enim novit Patrem niſi Filius: neque Filium niſi Pater: & Spiritus Sanctus utrumque, etiam ſcrutatur profunda Dei.

(r) *Quem nullus hominum vidit: ſed nec videre poteſt: cui eſt honor & imperium ſempiternum.*] Nemo novit, ſed unuſquiſque pro merito intelligit. Nam & ſolem tanto amplius vident ſinguli, quanto purior fuerit acies oculorum.

(ſ) *Divitibus hujus ſeculi præcipe.*] Sunt & alterius ſeculi divites qui emunt ſibi aurum ignitum a Deo: & qui habent aurum in cœlo, nec non qui proferunt nova & vetera.

(t) *Non ſublime ſapere.*] In primis principalem eorum tetigit morbum. Difficile divitem invenies non ſuperbum, qui pauperes vel parentes agnoſcat: & qui non graviter ferat minime ſibi ab inferiore honorem deferri.

(u) *Neque ſperare.*] Non ſperando vileſcunt, & cum ſpernuntur, erogantur.

(w) *In incerto divitiarum.*] De quibus incertum eſt utrum ille tibi, an tu illis celerius ſubtrahatis, multis enim cum vita ſublatæ ſunt. Alii propriis eas auferri oculis viderunt: nonnulli etiam inviti extraneis reliquerunt.

(x) *Sed in Deo vivo.*] Cujus ſunt omnia.

(y) *Qui præſtat nobis omnia abunde.*] Qui ideo abunde præſtat ut vivamus, etiam aliis largientes, non ut grandi labore deſtruentes majora horrea faciamus.

(z) *Ad fruendum.*] Non ad occultandum vel negociandum.

(a) *Bene agere: divites fieri in operibus bonis.*] Non in auro & argento.

(b) *Facile tribuere, communicare.*] Qui facile tribuit, cito dives eſſe ceſſabit. Tribuere donare eſt: communicare vero multum dare.

(c) *Theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futu-* Luc. 19.
rum.] Vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me: quod perfectionis eſt fundamentum.

(d) *Apprehende veram vitam.*] Hæc enim non eſt
vera vita quæ in ſuo non permanet ſtatu. Vanitas enim Eccle. 1.
ſub ſole, dicit Eccleſiaſtes.

(e) *Timothee, depoſitum cuſtodi.*] Commendatum à nobis ſervandum tibi fidei depoſitum cuſtodi.

(f) *Devitans &c.*] Quod à me non audiſti, nec ab Angelo ſi dicatur, libenter admittas.

(g) *Et oppoſitiones falſi nominis &c.*] Artis dialecticæ, per quas ſibi infinitam rerum ſcientiam hæretici promittunt, & ideo à fidei veritate cadunt.

(h) *Gratia tecum.*] Permaneat in æternum.

Commentariorum in priorem Epiſtolam ad Timotheum, finis.

COM-

S. PAULI APOSTOLI
EPISTOLA POSTERIOR
AD TIMOTHEUM.
CAPUT I.

[a] PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti, per voluntatem Dei, [b] ſecundum promiſſionem vitæ quæ eſt in Chriſto Jeſu, [c] Timotheo cariſſimo filio: [d] Gratia & miſericordia & pax à Deo Patre & Chriſto Jeſu Domino noſtro. [e] Gratias ago Deo meo: [f] cui ſervio à progenitoribus meis in conſcientia pura: [g] quod ſine intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die deſiderans te videre. [h] Memor lacrymarum tuarum ut gaudio implear: [i] recordationem accipiens ejus fidei quæ eſt in te non ficta: quæ & habitavit primum in avia tua Loide: & [k] matre tua Eunice: [l] certus ſum autem quod in te. Propter quam cauſam admoneo te: ut [m] reſuſcites gratiam Dei [n] quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. [o] Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed ſervitutis & [p] dilectionis & ſobrietatis. [q] Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri: neque me vinctum ejus, ſed [r] collabora Evangelio [ſ] ſecundum virtutem Dei: qui [t] nos liberavit & vocavit vocatione ſua ſancta: [u] non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu, [w] ante tempora ſecularia. [x] Manifeſtata eſt autem nunc per [y] illuminationem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, [z] qui deſtruxit quidem mortem: illuminavit autem vitam & incorruptionem [a] per Evangelium: in [b] quo poſitus

COMMENTARIA IN EPISTOLAM SECUNDAM AD TIMOTHEUM.

IN CAPUT I.

(a) PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti, per voluntatem Dei.] Non meis meritis: ſive à Chriſto miſſus, non ſine Dei voluntate.

(b) *Secundum promiſſionem vitæ quæ eſt in Chriſto Jeſu.*] Condignum exhibens promiſſione ſervitium.

(c) *Timotheo cariſſimo filio.*] Cariſſimo, id eſt, cæteris cariori.

(d) *Gratia & miſericordia & pax à Deo Patre & Chriſto Jeſu Domino noſtro.*] Talis eſt ſalutatio Pauli, ut in ea omnia Patris & Chriſti beneficia memorentur.

(e) *Gratias ago Deo meo.*] Deo qui nos talem in alterutrum docuit caritatem.

(f) *Cui ſervio à progenitoribus in conſcientia pura.*] Omnis origo mea coluit unum Chriſtum: non malivolentia, ſed legis æmulatione vaſtabam.

(g) *Quod ſine intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die deſiderans te videre.*] Et caritatem oſtendit, & jugiter orandi præbet exemplum.

(h) *Memor lacrymarum tuarum, ut gaudio implear.*] Quas pro me abunde profudiſti, ut & me ad triſtitiam provocares: quas tua adopto præſentia relevari.

Jaco. 2. (i) *Recordationem accipiens ejus fidei quæ eſt in te non ficta: quæ habitavit primum in avia tua Loide.*] Quæ vere te eſſe in operibus comprobat: ſicut Jacobus definivit, & quæ ad te ex aviæ ſucceſſionis inſtitutione, quaſi hæreditario jure deſcendit.

(k) *Et matre tua Eunice.*] Quia prior credidit.

(l) *Certus ſum autem quod in te. Propter quam cauſam admoneo te.*] Quia comprobavi fidem tuam, commoneri indiges, non doceri.

(m) *Ut reſuſcites gratiam Dei.*] Quaſi tribulationibus dormitantem.

(n) *Quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.*] Ad Epiſcopatum ſcilicet.

(o) *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis.*] Contemnendi pœnas. Illi meritò humana ſupplicia videntur formidare qui peccant: ut alibi dicit: Si autem malefeceris, time. Roma. 13.

(p) *Et dilectionis & ſobrietatis.*] Sive pro Domino, ſive pro alterutro. Libenter etiam moriamur, ut omnia ſobria mente faciamus.

(q) *Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri: neque me vinctum ejus.*] Quia nihil confuſione dignum Chriſtus exercuit: ſed nec ego quem noſti, ob aliquod crimen, ſed propter Deum hæc omnia quæ patior ſuſtineo.

[r] *Sed collabora Evangelio.*] Tua converſatione ſive doctrina.

(ſ) *Secundum virtutem Dei.*] Quæ ſua cauſa adjuvat laborantes.

(t) *Qui nos liberavit & vocavit vocatione ſancta.*] Scilicet à peccatis.

(u) *Non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu.*] Quo propoſuit nos gratis ſalvare per Chriſtum.

(w) *Ante tempora ſecularia.*] Quantum ad præſcientiam Dei, ante ſecula jam donavit. Nam homines ſolent filiis parare prædia, priuſquam naſcantur.

(x) *Manifeſtata eſt autem nunc.*] Quæ ante latebat.

(y) *Per illuminationem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.*] Verbis, ſcilicet, & exemplis.

(z) *Qui deſtruxit quidem mortem: illuminavit autem vitam & incorruptionem.*] Doctrina ſua & converſatione deſtruxit peccata, quæ mortem hominis generabant, & oſtendit quomodo vita & incorruptio quæratur.

(a) *Per Evangelium.*] Volentes docuit, non coëgit invitos.

(b) *In quo poſitus ſum ego prædicator & Apoſtolus & magiſter gentium.*] Ad comparationem aliorum poſſunt dici magiſtri. Ad comparationem nemo magiſter verus.

(a) *Ob*

poſitus ſum ego prædicator & Apoſtolus & magiſter gentium. Ob [a] quam cauſam etiam hæc patior: ſed [b] non confundor. [c] Scio enim cui credidi & certus ſum, quia potens eſt [d] depoſitum meum ſervare in illum diem. Formam [e] ſanorum habet verborum, quæ à me audiſti in fide & in dilectione in Chriſto Jeſu. [f] Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis. Scis [g] enim hoc quod averſi ſunt à me omnes, qui in Aſia ſunt: ex quibus eſt Phygelus & Hermogenes. [h] Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui: quia ſæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit: ſed [i] cum Romam veniſſet, ſollicite me quæſivit & invenit. Det illi Dominus invenire miſericordiam à Domino in illa die. Et quanta Epheſi miniſtravit mihi, tu melius noſti.

C A P U T II.

[k] TU ergo, fili mi, confortare in gratia quæ eſt in Chriſto Jeſu: & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc [l] commenda fidelibus hominibus, [m] qui idonei erunt & alios docere. [n] Labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu. [o] Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus, ut ei placeat cui ſe probavit. [p] Nam & qui certat in agone, non coronabitur niſi legitime certaverit. [q] Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere. [r] Intellige quæ dico. Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. [ſ] Memor eſto Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, ex ſemine David ſecundum [t] Evangelium meum, in [u] quo laboro uſque ad vincula quaſi male operans: ſed [w] verbum Dei non eſt alligatum. [x] Ideo omnia ſuſtineo propter electos: [y] ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Jeſu cum gloria cœleſti. [z] Fidelis ſermo: nam ſi commortui ſumus, & convive-

(a) *Ob quam cauſam hæc patior.*] Non ob aliquod crimen, ſicuti nos pati Petrus hortatur dicens: *Nemo veſtrum patiatur quaſi homicida, ſi autem ut Chriſtianus, non erubeſcat.* 1 Pet. 4.

(b) *Sed non confundor.*] Hic non erubeſcit in catenis, cum nos in ſolis opprobriis confundimur.

(c) *Scio enim cui credidi & certus ſum, quia potens eſt.*] Scio enim eum fidelem & potentem.

(d) *Depoſitum meum ſervare in illum diem.*] Apud me ipſe quod depoſuit, conſervabit: ſive quod ego apud illum commendo, reſtituet in futuro.

(e) *Formam habe ſanorum verborum quæ à me audiſti in Chriſto Jeſu.*] Secundum meam formam vide & doce, quam à me breviter accepiſti, quomodo integre credere & alterutrum diligere debeamus.

(f) *Bonum depoſitum meum cuſtodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in vobis.*] Quod apud te per Spiritum Sanctum commendavi: adjutorio ejus depoſitum cuſtodi.

(g) *Scis enim hoc quod averſi ſunt à me omnes qui in Aſia ſunt: ex quibus eſt Phygelus & Hermogenes.*] Idcirco te commoneo, quia quos non putabam me dereliquerunt.

(h) *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui: quia ſæpe me refrigeravit: & catenam meam non erubuit.*] Vituperat deſertores, & laudat permanentes: ut deterreat ab imitatione mala, & ad exemplum provocet bonum.

(i) *Sed cum Romam veniſſet, ſollicite me quæſivit & invenit* &c.] Idcirco invenit, quia ſollicite quæſivit: unde & oſtenditur, quia idcirco non omnes quærentes inveniunt: quia negligentes inquirunt.

IN CAPUT II.

(k) *TU ergo, fili mi, confortare in gratia quæ eſt in Chriſto Jeſu* &c.] Sive præſentibus multis, tibi dedi mandata qualiter docere debeas: ſive quæ dixi multis Prophetarum exemplis & teſtimoniis confirmavi.

(l) *Hæc commenda fidelibus hominibus.*] Qui fideliter poſſint gratiam Dei diſpenſare: hoc eſt, ſolius Dei cauſa prædicare.

(m) *Qui idonei erunt & alios docere.*] Non ſolum ipſi facere, ſed & alios erudire.

(n) *Labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu.*] Ideo milites dicimur, quia hoſtes habemus, contra quos laborioſe debemus dimicare.

(o) *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus, ut ei placeat cui ſe probavit.*] Comparatione militantium utitur: ut oſtendat multo magis nos à negotiis ſecularibus liberos eſſe debere, ut Chriſto placeamus: cum etiam ſeculi milites à reliquis actibus vacent, ut poſſint imperatori ſuo placere perfecte.

(p) *Nam & qui certat in agone, non coronabitur niſi legitime certaverit.*] Alia comparatione idipſum dicit. Multi enim certant, ſed ille ſolus qui tota virtute vicerit, coronatur.

(q) *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere.*] Ne diceret: unde ergo victurus ſum, ſi me totum occupavero in doctrina: oſtendit eum primitias fructuum à populo debere accipere, præter mercedem quam à Domino accipiet in futuro.

(r) *Intellige quæ dico. Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.*] Eorum quæ propter quærentes occaſionem, comparationis velamine fuerant obumbrata.

(ſ) *Memor eſto Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, ex ſemine David.*] Hoc contra illos qui carnis reſurrectionem negant, conſequenter etiam Chriſti negabant: ſed & adverſus illos qui negant Chriſtum in carne veniſſe, quos Joannes Antichriſtos appellat.

(t) *Secundum Evangelium meum.*] Secundum quod me prædicare non neſcitis.

(u) *In quo laboro uſque ad vincula quaſi male operans.*] Non tamen male.

(w) *Sed verbum Dei non eſt alligatum.*] Quia & præſentes fiducialiter doceo, & litteris abſentes confirmare non ceſſo.

(x) *Ideo omnia ſuſtineo propter electos.*] Ideo tribuni auxilium petivi ac poſtea Cæſarem appellavi, ut per me confirmentur, cum has paſſiones potuerim moriendo finire.

(y) *Ut & ipſi ſalutem conſequantur quæ eſt in Chriſto Jeſu cum gloria cœleſti.*] Quæ ſalus in Chriſto, eſt non nuda, ſed gloria veſtita: nec terrena gloria, ſed cœleſtis.

(z) *Fidelis ſermo: nam ſi commortui ſumus, & convivemus.*] Veritatis ratione ſubnixus. Si enim à vitiis & voluptatibus ſumus commortui Chriſto, vivemus cum illo. Alioquin quomodo ſperare poterimus hoc?

vivemus: ſi [a] ſuſtinemus, & conregnabimus: ſi [b] negaverimus, & ille negabit nos: ſi non credimus, ille fidelis permanet: negare ſeipſum non poteſt. Hæc [c] commone, teſtificans coram Deo. [d] Noli contendere verbis, ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium. [e] Sollicite autem cura teipſum probabilem exhibere Deo: [f] operarium inconfuſibilem, [g] recte tractantem verbum veritatis. [h] Prophana autem & vaniloquia devita. Multum enim proficiunt ad impietatem: [i] ſermo eorum ut cancer ſerpit. Ex [k] quibus eſt Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt, [l] dicentes reſurrectionem jam factam: & ſubverterunt quorumdam fidem. Sed [m] firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc. [n] Cognovit Dominus qui ſunt ejus: & diſcedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini. In [o] magna autem domo, non [p] ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & [q] lignea & fictilia: & [r] quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo ſe emundaverit ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum: & utile Domino ad omne opus bonum paratum. [ſ] Juvenilia autem deſideria fuge: ſectare [t] vero juſtitiam, fidem, ſpem, caritatem, & [u] pacem [w] cum his qui invocant Dominum de corde puro. [x] Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones devita: ſciens quia generant lites. [y] Servum autem Domini non oportet litigare, ſed [z] manſuetum eſſe ad omnes, [a] docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati, [b] nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem: & reſipiſcant à diaboli laqueis: à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.

C A-

(a) *Si ſuſtinemus & conregnabimus.*] Si ſuſtinuerimus, cum neceſſe fuerit, quod ille ſuſtinuit, tunc demum regnare poterimus ſimul.

(b) *Si negaverimus, & ille negabit nos ſi non credimus, ille fidelis permanet: negare ſeipſum non poteſt.*] Sive non credamus, ſive credamus, non aliud poteſt exhibere ſingulis quam promiſit. Quia veritas contra ſe non faciet, ne ſe negare videatur.

(c) *Hæc commone teſtificans coram Deo.*] Sub teſtificatione Dei conſtringe.

(d) *Noli contendere verbis.*] Sine teſtimoniis ſcripturarum hujuſmodi etiam contentio non ædificat, ſed deſtruit audientes: putant enim omnia acumine & ſubtilitate ſubſiſtere: Sive, noli verbis vincere, ſed factis.

(e) *Sollicite autem cura teipſum probabilem exhibere Deo.*] Ante omnia hoc labora, ut talem te apud Deum exhibeas, quò merito poſſit tibi populus obaudire.

(f) *Operarium inconfuſibilem.*] Ita vive ne dicta factis deficientibus erubeſcant.

(g) *Recte tractantem verbum veritatis.*] Ille recte tractat, qui exemplis ſua dicta confirmat. Ornamentum enim vitæ, doctrina: firmamentum verbi, opus.

(h) *Prophana autem & vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem.*] Irreligioſas hæreticorum fabulas qui negant reſurrectionem, per quas utique judicis timore ſublato, ad omnem impietatem & ad cuncta crimina pervenitur.

(i) *Et ſermo eorum ut cancer ſerpit.*] Cancer dicitur vulnus, quod in mammillis naſcitur fœminarum: cui niſi cito ſubventum fuerit, cum virus ad cor ſerpendo pervenerit, nullum remedium eſt. Ita & hæreticorum ſunt vitanda colloquia: ne per aures irremediabiliter vulnerent mentes.

(k) *Ex quibus eſt Hymenæus & Philetus qui à veritate exciderunt.*] Nomina ſignat, ut noverit quos debeat præcavere.

(l) *Dicentes reſurrectionem jam factam & ſubvertunt quorumdam fidem.*] In filiis, ſive oſſa vivificata in Ezechiele Iſraelis interpretabantur de captivitate collecta, quaſi reſurrexiſſe.

(m) *Sed firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc.*] In quorum corde fides Chriſti erat fundata, non ſunt ſeducti vel moti: & hoc quia Dei eſſent habentes judicium, ſicut Moyſi tempore fuit in quo Dathan & Abiron ſubverſi ſunt, non ſimul cum impiis perierunt, Deo illos eſſe optimos cognoſcente: ut in Numerorum ſcriptum eſt libro. *Num. 16.*

(n) *Cognovit Dominus qui ſunt ejus: & diſcedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini.*] Ut Sion ſimul pereat cum iniquis.

(o) *In magna autem domo.*] Magnam domum, non Eccleſiam dicit, ut quidam putant, quæ non habet maculam neque rugam, ſed mundum. Unde ait Hieremias: *O Iſrael quam magna eſt domus Domini* &c. *Baruch 3.* In qua ſunt zizania mixta cum tritico: nam reſurrectionem negantes, in Eccleſia eſſe non poſſunt.

(p) *Non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea.*] Pretioſa & fortia.

q *Sed & lignea & fictilia.*] Infirma.

(r) *Et quædam quidem in honorem: quædam autem in contumeliam: ſi quis ergo ſe emundaverit ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum: & utile Domino ad omne opus bonum paratum.*] Si quis ſe à doctoribus hæreticis mundaverit, & crediderit in reſurrectionem futuram, judicium Dei per omne opus bonum implere ſtudet.

(ſ) *Juvenilia autem deſideria fuge.*] Quia hi ex ſenioribus eſſe non poſſunt, ſi hæc agant quæ gravitati non conveniunt Chriſtianæ, & à juvenibus vincuntur ſi habeant levitatem.

(t) *Sectare vero juſtitiam, fidem, ſpem, caritatem.*] Hic fidem integritatem dicit.

(u) *Et pacem.*] Illam pacem, quæ religioni debetur.

(w) *Cum his qui invocant Dominum de corde puro.*] Beati mundo corde: de quibus dicitur: quid me vocatis Deum, & non facitis quæ dico?

(x) *Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones devita: ſciens quia generant lites.*] Stultæ omnes & ſine diſciplina legis ſunt quæſtiones.

(y) *Servum autem Domini non oportet litigare.*] Servus eſt Chriſti, qui non clamavit, neque contendit, neque audivit quiſquam vocem ejus, ſecundum quod Doeg Propheta prædixit.

(z) *Sed manſuetum eſſe ad omnes.*] Non ſolum ad amicos.

(a) *Docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati.*] Omnes ſemper docere patienter, non in furore, ſed cum modeſtia.

(b) *Ne quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem: & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.*] Non de Dei bonitate dubitat, ſed de accipientium pravitate. Det illis Deus perpetuam, mitem, blandamque correptionem, ut accepta ratione reſipiſcant. Simul & contra Novatianos pœnitentiæ negatores, qui hæreticos converſos veniam non poſſe conſequi perhibent.

IN CA-

C A P U T III.

[a] HOc autem ſcito, quia in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: & [b] erunt homines ſeipſos amantes: [c] cupidi, elati, [d] ſuperbi, blaſphemi, [e] parentibus non obedientes: ingrati, ſceleſti: ſine affectione: ſine [f] pace, criminatores, [g] incontinentes, immites: ſine benignitate, [h] proditores: [i] protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei. [k] Habentes ſpeciem quidem pietatis: [l] virtutem autem ejus abnegantes. Et [m] hos devita. Ex his [n] enim ſunt qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, [o] quæ ducuntur variis deſideriis, ſemper [p] diſcentes & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes. [q] Quemadmodum autem Jamnes & Jambres reſtiterunt Moyſi: ita & hi reſiſtunt veritati: [r] homines corrupti mente: reprobi circa fidem: ſed [ſ] ultra non proficient. Inſipientia [t] enim eorum manifeſta erit omnibus: ſicut & illorum fuit. [u] Tu autem aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, [w] perſecutiones, paſſiones: qualia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconii, Lyſtris: quales perſecutiones ſuſtinui: & [x] ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes [y] qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur. [z] Mali autem homines & ſeductores proficient in pejus, errantes & in errorem mittentes. [a] Tu vero permane in his quæ didiciſti, [b] & credita ſunt tibi, [c] ſciens à quo didiceris. Et quia ab infantia ſacras litteras noſti, [d] quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu. Omnis [e] enim ſcriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

C A-

IN CAPUT III.

(a) *HOc autem ſcito, quia in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa.*] Non ſit tibi mirum quod quotidie pejora veniunt.

(b) *Et erunt homines ſeipſos amantes.*] Non Dei gloriam, ſed ſua quærentes.

(c) *Cupidi, elati.*] Avari & in avaritia jactabundi.

(d) *Superbi, blaſphemi.*] Cum nolint diſcere, doctrinam uſurpant.

(e) *Parentibus non obedientes: ingrati, ſceleſti, ſine affectione.*] Veteribus, ſcilicet, doctoribus, qui eos per Evangelium genuerunt.

(f) *In pace, criminatores.*] Pacis ſanctorum.

(g) *Incontinentes, immites, ſine benignitate.*] In omnibus vitiis.

(h) *Proditores.*] Invicem occupantes.

(i) *Protervi, tumidi &c.*] Sollicitudo indicium eſt abundantiores amatoris, qui enim ſeculi voluptates, quam Domini præcepta, libentius audit aut loquitur, talis eſt.

(k) *Habentes ſpeciem quidem pieta.*] In habitu vel doctrina.

(l) *Virtutem autem ejus abnegantes.*] Ipſam rem operibus abnegantes.

(m) *Et hos devita.*] Ne corrumpant mores bonos, colloquia prava.

(n) *Ex his enim ſunt qui penetrant &c.*] Illas capiunt quæ ſunt oneratæ peccatis, impunitatem illis ac veniam promittentes. ſive infirmas mentes quæ fœminis comparantur.

(o) *Quæ ducuntur variis deſideriis.*] Nova ſemper diſcere cupientes.

(p) *Semper diſcentes & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.*] Quia nihil definitum tenent: quiſque traditiones vult tenere diverſas, non probatas. Ab uno enim dicta ab alio deſtruuntur.

(q) *Quemadmodum Jamnes & Jambres reſtiterunt Moyſi: ita & hi reſiſtunt veritati.*] Sicut illi per magicæ artis præſtigias: ita & iſti per argumentorum fallaciam. Si mulque oſtendit Moyſi veritatis fuiſſe doctorem, adverſus obtrectatores veteris Teſtamenti.

(r) *Homines corrupti &c.*] Tam moribus corrupti quam circa fidem reprobi.

(ſ) *Sed ultra &c.*] De omnibus hæreticis dicit, ſed de his quos tunc cito noverat in ſpiritu deſtruendos. Cæterum ipſe inferius quoſdam in pejus profeciſſe prædixit.

t) *Inſipientia enim eorum manifeſta &c.*] Confeſſi, ſed digito ſuperato.

(u) *Tu autem aſſecutus es meam doctri. &c.*] Plus tibi crede de me, quàm illis: ſive idcirco tibi non timeo, quia ſcio te doctrinam & virtutem meam optime cognoviſſe.

(w) *Perſecutiones, paſſiones &c.*] Ex his potuiſti cognoſcere, me nihil propter homines facere qui tanta ſum paſſus.

(x) *Et ex omnibus eripuit me Dominus.*] Ita & te de omnibus eripiet, ſi ſequaris.

(y) *Et omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.*] Non ſolum ego, ſed & omnes qui non occidunt animas in adulando. Timendum ergo nobis eſt, ne non pie vivamus, qui nihil patimur propter Deum.

(z) *Mali autem homines & ſeductores proficient in pejus, errantes & in errorem mittentes.*] Hoc de adulatoribus dicit, qui dum à ſtultis hominibus diliguntur, magis decepti decipiunt: ſive de hæreticis accipiendum.

(a) *Tu vero permane in his quæ didiciſti.*] Nolo iſti te terreant, vel ſeducant.

(b) *Et credita ſunt tibi.*] A Deo per nos.

(c) *Sciens à quo didiceris: & qui ab infantia ſacras literas noſtri.*] Sive à vero Apoſtolo, ſive per legem à Deo.

(d) *Quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem &c.*] Sine fide enim Chriſti, jam non ſufficiunt ad ſalutem.

(e) *Omnis enim ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum &c.*] Ideo data eſt legis inſtructio, ut ejus conſilio cuncta facientes, juſte juſta faciamus.

CAPUT. IV.

[a] TEſtificor coram Deo & Chriſto Jeſu, qui judicaturus eſt vivos & mortuos: & per adventum ipſius & regnum ejus: prædica [b] verbum: inſta opportune, importune: [c] argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. Erit [d] enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed [e] ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros [f] prurientes auribus: & à [g] veritate quidem auditum avertent: ad fabulas autem convertentur. [h] Tu vero vigila: in omnibus labora: [i] opus fac Evangeliſtæ, [k] miniſterium tuum imple: ſobrius eſto. Ego [l] enim jam delibor: & tempus reſolutionis meæ inſtat. [m] Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, [n] fidem ſervavi. In [o] reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ: quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex. [p] Non ſolum autem mihi, ſed & his [q] qui diligunt adventum ejus. [r] Feſtina ad me venire cito. Demas enim me dereliquit diligens hoc ſeculum, & abiit Theſſalonicam: [ſ] Creſcens in Galatiam: Titus in Dalmatiam: Lucas eſt mecum ſolus. [t] Marcum aſſume & adduc tecum: eſt enim mihi utilis in miniſterio. Tychicum autem miſi Epheſum. [u] Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum & libros, maxime autem & membranas. [w] Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit: reddet illi Dominus ſecundum opera ejus: [x] quem & tu devita. [y] Valde enim reſtitit verbis noſtris. In prima [z] mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. [a] Dominus autem mihi adſtitit & confortavit me: [b] ut per me prædicatio impleatur: & audiant omnes gentes: & [c] liberatus ſuum de ore leonis. [d] Liberavit me Dominus ab omni opere malo: & [e] ſalvum faciet in regnum ſuum cæleſte: [f] cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen. Saluta Priſcum & Aquilam & Oneſiphori domum. Eraſtus remanſit Corinthi. [g] Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Feſtina ante hyemem

IN CAPUT IV.

(a) *TEſtificor coram Deo & Chriſto Jeſu qui judicaturus eſt vivos & mortuos* &c.] Conteſtatur illum per univerſa quæ credit religio Chriſtiana, ut verbum Dei inſtanter adnunciet. Qui judicaturus eſt vivos & mortuos. Quia vivos inveniet, mortuos ſuſcitabit.

(b) *Prædica verbum: inſta opportune, importune.*] Opportunum eſt libenter audire. Importunum eſt invito prædicare.

(c) *Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.*] Argue peccantes, conteſtare ne peccent. Increpa reſiſtentes: ſed hæc omnia cum patientia & ſecundum doctrinam.

(d) *Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt.*] Veram & perfectam: ſicut Iſrael audire noluit Prophetas.

(e) *Sed ad ſua deſideria coacerva.* &c.] Tales magiſtros inquirent, qui ea dicunt quæ ipſi audire deſiderant, ut ſecuri delinquant.

(f) *Prurientes auribus.*] Qui delectare deſiderant, non compungere.

(g) *Et à veritate quidem auditum avertent: ad fabulas autem convertentur.*] A veritate legis quæ vitia damnat, ad rationes humanas, quæ Deum ut pium non judicaturum eſſe concinnant.

(h) *Tu vero vigila: in omnibus labora.*] Quæ ad utilitatem pertinent audientium.

(i) *Opus fac Evangeliſtæ.*] Verbum tuum, operibus conformetur.

(k) *Miniſterium imple,*&c.] Epiſcopatus, ſcilicet. Non enim ſemper ero in corpore, ut valeam commonere.

(l) *Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.*] Mortem ſuam, ſacrificium Deo futurum dixit, ut eum ad martyrium provocet.

(m) *Bonum certamen certavi* &c.] Modo jam confidenter hoc dicit, in extremo vitæ limite conſtitutus: comparatione autem utitur in agone certantium.

(o) *Fidem ſervavi.*] Fidem ſuſcepti officii in finem uſque ſervavi.

(n) *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa juſtus judex.*] Qui novit me uſque ad mortem pro juſtitia dimicaſſe.

(p) *Non ſolum autem mihi.*] Quia non perſonis debetur meritum, ſed labori.

(q) *Sed & his qui diligunt adventum ejus.*] Qui gaudent adveniſſe Chriſtum & juſtitiam docuiſſe. Sive qui ſic agunt ut adventum Domini libenter exſpectent.

(r) *Feſtina ad me venire cito. Demas me dereliquit, diligens hoc ſeculum & abiit* &c.] Neceſſe erat ut diligens ſeculum, non amantem ſeculum relinqueret. Omne enim animal ad ſibi ſimile conjungitur.

(ſ) *Creſcens in Galatiam: Titus in Dalmatiam: Lucas eſt mecum ſolus.*] Iſti miſſi ſunt, non deſeruerunt.

(t) *Marcum aſſume & adduc tecum: eſt enim mihi utilis in miniſterio. Tychicum autem miſi Epheſum.*] Verbi Dei, vel cujuſlibet neceſſitatis.

(u) *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum & libros: maxime autem & membranas.*] Non dixit penulam meam: potuit enim converſus aliquis ad pedes ejus, inter cætera, impoſuiſſe vendendam.

(w) *Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit: reddat illi Dominus ſecundum opera ejus.*] Quoniam verbis Dei reſtitit, cum habebant rationem.

(x) *Quem & tu devita.*] Monet caveri latrantes.

(y) *Valde enim reſtitit verbis noſtris.*] Si noſtris reſtitit, quanto magis tuis?

(z) *In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereli.* &c.] Quando primum cœpi Evangelium defendere.

(a) *Dominus mihi adſtitit & confortavit me.*] Cum dicit ſibi Dominum in omnibus adfuiſſe, ne timeat cohortatur.

(b) *Ut per me prædicatio impleatur & audiant omnes gentes.*] Non quod ego mori timerem.

(c) *Et liberatus ſum de ore leonis.*] Perſecutoris.

(d) *Liberavit me Dominus ab omni opere malo.*] Ab inſidiantium malignitate.

(e) *Et ſalvum faciet in regnum ſuum cæleſte.*] Quomodo hic liberat, ita in regnum ducit.

(f) *Cui gloria in ſecula ſeculorum.*] Ob hæc omnia.

(g) *Trophimum autem reliqui infirmum Mileti* &c.] Hic

mem venire. Salutant te Eubulus & Pudens & Linus & Claudia & fratres omnes. [a] Dominus Jeſus Chriſtus cum ſpiritu tuo. Gratia vobiſcum. Amen.

Hic probatur quia non propter ſanitatem carnalem tantum Apoſtoli curabant, ſed ut etiam ſigna monſtrarent, quia hic ſuum diſcipulum non curavit.

(a) *Dominus Jeſus Chriſtus cum ſpiritu tuo.*] Quia carne mortuus, ſpiritualiter vivis.

Commentariorum in II. Epiſtolam ad Timotheum finis.

S. PAULI APOSTOLI EPISTOLA AD TITUM.

CAPUT I.

[a] PAulus ſervus Dei, [b] Apoſtolus autem Jeſu Chriſti, [c] ſecundum fidem electorum Dei: & agnitionem veritatis: quæ ſecundum pietatem eſt in ſpem vitæ æternæ: [d] quam promiſit qui non mentitur Deus, [e] ante tempora ſecularia: [f] manifeſtavit autem temporibus ſuis verbum ſuum in [g] prædicatione: quæ credita eſt mihi, ſecundum præceptum ſalvatoris noſtri Dei: [h] Tito dilecto filio, ſecundum communem fidem: Gratia & pax a Deo Patre & Chriſto Jeſu ſalvatore noſtro. [i] Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas: & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. [k] Si quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir, [l] filios habens fideles non in accuſatione luxuriæ: aut non ſubditos. [m] Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, [n] ſicut Dei diſpenſatorem: [o] non ſuperbum: non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum: [p] ſed hoſpitalem, [q] benignum, [r] ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem, [ſ] amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem: [t] ut potens ſit exhortari in doctrina ſana: & eos qui contradicunt arguere. [u] Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui & ſeductores: [w] maxime autem qui de circumciſione ſunt: [x] quos oportet redargui, qui univerſas domos ſubvertunt docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.

PELAGII COMMENTARII IN EPISTOLAM AD TITUM.

IN CAPUT. I.

(a) P*Aulus ſervus Dei.*] Non peccati.

(b) *Apoſtolus Jeſu Chriſti.*] Non omnis ſervus Apoſtolus. Ideo autem Chriſti: quia ab ipſo miſſus fuerat prædicare.

(c) *Secundum fidem electorum Dei & agnitionem veritatis* &c.] Secundum eam fidem, qua credentes electi ſunt, cum cognoſcerent veritatem: quæ agnitio non ex merito eſt, ſed ex dominica veritate.

(d) *Quam promiſit qui non mentitur Deus.*] Si non mentitur, non exhibet aliud quam quod promiſit, juſtis ſcilicet & injuſtis: quamvis hominibus durum eſſe videatur.

(e) *Ante tempora ſecularia.*] Ante omnia tempora, apud ſe propoſuit per Filium ſalvare credentes.

(f) *Manifeſtavit autem temporibus ſuis verbum ſuum.*] Tunc manifeſtavit conſilium ſuum, quando præſcierat factum eſſe omnem, ſcilicet, mundum à juſtitia diverſum.

(g) *Prædicatione quæ credita eſt mihi ſecundum præceptum ſalvatoris noſtri Dei.*] Quo Paulum & Barnabam ſegregare præcepit ut gentibus prædicarent.

(h) *Tito dilecto filio ſecundum communem fidem, gratia & pax a Deo Patre & Chriſto Jeſu ſalvatore noſtro.*] Secundum fidem filius, non natura.

(i) *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ: ut ea quæ deſunt corrigas & conſtituas per civitates Presbyteros ſicut & ego diſpoſui tibi.*] Quæ deſunt, recto tenore corrige, & tunc demum Presbyteros poteris ordinare, cum omnes in Eccleſia fuerint recti.

(k) *Si quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir.*] Notandum quod in ſacerdote etiam aliis licita prohibentur.

(l) *Filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ: aut non ſubditos.*] Ne non poſſit audenter corripere delinquentes: ſive ut experimentum ejus doctrinæ, de domus ſuæ diſciplina noſcatur.

(m) *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem.*] Ipſum dicit Epiſcopum, quem ſuperius Presbyterum nominavit.

(n) *Sicut Dei diſpenſatorem.*] Si ergo humanarum legum diſpenſatores Presbyteri quæruntur, & juſti, quales eſſe debent qui divina jura diſpenſant?

(o) *Non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum.*] Non debet diſcipulus Chriſti percutere: qui percuſſus eſt, & non repercuſſit. Non turpe lucrum adulando ſectari, terrenum ſcilicet, qui cœleſtia & divina promittit.

(p) *Sed hoſpitalem.*] Primo vitia damnavit, ut virtutes inſereret, ſecundum conſuetudinem ſcripturarum.

(q) *Benignum.*] Ut hoſpites non cum triſtitia, ſed cum benivolentia ſuſcipiat.

(r) *Sobrium, juſtum, ſanctum, continentem.*] Incontinentiam vel continentiam numquam nominat Apoſtolus, niſi in cauſa luxuriæ: juſtum judicio, continentia ſanctum: ne quia unius uxoris fecerat mentionem, locum incontinentiæ dediſſe putaretur.

(ſ) *Amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem.*] Diligentem doctrinam & ſemper inde loquentem, non fabulas ſeculares & vanas.

(t) *Ut potens ſit exhortari* &c.] Talis eligendus eſt, qui exhortari poſſit, & contradicentes arguere in doctrina ſana, quæ ſanat audientes, ſive quæ nulla falſitate corrupta eſt.

(u) *Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui & ſeductores.*]. Apoſtolicæ doctrinæ non obtemperantes, & ad nullum profectum loquentes.

(w) *Maxime autem qui de circumciſione ſunt.*] Qui humanas potius traditiones obſervant, quam divina mandata.

(x) *Quos oportet redargui, qui univerſas domos ſubvertunt* &c.] Quæ jam ſuperflua temporibus Chriſti: cærimonias autem Judæorum ab eis doceri dicit.

(a) *Dixit*

gratia. [a] Dixit quidam ex illis proprius ipſorum Propheta: [b] Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ: [c] ventres pigri. [d] Teſtimonium hoc verum eſt. Quam ob cauſam, increpa illos dure, ut ſani ſint in fide: non intendentes Judaicis ſabulis & mandatis hominum [e] averſantium ſe a veritate. [f] Omnia munda mundis: [g] coinquinatis autem & infidelibus nihil [h] eſt mundum: [i] ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia. [k] Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant: [l] cum ſint abominati & incredibiles: & ad omne opus bonum reprobi.

C A P U T II.

[m] TU autem loquere quæ decent ſanam doctrinam. [n] Senes: ut ſobrii ſint, pudici, prudentes: ſani in fide: in dilectione: in patientia. [o] Anus ſimiliter in [p] habitu ſancto: non criminatrices, [q] non multo vino ſervientes: [r] bene docentes, ut prudentiam doceant. [ſ] Adoleſcentulas, ut viros ſuos ament, filios ſuos diligant, prudentes, caſtas, ſobrias, [t] domus curam habentes: [u] benignas, ſubditas viris ſuis: ut non blaſphemetur verbum Dei. [w] Juvenes ſimiliter hortare ut ſobrii ſint? [x] In omnibus [y] teipſum præbe exemplum bonorum operum: [z] in doctrina, in integritate, in gravitate. [a] Verbum ſanum, irreprehenſibile, [b] ut is qui ex adverſo eſt vereatur: nihil habens malum dicere de vobis. [c] Servos dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, [d] non contradicentes, [e] non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes, [f] ut doctrinam ſalvatoris noſtri Dei ornent in omnibus. [g] Apparuit enim gratia Dei & ſalvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens

(a) *Dixit quidam ex illis proprius ipſorum Propheta.*] * Callimachus, ſcilicet. Vide quales ſunt, qui etiam a ſuis tale teſtimonium promerentur.

(b) *Cretenſes ſemper mendaces.*] A mantes mentiri, noxii oratores, pariter otioſi.

(c) *Malæ beſtiæ: ventres pigri.*] Ideo ferias & otia libenter admittunt.

(d) *Teſtimonium hoc verum eſt. Quam ob cauſam, increpa illos dure, ut ſani ſint in fide: non intendentes*
Matt. 5. *Judaicis fabulis & mandatis hominum.*] Traditionibus humanis, de quibus Dominus in Evangelio Judæis loquitur: ſecundum Eſaiam, Dominum non in
Esa. 29. corde, ſed in labiis honorantes.

(e) *Averſantium ſe a veritate.*] Novi, ſcilicet, Teſtamenti.

(f) *Omnia munda mundis.*] Quia adhuc ſecundum legem immunda vocabant.

(g) *Coinquinatis autem & infidelibus.*] Coinquinati & infideles ſunt, qui non credunt jugum legis a collo credentium Dominum abſtuliſſe, id eſt, omnia quæ temporaliter fuerant inſtituta.

(h) *Nihil eſt mundum.*] Eorum quæ in ſcientia eorum, immunda judicantur.

(i) *Sed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia.*] Etiam in hoc ipſo.

(k) *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.*] Se melius Chriſtum dicunt noſſe ut ex lege promiſſum: ſed factis ejus adventum negant: cum ſe ſine legis auxilio putant juſtificari non poſſe.

(l) *Cum ſint abominati & incredibiles: & ad omne opus bonum reprobi.*] In ſola confeſſione legis religioſiores ſe dicunt, cum illa non faciant quæ quæruntur.

IN CAPUT II.

(m) *TU autem loquere quæ decent ſanam doctrinam.*] Quæ ad vitam pertinent Chriſti.

(n) *Senes ut ſobrii ſint, pudici, prudentes: ſani in fide: in dilectione: in patientia.*] Hic ſenes ætate & ordine poſſunt intelligi, Eccleſiæ præcipue ſeniores, quibus omnibus formam præbere neceſſe eſt.

(o) *Anus ſimiliter.*] Quæ ad aliarum eligebantur exemplum.

(p) *In habitu ſancto: non criminatrices.*] Habitus enim non ſanctus eſt, de quo alibi dicit: Non tortis crinibus, & reliqua.

(q) *Non multo vino ſervientes.*] Sed parvo utentes.

(r) *Bene docentes* &c.] Docere illis permittit, ſed 1. Tim. 2.
fœminas: & hoc non in Eccleſia, ſed privatim.

(ſ) *Adoleſcentulas, ut viros ſuos ament* &c.] Non alienos, ſive ideo dicit, ne aliæ quæ continentes erant, non diligerent viros ſuos: & verbum Dei tanquam diſſidium prædicans culparetur.

(t) *Domus curam habentes.*] Ne viros ſuos in aliquo contriſtarent.

(u) *Benignas, ſubditas viris ſuis: ut non blaſphemetur verbum Dei.*] Ne vel ipſæ blaſphement, ſi gentes ſunt, vel alii videntes eas pejores effectas, quam fuerant ante fidem.

(w) *Juvenes ſimiliter hortare ut ſobrii ſint.*] Auferentes ab eis cauſam luxuriæ.

(x) *In omnibus.*] Quæ junguntur, ſive non ſolum corpore, ſed & mente.

(y) *Teipſum præbe exemplum bonorum operum.*] Ne exemplo deſtruas verbum: & ut audenter corripias delinquentes.

(z) *In doctrina, in integritate, in gravitate.*] Quo ſolummodo doceri poteſt: integritas vero nec muneribus corrumpitur, nec acceptione perſonæ.

(a) *Verbum ſanum, irreprehenſibile.*] Nullius adulationis accenſione loquens.

(b) *Ut is qui ex adverſo eſt vereatur, nullum malum habens dicere de vobis.*] Qui tibi poteſt contradicere ſi quid in te tale notaverit.

(c) *Servos dominis ſuis ſubditos eſſe* &c.] Quæ imperant juſta.

(d) *Non contradicentes.*] Ne murmurationem facientes, & mercede privemini, & homini exiſtatis ingrati.

(e) *Non fraudantes, ſed omnibus fidem bonam oſtendentes.*] Sive in his quæ illis conceduntur, ſive ut in opere oſtendant bonum eſſe quod credunt.

(f) *Ut doctrinam ſalvatoris noſtri Dei* &c.] Dum eorum operibus laudantur.

(g) *Apparuit enim gratia Dei* &c.] Nullam conditionem excipit.

* *Callimachus* hymno in Jovem habet quidem, *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, Cretenſes ſemper mendaces*; ſed non habet reliqua verba, nec poterat dici *Propheta Cretenſium*, cùm Cyrenæus eſſet. Jam omnes norunt *Epimenidis* Cretenſis eſſe verſiculum. Qua de re, conſule Interpretes recentiores cùm *Pauli*, tum *Callimachi*, qui rem in manifeſta luce poſuerunt. Sed Græcæ linguæ imperitus erat *Pelagius*, non ſecus ac *Auguſtinus*.

(a) *Eru-*

[a] erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, [b] ſobrie & [c] juſte & pie vivamus in hoc ſeculo, [d] exſpectantes beatam ſpem & [e] adventum gloriæ magni Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti: [f] qui dedit ſemetipſum pro vobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. [g] Hæc loquere & exhortare, [h] & argue cum omni imperio. [i] Nemo te contemnat.

CAPUT III.

[k] ADmone illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe: dicto obedire: ad omne opus bonum paratos eſſe. [l] Neminem blaſphemare: non litigioſos [m] eſſe, ſed modeſtos, [n] omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines. [o] Eramus enim aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem. [p] Cum autem benignitas & humanitas apparuit ſalvatoris noſtri Dei: non ex operibus juſtitiæ quæ ſecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos ſecit: [q] per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti: [r] quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum ſalvatorem noſtrum: [ſ] ut juſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ. [t] Fidelis ſermo eſt. [u] Et de his volo te confirmare: [w] ut curent bonis operibus præeſſe qui credunt Deo. [x] Hæc ſunt bona & utilia hominibus. [y] Stultas autem quæſtiones & genealogias, & contentiones, [z] & pugnas legis devita. Sunt enim inutiles & vanæ. [a] Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt qui ejuſmodi eſt: & delinquit cum ſit proprio judicio condemnatus. [b] Cum miſero ad te Arteman aut Tychicum, feſtina ad me venire Nicopolim: Ibi enim ſtatui hyemare. Zenam legiſperitum & Apollo ſollicite præmitte, ut nihil illis deſit. [c] Diſcant autem & veſtri bonis operibus præeſſe ad uſus neceſſarios, ut non ſint infructuoſi. [d] Salutant te qui mecum ſunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

S. PAULI

(a) *Erudiens nos: ut abnegantes impietatem & ſecularia deſideria.*] Seculare eſt omne deſiderium carnale & omnis habitatio temporalis.

(b) *Sobrie.*] Perfecte Domino dicente: *Attendite ne graventur corda veſtra in crapula & ebrietate & curis hujus vitæ.*

(c) *Juſte & pie vivamus in hoc ſeculo.*] Juſtitia non temperatur, niſi pietas adjungatur.

(d) *Exſpectantes beatam ſpem.*] Qui ejus mandata ſervaverint.

(e) *Et adventum gloriæ magni Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti.*] Spiritum dicit magnum Deum, quia ipſius exſpectamus adventum.

(f) *Qui dedit ſemetipſum pro.* &c.] Quia ſe dedit, caveamus ne beneficium ejus inane & irritum faciamus.

(g) *Hæc loquere & exhortare.*] Omnis ſermo tuus in hac exhortatione conſiſtat.

(h) *Et argue cum omni imperio.*] Acriter argue eos qui ita non vivunt.

(i) *Nemo te contemnat.*] Talem te exhibe, ne contemni poſſis. Vita enim auctoritatem tribuit verbo.

IN CAPUT III.

(k) *ADmone illos principibus & poteſtatibus ſubditos* &c.] Non ad aliquod malum.

(l) *Neminem blaſphemare.*] Ne illos quidem qui merentur.

(m) *Non litigioſos eſſe, ſed modeſtos.*] Ne vicem reddendo provocent litem.

(n) *Omnem oſtendentes manſuetudinem* &c.] Non ſolum ad bonos vel ad amicos.

(o) *Eramus enim aliquando & nos inſipientes* &c.] Ne deſperent correptione ſua, opponit exemplum ſe, quia & nos fuimus, inquit, tales: debemus igitur patienter eorum inſipientiam tolerare.

(p) *Cum autem benignitas & humanitas* &c.] Sive largitas miſericordiæ Dei, ſive ſecundum hominem Chriſtus.

(q) *Per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.*] Quia nos ſpiritus ſanctus per baptiſmum renovavit.

(r) *Quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum ſalvatorem noſtrum.*] Abundantius quam in veteri Teſtamento.

(ſ) *Ut juſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.*] Non ſecundum carnalem hæreditatem vitæ temporalis.

(t) *Fidelis eſt ſermo.*] Ne quis dubitet.

(u) *Et de his volo te confirmare.*] Confirmare ſcientem, non inſtruere ignorantem.

(w) *Ut curent bonis operibus præeſſe qui credunt Deo.*] Ad bona opera docenda præeſſe.

(x) *Hæc ſunt bona & utilia hominibus.*] Hæc, non illa quæ ſequuntur.

(y) *Stultas autem quæſtiones & genealogias & contentiones.*] Non vult nos ſuperfluis contentionibus implicari, quæ in lege de generationibus oriuntur: ſed hæc loqui ſemper de quibus proficient audientes.

(z) *Et pugnas legis devita: ſunt enim inutiles & vanæ.*] Quaſi contrariæ oppoſitiones quas hæretici conſectantur.

(a) *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt qui ejuſmodi* &c.] Nec circa ipſos nos occupari permittit, ſi correpti iterum non corrigantur: ne tempus inani contentione perdamus: & aliquid proprio judicio conatus nihil efficiat: quia unicuique manet libertas arbitrii: & funiculis peccatorum unuſquiſque conſtringitur.

(b) *Cum miſero ad te Arteman aut Tychicum, feſtina ad me venire Nicopolim: ibi ſtatui hyemare. Zenam legiſperitum & Apollo ſollicite præmitte, ut nihil illis deſit.*] Ut nihil perdant de fructu doctrinæ tardantes.

(c) *Diſcant autem & veſtri bonis operibus præeſſe ad uſus neceſſarios: ut non ſint infructuoſi.*] Idipſum repetit quod ſuperius dixerat: Curent bonis operibus præeſſe credentes.

(d) *Salutant te qui mecum ſunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis.*] Qui nos fideliter amant, ſive qui fidei cauſa nos amant. Notandum quod excipit Apoſtolos quos ſalutat.

Commentariorum in Epiſtolam ad Titum finis.

PELA-

S. PAULI APOSTOLI EPISTOLA AD PHILEMONEM.

CAPUT I.

PAulus vinctus Chriſti Jeſu, & Timotheus frater, [b] Philemoni dilecto adjutori noſtro: & Apphiæ ſorori cariſſimæ, [c] & Archippo commilitoni noſtro: [d] & Eccleſiæ quæ in domo tua eſt: Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto. [e] Gratias ago Deo meo, ſemper memoriam tui faciens in orationibus meis, audiens caritatem tuam & fidem [f] quam habes in Domino Jeſu & in omnes ſanctos: [g] ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni in Chriſto Jeſu. [h] Gaudium enim magnum habui & conſolationem in caritate tua: quia viſcera ſanctorum requieverunt per te, frater. [i] Propter quod multam fiduciam habens in Chriſto Jeſu, [k] imperandi tibi quod ad rem pertinet: [l] propter caritatem magis obſecro cum ſis talis, ut Paulus ſenex: nunc autem & vinctus Jeſu Chriſti [m] obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo, qui tibi aliquando inutilis fuit: nunc autem & mihi & tibi utilis quem remiſi tibi. [n] Tu autem illum, ut mea viſcera, ſuſcipe. [o] Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi miniſtraret in vinculis Evangelii. [p] Sine conſilio autem tuo nihil volui facere: [q] uti ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium. [r] Forſitan enim ideo diſceſſit ad horam à te, ut in æternum illum reciperes: [ſ] jam non ut ſervum, ſed pro ſervo cariſſimum fratrem: [t] maxime mihi: quanto autem magis tibi, & in carne & in Domino? [u] Si ergo me habes ſocium, ſuſcipe illum ſicut me. [w] Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus ſcripſi mea manu: ego reddam: ut non dicam tibi quod & teipſum mihi debes. Ita, frater, ego te fruar in Domino: refice viſcera mea in Chriſto. Confidens in obedientia tua ſcripſi tibi: ſciens quoniam & ſuper id quod dico facies. Simul autem & para mihi hoſpitium. Nam ſpero, per orationes veſtras, donari me vobis. [x] Salutat te Epaphras concaptivus meus in Chriſto Jeſu: Marcus, Ariſtarchus, Demas & Lucas adjutores mei. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. AMEN.

PELAGII COMMENTARII IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

IN CAPUT I.

(a) P*Aulus vinctus Chriſti Jeſu.*] In carcere vel in catenis.

(b) *Philemoni dilecto adjutori noſtro: & Apphiæ cariſſimæ.*] In Evangelio adjutrici. Apphia vero ſoror, vel conjunx creditur.

(c) *Et Archippo commilitoni noſtro.*] Hic Diaconus
Col. 4. erat, de quo ad Coloſſenſes ait: *Dicite Archippo*: Vide miniſterium quod accepiſti, ut illud impleas.

(d) *Et Eccleſiæ quæ in domo tua eſt. Gratia vobis & pax à Deo &c.*] Cum omni gratiarum actione & cum gaudio exorat.

(e) *Gratias ago Deo meo &c. audiens caritatem tuam & fidem.*] Quæ nobis in bonis operibus innoteſcit.

(f) *Quam habes in Domino Jeſu & in omnes ſanctos.*] Qui diligit caput, neceſſe eſt eum omnia diligere membra.

(g) *Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni in Chriſto Jeſu.*] Omnes ſanctos diligis, in tantum, ut omnes boni noſtrorum in Chriſto evidenter te fidelem eſſe cognoſcant.

(h) *Gaudium enim magnum habui & conſolationem in caritate tua: quia viſcera ſanctorum requieverunt per te, frater.*] Quos hoſpitio recipiens refeciſti.

(i) *Propter quod multam fiduciam habens in Chriſto Jeſu imperandi tibi.*] Cum nobis cauſa ipſius dederit fiduciam imperandi, tamen caritate faciendi obſecrare malumus quam jubere.

(k) *Quod ad rem pertinet.*] Quod ad rem pertinet rei Chriſtianæ.

(l) *Propter caritatem magis obſecro cum talis ſis ut Paulus ſenex: nunc autem & vinctus Jeſu Chriſti.*] Moribus talis, qualis ille, qui in ſenectute etiam pro Chriſto vincula non recuſat.

(m) *Obſecro te pro filio meo quem genui in vinculis Oneſimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi utilis, quem remiſi tibi.*] Quando erat gentilis vel carnalis.

(n) *Tu autem illum ut mea viſcera ſuſcipe.*] Velut filium noſtrum cariſſimum.

(o) *Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi miniſtraret in vinculis Evangelii.*] Ex hoc cognoſce qualis ſit, qui mihi ita placuit ut tua vice miniſtraret.

(p) *Sine conſilio autem tuo nihil volui facere.*] Ita loquitur ut eum ad ipſum remittat, ſive ut magis ejus utilitas commendetur.

(q) *Ut ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.*] Notandum quod neminem voluerit neceſſitate boni aliquid facere, ne mercedem amitteret.

(r) *Forſitan enim ideo diſceſſit ad horam a te, ut in æternum illum reciperes.*] Forte hoc Dei providentia procuravit.

(ſ) *Jam non ut ſervum, ſed pro ſervo cariſſimum fratrem.*] Jam enim non quaſi ex neceſſitate ſervus, ſed quaſi frater voluntarius.

(t) *Maxime mihi: quanto autem magis tibi: & in carne & in Domino.*] Cui & carnaliter debet obſequium.

(u) *Si ergo me habes ſocium, ſuſcipe illum ſicut me.*] Si me diligis, ita illum ſuſcipe ſicut me: quia ego illum diligo ſicut te.

(w) *Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus ſcripſi manu mea: Simul autem & para mihi hoſpitium. Nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis.*] Hic oſtenditur, quia prima vice ſit ex urbe dimiſſus.

(x) *Salutat te Epaphras concaptivus meus in Chriſto Jeſu:*] Non alicujus criminis cauſa, ſed fidei ſocietate.

Commentariorum in Epiſtolam ad Philemonem finis.

LECTORI.

QUEMADMODUM repetenda hic non cenſemus fragmenta *Pelagii*, à *Joanne Garnerio* diligenter collecta: ſic nec iterabimus *Pelagii* libellum ad Demetriadem, qui jam ad calcem Epiſtolarum Auguſtinianarum ſeu Tom. II. in Editionibus Pariſienſi & Belgica editus eſt. Itaque hic finem Operibus *Pelagii* imponimus.

PELAGII OPERUM

FINIS.

DES.

Digitized by Google

DESIDERII
ERASMI
ROTERODAMI

ET ALIORUM
PRÆFATIONES AC CENSURÆ
IN
S. AUGUSTINUM.

ACCESSERE
JACOBI SIRMONDI
NOTÆ IN ALIQUOT SERMONES.

AC
JOANNIS PHEREPONI
ANIMADVERSIONES
IN OMNIA
S. AUGUSTINI
OPERA.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI,

EIDEMQUE CLARISSIMO PRINCIPI

ALFONSO FONSECÆ,

ARCHIEPISCOPO TOLETANO,

TOTIUS HISPANIÆ PRIMATI,

DES ERASMUS ROTERODAMUS

S. D.

EN TOTUS ſolitoque nitidior, venit in tuos amplexus, Præſulum Ampliſſime, incomparabilis Eccleſiæ Doctor, & invictus propugnator, Divus AURELIUS AUGUSTINUS, quem tu non ſine cauſa ſic adamare præ cæteris, ſic in deliciis ſemper habere conſuevisti. Quid enim habet orbis Chriſtianus hoc Scriptore vel magis aureum, vel auguſtius? ut ipſa vocabula nequaquam fortuito, ſed numinis providentia videantur indita viro. Auro ſapientiæ nihil precioſius: fulgore eloquentiæ cum ſapientia conjunctæ nihil mirabilius. Sunt aliis aliæ dotes, prout viſum eſt τῷ ἡγεμονικῷ Spiritui, qui pro ſuo arbitratu partitur ſingulis juxta menſuram fidei. In Athanaſio ſuſpicimus ſeriam ac ſedulam docendi perſpicuitatem: in Baſilio præter ſubtilitatem, exoſculamur piam ac mirem ſuaviloquentiam: in hujus ſodali Chryſoſtomo, ſponte profluentem orationis copiam amplectimur: in Cypriano ſpiritum veneramur martyrio dignum: in Hilario grandi materiæ parem grandiloquentiam, atque, ut ita loquar, cothurnum admiramur: in Ambroſio dulces quoſdam aculeos, & Epiſcopo dignam amamus verecundiam: in Hieronymo divitem Scripturarum penum optimo jure laudamus: in Gregorio puram nulloque ſuco picturatam ſanctimoniam agnoſcimus. Ac ne longum faciam, habet itidem & cæterorum quiſque ejuſdem Spiritus munificentia virtutes ſuas, quibus ſeſe piorum hominum affectibus varie commendant. At non arbitror alium eſſe Doctorem, in quem opulentus ille, juxta ac benignus, Spiritus dotes ſuas omnes largius effuderit, quam in Auguſtinum; quaſi voluerit in una tabula vividum quoddam exemplar Epiſcopi repræſentare, omnibus virtutum numeris abſolutum, quas poſt CHRISTUM Epiſcoporum principem, Paulus & Petrus requirunt in his, qui paſcendum Domini gregem ſuſceperunt. Cæteris quidem non imputatur, quales fuerint, antequam ſacro lavacro renaſcerentur: in Epiſcopo tamen requirit beatus Paulus, ut & eorum qui foris ſunt, teſtimonio comprobetur. Quid Divus Auguſtinus? Talis erat, etiam quum ipſe foris eſſet, ut ab iis qui erant intus, vir bonus haberi poſſet, in ſuo quidem genere. Adoleſcens habuit concubinam, quod humanæ permittunt Leges: & hac non repudiata, ſed erepta, adſcivit alteram. Verum utrique ſervavit conjugii fidem: quam probitatem hodie non temere reperias in Sacerdotibus aut Abbatibus. Inductus eſt in ſectam Manichæorum: quo quidem hominum genere vix aliud habuit orbis peſtilentius, adeo confictis titulis, prodigioſa ciborum abſtinentia, ſimulatione paupertatis, falſa continentiæ ſpecie, aliiſque præſcriptis immanibus, ac ſupra modum rigidis, tum portentoſis fabulis Philoſophiæ fuco lenocinioque commendatis, fumos ac præſtigias quaſdam offundebat hominum mentibus, ut poſſent vel electis imponere. Ab his hiſtrionibus impoſitum eſt juveni nondum baptizato, nondum catechumeno, ſed per omnes rerum ſpecies veritatem velut in ſomnis adamatam perſequenti. Affectus erat pius, error ſimplex & humanus. Nec tamen illorum vitiis inquinatus eſt, nec diutius hæſit impio dogmati, & fortaſſis ob hoc ipſum Dominus paſſus eſt illum ad tempus labi, ut efficacius alios ab errore peſtifero vel arceret vel revocaret. A Catechiſmo vero ſic protinus ad Chriſti regulam vitæ rationem inſtituit, perpetuoque tenore ſemper ad meliora proficiens, inſtitutum perſequutus eſt, ut etiamſi quod crimen in illum ab hæreticis impingeretur, nequaquam hæreret: & qui intendere ſunt auſi, nihil aliud quam impudentiæ lucrifecerint opinionem. Hoc de teſtimonio. Quod ad ſobrietatis laudem attinet, quanquam erat corpore delicato, quemadmodum raro ſolent ingenia inſigniter felicia, robuſta ſortiri corpora, ſic diſpenſante natura, ut quod animi viribus additum eſt, corporis detrahatur: tamen illius menſa fere nihil habebat præter olera & legumina, niſi quod interdum non nihil etiam carnium admiſcebatur: idque vel propter hoſpites, vel ob imbecilliores, ut agnoſcas ſobrietatis ſtudium cum hu-

253

manitate conjunctum. Bibebat vinum, ſed ſic ut Timotheus Pauli conſilio, neminem præſcriptis adigens, ſed firmiores exemplo ſuo provocans, infirmioribus clementer indulgens, in his dumtaxat, quæ per ſe nec pium faciunt, nec impium: ut facile perſpicias, non Phariſaicam juſtitiam, ſed vere Chriſtianam pietatem, ſummo judicio, ſummaque manſuetudine conditam ac temperatam. Hæc eſt illa ſobrietas, quam Apoſtolus cumprimis requirit in Epiſcopo, cui comes eſt vigilantia, quam & ipſam ſingularem quamdam in hoc mirari licet. Diem totum precationibus, ſacrificio, doctrinæ, diſputationibus, audiendis cauſis, componendis litibus, confutandis hæreticis dabat: noctis bonam partem ſacris lucubrationibus decidebat. Itaque factum eſt, ut non ſolum obeundis Eccleſiæ ſuæ negociis ſufficeret, verum etiam alias Eccleſias vel oratione præſens, vel ſcripto abſens moneret, doceret, inſtitueret, confirmaret. Jam ſobrietatis & vigilantiæ comes eſt caſtitas; quæ præcipuum eſt Epiſcoporum decus & ornamentum. Hujus illi tanta cura fuit, ut nec ſororem, licet Deo dicatam, nec propinquo gradu cognatas fœminas ad domeſticum admitteret contubernium: & collegia mulierum, quæ inſtituerat, raro admodum inviſeret, nec omnino cum ulla fœmina miſceret colloquium, niſi præſentibus clericis, aut aliis matronis: niſi forte quid eſſet arcani, quod unius auribus eſſet committendum. Hæc caritas admonuit maledicorum ſibila contemnere. Nec enim uſque adeo putabat ſerviendum improborum linguis, ut neceſſarium officium hac gratia prætermitteretur. Ubi non urgebat neceſſitas, ad cautionem ſuam redibat: non quod ſibi metueret, ſed quod parum eſſe judicaret, Epiſcopi pudicitiam eſſe integram, niſi ut famam haberet illibatam. Rurſus non ſatis habebat, ſi ſuam unius famam intactam, a ſiniſtris rumoribus præſtitiſſet, niſi clericos etiam haberet integri nominis. Porro linguam habebat in tantum ab omni petulantia puram, ut etiam cum procaciſſimis hæreticis, vel ſcripto vel ſermone diſputans, mire temperet a conviciis; ſed Scripturarum modo teſtimoniis & argumentis veritatem aſſerit, impietatem refellit, adeo ut ne laceſſitus quidem regerat maledicta. Eamdem moderationem obtinuit in caſtigandis improborum moribus, ut lenitate ſanaret potius, quam auſteritate exaſperaret. Proin Epiſcopum Africæ quemdam, natione Italum, literis adhortans, ut populum ſuum a vernaculo more temulentiæ revocaret, & ad Italicæ ſobrietatis exemplum provocaret, illud diligenter admonuit, ne id faceret acerbius objurgando, ſed lenibus monitis paulatim inveterato morbo mederetur. Hoc eſt quod Paulus non vult Epiſcopum eſſe πλήκτην, quemadmodum interpretantur Græci, & hos ſequutus Hieronymus. Alioqui quid laudis habeat in Epiſcopo, ſi non ſit percuſſor, hoc eſt, ſi neminem ferro vulneret, aut occidat, aut manu depalmet? Adde quod menſam habebat perquam frugalem quidem, ut diximus, ſed hoſpitibus expoſitam, magis frugiferis ſermonibus, quam exquiſitis eduliis opiparam. Ad hanc pendebat diſtichon, ceu lex quædam, deteſtans maledicentiam & obtrectationem in abſentes; qui morbus fere peculiaris eſt iis, qui alioqui pietatem profitentur, quum nihil ſit alienius a vera pietate. Obrepit enim hæc peſtis probitatis imagine, dum videri vult vitiorum odium, ac virtutis zelus. A quo malo ſic penitus abhorruit vir ſanctiſſimus, ut interdum nec Epiſcoporum auctoritati ceſſerit, quin ſe minaretur e convivio ſurrecturum, niſi a talibus fabulis temperarent. Eoque fere vel ſacram lectionem adhibebat menſæ, vel de re quapiam frugifera commentabatur, ut non minus animi convivarum reficerentur, quam corpora. Jam quod Apoſtolus vult epiſcopum ἄμαχον eſſe, καὶ μὴ αἰσχροκερδῆ, hoc eſt, non pugnacem ſive litigioſum, nec turpiter lucro deditum, id adeo præſtitit, ut ſæpenumero cauſam totam ceſſerit adverſario: pro magno lucro ducens, ſi quietem animi, rei diſpendio redemiſſet. Multas hæreditates ultro delatas Eccleſiæ recuſavit, unde ſuſpicabatur ab hæredibus aliquid exoriturum vel litis, vel querimoniæ. Cuidam qui poſſeſſionem volens donarat Eccleſiæ, ac poſt liberalitatis pœnitens repoſcebat quod dederat, Auguſtinus & tabulas & rem reſtituit, quum optimo jure ſummoque omnium applauſu poſſet ſubmovere improbum repetitorem. Interdum, & ſacris vaſis divenditis, pauperum inopiam ſublevabat. Quin aliquoties tentaſſe legitur, ut univerſum Eccleſiæ cenſum populo reſignaret, ſibique ac ſuis nihil faceret reliquum ad victum, niſi quod ſpontanea plebis liberalitas quotidie deferret. Quumque annos quadraginta aut eo amplius Epiſcopi munere ſumma cum laude functus eſſet, adeo nullum theſaurum ſibi congeſſerat, ut deceſſerit inteſtatus, non tam quod teſtandi jus deeſſet, quam quod materia. Hæc non eo commemoro, quod exiſtimem horum temporum Epiſcopos ad hanc imaginem compellendos: ſed ut declarem, quantopere ſanctiſſimi Præſulis animus abhorruerit à ſordido quæſtu, & hunc comitari ſolitis litibus. Præcipue vero τὸ διδακτικὸν, quæ potiſſima functio Præſulum eſt, ſic in illo modis omnibus enituit, ut neminem habeamus nec ex Græcis nec ex Latinis, quem hac ſane in parte cum hoc conferre poſſimus. Ingenii felicitas prorſus erat incomparabilis, ſive ſpectes acumen, vel obſcuriſſima facile penetrans, ſive capacis memoriæ fidem, ſive vim quamdam mentis indefatigabilem. Difficultatibus quæſtionum alebatur, huc quiſquis provocabat, prorſus equum, ut habet proverbium, in planiciem invitabat: nec ullis materiis lubentius indulſit, quam quæ ſubtilitate torquerent, nec conquieſcebat donec nodos omnes explicuiſſet. Ad docendum ſemper erat paratus, non aliter quam avidus negociator ad lucrum. Aderat interim miranda quædam animi lenitas, quam Paulus vocat μακροθυμίαν, atque adeo manſuetudo quædam invincibilis: hanc Petrus appellat πρᾳότητα, quam Plato putat non ita frequenter deprehendi in iis, quibus contigit acrius ingenium. Id perſpicuum eſt ex conflictationibus, quas plurimas habuit cum hæreticis: quorum alii miris technis ſtudebant eludere pondus invictæ Veritatis: alii ſuperfluis & alienis tergiverſationibus tempus eximere: alii conviciis à diſputatione ad jurgium provocare: alii ſtolidiſſimis reſponſis fatigare vexareque contra diſſerentem. Nihil horum umquam potuit efficere, quo minus ille rem urgeret, repetens, iterans, inculcans quæ utrimque dicta fuerant, idque tam dilucide, tam explanate, ut imperita quoque multitudo pervideret hæreticis nihil ſupereſſe præter impudentiam. Hac manſuetudine cum inſtantia pertinaci conjuncta plurimos ſanavit hæreticos, devi-

cit

cit omnes. Nam quemadmodum, juxta vetus dictum, Africa ſemper aliquid novi mali ſolet gignere, ita tum variis hæreſeon monſtris infeſtabatur. Et erat ea gens nec ſobria, nec ſatis firmæ fidei, novarumque rerum ſupra modum avida, alioqui vafra & arguta. Adverſus hæc portenta, dictu mirum, quam ſtrenuum pugilem egerit Auguſtinus. Dejecit Paſcentium Arianum, licet auctoritate poteſtateque publica formidabilem. Traduxit Manichæorum prodigioſas fabulas, & obſcœna myſteria protraxit in lucem. Nam hæc prodidiſſe, erat viciſſe. Donatiſtas & Circumcelliones, pertinax malum, multis conflictibus tandem fudit, profligavit, delevit. Poſtrema lucta fuit cum Pelagianis. Denique Paganorum reliquias magna ex parte delevit in Africa. Et ad tantas res conficiendas, non vi, non armis, non copiis, non carceribus aut incendiis uſus eſt, ſed ſolo gladio Spiritus, quod eſt verbum Dei: atque armis Apoſtolicis, tot victorias, tot triumphos paravit Eccleſiæ Chriſti, licet adverſus Donatiſtas & Circumcelliones, quoniam ipſi ferro rem gerebant, adhibita ſit tandem Cæſaris auctoritas, refragante primum Auguſtino, mox Cæſaris edictum ſic intereeſſione ſua moderante, ut pleriſque mulcta auraria redderetur iis qui perſolverant. Summa vero cura intercesſit, apud Cæſareos magiſtratus, ne quis hæreticorum occideretur. Cupiebat amicus medicus ſupereſſe, quos arte ſua ſanaret. Imo quod eſt majoris clementiæ, his etiam vitam impetravit, à quibus orthodoxi quidam fuerant neſarie trucidati. Hæc ſanctiſſimi Præſulis clementia non eo commemoratur a nobis, ut animum addamus impiis, qui falſis dogmatibus ſcindunt ac labefactant Eccleſiam Chriſti: ſed ut oſtendamus, quanta manſuetudo deceat Doctorem Eccleſiaſticum. Non ideo Cæſarum Leges robur non habebant, quod harum ſeveritatem aliquando piorum hominum interceſſio mitigaret, præſertim ubi manifeſta pœnitentiæ ſigna ſpem vitæ correctioris præberent. Nec enim ideo non eſt juſta Lex, quæ jubet homicidam plecti capite, quod Epiſcoporum pietas talibus nonnumquam impetravit vitam. Alioqui latronem dimittere in plurium perniciem graſſaturum, non eſt clementia, ſed crudelitas. Proinde quemadmodum ad tuendam Reipub. tranquillitatem neceſſaria eſt legum principalium ſeveritas: ita laudanda eſt in Epiſcopis Chriſti vicariis Chriſtiana lenitas: quæ tam ſingularis fuit in hoc Præſule, ut quum in civitate quadam Pagani contra Cæſaris edictum publicitus impetum feciſſent in Chriſtianos, multiſque vexatis unum atque alterum occidiſſent, aut certe paraſſent occidere: jamque ſeveram Principis ultionem exſpectarent, quidam ex ipſis eruditus per litteras ab Auguſtino petierit, ut interceſſione ſua Cæſaris iram mitigaret. Tam inſignis erat ſanctiſſimi Præſulis manſuetudo, ut hoſtis & idololatra non vereretur ab hoc petere, quod vix amicus ab amico auderet flagitare. Quo impudentior eſt poſtulatio, hoc magis arguit vix credibilem Auguſtini manſuetudinem. Eadem manſuetudine moderatus eſt collegia virorum ac mulierum, quæ, juxta regulam Apoſtolicam, aliquot inſtituit. Leviter delinquentium pœna erat admonitio, gravius peccantium objurgatio: deſperatorum & inſanabilium, veluti capitale ſupplicium erat, e contubernio piorum ejectio. Clericos ſuos, quos tædebat juxta Epiſcopi inſtitutum vivere, patiebatur ad alios Epiſcopos demigrare, qui clericos ſuos non adigebant ad domus ac vitæ communionem. Amabat perfectam pietatem, ſed ſpontaneam, non extortam. En aliud in hoc Epiſcopo miraculum. In tam multis, tam eximiis virtutibus, quam nullum omnino ſupercilium? Dicas illum paterna maternaque viſcera erga cunctos gerere: malos parturire, ut renaſcantur in Chriſto: imbecilles veluti gallinam ſub alis fovere, ne pereant: bonos pervehere, ut adoleſcant. Nullus erant tam deploratus hæreticus, aut alioqui flagitioſus, de quo ſpem prorſus abjiceret, donec ille ſpiraret. Sic in libris ſuis agit cum hæreticis, non ſolum ut revincat, verumetiam ut, quod quidem in ipſo eſt, ſanet. Sic objurgat improbos, ut ſemper vino ſeveritatis admiſceat oleum lenitatis. Nihil eſt uſquam tam auſterum, quod non interim ſpiret Chriſtianæ caritatis dulcedinem, quæ, juxta Paulum Apoſtolum, omnia ſuffert, omnia ſperat, omnia credit. Erat unius civitatis Epiſcopus, cui nomen Hippon regius, quaſi dicas equile regium: nam erat ejuſdem nominis altera in eodem littore ad exortum, cognomine differens, [illegible] enim dicebatur. Sed omnium Eccleſiarum ſollicitudinem in ſe recepit, Epiſcopos earum vel coram, vel miſſis voluminibus & epiſtolis inſtruens ad Evangelii prædicationem, armans adverſus hæreticos. Porro quoniam vir prudens perſpiciebat librorum uſum multo latius patere quam vocis, in hanc operam quicquid potuit temporis ſuffurabatur. Ad hoc quo plus haberet ocii, diſcutiebat humiliora negocia, quæ tametſi non adverſabantur pietati, tamen ab optima parte Mariæ nonnumquam avocabant. Itaque conciliandis matrimoniis auctor eſſe recuſabat: juncta tamen, ſua benedictione confirmabat. Nec ædificandi cura ſuſtinebat occupari, licet alios id agentes non reprehenderet. Nec omnium Epiſtolis reſpondebat, niſi ſi quid tractarent ad religionis pertinens negocium. Poſtremo ingraveſcente jam ætate, ſucceſſorem ſibi deſignavit, ad quam levioris momenti cauſæ deſerrentur, ipſe vacaret melioribus, quo tempore libros omnes ſuos collegit, recognovit, & in ordinem digeſſit, ne vel interirent complures: quod Ambroſianis ſcriptis accidiſſe videmus: aut mendoſi depravatique verſarentur in manibus hominum. O virum ad totius Eccleſiæ publicam utilitatem natum, factum, datumque divinitus! Quam ubi conſpiceret Vandalorum, Gottorum, aliorumque Barbarorum, qui ex Hiſpaniis in Africam eruperant, incurſione turbari, jam hujus vitæ cœpit tædere, quodque ſolum potuit, conſolatus ſuos, & hortatus ad tolerantiam, e vivis exceſſit. Tanto ardore vir ſpiritu Chriſti plenus amabat, atque, ut ita loquar, deperibat decorem, profectum, ac tranquillitatem domus Dei! Hoc, hoc, nimirum, erat ſummum illum Eccleſiæ ſponſum imitari. Nam & ſuæ quiſque Eccleſiæ quodammodo ſponſus eſt omnis Epiſcopus. Ille dixit, Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis. Hic qui nullum umquam periculum metuit, quoties Eccleſiæ commodis ſerviendum erat, cui vita erat acerba, poſteaquam Eccleſiæ malis non potuit ſuccurrere, quam lubens illam impendiſſet ovibus ſuis, ſi modo, ejus diſpendio, gregis ſalutem redimere licuiſſet? Optabat cum Paulo vel anathema fieri pro filiis ſuis. Hæc pietas, hæc caritas, hic ardor pectoris facit, ut omnia illius ſcripta non minus inflamment ad pios affectus,

254

quam doceant intellectuni. Sunt enim qui frivolis argutiis utcumque delectent ocioſos. Sunt qui ſubtiliter doceant neceſſaria, ſed non efficiunt, ut quod intelligitur, ametur. Sunt rurſus qui excitent ad ſtudium pietatis, ſed excitatos doctrina non provehunt. Fruſtrà intelligas, niſi diligas quod percepiſti. Ad quid autem conducit cæcus amor? Scientia, ſi abſit caritas, inflat: caritas abſque ſcientia nonnunquam pernicioſa pro ſalutiferis amplectitur: ſed utraque res alterius opem poſcit, & conjurat amicè. At hic incomparabilis Doctor ſimulatque maturuit in Chriſto, neglectis Sophiſtarum ineptis argutationibus, ingenii pluſquam aquilinam aciem ad neceſſariæ veritatis inveſtigationem intendit: ita ſubtilis in diſputando, ſi res poſtulet acumen Dialecticum, ut ſemper dimittat lectorem non tantum eruditiorem, verum etiam ad bene vivendum inflammatiorem. Quid enim aliud poteſt ignis, ubicumque ponas, quam urere? Amabat vehementer quod docebat, docebat argute quod amabat: utrumque gignit in eo, qui ſcriptis illius propius intendit animum. Rhetoricæ multa ſunt cum Dialectica communia. Rhetorum libros ad plenum imbiberat. Platonica philoſophia, quoniam, Rhetorica quadam ſuaviloquentia, multa tradit de rebus a corpore ſeparatis, & his quæ ſenſibus deprehendi non poſſunt, ſed animi cernuntur oculis, nnn pauca miſcens Chriſtianorum placitis conſentanca, videtur impenſius delectatus. Ex Ariſtotelica Philoſophia, vel quia jejuniore ſtylo tractat res ſubtiles, vel quia nondum in publicum uſum venerat apud Latinos, nihil deguſtaſſe videtut, præter libros de Enunciarione, de Categoriis ſive de decem Generibus generaliſſimis, & de quinque vocibus Prædicabilibus, quem librum velut εἰσαγωγὴν ad Ariſtotelis Philoſophiam edidit Porphyrius. Nec uſquam ullo veſtigio deprehendere licet, quod ejuſdem libros quos de Topicis, Analyticis, & Elenchis, de Naturalibus rebus & Ultramundanis, de Moribus & Repub. multos reliquit, uſquam attigerit. Ut ne commemorem tot Græcos Ariſtotelis interpretes. Et tamen hic ipſe qualiſcumque Ariſtotelicæ Logicæ guſtus, Dialectici non ſolum opinionem illi conciliavit, verum etiam magnam apud hæreticos conflavit invidiam, quod quum veritatis pondere premerentur, clamarent ſe artificio Dialectices circumveniri. Siquidem illis temporibus tanta fuit apud Afros hujus artis ruditas, ut qui ſciret diſtinguere ſubſtantiam ab accidente, genus a ſpecie, relativam vocem ab abſoluta, vulgo Dialecticus haberetur: quo nomine Julianus viſus eſt unus idoneus, qui cum Auguſtino manus ex æquo conſereret. Sed Dialectica fuit, antequam quiſquam de Dialectica præciperet: nec enim eſt de numero earum diſciplinarum, quas inſtituit hominum voluntas, ſed quas animadvertit ſagacitas, qualis eſt Arithmetica. Tanta autem erat in Auguſtino, tamque mirabilis ingenii felicitas, tanta ſanitas, tantaque præſentia, ut ex iſtis quidem qui poſterioribus ſeculis bonam ætatis partem in Dialectica contriverunt, vix quemquam invenias, qui citius aut certius perſpiciat cauſæ ſcopum, qui dexterius ad hunc rationes & Scripturarum teſtimonia dirigat, qui felicius nodos quæſtionum diſſecet. Multa non ſcripſit, ſed dictavit: pleraque per norarios ex ore loquentis excepta ſunt: cujuſmodi ferme ſunt enarratinnes Scripturarum ad populum, quas ipſe Tractatus appellat, aut conflictationes cum hæreticis, quæ olim publicitus apud plebem fieri conſueverant. Nec alibi mihi videtur admirabilior. Quibus mediocre contigit ingenium, ſi lucubrandi curam adhibeant, excudunt interdum aliquid non contemnendum. Cæterum in extemporali dictione tantam adeſſe mentis perſpicaciam, tantam memoriæ præſentiam, tam paratam orationis copiam, non ſine perpetua quadam jucunditate, quis non miretur? Quis hoc hodie præſtare queat, vel ex iſtis qui ſtudium omne collocarunt in paranda dictionis facultate? Sed quo dilabor? Non enim inſtitueram encomium Auguſtini: quod ſi ſuſcepiſſem, hæc quota portio laudum illius erat? Illud tantum volebam oſtendere, quam dolendum fuerit, tantum Eccleſiæ theſaurum tam ſero per Typographos prodiiſſe in publicum: quem maxime reſerebat in omnium verſari manibus. Deterrebat nimirum illos impendiorum magnitudo. Primus hoc egregium facinus auſus eſt vir ſingulari pietate JOANNES AMERBACHIUS, re ſat beatus, ſed animi dotibus longe beatior, quem nec ſumptus immenſi, nec in conquirendis undecumque exemplatibus inſtantia, nec in conſerendis tædium, nec operis difficultas, nec distractionis alea, nec ulla res alia deterruit, quo minus totum Auguſtinum redderet omnibus communem. Non huc invitavit virum quæſtus amor, ſed ſincera pietas, quam omnes illius Præfationes ſpirant, ac revocandi priſcos illos Eccleſiæ Doctores ſtudium, quos videbat ac dolebat propemodum antiquatos. Proinde non dubito quin illius Manibus bene precentur omnes, qui per Auguſtini libros ad pietatem profecerunt. Idem in univerſas Hieronymi Lucubrationes majore etiam ſtudio molientem Deus ad ſuperos evocavit. Eam tamen provinciam tribus filiis, Brunoni, Baſilio, & Bonifacio, quos in hoc curarat trium peritia linguarum inſtituendos, moriens delegavit, per quos non minore ſtudio quam fide peractum eſt, quod optimus pater voluit. Sic enim illos & ad pietatem & ad eruditionem educarat, ut quodammodo ſe major ac melior in illis ſupereſſet, hodieque ſuperſit. Nam natu maximus tantum in fata conceſſit. Tot ſunt examina Monachorum in orbe, quorum ocium magnis cenſibus alitur, tot ſunt Abbates opimo reditu, nihil aliud quàm ædificantes, vel alentes equos, vel epulantes. Hic erat illorum proprius labor, quem homo laicus ſua ſponte ſuſcepit. Atque in Auguſtino quidem tantum adhibitum eſt ab illo curæ, ſtudii, vigilantiæ, quantum illa tum ferebat ætas, rudior adhuc, & perpaucos habens in hoc genere litterarum exercitatos. Illud potius mirandum, quod quum Auguſtini Lucubrationes tot jam annis verſentur inter manus eruditorum, nulla exſtiterit de illo publica querimonia, quemadmodum de Hieronymo nemo non querebatur. Atqui ni multos haberem teſtes qui Operi excudendo vel præfuerunt vel adſuerunt, nemo mihi crediturus ſit, quantum mendarum offenderim ac ſuſtulerim, etiam illinc, ubi nihil eſſe depravatum putabatur. Habet enim Auguſtinus ſuum quoddam dicendi genus, argutum, & periodis in longum productis multa convolvens, quod lectorem & familiarem, & acutum, & attentum, & bene memorem requirit: denique tædii laboriſque patientem, quales non ita

multos

multos reperias. Jam tametſi prophanas litteras parcius oſtendat quam Hieronymus, tamen obiter ad eas frequenter alludit. His rebus ſactum eſt, ut lector audaculus magis quam argutus, mutarit quicquid offendebat. Verum quæ vel librariorum incuria, vel lectotum inſcitia commiſſa ſunt, habent utcumque colorem, quo culpam liceat, ſi non excuſare, certe extenuare: quamquam hanc oportuit eſſe publicam Principum, Præſulum, & Abbatum curam, ut utilium, ſed præcipue ſacrorum voluminum exemplaria per eruditos viros quam diligentiſſime caſtigata ſervarentur in publicis bibliothecis. Illos vero quis abſolvat à ſacrilegii crimine, qui nec errore, nec ulla neceſſitate, ſed inepta libidine, ſtudio mutarunt hujus viri ſcripta, vertentes, *que*, in *&*: *&*, in *que*: *ſed*, in *at*: *at* in *ſed*: *dixit*, in *ait*: *ait*, in *dixit*: verbum in participium: participium in verbum: aliaque innumera his conſimilia, quaſi luſerint in opere alieno. Hoc flagitium quum alias, tum præcipue deprehendimus in libris de Trinitate. Deprehendimus aut ex collatione codicis, quem nobis præbuit Flandriæ monaſterium quoddam, cujus nomen in præſentia non occurrit, ſane bellum ac vetuſtum: dixiſſes bonæ fidei, magnæque auctoritatis exemplar. Vix umquam occurebant duo verſus, quin eſſet quod jugularet tranſverſus calamus. Hic non erat error aut oſcitantia, ſed impius ludus hominis male feriati. Alibi neſcio quis ſententias expleverat, adjectis verbis aliquot non neceſſariis: velut quoties beatus Auguſtinus citabat e ſcripturis Canonicis, quantum ad id quod agebatur ſatis erat, ille Scripturæ teſtimonium altius repetitum, ex eodem loco longius proſequebatur, quum nihil eſſet ad rem neceſſe. Id præcipue ſactum comperimus in Commentariis, quos ſcripſit in Epiſtolam ad Romanos & ad Galatas. Riſimus non paucis locis inſignem ſcribarum delirationem, qui quod lector ineptiens annotaret in margine ſui codicis, retulerant in contextum. Ex multis duo proponam exempla, quorum alterum eſt in Epiſtola LVIII. ubi leguntur hæc Auguſtini verba: *Hos autem Prophetas quos poſt Apoſtolos poſuit, non puto illos eſſe, qui ordine temporum ante Apoſtolos fuerunt, ſed iſtos quibus tum ſuo Apoſtolis per gratiam donabatur, aut interpretatio Scripturarum & inſpectio mentium, aut prædicto temporis ſequuturi.* In priore editione participium, *Sequuturi* à ſuo nomine temporis, prolixo verborum aſſumento divulſum comperimus: idque non ſolum inſigniter indoctum erat ac ſtultum, verum ne ad rem quidem tantillum faciens. Non enim illic ambigebatur qui eſſent Apoſtoli, & unde ducta vox, ſed de quo Prophetarum genere loqueretur illic Apoſtolus. Non repetam hîc longum nugamentum, ne ſim tædio: decerpam modo pauca, unde facilis ſit conjectura, quam cætera nihil habeant mentis. Hunc in modum orditur: *Si enim ego ipſe ut de his quid ſentiam habeas, differentiam facturum me ſperaverim.* Agnoſcis ſermonis florem. Ac mox: *Ut enim ad vim termini proſpiciſcar, Apoſtolos Græcum, dicitur ab apos, quod notat argumentum vel præeminentiam, & ſcolon quod eſt miſſio, quaſi præeminenter miſſus, ad augmentationem ſcilicet fidei catholicæ, vel Apoſtolus quaſi poſt miſſus*, &c. Quid hac deliratione prodigioſius? *Apos* enim apud Græcos tantum ſignificat, quantum Kiskildrivium apud Latinos, & ſcolon Græcis ſonat offendiculum. Deinde ſtultiſſime imaginatur in nomine Apoſtolus, apoſt additum pro poſtmodum, pro quo barbari dicere ſolent *depoſt*. Atqui ſi Græca vox eſt Apoſtolus, ut ipſe docet, unde illic Latina præpoſitio poſt? Sequitur, *Propheta autem a pro, id eſt, procul, & for, faris* quum Prophera Græcis nihil aliud ſonet, quam Latinis Prædictor. Hæc propoſuiſſe ſatis arbitror, ad totius nugamenti guſtum quemdam, quod ita attextum eſt, quaſi quis pro Auguſtino Paulinum doceat, de quo ſignificaret ſe dubitare. Alter locus eſt in libro ſecundo de Sermone Domini in monte habito: Quoniam inter fructus Spiritus Paulus commemorat gaudium, ne quis exiſtimaret illum de quovis gaudio loqui, ſic locum explanat Auguſtinus: *Sane ſciendum eſt, hic gaudium proprie poſitum. Mali enim homines non gaudere, ſed geſtire dicuntur proprie, ſicut ſuperius diximus voluntatem proprie poſitam, quam non habent mali*, &c. Hæc Auguſtini verba quum nihil habeant obſcuritatis, tamen aliquis conatus erat dilucidius ſcilicet explicare ſententiam hiſce verbis: *Neque gaudium virtutis ſit, ſicut voluntas, & hæc potius ad ſanctos pertinent: ad peccatores vero geſtus magis & cupiditas deputanda ſunt.* Et hoc tam inſulſum nugamentum e ſpacio marginis in contextum relatum aliquamdiu nos torſit. Cum hujuſmodi portentis fuit nobis ſubinde luctandum. Alius ex undequaque decerptis fruſtulis, veluti novum Opus, Auguſtini titulo conſtruxerat: alius aliena cum Auguſtini ſcriptis miſcuerat: alius ex Quæſtione fecerat Epiſtolam, aſſutis initio paucis verbis. Ne ſingula perſequar, vix in alterius tam impie, quam in hujus facti Doctoris voluminibus luſit ocioſorum temeritas. Ut omittam interim pſeudepigrapha, quædam non ineruditа, quædam vix tolerabilia, quædam prorſus indocta. Verum in omnibus quæ illi ſalſo ſunt inſcripta, nihil inſulſius aut impudentius Sermonibus ad Eremitas, in quibus nec verba, nec ſententiæ, nec pectus, nec omnino quicquam eſt Auguſtino dignum: & tamen quiſquis hoc Opus confixit, homo ſuavis ſibi promiſit futurum, ut Auguſtinus crederetur, & ſane repererunt ſimiles labra lactucas. Nihil tamen horum ſubmovimus, niſi quod ea quæ bis aut ſæpius habebantur inter hujus viri lucubrationes, ſat habuimus ſemel ponere, ne voluminum magnitudinem ſupervacua ſarcina oneraremus: cenſuris tantum additis indicavimus, quid nothum eſſet, quid ambiguum, quid commixtum. Hæc igitur in tam eximio Scriptore committi, ſane dolendum eſt: ſed æque mirum, ſuper his nullam hactenus fuiſſe ſtudioſorum querimoniam: unde conjectura capi poteſt, divum Auguſtinum antehac à pleriſque Theologis aut non legi ſolitum, aut indiligenter fuiſſe lectum. Ne mihi quidem umquam perſuaderi potuiſſet, tantum in tam celebri Scriptore latuiſſe mendarum. Equidem nihil minus habebam in animo, quam hanc capeſſere provinciam. Deterrebat immenſa voluminum moles, & Operis difficultas, juvenile robur, ac prorſus adamantinum quemdam hominem exigebat: me vero jam & ætas & valetudo ab hoc genere laborum in totum dehortabatur. Sed felicis memoriæ JOANNES FROBENIUS, vir ob ſingularem erga ſtudia favorem omnium ſtudioſotum

diosotum

dioſorum amore perenni dignus, tandem illud à me precibus extorſerat, ut in Epiſtolis unicum ſenionem emendarem, quo poſſet Operis ſpecimen in proximis nundinis oſtendere. Pollicitus ſum: ſed hac lege, ne quid ſperaret amplius. Annuit. Cæterum quum perſpicerem, illi certum eſſe conſilium, volumen Epiſtolarum abſolvere, neque quemquam eſſe paratum, qui poſſet, aut certe vellet, emendandi partes obire: vicit animi deſtinationem quum ſingularis amici pertinax voluntas, tum ipſa negotii pietas. Hoc volumen totum ad me recepi: ſed unicum, etiam atque etiam teſtificans, ut ſi pergere vellet, alium inveniret caſtigatorem, nec me, ſuo quoque diſpendio, non modo ſtudiorum, à melioribus curis avocaret. Quid multis? quum nullus exſiſteret qui vellet eam ſarcinam in humeros tollere, & Joannes Frobenius aſſeveraret, ſtare ſententiam, ut ſi non daretur aliud, totum Auguſtinum, qualis qualis erat, rurſus excuderet: ego partim amici reſpectu, cui nihil pernegare valebam, ſed multo magis inexpiabile piaculum eſſe reputans, ſi tam eximius Eccleſiæ Doctor, tot mendis obſitus, tantis impendiis denuo prodiret in orbis theatrum; hoc inſigniore deformitate notabilis, quo magis elegantia ſormularum, ac majeſtate voluminum, oculos omnium ad ſe rapturus eſſet: perinde quaſi purpuram eximiam oſtendas fœdis maculis deformatam, paſſus ſum imponi mihi clitellas. Tandem ubi tantum pelagus ingreſſus ventis vela dediſſem, longe plus quam exſpectaram comperi difficultatis, ut non ſemel animum deſponderim, deque deſerendis inſtitutis cogitarim: ad quod ipſum evidens etiam valetudinis periculum invitabat, aut, ut rectius dicam, compellebat. Jam me terrebat & exemplum Joannis Frobenii, quem videbam huic immortuum negotio, virum alioqui quum firmo corpore, tum vita longiſſima dignum. Verum quod prima fronte deterrebat à negotio, hoc ipſum propius conſideranti ſtimulos addebat. Non enim oportet bonorum virorum amicitiam vitæ ſpatio terminari, præſertim quum hujus difficillimi negotii moles in filios illius Hieronymum & Joannem Eraſmium, reliquoſque liberos eſſet devoluta, quibus hoc minus oportebat deeſſe, quod tali patre eſſent orbati. Nam quicquid erat erga Frobenium affectus, in hos transtuli. Itaque obfirmato animo, ſic ut Operi tam ſacro ſatius ducerem animam impendere, quam ſemel ſuſceptum non abſolvere, tædium omne devici: quoque ſum altius ingreſſus, hoc labor aſſuetudine factus eſt levior, ipſo, ut opinor, Auguſtino cœptis noſtris, proſpera ſavoris aura, cœlitus aſpirante; donec tandem procul aperiret ſeſe portus, in quem propitii Numinis auxilio delati, lætum celeuma nunc canimus. In digerendis porro voluminibus, hunc ordinem ſequuti ſumus.

In Primum volumen contulimus ea, ex quibus tota Auguſtini vita, mores, ingenium, & affectus perſpiciuntur: quod hoc pacto futurum arbitrarer, ut & rectius intelligerentur, & avidius legerentur. Amor enim doctoris, & attentum reddit, & lubentem diſcipulum. Adjecimus ejuſdem Progymnaſmata, quibus vel infans adhuc in Chriſto, vel novus tyro feliciſſime prælusit ad egregia facinora. Secundum volumen dedimus Epiſtolis, partim quod in his quoque permulta ſunt quæ ſcripſit juvenis: partim, quod ex his maxime deprehenditur, ſi quid in illius natura fuit peculiare. Tertium & Quartum dedimus his lucubrationibus, quas ad docendum paravit. Quintus habet Civitatem Dei, quod hoc Opus ſimul & docens & confutans errores maxime Paganorum, utrimque mixtum eſſet. In hac portione nihil eſt noſtræ induſtriæ, quod hanc provinciam hortatu meo ſibi proprie ſumſiſſet vir apprime doctus Joannes Ludovicus Vives. In Sextum & Septimum diſtribuimus pugnas adverſus diverſas Hæreſes. In Octavum & Nonum collecti ſunt Tractatus (ſic enim appellat Auguſtinus Scripturarum Enarrationes apud populum habitas,) niſi quod in Nonum farraginem quamdam adjecimus libellorum, quos viri neſcio qui ſpiritales in hoc paraſſe videntur, ut affectum ſuum ad rerum cœleſtium amorem inflammarent. Decimum volumen complectitur Homilias variis argumentis, in quibus permulta ſunt aliena quemadmodum & in Nono. In ſingulis, ne nullus eſſet ordo, vel ſacrorum voluminum quæ interpretatur, ordinem, vel hæreſeôn origines ſequuti ſumus. Ipſe Auguſtinus in libris Retractationum maluit ætatis ſuæ, & in Chriſtianiſmo progreſſuum ordinem ſequi, recenſens quæ ſcripſerit catechumenus, quæ ſacro lavacro renatus, quæ presbyter, quæ epiſcopus, niſi quod Epiſtolis & Tractatibus ſuum locum deſtinaſſe videtur, quam hujus curæ partem non abſolvit, ut ex ipſius aliquot ſcriptis apparet. Siquidem hoc moliebatur jam extrema ſenecta, veluti præſagiens extremum imminere diem, tantoque ſtudioſius agens, ut quoniam vocis officio diutius Eccleſiæ prodeſſe non poterat, in libris illi ſupereſſet, quatenus licebat, & emendatus & integer, quod propemodum aſſequutus eſt. Vix enim ex alterius monumentis minus intercidit, à depravatoribus nihil omnium potuit umquam eſſe tutum. Noſtram operam hic non exaggerabimus: conferat cui vacat, & agnoſcet. Nec tamen auſim polliceri nihil reſediſſe quod egeat emendatore. Alicubi nos deſtituerant vetuſti codices, aliquando in Opere tam prolixo ſomnus obrepſit, quem Flaccus putat eſſe condonandum humanæ naturæ. Jam ſi quid operarum incuria commiſſum eſt, à nobis præſtari non potuit, qui cum officina nihil habemus commercii. Tantum illos admonere poſſumus, qui præſunt officinæ: quod quidem à nobis factum eſt ſedulo. Quicquid noſtra mediocritas potuit, bona fide præſtitit. Supereſt, Ampliſſime Præſul, ut tantus Eccleſiæ Doctor tui nominis auſpiciis, tuoque favore commendatus prodeat in manus hominum: hoc avidius ab omnibus rapiendus, quo magis erit perſpicuum, Auguſtinum inter omnes unice ſemper placuiſſe tibi viro, præter clariſſimas gentis imagines, tot eximiis animi dotibus, ſeu potius Dei donis, ſic ornato cumulatoque, ut cum ſtemmatum illuſtribus ornamentis, cum muneris ampliſſimi dignitate, quo non aliud apud Hiſpanos auguſtius, aut etiam opulentius, non modo paria facias, verumetiam longe ſuperes, ipſaque ornamenta vehementer ornes. Teſtantur id non tantum hi, qui Tuam Amplitudinem cominus intuentur ac venerantur: ſed idem Tuæ declarant Epiſtolæ, ſpirantes undique ſingularem quamdam animi pietatem, cum ſumma modeſtia humanitateque conjunctam, tum eruditionem Epiſcopo dignam: denique judicium

exactum

exactum præ ſe ferentes, ut non tam titulo quam merito tuo totius Hiſpaniæ Primatem agas, nihil omittens quod ad Ecclesiam Dei vel ampliandam vel ornandam pertinere judicas: tres Academias, Complutenſem, Salamantinam & Toletanam tua benignitare tuoque ſtudio provehens, ut in his linguæ, liberalesque diſciplinæ, ſed præcipue Theologia, per viros ooo minus integros quam eruditos tradaotur: unde jam nunc velut ex equo, quod ajunt, Trojano prodiſſe videmus permultos ſolida præditos eruditione, reſectis iis, quæ multa ſolent in ſcholis hactenus inculcari juvenibus, vel inepta, vel ſupervacanea, quæque magis faciebant ad theatricam oſtentationem, quam ad eruditionis aut pietatis fructum. Eſt enim omnino medium inter eos qui hactenus & perturbate & ſopbiſtiee diſciplinas in ſcholis tradiderunt: & inter iſtos, qui diſciplinas humanas omnes, una cum ſcholis, e medio rollendas putant. Idem jam pridem molitur eximius vir Joannes Epiſcopus Roſſeoſis in Anglia, Caotabrigienſis Academiæ princeps, in qua tria collegia magois impenſis inſtituit, in quibus non ea tradantur quæ juvenes ad ſophiſticas palæſtras inſtruant, ad ſerias functiones frigidos reddant & ineptos: ſed uode prodeant veris diſciplinis ac ſobriis diſputationibus exercitati, qui graviter Evangelicoque ſpiritu prædicent verbum Dei, & efficaci quadam eloquentia commendent eruditorum animis: qualem ipſe jam diu tum oratiooe, tum ſcriptis, denique & vitæ integritate præſtat Eccleſiæ Chriſti: idque auctoritate & auſpiciis Gulielmi Warami Archiepiſcopi Cantuarienſis, totius Angliæ Primatis, cui juxta dignitatis ordinem, eſt a ſuffragiis, juxta pietatis affectum & virtutum æſtimationem, frater in Domino cariſſimus. Has laudes ſcio nec illi nec tibi placere, tametſi hiſce commemorandis vel gratulamur utilitati publicæ, vel divioæ benignitati gratamur potius, quam veſtras laudes celebramus: ſed ut eſt modeſtiæ, non agnoſcere laudes hominum, ita gratitudinis eſt, noo tacere viros, per quos numinis benignitas tanta commoda largitur humano generi. Egregiæ virtutis exempla, veluti lumeo, in edito ponenda ſunt, ut omnibus præluceant, multosque ad ſui æmulationem accendant. Si quid autem gratiæ in boc Opere meæ debetur induſtriæ, ejus maximam portionem lubens tuæ Celſitudini acceptam ferri patiar, qui laſſeſcentem recrearis, currenti frigidam, ut ajunt, ſuffuderis, idque non tantum amico hortatu, verum etiam benignitate tua ſpontanea. Quin & illud tibi magna ex parte debemus, quod Carolum Cæſarem habemus, cum honeſtis ſtudiis, tum Chriſtianæ religioni toto pectore faventem, nec male cupieotem Eraſmo, niſi me ſallant omnia. Prolixior, ad tot tantisque negociis occupatiſſimum Præſulem, videri poterat hæc Præſatio, niſi præterquam quod non uoi ſcribitur, nihil vetat quo minus ex intervallo legatur. Dominus Jeſus Sublimitatem tuam diu nobis ſervet incolumem, omnibus rebus bonis eximie florentem. Datum Friburgi Briſgaviæ, Anno M. D. XXIX.

268

CLARISS. PRAÆSTANTISSIMOQUE VIRO D. JACOBO PAMELIO, SACRARUM LITERARUM LICENT. ac Brugis Canonico, JOANNES VLIMMERIUS S. P. D.

QUanta hactenus, vir humaniſſime, hominum quorumdam in judicando temeritas fuerit, quidvis D. Auguſtini eſſe clamantium, ac pro animi arbitrio reclamantium: haud quiſquam facile crediderit, niſi ipſam rei veritatem, ab antiquioribus proditam, penitius introſpexerit, & ad vivum (quod ajunt) reſecuerit. In quo Controverſiæ genere, nemo vobis D. Poſſidio, ut qui ejus diſcipulus fuerit, potior diſceptator haberi debet. Nam cum beatiſſ. Auguſtinus tam multa ediderit, dictarit, atque in Eccleſia acerrime diſputarit, exceperit, & emendarit, vel adverſus hæreticos conſcripta, vel ex Canonicis libris expoſita, ut illis omnibus cognoſcendis & perlegendis vix quiſquam ſtudioſorum ſufficiat: nulli mirum videri debet, quædam ejus ſcriptis admixta eſſe, quæ vix eruditi alicujus ac pii ſunt, nedum D. Auguſtini, ſumma eruditione ac pietate viri: & rurſus, quorumdam conjecturis (ne dicam, præcipiti judicio & temerario auſu) quædam ſublata eſſe, quæ, vel omnibus tacentibus, Phraſis ipſa atque incredibilis pietas Auguſtini eſſe loquebantur. Quare ne veritatis & verbi Dei avidiſſimos, Poſſidius, qui cum hoc noſtro Antiſtite annis ferme quadraginta, Dei beneficio ac dono, abſque amara ulla diſſenſione (libenter enim ipſius verbis utor) familiariter ac dulciter vixit, in aliquo defraudare videretur, Indiculum librorum, tractatuum, & epiſtolarum ejuſdem omnibus ſtudioſis promiſſum, conſcripſit & exhibuit. Quem tamen in hunc uſque diem omnes qui Auguſtino non favere non poſſunt, haud citra ſummam exſpectationem votis ardentiſſimis deſiderarunt, ne poſthac (ut rectiſſime ſcribis) Cenſorum quorumdam temerariis judiciis fluctuarent incerti. Eum ego non alibi à me inventum ac nuſquam exſtare exiſtimatum, in Villarienſis Abbatiæ venerandæ antiquitatis codicibus longe inſtructiſſima Bibliotheca excutienda occupatiſſimus, ac tuo exemplo, illius avidiſſimus, nihil minus cogitans, reperi. Quem ut aliquando in lucem (cui nunquam antea aſſueverat) edere vellem, non ſemel id literis ad me miſſis, quibus & operam & partem magnam ſumptuum liberaliſſime offerebas, hortatus es, ne diutius ſua exſpectatione fruſtrarentur viri docti, quos nulli rei magis inhiare crediderim. Hactenus tamen ejus editionem quamlibet multum poſtulatam differre viſum fuit, ut noſtris marginum ſcholiis illuſtratus (quibus & per ipſum Auguſtinum & per veteres Patres, qui ejus ſcripta paſſim citare non dubitant, opera eſſe Auguſtini convincuntur) ac in commodiorem atque aliquanto concinniorem ordinem redactus, in lucem ſub tui nominis auſpicio prodiret: quando aliud tibi nequaquam gratius eſſe poſſe, certum habebam. Nam quantopere iiſdem ſtudiis delectareris, & ſi antea didiceram e cognato tuo Ludovico Carrione, juvene non illiterato, in cujus ore mihi plane habitare viſus es, adeo tuum erga ſe ſtudium, munificentiam, ac favorem frequenter nobis ſumma cum animi voluptate prædicat: magis id tamen Venerabilis ille Beda tuus, nuper in officina Hervagiana renatus, ac multorum librorum acceſſione, non ſine immenſis ſumtibus ac ſtudiis auctus, teſtatus eſt. Maximam itaque in ſpem adducor fore, ut quæ temporum injuria in tenebris adhuc jacent, & cum blattis ac tineis alicubi rixantur, ea, Tu, quæ tua eſt in veteribus conquirendis indefeſſo ſtudio diligentia, aliquando in propatulum allaturus, & quod noſtris qualibuſcumque laboribus deeſt, indubitanter adjecturus ſis. Siquidem comperi & ego, poſt hanc noſtram abſolutam editionem, nonnulla eſſe quæ diligens Lector exactius & magis plena numeris ſuis tradita, optare poſſit. In marginibus vero librorum noſtrorum (ut & ejus conſilii mei tibi conſtet ratio) ſatis habui Voluminum Tomos annotare, omiſſo paginarum numero, quod is in aliis atque aliis exemplaribus, alius ac multo diverſiſſimus ſit, nec idem omnibus reſpondere poſſit. Cæterum hanc opellam & qualemcumque induſtriam noſtram te Auctore ſuſceptam cum recordarer, abduci ab eo non potui, quin generoſæ D. T. conſecratum humiliter offerrem. Accipies itaque eo quo offerimus animo, & pro tua ſolita humanitate, adverſus calumniatorum inſultus, noſtros conatus tuebere.

Vale, multum obſervande Domine, noſque tui ſtudioſiſſimos mutuo dilige. Lovanii e noſtro Martiniano cœnobio. 9. Calend. Apriles. Anno

M. D. LXIIII.

CARMEN

CARMEN AD LECTOREM CHRISTIANUM, QUO BREVITER QUID IN LOVANIENSI Editione præſtitum ſit declaratur.

QUÆ priùs exierant, maculis non prorſus ademtis,
Scripta AUGUSTINI, *diverſis edita prælis,*
Illa ſuum tandem non tantùm nacta nitorem,
Verùm etiam cura longè majore recuſa
Nunc proſtant, verè genuino reddita ſenſu.
Namque vel exiguam quovis in margine vocem
Legimus: eque ſacris ſi Scriptis *fortè petita*
Teſtis erat, certam ut poſſet ſedemque locumque
Monſtrare, id vigiles noſtris effecimus auſis.
Multa TOMI *noni, priſcis ut conſona libris*
Eſſent, contulimus: collata hæc quiſque probabit.
PARTE *ſed in decima, mendis quæ tota ſcatebat*
Innumeris ſemper, vel iniquo judice conſtat,
Quantum mutârit noſtra hanc induſtria Partem.
Hac in purganda multum quoque præſtitit olim
LIPSIUS, *huncque pari vir ſedulitate ſequutus*
COSTERIUS: *magna eſt horum, non gloria parva.*
Nos tamen optantes meliorem imponere limam,
Majus onus ſumus aggreſſi, majoraque cœpta:
Noſque ſuo hîc multum ſtudio ULIMMERIUS *acri*
Juvit: qui vigili cura vigilique labore
Ante alios unus longè eſt præſtantior omnes.
Ille imperfectum nil linquens, mutila multa
Integra reſtituit, priſcaque in ſede locavit.
Adde, quòd è libris aliquot Tractata vetuſtis,
Sermoneſque ſacros toti nunc protulit orbi,
A nullo excuſos priùs, atque à nemine viſos:
Hos in calce hujus Patris tibi, candide Lector,
Linquimus, ut videas ſit quanta acceſſio facta.
His prius excuſos junctos quoque, Lector, habebis
Non paucos: verum magna quia parte fuerunt
Corrupti, & vitiis ſcatuerunt pluribus illi:
Ut ſi ſupplendi quavis ex parte fuiſſent,
Pagina mutaſſet pariter numerumque locumque
Priſtina, & utilitas parva hinc, labor improbus eſſet,
Indicis hîc fuerat ratio, pie Lector, habenda:
Mutatis numeris cùm mutaretur & ille.
Ne tamen inde aliqua fruſtratus ſpe videaris,
Omnia in adjunctis fuerant quæ digna notatu,
Hæc inſerta tenet vetus, at multo auctior, Index.
Optato à multis, at multis ante negato
Indice POSSIDII, *Divi qui Auctoris alumnus*
Diſcipuluſque fuit, nos Ulimmerius idem

Participes facit, & præſtanti munere donat.
Atque is conveniens noſtræ ut foret Editioni,
Haud operam exiguam ſuſcepimus atque laborem,
Ne quicquam in nobis Lector deſideret æquus.
Diverſis ſi quæ ſententia pendula dictis
Nobis viſa fuit, hanc ſignis quiſque notatam
Cernet, & ex illa ſibi ſenſus eliget aptos.
Quin etiam hæc aliis ſunt aucta, volumina multis.
Quæ non laude ſua, Lector ſtudioſe, carebunt.
Ergo Opus hoc præſtans grata nunc ſuſcipe mente,
Qui ſacra Divini ſcrutaris dogmata verbi:
Invenies numquam prius hic inventa: videbis
Plurima non tali ſic umquam excuſa labore.
Quòd ſi gratus eris, ſi te labor iſte juvabit,
Nos quoque grati erimus: nec nos labor iſte gravabit.
Imò aliqua ſi quid poſſit ſub parte latere,
Proferre in lucem ſtudio id conabimur omni.
Hæc tibi de nobis ſit ſpes non frivola: namque
Maxima quæque avidi, cum damno & ſæpe, ſubimus,
Poſſit ut utilitas humani creſcere cœtus.
Dum durant liquidi ſpacioſa volumina cœli,
Hæc ſacra durabunt clari monimenta laboris,
Poſteritaſque illis æterna encomia dicet.

ANIMADVERSIONES
IN TOMUM I.
AUGUSTINI.
DESIDERII ERASMI ROTERODAMI
CENSURA
IN LIBROS RETRACTATIONUM ET CONFESSIONUM
D. AUGUSTINI.

ERIT fortaſſe qui mitetur, cur his duobus operibus primum dederimus locum. Is rationem accipiat: Duæ res ſunt quæ vehementer & accendunt ad lectionem, & conducunt ad intellectum voluminis, vita auctoris cognita, & operis non ignotum argumentum. Plurimum enim refert, quam exiſtimationem, quem animum afferas ad legendum: nec facile dictu ſit, quantum in judicando momenti habeat præſumta de homine opinio. Frequenter exoſculamur dictum ab eo profectum quem amamus, de quo magnifice ſentimus, conſputuri ſi ab alio quem odimus veniſſe crederetur. Utramque commoditatem vir ſanctus juxta ac prudens Auguſtinus his duabus lucubrationibus nobis procuravit. Libris Retractationum omnium operum ſuorum argumenta contexuit, & Confeſſionum libris vitam omnem ſuam depinxit, quorum utrumque tam diligenter ab illo factum eſt, ut iniquior aliquis ſuſpicari poſſit non prorſus abfuiſſe humanum affectum κενοδοξίᾳ ſeu φιλαυτίᾳ cuipiam affinem. Verum res longe ſecus habet, ſi quis optimi viri conſilium expendat. Olim ſollemne erat præſtantium virorum geſta libris & orationibus celebrare. Hoc exemplum à militia ad ſtudia, à Græcis ad Latinos & Barbaros, à ducibus ac Philoſophis ad Epiſcopos demanavit. Perſpiciens itaque frequenter in hiſtoriis hujuſmodi multum falſitatis inveniri, ſive immodico ſtudio, ſive errore ſcriptoris, ſive etiam inopia fidei ac laudis amore, maluit ipſe ſui hiſtoriographus eſſe; nimirum, ſibi conſcius quam non aſſentaretur ſibi; deinde probe cognitum habens, ſe nulli mortalium notiorem eſſe poſſe, quam eſſet ſibi. Nam ut omittam animorum abſtruſos ſinus, quos quiſque ſuos novit, nec quilibet tamen pernovit, quotam vitæ portionem noverunt, qui nobis arctiſſima familiaritate juncti ſunt? Porro famæ quanta levitas, quanta vanitas? Ad hoc quantum humanæ memotiæ perfluvium? Cum duo rem aut orationem eamdem, cui pariter interfuerunt, referunt, quanta narrationis diverſitas? Jam quid iſtos memorem qui fabulis impudenter vanis & confictis miraculis memoriam eorum quibus favent, ſtudent vulgo commendare, nonnumquam ea laudantes quæ laudatus nec fecit, nec probavit? Et arbitror fuiſſe qui pium exiſtimarint hujuſmodi fucis animos ad religionis ſtudium accendere. Ego peſtilens hoc rabularum genus inter Chriſtianos ſemper ſum exſecratus, qui neque ſciunt veram pietatis imaginem adumbrare, quod nemo novit niſi vere pius, quales ſi eſſent illi, numquam talibus mendaciis fallerent diſcipulos illius, qui veritas eſt, & hujuſmodi technis hoc efficiunt, ut nec vera narrantibus habeatur fides. Horum ne quid accidere poſſet, Auguſtinus ſuo penicillo ſcipſum nobis depinxit, idque ut majore cum fide faceret, nec mala ſua reticuit, nec hominibus iſta loquitur, ſed Deo confitetur, cui mentiri nec pium eſt, nec tutum. Jam in voluminibus quanta fuerit inſcriptionum vel impoſtura vel infelicitas reputans, dum vel incuria multæ celebrium ſcriptorum lucubrationes intercidunt, vel inſcitia ſtudiove fraudatis auctoribus in alienum nomen plagio transferuntur, vel ſub gratioſo piorum hominum titulo ſuppoſititii nugonum, ne dicam hæreticorum libelli ſparguntur in vulgus, libris Rettactationum his malis occurrit tanta cura, ut ſingulorum operum & titulos & tempora & argumenta & occaſiones & initia notarit, adeo nihil prætermittens, ut nec ea quæ præluſit catechumenus, quæ vix orſus fuerat, quæ non agnoſcebat, denique nec Pſalmum vulgari rhythmo ſcriptum in Donati factionem præterierit. Patiar ut hanc diligentiam reprehendas, ſi prius ſupputaris quantum egregiorum voluminum nobis aliotum indiligentia perierit, quantum næniarum mendacibus titulis obtruſum ſit orbi Chriſtiano. Atque utinam pari diligentia quod cœperat abſolviſſet. Recognovit enim quicquid aliquo pacto libri nomen meretur. Supererant Epiſtolæ & Tractatus, quas ipſe teſtatur ab aliis Homilias vocari, hos dividit bifariam, in dictatos, & dictos ad populum. Quædam enim ſic dicebantur, ut ex conſenſu dicentis ad preces amicotum à notariis exciperentut quæ dicebantur Idem nonnumquam fiebat & apud populum velut in actis ſollemnibus. Quamquam id temporis fere notariorum celeritas excipiebat, quicquid publicitus apud multitudinem dicebatur. Quod quidem ut ubique facere moleſtum ſit, ita in feriis diſputationibus aut concionibus facere vehementer conducibile fuerit. Nunc quidem apud multitudinem quamlibet frequentem dicunt quidquid animo collubitum fuerit: cum urgentur, dejerant ſe nihil ejuſmodi dixiſſe: ex adverſo nonnullis exhibetur negocium, quaſi dixerint quod non dixetunt.

Hie ſi quis citet teſtem populum, bellua multorum eſt capitum, ut ait ille: ſcriptura manens certius litem dirimit. Recognita certum habent parentem. De epiſtolis & tractatibus aliunde ſumendum eſt judicium. Neque tamen protinus adulterinum haberi debet, quicquid in Catalogo non recenſetur, cum nec epiſtola ſit nec homilia. Quamquam enim ſenex hoc opus accuravit, tamen certum eſt illum poſtea quædam dediſſe in hunc ordinem accerſenda, veluti libtum de hæreſibus ad Quodvultdeum. Aliis igitur argumenris docendum eſt quædam eſſe ambigui partus, quædam certo notha. Porro libri Confeſſionum non ſolum huc conducunt, ut avidius legamus illius ſcripta, cujus & ſinceriſſimam erga Deum pietatem & flagrantiſſimam erga proximum caritatem cognovimus. Verum habent & aliam utilitarem, eamque geminam. Altera eſt, qua hinc cognitis perſonis rectius intelligimus dialogos illius & Epiſtolas: altera qua qui familiariter noverant ingenium, ſenſum ac dictionem hominis, mulris non offenduntur quibus graviter erant offendendi, ſi hæc ignorarent: id eſſe veriſſimum, abunde docet vitæ communis experientia. Quoſdam natura triſtiores, parum amicos crederes, ni perſpectum haberes ingenium. Alios blandiores vel adulari vel ridere credas: rurſus alios occulta naturæ vi proclives ad jocandum, parum graves arbittere, ni propius ac domeſtice noſſes. Nec dubito quin hoc multis uſu veniat eorum, qui recens ad Auguſtianorum voluminum lectionem velut in colloquium illius veniunt. Offendit ſpecies quædam loquaciratis, offendunt in longum productæ periodi, offendit oratio nonnumquam ad popularem ſermonem degenerans, offendit earumdem rerum crebra repetitio; dicas alicubi quiddam eſſe ſubinane, & affectum hominis ſibi plus æquo placentis. Cæterum ubi diutina lectione ſactus ſis familiariot, ſermonis copiam & eadem ſubinde iterata facile excuſat docendi ſtudium, & quod docuit, penitus animis hominum infigendi: circuitus prolixiores quibus comes eſſe ſolet obſcuriras, arguunt admirandam memoriæ felicitatem & ut ingenio fœcundiſſimo plurima ſeſe confertim offerunt, multa paucis complectendi ſtudium: dictionis humilitatem excuſat caritas, οὐχ' ὑψηλοφρονοῦντα, ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι Paulinis enim verbis libenter utimur. Quemadmodum autem erat alienarum virtutum candidiſſimus æſtimator, ita mire φιλόστοργος fuiſſe videtur erga cognatos & amicos, quod ipſum eximiæ eujuſdam humanitatis indicium eſt. Suas vero dotes nec ignoravit ob ſtulritiam, nec odit ob putidiratem. Verum hactenus, ut ea res nihil officiat hominis inſigni modeſtiæ. Non aliter amat, non aliter prædicat in ſe dona Dei, quam amaret ac prædicaret in aliis. Ignorare tua bona, ſtupiditatis eſt: non prædicare Domini benignitatem, ingratitudinis eſt: non expendere in utilitatem proximi quod acceperis, impietas eſt. Non gaudere de fructu fraterno quem Dominus per te contulit, impii ſimul & ingrati livoris eſt. Quomodo depromes talentum in uſuram ſi non agnoſcas quod tibi traditum ſit? Quomodo poſſis inde tollere criſtas, quod intelligas totum eſſe gratuitæ Dei benignitatis? Quoties autem divina bonitas te velut organo dignatur uti, ad juvandos alios, non habes quod inſoleſcas, ſed habes unde gratulere frattibus, unde gratias agas Deo, tuo pariter & illotum nomine. Sic amavit, ſic prædicavit ſuas dotes vir ſanctiſſimus. Quamquam in iis libris quos ſcripſit catechumenus, deprehendas nonnihil humanæ gloriæ, quem affectum minime malum generoſiſſimis quibuſque ingeniis potiſſimum videmus inſitum eſſe. Non enim excuſare conabor quod ipſe putavit accuſandum, dicens eos libros quos ſcripſit rudis adhue ac velut infans in philoſophia Chriſtiana, ita ſeruiſſe Chriſto, ut adhuc reſiperent ſcholam ſuperbiæ, magiſque ſpirarent Platonis dogmata, quam divinatum ſcripturarum myſteria. Habet Africa ſuum quoddam ingenium, & habebat omnino quiddam ſuæ gentis Auguſtinus, niſi Chriſtus illum in alium vitum transformaſſet. Porro Confeſſionum libri quos & ocioſus & ocioſis ſcripſiſſe videtur, habent quiddam peculiaris moleſtiæ. Primum in hoc quod multa de ſeipſo commemotat, partim minutiora, quam ut ea ſeveriore præditus ingenio commemoranda putaret, partim ad gloriæ ſpeciem accedentia. Quid aurem faſtidioſius, quam humani livor ingenii, ſi quis quid quamlibet modeſte de ſeipſo prædicet? Ad hæc, dum de rebus humilioribus, ne dicam ſordidioribus, velut de infantia, de ephebia, de affectu libidinis, deque ſimilibus verba faciens, ſtudet iis quæ dicuntur orationis honorem addere, veluti pudorem ſententiarum hoc velo tegens, fit hac occaſione nonnumquam obſcurior. Verum hæc tædiola ſi devoratis, reliqua cum majore tum fructu, tum voluptate perleges.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS PHEREPONI

NOTÆ

AD LIBROS RETRACTATIONUM

S. AUGUSTINI

ANIMADVERSIONES
IN LIBRUM I.
RETRACTATIONUM.

Prol. § 1. TRactatibus.] Hoc eſt, *ſermonibus*, ſeu concionibus, quibus populo Scripturam interpretatus eſt; nam *tractare*, eo ævo, erat concionari, & *tractatores* dicebantur Scripturæ Interpretes. Quarum vocum non rara ſunt apud *Cyprianum* exempla.

Ibid. *Denotem.*] Id eſt, gravi improbantis *notâ* inurere, ut Cenſoris erat morea malorum *notare*. Frequenter eâ notione, apud *Tertullianum*, verbum hoc occurrit, ut initio Lib. de pallio, *habitus denotare*. Vide Indicem Gloſſarum *Tertulliani*.

§. 2. *Abſit ut multiloquium deputem* &c.] Expreſſit *Auguſtinus* hæc *Philemonis* Comici, quæ & alii imitati ſunt.

Τὸν μὲν λέγοντα τῶν δεόντων μηδὲ ἓν
Μακρὸν νόμιζε, κἂν δύ' εἴπῃ συλλαβάς.
Τὸν δ' εὖ λέγοντα, μὴ νόμιζ' εἶναι μακρὸν,
Μηδ' ἂν σφόδρ' εἴπῃ πολλὰ, καὶ πολὺν χρόνον.
Τεκμήριον δὲ τοῦδε τὸν Ὅμηρον λαβέ.
Οὗτος γὰρ ἡμῖν μυριάδας ἐπῶν γράφει,
Ἀλλ' οὐδὲ εἷς Ὅμηρον εἴρηκε μακρόν.

Longum cenſeto dicentem nihil eorum quæ dici debent, vel ſi duas dixerit ſyllabas. Bene vero dicentem ne exiſtimato longum eſſe, ne ſi multa quidem dixerit & multo tempore. Argumentum certum hujus rei ex Homero accipe. Hic enim nobis multas myriadas verſuum ſcribit, at nemo Homerum dixit longum. Extat locus Tit. XXXVI. Florilegii *Joan. Stobæi.* Vide & Epiſt. XX. Lib. I. *Plinii.*

LIBRO. I. Cap. I. §. 2. *Cujus ratio & cauſa ſecreta eſt.*] Si hæc tantùm *caſui* tribuerentur & dicerentur *fortuita*, eſſent hæc dumtaxat nomina quibus ignorantiam noſtram velaremus. Sed *fortuita* etiam rectè dicantur, quæ ſcholaſtico ſermone vocantur *contingentia*, hoc eſt, quæ non evenire & evenire æquè poſſunt; qualia ſunt quæ pendent à libertate Naturarum Intelligentium, quæ interdum ut velint nulla, non modò neceſſitate, ſed ne ratione quidem aut affectu ullo, vel certè ineluctabili adducuntur. Quamquam hæc quoque pendent à divina Providentia, quâ inſciâ, aut invitâ nihil contingit; & quæ mutationem quamvis rebus omnibus poteſt afferre. Igitur cùm nulla ſit neceſſaria cauſa, cur nonnulla velimus, illa ideò *fortuita* dici poſſint; non verò dumtaxat quia eorum *cauſa & ratio ſecreta eſt*. Verùm hîc locus non eſt hac de re agendi.

Ibid. § 3. *Amorem pulcritudinis.*] Φιλοκαλία duo ſignificat, elegantiæ quidem atque munditiarum amorem, in rebus corporeis; ſtudium verò rerum honeſtarum, ubi ſermo de rebus ad animum pertinentibus. Docebunt hæc quævis Lexica. Ideoque minùs commodè vertas *amorem pulcritudinis*, quibus verbis ſignificatur tantùm amor formoſorum puerorum, aut formoſarum mulierum. Fateor φίλον eſſe *amicum* & καλὸν *pulcrum*, æquè ac *elegantem* aut *honeſtum*. Sed ex uſu, non ex Etymologia ſunt explicanda verba. Interea meritò damnat ſuam *Philocaliam Auguſtinus*, quia ſumitur illic pro amore munditiarum. Vide Lib. II. contra Academicos Cap. 2. Si verò *Philocaliam* vocaſſet amorem rerum honeſtarum, non eſſet cur nomen hoc damnaret, quaſi idem ſignificaret ac *Philoſophia*; nam quævis *Philocalia* non eſt *Philoſophia*, ſi hoc vocabulum ex uſu recepto interpretemur. Certè *Baſilius* Cæſarienſis & *Gregorius* Nazianzenus non vocaſſent *Philoſophiam*, niſi impropriè, excerpta ex *Origene* quibus *Philocaliæ* titulum fecerunt.

Ibid. 4. *Laus quoque ipſa* &c.] Retractaſſet ergo quod de Academicis dixit initio Epiſt. I. ſi Epiſtolas ſuas recenſuiſſet. Sed & hoc obiter tangit Confeſſionum Lib. IX. c. 4. n. 7.

Cap. III. *Bene viventes facillimè exaudiet.*] Si vocibus *bene viventes* intellexiſſet *Auguſtinus* peccati omnis immunes, eoſque ſolos à Deo exaudiri dixiſſet, ſine dubio graviter erraſſet; ſed ſi intellexerit eos *qui optimis moribus operam dant*, hoc eſt, qui Dei timentes ſunt, & conantur in dies meliores fieri, quamquam ſubinde peccant, infirmitate non nequitiâ, neſcio quare retractaverit hunc locum. Nam certum eſt impios, in ſua impietate manentes, à Deo minimè exaudiri. Vide Interpretes ad Joan. IX. 31. & Jac. IV. 3.

Cap. VII. §. 6. *Nemo ferè de ſcarabæis dubitat* &c.] Rectè hac de re multi dubitabant, quam nunc pernegant accuratiſſimi Phyſici. Vide *Franc. Redum* de Inſectis. Nec minoris potentiæ ac ſapientiæ eſt efficere culicem, quàm camelum.

Cap. X. § 2. *Quod omnes homines poſſunt, ſi velint.*] Neceſſe erat hanc loquutionem explicari ab *Auguſtino*; quia ſolet ita vulgò intelligi, ut ſtatuantur ii de quibus ita loquimur *poſſe velle*. Quis enim non horreret, ſi quem audiret dicentem, *Chriſtus homo poteſt, ſi velit, à Patre ſuo deficere?* Nimirum, eâ loquutione ſtatui ſolet, poſſe fieri ut velit is de quo ſermo eſt.

Cap. XIII. § 3. *Res ipſa quæ nunc dicitur Chriſtiana Religio erat apud Antiquos.*] Hæc intelligenda ſunt ex iis quæ dicuntur Cap. XXI. n. 2. Alioqui minùs vera eſſent, quàm quæ retractantur.

Ibid. § 6. *Vendentes & ementes flagellando ejecit de Templo.*] Non videtur tamen propriè hæc *vis* potuiſſe dici, quâ vires mercatorum victæ ſint. Auctoritati potiùs Propheticæ ceſſerunt, quàm vi, quâ expulſi fuerint. Nimis ſeverus cenſor fuit in ſe *Auguſtinus*, qui credidit propter hoc Chriſti factum, minùs verè à ſe dictum fuiſſe Chriſtum *nihil egiſſe vi, ſed omnia ſuadendo & monendo*. Verùm hæc eò ſpectabant, ut opinioni quam poſtea amplexus eſt, de perſequutione licita, patrocinaretur; ut liquet ex Epiſtolis ad Bonifacium & Vincentium. Qua in re δεύτεραι φροντίδες non fuere σοφώτεραι.

Cap. XVII. *Competentibus.*] Hoc eſt, Catechumenis, qui *unà petunt* baptiſmum, quam ob rem *competentes* dicuntur. Vide Tomo VI. Librum *de Fide & operibus*, Cap. VI, 1 t, 9.

Cap. XXII. § 4. *In poteſtate hominis eſt mutare in melius voluntatem.*] Clariùs, ex ſententia quam propugnat *Auguſtinus*, dixiſſet *in poteſtate hominis, quem Deus gratiâ donat* &c. Sed incautiùs loquutus fuerat contra Manichæos, nam ut valeat ratiocinatio, ejus hic debet eſſe ſenſus: *Niſi* quiſque *voluntatem mutaverit, bonum operari non poteſt, quod in noſtra* (quorumvis, nempe) *poteſtate eſſe poſitum alio loco docet* &c. Atqui non quibuſvis datam gratiam cenſuit poſtea.

LIBRO. II. Cap. XIII. *De frontibus codicis.*] Hoc eſt, ex marginibus Libri Jobi, quibus *Auguſtinus* haſce Adnotationes adleverat.

Cap. XX. *Unicuique ſecundùm propriam voluntatem in ore ſapiebat.*] Rectè quidem fecit *Auguſtinus*, cùm rem incertiſſimam retractavit; ſed tamen hæc fuit Judæorum vulgaris opinio, ut multis eorum teſtimoniis oſtendit *Joan. Buxtorfius*, in Exercitatione de Manna.

Cap. XXXII. *Porphyrium Siculum.*] *Porphyrius* fuit Tyrius, non Siculus; ſed Siculus à nonnullis creditus, quòd diu vixerit in Sicilia, in qua etiam libros contra Religionem Chriſtianam edidit. Vide *Lucam Holſtenium* in ejus vita, ſubjecta Operi de *Abſtinentia Animalium.*

Cap. XXXVII. *At carendo appellatas cerimonias.*] Aliæ ſunt multò veriſimiliores ſententiæ, de origine

bujus vocis, quas legere eſt in Etymologico *G. J. Voſſii*. Sed quæcumque ſit ejus origo, mirum eſt *Auguſtinum* ab ea abſtinuiſſe voluiſſe, *quòd non ſit in uſu litterarum ſanctarum*, hoc eſt, interpretationis Latinæ Scripturæ; quot enim aliæ voces in ea non exſtant, quibus tamen Chriſtiani ſcriptores paſſim utuntur? Quot vocibus ipſum abſtinere oportuiſſet in contentionibus cum Arianis & Pelagianis, ſi hanc ſuam legem obſervaſſet? Satis fuit res eſſe in Scriptura, quæ verè ſic dici poterant. Itaque nimis ſeverum Cenſorem ſui egit.

Cap. LV. § 2. *Cùm haberet neceſſitatem bis in die ingredi ſancta ſanctorum.*] Duabus in rebus ab accuratiſſimis Moſis Interpretibus, & ipſa veritate diſſentit hîc *Auguſtinus*. Alterum eſt quod credit ſuffitum quotidie bis oblatum fuiſſe in ſanctiſſimo Adyto, quod ſolet *ſancta ſanctorum* dici; cùm fieret hoc dumtaxat in ſanctuario in quo erat altare thymiamatis, ſoleréteque Pontifex Maximus ſemel dumtaxat quotannis *ſancta ſanctorum* ingredi. Alterum verò quod ſuffitum quotidianum ſemper à Pontifice Maximo oblatum cenſeat, cùm à quovis ſacerdote poſſet offerri, ut vel exemplo Zachariæ patris Joannis Baptiſtæ conſtat. Fateor Exod. xxx. 7. munus ſuffitûs offerendi tribui Aharoni; verùm illic nomen Aharonis pro cujusvis ſacerdotis nomine ſumitur. Vide ad eum locum interpretes, & ad Lev. C. xvi.

ANIMADVERSIONES

IN CONFESSIONES

S. AUGUSTINI.

Libro. I. Cap. I. *Et laudare.*] τὸ Et perinde hîc eſt ac *tamen*, ut ſequens repetitio bujus membri orationis oſtendit.

Ibid. *Ad te.*] Hoc eſt, propter te, vel ut *ad te*, tamquam ad ſummæ beatitudinis unicam atque ultimam cauſam, contenderemus.

Cap. IV. *Stabilis & incomprehenſibilis.*] Sunt incomprehenſibilia nonnulla, propter ſummam inſtabilitatem, ut venti variabiles, quorum ratio ideò intelligi non poteſt; at Deus, quamquam ſemper idem eſt, & abſque ulla mutationis obumbratione, nihilo magis comprehendi poteſt. Ideò *Auguſtinus* cum *incomprehenſibili* hîc *ſtabilem* conjungit.

Cap. V. §. 5. *Moriar, ne moriar, ut eam videam.*] Scio hîc poſſe quæri ἀξύμφωνον, quale eſt illud animi beatitudinem ſitientis: *morior, quia non morior*; attamen ſuſpicarer ſic locum interpungendum: *Noli abſcondere à me faciem tuam. Moriarne? moriar ut eam videam.* Reſpicit, nempe, *Auguſtinus* ad hiſtoriam quæ exſtat. Exod. xxxiii 17. & ſeqq. ubi Moſi *gloriam* vel *faciem Dei* videre cupienti hoc editur reſponſum; *non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & vivet.* Igitur poſtquàm à Deo petiit ne abſcondat ſibi faciem ſuam, illico ſubjicit, *moriarne?* ſi, nimirum, eam videam.; reìnque ſecum reputans, tantique eſſe intelligens, ut propterea vitam amitteret, *moriar*, inquit, ſi ita tibi videtur, *ut eam videam*.

Cap. vii. §. 11. *Me commemorat.*] Hoc eſt, mihi in memoriam revocat; quo ſenſu, apud *Auguſtinum*, cum accuſativo perſonæ conjungitur; at ſignificatu narrandi conſtruitur cum dativo. Sic Græci dicunt, ἀναμιμνήσκω σέ τινος, *commemoro te alicujus*, hoc eſt, ejus tibi memoriam revoco. Igitur rectè ex MSS. hîc reſtituerunt accuſativum viri docti.

Cap. xx. §. 18. *Terram* &c.] *Terram* vocare videtur *Auguſtinus* naturam humanam corruptam, quæ nihil niſi terreſtria ſpirat; *effigiem* verò imaginem Dei, per baptiſmum renovatam, atque inſtauratam. Vide num. 21. ſub finem.

Cap. xvi. *Flumen* &c.] Collatio depravatæ conſuetudinis cum flumine frequens apud optimos quoſque Scriptores, etiam Ethnicos. Hinc *brachia contra torrentem dirigere*, perinde eſt ac pravæ conſuetudini adverſari. *Juvenalis* Sat. iv. 89.

Ille igitur numquam direxit brachia contra
Torrentem.

Cap. xvi. § 26. *Supra mercedem ſalaria.*] Hoc eſt, præter minerval, à ſingulis pueris ſolvi ſolitum, privato ære, Grammaticis publicè conſtituta erant *ſalaria*, ſeu ſtipendia ex publica pecunia ſolvenda. Aut fortè à mercede pecuniaria, diſtinguitur *ſalarium*, ut hac voce ſignificentur ſal publicè præbitum, carnes, vinum, oleum &c. Sic in Epiſtola Valeriani, quæ legitur in vita Probi, à *Flavio Vopiſco* conſcripta, memoratis veſtibus & pecuniâ, quas Præfectus Prætorio jubebatur dare Probo: *Item in ſalario diurno, bubulæ pondo, porcinæ pondo ſex, caprinæ pondo decem, Gallinaceum per biduum, olei per biduum ſextarium unum, vini veteris diurnos ſextarios decem, cum larido bubalino; ſalis, olerum, lignorum quantum ſatis eſt.* Vide ad hunc locum Intt. & ad vitam *Clodii Albini* ſub finem, ubi *ſtipendium* à *ſalario* etiam diſtinguitur. Sic & in Cod. Lib. x. Tit. 52. De Profeſſoribus & Medicis, Conſtantinus jubet eis *mercedes & ſalaria reddi, quò faciliùs liberalibus ſtudiis multos inſtituant.*

Ibid. § 26. *Vinum erroris, quod nobis propinabatur ab ebriis doctoribus.*] Quamvis non ignorem *vinum iniquitatis* & *compunctionis* in Scriptura memorari, attamen crediderim hîc reſpicere *Auguſtinum* ad *Cebetis*, Platonici celeberrimi, Tabulam, in qua Ἀπάτη, ſeu *Impoſtura* inducitur pueros omnes in vitam ingredientes ποτίζουσα τῇ ἑαυτῆς δυνάμει, hoc eſt, ποτηρίῳ πλάνης, *poculo erroris*. Vide ejus initium.

Cap. xviii. § 29. *Scripta conſcientia.*] Reſpicit *Auguſtinus* ad Rom. ii, 15. ubi dicuntur Ethnici *oſtendere opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum* &c.

Cap. xx. § 31. *Secretiſſimæ unitatis* &c.] Hoc eſt, Dei, cujus voluntas eſt veluti ſecretiſſimum vinculum, quo univerſi unitas ſarta ac tecta conſervatur. Vide Lib. iv. de Geneſ. ad litteram, cap. 12. ubi agit de conſervatione rerum omnium. Cæterùm Platonici ἑνάδα & μονάδα paſſim Deum vocitant. Adi *Procli* Theologiam Platonicam.

Libro. ii. Cap. 2. *Obſurdueram.*] Qui ediderant *obſorderam* credebant O & *V* hic eſſe miſta, ut in voce *jocundus* pro *jucundo*. Reſpicere autem videtur *Auguſtinus* ad id quod fertur de catarractis Nili, ubi *Nilus præcipitans ſe fragore auditum accolis aufert*, ut loquitur *Plinius* H. N. Lib. vi. c. 29.

Cap. vi. §. 14. *Potuitne liberè quod non licebat* &c.] *Ovidius* nequitiæ magiſter affirmat, nec falsò, Amor. Lib. ii. El. 19.

Quod licet ingratum eſt, quod non licet acriùs urit;
Quod ſequitur fugio, quod fugit uſque ſequor.

Et Lib. iii. El. 3.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata,
Sic interdictis imminet æger aquis.

Nempe, nullam rationem legum habere, ſed ita nos gerere, quaſi iis ſoluti eſſemus, neſcio quid amplum ac magnificum videtur humanæ ſuperbiæ.

Lib. ii. Cap. iii. § 6. *Everſores.*] Videntur ita dicti petulantiores juvenes, qui ſcholas Rhetorum, à quibus non docebantur, irrumpentes omnia illic evertebant, ludibrióque habebant Magiſtros. Ejus nequitiæ meminit iterum *Auguſtinus* Lib. de Vera Rel. Cap. xl. n. 75.

De petulantia vero juventutis Carthaginienſis, vide quæ habet infra Lib. v. c. 8. quæ confer cum Cap. 12.

Cap. vi. §. 21. *Quinque antra tenebrarum* &c.] Deliramenta hæc Manichæorum copioſiùs exponit & confutat *Auguſtinus*, in Lib. contra Epiſt. Manichæi, Cap. xv. qui Liber eſt Tom. viii.

Cap. vii. § 13. *Numquid juſtitia varia eſt & mutabilis* &c.] Hæc accuratius excuſſit *Auguſtinus*, in Libris contra Manichæos, qui adeundi ab iis qui reſponſum hoc probè intelligere cupiunt. Collecti ſunt ii Libri in unum corpus, Tom. viii.

Libro iv. Cap. iii. §. 5. *De paginis Poetæ cujuſpiam* &c.] Conſulturi Deos de eventu conſilii cujuſpiam, interdum in eorum templis, aut privatim aperiebant volumen celebrioris Poetæ, ut *Homeri*, vel *Virgilii*; & primum verſum, qui occurrebat, reſponſum Deorum putabant. Vide Intt. ad vitam Adriani à *Spartiano* conſcriptam, non procul ab initio. Chriſtiani etiam, ſimili ratione, Scriptura Sacra abutebantur, ut videbimus Lib. viii. c. 12. hujuſce Operis.

Cap. v. *An fletus res amara eſt* &c.] Delectamur triſtitiâ & luctu, ut ceteris omnibus affectibus, quibus libenter indulgemus, ægrè obſiſtimus; quia ut eos vincamus, vis inferenda eſt perturbationi animi & corporis. Minuitur etiam ſenſim triſtitia, dum eam liberè in lamenta & lacrimas effundimus. Verba ſunt *Euripidis*, in Oenomao, apud *Stobæum* Florileg. Tit. cxxiii.

Ἀλλ' ἔστι γάρ δὴ καὶ ἐν κακοῖσιν ἡδονὴ
Θνητοῖς ὀδυρμοὶ, δακρύων τ' ἐπιῤῥοαί.
Ἀλγηδόνας δὲ ταῦτα κουφίζει φρενῶν,
Καὶ καρδίας λύουσι τοὺς ἄγαν πόνους.

Verùm in malis voluptati ſunt hominibus, lamenta & defluxus lacrimarum. Hæc levant triſtitiam animi, & nimiis doloribus cor liberant. Alia ſunt ibidem & alibi in eamdem ſententiam.

Cap. vii. *Diligere homines humaniter.*] Hoc eſt, eo amoris modo, qui rebus perituris tribui poteſt. Sic & Græci uſi ſunt voce ἀνθρωπίνως, & quidem in re ſimili. *Menander apud Stobæum* Floril. Tit. cxxv.

Ἀνθρωπίνως χρὴ τὰς τύχας φέρειν, ξένε.
Τὰ κοινὰ κοινῶς δεῖ φέρειν συμπτώματα.

Humanè oportet calamitates ferre, ô hoſpes, communia par eſt tolerare communiter.

Cap. xii. §. 18. *Ecce ubi eſt, ubi ſapit veritas.*] Si ita legas, ſic videtur interpungendum, *ecce ubi eſt? ubi ſapit veritas.* At fortè melius legamus, *ecce ubi eſt, ibi ſapit veritas*; hoc eſt, ejus animi palato, ut ita dicam, ſapida eſt veritas, cui Deus adeſt.

Cap. xiv. §. 21. *Hierium.*] Eſtne *Fl. Hierius*, qui anno Chriſti ccccxxvii. cum Fl. Ardaburio Conſul fuit? Certè interdum viris eruditis collata ea dignitas, propter ſolam eruditionem, ut *Auſonio* Poetæ, aliiſque. Non puto tamen, propter alias viri dignitates quas vide apud *Jacobum Gothofredum* in Proſopographia Codicis Theodoſiani.

Ibidem §. 23. *Obex contemplationis.*] Si hæc vera eſt lectio, perinde eſt ac, *ob oculos mentis*.

Libro v. Cap. ix. §. 16. *In cruce Phantaſmatis.*] Hoc eſt, in cruce è qua pependiſſe Phantaſma, non Chriſtum ipſum, credebant Manichæi. Vide quæ contra hoc dogma habet *Auguſtinus* T. viii. aut, ſi paucioribus rem deſcriptam cupias, libellum ejus de Hæreſibus, ad Hæreſin Manichæorum.

Cap. x. §. 18. *Quos Electos vocant.*] Hi apud eos veluti primariæ virtutis, aut commentis ejus ſectæ addictiſſimi erant; minùs perfecti dicebantur *auditores*. *Nam*, ut verbis utar Auguſtini ex memorato libello, *his duabus profeſſionibus, hoc eſt, Electorum & Auditorum, Eccleſiam ſuam conſtare voluerunt.*

Ibidem §. 20. *Niſi carni concernentur.*] Qui voce *concerni*, pro miſceri, primi uſi ſunt, videntur voluiſſe exprimere vocem Græcam συγκερᾶσθαι, quæ idem ſignificat, nec ſono à Latina abludit.

Cap. xiii. *Dilexit.*] Crediderim legendum *direxit*, hoc eſt, peregrinum Epiſcopalibus conſiliis adjuvit.

Cap. xiv. §. 24. *Cum ad litteram acciperem, occidebar.* &c.] *Auguſtinus* in declamando probabilia ſequi, non explorata ſolitus, ſimilibus ratiocinationibus in interpretatione Scripturæ ſatisfieri ſibi paſſus eſt. Nam alioqui conſtat *Ambroſium* plus æquo allegoriis deditum fuiſſe.

Ibidem §. 25. *Sicut exiſtimantur.*] Vide quæ de vera Academicorum ſententia ſuſpicabatur *Auguſtinus* Lib. iii. de Academicis Cap. xvii.

Libro vi. c. ii. *Quo jam non ſolum aquatiſſimo ſed etiam tepidiſſimo, cum ſuis præſentibus per ſorbitiones exiguas partiretur.*] Conjiciunt in margine viri docti, *quod non ſolum aquatiſſimum, ſed etiam tepidiſſimum.* Sed minore mutatione ſanabitur hic locus ſi legamus *potaretur*; ut ſuadent etiam ſequentia; *quia pietatem ibi quærebat, non voluptatem.*

Cap. iii. § 3. *Quolibet tamen animo* &c.] Si alloqueretur homines, qui cuperent ſcire quâ ratione vitam inſtituiſſet *Ambroſius*, ſuperior narratiuncula fortè non diſplicuiſſet; ſed Deo minuta illa, qualia paſſim occurrunt, narrare, neſcio quomodo decorum putaverit *Auguſtinus*. Sed magis hominum cauſâ hæc narrabat, quàm Dei; at præſtitiſſet amicum alloqui, quàm Deum.

Cap. viii. *Gladiatorii ſpectaculi.*] Nefandi hi ludi, à ſapientibus etiam Ethnicis damnati, facti etiamnum videntur in gratiam Ethnicæ plebis. Sed mirum eſt Epiſcopos non impetrare potuiſſe ab Imperatoribus, ut dira illa conſuetudo abrogaretur.

Cap. ix. §. 14. *Æditimi fori.*] *Æditimus* idem eſt ac *Æditus*, nempe, νεωκόρος, ſed hic ſumi videtur pro apparitoribus, qui cuſtodiæ cauſa in foro verſabantur, aut pro iis qui curiam ſervabant.

Cap. x. §. 16. *Comitis largitionum Italicianarum.*] Sic loquebantur eo ævo. Vide Codicem Theodoſianum Lib. vi. Tit. xix. leg. de Conſularibus & Præſidibus.

Cap. xiii. *Diſcernere ſe, neſcio quo ſapore, quem verbis explicare non poterat, quid intereſſet inter revelantem te & animam ſuam ſomniantem.*] Itaque Monnica ſibi ſuas, ut opinabatur, revelationes ſervare debebat, quarum diſcrimen a ſomniis dicere non poterat. Quàm facile eſt homines imperitos, religionis ſpecie, in talibus aberrare! Ad eventum ſomniorum quod attinet, idem dixeris quod de Genethliacorum prædictionibus, interdum non vanis, dixit *Auguſtinus* Lib. vii. §. 8. Sed honorificum erat Monnicæ filio, ipſius converſionem fuiſſe ſomniis θεοπέμπτοις præſignificatam; quod tamen alii pudentiùs commemoraſſent.

Cap. xvi. *Verſa & reverſa in tergum, & in latera, & in ventrem & dura ſunt omnia.*] Metaphora deſumta ex ægro, vel inſomniâ laboranti, qui in lecto ſe jactat, & quamcumque in partem ſe vertat duram culcitam experitur. Sic animus anxius, dum quærit veritatem in qua conquieſcat, nec eam invenit, omnia faſtidit quaſi noxia.

Libro vii. Cap. 6. §. 9. *Dealbatiores viæ.*] Viæ munitæ opere publico, quadrato lapide, calce interlito, ſtratæ erant, quæ cùm reficiebantur, novâ calce biantibus lapidum rimis immiſſâ, dealbatæ videbantur; quamobrem *dealbatiores viæ* dici vulgò poterant, quæ diligentiùs curabantur, ac proinde commodiores erant. Hinc tranſlata videtur hæc metaphora. Vide, ſi vacat, *Nicolaum Bergierium*, de publicis & militaribus Imperii Romani viis, Lib. ii. c. 18.

Cap. ix. §. 13. *Ibi legi quod in principio erat verbum* &c.] Similitudine verborum aliquot & ſententiarum deceptus *Auguſtinus*, ut & multi Græci Scriptores, cum doctrina Chriſtiana miſcuit Platoniſmum, qui merus erat, hac in parte, Arianiſmus; ut oſtendit *Joan. Clericus* Epiſt. Critic. vii, & viii. Fortaſſe intelligit hic Auguſtinus *Plotini* opera, quem vehementer laudat Lib. iii. contra Academicos, num. 41. & de Civitate Dei Lib. ix. c. 10.

bujus vocis, quas legere eſt in Etymologico *G. J. Voſſii*. Sed quæcumque ſit ejus origo, mirum eſt *Auguſtinum* ab ea abſtinuiſſe voluiſſe, *quòd non ſit in uſu litterarum ſanctarum*, hoc eſt, interpretationis Latinæ Scripturæ; quot enim aliæ voces in ea non exſtant, quibus tamen Chriſtiani ſcriptores paſſim utuntur? Quot vocibus ipſum abſtinere oportuiſſet in contentionibus cum Arianis & Pelagianis, ſi hanc ſuam legem obſervaſſet? Satis fuit res eſſe in Scriptura, quæ verè ſic dici poterant. Itaque nimis ſeverum Cenſorem ſui egit.

Cap. LV. § 2. *Cùm haberet neceſſitatem bis in die ingredi ſancta ſanctorum.*] Duabus in rebus ab accuratiſſimis Moſis Interpretibus, & ipſa veritate diſſentit hîc *Auguſtinus*. Alterum eſt quod credit ſuffitum quotidie bis oblatum fuiſſe in ſanctiſſimo Adyto, quod ſolet *ſancta ſanctorum* dici; cùm fieret hoc dumtaxat in ſanctuario in quo erat altare thymiamatis, ſoleréturque Pontifex Maximus ſemel dumtaxat quotannis *ſancta ſanctorum* ingredi. Alterum verò quod ſuffitum quotidianum ſemper à Pontifice Maximo oblatum cenſeat, cùm à quovis ſacerdote poſſet offerri, ut vel exemplo Zachariæ patris Joannis Baptiſtæ conſtat. Fateor Exod. XXX. 7. munus ſuffitûs offerendi tribui Aharoni; verùm illic nomen Aharonis pro cujusvis ſacerdotis nomine ſumitur. Vide ad eum locum interpretes, & ad Lev. C. XVI.

ANIMADVERSIONES
IN CONFESSIONES
S. AUGUSTINI.

LIBRO. I. Cap. I. *ET laudare.*] τὸ ET perinde hîc eſt ac *tamen*, ut ſequens repetitio bujus membri orationis oſtendit.

Ibid. *Ad te.*] Hoc eſt, propter te, vel ut *ad te*, tamquam ad ſummæ beatitudinis unicam atque ultimam cauſam, contenderemus.

Cap. IV. *Stabilis & incomprehenſibilis.*] Sunt incomprehenſibilia nonnulla, propter ſummam inſtabilitatem, ut venti variabiles, quorum ratio ideò intelligi non poteſt; at Deus, quamquam ſemper idem eſt, & abſque ulla mutationis obumbratione, nihilo magis comprehendi poteſt. Ideò *Auguſtinus* cum *incomprehenſibili* hîc *ſtabilem* conjungit.

Cap. V. §. 5. *Moriar, ne moriar, ut eam videam.*] Scio hîc poſſe quæri ὀξύμωρον, quale eſt illud animi beatitudinem ſitientis: *morior, quia non morior*; attamen ſuſpicarer ſic locum interpungendum: *Noli abſcondere à me faciem tuam. Moriarne? moriar ut eam videam.* Reſpicit, nempe, *Auguſtinus* ad hiſtoriam quæ exſtat. Exod. XXXIII 17. & ſeqq. ubi Moſi *gloriam* vel *faciem Dei* videre cupienti hoc editur reſponſum; *non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & vivet.* Igitur poſtquàm à Deo petiit ne abſcondat ſibi faciem ſuam, illico ſubjicit, *moriarne?* ſi, nimirum, eam videam; rémque ſecum reputans, tantique eſſe intelligens, ut propterea vitam amitteret, *moriar*, inquit, ſi ita tibi videtur, *ut eam videam.*

Cap. VII. §. 11. *Me commemorat.*] Hoc eſt, mihi in memoriam revocat; quo ſenſu, apud *Auguſtinum*, cum accuſativo perſonæ conjungitur; at ſignificatu narrandi conſtruitur cum dativo. Sic Græci dicunt, ἀναμιμνήσκω σέ τινος, *commemoro te alicujus*, hoc eſt, ejus tibi memoriam revoco. Igitur rectè ex MSS. hîc reſtituerunt accuſativum viri docti.

Cap XX. §. 18. *Terrum* &c.] *Terrum* vocare videtur *Auguſtinus* naturam humanam corruptam, quæ nihil niſi terreſtria ſpirat; *effigiem* verò imaginem Dei, per baptiſmum renovatam, atque inſtauratam. Vide num. 21. ſub finem.

Cap. XVI. *Flumen* &c.] Collatio depravatæ conſuetudinis cum flumine frequens apud optimos quoſque Scriptores, etiam Ethnicos. Hinc *brachia contra torrentem dirigere*, perinde eſt ac pravæ conſuetudini adverſari. *Juvenalis* Sat. IV. 89.

Ille igitur numquam direxit brachia contra
Torrentem.

Cap. XVI. § 26. *Supra mercedem ſalaria.*] Hoc eſt, præter minerval, à ſingulis pueris ſolvi ſolitum, privato ære, Grammaticis publicè conſtituta erant *ſalaria*, ſeu ſtipendia ex publica pecunia ſolvenda. Aut fortè à mercede pecuniaria, diſtinguitur *ſalarium*, ut hac voce ſignificentur ſal publicè præbitum, carnes, vinum, oleum &c. Sic in Epiſtola Valeriani, quæ legitur in vita Probi, à *Flavio Vopiſco* conſcripta, memoratis veſtibus & pecuniâ, quas Præfectus Prætorio jubebatur dare Probo: *Item in ſalario diurno, bubulæ pondo, porcinæ pondo ſex, capinæ pondo decem, Gallinaceum per biduum, olei per biduum ſextarium unum, vini veteris diurnos ſextarios decem, cum larido bubalino; ſalis, olerum, lignorum quantum ſatis eſt.* Vide ad hunc locum Intt. & ad vitam *Clodii Albini* ſub finem, ubi *ſtipendium* à *ſalario* etiam diſtinguitur. Sic & in Cod. Lib. X. Tit. 52. De Profeſſoribus & Medicis, Conſtantinus jubet eis *mercedes & ſalaria reddi, quò faciliùs liberalibus ſtudiis multos inſtituant.*

Ibid. § 26. *Vinum erroris, quod nobis propinabatur ab ebriis doctoribus.*] Quamvis non ignorem *vinum iniquitatis & compunctionis* in Scriptura memorari, attamen crediderim hîc reſpicere *Auguſtinum* ad *Cebetis*, Platonici celeberrimi, Tabulam, in qua Ἀπάτη, ſeu *Impoſtura* inducitur pueros omnes in vitam ingredientes ποτίζουσα τῇ ἑαυτῆς δυνάμει, hoc eſt, ποτήριον πλάνης, *poculo erroris*. Vide ejus initium.

Cap. XVIII. § 29. *Scripta conſcientia.*] Reſpicit *Auguſtinus* ad Rom. II, 15. ubi dicuntur Ethnici *oſtendere opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum* &c.

Cap. XX. § 31. *Secretiſſimæ unitatis* &c.] Hoc eſt, Dei, cujus voluntas eſt veluti ſecretiſſimum vinculum, quo univerſi unitas ſarta ac tecta conſervatur. Vide Lib. IV. de Geneſ. ad litteram, cap. 12. ubi agit de conſervatione rerum omnium. Ceterùm Platonici ἑνάδα & μονάδα paſſim Deum vocitant. Adi *Procli* Theologiam Platonicam.

LIBRO. II. Cap. 2. *Obſurdueram.*] Qui ediderant *obſorduerам* credebant O & V hîc eſſe miſta, ut in voce *jocundus* pro *jucundo*. Reſpicere autem videtur *Auguſtinus* ad id quod fertur de catarractis Nili, ubi *Nilus præcipitans ſe fragore auditum accolis aufert*, ut loquitur *Plinius* H. N. Lib. VI. c. 29.

Cap. VI §. 14. *Potuitne libère quod non licebat* &c.] *Ovidius* nequitiæ magiſter affirmat, nec falſò, Amor. Lib. II. El. 19.

Quod licet ingratum eſt, quod non licet acriùs urit;
Quod ſequitur fugio, quod fugit uſque ſequor.

Et Lib. III. El. 3.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata,
Sic interdictis imminet æger aquis.

Nempe, nullam rationem legum habere, ſed ita nos gerere, quaſi iis ſoluti eſſemus, neſcio quid amplum ac magnificum videtur humanæ ſuperbiæ.

Lib. II. Cap. III. § 6. *Everſores.*] Videntur ita dicti petulantiores juvenes, qui ſcholas Rhetorum, à quibus non docebantur, irrumpentes omnia illic evertebant, ludibrióque habebant Magiſtros. Ejus nequitiæ meminit iterum *Auguſtinus* Lib. de Vera Rel. Cap. XL. n. 75.

De

De petulantia vero juventutis Carthagioienſis, vide quæ babet infra Lib. v. c. 8. quæ confer cum Cap. 12.

Cap. vi. §. 21. *Quinque antra tenebrarum* &c.] Deliramenta hæc Manichæorum copioſiùs exponit & confutat *Auguſtinus*, in Lib. contra Epiſt. Manichæi, Cap. xv. qui Liber eſt Tom. viii.

Cap. vii. § 13. *Numquid juſtitia varia eſt & mutabilis* &c.] Hæc accuratiùs excuſſit *Auguſtinus*, in Libris contra Manichæos, qui adeundi ab iis qui reſponſum hoc probè intelligere cupiunt. Collecti ſunt ii Libri in unum corpus, Tom. viii.

Libro iv. Cap. iii. §. 5. *De paginis Poëtæ cujuſpiam* &c.] Conſulturi Deos de eventu conſilii cujuſpiam, interdum in eorum templis, aut privatim aperiebant volumen celebrioris Poetæ, ut *Homeri*, vel *Virgilii*, & primum verſum, qui occurrebat, reſponſum Deorum putabant. Vide Intt. ad vitam Adriani à *Spartiano* conſcriptam, non procul ab initio. Chriſtiani etiam, ſimili ratione, Scriptura Sacra abutebantur, ut videbimus Lib. viii. c. 12. hujuſce Operis.

Cap. v. *An fletus res amara eſt* &c.] Delectamur triſtitiâ & luctu, ut ceteris omnibus affectibus, quibus libenter indulgemus, ægrè obſiſtimus; quia ut eos vincamus, vis inferenda eſt perturbationi animi & corporis. Minuitur etiam ſenſim triſtitia, dum eam liberè in lamenta & lacrimas effundimus. Verba ſunt *Euripidis*, in Oenomao, apud *Stobæum* Florileg. Tit. cxxiii.

> Ἀλλ' ἔστι γὰρ δὴ καὶ ἐν κακοῖσιν ἡδονὴ
> Θνητοῖς ὀδυρμοὶ, δακρύων τ' ἐπιῤῥοαί.
> Ἀλγηδόνας δὲ ταῦτα κουφίζει φρενῶν,
> Καὶ καρδίας λύουσι τὰς ἄγαν πόνους.

Verùm in malis voluptati ſunt hominibus, lamenta & defluxus lacrimarum. Hæc levant triſtitiam animi, & nimiis doloribus cor liberant. Alia ſunt ibidem & alibi io eamdem ſententiam.

Cap. vii. *Diligere homines humaniter.*] Hoc eſt, eo amoris modo, qui rebus perituris tribui poteſt. Sic & Græci uſi ſunt voce ἀνθρωπίνως. & quidem in re ſimili. *Menander apud Stobæum* Floril. Tit. cxxv.

> Ἀνθρωπίνως χρὴ τὰς τύχας φέρειν, ξένε.
> Τὰ κοινὰ κοινῶς δεῖ φέρειν στρατεύματα.

Humanè oportet calamitates ferre, ô hoſpes, communia par eſt tolerare communiter.

Cap. xii. §. 18. *Ecce ubi eſt, ubi ſapit veritas.*] Si ita legas, ſic videtur interpungendum, *ecce ubi eſt? ubi ſapit veritas.* At fortè meliùs legamus, *ecce ubi eſt, ibi ſapit veritas*; hoc eſt, ejus animi palato, ut ita dicam, ſapida eſt veritas, cui Deus adeſt.

Cap. xiv. §. 21. *Hierium.*] Eſtne *Fl. Hierius*, qui anno Chriſti ccccxxvii. cum Fl. Ardaburio Conſul fuit? Certè interdum viris eruditis collata ea dignitas, propter ſolam eruditionem, ut *Auſonio* Poetæ, aliiſque. Non puto tamen, propter alias viri dignitates quas vide apud *Jacobum Gothofredum* in Proſopographia Codicis Theodoſiani.

Ibidem §. 23. *Ob os contemplationis.*] Si hæc vera eſt lectio, perinde eſt ac, *ob oculos mentis.*

Libro v. Cap. ix. §. 16. *In cruce Phantaſmatis.*] Hoc eſt, in cruce è qua pependiſſe Phantaſma, non Chriſtum ipſum, credebant Manichæi. Vide quæ contra hoc dogma habet *Auguſtinus* T. viii. aut, ſi paucioribus rem deſcriptam cupias, libellum ejus de Hæreſibus, ad Hæreſin Manichæorum.

Cap. x. §. 18. *Quos Electos vocant.*] Hi apud eos veluti primariæ virtutis, aut commentis ejus ſectæ addictiſſimi erant; miniùs perfecti dicebantur *auditores*. *Nam*, ut verbis utar Auguſtini ex memorato libello, *his duabus profeſſionibus, hoc eſt, Electorum & Auditorum, Eccleſiam ſuam conſtare voluerunt.*

Ibidem §. 20. *Niſi carni concernentur.*] Qui voce *concerni*, pro miſceri, primi uſi ſunt, videntur voluiſſe exprimere vocem Græcam συγκερᾶσθαι, quæ idem ſignificat, nec ſooo à Latina abludit.

Cap. xiii. *Dilexit.*] Crediderim legendum *direxit*, hoc eſt, peregrinum Epiſcopalibus conſiliis adjuvit.

Cap. xiv. §. 24. *Cum ad litteram acciperem, occidebar.* &c.] *Auguſtinus* in declamando probabilia ſequi, non explorata ſolitus, ſimilibus ratiocinationibus in interpretatione Scripturæ ſatisfieri ſibi paſſus eſt. Nam alioqui conſtat *Ambroſium* plus æquo allegoriis deditum fuiſſe.

Ibidem §. 25. *Sicut exiſtimantur.*] Vide quæ de vera Academicorum ſententia ſuſpicabatur *Auguſtinus* Lib. iii. de Academicis Cap. xvii.

Libro vi. c. ii. *Quo jam non ſolum aquatiſſimo ſed etiam tepidiſſimo, cum ſuis præſentibus per ſorbitiones exiguas partiretur.*] Conjiciunt in margine viri docti, *quod non ſolum aquatiſſimum, ſed etiam tepidiſſimum.* Sed minore mutatione ſanabitur hic locus ſi legamus *potaretur*; ut ſuadent etiam ſequentia; *quia pietatem ibi quærebat, non voluptatem.*

Cap. iii. §. 3. *Quolibet tamen animo* &c.] Si alloqueretur homines, qui cuperent ſcire quâ ratione vitam inſtituiſſet *Ambroſius*, ſuperior narratiuncula fortè non diſplicuiſſet; ſed Deo minuta illa, qualia paſſim occurrunt, narrare, neſcio quomodo decorum putaverit *Auguſtinus*. Sed magis hominum cauſâ hæc narrabat, quàm Dei; at præſtitiſſet amicum alloqui, quàm Deum.

Cap. viii. *Gladiatorii ſpectaculi.*] Nefandi hi ludi, à ſapientibus etiam Ethnicis damnati, facti etiamnum videntur in gratiam Ethnicæ plebis. Sed mirum eſt Epiſcopos non impetrare potuiſſe ab Imperatoribus, ut dira illo conſuetudo abrogaretur.

Cap. ix. §. 14. *Æditimi fori.*] *Æditimus* idem eſt ac *Æditumus*, nempe, νεωκόρος, ſed hic ſumi videtur pro apparitoribus, qui cuſtodiæ cauſa in foro verſabantur, aut pro iis qui curiam ſervabant.

Cap. x. §. 16. *Comitis largitionum Italicianarum.*] Sic loquebantur eo ævo. Vide Codicem Theodoſianum Lib. vi. Tit. xix. leg. de Conſularibus & Præſidibus.

Cap. xiii. *Diſcernere ſe, neſcio quo ſapore, quem verbis explicare non poterat, quid intereſſet inter revelantem te & animam ſuam ſomniantem.*] Itaque Monnica ſibi ſuas, ut opinabatur, revelationes ſervare debebat, quarum diſcrimen à ſomniis dicere non poterat. Quam facile eſt homines imperitos, religionis ſpecie, in talibus aberrare! Ad eventum ſomniorum quod attinet, idem dixeris quod de Genethliacorum prædictionibus, interdum non vanis, dixit *Auguſtinus* Lib. vii. §. 8. Sed honorificum erat Monnicæ filio, ipſius converſionem fuiſſe ſomniis θεοπέμπτοις præſignificatam; quod tamen alii pudentiùs commemoraſſent.

Cap. xvi. *Verſa & reverſa in tergum, & in latera, & in ventrem & dura ſunt omnia.*] Metaphora deſumta ex ægro, vel inſomniâ laboranti, qui in lecto ſe jactat, & quamcumque in partem ſe vertat duram culcitam experitur. Sic animus anxius, dum quærit veritatem in qua conquieſcat, nec eam invenit, omnia faſtidit quaſi noxia.

Libro vii. Cap. 6. §. 9. *Dealbatiores viæ.*] Viæ munitæ opere publico, quadrato lapide, calce interlito, ſtratæ erant, quæ cùm reficiebantur, novâ calce hiantibus lapidum rimis immiſſâ, dealbatæ videbantur; quamobrem *dealbatiores viæ* dici vulgò poterant, quæ diligentiùs curabantur, ac proinde commodiores erant. Hinc tranſlata videtur hæc metaphora. Vide, ſi vacat, *Nicolaum Bergerium*, de publicis & militaribus Imperii Romani viis, Lib. ii. c. 18.

Cap. ix. §. 13. *Ibi legi quod in principio erat verbum* &c.] Similitudine verborum aliquot & ſententiarum deceptus *Auguſtinus*, ut & multi Græci Scriptores, cum doctrina Chriſtiana miſcuit Platoniſmum, qui merus erat, hac in parte, Arianiſmus; ut oſtendit *Joan. Clericus* Epiſt. Critic. vii, & viii. Fortaſſe intelligit hic Auguſtinus *Plotini* opera, quem vehementer laudat Lib. iii. contra Academicos, num. 41. & de Civitate Dei Lib. ix. c. 10.

§. 15. *Legebam ibi etiam immutatam gloriam* &c.] Quamvis de ſummi Numinis natura rectiùs ſentirent Platonici, quàm alii Philoſophi, miſcebant tamen Idololatriam turpiſſimam iis dogmatibus, erántque infenſiſſimi hoſtes Chriſtianorum, ut liquet vel ex *Porphyrio*, *Iamblicho* & aliis, qui ſub Imperatoribus Chriſtianis floruerunt.

Libro viii. Cap. ii. §. 3. *Victorinus quondam Rhetor urbis Romæ.*] *Victorinus*, inquit *Hieronymus* in Lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *natione Afer Romæ ſub Conſtantino principe Rhetoricam docuit; & in extrema ſenectute Chriſti ſe tradens fidei ſcripſit adverſùs Arium libros, more dialectico, valde obſcuros, qui ab eruditis modo intelliguntur, & commentarios in Apoſtolum.* Eum in Præfat. Comment. in Epiſt. ad Galatas C. *Marium Victorinum* vocat, aitque eum *Scripturas omnino ſanctas ignoraſſe.* Sed rhetorica, ut ita dicam, ingenia, ob loquendi facultatem, putant ſe ſcire omnia de quibus, plebe plaudente, loqui poſſunt.

Ibidem. *Omnigenûm Deûm monſtra* &c.] Reſpicit ad *Virgilii* locum Aeneid. viii, 698. ubi Aegyptios Deos, pro Antonio & Cleopatra contra Auguſtum, ad Actium pugnantes deſcribit Poeta:

Omnigenúmque Deûm monſtra & latrator Anubis.
Contra Neptunum & Venerem, contráque Minervam,
Tela tenent.

An ex decori legibus talia apud Deum dici poſſint neſcio, quamvis à pugnante cum Ethnicis rectè proferri potuerint.

Ibid. §. 5. *Quæ verbis certis concepta retentáque* &c.] Symbolum, quod Apoſtolicum dicebatur, aut ſimile quidpiam.

Cap. iii. §. 6. *Pater plus gaudes.*] Deus *gaudere* & *plus gaudere*, numquam aliter, niſi ἀνθρωποπαθῶς dicitur à Chriſto hominum imbecillitati ſeſe adtemperante. Nec poteſt hoc urgeri, aut inquiri cur Deus magis gaudeat. Ceterùm, ut ad Grammatica tranſeam, non intelligo, cur in ſequentibus verbis viri docti *pænitentem*, & *pænitentiam*, ut & alibi, ſcribant per A E, cùm conſtet eſſe à nomine *pœna*, quod à Græco ποινή. Quod non obſervarem, niſi viderem eos harum minutiarum curam non abjeciſſe, cùm orthographiam priorum Editionum paſſim emendent, prout putant rectius eſſe. Sic vocem *jucundus* ſcribunt perpetuò *jocundus*, quaſi eſſet à *joco*, non à *juvo*, ſed O & V frequenter miſcebantur à Veteribus Latinis. Vide *Quintilianum* Inſtitut. Orator. Lib. i. Cap. iv. & *Voſſium* in Etymologico, ad hanc vocem.

Cap. iv. *Cùm Paulus Proconſul per ejus militiam* &c.] Inquirant alii, an deceret narrare Deo hiſtoriolas, & quidem de quarum veritate minimè conſtabat; qualis hæc erat de ratione cur *Paulus* dictus fuerit, qui patriâ linguâ *Saulus* erat appellatus; quam multi doctiſſimi viri falſam eſſe putant. Meram eſſe conjecturam, *quam nulla Scriptura memorat*, ingenuè fatetur *Hieronymus* ad Epiſtolam ad Philemonem.

Ibidem. *Quantò igitur gratius cogitabatur Victorini pectus.*] Nolim vocem *gratius* notare accentu, quaſi ſit adverbium, ut fecit Editor Pariſinus. Eſt enim nomen adjectivum, hac ſententiâ: Quantò Victorini ingenium gratius atque acceptius futurum Eccleſiæ cogitabatur: tantò abundantiùs exſultare oportuit filios tuos.

Cap. v, §. 10. *Ex perverſa voluntate facta eſt libido; & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.*] Optimè deſcribit quibus gradibus vitium obrepat, atque augeatur. Sed iiſdem paullatim imminui poteſt, *neceſſarium* enim hîc dicitur difficile victu, nec ulla eſt ante peccandi conſuetudinem neceſſitas delinquendi. Vide & finem §. 12.

Ibidem §. 11. *Pugnatior*] Legendum *pugnacior*, ut in Baſileenſi, nam eſt à *pugnare*; aut *pugnantior*, ſi fortè ita habent MSS. Codices.

Cap. vi. §. 15. *Agentes in rebus*] Hi erant Principis nuncii per Provincias, negotiorum cauſa, de quibus vide *Guidonem Pancirollum* ad Notitiam Dignitatum Orientis Cap. lxv.

Cap. vii. §. 18. *Humerìſque liberioribus pennas recipiunt*] Hæc *Auguſtinus* ex Platoniſmo ſuo. Plato enim in Phædro docet ὅτι ψυχὴ τελέα μὲν οὖσα καὶ ἐπτερωμένη μετεωροπολεῖ τε καὶ ἅπαντα τὸν κόσμον διοικεῖ, ἡ δὲ πτερορρυήσασα φέρεται ἕως ἂν στερεοῦ τινος ἀντιλάβηται· *animam perfectam dum eſt & alata, in ſublimi volare, & univerſum mundum adminiſtrare; cui verò alæ defluxerint, eam ferri donec ſolidum quidpiam arripuerit.* Non multò poſt p. 345. Ed. Gen. Ficini: Εἰς τὸ αὐτὸ, ὅθεν ἥκει ψυχὴ ἑκάστη, οὐκ ἀφικνεῖται ἐτῶν μυρίων (οὐ γὰρ πτεροῦται πρὸ τοσούτου χρόνου) πλὴν ἡ τοῦ φιλοσοφήσαντος ἀδόλως, ἢ παιδεραστήσαντος μετὰ φιλοσοφίας. καὶ τὰ ἑξῆς: *In idem enim, unde profecta eſt, unaquæque anima non redit, decem millibus annorum, (neque enim recuperat alas ante tantum tempus) exceptâ ejus qui philoſophatus eſt ſine fuco, aut cum ſapientiæ ſtudio pueros amavit.* Sic poſtea ejus Diſcipuli vulgò loquuti ſunt, eóſque imitati Chriſtiani reſipiſcentiam vocarunt ἀναπτέρωσιν, ſeu *novarum alarum exortum*, ut hic *Auguſtinus*. Hinc & *Chryſoſtomus* uſurpavit ἀναπτεροῦν, pro *incitare*, *impellere*. Vide Theſaurum Eccleſiaſt. *Joan. Caſparis Suiceri*.

Cap. viii, §. 19. *Pede poſt pedem*] Veſtigia mea proximè ſequutus, Græcè κατὰ πόδα, quaſi dixeris, ſingulis pedibus in antecedentis veſtigiis poſitis.

Cap. xii. §. 28. *Cras & cras*] In animo *Auguſtino* obverſabatur locus *Perſii* Sat. v, 66. ubi ſic deſcribitur cunctator, qui reditum ad bonam mentem in dies differt.

Cras hoc fiet; idem cras fiet; quid quaſi magnum,
Nempe, diem donas? Sed cùm lux altera venit,
Jam cras heſternum conſumſimus; ecce aliud cras
Egerit hos annos, & ſemper paullùm erit ultra.

Ibidem §. 29. *Audio vocem* &c.] Redolet hoc ſuperſtitionem Ethnicam, ex fortuitis vocibus omina captantem; quod nemo paullò humanior ignorat. Si quis ſingulari providentiâ divinâ factum hoc putet, ita ut æſtuanti *Auguſtino* editum cœlitus ſit monitum; oportebit ut oſtendat opus fuiſſe ejuſmodi miraculo, quò *Auguſtinus* intelligere poſſet ſibi legendam Scripturam Sacram, ut ex ea reſciret quid ſibi agendum eſſet. Quod cùm quotidie audiret à Catholicis, cùm in Eccleſia, tum alibi, non video cur confugiendum ſit ad miraculum. Sed Rhetor noſter, quod cum pace ejus dictum ſit, omnia exaggerat, quibus perſuadere poterat non agi hîc de homine vulgari, ſed ſingulari vocatione divinitus ad Eccleſiam allecto; quæ tamen ex alius calamo rectiùs fluxiſſent.

Ibid. *Utrumnam ſolerent pueri* &c.] Quaſi verò neceſſe fuiſſet ſolas ludentium puerorum ſollemnes cantilenas audiri! Annon potuit ludens aliquis de projecta charta crebrò hoc repetere? Oportuiſſet apud vicinos quærere quis eam vocem miſiſſet, antequàm non ſine Deo miſſam judicaret.

Ibidem. *Audiveram enim de Antonio*] *Athanaſius* in vita Antonii §. 2. cujus verba brevitatis causâ dumtaxat ex *Evagrii* verſione proferam: *Ad Eccleſiam, ut ſolebat, accurrens recordabatur quomodo & Apoſtoli, omnibus ſpretis, ſequuti fuiſſent Salvatorem; & multi, in Actibus Apoſtolorum, facultatibus ſuis venditis, pretia ad pedes eorum detuliſſent egentibus partienda, quæve aut quanta ſpes iis repoſita eſſet in cælis. Talia ſecum volvens intravit in Eccleſiam & accidit ut tunc Evangelium legeretur, in quo Dominus dicit ad divitem:* ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia tua, quæcumque habes & da pauperibus & veni, ſequere me & habebis theſaurum in cœlis.

Quo audito, quaſi divinitus hujuſmodi antè memoriam concepiſſet, & veluti propter ſe hæc eſſet Scriptura recitata, ad ſe Dominicum traxit imperium, ſtatimque egreſſus poſſeſſiones, quas habebat, vendidit.

Ibidem. *Arripui, aperui* &c.] Hoc non multùm aberat à ſortibus Virgilianis, aut ab iis, quibus ex Scriptura temerè aperta futura quærebantur, quod damnat ipſe *Auguſtinus* Epiſt. lv. ad Januarium. An opus prætereà erat temerè aperire Scripturam, ut ſciretur quod ne Ethnici quidem honeſtiores ignorabant?

bant? Vide hac de re *Ant. van Dale*, virum eruditum, de Divinationibus Idololatricis ſub V. T. Cap. IV.

LIBRO IX. Cap. II. §. 3. *Ne in ima vergeremus* &c.] Recte viri docti hanc lectionem prætulerunt alteri, *mergeremur*; ſolet enim verbum, *vergere*, ut & *devergere* dici de iis quæ pondere ſuo deprimuntur. *Apulejus* de Deo Socratis: *Quod ſi manifeſtum flagitat ratio debere propria animalia etiam in aere intelligi, ſupereſt ut quæ tandem & cujuſmodi ea ſint, diſſeramus. Igitur terrena nequaquam; devergunt enim pondere.* Vide, ſi opus eſt, alia exempla, apud *Nicolaum Heinſium*, in notis ad *Valerium Flaccum* Lib. I. v. 289.

Cap. III. §. 6. *Quidquid illud eſt quod illo ſignificatur ſinu*] Deſumta eſt loquutio ex Luc. XVI, 22. ubi tamen *ſinus Abrahami* non tam ſedes beatas, quam locum in illis inſignem ſignificat, ut recte animadvertit *Hugo Grotius* ad Lucam. *Auguſtinus* intellexit ſedes quietas, qualeſcumque ſint, in quibus animi piorum reſurrectionem corporum exſpectant. Lib. XII. de Geneſi ad litteram §. 63 *Neque enim Abraham, vel ille pauper, in ſinu ejus, hoc eſt, in ſecreto quietis ejus, in doloribus erat.* Sermone XIV. ad populum in v. 14 Pſ. IX. *Contigit*, inquit, *mori inopem illum & auferri ab Angelis. Quo?* In ſinum Abrahæ, *id eſt, in ſecretum ubi erat Abraham.* Vide, hac de re, eruditam Diſſertationem *Ludovici Cappelli*, quam inſcripſit Νεκρῶν βίον, inter Opera ejus Amſtelodami edita.

Cap. VII. §. 16. *Antiſtiti tuo per viſum aperuiſti, quo loco laterent Martyrum corpora Protaſii & Gervaſii* &c.] Si hæc, aliæque ejuſmodi inventiones ſanctorum cadaverum, non fuiſſent conjunctæ cum ingenti lucro ac emolumento eorum, qui ea effoderunt; multi, qui callidorum hominum figmenta hæc credunt ad plebeculam in officio continendam, fidem eis non facilè detraherent. Hæc inventio, exempli cauſâ, non parum auxit exiſtimationem, auctoritatemque Ambroſii; quandoquidem ea Juſtinæ Principis Arianæ *animus*, ut habet noſter, *etſi ad credendi ſanitatem non ampliatus, à perſequendi tamen furore compreſſus eſt.* Duo præterea hîc obiter obſervari poſſunt. Alterum eſt *Auguſtinum* hîc & de Civit Dei Lib. XXII. c. 8. dicere *per viſum* revelata eſſe hæc corpora *Ambroſio*, *Ambroſium* verò ipſum de hoc planè tacere Ep. XXII. Claſſ. I. ubi hanc inventionem narrat. Alterum eſt ita *Ambroſium* rem deſcribere, ut narrationem ſuſpectam reddat: *Invenimus*, inquit, *miræ magnitudinis viros duos, ut priſca ætas ferebat.* Quæ verò ætas? Heroicáne, poſtquam homines decreſcere cœperunt? *Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homero.* An etiam tribus ſæculis, quæ à Chriſto nato ad Conſtantini tempora fluxerunt, grandioris erant ſtaturæ homines, quàm quarto, aut quinto ſæculo? An auguſtior erat ſtatura Martyrum, quàm aliorum, vel an major fiebat poſt mortem? Nemo, ut opinor, credet Sed lege cetera, ubi torti Diaboli, ope horum Martyrum, Arianos opportuniſſime damnant, nec ampliùs miraberis eſſe qui ſtratagema hoc Ambroſianum fuiſſe cenſeant, quò plebem ſibi devinciret, Juſtinámque & Arianos perterrefaceret, excogitatum.

Cap. VIII. §. 17. *Agens in rebus militaret*] Vide dicta ad Lib. VIII. c. VI. §. 15.

Ibid. §. 18. *Per homines præpoſitos.*] Hoc eſt, quos tibi *præponis*, ut poſt eos veluti lateas, ac per eos occulte agas. Nihil ergo mutandum. Ceterum hîc *Auguſtinus*, verè, quod ajunt, fluctus in ſimpulo excitat.

Cap. X. §. 25 *Phantaſiæ terræ* &c.] Hoc eſt, ſpecies omnium rerum terreſtrium, quæ ſeſe animo noſtro offert. Lib. III. c. VI. §. 10. De iis *Lucretius* Lib. IV.

Ibidem *Sonitum nubis*] Hoc eſt, vocem è nube emiſſam; qualem audivit Moſes.

Ibidem §. 26. *Servum ejus videam*] Hoc eſt, cœlibem vitam agere aggreſſum. Sic paſſim *Auguſtinus* κατ' ἐξοχὴν Eccleſiæ miniſtros *ſervos Dei* vocat, ut ſupra vocatur Monnica *ſerva ſervorum* Dei §. 22.

Cap. XII, §. 32. *Viſum etiam mihi eſt ut irem lavatum, quòd audieram inde balneis nomen inditum, quia Græci* βαλανεῖον *dixerint, quòd anxietatem pellat ex animo*] Sic reverà Græci, quamquam abſurda hæc eſt Etymologia. Scriptor Etymolygici magni: Βαλανεῖον τὸ λουτρόν. τινὲς δὲ λέγουσι παρὰ τὸ ἀποβάλλειν τὰς ἀνίας. καὶ Ὅμηρος παρετυμολογεῖ λέγων.

Αὖ ἐκ τρίποδος μεγάλοιο
Ὄφρα μοι ἐκ κάματον θυμοφθόρον ἕλετο γυίων.

Οὐ λέγουσι δὲ καλῶς, εἰ γὰρ ἦν ἐκ τούτου, ὤφειλε γράφεσθαι διὰ τοῦ ι. ἀλλ' ἔστιν εἰπεῖν ὅτι ἀπὸ τῶν βαλάνων εἴρηται. αἱ γὰρ ἀρχαῖαι βαλάνεις εἶχον ἔθος ὑποκαίειν, παρὰ τὸ τὰς βαλάνους αὔειν, τουτέστι τὰς δρῦς. οὕτω γὰρ καλοῦνται αἱ δρῦς, καὶ ἄλλα τι φυτά. Ἐπαφρόδιτος δὲ παρὰ τὸ αὔω τὸ σημαῖνον τὸ καίω — ἵνα μάλιστα ἄλλοθεν αὔοι.

At hæc omnia meræ ſunt Græculorum nugæ, quibus *Auguſtinus* adſenſus non fuiſſet, ſi Etymologicam artem calluiſſet. βαλανεῖον originem ducit à voce Hebraica בלל *ballal* quæ ſignificat *perfundi* Pſ. XCII, II. & unde בלהה *ballahah* nebula. Sic & apud Arabas בלה ſignificat *irrigari, madefieri.*

Cap. XIII. §. 35. *Nunc pro peccatis matris meæ deprecor te* &c.] Species fortè pietatis aliqua hîc ineſt, at ea conſuetudo nec ratione ulla, nec revelatione nititur. Vide librum de cura gerenda pro mortuis Tom. VI.

LIBRO X. Cap. III. *Quid mihi eſt ergo cum hominibus, ut audiant confeſſiones meas* &c.] Videtur hæc ſcripſiſſe *Auguſtinus*, non tantùm poſt ſcriptos, ſed etiam poſt editos priores libros Confeſſionum; quos avide videntur lectitaſſe ii quibus notus erat, & quorum hominum nonnulli *Auguſtinum* ſemet ipſum accuratius deſcribere optabant Sunt qui ſuſpicentur, cùm multa *Auguſtino*, ob priorem vitam, ab adverſariis, quos non paucos habuit, objicerentur, eum Confeſſiones haſce ſcripſiſſe; quaſi Apologiam quamdam obliquiorem, in qua fateretur, veluti apud Deum, quod negare non poterat; cetera verò prætermitteret aut emolliret, & quæcumque ad honorem ſuum facerent quaſi aliud agens exaggeraret. Quæ ſuſpiciones, quamvis fortè iniquiores ſunt, ex inuſitata tamen naſcuntur ratione quâ *Auguſtinus* cum Deo garrit atque argutatur, Rhetoricóque fuco quo pictæ ſunt hæ Confeſſiones. Dum tamdiu de ſe apud Deum, imò apud homines, loquitur, & tam multa perexigui momenti, ad alios quidem quod attinet, narrat, nemo eſt qui non quærat, *cui bono?* & ſunt multi proniores ad malè judicandum, qui φιλαυτίαν ingentem, religionis ſpecie tectam, hic videre ſe putant. Sed præſtat nimis indulgentes nos eſſe, quam nimis ſeveros; ſi modò meminerimus in Evangelio, ejuſque auctore Chriſto, quærendam eſſe vivendi normam, non in hominibus; qui & ipſi ad eam ſunt exigendi, nec imitatione umquam effingendi, niſi quatenus & ipſi ſunt Chriſti imitatores.

Cap. XI. §. 18. *Cogenda rurſus ut ſciri poſſint, id eſt velut ex quadam diſperſione colligenda, unde dictum eſt cogitare*] *Cogo* eſt quaſi *coago*, ut oſtendit *Ger. Joannes Voſſius* in Etymologico, & *cogitatio* eſt quaſi *coagitatio*. Feſtus: *Cogitatio dicta velut coagitatio, id eſt, longa ejuſdem rei agitatio in eadem mora conſilii explicandi.* Vide & *Varronem* de L. L. Lib. V. Cum *Auguſtino* addendum non tantùm eſſe agitationem, ſed ſimul plurium rerum collationem, quæ eſt vis præpoſitionis CUM, ex quo inſeparabiles CON & CO.

Cap. XXXI. §. 47. *Ebrietas longè eſt à me, crapula autem nonnumquam ſubrepit ſervo tuo.*] Non erat quidem ebrioſus, ita ut vino eſſet deditus, ſed aliquando tamen ſatis vini bibebat, ut crapula ei eſſet moleſta. Nam *crapula* idem eſt Latine quod Græcè κραιπάλη, hoc eſt, dolor capitis qui ex heſterna compotatione ſupereſt. *Thomas Magiſter*: κραιπάλη, ἡ ἐκ τῆς χθὲς γενομένης οἰνοποσίας κάρωσις, μέθη δὲ ἡ ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἡμέρας. *dolor capitis ex compotatione heri facta*, μέθη *ejus ipſius diei.*

Cap. XXXV. §. 57. *Curioſitas quotidie noſtra tentatur* &c.] Nemo eſt qui hæc peccata habeat, ſi modò ceteris officiis ſuis non deſit. Corpus enim & animus relaxatione quadam indigent; neque ſemper ſeria agitare ac meditari animus poteſt, aut corpus labori incumbere. Si quis hodie talia inter delicta numeraret, crederetur, dum humilitatem præ ſe fert, ſuperbè

76

ſe gerere, ac diſſimulare majora. Diceretur muſcas percolare & deglutire camelos. Quod tamen de *Auguſtino* ſuſpicari nefas habetur.

Cap. XXXVIII. § 64. *Qui placent ſibi de ſe* &c.] Miror acuto homini in mentem non veniſſe, fore ut Donatiſtæ, Manichæi, aliique ejus adverſarii dicerent eum non diſplicere ſibi, qui tamdiu non tam apud Deum, quam apud homines, de ſe & ſuis loquatur, & dum gravia peccata, quæ negari non poterant, aut minutiora ambitioſe proloquitur, laudes ſuas interea minimè omittit. Miror etiam eum veritum non eſſe, ne iidem adverſarii hîc deſiderarent confeſſiones eorum, quæ baptiſmum ejus ſequuta ſunt, & quæ in ejus vita habentur. Maligni homines facilè dicere poterant, non eſſe uſque adeò mirum eum valedixiſſe arti Rhetoricæ, inter pueros docendæ, exiguis cum emolumentis, & tenui honore; ut eam, in multo ampliore Theatro, & multò fructuoſius exerceret; in Eccleſia, nimirum, ſacroſancta auctoritate inſtructus, & in cujus adminiſtratione eloquentiâ ſuâ magnas laudes populi, magna à divitibus munera referre facilè poterat, dum paupertatem præ ſe ferret. Commodiſſimum fuiſſe, ſine magno labore homini eloquenti, prout tempora ferebant, piis liberalitatibus aliorum ſuſtentari. Non exiguam fuiſſe voluptatem non omni imperandi cupiditate exuto, plebem veluti nomine Dei regere, adverſantes Eccleſiaſticâ ſocietate ejicere, damnare, proſcribere. Ducem partium agere propter dicendi facultatem, & longè inter pares eminere. Fuiſſe cur à Deo veniam peteret, quòd loquendi dumtaxat facilitate inſtructus, tumultuariâ lectione Scripturæ in linguam Latinam converſæ, ſine ulla Hebraicæ aut Græcæ linguæ cognitione, Presbyter & Epiſcopus, contra canones Nicænos factus, interpretari aggreſſus eſt quod non intelligebat, & tot volumina de Scriptura ſcribere, antequam neceſſaria præſidia ad eam intelligendam ſibi comparaſſet. Nam quæ dici poſſunt, eum invitum factum eſſe Presbyterum & Epiſcopum, canonem Nicænum quo vetabatur Epiſcopus ſibi vivo ſucceſſorem ſufficere, ignotum fuiſſe, pauperem vitam egiſſe &c. ea maligni homines dixiſſent partim ſimulationem eſſe, partim ſatis eſſe divitem, qui haberet quod aliis largiretur, & inde tantum ſibi ſumeret, quantum vellet; ac denique notas dudum eas eſſe artes, quæ ad quam potentiam evexerint homines humiles, ſcilicet, & mundi contemtores jam videmus. Ad me quidem quod attinet, ut non ſum credulus ejuſmodi criminationibus: ſic non diffiteor me defenſiones *Auguſtini*, hiſce de rebus, libenter lecturum fuiſſe.

Cap. XLII. § 67. *Ambiendum mihi fuit ad Angelos? Quâ prece? Quibus ſacramentis? Multi conantes ad te redire, neque per ſe ipſos valentes, ſicut audio, tentaverunt hæc* &c.] Videtur omnino reſpicere ad Theürgica Platonicorum ſacra, quibus ſe Angelos & Archangelos elicere, Deóque ſingularem in modum ſe conjungi putabant. Qua de re multis ſcripſit *Iamblichus* in libro de Myſteriis Ægyptiorum, præſertim ſectione V & X. Ejus ævi Platonici, mirum in modum, ſuperſtitioſis id genus ſacris erant deditì. Vide vitam *Procli*, à *Marino* ſcriptam, quam *Joan. Albertus Fabricius*, vir eruditus, integram edidit Hamburgi, Anno MDCC.

Lib. XI. Cap. II. § 3. *O Domine perfice me & revela mihi eas.*] Religioſa profectò & digna Epiſcopo oratio, ſed cum qua conjungi debuerant ſtudium linguarum quibus conſcripta erat Scriptura, & comparatio omnium aliorum præſidiorum; quibus demum adhibitis, Scriptura intelligi poteſt, ita ut intelligenda eſt ab eo qui eam pro concione, atque editis ſcriptis, interpretaturus eſt. Auxilium enim Dei eò non pertinet, ut ſine facultatum noſtrarum uſu nos interno afflatu doceat quæ ſcire cupimus; ſed ut vires animi & corporis nobis ſufficiat, quibus utamur, & in iis quæ humanâ induſtriâ perfici nequeunt, ſi ita ei videatur, auxiliator adſit. Si hæc intellecta in uſum revocaſſet *Auguſtinus*, exauditus ſine dubio fuiſſet. Nunc verò cum ea neglexerit, illa dumtaxat in Scriptura intellexit, quæ potuit homo linguarum & Criticæ imperitus intelligere; in ceteris [illegible], & Platoniſmum nobis pro doctrina Apoſtolorum propinat, aut argutias inanes magna verborum pompâ nobis obtrudit. Loquor, nimirum, de iis, quæ ei cum omnibus Scripturæ interpretibus non ſunt communia; hæc enim etiam Catechumenus accepit, ab iis a quibus edoctus eſt, non meditatione repperit. Quæ non eò dico, quòd eloquentiam & acumen, in rebus præſertim Metaphyſicis, *Auguſtino* detraham, aut quòd meritas laudes minùs libenter tribuam; ſed quia video multos ejus auctoritate abuti, & eo a præ illo contemnere, quibus nulla ratione conferri poteſt.

Cap. X. § 12. *Quid faciebat Deus, antequam faceret cælum & terram* &c.] Multò breviùs reſpondeas huic quæſtioni, ſi dicas te neſcire, ac æternitatis immenſitate ingenium humanum abſorberi, neque propterea fidem de creatione omnium rerum, aut Religionem ullo in periculo verſari. Etenim non profitentur Chriſtiani ſe paratos eſſe omnibus quæſtionibus ſatisfacere; ſed tantùm ſe id quod affirmant graviſſimis rationibus poſſe demonſtrare. Poſſumus oſtendere omnibus eſſe initium, præterquàm ſoli Deo, & hanc noſtram Tellurem ab eo eſſe creatam; quod ſatis nobis eſſe debet. Reliqua *quæ ſupra nos*, ut rectè Socrates, *ea nihil ad nos*. Quæ hîc *Auguſtinus* de æternitate & tempore, Platonico more & tam multis, argutatur, & quidem apud Deum, multò dilucidius ſunt à recentioribus Philoſophis & Theologis excuſſa. Adito vel *Joannis Clerici* Pneumatologiam. Non aggrediar enim expendere quæ de æternitate & tempore philoſophatur Hipponenſis Epiſcopus, & quæ adeò tenuia ſunt, ut vel tenuitate ſuâ evaneſcant.

Cap. XXXII. §. 29. *Circuitum illius ligneolæ rotæ*] In qua, nimirum, ſol, gnomonis ope, horas notabat. Tempus eſt ipſa duratio rerum, ſeu exſiſtentia continuata, ſed eam exſiſtentiam metimur ope motûs Aſtrorum, & præſertim quidem Solis ac Lunæ.

LIBRO XII. §. 1. *Promiſſa tua ſunt & quis falli timeat, cùm promittit veritas?*] At verba: *petite & accipietis* &c. Matth. VII, 7. ita non ſunt intelligenda, quaſi quarumvis Metaphyſicarum quæſtionum ſolutionem petenti eam tribuere neceſſe habeat Deus. Verùm hæc intelligenda tantùm de neceſſariis ad ſalutem, conditione etiam hac poſitâ, ut qui ea intelligere cupit, non tantùm precibus ad Deum confugiat, ſed etiam omnia faciat quæ ratio ſuadet eſſe facienda, ut conſequatur quod vult. Si quis à Deo peteret ut acciperet ab eo peritiam Linguarum Græcæ & Latinæ, an propterea impetraret, ſi interea nihil faceret ad eam ſibi comparandam? Sanè neque illa peritia neceſſaria eſt ad ſalutem, neque ſine labore acquiri nunc poteſt. Idem de aliis ejuſdem generis dixeris. Nec ſine periculo eſſet opinio ejus, qui exiſtimaret ſe id quod cogitat de re quapiam divinitus accepiſſe, quia Deum prius oraſſet, ut ſibi veritatis cognitionem impertiretur. Merus hoc tandem Enthuſiaſmus eſſet, cujus ope ſomnia quævis divinæ revelationi, etiam repugnante rectâ ratione, æquarentur. Vide ad Lib. XIII. c. 25.

Cap. III. §. 3. *Ubi enim lux eſſet, ſi eſſet, niſi ſuper eſſet eminendo & illuſtrando?*] Crediderim legendum *emicando*, nam

Ignea convexi vis & ſine pondere cæli
Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce;

Ut utar verbis Ovidianis.

Cap. XVII. §. 24. *Nomine cæli & terræ totum iſtum viſibilem mundum priùs univerſaliter & breviter ſignificare voluit, ut poſtea digereret dierum enumeratione quaſi articulatim univerſa quæ Sancto Spiritui placuit ſic enunciare.*] Hi ſanè *contradictores*, quicumque ſint, multò meliùs Moſem intelligebant, quàm *Auguſtinus*, qui, niſi fallor, cogitabat hic de Platonicorum ſuorum ὑπερουρανίῳ τόπῳ, de quo Plato in Phædro. Interea dignum eſt notatu quod habet *Auguſtinus* Cap. IX. cœlum hoc inconſpicuum eſſe *æternitatis particeps*, quòd ante tempus conditum eſſet. At mira eſt ratio explicandæ Scripturæ, quam poſtea proponit Cap. XVIII. *Dum quiſque conatur id ſentire, in Scripturis Sanctis, quod in iis ſenſit ille qui ſcripſit, quid*

mali

mali eſt, ſi hoc ſentiat, quod tu lux omnium veridicarum mentium oſtendis verum eſſe, etiamſi hoc non ſenſit ille quem legit, cùm & ille verum, nec tamen hoc ſenſerit? Eſt hoc malum, quòd ex quovis loco quævis veritas deduci poſſit, & paullatim nulla certa ſuperfutura ſit ratio explicandæ Scripturæ; ſi nulla regularum Criticarum habeatur ratio, & hoc unum quæratur an ſit per ſe verum quod dicitur. Commodum quidem hoc eſt declamatoribus, ſed planè contrarium rectè inſtituto Scripturæ Sacræ ſtudio, quod eò ſpectat ut quid ſingula loca ſignificent, quatenus licet, liqueat. Ceterum ubi ambigua eſt ſententia, necullà arte iotelligi poteſt quid ſpectaverit Scriptor Sacer, tum verò nihil affirmandum. Abſimilia veris rejici poſſunt, ſed nulla eſt cauſa, cur æquè veriſimili id præferas, quod ex omnibus Artis Criticæ canonibus veriſimilius non eſt. Quærere verò in quopiam Scripturæ loco, quod nulla ratio Grammatica ei ineſſe docet, hoc demum eſt Scripturam interpretari, ut campanarum ſonitum pueri ſolent.

Libro xiii. Cap. xi. §. 12. *Trinitatem omnipotentem quis intelliget? Et quis non loquitur eam, ſi tamen eam? Rara anima quæ, cùm de illa loquitur, ſcit quid loquitur. Et contendunt & dimicant, & nemo ſine pace videt iſtam viſionem.*] Nihil verius dici potuit. Itaque multò præſtaret parcè loqui de iis quæ neſcimus, nec ſcite debemus, cùm non ſint perſpicuè à Deo revelata; multùm verò de omnibus vitæ officiis, quorum præſtationem à nobis exigit Deus. Si de iis loqueremur dumtaxat, quatenus nobis ſunt revelata, atque, loquutionibus Scripturæ contenti, ignota Deo relinqueremus, non tot eſſent cootentiones; quibus ut neſcio an illuſtretur veritas: ſic video vehementer lædi Chriſtianam caritatem.

Cap. xviii, 23. *In principio diei*] Legendum *in principia*, ut paullò pòſt legitur in MSS. Codd. Reſpicit enim *Auguſtinus* ad Gen. 1, 16. ubi LXX. habent Deum feciſſe luminare magnum εἰς ἀρχὰς τῆς ἡμέρας, *in principia Diei*, ut habebat verſio Latina, quæ tempore *Auguſtini* legebatur. Vide tamen ad Geneſeos locum *Flaminium Nobilium*.

Cap. xxi. §. 29. *Piſcem manducet levatum de profundo*] Reſpicit ad vocem Ἰχθὺς quæ cùm *piſcem* ſignificet, complectitur initiales litteras vocum Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ, *Jeſus Chriſtus Dei filius Servator*. Ideò *Tertullianus* de Baptiſmo Cap. 1. *Sed nos piſciculi, ſecundùm ἰχθὺν noſtrum Jeſum Chriſtum, in aqua naſcimur.*

Cap. xxiv. §. 36. *Tibi confiteor credere me, Domine, non in caſſum te ita loquutum eſſe*] Non in *caſſum* induxiſſet ita loquentem Deum Scriptor ſacer, quamvis non minùs poſſit dici Deus benedixiſſe quadrupedibus, quàm piſcibus, aut avibus. Sed in ſimpliciſſimo Scripturæ ſtylo, multa adduntur aut omittuntur, non ut arcanum neſcio quid innuatur; ſed quia ea indoles eſt ejus ſtyli, quæ patitur additamenta, aut etiam omiſſiones, ſine ulla ſententiæ mutatione. Sic Gen. 1, 8. in Hebraicis Codicibus addita non ſunt ſollemnia dierum aliorum verba: *& vidit Deus eſſe bonum*; quæ tamen non minùs conveniunt ſecundo die creatis, quàm ceteris omnibus. In creatione verò tertii diei à V. 9. ad 13. bis hoc legitur, quod ſi ſemel, ut in aliis diebus, additum eſſet, nihil deeſſe animadverteremus. Qui in talibus argutabantur, Scripturæ ſtyli nondum fuerunt ſatis periti. Nam allegorica figmenta qui probet, neminem eruditum nunc inventum iri puto.

Cap. xxv. §. 38. *Verum enim dicam, te mihi inſpirante*] Hoc eſt conſectarium eorum quæ diximus ad Lib. xii. c. 1. Commenta allegorica, quæ quamvis veram doctrinam complectantur, non poſſunt tamen ex loco Moſis deduci, quaſi revelationem divinam nobis obtrudit hic *Auguſtinus*. Rem ipſam, hoc eſt, Paſtoribus neceſſaria eſſe à gregibus præbenda, docuerat eum Paulus, & ipſa rei æquitas, ſine ulla revelatione; ſed hanc doctrinam hic contineri, non magis ei eſt revelatum, quàm *Philoni* & *Origeni* quod allegoriarum fidiculis ex Scriptura, in alienos ſenſus contorta, deduxerunt.

Cap. xix. §. 44. *Atque ita cùm vos temporaliter ea videatis, non ego temporaliter video.*] Conjunctiones *atque ita*, ſi modò nullum hic ſit mendum, debent ſignificare *ſed*, hoc eſt, obtinere vim adverſativam.

Cap. xxxiii. §. 48. *Speciem & privationem*] Εἶδος καὶ στέρησιν, quod Scholaſticorum ſermone nunc dicimus, *formam & privationem*, quæ ſunt oppoſita.

Cap. xxxvi. §. 51. *Dies autem ſeptima, ſine veſpera eſt, nec habet occaſum*] Si velimus argutari, diei ſeptimi *mane* non magis memoratur, quàm *veſpera*; nam *mane* cujus mentio fit V. 31. eſt diei ſexti, cùm Hebræi, Moſe præeunte, νυχθήμερον incipiant à veſpera, quam deinde ſequitur dies. Sed ſeptimi diei partes à Moſe non attinguntur, quia eo die nihil fecit Deus.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS CONTRA ACADEMICOS.

Libro i. Cap. i. §. 2. *Si edentem te munera urſorum, & numquam ibi antea viſa ſpectacula civibus noſtris, theatricus plauſus ſemper proſperrimus accepiſſet* &c.] Rectè *urſorum* editum, nam agit *Auguſtinus* de ignotis in Africa ſpectaculis, qualia fuiſſent munera urſorum, nam, ut habet *Plinius* Lib. viii. c. 36. *in Africa urſum non gigni conſtat.* Idem affirmat Cap. lviii.

Ibidem. *Fortunatiſſimus, ut fuiſti, jactareris.*] Falſum eſt Romanianum *fortunatum* potuiſſe dici, ut oſtendit *Auguſtinus*, in ſequentibus. Igitur non potuit dicere, *ut fuiſti*; nec magis, *ut fueſti*, quemadmodum habent alii Codd. MSS. Malim ego, *ut fuevere iſti*, hoc eſt, eo ſenſu quo clientes, cives, populi beatum prædicant.

Libro ii. c. ii. §. 5. *Cùm ecce tibi libri quidam pleni, ut ait Celſinus, bonas res Arabicas ubi exhalarunt in nos* &c.] Non intelligo qui libri *pleni* dici queant, niſi addatur quâ re pleni ſint. Igitur hic aliquid deeſſe ſuſpicer, ut *ſapientia*, aut ſimile quidpiam.

Ibidem §. 6. *Adverſario tuo*] Cum quo, ut videtur, litem habebat Romanianus.

Ibidem. *Ne ille & baias & amœna pomeria*] Hic tria ſunt menda, quorum primum & poſtremum ex prioribus editionibus deſumta ſunt, medium huic proprium eſt. Primò pro *ne*, legendum eſt *næ*, ναὶ, hoc eſt, profectò; hoc enim vult *Auguſtinus*, ſi adverſario Romaniani ſpectandam proponere potuiſſet ſpeciem Philoſophiæ, illum profectò, rebus relictis, ad eam advolaturum. Sæpe hoc mendum in MSS. Codd. occurrit, quòd utraque vocula eodem modo pronunciaretur. Secundo, *Baias* debuit ſcribi, majuſculo *B*, ut eſt in Editione *Eraſmi*, nam nomen eſt amœniſſimi loci ad Puteolanum ſinum, circa quem erant elegantiſſimæ Romanorum villæ, & de quo *Horatius* ſæpe alibi & 1. Epiſt. 1. Libri.

Nullus in orbe locus Bajis prælucet amœnis.

Denique non *pomeria*, ſed *pomaria* legendum liquet, ex epitheto *amœna*.

Cap. iii. §. 7. *Philocalia iſta vulgò dicitur* &c.] Vide notata ad Lib. i. Retractationum c. i. n. 3.

Ibid. *Sine pennis*] Cui pennæ defluxereunt. Ex Platonicorum diſciplina, ut ootavimus ad Confeſſ. Libr. viii. Cap. 7.

Cap. iv. §. 10. *Sine metro*] Hoc eſt, ἄνευ μέτρου, *ſine modo*. In ambiguitate ludit *Auguſtinus*, nec interea prætermittit occaſionem pauca verba Græca, quæ norat, proferendi.

Cap. vi. §. 14. *Archeſilas*] Turpe mendum, omnes enim ſciunt vocatum hunc Philoſophum fuiſſe Ἀρκεσίλαον, non Ἀρχεσίλαον. Itaque hoc quoque mendum antiquiorum Editionum tollendum erat, & hic & in ſequentibus, ubi iterum, iterúmque occurrit. Nam quamvis Græcè neſciret *Auguſtinus*, habebat tamen veteres *Ciceronis* codices, in quibus hoc mendum ab eruditioribus Grammaticis relictum non puto.

Cap. xv, §. 34. *Ille autem caſu planus erat, de iis quos Samardacos jam vulgus vocat.*] Crediderim Africanam, aut potiùs Punicam eſſe vocem, à radicibus [illegible] *ſchamar*, obſervare, & [illegible] *douck*, inſpicere, deductam, eique ſignificatos fallaces homines, qui ex obſer-

Digitized by Google

obſervatione ſiderum, ominum, prodigiorum, &c. inſpectioneque victimarum futura prænunciare ſe poſſe ſperabant, aut fingebant. Sic enim eos deſcribit Scholiaſtes vetus *Horatii* ad v. 113. Sat. vi. Lib. I. Fallacem circum *dixit propter Sarmadacos* (ſcribe *Samardacos*) *& ſortilegos Mathematicos, qui ad metas ſpectatores circumſtabant & imperitos ſortibus & nugis fallebant*. Paullò poſt etiam *Samardacos & ſortilegos* conjungit, & divinos eſſe docet. At *Jacobus Cruquius*, qui eum Scholiaſten emendatiorem edidit, ſuſpicatur vocem eſſe compoſitam ex *Sarmata* & *Ducus*, qui populi olim non parum hujuſcemodi ludibriis infames fuerint. Elige utrum volueris, & adi etiam *Joannem Meurſium*, in Lexico Græco-barbaro.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE VITA BEATA.

§. 3. *Quod istu nihil intus plenum atque ſolidum habet, ut inflatos ſibi ſuper ambulantes, ſuccrepante fragili ſolo, demergat ac ſorbeat.*] Legerim *inflato ſibi*, nam hic montem nobis deſcribit vento tumentem. S facilè potuit ex ſequente voce antecedenti adhærere.

§. 4. *Lectis autem Platonis pauciſſimis libris*] Crederem legendum *Platonicis*, nam *Auguſtinus* habet Confeſſionum Libro vii. c. 9. §. 15. *quoſdam Platonicorum libros*; niſi quinque MSS. hic haberent *Plotini*, quam veram lectionem eſſe puto. Antequàm hunc locum attentiùs legiſſem, jam ſuſpicatus eram Platonicos illos libros, in quibus *Auguſtinus* ſimilia Chriſtianæ Theologiæ inveniſſe ſe credidit, fuiſſe libros *Plotini*; in qua conjectura vehementer lectione hac MSS. Codicum confirmor.

§. 5. *Eloquentiâ tuâ territus non ſum*] Exſtat elegans Diſſertatio de vita *Fl. Mallii Theodori*, ab *Alberto Rubenio* conſcripta, quæ edita eſt Ultrajecti anno MDCXCIII. ex qua quæ fuerit eruditio Theodori & ad quæ munera pervenerit intelligere licebit. Itaque ad eam Lectorem amandamus.

§. 7. *Cùm fateamur cuncti, neque ſine corpore, neque ſine animo, eſſe poſſe hominem, cibos propter quid horum appetamus.*] Imò *appetimus?* Eſt enim interrogatio *Auguſtini*, ad quam, *propter corpus*, reſpondet Licentius. Mendum hoc fuit Baſileenſis Editionis, in hanc transfuſum.

§. 35. *Illa eſt igitur plena ſatietas animorum, hæc eſt beata vita, piè perfectéque cognoſcere à quo inducaris in veritatem, quâ veritate perfruaris, per quem connectaris ſummo modo*] Etſi non difficile eſt intellectu quid velit *Auguſtinus*, attamen eſt cur queramur eum in hac tota diſputatione metaphoricis vocibus ac loquutionibus, quas aliis æquè tralatitiis definit, perpetuò ferme abuſum. Quo factum eſt ut nihil præter argutias ex ambiguitate captatas, & quæ Dialecticam nimiùm redolent, hìc habeamus. Cum pueris fateor, & muliercula loquebatur, ſed cùm hæc ederet, tot verbis nihil dicere neſcio quomodo ſuſtinerit. Quàm facilè oſtendere potuiſſet beatitudinem propriè dictam eſſe eam animi affectionem quâ in ſorte noſtra acquieſcentes, nec quidquam cupimus, nec timemus? Quàm proclive fuit demonſtrare hanc animi affectionem in hac vita non poſſe comparari, in qua ſemper multa ſunt quæ timeamus, aut cupiamus? Quibus dictis, collegiſſet beatam vitam nullam poſſe eſſe in hiſce terris; omnes homines eſſe miſeros; ſed eos demum minùs eſſe miſeros, quàm alios, qui poſſent, ex Evangelii legibus, ſibi beatitudinem poſt hanc vitam mortalem polliceri. Verùm vocum definitiones accuratæ, ſermo ſimplex, & ordo commodus res erant Rhetoribus illius ævi propemodum ignotæ.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS DE ORDINE.

Libro i. Cap. i. §. 2. *Quis tam cæcus eſt mente, ut quidquam in movendis corporibus rationis, quod præter humanam diſpoſitionem ac voluntatem eſt divinæ potentiæ, moderationique dare dubitet?*] Tranſpoſita hic eſt vox *rationis*, quæ debet præponi proximè voci *divinæ*, ut ſeries ſit: *potentiæ moderationique Rationis Divinæ*, Græcè, δυνάμει ϗ διοικήσει Λόγου Θεοῦ. Nempe, ex Platonicorum ſermone deſumſit Auguſtinus *Rationem Divinam*; de qua loquutione, vide quæ collegit *Joan. Clericus* ad Joan. I, 1. Benedictini docent decem à ſe MSS. Codd. inſpectos, in quibus hic ordo erat obſervatus; ſed male habent *rationi*, ſi modò nullum ſit in Benedictinorum notula mendum. Eadem voce, in eumdem ſenſum utitur etiam poſtea *Auguſtinus* §. 26. ubi memorat *pulcritudinem Rationis* (nempe, divinæ) *cuncta ſcientiâ & neſcientiâ modificantis & gubernantis, quæ inhiantes ſibi ſectatores ſuos trahit, quacumque atque ubicumque ſe quæri jubet.*

Cap. iii. §. 6. *Nam & ipſe in eodem concluvilecto ſuo cubans vigilabat, nobis neſcientibus; erant enim tenebræ; quod in Italia etiam pecunioſis prope neceſſe eſt*] Sic loquitur in gratiam ſuorum Afrorum. Utinam etiam, in gratiam poſteritatis, addidiſſet cur in Italia, potiùs quàm alibi, in tenebris jacerent. An in Africa copia erat ſpecularium lapidum, qui Lunæ & ſtellarum lucem in conclavia admitterent, qui in Italia rariores; quo fiebat ut, clauſis ligneis feneſtris, tenebræ eſſent in conclavibus? Viderint doctiores.

Cap. xi. §. 31. *Vir & ingenio & eloquentiâ & ipſis inſignibus muneribuſque fortunæ & quod ante omnia eſt, mente præſtantiſſimus Theodorus, quem bene ipſa noſti, id agit, ut & nunc & apud poſteros, nullum genus hominum de litteris noſtrorum temporum jure conqueratur.*] Vellem exſtaret opuſculum *Theodori de origine & natura mundi*, quod latere in Bibliothecis dicitur à *Cl. Salmaſio* in Præf. ad *Ampelium*. Ex eo enim intelligere liceret an hìc ei aduletur, quod ſanè ſuſpicor, *Auguſtinus*, pro more ſæculi ſui, quo, ſi umquam alias, immodicæ laudes in uſu vulgari fuere. Is *Theodorus*, cùm militaſſet inter Advocatos ſedis prætorianæ in Italia, præfectus fuit parti Libyæ, tum parti Macedoniæ, deinde Quæſtor Sacri Palatii, pòſt Comes Sacrarum Largitionum, ac tandem Præfectus Prætorio Galliarum anno CCCLXXX. His honoribus defunctus ad vitam privatam rediit, in qua ſcribendis variis opuſculis operam dedit. Quo intervallo, circa annum CCCLXXXVI. *Auguſtinus* hæc ſcribebat. Ad ampliora deinde munera pervenit, ut docebit *Albertus Rubenius*, in libello antea memorato.

Libro ii Cap. i. §. 1. *Nobiſcum erat etiam mater noſtra, cujus ingenium ——— cùm antea convictu diuturno, & diligenti conſideratione perſpexerim, tum verò in quadam diſputatione non parvæ rei quam ——— in libellum contuli, tanta mihi mens apparuerat, ut nihil aptius veræ Philoſophiæ videretur.*] Si hæc in ſermone familiari matri dixiſſet *Auguſtinus*, vituperari ſanè non poſſet, imò forte laudaretur, pietatis causâ. Sed hæc neſcio quomodo ſcribere ſuſtinuerit ad virum eruditum, atque edere, cùm præſertim liber de Vita Beata, ubi eximia illa Monnicæ reſponſa leguntur, edendus

dus etiam eſſet. Eum enim ſi quis legat, facilè intelliget filium præ amore matris ingenium inveniſſe in verbis bonæ anûs, quod alii non facile animadvertant. Quæ mulier nunc paullò liberaliùs educata talia, & meliora etiam aliud agens non effundat?

Cap. II. §. 4. *Defini ergo, inquam, ſi placet quid ſit eſſe cum Deo ——— Odi ego, inquit, definire.*] At ſi hunc & ſuperiorem librum legas, nullam definitionem paullò accuratiorem invenies; ſed tantùm deſcriptiones rhetoricas, re deſcriptâ ſæpe obſcuriores aut certè æquè ac eam obſcuras. Exempli cauſâ *eſſe cum Deo*, quæ eſt loquutio impropria & obſcura, definitur *à Deo adminiſtrari*, aut *intelligere Deum* &c. Si talia hodie conſcribillarentur, & in publicam lucem protruderentur, profectò eruditorum plauſum non ferrent, uti nec innumeræ inanes argutiæ, quibus hæc Opuſcula ſcateot. Sed illo ævo verba pluris multò fiebant, quàm res ipſæ; quo vitio & noſtrum ſæculum, plus quàm optandum eſſet, etiamnum laborat.

Cap. IV. §. 12. *Quid ſordidius, quid inanius decoris & turpitudinis plenius meretricibus, lenonibus, ceteriſque hoc genus peſtibus dici poteſt? Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus?*] Itaque rectè faciunt, ſi *Auguſtini* judicium ſequamur, legiſlatores & principes qui lupanaria eſſe patiuntur; nam præſtat paucas domos pollui, quàm omnes libidinibus turbari. Quamobrem aiunt in urbe omnium nobiliſſima ea ferri, ne in matronas & pueros paſſim graſſentur homines ſponte quidem ſuâ cœlibes, ſed minimè propterea caſtiores. Quantò ſatius erat dicere malas mulieres & libidinoſos juvenes abuti libertate à Deo accepta, & alia quæ ab eruditis nunc dici ſolent? Si talia hodie ſcriberemus, numquam ſat graves pœnas dare poſſemus iis, qui ea in Veteribus mirantur. Non expendam quomodo vitia faciant ad *Ordinem*, nimis multis verbis opus eſſet, ut quæſtio conſtitueretur, & in ordinem omnia digererentur. Verum orabo Lectorem ut conetur ex iis quæ hic habentur apud *Auguſtinum*, conflare diſputationem perſpicuam & viâ ac ratione diſpoſitam; quod ſi præſtet, *erit mihi magnus Apollo*.

Cap. IX. § 22. *Aëriorum animalium mira fallacia &c.*] Platonici ζῶα vocant, ſeu *animalia* quæcumque anima prædita ſunt, quales ſunt Dii illi inferiores, quorum ſedem in aere ponebant. Hos Cacodæmonas eſſe interpretabatur *Auguſtinus*. De ſententia Platonicorum ſat multa *Apulejus*, in Libris de Mundo, de Philoſophia Naturali, & de Deo Socratis.

Cap. XII. § 35. *Quibus duobus repertis* (litteris & figuris numerorum) *nata eſt illa librariorum & calculonum profeſſio, velut quædam Grammaticæ infantia, quam Varro litterationem vocat, Græcè autem quomodo appelletur non ſatis in præſentia recolo.*] Vocabatur γραμματιστική, doctor verò γραμματιστής. Philo de congreſſu eruditionis cauſâ: τὸ γὰρ γράφειν καὶ ἀναγινώσκειν γραμματικῆς τῆς ἀτελεστέρας ἐπάγγελμα, ἣν παρατρέποντές τινες γραμματιστικὴν καλοῦσι: *ſcribere & legere Grammaticæ eſt imperfectæ, quam nonnulli convertentes vocabulum Grammatiſticam vocant. Martianus Capella* Lib. III. de Nuptiis Mercurii & Philologiæ, ſic Grammaticam loquentem inducit: *Γραμματικὴ dicor in Græcia, quòd γραμμὴ linea & γράμματα litteræ nuncupentur, mihique ſit attributum litterarum formas propriis ductibus lineare. Hinc mihi Romulus* litteraturæ *nomen adſcripſit, quamvis infantem me* litterationem *voluerit nuncupare, ſicut apud Græcos γραμματιστικὴ primitus vocitabar, tum & antiſtitem dedit, & ſectatores impuberes aggregavit. Iſidorus* Orig. Lib. I. c. 3. *Primordia Grammaticæ artis litteræ communes exſiſtunt, quas librarii & calculatores ſequuntur, unde & eam Varro* litterationem *vocat.* Plura hac de re Veterum teſtimonia vide apud *Joan. à Wower* in Tractatione de Polymathia Cap. IV. & *Claud. Salmaſium* ſub finem notarum in Pallium Tertulliani.

§ 37. *Hiſtoria*] Non ea intelligenda à qua dicti Hiſtorici *Thucydides, Polybius*, aliique id genus, ſed Philologia, cujus periti πολυΐστορες dicuntur, unde *Alexander Polyhiſtor, Apion Polyhiſtor, C. Julius Hyginus Polyhiſtor*, quaſi dicas *multiſcium*, ἀπὸ τοῦ πολὺ & ἱστορεῖν. Vide *Cl. Salmaſium* ad titulum *Solini Polyhiſtoris.* Sic nomen *Hiſtoriæ* pro quavis cognitione uſurpatur ab Auguſtino Lib. II. de Muſica C. I. § 1.

ANIMADVERSIONES

IN SOLILOQUIORUM LIBROS.

DES. ERASMI CENSURA

OPUS mirè reſipiens optimi viri infantiam in Chriſto. Nam Rationem ita loquentem facit cum Auguſtino, quaſi Ratio non ſit potior Auguſtini pars. Tolerabilius Seneca fingit Rationis & Senſûs dialogum. Ad hæc, quaſi vero duo loquantur homines, in diſputationes & libros diſſecatur ſermo, ne defatigentur: nonnumquam & in ſophiſtica, leviculáque argutatione imploratur auxilium Divinum. Lectorem requirit patientem & candidum.

Lib. I. C. I. § 1. *AIt mihi ſubitò, ſive ego ipſe, ſive alius quis intrinſecus, ſive extrinſecus neſcio*] Hæc redolent Platoniſmum, ex quo homines *rationales* ſunt, quatenus divinæ *Rationis* participes; à qua non tantùm acceperunt ſubſtantiam ipſam & facultates mentis, ſed etiam cùm bene ratiocinantur occultè monentur, quaſi à Magiſtro. Vide librum *de Magiſtro*. Imò & Rationem, abſtractè ſpectatam, more Platonico ſubſtantiam eſſe vult, *de Immortalitate Animæ*. § 11. Ideò *Auguſtinus* Rationem à Mente ſua diſtinxit, eámque cum illa colloquentem induxit. Hæc obſervanda fuere, propter cenſuram *Eraſmi*; ne ineptior tum fuiſſe videatur *Auguſtinus*, quàm reverâ erat. Alia poſſemus addere de Ratione ex iis quæ ex *Clemente* profert *Photius* Cod. CIX. Ceteroqui quem non pigeat, tædeatque argutiarum, quas non ſibi ſed Rationi ipſi tribuit?

§ 2. *Deus qui malum non facis, & facis eſſe ne peſſimum fiat*] Hoc eſt, qui ſponte quidem tuâ malum non facis, ſed tantùm ne quid deterius eveniat. Quæ ſententia, niſi fallor, digna erat quæ retractaretur. Quid enim à recta Ratione, Scripturiſque Sacris magis alienum, quàm *Deum facere ut ſit malum?* ſed vide Operis de Ordine Lib. II. Cap. IV. § 5. Potuit aliquo ſenſu dici Deus *pati mala*, ne deteriora ab hominibus fiant, cùm ſe liberarum creaturarum affectioni attemperat; ut cùm in Judæis toleraret divortium & alia. Sed ea *facere* dici non poteſt; nec ſanè mirum talia Deo ingerentem ab eo nihil impetraſſe; nam his duobus libellis, quibus ad divinam opem ſæpiùs confugit, quid tandem eſt, quod te legiſſe gaudeas?

Cap. XII. §. 21. *Coger interdum* Cornelio Celſo *adſentiri, qui ait ſummum bonum eſſe ſapientiam, ſummum autem malum dolorem corporis.*] Videtur eſſe is cujus habemus libros de Medicina, nam & de aliis artibus ſcripſerat, ut docet *Quintilianus* Inſtitut. Orator. Lib. XII. c. ultimo.

Lib. II. Cap. III. § 4. *Abſurdius dicitur falſitatem, quàm veritatem eſſe non poſſe.*] Vere *Eraſmus*, ad oram ſuæ Editionis, hic appoſuit: *ſophiſtica inductio.* Poſtea etiam ad initium Capitis ſequentis: *ſophiſticatur*

& hic de vero & falſo. Profectò non ſophiſta tantùm, ſed propemodum ineptus haberetur, qui talia hodie ſcriberet.

Cap. VI. §12. *Mel thyminum à melle thymino*] *Eraſmus* hic habet in ora: „ Virgilius: *redolentque thy-* „ *mo fragrantia mella.* Aliàs *Hymetinum* & *Hymeti-* „ *no*, ſed altera lectio magis probatur. Hæc ille. Miror varietatis hujus non meminiſſe editores Pariſienſes. Celebria fuerunt mella *Hymettia*, à monte Atticæ dicta; & *Thymoſa*, ſive è thymo collecta. Adi *Plinium* Hiſt. Nat. Lib. XI. c. 13. & ſeqq.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE IMMORTALITATE ANIMAE.

Cap. I. § 1. *SI alicubi eſt diſciplina, nec eſſe niſi in eo quod vivit poteſt & ſemper eſt, neque quidquam in quo quid ſemper eſt poteſt eſſe non ſemper, ſemper vivit in quo eſt diſciplina*] Quaſi verò non poſſint eſſe in intellectu Dei ideæ diſciplinarum, quamvis nullæ eſſent creaturæ! Imò fuerunt, ante creationem. Præterea, quis neſcit diſtinguendam abſtractam cujuſpiam rei ideam, ac veritatem; ab actuali cogitatione de ejuſmodi idea, aut veritate? Ideæ, veritatéſque abſtractæ æternæ dicantur, quòd ſint naturâ ſuâ immutabiles; ſed quis inde colligat animos de iis cogitantes eſſe æternos, præter meros argutatores? Eademoperâ, colligere potuiſſet animis humanis nullum fuiſſe initium. Sed talia ratiocinationum ludibria non moramur.

Cap. VII. § 12. *Nulla præciſio perducit ad nihilum. Omnis enim pars quæ remanet corpus eſt, & quidquid hoc eſt quantolibet ſpatio locum occupat.*] Verè & acute. Hinc colligere potuit ſubſtantiam corporis viribus humanis interire prorſus non poſſe, ſed tantùm mutari. Sic poſſet fieri ut à creaturis mutaretur nonnihil in ſubſtantia mentis; quæ tamen propterea deleri poſſe cenſenda non eſt.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE QUANTITATE ANIMAE.

Cap. I. §2. *UNde ſit anima*] Hujus quæſtionis ſenſus erat, an à Deo creata ſit anima, an æterna, an unà cum corpore ex traduce naſcatur. Sed *Auguſtinus* rhetoricè eam ſolvit aut eludit, quaſi quæreretur, quæ patria ſit animæ; quod quis umquam ſomniavit?

Ibidem. *Si pergeres quærere unde ipſa terra, vel aqua, vel aër, vel ignis conſtent, nihil jam quod dicerem reperirem.*] Omnibus tamen notum erat conſtare ea ficta elementa omnium rerum innumeris partibus, in quas reſolvi poſſunt. Quod ſi dici poſſet de mente, actum eſſet de ejus immortalitate. Sed eorum, qui minùs accuratè philoſophantur, comparationes ad vivum reſecandæ non ſunt. Quod hic faciendum non eſſe liquet, ex eo quod *Auguſtinus*, mentem extenſam eſſe neget, in ſequentibus.

Cap. III. §4. *Et hoc interim ſatis eſt.*] Facilis ſanè fuit Evodius, qui tam paucis ſibi ſatisfieri paſſus eſt, de quæſtione, *qualis ſit anima.* Sed eamdem invenies tractatam in altera quæſtione, de quantitate animæ.

Ibidem. *Ideóque bene præcipitur, etiam in myſteriis, ut omnia corporea contemnat, univerſoque huic mundo renunciet.*] Bene in margine *Eraſmus* adnotavit *in baptiſmo*, notum enim eſt renunciare ſolitos, qui baptiſmum accipiebant, Diaboli & mundi pompis. Quod faciebant etiam infantium ſuſceptores, eorum nomine, ut teſtatur *Auguſtinus* Lib. de Pec. Origin. §45. & Lib. I. de Nuptiis & Concupiſ. Cap. XX. §22.

Cap. IV. §5. *Placétne tibi ut ipſam juſtitiam nihil eſſe credamus?*] Eſt planè nihil, ſi conferatur cum ſubſtantia; nam juſtitia in abſtracto nuſquam eſt, niſi in animo eam intelligentis. Sed Platonici de ideis loquebantur, quaſi de ſubſtantiis.

Cap. VII. § 2. *Auctoritati credere magnum compendium eſt, & nullus labor.* &c.] Sed priùs ipſa illa auctoritas expendenda eſt, quàm ei fidem habeamus; ita ut ei per omnia credamus, quia nobis indubitatis argumentis conſtat eam nec falli, nec fallere. Alioqui ſtultum eſſet ei credulitatem ſuam addicere, à qua verum dici nullâ ratione conſtaret. Sin minùs, barbari omnes populi, qui ſacerdotibus, aut Majoribus ſuis tam multa temerè credunt, rectè facere dicendi eſſent. Compendiariâ viâ etiam progrediuntur, ſed ut ad omnis generis errores perveniant, ex quibus numquam ſeſe expediunt. Itaque cavere omnes oportet, quibus cordi eſt Chriſtiana Religio, ne idem ei fundamentum ponant, quo maximi & turpiſſimi quique errores nituntur. Accuratiùs loquitur *Auguſtinus* in Libro de vera Religione § 45. *Auctoritas*, inquit, *fidem flagitat & rationi præparat hominem.* Ratio ad intellectum cognitionemque perducit. *Quamquam neque auctoritatem ratio penitus deſerit, cùm conſideratur cui ſit credendum; & certè ſumma eſt ipſius jam cognitæ atque perſpicuæ veritatis auctoritas.*

Cap. XXX. §39. *Senſus eſt corporis paſſio per ſe ipſam non latens animam.*] Poſt tot verba facta, de definitione ſenſûs, mirum eſt meliorem non eſſe prolatam, cùm præſertim *Auguſtinus* probè ſciret animum ſentire, non corpus. *Senſus* duplici ſignificatione dicitur, eſt enim aliquando ipſa ſentiendi facultas, quæ ineſt menti; aliquando paſſio ipſa, quâ ea facultas afficitur, & quam barbarè *ſenſationem* vocamus. Senſus, poſteriori ſignificatu, nihil eſt præter *animadverſionem mentis natam ex occaſione motus corporis ſui*; prior eſt facultas quâ mens talium animadverſionum capax eſt. Paucis verbis potuit totum hoc negotium abſolvi, quod hic tam multis intricatum eſt. Plura non addam, quæ ſunt omnibus nota, ex quo Philoſophia, noſtrâ & Patrum noſtrorum memoriâ, feliciter inſtaurata eſt, & de quibus etiam in Opuſculis Philoſophicis ſat copiosè egi. Nec Philoſophicas notas in *Auguſtinum* ſcribere aggreſſus ſum: alioqui multa dici poſſent, quibus ſequentes ejus ratiocinationes confutarentur; in quibus verborum tam eſt prodigus, quam parcus rerum.

Cap. XXXIII. § 76. *Vanitas vanitantium.*] Oportet, in quibusdam exemplaribus Græcis, lectum olim fuiſſe *ματαιότης ματαιούντων* quam vitioſam lectionem Latinus interpres, quo utebatur *Auguſtinus*, expreſſerit. In Veteribus Gloſſis eſt *ματαιῶμαι, vanor*, cujus frequentativum fuit *vanitor*.

ANI-

ANIMADVERSIONES
IN LIBROS DE MUSICA.

LIBRO I. Cap. I. § 1. EO *diſtat, quòd in diverſis locis habeat acumen.*] Ita loquitur de *pone* verbo, & *ponè* adverbio, & acumen ſine dubio vocat accentum. Credibile eſt verbum habuiſſe accentum in prima, adverbium in ſecunda, diſcriminis cauſâ. Hinc intelligere licet quàm malè hodie Linguam Latinam omnes pronunciemus, & quàm pravè verſus præſertim legamus; quis enim inter loquendum aliter *ponè* aut *pone* pronunciare ſolet?

Cap. x. § 17. *Seſque appellantur, ubi duo numeri ad ſe ea ratione affecti ſunt, ut tot partes habeat ad minorem major, quota parte ſui eum præcedit.* —— *Nominis autem hujus originem non facilè dixerim, niſi forte* ſeſque *quaſi* ſe abſque *dictum, id eſt,* abſque ſe, *quia quinque ad quatuor, abſque quinta parte ſua major hoc eſt quod minor.*] Sed non *quinque*, verùm *ſex*, eſt numerus *ſeſquatus*, ſi cum *quatuor* conferatur. Itaque meritò hanc *Auguſtini* Etymologiam reprehendit *Jul. Cæſ. Scaliger* Lib. II. de re Poetica, cap. 26. qui putat *ſeſqui* dici pro *ſemis æquum*, quod idem ſit ac ἡμιόλιον. Sed *Ger. Joan. Voſſius* felicius conjecit *ſeſqui* (aut *ſeſque*, ut ſcribitur hic apud *Auguſtinum*) idem fuiſſe, ac *ſemiſque*, ſeu *& ſemis*, ita ut *que* reſpectum habeat ad totum, cui *ſemis* ſuperadditur, unde Græcis ἡμιόλιον, *totum & ſemis.*

LIBRO II. Cap. I. § 1. *Scias velim totam illam ſcientiam, quæ* Grammatica *Græcè, Latinè autem* Litteratura *nominatur, hiſtoriæ cuſtodiam profiteri* &c.] *Hiſtoria* hic dicitur cognitio rei cujuſpiam, quæ non pendet à ratiocinatione, ſed ab hominum arbitrio. Paullò pòſt Grammaticus, docens ſyllabam eſſe longam aut brevem, dicitur eſſe *cuſtos hiſtoriæ*; nimirum, uſûs Linguæ Latinæ aut Græcæ, de quantitate ſyllabarum.

LIBRO III. Cap. I. § 2. *Rhythmus, id eſt, numerus.*] Scio quidem id quod Græcè ῥυθμὸς dicitur, à Latinis dictum *numerum*, ſed vereor ne *Auguſtinus* miſcuerit ῥυθμὸν cum ἀριθμῷ. Felicior hìc eſt Lingua Græca quàm Latina, nam ῥυθμὸς dicitur, ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, *fluere*, eſtque id quo fit ut verſus facile pronuncietur, & gratiùs ad aures accidat. Galli vocant *la cadence*, & *fluentes (coulants)* etiam *verſus* vocant, in quibus nihil eſt aſperum aut durum. Ex voce quidem *rythmus* venit vox Linguarum hodiernarum *rima*; ſed hac ſignificatur finis verſuum ὁμοιοτέλευτον, quæ ſignificatio a Græca voce planè aliena eſt. Non fuiſſet hoc obſervandum, niſi eſſet eruditus Gallus, qui hac in re peccavit, quem nomine non appellabo.

LIBRO V. Cap. III. § 4. *Non mihi* verſus *ex eo appellatus videtur, ut nonnulli putant, quod à certo fine ad ejuſdem numeri caput reditur, ut nomen ductum ſit ab iis quæ ſe* vertunt, *dum viâ redeunt, cum hoc illi cum his etiam metris, quæ* verſus *non ſunt, apparet eſſe commune.*] Ideò etiam non modò Poetarum metra *verſus* dicuntur, ſed & quævis ſcripturæ *lineæ*, quemadmodum nunc loquimur, ut rectè obſervavit *Joan. Ger. Voſſius* in Etymologico, ad vocem *verſus*. Idem optimè oſtendit dubitari non debere quin ſinguli ſcripturæ ſulci ex eo *verſuum* nomen acceperint, quod ut agricola Vomere ſolum: ſic ſcriptor ſtylo ceram *vertat*; ac ut ille, in terra, ſulco uno abſoluto, vertit aratrum, aliumque ſulcum efficit: ſic qui ſcribit, ſtylo ſiniſtrorſum *verſo*, prolatóque, novum in cera ſulcum ducat. Cúmque, ut docet, id non minùs in proſa fiat, quàm in carmine, patet *verſûs* nomen, naturâ ſuâ, non minùs ſolutæ quàm ligatæ orationi convenire. Sed quia Poetæ verſus ſuos certo abſolvunt pedum numero, & ſtylum proinde frequentius *vertunt*, hinc factum ut hi ſibi *verſûs* nomen prope fecerint peculiare. Adde hiſce *verſum* reverâ in agricultura ſulcum dictum, & apud Græcos vocem στίχος, quâ *verſum* ſcripturæ ſignant, eſſe etiam ex agricultura deſumtam; quod eruditè oſtendit *Joan. Croius* P. I. Obſervationum in N. T. Cap. IX.

Ibid. *Sed magis fortaſſe è contrario nomen invenit, ut quemadmodum Grammatici* deponens *verbum, quod R. litteram non deponit, ſicuti eſt* lucror *&* conqueror, *appellaverunt: ita quod duobus membris conſtat quorum neutrum, in alterius loco, ſalva lege numerorum, conſtituitur, quia verti non poteſt* verſus *vocetur.*] Prior Etymologia planè falſa eſt, ut ſunt pleræque omnes, quæ κατ' ἀντίφρασιν finguntur; nam multa *deponentia* olim in O & OR exibant, eorúmque catalogum contexuit *Joan. Ger. Voſſius* Ariſtarchi Lib. V. c. VII. Credibilius eſt ea *Deponentia* dicta, ut idem innuit Capitis VI. initio, quia paſſivam ſignificationem *depoſuerint*, quæ etiam ſententia fuit *Franc. Sanctii* ſummi Grammatici. Sed & ſcriptor libri de Grammatica, qui ſolebat *Auguſtino* tribui, aliud nobis ſuppeditat etymon. Agens de Verbis, *reſtat*, inquit, *verbum* deponens, *quia* deponit *aliquid de quantitate communis verbi. Nam cùm participia quatuor habeat verbum commune; præſens, ut* criminans; *futurum* criminaturus; *præteritum* criminatus; *futurum* criminandus, *à paſſiva ſignificatione; hoc non habet verbum deponens. Et ideò dicitur* deponens, *quia* deponit *unum participium futuri temporis, à verbo paſſivo quod exit* in dus *ſyllabam*; *ut* puta, opinor, *vel* miror, *verba ſunt deponentia.* Sed mihi magis Voſſiana Etymologia arridet. Quod habet *Auguſtinus* de *verſu* multò coactius eſt, & planè etiam falſum; nam permulti verſus converti queunt eo modo, quo eos converti poſſe negat. Pentametri, exempli cauſâ, non pauci ſic poſſunt converti; omnes, nimirum quorum prior pars ante cæſuram duobus dactylis conſtat. Poſſumus enim æquè dicere:

Semivirúmque bovem, ſemibovémque virum

Aut:

Semibovémque virum, ſemivirúmque bovem.

Dixeris perinde:

Sæpe tibi pater eſt, ſæpe legendus avus

Vel:

Sæpe legendus avus, ſæpe tibi pater eſt.

Innumera talia occurrent Elegiacum Poëtam evolventi. Itaque in fumum abit quidquid tam verboſè de verſibus non vertendis diſputavit antea *Auguſtinus*. Sed bene eſt quod fatetur vir modeſtus, initio Lib. VI. *Se ſatis diu penè, atque adeò pueriliter in veſtigiis numerorum ad moras temporum pertinentium, moratum eſſe.* Igitur hæc & alia ei ignoſcamus, ſed tempus meliùs collocandum in iis legendis, in quibus fermè nihil præter tædioſam & infelicem ingenii oſtentationem videas, minimè teramus.

ANIMADVERSIONES
IN LIBRUM DE MAGISTRO.

Cap. V. §16. *IN ſuis nobiliſſimis orationibus, quas Verrinas vocant*, coram *præpoſitionem, ſive illo loco adverbium ſit*, nomen *appellavit.*] Non vacat, darâ operâ, legere Verrinas, ut locum quæram. Fuiſſet hoc diligentiæ Benedictinorum, qui otio abundant, & à quibus margini locum, ut alibi factum, adlini oportuiſſet.

Cap. IX. §28. *Idem Perſius omnibus pœnis, quas tyrannorum vel crudelitas excogitavit, vel cupiditas pendit, hanc unam anteponit, quâ cruciantur homines, qui vitia, quæ vitare non poſſunt coguntur agnoſcere.*] Locus eſt Satirâ III. 35. cujus verba ſubjiciemus, quia & alibi, ad Confeſſ. Lib. XII. c. VIII. obſervavimus ad hunc Poëtam *Auguſtinum* reſpexiſſe:

Magne pater Divûm, ſævos punire tyrannos
Haud aliâ ratione velis, cùm dira libido
Moverit ingenium ferventi tincta veneno,
Virtutem videant intabeſcántque relictâ,
Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci? &c.

Cap. X. § 33. *Saraballæ eorum.*] Cùm in textu Chaldaico Dan. III. 27. ſcriptum ſit סרבליהון *Sarballehon*, vix dubium videtur, quin ſcribendum ſit *Saraballa*, aut *Saraballæ*, non *Sararabara*, ut habet Verſio Græca; in qua facillimè mendum irrepere potuit, in vocem barbaram, cùm præſertim liquidas auris facilè confundat. Sic ſcripta vox, per ל non per ר, uſitata eſt apud Thalmudicos & Arabas, pro tunica, & verbum סרבל *ſarbel*, ſignificat *texit*. Itaque nomen veſtis fuiſſe videtur, ut eſt etiamnum apud Arabas.

Cap. XIV. §46. *Didici admonitione verborum tuorum, nihil aliud verbis quàm admoneri hominem ut diſcat & perparum eſſe quod per loqutionem aliquanta cogitatio loquentis apparet.*] Hoc eſt, totius libri compendium. Mirum eſt quàm *Auguſtinus* calluerit artem pauca & perſpicua dogmata Philoſophica aut Theologica multis verbis & obſcuris dicendi, atque impediendi. Sed hoc fuit vitium Rhetoricæ illius ævi.

Ibid. *Utrum autem vera dicantur eum docere ſolum, qui ſe intus habitare, cùm foris loqueretur, admonuit; quem jam favente ipſo, tanto ardentiùs diligam, quanto ero in diſcendo provectior.*] Platonicum hoc eſt dogma, ex quo λόγος (quo nomine Chriſtum vocavit Joannes) ſtatuebatur quaſi Ratio univerſalis omnium hominum. Sic *Juſtinus* vult Chriſtum partim fuiſſe Socrati notum, λόγος γὰρ ἦν, inquit, καὶ ἔστιν ὁ ἐν παντὶ ὤν, *Ratio enim erat & eſt quæ eſt in rerum univerſitate.* Alia habet ſimilia in ſequentibus, in ea quæ dicitur Apologia I. quæ non exſcribam. Sed hæc diligenter notanda ſunt iis, qui Patres intelligere cupiunt; quos numquam adſequentur, niſi norint quæ eorum fuerit Philoſophia.

ANIMADVERSIONES
IN LIBROS DE LIBERO ARBITRIO.

LIBRO I Cap. II. §4. *NIſi credideritis, non intelligetis.*] Locus eſt Eſai. VII. 9 Sed in LXX. Int. verſione, quæ cum Hebraico textu non conſentit, qui habet, ut rectè vertit *Hieronymus*, poſt *Symmachum*: *ſi non credideritis, non permanebitis.* Quo in loco, Propheta alloquitur Judæos, eóſque hortatur ad fiduciam in auxilio divino, contra molitiones Iſraelitarum & Syrorum, ponendam; quod ſi fecerint, pollicetur fore, ut res eorum firmæ permaneant. Igitur nihil facit hic locus ad rem, quam hic habet *Auguſtinus*, & pro ſententia Prophetæ laudat bonus vir figmentum Græcorum Interpretum, ſi modò ita verterint. Unde verò hoc factum? Quia, nimirum, *credere* voluit, antequàm *intelligeret*. Credidit enim hunc eſſe ſenſum Scripturæ, antequàm ſciret an LXX. Interpretibus per omnia fidere liceret, aut hunc locum bene eſſe ab iis verſum conſtaret. Sed & alibi hoc loco ſimiliter abutitur, ut infra Lib. II. §6.

Cap III. §8. *Libido in adulterio malum eſt.*] Dubium non eſt quin mala ſit in adulterio libido; ſed quare mala eſt? Quia adulterium ipſum eſt malum, quòd illo ſocietas humana planè perturbetur. Humanæ enim ſocietatis fundamentum eſt ſocietas viri & conjugis, quæ eſt omnium prima, nec incolumis eſſe poteſt, ſine mutuo utriuſque amore, & communi liberorum ac rei familiaris cura, quæ cum adulterio ſtare nequeunt. Præterea adulteria parentum ſunt liberis efficaciſſimum ſcortandi exemplum; quod ſi promiſcuè fieret, actum quoque eſſet de ſocietate humana. Talia ergo ſunt vetita, hominum causâ, quibus vehementer nocerent. Alioqui *libido*, ſeu cupiditas alterius ſexûs, nihil habet per ſe mali, ſi intra limites à Deo, imò & ab ipſa Ratione, præſcriptos maneat. Quamobrem ita conſtituta ſunt à Deo omnium animalium corpora, ut cùm adoleverunt, ea cupiditas in iis, mechanico impetu, excitetur, non aliter ac cupiditas edendi, aut bibendi. Conſectarium eſt naturæ corporis, quale à Deo creatum eſt; ut ex brutis & ex ipſo conſilio propagationis generum intelligere eſt. Igitur verè dixit *Evodius* de adulterio: *non ſanè ideò malum eſt, quia vetatur lege; ſed ideò vetatur lege, quia malum eſt*; ſed *Auguſtinus* minùs commodè indicavit cur ſit malum. Similiter eſt ratiocinandum de homicidiis, & furtis, de quibus poſtea Noſter, & quæ mala ſunt, quia ſunt prorſus humanæ ſocietati contraria; ac proinde ipſius Dei conſilio, qui homines in terris collocavit, ut amicè inter ſe agerent; eóſque qui aliis nocent plectit, quippe qui eſt ejus ſocietatis auctor ac vindex.

Cap XII. §25. A. *Quæro abs te, ſitne aliqua in nobis voluntas?* E. *Neſcio.*] Mirum eſt Evodium, qui paſſim ſat acutè ratiocinatur, & interroganti prudenter reſpondet, hic tam ſtupidum fingi, ut ſcire ſe neget, an inſit hominibus voluntas. Qui poſtea Lib. III. § 3. dicere poteſt idem Evodius *quid ſuum dicat prorſus non invenire, ſi voluntas quâ vult & non vult non eſt ipſius?* Sed Platonicorum Dialogorum ambages talia multa habent, quæ neſcio cui rei apta ſint, niſi ad creandum Lectori tædium.

LIBRO II. Cap. II. § 5. *Ego demonſtrarem quod cuivis facillimum, quanto eſſet æquius ——— ut etiam ipſe tantorum virorum libris, qui ſe cum Filio Dei vixiſſe teſtatum litteris reliquerunt, eſſe Deum crederet*, &c.] Prius tamen oſtendendum eſſet libros illos eſſe fide dignos, quod non brevius fieri poteſt, quàm naturali Ratione demonſtrari Deum eſſe.

Ibid. § 6. *Fruſtra Propheta dixiſſet*: niſi credideritis, non intelligetis.] Jam antea oſtendimus à Propheta tale nihil dictum, ad Lib. I. c. II.

Ibid. *Ipſe quoque Dominus noſter & dictis & factis credendum primò hortatus eſt, quos ad ſalutem vocavit.*] Rectè dicit *factis*, nam miraculis oſtendit ſe eſſe fide dignum, antequàm fidem ſibi haberi exigeret. Sed verum eſt pleniorem cognitionem fidei eſſe ſequelam; ita ut generalior cognitio fidem pariat, & fides vice verſa accuratiorem cognitionem generet.

LIBRO III. Cap. III. §7. *Non voluntate autem volumus, quis vel delirus audeat dicere?*] Vult *Auguſtinus*

ſtinus

ſtinus oſtendere, qui Deus libera poſſit præſcire; ſed ante omnia, oportuiſſet definire *libertatem*, nec eam confundere cum *voluntate*, hæc enim non ſunt ſemper conjuncta, ut poſtea videbimus.

Quamobrem quamvis præſciat Deus noſtras voluntates futuras, non ex eo tamen conficitur ut non voluntate aliquid velimus.] At diſtinguenda ſunt duo genera rerum, quæ *voluntaria* dici poſſunt. Sunt enim quæ *volentes* quidem facimus, ſed minime tamen liberè; nam *libertas* eſt ea animi facultas quâ poſſumus aliquid facere, aut non facere; ſunt autem quædam quæ ita volumus, ut ea non poſſimus nolle. In judicio ferendo de dogmate quopiam, dum obſcuris rationibus nititur, quæ neque manifeſtò falſæ videntur, nec manifeſtò veræ, poſſumus id dogma rejicere, aut amplecti, libertatéque adeò noſtra utimur. Sed ſi nobis proponatur axioma quoddam mathematicum, aut propoſitio ex eo neceſſariâ conſequentiâ deducta, non eſt ampliua in poteſtate noſtra adſenſum negare; ſi modò verba, quibua concepta ſunt, intelligamus. Hic quidem *volentes* adſentimur, neque enim aliter fieri poteſt, ſed non liberè, nam adſenſum negare non poſſumus. De hiſce actionibus non quæritur an eas præſciat Deus, ſunt enim planè neceſſariæ; ſed nec ſunt ulla laude, aut vituperio dignæ. Eſt & altera res, præter ſummam evidentiam, in quam volentes quidem, ſed non liberè ferimur, quam exprimit ipſe *Auguſtinus* ſequentibus verbis.

Nam & de beatitudine quod dixiſti, non abs te ipſo beatum fieri, ita dixiſti quaſi hoc ego negaverim; ſed dico cum futurus es beatus, non te invitum, ſed volentem futurum.] At hîc quoque nulla eſt *libertas*, omnes enim neceſſariò optant ſummam beatitudinem, eamque conſequuti non poſſunt in ea non adquieſcere. Ideóque hoc exemplum ad rem nihil facit, cùm ſermo hic ſit de *volitionibus*, ut loquuntur Scholaſtici, non neceſſariis, ſed prorſua liberis, ut ſunt eæ quæ verſantur circa bona ſingularia, quæcumque tandem ſint.

Cùm igitur præſcius Deus ſit futuræ beatitudinis tuæ, nec aliter aliquid fieri poſſit, quàm præſcivit, alioqui nulla præſcientia eſt; non tamen ex eo cogimur ſentire quod abſurdiſſimum eſt & longè à veritate ſecluſum, non te volente beatum futurum.] Hæc à propoſita quæſtione ſunt aliena; quæritur enim quomodo Deua præſciat an Evodius, verbi gratiâ, adſenſum ſit præbiturus Evangelio, ſi Evodius eum adſenſum negare poſſit; non verò quæ ſit futura voluntas ejus, cum beatitatem conſequetur.

Sicut autem voluntatem beatitudinis, cùm eſſe cœperis beatus, non tibi aufert præſcientia Dei; quæ hodiéque de tua futura beatitudine certa eſt: ſic etiam voluntas culpabilis, ſi qua in te futura eſt, non propterea voluntas non erit, quoniam Deus eam futuram eſſe præſcivit.] Deus prævidit Evodium volentem fore beatum, ſi beatitatem conſequeretur, quia hæc voluntas eſt planè neceſſaria, adeóque nec laudanda, nec culpabilis. Verùm hoc non quæritur, ſed quomodo liberè Evangelio crediderit & adhæſerit Evodiua, ita ut ei fidem detrahere, & ab eo deficere potuerit; & tamen hæc Deus præſcire certò potuerit. Fac contrà Evodium Evangelio non credidiſſe, aut nuncium remiſiſſe, idque liberè, hoc eſt, ita ut contrarium facere potuerit; volens etiam fecerit, id quod fecit. Quæritur qui Deus eventum prævidere potuerit, qui ſuâ natura in alterutram partem determinatus non fuerit? Rem ipſam tractare non aggrediar, quæ ſanè difficillima eſt, ſed dicam *Auguſtinum* non crediturum fuiſſe eam tam levi brachio à ſe ſolvi poſſe, ſi rem intellexiſſet. Nunc autem vidimus eam acumen ejus planè fugiſſe, niſi rhetoricâ diſſimulatione hic uſua fuerit; quâ fortè etiam factum eſt ut multa aliena ab iis, de quibus agere aggreſſus eſt, miſceat, ne nimis jejunè eis de rebus agere videatur.

Cap. x. §29. *Nam & illud appenſum eſt æquitatis examine, ut nec ipſius Diaboli poteſtati negaretur homo, quem ſibi male ſuadendo ſubjecerat. Iniquum enim erat, ut ei, quem ceperat non dominaretur.*] Si quia diceret æquum eſſe ut Monarcha patiatur eos perduellionibus ſervire, quos malis artibus ejus imperio ſubtraxerunt; profectò non magis ferretur, quàm ſi quis diceret, iniquum eſſe ut furiis ſpolietur, quæ furto ſurripuit juſtia dominis. Quia igitur patiatur dici, iniquum futurum fuiſſe ſi Creator, qui longe optimo jure creaturis ſuis imperat, eriperet Cacodæmoni, creaturæ rebelli, quos malus ille ſpiritus fraude à Deo alieniores reddidit? Ad me quidem quod attinet, Diaboli patronos Manichæos & omnes alios ſimilia delirantes, non poſſem, niſi infeliciſſimos Rhetoras, ut molliſſimè loquar, habere.

Cap. xvii. §50. *Quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis* (ſcilicet, malæ) *ſi ei non poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur; ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur.*] Cùm *Pelagius* hoc loco uteretur contra *Auguſtinum*, ut oſtenderet non poſſe damnari eos qui nequeunt reſiſtere nativæ corruptioni; repoſuit *Auguſtinus* Cap. lxvii. De Nat. & Gratia, ut obſervarunt Benedictini, poſſe ei cauſæ reſiſti *opitulante eo, qui non poteſt falli.* At ſi qui non poteſt falli non opituletur, niſi perpaucis, atque ejus auxilium ſit planè neceſſarium, ad reſiſtendum, quemadmodum putabat *Auguſtinus*; ſequitur à ceteris peccandi cauſæ non poſſe reſiſti, ac proinde ſine peccato ei cedi. Nam quiſquia id non facit quod facere non poteſt, peccare dici nequit, aut certè pœnas nullaa debet. Scio quæ dici hac de re ſoleant; ſed profectò regulæ Auguſtinianæ, quam hoc in Opere de Libero Arbitrio ponit, immutabili quippe juſtitiâ nixæ, tenebras offundere non poſſunt.

Cap. xix. §53. *Nulli enim homini oblatum eſt ſcire utiliter quæri, quod inutiliter ignoratur*] Hanc plerorumque codicum lectionem eſſe teſtantur Benedictini. Sed omnino legendum eſt *ablatum*, non *oblatum*. Hæc enim eſt *Auguſtini* ſententia, nemini eſſe hanc ablatam cognitionem, ea utiliter quæri, quorum non conſtat ignorantiam eſſe utilem. Sanè ita hæc vox legitur in Editione Baſileenſi, & fortè typographico mendo laborat hîc Pariſienſis. Vide §57.

Cap. xx. §55. *Ut meliores gigneret quàm ipſe eſſet, non erat & æquitatis.*] Nec iniquum hoc erat, ſi ita Deo viſum fuiſſet; nec etiam æquum, ita ut Deus, niſi contingeret, iniquitatis inſimulari poſſet. Ordo dumtaxat à Deo, in omnium animalium propagatione inſtitutus, non patiebatur liberorum corpus melioris eſſe conditionis, quàm progenitorum corpora. Sed an æquum erat animos poſterorum Adami pœnas luere peccati ab ipſis non admiſſi, & quod ne committeretur nullâ ratione impedire potuerunt?

§56. *Si una anima facta eſt, ex qua omnium hominum animæ trahuntur naſcentium, quis poteſt dicere non ſe peccaſſe, cùm primus ille peccavit?*] Sed qui animam ex traduce eſſe voluerunt, non uſque adeò delirarunt, ut putarint univerſam omnium animarum molem, ut ita loquar, in Adamo fuiſſe, quæ poſtea particulatim diſcerpta in poſteros dividatur; ſed naſci ut corpus, nec exſiſtere antequàm naſcatur. Sequentia verba obſcuriſſima ſunt, nec à ſcriptore ipſo intellecta à me impetro ut credam. Quare non laborabo in iis explicandis.

Cap. xxii. §63. *Peccata, ut jam diu diſſeruimus, non niſi propriæ voluntati earum* (nimirum, animarum) *tribuenda ſunt, nec ulla ulterior peccatorum cauſa quærenda.*] Quin hæc rectiſſima ſint ego quidem non dubito, ſed quomodo conſentiant cum iis, quæ poſtea *Auguſtinus* docuit de pœnis quas poſteri Adami, ut putabat, luunt ob peccatum ab Adamo admiſſum, non intelligo. Quare miror hæc ab eo retractata non fuiſſe, niſi fortaſſe diſſimulare maluerit, ne Pelagianis gratificaretur, ſi faſſua eſſet ſe in ipſorum ſententia fuiſſe, antequàm eos oppugnaret. Nam apparet ex recenſione hujus libri, in Retractationibus, *Auguſtinum* voluiſſe videri Pelagianos oppugnaſſe antequàm exorti eſſent; nedum ut ſe iis faviſſe ingenuè profiteretur.

§64. *Ignorantia verò & difficultas ſi naturalis eſt, inde incipit anima proficere, & ad cognitionem, & requiem, donec in ea perficiatur vita beata, promoveri &c.*] Hæc quoque diſſentiunt ab iis, quæ poſtea contra Pelagianos dixit; nam illas habuit pœnas primi peccati; abſque quo fuiſſet, aliter planè eſſent homines nati.

Digitized by Google

Cap. XXIII. § 66. *Non enim metuendum eſt, ne vita eſſe potuerit media quædam inter rectè factum atque peccatum & ſententia judicis media eſſe non poſſit inter præmium atque ſupplicium*] Hæc, quæ de infantium conditione habet, ut & ſequentia, conſentanea minimè ſunt iis quæ de pœnis peccati originis poſtea docuit. Volumen decimum fermè totum, & præſertim libri contra Julianum contraria omnia docent. Itaque retractanda hæc fuiſſent. Sed vide dicta ad num. 63.

Cap. XXIV. § 71. *Ut ergo infans nec ſtultus, nec ſapiens dici poteſt, quamvis jam homo ſit; ex quo apparet naturam hominis recipere aliquid medium, quod neque ſtultitiam, neque ſapientiam rectè vocaveris: ita etiam, ſi quiſquam tali affectione animatus eſſet, qualem habent illi, qui per negligentiam ſapientia carent, nemo eum ſtultum rectè diceret, quem non vitio, ſed natura talem videret.*] Sic deſcribit Adamum primùm creatum ut neque ſapiens, neque ſtultus dici poſſet, ſed ſapientiæ capax; ex qua deſcriptione facilè poſtea oſtendit, qui homo potuerit labi, dum ex media illa conditione ad ſtultitiam tranſiit. At propter hoc dogma, quod retractare noluit *Auguſtinus*, & cujus causâ numquam eſt damnatus, miris conviciis exagitati ſunt ſæculo à Chriſto nato XVII. recentiores nonnulli Theologi. Sic ſæpe animadvertimus per latus Recentiorum, quos oderant, graviſſimè vulneratam eſſe exiſtimationem Veterum ab hominibus imperitis; qui eos ſe revereri profitebantur, quorum ſcripta non legerant, aut oſcitanter verſaverant.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS DE GENESI.

LIBRO I. Cap. II. § 3. H*Is reſpondemus* Deum in principio feciſſe cœlum & terram, *non in principio temporis, ſed in Chriſto* —— *Dominus enim noſter Chriſtus, cùm eum Judæi interrogaſſent quis eſſet, reſpondit:* Principium, quia & loquor vobis.] Locus eſt Joan. VIII. 25. Sed erravit *Auguſtinus* deceptus verſione Latinâ, ſi enim Græca tunc legiſſet, vidiſſet Chriſtum dicere accuſativo caſu τὴν ἀρχὴν, ac proinde non poſſe hoc haberi pro Chriſti nomine. Hanc tamen ſuam interpretationem tueri conatur Tract. XXXVIII. in Joannem, fortè ne malè à ſe intellectum hunc locum ignorantiâ Græcæ Linguæ liqueret. Vide *Joan. Maldonatum* ad hunc locum.

Cap. X. § 16. *Sic deinceps reliqui dies computantur à mane uſque in mane*] Fallitur, nam νυχθήμερα, more Hebraico, conſtanter computantur à veſpera ad veſperam, ita ut ſemper diem præcedat veſpera. Res nunc omnibus nota eſt, ſed eo tempore accurata Scripturarum interpretatio fermè ignota erat, ut liquet vel ex lectione horum librorum; quorum παρερμηνείας notare non aggrediemur.

Cap. XV. § 24. *Mons ille Macedoniæ, qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis eſſe dicitur, ut in ejus cacumine nec ventus ſentiatur, nec nubes ſe colligant* &c.] Multi hoc ſcripſerunt, ſed fabulam eſſe jam nemo dubitat: ut nec quiſquam etiam, Phyſicæ paullò peritior, vapores cum aëre confundit. Itaque talia prætermittimus.

LIBRO II. Cap. XXIV. § 37. *Quod ipſum non commutationem naturæ Dei ſignificat, ſed ſuſceptionem* (naturæ) *inferioris perſonæ, id eſt, humanæ.*] Rectè Monachi Benedictini, ex auctoritate Codicum manu deſcriptorum, expungunt vocem *naturæ* uncinis cinctam. Neque videtur ulla alia de cauſa addita, niſi quia Theologiæ conſentaneum non videbatur dici Verbum ſuſcepiſſe perſonam humanam: cùm, ex more recepto, dicatur humana natura à divina in unitatem perſonæ adſumta. Verùm hic *Auguſtinus*, non ſenſu illo Theologico, ſed vulgari & Latino uſus eſt voce *perſona*; quo ſignificat, non ὑφιστάμενον, ut Theologi Græci loquuntur, ſed certam quamdam conditionem quam actionibus effingimus. Perinde ergo eſt ac ſi dixiſſet, Verbum, ante incarnationem ſublimem perſonam Dei geſſiſſe; ſed, adſumtâ humanâ natura, inferioris perſonæ partes ſuſtinuiſſe. Nemo neſcit vulgò ita loquutos Latinos. *Auguſtinus* ipſe Epiſt. CXL. § 18. de Chriſto ita loquitur: *Hæc ex perſona ſui corporis Chriſtus dicit quod eſt Eccleſia. Hæc ex perſona dicit infirmitatis carnis peccati, quam transfiguravit in eam, quam ſumſit ex Virgine, ſimilitudinem carnis peccati. Hæc ſponſus ex perſona ſponſæ loquitur, quia univit eam ſibi quodam modo.* Igitur in hiſce verbis *Auguſtini*, eadem eſt ſententia, quæ ineſt verbis Apoſtoli Philip. II, 6. 7. 8.

Cap. XXIX. § 43. *Illi dicunt naturæ Dei nocere aliena peccata: nos negamus, ſed dicimus nulli naturæ nocere peccata, niſi ſua.*] Ut hoc intelligatur legenda expoſitio doctrinæ Manichæorum, quæ habetur in libro de Hæreſibus, ubi de origine mali & duabus animabus. Sanè abuſi eſſent hoc loco Pelagiani, ſi eum ad ſententiam ſuam traxiſſent, ſed non eadem eſt ratio locorum Lib. III. de Libero Arbitrio, quos tamen indictos prætermiſit *Auguſtinus*; dum alios, qui multò minùs torqueri poterant, explicat. Qua in re, an ars aliqua fuerit; judicent alii. Candorem quidem & modeſtiam præ ſe ferunt retractationes; ſed debent ingenuè fieri, retractatis quæcumque falſa putantur, non paucis quibuſdam exigui momenti, relictis gravioribus, ne fortè adverſarii objiciant ſe ſimilia ſentire. Sed *Auguſtini* animum noverat Deus.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS DE MORIBUS ECCLESIAE

CATHOLICÆ ET MANICHÆORUM.

DES. ERASMI CENSURA.

DUO Opuſcula quæ ſequuntur, alteri loco fuerant deſtinata, prius πολεμικόν, poſterius διδασκαλικόν. Verùm quoniam altero fortiſſimus tiro velitatus eſt in hæreticos, altero mirandus doctor futurus, prælufit in expoſitionem myſticarum Scripturarum, quæ juxta varios ſenſus tractantur, viſum eſt huic Tomo clauſulam addere. Mox ut nomen dederat imperatori Chriſto, quo commilitonibus ſuis certiſſimam fidem faceret, ſe bonâ fide à Manichæis transfugiſſe, ſub quorum ſignis novem annis militaverat, prodit illorum myſteria. Idque facit admirabili ſermonis elegantiâ, qua utinam illi licuiſſet in ceteris uti lucubrati-

brationibus. Hoc ſanè opere declaravit, ſi quid offendit eruditos in ipſius dictione, non fuiſſe inſcitiæ, ſed caritatis, quâ ſtilum demiſit ad imperitorum intelligentiam. Quandoquidem & textores & textrices id temporis intelligebant Latinam orationem ſimplicibus verbis ac ſenſibus contextam, qualis eſt divi Gregorii, non intellecturi dictionem Hilarii. Itaque quò latius pateret lectionis utilitas, ad vulgi captum mutavit ſtilum in opere poſteriore, quod idem in pleriſque ſuis operibus feciſſe videtur. Tandem uſus, ut fit, in naturam abiit. Ita denique factum eſt, ut hodie nec à tenuiter litteratis ſatis intelligatur, & à politioribus non ſine tædio legatur, niſi pietas excludat faſtidium.

Libro I. Cap. II. § 3. *Naturæ quidem ordo ita ſe habet, ut cùm aliquid diſcimus, rationem præcedat auctoritas.*] Nempe, ſi pueri magiſtrum, diſcendi cauſâ, adimus. Ei enim tantiſper credere nos par eſt, donec per nos ipſi res expendere poſſimus. Verùm in controverſiis tali inſtituto locus nullus eſt, cùm neutra contendentium pars alteram pro magiſtro habeat. Itaque mirum eſt addere *Auguſtinum*: *ſed quoniam cum iis nobis res eſt, qui omnia contra ordinem & ſentiunt & loquuntur, nihilque aliud maximè dicunt, niſi rationem priùs eſſe reddendam, morem illis geram; quod fateor in diſputando vitioſum eſſe ſuſcipiam.* Atqui abſurdum & iniquum erat aliter ſe gerere; quis enim patiatur ex auctoritate contra ſe diſputari, cujus pondus minimè agnoſcit? Vide notata in Cap. VII. Libri de Quantitate Animæ.

Cap. V. § 7. *Eſt ergo ſummum corporis bonum, non voluptas ejus, non* INDOLORIA, *non vires* &c.] Cum vox *indoloria* Latina non ſit, legamúſque in aliis editionibus *indolentia*, mendum hoc erit typographicum; neque enim ulli Codices notantur ita habere, nec, ſi haberent, eſſent fide digni. Notum eſt *indolentiam* vocem eſſe Ciceronianam.

Cap. XXXI. § 67. *Quis non illos miretur & prædicet, qui, contemtis atque deſertis mundi hujus illecebris in communem vitam, caſtiſſimámque congregati ſimul ætatem agunt* &c.] Egregie deſcribit mores Cœnobitarum, ſed quales debuiſſent eſſe, non quales erant. De ſeditionibus eorum, nimis multa leguntur in Eccleſiarum Orientalium hiſtoria, quàm ut huic Panegyriſtæ credamus. Interea optima erat eorum conſuetudo, quam hiſce verbis deſcribit: *Operantur manibus ea, quibus & corpus paſci poſſit, & a Deo mens impediri non poſſit.* In quibus forte legendum *& adeò*, nam vix puto dici *impediri mentem a Deo*, pro eo quod eſt, impediri ne Deo adhæreat, avocari à Deo. Hæc ab hodiernis Mendicis, ut vocantur honoris cauſâ, probè eſſent perpenſitanda.

Libro II. Cap. XIII. § 28. *Poſſunt & Catholici Chriſtiani veſtram à vino & carnibus abſtinentiam jumentis & multis paſſeribus, poſtremò etiam innumeris generibus vermium comparare.*] Súntne ergo aliqui paſſeres, qui comedant carnes & bibant vinum? Nulli. Igitur pro *& multis* lege *multis &*. Reſpicit *Auguſtinus* ad id quod ſanctimonialibus objiciebant Manichæi: *etiam mulus virgo eſt*, de quo paullò antea. Cùm ſcriptum fuiſſet *multis* pro *mulis*, poſtea conjunctio loco mota eſt. Vellem diligenter hic inſpectos fuiſſe Codd. MSS.

§ 29 *Bibat autem mulſum, caræuum paſſum*] Inter *carænum* & *paſſum* eſt interponendum comma; nam carœnum & paſſum non ſunt idem. *Auguſtinus* infrà § 47. nos docet carœnum *nihil aliud, quàm vinum coctum, eſſe*. *Palladius* in Octobri, Tit XVIII. oſtendit defrutum & carœnum ex muſto fieri, tum diſcrimen utriuſque ſic exponit: *defrutum à defervendo dictum, ubi ad ſpiſſitudinem fortiter deſpumaverit, effectum eſt. Carænum, cùm, tertiâ perditâ, duæ partes remanſerint.* Κάροινον autem dictum, quod τὸ κάρα offendat, ut Cariotæ palmæ, ex quibus vinum fiebat quod καρηβαρίαν creabat, ut docet Plinius Lib. XIII. c. 4. *Paſſum* verò erat vinum, quod ex paſſis uvis fluebat, de quo idem *Palladius* Tit. ſequente.

Cap. XV. § 39. *Cur in viola eumdem colorem amplectimini, quem in cholericis, in morbo ictericorum, in infantis denique fimo aſpernamini.*] Vix puto in Africa *choleres* dictos fuiſſe *cholericos*, malímque legi *cholericis*, à Cholera, quo morbo *bilis*, ſeu χολὴ *ſuprà infráque erumpit*, ut docet *Celſus* de Medicina Lib. IV. c. II.

Cap. XIX. § 69. *Eo tempore, quo conventicula eorum lege prohibebantur.*] Videtur reſpicere ad annum CCCLXXII. quo à Valentiniano & Valente ſancitum eſt ut *ubicumque Manichæorum conventus, vel turba hujuſmodi reperiretur, doctoribus gravi cenſione mulctatis, domus & habitacula, in quibus profanâ inſtitutione doceretur, fiſci viribus indubitanter adſciſcerentur.* Verba ſunt Legis III. Tit. V. Lib. XVI. Codicis.

ANIMADVERSIONES
IN LIBRUM DE VERA RELIGIONE.

Cap. II. § 3. *Quod utrum timore ſeveritatis an aliquâ cognitione temporum fecerint, judicare non eſt meum.*] Cum novem MSS. Codd. omittant vocem *ſeveritatis*, abeſſe ab hoc loco eam oportere putarim & ſic legendum: *timore temporum, an aliquâ cognitione veritatis fecerint.* Satis perſpicua eſt ſententia, & ad *timorem* quidem *temporum* quod attinet, loquutionem hanc ſuam eſſe docet ipſe *Auguſtinus* § 5. ubi de Platone: *uſque adeò perverſam temporum horum timuit opinionem.*

Cap. IV. § 7. *Si hanc vitam illi viri nobiſcum rurſus agere potuiſſent, viderent profectò cujus auctoritate faciliùs conſuleretur hominibus, & paucis mutatis verbis atque ſententiis Chriſtiani fierent: ſicut plerique recentiorum noſtrorum temporum Platonici fecerunt.*] At tempore Juliani Imp. Platonici fuere infenſiſſimi Chriſtianis, & ſuperſtitioſiſſimi. Tales etiam magiſtri Procli, & Proclus ipſe, qui natus eſt Byzantii ſub finem vitæ *Auguſtini*. Vide Prolegomena viri doctiſſimi *Joan. Alberti Fabricii* in ejus vitam à *Marino* Neapolitano conſcriptam. Nimis bene ſentiebat *Auguſtinus* de Platonicis, Religionémque Chriſtianam propiorem eorum dogmatibus putavit, quàm eſt re verâ.

Cap. XIV. § 27. *Uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium; & hoc quidem ita manifeſtum eſt, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat*] Nempe, ſi *voluntarium* dicatur *liberum*, ita ut poſſit admitti peccatum, aut non, & quidem ab ipſo peccante. Ita ſentiebant omnes mortales, ante controverſias Pelagianas; nec aliter ſenſiſſet ipſe *Auguſtinus*, ſi poſt mortem ejus natæ demum fuiſſent. Itaque hæc fruſtra cum ſententia, quam poſtea amplexus eſt, in concordiam redigere conatur Retract. Lib. I Cap. XIII. § 5. quaſi *voluntarium* dicatur tantùm quod inſidet voluntati, quamvis liberum non ſit.

Cap. LV. § 111. *Honoramus eos caritate, non ſervitute; nec eis templa conſtituimus, nolunt enim ſe ſic honorari à nobis &c.*] Hæc expendant qui volunt Angelos cultu δουλείας, hoc eſt, *ſervitutis* coli, videántque quomodo ſe ſentire & loqui cum *Auguſtino* dicere poſſint. Attamen jam ejus ævo quædam cœperant vulgò fieri, quæ, quamquam à prudentioribus damnata, paullatim intromiſſa ſunt. Sic Libro I. de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, § 7.

novi,

Digitized by Google

novi, inquit, *multos eſſe ſepulcrorum & picturarum adoratores*, quos Eccleſiæ Catholicæ à Manichæis objici non vult, & qui tandem maximus numerus facti ſunt.

ANIMADVERSIONES
IN REGULAM AD SERVOS DEI.
DES. ERASMI ROT. CENSURA IN REGULAM DIVI AUGUSTINI.

HÆC regula & ſententiis & dictionis figurâ refert Auguſtinum, quin & piâ civilitate humanitatéque præfert auctorem ſuum: quamquam probabile eſt eam non clericis, ſed fœminis eſſe ſcriptam, quæ in unum collectæ ſub moderatione ſororis Auguſtini vivebant: eam Præpoſitam vocat, ſed omnium ſumma poteſtas erat penes Presbyterum. Nonnullis autem immutatis accommodarunt eam viris, velut ubi de modeſtia cultûs præcipit fœminis: *Non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus: ne ſint vobis tam tenuia capitum tegmina, ut retiola ſubter appareant.* Sic enim arbitror legendum. *Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris vel ſpargat negligentia, vel componat induſtria*: quod viris accommodari non poterat, omiſerunt. Et in proximo: *In omnibus motibus nihil fiat quod cujuſquàm illiciat libidinem*: ſic mutatum eſt, *quod cujuſquam offendat adſpectum.* Rurſus quod præcipit, de non adſpiciendis fœminis: item de hoc, ut bini aur terni procedant: de lavandis propriis veſtibus: de operando in commune: aliáque permulta parum congrûunt in clericos ejus temporis, quorum tum erat major & libertas & dignitas. In calce alludens ad formæ ſtudium, ſpeculum & odores quibus fœmineum genus peculiariter delectatur, quæ dicit: *Donet Dominus ut obſervetis hæc omnia tamquam ſpiritalis pulcritudinis amatrices, & bono Chriſti odore, de bona converſatione fragrantes, & vos autem in hoc libello tamquam in ſpeculo poſſitis inſpicere*, &c. non perinde quadrant in viros. Sunt alia quædam, verùm hæc exempli cauſâ propoſuiſſe ſufficit. Poſtremò ut nihil ſit quod non poſſit ad clericos detorqueri, certè nihil eſt hîc quod illis cum fœminis non ſit commune. At quàm multa erant præſcribenda de Presbyterorum, Hypodiaconorum ac Diaconorum officiis, ſi illis regulam præſcribendam judicaſſet? Et tamen hæc regula fundamentum eſt multorum Ordinum, quam fœminis traditam utinam bene ſervarent viri. Habetur autem in epiſtola CXIX. Ineptum eſt autem de hujus viri titulo contendere: magis ad rem pertiner pietatis & eruditionis illius æmulatione decernere, ut ii optimo jure dicantur Auguſtinenſes, qui virtutes Auguſtini proximè referunt. Illud conſtat, orationem quæ *cucullæ* & *balthei* meminit, ſub Ambroſii nomine confictam eſſe. Nec ipſe Auguſtinus uſquam ſe Monachum vocat, nec ſuos clericos eo nomine deſignat, quamquam exiguum in cognomine momentum eſt. Ipſe fatetur ſe reliquiſſe omnia, & eodem multos provocaſſe: tum in oratione quadam apud populum, negat ſe uſurum *pileo rubro*, quod *pyrrhum* dicitur, nos corruptè *byrrhum* vocamus. *Decet* (inquit) *epiſcopum, at non decet Auguſtinum*: ubi magis dicendum erat, non decet Monachum. In libris de Moribus Eccleſiæ, præter anachoretas & cœnobitas, tradit genus tertium, eorum qui quoniam in eremum ſecedere non erat commodum, vel ob parentes, vel ob liberos, aut alias cauſas: tamen non quietiùs viverent, complures in iiſdem ædibus commorabantur, nullo imperio, ſed liberâ caritate omnia moderante. Eos conventus *diverſoria* vocat, quæ Romæ permulta viderat. Hoc exemplum videtur imitatus in Africa, ſic ut nec cultu notabiles eſſent, quemadmodum Monachi, & liceret ab eo convictu diſcedere, ſi cui parum eſſet commodus: licèt Poſſidius appellet ea *Monaſteria*.

§ 2. *QUid prodeſt diſpergere dando pauperibus & pauperem fieri, cùm anima miſera ſuperbior efficitur, divitias contemnendo, quàm fuerat poſſidendo?*] Nolim quidem damnare eos, qui cùm ſentiant ſe impares eſſe periculis, quæ in vita communi bonis imminent, ſolitudinem & ſeceſſum Monaſteriorum quærunt. At debent ante omnia ſibi cavere non modò à craſſioribus vitiis carnis, quibus omnes offenduntur, ſed & ab occultioribus, qualia ſunt ſuperbia, imperandi cupiditas, temerè de hominibus rebúſque ignotis judicandi prava conſuetudo, tyrannis in rebus Eccleſiaſticis, factioſa indoles, pigritia, iracundia, ſimultates implacabiles, & alia id genus; quæ in ſeceſſibus Monaſteriorum non aliter regnant, quàm in frequentiſſimis aliorum hominum conventibus, ac ſocietatibus. Quare viri prudentes & vitæ humanæ peritiores, ut *Deſid. Eraſmus* & alii, ſæpe de Monaſtico vitæ inſtituto loquuti ſunt, quaſi de vitæ genere non minùs ſaluti periculoſo, quàm eſt quodvis aliud. Interea ſi hanc Auguſtinianam Regulam obſervarent, ſine dubio tam frequentes de iis non eſſent querelæ, quàm adhuc fuerunt.

ANIMADVERSIONUM IN TOMUM I.

FINIS.

ANIM-

ANIMADVERSIONES
IN TOMUM SECUNDUM
S. AUGUSTINI.

DES. ERASMUS ROTERODAMUS
PIO LECTORI S. D.

EX calce Secundi libri Retractationum, item ex Epiſtola quæ præfixa eſt Catalogo Hæreſeon ad Quodvultdeum, ſatis quidem perſpicuum eſt, id temporis nec Epiſtolas, nec populares Orationes ab Auguſtino fuiſſe digeſtas: nec poſt id ab eo curatum, vel illud arguit, quod in hoc Volumine, neque temporum, neque perſonarum, neque materiarum ulla videtur habita ratio. Certius autem id arguit, quod quædam admiſtæ fuerant, quæ primo ſtatim guſtu deprehendebantur Auguſtini non eſſe, quas, additâ Cenſurâ, notavimus: nonnullæ ſimpliciter confictæ, quod genus ſunt illæ Bonifacii ad Auguſtinum, Auguſtini ad Bonifacium. Nullam tamen omnino loco movimus, præter unam & vehementer prolixam, & inſigniter illiteratam: ne id quidem facturi, niſi eadem in Tomis haberetur. Tanta nobis cautio fuit, ne quis quid de noſtra queri poſſit induſtria. Ad hæc inſperſæ ſunt nonnullæ, quas Auguſtinus ipſe in Retractationibus Libros appellat. Quamquam interdum ſubdifficile eſt Epiſtolam à libro diſtinguere. Auguſtinus alicubi ſic loquitur, quaſi brevitas aut prolixitas tribuat adimátve nomen Epiſtolæ verius, quàm orationis genus, aut argumenti ratio: præſertim quum hoc exemplum ab Apoſtolis venerit, ut argumenta quamvis ſeria committerentur Epiſtolis. Siquidem exceptis Evangeliis, quo nomine complectimur & Apoſtolorum geſta, præter Epiſtolas nihil ſcripto prodiderunt, ſed eas de rebus haudquaquam familiaribus, tum quas vellent ab omnibus legi. Alicubi putat Epiſtolam non videri, quæ non præferat nomen & ſcribentis, & ejus ad quem ſcribitur. Et ſane ſunt aliquot, quas verè poſſis Epiſtolas dicere, referentes familiare quiddam, & inſtar humani colloquii, licèt perpaucæ. Verùm hac de re liberum eſto ſuum cuique judicium. Illud auſim affirmare, non alio in opere magis eluceſcere ſanctiſſimi viri pietatem, caritatem, manſuetudinem, humanitatem, civilitatem, ſtudium crediti gregis, amorem concordiæ, & zelum domûs Dei. Ut ſatagit, ut molitur, ut ſe vertit in omnia, quoties affulſit aliqua ſpes pertrahendi vel Paganum ad Chriſtum, vel Hæreticum ad Eccleſiæ communionem? Ut ſe ſubmittit, ut (juxta Paulum) mutat vocem ſuam, undiquaque venans occaſionem excitandæ propagandæque pietatis, ubicumque ſentit, aliquam bonæ mentis ſcintillam reſidere? Cui mulierculæ, cui plebejo, cui aulico, cui pagano, cui hæretico, non promptè, manſuetè, blandéque reſpondet? Quàm anxia ſollicitudine pro ſceleratiſſimis, nec una morte dignis, Circumcellionibus intercedit? Quis majori ſtudio pro ſuis amicis interpellavit, quàm ille pro ſuis hoſtibus? Quanto nixu parturit omnes Chriſto, quàm gratulatur reſipiſcentibus, quàm ſollicitè proſpicit periclitantibus, quàm ſedulò docet errantes, mederi ſtudens omnibus, perdere neminem? Quàm miſere uritur, ad quodvis exortum offendiculum? Videas verè gallinam Evangelicam ſollicitam & anxiam, ut ſub alas colligat ſoveátque pullos ſuos. In nonnullis Epiſtolis agnoſcere licebit & illud forenſe dicendi genus, quod Græci δικανικὰ appellant: præcipu quum agit adverſus Donati factionem: nec deeſt argumentorum ſubtilitati, quæ illi peculiaris eſt, δεινότης. Verùm ſive docet, ſive corripit, ſive pugnat cum deploratis hoſtibus, nuſquam tamen non ſeotias Chriſtianæ caritatis nativam dulcedinem: ut (ſi tamen congruit hæc collatio) mihi videatur quemdam è comœdia referre Mitionem, qui tum etiam mitis eſt, quum objurgat maximè. In hoc uno velut in ſpeculo contemplari licet Epiſcopum, qualem depinxit Paulus, ἀνεπίληπτον, νηφάλεον, σώφρονα, κόσμιον, φιλόξενον, διδακτικὸν, μὴ πάροινον, μὴ πλήκτην, μὴ αἰσχροκερδῆ, ἀλλ' ἐπιεικῆ, ἄμαχον, ἀφιλάργυρον, μὴ αὐθάδη, μὴ ὀργίλον, φιλάγαθον, ἐγκρατῆ, ὅσιον, δίκαιον, ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, δυνατὸν καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν μετὰ πάσης πραότητος. Ad hoc ſpeculum ſi ſeſe contemplentur Epiſcopi, & qui præcipuam Epiſcoporum functionem occupant Theologi, pudebit, opinor, quoſdam ſui ſupercilii cum inſcitia conjuncti: pudebit ſævitiæ cum impuris moribus copulatæ. Ex aliis Auguſtini Libris perſpicere licebit, qualis fuerit adhuc infans in Chriſto: ex aliis, qualis fuerit juvenis, qualis ſenex: ex hoc uno volumine ſemel totum Auguſtinum cognoſces. Uberiores fructus nobis dediſſet illud ingenium, ſi in Italia, Galliáve, vel naſci, vel vivere contigiſſet. Rudis erat Africa, voluptatum avida, ſtudiorum inimica, curioſarum rerum appetens. Unde frequenter exercent illum quæſtionibus ſubfrivolis, nec multum facientibus ad pietatem: & ad ſuæ gentis affectus ſæpe cogitur attemperare calamum. Verùm tali excolendo ſenticeto tali opus erat agricola. Quamquam digniora lectu ſcripturus erat, ſi vel ad Romanorum aut Græcorum judicia ſe compoſuiſſet, vel minùs indulſiſſet ſimplicium imperitiæ,

peritiæ. Sed Chriſtiana caritas prius habet prodeſſe quàm plurimis, quàm probari præcipuis, fraternæ ſalutis quàm ſuæ gloriæ ſitientior. Quoſdam autem, præcipuè mulierculas, pia quædam habebat ambitio, pulchrum eſſe ducentes, qualecumque ſcriptum impetraſſe ab Epiſcopo. Ita factum eſt, ut dum vir pius omnium votis obſequitur, minus alicubi ſatisfaciat lectori faſtidioſo. Vix quemquam crediturum opinor, quantum mihi ſudoris exhauſtum ſit in tollendis mendis, ac reponenda ſermonis confuſiſſima diſtinctione. Sed ea demùm perfecta eſt eleemoſyna, quæ confertur neſcienti; generoſior etiam, quæ confertur averſanti. Hæc Chriſto fœneramus, non hominibus: quorum vix credibilem ingratitudinem, in nimiùm multis, experimur. Quamquam horum malitia nequaquam nos à benefaciendi ſtudio deterrebit umquam: eum optimæ fidei debitore nobis res eſt. Ne quid omittam, ab hujus Voluminis calce reſecuimus loquaciſſimam coronidem ſub titulis Cyrilli, ſubitò Latinè loquentis, & Auguſtini Græco malè Latinè ſcribentis, impudentiſſimè confictam: cujus tamen legendæ ſi quem fortè tenet libido, reperiat inter ea quæ Divi Hieronymi Tomis adjuncta ſunt. Illic expleat ſeſe affatim, qui talibus capitur deliciis. Hæc, cordate lector, fac evolvas attentè: non pœnitebit inſumti temporis. Bene vale. Dat. Baſileæ, Anno M. D. XXVII.

ANIMADVERSIONES
IN EPISTOLAS S. AUGUSTINI.

Epiſt. I. § 1. ACademicos ego, ne inter jocandum quidem, umquam laceſſere auderem; quando enim me tantorum virorum non moveret auctoritas; niſi eos putarem longè in alia, quàm vulgò creditum eſt, fuiſſe ſententia?] Quando hic eſt, aut pro quomodo; vel, mutatâ interrogatione negante in ſimplicem affirmationem, perinde eſt ac ſi dixiſſet: *ſemper me moveret* &c. Senſus eſt: motus fuiſſem auctoritate tantorum virorum, nec eorum ſententiam oppugnare auſus eſſem; niſi mihi conſtaret aliam fuiſſe, adeòque me, dum aggredior id quod ſenſiſſe dicuntur, eorum vera dogmata nequaquam attingere. Certe *Auguſtinus* Lib. III. 17. Operis contra Academicos, oſtendit diſſimulaſſe eos ſuam ſententiam, nec minus Dogmaticos fuiſſe, quam ceteros Philoſophos. Sed & hoc ad hunc locum obſervandum, *Auguſtinum* poſtea pœnituiſſe, quòd uſque adeò extuliſſet Academicos. Vide Retract. Lib. I. n. 4.

Ibid. *Erit mihi ſatis congruiſſe temporibus, ut ſi quid ſincerum de fonte Platonico flueret, inter umbroſa & ſpinoſa dumeta, potiùs in paſtionem pauciſſimorum hominum duceretur, quàm per aperta manans, irruentibus paſſim pecoribus, nullo modo poſſet liquidum purúmque ſervari*] Lege *potionem*, aut *potationem*, nam liquore *potamur*, non *paſcimur*.

Ibid. *Contra ejuſmodi homines opinor ego illam utiliter excogitatam Dei veri artem ac rationem.*] Crediderim ſcriptum ab *Auguſtino* fuiſſe *abſcondendi veri*, atque extritis tribus prioribus ſyllabis, eùm ſupereſſet - - - - *di veri*, exſcriptores Monachos feciſſe *Dei veri*. Alioqui ſi vera hæc ſit lectio, dicendum erit, hoc in loco, reſpicere *Auguſtinum* ad Parabolas, quibus utebatur Chriſtus, ne arduam veritatem deridendam objiceret multitudini non ſatis religioſæ. Qua de re vide Matth. XIII. 11. & ſeqq. atque ad eum locum Interpretes.

Ibid. *Amiculo corporis*] Hoc eſt, pallio tenus Philoſophos, qui nihil habebant philoſophicum, præter amiculum.

Epiſt. III. § 1. *Quem Plato noverat*] Intelligit ideam hominis intelligibilis, quam *Plato* ſibi animo effinxerat. Vide contra Academicos Lib. III. c. 17.

Epiſt. VII. § 3. *Anima, prius quam corpore utatur ad corpora ſentienda, eadem corpora imaginari poteſt* &c.] Hic loquitur *Auguſtinus*, ex dogmate *Platonis*, qui exiſtimabat mentes humanas priùs fuiſſe, quàm conjungerentur cum corporibus. Vide Retract. Lib. I. Cap. I. n. 3. & Lib. XI. de Civ. Dei. c. 26. *Origenes* & nonnulli alii Patres eam ſententiam ex *Platone* hauſerant. Adito & Illuſtriſſ. *P. Dan. Huetii* Origenianorum Lib. II. Quæſt. 6.

Epiſt. VIII. § 1. *Quâ arte, quibus manganis, quibúſve inſtrumentis, aut medicamentis?*] Hoc eſt, artibus miris, quales ſunt Præſtigiatorum, *Heſychius*: Μαγγανα, φάρμακα, δέλεα, γοητεύματα. Interpretatur tamen & μηχανήματα, *machinationes*. Inde μαγγανεία ſignificat γοητείαν, ut docet *Suidas* ex *Procopio*. Hæc omnia ficta videntur à voce μάγγανον. Gloſſæ Veteres habent etiam hanc vocem Latinè: Μάγγανον, *manganum*.

Epiſt. X. § 2. *Deificari enim utriſque in otio licebat.*] Hoc eſt, Deo ſimiles fieri, quod θεοῦσθαι frequenter Græci Patres vocant. Eodem ſenſu, ac hîc *Auguſtinus*, *Gregorius* Nazianzenus vocat ſolitudinem θεοποιόν, *deificam*, initio Orat. II. Alibi non rarò ſimilibus loquutionibus utitur; ut & *Dionyſius*, qui dicitur Areopagita.

Epiſt. XIV. § 2. *Remove nos & pone Glauciam prolem, nihil egeris. Quippe his etiam ſimillimis tanta eſt neceſſitas, ut propriè moveantur, quanta fuit ut ſinguli naſcerentur.*] *Glaucia proles* proverbium eſt, ductum à *Glaucia* neſcio cujus gemellis filiis, & omiſſum Parœmiographis.

§ 3. *Proceritas Nævii pede longioris quàm quis eſt ſeu longiſſimus.*] Locus corruptus. Legendum, *quàm qui eſt ex longiſſimis*. *Columella* de R. R. Lib. III. c. 8. *Nam & M. Tullius Cicero*, inquit, *teſtis eſt Romanum fuiſſe civem Nævium Pollionem, pede longiorem, quàm quemquam longiſſimum*. Hujus meminit etiam *Plinius* Hiſt. Nat. Lib. VII. c. 16.

Ibid. § 4. *Rationem contineat.*] Hoc eſt, ut loquebantur Stoïci, σπερματικὸν λόγον, *rationem ſeminalem*. Vide *Diogenem Laertium* Lib. VII. § 135. & 136. Idem Platonici vocabant *ideam*, ſeu exemplar intelligibile ad quod ſingulæ ſpecies ſunt factæ. Vide Retract. Lib. I. c. 3. n. 2.

Ibid. *Jam exceſſerim Nævium.*] Hoc eſt, tantam Epiſtolam ſcripſerim; ut tanto ceteras ſuperet, quanto Nævius alios homines. Vide ad ſuperiora.

Epiſt. XVI. § 2. *Horum buſta, ſi memoratu dignum eſt, neglectis Majorum ſuorum Manibus, ſtulti frequentant: ita ut præſagium vatis illius indignè ferentis emineat*: Inque Deum templis juravit Roma per umbras] Legendum *jurabit*, ut apud *Lucanum* Lib. V. 454. nam hunc verſum profert Madaurenſis Grammaticus, non quaſi deſcribentem rem præteritam, ſed quaſi rei futuræ præſagium. At prava pronunciatio eorum, qui B & V confundebant, locum corrupit.

Ibid. § 4. *Per quos*] Hoc eſt, *quos colentes colimus & eorum patrem*, quaſi cultus minorum Numinum in unius ſummi gloriam redundaſſet. Quâ ratione multitudinem Deorum ſuorum, variúmque cultum tunc temporis excuſabant Ethnici.

Epiſt. XVII. § 2. *Eucaddires*] *Sam. Bochartus*, *Chanaanis* ſui Lib. II. c. 6. ſuſpicatur legendum *encaddir*, hoc eſt, חנך אדיר *hhanouch-addir*, *initiatus magnifici*, nimirum, *Dei*.

Abaddires] אב אדיר, *ab-addir*, eſt pater magnificus.

cus. Vix crediderim reſpici ad lapidem à Saturno deglutitum, cùm ſit ſermo non de Græcis, ſed de Punicis nominibus.

Namphanio quid aliud ſignificat, quàm boni pedis hominem?] Phœniciè נעם פעמו *naham phahamo*, ſignificat *pulcher eſt pes ejus*, interpretibus *Petito* & *Bocharto*. Vide poſteriorem, loco laudato.

Epiſt. XXIII. §4. De circumciſione: *Hoc Sacramentum Jordanem fluvium refrenavit*] Atqui manifeſtum eſt Hebræos etiamnum incircumciſos trajeciſſe Jordanem, ex Joſuæ Cap. V. 2. & ſeqq. ſed Auguſtinum fefellit memoria, ratum Iſraelitas circumciſione demum ſuſceptâ trajeciſſe Jordanem, qua de cauſa putavit aquas Jordanis ſtetiſſe.

Ibid. § 6. *Tollamus à medio inania objecta, quæ à partibus imperitis jactari contra invicem ſolent, nec tu objicias tempora Macariana.*] Sic dicta à *Macario* Conſtantis Imp. legato qui Donatiſtas non parum vexavit, anno Chriſti CCCXLVIII. ad quem vide *Baronium*, aut *Spondanum*.

Circumcellionum.] Donatiſtarum ſeditioſorum, qui *circum cellas* vagabantur, & plebem ad arma capienda hortabantur contra Præfectos Impp. Vide de iis eoſdem ad annum Chriſti CCCXXI.

Dictata divinitus verba credamus.] Ut eloquentia hujus ætatis tumidior erat: ita & officioſa illa humanitatis verba, quibus vulgò utebatur, erant præter modum hyperbolica, ut paſſim videre eſt in horum temporum ſcriptoribus. Hoc eodem ævo *cœleſtia* Imperatorum reſcripta dicebantur, *cœleſtis* aula, & *divinitas* ac *æternitas* eis tribuebantur; quod docebunt Epiſtolæ *Symmachi* eos qui rem notiſſimam eruditis ignorant. Similia etiam paſſim occurrent in *Theodoſiano Codice*. Ejus operoſæ & nimiæ humanitatis ſpecimen hic habemus inſigne, in laude hyperbolica primorum *Auguſtini* ſcriptorum; quæ, quamvis ſpernenda minimè ſint, attamen neophytum ſapiunt, quod non negat ipſe *Auguſtinus*, initio Retractationum. Moris hujuſce hyperbolicè laudandi, & vituperandi niſi gnarus ſit Lector, ſæpe in iis Scriptoribus fallatur neceſſe eſt. Quod ſemel monuiſſe ſatis erit.

Epiſt. XXVI. § 3. *verſu, carm. Licentii: quis numerum dedit ille tonos*] Lege *tonis*, hoc eſt, quibus tribuit numerum tonitribus, ut verſus ſequens oſtendit. Videtur reſpicere ad libros Varronis *de Muſica*, ad quos intelligendos indiguiſſet Licentius *Auguſtino* interprete.

Epiſt. XXVIII. § 2. *De vertendis autem in Latinam Linguam ſanctis litteris canonicis, laborare te nollem; niſi eo modo, quo Job interpretatus es; ut ſignis adhibitis, quid inter hanc tuam, & Septuaginta, quorum eſt graviſſima auctoritas, interpretationem diſtet appareat.*] Mirum eſt, hominem modeſtum, ſtatim ac Presbyter factus erat, aggreſſum eſſe conſilium dare viro multò doctiori, de re, cujus planè imperitus erat, cùm Hebraicè planè neſciret, & Græcam Linguam vix delibaſſet. Nam de laboribus Hieronymianis judicare velle, ſine utriuſque illius Linguæ diligenti ſtudio, perinde eſt ac ſi cæcus natus de coloribus judicare aggrediatur. Sed bene eſt quòd conſilium ſpreverit *Hieronymus*, cujus judicium poſtea ſequuta eſt univerſa Eccleſia Latina.

Ibid. *Satis autem mirari nequeo, ſi aliquid adhuc in Hebraicis exemplaribus invenitur, quod tot interpretes illius Linguæ peritiſſimos fugerit.*] At falſò illos peritiſſimos Hebraïcæ Linguæ putabat; nam cùm illa Lingua dudum obſolevifſet, cùm Vetus Teſtamentum in Græcam tranſlatum eſt, nec methodo fermè ullâ adjuti fuiſſent illi Interpretes, poſteriorum diligentiæ multa emendanda relinquebant. Quâ ratione factum eſt, ut, ducentis abhinc annis, alii ſuper aliis Bibliorum Interpretes exſtiterunt; qui ſe accuratiùs quàm ſuperiores ea vertere poſſe, ſine ulla ſuperbiæ aut temeritatis nota, exiſtimarunt. Sic fundamento, quo tota ratiocinatio *Auguſtini* nititur, ſubruto, quidquid ſuperædificavit corruat neceſſe eſt. Audiamus tamen quæ habet in ſequentibus.

Omitto enim Septuaginta, de quorum vel conſilii, vel ſpiritûs majore concordia, quàm ſi unus homo eſſet, non audeo in aliquam partem certam ferre ſententiam, niſi quòd eis præeminentem auctoritatem in hoc munere, ſine controverſia, tribuendam eſſe exiſtimo.] Reſpicit ad putidam fabellam de conſenſu LXX. Interpretum, quam meritò irriſit *Hieronymus*, atque exploſerunt jam omnes Eruditi. Eam lege, ſi vacat, apud ipſum *Auguſtinum* de Civitate Dei Lib. XVIII. c. 42. & c. 43. Ubi etiam rejectam docet ipſius ævo verſionem *Hieronymi*, *quamvis Judæi faterentur eſſe veracem, Septuaginta verò Interpretes in multis erraſſe contenderent.* Dixerit fortè quiſpiam *Ariſteam*, *Philonem* & *Joſephum* Judæos veram hiſtoriam eſſe credidiſſe, quæ de conſenſu LXX. Interpretum narrabatur; univerſámque Eccleſiam Chriſtianam *Hieronymo* antiquiorem illa eſſe uſam. Sed ut ὕστερον πρότερον reſpondeam, dicam Apoſtolos, qui apud Græce loquentes Evangelium nunciabant, illa eſſe uſos; quia nulla alia erat, & ad ſummam Hiſtoriæ & Religionis Judaicæ quod attinet, & quatenus utilis erat propagationi Religionis Chriſtianæ, ſatis erat fida; non quia eam vitiis omnibus carere putabant. Certè nec ex uſu Apoſtolorum, nec ex ullis eorum verbis, colligere licet eam tranſlationem ab iis quaſi omnibus numeris abſolutam habitam. Si aliter ſequentes ætates ſenſerint, non ſequitur ita ſenſiſſe Apoſtolos. Ad hiſtoriam verò Judaicam quod ſpectat de conſenſu LXX. Interpretum, ita eſt confutata à viris doctis, ut nemo eam defendere, cum aliqua veri ſpecie poſſit. Denique quiſquis conferet Hebraïcum noſtrum exemplar, cum ea Tranſlatione, comperiet eam ſcatere vitiis manifeſtis, ut optimi quique Interpretes oſtenderunt. Scio non defuiſſe viros humaniorum litterarum peritos, qui aliter cenſerent; ſed aut numquam illam collationem diligenter inſtituerant, aut non intellexerunt utramque Linguam, aut pertinaciâ, imbecillitateve judicii laborarunt. Igitur non major poteſt eſſe auctoritas LXX. Interpretum, quàm res ipſa patitur, quidquid contrà ratiocinetur *Auguſtinus*. Verùm rationem cur vitioſis Tranſlationibus & Codicibus pertinaciter uſa ſint indocta illa ſæcula, ingenuè aperuit *Joan. Clericus* Quæſtione Hieronymiana IX. § 18. Pergit tamen *Auguſtinus* de re, quam non intelligebat, argutari.

Illi, inquit, *me plus movent, qui cùm poſteriores interpretarentur, & verborum, locutionúmque Hebræarum viam atque regulas mordicus, ut fertur, tenerent, non ſolùm inter ſe conſenſerunt, ſed etiam reliquerunt multa, quæ tantò poſt eruenda & prodenda remanerent.*] *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion* & alii Interpretes Græci, quamvis eruditi, omni erroris periculo exemti non erant; nec Linguæ Hebraïcæ uſque adeò periti, cùm dudum intermortua eſſet, ut nullus poſt eorum meſſem ſpicilegio locus foret. Præterea ſunt multa loca Veteris Teſtamenti aut propter res ipſas nobis ignotas, aut propter Codices antiquitate depravatos, obſcura; quæ alii aliis meliùs interpretari nos poſſe conjecturis, & ratiocinationibus, quæ variæ ſunt, exiſtimamus. Multa ſunt etiam, in ſtylo ipſo priorum Interpretum, quæ ſequentibus minùs placent & emendanda videntur. *Aquilæ*, verbi gratiâ, tranſlationes obſcuriores erant, quod verbo tenus omnia vertere conatus eſſet, quàm ut à peritis ſolius Linguæ Græcæ intelligi ubique poſſent. Denique eorum diſſenſus tantus non erat, ut de ſumma rei non conſentirent. At ſacrarum litterarum ſtudioſi, & qui publicè eas apud concionem interpretantur, in ſola rei ſumma non acquieſcunt: ſed ſingula, quatenus licet, intelligere conantur. Hæc cùm facilia ſint excogitatu rerum peritis, obſcura tamen erant *Auguſtino*, qui ex auditu de iis Interpretibus loquebatur, nec rem ipſam introſpicere ipſe poterat. Quare hîc mere σκιαμαχεῖ, quamvis acutè diſputare ſibi videretur, præſertim in ſequentibus verbis.

Et aut obſcura ſunt, aut manifeſta. Si enim obſcura ſunt, te quoque in eis falli potuiſſe creditur; ſi manifeſta, illos in eis falli non potuiſſe non creditur.] Multa ſunt utriuſque generis, in Veteri Teſtamento, atque in maximè quidem perſpicuis, quibus continetur ſumma Religionis & Hiſtoriæ Judaïcæ, conſentiebant Græci Interpretes. In aliis, quamquam attendenti & perito claris, multa ſupererant explicanda, quòd priores Interpretes aliquando dormitaſſent, aut quædam adſequuti non fuiſſent; quod om-

omoes poſtremorum ſæculorum Interpretes expertoa ſe eſſe meritò dictitant. In obſcuris, hoc eſt, in iis quæ ab homine perito ita explanari non poſſunt, ut auſit affirmare nullam aliam poſſe verbis ſubeſſe ſententiam, quid vetat plurium explicatinnes audire? Annon ſemper ita ſolet fieri? Annon *Auguſtinus* ipſe varias paſſim interpretationes profert? Nullus interpres ſeſe quaſi erroris immunem venditat, ſed putat tantùm, in ambiguis, veriſimiliora quædam aut certè æquè veriſimilia poſſe à ſe proferri. Igitur inane eſt Dilemma Auguſtinianum; cui aliter etiam repoſuit *Hieronymus* Epiſt. LXXV. in hoc Tomo. Præterea ſingularem ab eo ceteriſque Græcè neſcientibus, gratiam inire debuit *Hieronymus*; quòd, editâ verſione ſuâ, poſſent intelligere quid maximè probabile in Græcis Verſionibus eſſet, ex quarum potiſſimum collatione ſuam adornaverat. Huc accedebat quòd ex comparatione Hieronymianæ verſionis eum Græca LXX. Interpretum, aut ejus tranſlationibus Latinis, non exigua lux Lectoribus affulgeret. Nunc verò pro gratiis, quas ei debebant, homines imperiti & pertinaces labores ejus infamare conati ſunt. Quare verò? Quia iis laboribus liquebat eos innumera, in Vetere præſertim Teſtamento, male ſolitos interpretari; ſique vulgò opinio obtinuiſſet Scripturæ verſiones omnes eſſe cum Archetypis conferendas, quippe quæ fallere poſſent, actum erat de eruditione innumerorum Rhetorum Latinorum, qui nec Græcè, nec Hebraicè ſciebant. Hæc paullò copioſiùs, poſtea nequaquam repetenda, perſequuti ſumus, quòd videremus Hipponenſem Epiſcopum pertinaciter homini doctiori atque immeritò adverſatum fuiſſe.

Ceteroqui, cùm in iis, quæ ex mera ratiocinatione pendent, *Hieronymo* inferior non eſſet *Auguſtinus*; in eo litterarum ejus capite, quod ſpectat factum Pauli, ſine dubio meliorem cauſam defendit; quod libenter hic obſervamus, ne *Hieronymo* præter meritum favere, vel *Auguſtino* æquo facilius adverſari videamur.

Epiſt. XXXI. §. 2. *Aderat etiam quod nulli chartæ adeſſe poteſt, tantum in narrantibus gaudium, ut per ipſum etiam vultum oculóſque loquentium, vos in cordibus eorum ſcriptos, cum ineffabili lætitia, legeremus.*] Hoc eſt, altè eorum memoriæ impreſſos. De qua loquutione vide quæ habet *Joan. Clericus* Artis Criticæ P. 2 Sect. 1. Cap. 4. §. 8.

§. 4. *Niſi majorem mihi Coëpiſcopatûs ſarcinam imponeret*] Vide ad Ep. CCXIII, 4.

Epiſt. XXXIII. §. 1. *Non enim errorem Schiſmatis* —— *dignum honore aliquo exiſtimo; ſed te ante omnia, quòd ipſius nobis humanæ ſocietatis vinculo adſtringeris*] Imò verò communis Religionis Chriſtianæ, nam Donatiſtas Chriſtianorum numero habebant Catholici; quandoquidem eos ad Catholicam Eccleſiam redeuntes minimè rebaptizabant.

Epiſt. XXXV. §. 1. *Publicum Officium* &c.] Vide ad Epiſt. XCI. §. 8.

Epiſt. XXXVI. §. 2. *In his enim rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel inſtituta Majorum pro Lege tenenda ſunt*] Rectè; ſi modò Leges illæ non imponantur, quaſi neceſſariæ ad ſalutem; quod ſi fiat, meritò oppugnantur, quia ſolius eſt Chriſti jus *claudendi* cœli ita ut nemo aperiat: *& aperiendi*, ita ut nemo claudat. Cujus legibus ſi aliæ, quaſi neceſſariæ, addantur, tum novum Evangelium conflatur, quod ab omnibus diſcipulis ſuis rejici & Chriſtus & Apoſtoli voluerunt. Simile quidpiam habemus in Epiſt. LIV. ad Januarium, §. 3. *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores eſſe convincitur, indifferenter eſt habendum, & propter eorum, inter quos vivitur, ſocietatem habendum eſt.*

Epiſt. XLIII, 7. *Tanto magis enim timere debuit, ne pax unitatis violaretur, quanto erat Carthago civitas ampla & illuſtris* —— *Erat etiam tranſmarinis vicina regionibus* &c.] Siciliæ, credo; nam non eſt vicinior Italiæ, Galliæ & Hiſpaniæ littoribus, quàm aliæ urbes maritimæ Africæ.

Epiſt. XLIV. ubi multis narrat collationem ſuam cum Fortunio Donatiſta, Epiſcopo Tiburſico, ſic habet §. 11. *Dictum eſt quod adhuc eos* (Donatiſtas) *noſtri* (Catholici) *perſequuturi eſſent; nobiſque dicebat videre ſe quales nos eſſemus in illa perſequutione præbituros, utrum conſenſuri eſſemus tali ſævitiæ, an nullum commodaturi conſenſum.* Non malus conjector erat Fortunius, ut manifeſtum eſt ex Epiſtola LXXXIX ad Feſtum, octennio, & XCIII ad Vincentium, decennio pòſt ſcriptis, unde intelligere eſt gravem perſequutionem in Donatiſtas concitatam fuiſſe, conſentientibus Epiſcopis Catholicis; & malè collegis reſiſtente *Auguſtino*, immemore eorum quæ in hac collatione dixerat. *Nos dicebamus*, inquit in proximè ſequentibus verbis, *Deum videre corda noſtra quæ ipſi non poſſent & illos temerè ſibi adhuc iſta metuere, quæ ſi contigerint à malis contingere, quibus deteriores ipſi habent; nec tamen ideò nos à Catholica communione ſegregare debere, ſi quid fortè, nobis invitis, vel etiam, ſi valuerimus, contradicentibus factum fuerit, cùm tolerantiam pacificam didicerimus, dicente Apoſtolo*: ſufferentes invicem in dilectione, ſtudentes ſervare unitatem Spiritûs in vinculo pacis. Si ita verè animatus fuit *Auguſtinus*, eo tempore, nimis facilè in contrariam ſententiam abiit, ejúſque collegarum alius fuerat, ut docet Ep. LXXXIX & XCIII. animus. Eſt tamen cur quis dubitet an ex animi ſententia loqueretur *Auguſtinus*, an verò more Oratorum, prout præſens cauſa poſtulabat; neque enim ignorabat ab Imperatoribus, Theodoſio præſertim & filiis ante annum CCCXCVIII. quo ſcripta eſt hæc XLIV. Epiſtola, latas multas Leges, quibus Magiſtratus jubebantur perſequi hæreticos confiſcationibus locorum, in quæ convenerant, mulctis decem librarum auri, in ſingulos ſacerdotes hæreticos, exſiliis, fuſtibus &c. *Malos* harum legum auctores aut miniſtros dicere ſeriò auſus non fuiſſet *Auguſtinus*. Ceterùm hic obiter notandum *Pelagium* fuiſſe in ſententia Donatiſtarum, ut liquet ex ejus Comment. in Cap. IV. Ep. ad Galatas, ad hæc verba: *qui ſecundùm carnem natus erat perſequebatur eum qui ſecundùm Spiritum*, pag. 407. hujus Editionis.

§. 13. *Majorem Cælicolarum*] De Cœlicolis, déque hoc loco *Auguſtini* multis egit *Jacobus Gothofredus* ad leg. XIX. Tit. VIII. Lib. XVI. Codicis Theodoſiani, quem adire lectores poterunt. Invidioſa eorum deſcriptio, conjunctióque nunc cum Judæis, nunc cum Donatiſtis, obſtant quo minùs intelligamus quid ſenſerint.

Epiſt. LIII, §. 2. *In urbe Roma Montenſium, vel Cutzupitarum vocabulum propagavit.*] Cùm hæc ſit lectio plerorumque MSS. Codd. hic & in Libro de Unitate Eccleſiæ Cap. III. ſatiſque conſtet cognomen hoc Donatiſtarum, neque Græcum eſſe, neque Latinum, credibile eſt ab Afris impoſitum iis fuiſſe. Igitur, antequàm quidquam hic mutare aggrediamur, videndum an in Lingua Phœnicia, aut Punica, vox *Cutzupitarum* ſignificationem obtineat, cui ſit aliqua affinitas cum appellatione *Montenſium*. In Lingua autem Hebraïca, quam eamdem fuiſſe cum Phœnicia multis argumentis conſtat, קצב *Ketſeb*, aut, Syriaco more, קצף *Ketſeph*, à radice קצב *Katſab*, abſcidit, ſignificat, *abſciſſam cavernam*. Sic Jonas, in oratione quæ exſtat Cap. II. ait ℣. 7. ſe deſcendiſſe לקצבי הרים *lkitſbe harim*, εἰς σχισμὰς ὀρέων. *in ſciſſuras montium*, ut habent LXX. Intt. quibus verbis intelligit Propheta profundas in radicibus montium ſpeluncas. Itaque *Cutzupitæ* ſignificare poſſit homines, qui ſpeluncam adibant, quod egregiè conſentit cum eo quod de Donatiſtis Romæ commorantibus habet Optatus Lib. II. de Schiſmate Donatiſtarum: *Speluncam quamdam foris à civitate cratibus ſepſerunt ubi ipſo tempore conventiculum habere potuiſſent, unde Montenſes appellati ſunt.* *Hieronymus* etiam in Chron. ad annum Chriſti CCCLVI. à monte in quem conveniebant dictos Montenſes obſervat. Sub finem verò Libri contra Luciferianos, eoſdem vocat *Montenſes* ſeu *Campates*, aut *Campitas*; ubi legerim *Cutzupitæ*, nam *campus* & *mons* planè ſunt oppoſita. Simili de cauſa, Eunomiani, teſte *Theodoreto* Hæreticarum Fabular. Lib. IV. dicti ſunt *Troglodytæ*, aut *Troglitæ*, ὡς ἐν οἰκίαις λανθανούσαις τὰς συνόδους ποιούμενοι *quod in domibus occultis conventus*

ventus ſuos celebrarent; nempe, ἀπὸ τῶν τρωγλῶν, *à cavernis.* Igitur *Scototopitæ* à *Joan. Baptiſta Coteleriò* ficti, meri ſunt tenebriones, quos in tenebras, unde prodierunt, amandamus. Non magis audiendi ſunt, qui ex *Hieronymo* volunt legi *Campitas*; quod tamen vir eruditus *Lud. Ellies du Pin*, in notis ad locum *Optati*, mirum in modum concinere putat *Optato*, qui dicit *eos foris à civitate ſpeluncam quamdam cratibus ſepiſſe*; hinc enim æque *Campitas* ac *Montenſes* dici potuiſſe. Sed Gallico quidem ſermone, qui ſunt extra urbes dicuntur eſſe *aux champs*; Latine *rure*, aut *in agris*; non *in campis*, qui planitiem ſignificant, non rus. Video Gallos noſtros interdum, affinitate Linguæ ſuæ cum Latina, decipi. Sic in hac eadem voce erravit vir ingenioſus *Robertus Arnaldus Andillaeus*, qui *Joſephum* Gallicè vertit; cùm enim videret vocari μέγα πεδίον, tractum ad Jordanem ſitum, à Latinis Interpretibus *magnum campum*, vertit *le grand champ*, cùm debuiſſet vertere *la grande campagne*, vel *la grande plaine.*

Epiſt. LXXI. §. 4. *Perdurum erit, ſi tua interpretatio per multas Eccleſias frequentiùs cœperit lectitari, quod à Græcis Eccleſiis Latinæ Eccleſiæ diſſonabunt, maximè quia facilè contradictor convincitur, Græco prolato libro, id eſt, linguæ notiſſimæ.*] Non tanti erat omnes Eccleſias eadem verſione uti, ut propterea vitioſa in æternum uterentur; nec peperiſſet diverſitas quidquam incommodi, quia, ut diximus ad Epiſt. XXVIII. conſenſus ſemper in ſumma rei futurus erat. Hodie videmus eos Chriſtianos, qui vernaculis verſionibus utuntur, quamvis ſint diverſæ, propterea inter ſe minimè digladiari; nam eorum diſſenſus non ex varietate verſionum, ſed ex diverſis interpretationibus eorumdem verborum oritur. Præterea, *Auguſtini* ætate, magna varietas erat Latinorum Codicum apud Latinos & Græcorum apud Græcos, quæ nullum tamen præbebat offendiculum; cùm omnes ſcirent fieri vix potuiſſe, ut longinquitate temporum & imperitiâ, aut oſcitantiâ Librariorum, menda in Græcos Codices non irreperent; in Latinos vero, præter ejuſmodi menda, varietates ortas ex vario judicio eorum qui Græca vertere aggreſſi erant. Hoc non diffitetur *Auguſtinus* Epiſt. LXXI. §. 6. Ideòque *contradictor* paullò pertinacior non tam facilè convinci poterat, quam hic narrat *Auguſtinus*, prolato Græco LXX. Interpretum Codice. Sed adiri poterant alii Græci Interpretes, qui non tantùm ad intelligenda Hebraïca, ſed & Græca LXX. Interpretum verba, magno uſui eſſe poterant.

Ibidem. *Quiſquis autem in eo, quod ex Hebræo tranſlatum eſt, aliquo inſolito permotus fuerit & falſi crimen intenderit, vix aut umquam ad Hebræa teſtimonia pervenietur, quibus defendatur objectum*] Culpâ, ſcilicet, eorum qui volebant videri egregii interpretes Scripturarum, quas non intelligebant, cùm ex ſola verſione ſæpe obſcura & vitioſa penderent. Cur non dabant operam ſtudio Linguæ Hebraïcæ, præſertim in Africa, ubi Linguæ Punicæ cognitio iis viam muniebat ad Hebraïcam, quam ei affinem eſſe probè norant, & quam proinde multò feliciùs, quàm *Hieronymus*, didiciſſent, niſi eis mens læva fuiſſet? Præterea ex collatione verſionum *Aquilæ*, *Symmachi* & *Theodotionis*, facilè Hieronymiana à peritis defendi poterat; ab imperitis verò nihil rectè, hac in re, fieri poterat.

Ibidem. *Quòd ſi etiam perventum fuerit, tot Latinas & Græcas auctoritates damnari quis ferat?*] *Hinc*, nimirum, *illæ lacrimæ.* Nam ſi ſemel ſtatuas verſioni LXX. Interpretum non poſſe per omnia credi, & vitia ineſſe; quid fiet famâ tot Eccleſiaſticorum Oratorum Græcorum & Latinorum, qui de locis perperam intellectis tam copioſe ſcripſerunt? Nempe, dicendum erit, eos imprudenter feciſſe, cùm aggreſſi erant interpretari quod probè intelligere non poterant, neglecto Archetyporum ſtudio. At cenſoriâ notâ, inquies, obſcurabuntur maxima Orientis & Occidentis lumina. Obſcurentur ſanè, potiùs quàm eorum cauſâ falſa defendere aggrediamur; non enim agitur de exiſtimatione virorum Eccleſiaſticorum, ſed de invenienda veritate, quæ eſt famæ omnium mortalium anteferenda, imò hîc unicè ſpectanda. Quia viri celebres aliquid defenderunt quod falſum eſt, an ideò verum hoc vocabimus? An inveſtigationem veri omittemus, ne fortè eo invento cujuſpiam fama minuatur? Si ita ſe geſſiſſent omnes Judæi, ſi ita Ethnici, quibus Evangelium nunciarunt Apoſtoli, nemo umquam Evangelio credidiſſet. Si quæ prava conſuetudo inoleviſſet, numquam poſſet emendari; numquam enim deſunt viri celebres, qui eam ſequuti ſint. In adminiſtratione Reipublicæ varia feruntur, propter utilitatem præſentem, etiam iniqua, & falſa pro veris jactantur; ſed in iis quæ ad Religionem pertinent, ſola veritas quærenda atque id tantùm expedit quod verum eſt. Ac ſanè a duobus propemodum ſæculis, experti ſunt Chriſtiani multò tutius eſſe, neglecta auctoritate imperitorum Interpretum (quantævis fuerint famæ) ipſos fontes adire & Linguæ Hebraïcæ propterea ſibi peritiam comparare; quod feliciter patribus noſtris ceſſit, nec, ut ſpero, huic ætati infeliciùs cedet.

Ibidem. *Huc accedit, quia etiam conſulti Hebræi poſſunt aliud reſpondere, ut tu ſolus neceſſarius videaris, qui etiam ipſos poſſis convincere, ſed tamen, quo judice mirum ſi potueris invenire.*] Hæc demum eſt mera invidia. Quidni verò Pœni tui, ô *Auguſtine*, Linguam Hebraïcam addiſcebant, ut Judæis ampliùs non indigerent, ne ad ſolum *Hieronymum* eſſet confugiendum? At hoc difficillimum erat. Non difficilius, quàm fuit Patrum noſtrorum memoriâ; imò verò multò faciliùs & Afris & Syris & Arabibus Chriſtianis, quorum Linguæ affines Hebraïcæ fuerunt; cùm præſertim haberent Hexapla *Origenis.* Verùm, ne quid diſſimulem, multò facilius fuit, eo tempore ut hoc noſtro, apud imperitam plebem declamitare.

§. 5. *Nam quidam frater noſter Epiſcopus, cùm lectitari inſtituiſſet in Eccleſia cui præeſt, interpretationem tuam, movit quiddam longè aliter abs te poſitum, apud Jonam Prophetam, quam erat omnium ſenſibus memoriæque inveteratum, & tot ætatum ſucceſſionibus decantatum. Factus eſt tantus tumultus in plebe, maximè Græcis arguentibus & inclamantibus calumniam falſitatis, ut cogeretur Epiſcopus (ea quippe civitas erat) Judæorum teſtimonium flagitare.*] Atqui minime opus erat, ſed tantùm conſulendi fuerunt alii Græci Interpretes & cum Hieronymiana verſione conferendi. Præterea quid ad ſummam Prophetiæ Jonæ faciebat vox קיקיון *Kikajon*, ſeu *cucurbita* cum LXX. Interpretibus, ſeu *hedera* cum *Hieronymo* verteretur? Quidni potuit vario modo ea vocula verti, cùm tot aliæ multò majoris momenti non unâ ratione, ſine offenſione plebis, explicarentur? Epiſcopi fuit, conſcenſo ſuggeſto, hæc ſuam plebem docere.

Ibidem. *Utrum autem illi imperitiâ, an malitiâ, hoc eſſe in Hebræis Codicibus reſponderunt, quod & Græci & Latini habebant, atque dicebant. Quid plura? Coactus eſt homo velut mendoſitatem corrigere, volens, poſt magnum periculum, non remanere ſine plebe.*] Conſuli, ut dixi, debuerant Græci alii Interpretes, qui habebant κιττὸς, id eſt, *hedera*, ut docet *Hieronymus* ad Jonæ Cap. IV. quamvis fateatur non eſſe aptam vocem; nam קיקיון *Kikajon* eſt aliud plantæ genus, cujus Latinum nomen nullum erat. Itaque *Hieronymus* pro eo nomen uſurpavit, quod Latini intelligere poterant. Mala ſane fuiſſet Afra plebs, quæ tantilla de cauſa Epiſcopum ſuum deſerere parata fuit; ſed videtur eſſe, ut probè olfecit *Hieronymus*, fabella Punica, qua hominem terrere voluit Hipponenſis Epiſcopus. Ipſum *Hieronymum* adi, Epiſtola hujus voluminis LXXV.

Epiſt. LXXVIII. narrat *Auguſtinus*, cum accuſatio eſſet obſcura, miſiſſe ſe accuſatorem & reum Nolam ad ſepulcrum S. Felicis, ut veritas, ejus ope, cognoſceretur; tum ſubdit: *Nam & nos novimus Mediolani, apud memoriam ſanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter Dæmones confitentur, furem quemdam, qui ad eum locum venerat, ut falſum jurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum & quod abſtulerat reddere; numquid non & Africa ſanctorum Martyrum corporibus plena eſt? Et tamen nuſquam hic ſcimus talia fieri.*]

fieri.] At non minora erant quæ dicebantur fieri à S. Stephano Calamæ & Hippone-regio, ut liquet ex enumetatiune miraculorum quæ extat Lib. XXII. de Civitate Dei c. VIII. Quidni etiam furta ibi retegebantur, aut alia occulta crimina? Reſpondet *Auguſtinus: Sicut enim quod Apoſtolus dicit:* non omnes *ſancti* habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem Spitituum: *ita nec in omnibus memoriis ſanctorum iſta fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique, prout vult.* At quis credat, poſt mortem Sanctorum, eamdem diviſionem obtinere? Quis putet hic Cacodæmonas reliquiis Martyris territos, illic ſine commotione fuiſſe? Ne quid mentiat, quanta mihi facta eſt fides de miraculis Chriſti & Apoſtolorum, quæ omnia veritatis indicia comitantur; tanta eſt de tecentioribus diffidentia, cùm præſertim ſuperſtitioni & luero multò magis, quàm veræ virtuti ptopagandæ, ea ſerviiſſe videam. *Auguſtinus* ipſe Libro de Vera Religione §. 47. rariora ſua ætate miracula fuiſſe non diffitetur. Scio hoc ab illo retractatum, ſed miror quî potuerit antea in re notiſſima falli; non miror ad convincendos Ethnicos, Donatiſtas & alios Hæreticos miracula jactata, quæ multò plura fuerunt & inſigniora, ſi vere contigiſſent, quàm mitacula Chriſti & Apoſtolorum, adeo ut nulla ratione dici potuiſſent rariùs fieri, quam antea. Sunt & aliæ rationes ſuſpicandi, quas in brevibus notis non afferam. Vide quæ diximus ad Confeſſ. Lib. VII. §. 16.

Epiſt. LXXXIX. §. 2. poſtquàm dixit Martyres veros non fieri pœnâ ſed cauſâ, addit: *& hoc quidem adverſùs eos dicerem, quos ſola caligo hæreticis erroris involveret, pro quo ſacrilegio pœnas digniſſimas luerent, nec tamen ullâ quemquam violentâ inſaniâ lædere auderent. Adverſus autem iſtos quid dicam, quorum tam pernicioſa perverſitas, vel damnorum terrore coercetur, vel docetur exſilio, quam ubique diffuſa ſit Eccleſia, ſicut futura prædicta eſt, quam malint oppugnare quàm agnoſcere?*] At ſcelera illa Circumcellionum, ad quæ reſpicit *Auguſtinus*, nihil ad rem faciunt, neque enim propter illa ſceleta pœnas dabant, ſed propter ſchiſma, ut ipſe fatetur, utque ex legibus Honorii contta Donatiſtas conſtat, quæ exſtant Lib. XVI. Codicis Theodoſiani, ubi ut hæretici, non ut facinoroſi damnantur. Quænam autem eſſent *pœnæ digniſſimæ*, aut *pœna debita*, ut loquitur *Honorius* Leg. XXIX. Tit. V. Lib. XVI. Codicis Theodoſiani, docet *Auguſtinus* in Epiſt. ad Bonifacium, quæ eſt CLXXXV. ſed pleniùs expreſſa eſt ea pœna in Lege Theodoſii contra omnes Hæteticos, quæ eſt XXI. Tit. V. Lib. XVI. Cod. Theod. *In Hæreticis erroribus*, ait Theodoſius, unà cum filiis, in ea Lege lata anno CCCXCII. *quoſcumque conſtiterit vel ordinaſſe Clericos, vel ſuſcepiſſe officium Clericorum, denis libris auri viritim mulctandos eſſe cenſemus; locum ſanè, in quo vetita tentantur, ſi conniventia Domini patuerit, fiſci noſtri viribus adgregari. Quòd ſi id poſſeſſorem (quippe clanculum geſtum) ignoraſſe conſtiterit, conductorem ejus fundi, ſi ingenuus eſt, decem auri libras fiſco noſtro inferre præcipimus, ſi ſervili fæce deſcendens, paupertate ſui pœnam damni, ac vilitate contemnit, cæſus fuſtibus deportatione damnabitur.*

Epiſt. XCI. §. 8. *Poſtridie noſtris ad imponendum perditis metum, quod videbatur apud Acta dicere volentibus, publica jura negata ſunt*] Nimirum, in ſingulis urbibus commentarii ſcribebantur rerum paullò majotis momenti, quæ quotidie in iis gerebantur, qui poſtea ad Proconſules aut Imperatores mittebantur. Si quis ergo publicè quidpiam conteſtatum cupetet, adibat Officium publicum, ut ab eo verba ejus exciperentur, quò fidem facerent. Vide Epiſt. XXXV. §. 1. & Epiſt. XCIII, §. 12.

Epiſt. XCIII. §2. *Si quiſquam inimicum ſuum periculoſis febribus phreneticum factum currere videret in præceps, nonne tum potiùs malum pro malo redderet, ſi eum ſic currere permitteret, quàm ſi corripiendum, ligandúmque curaret?*] Hac Epiſtolâ, copioſiſſimè probare aggreditur Hipponenſis Epiſcopus licitam eſſe perſequutionem, ad eos, quos in errore verſari putamus, ad veritatis profeſſionem adducendos. Qua ejus opinione cùm multi abuſi fuerint & etiamnum hodie abutantur, non erit, ut opinot, inutile oſtendere *Auguſtinum* graviter, hoc in negotio, erraſſe, & à vera ſententia in deteriorem abiiſſe; quamvis ceteroqui ſchiſma ac pertinaciam Donatiſtatum nequaquam probemus. Igitur potiſſima quæque ejus argumenta ad examen revocabimus, prout otdine nobis occurrent. Ad primum quidem quod attinet, comparatio ex phrenetico deducta nullius eſt ponderis. Phrenetici enim ſine ullo dubio ſunt phrenetici, & ſocietatem civilem planè perturbant. Itaque leges civiles eos coerceri patiuntur & jubent, donec curati priſtinam valetudinem recuperarint. At in controverſiis de Religione, in quibus ſæpe videas contrarias partes virtutum Chriſtianarum æquè ſtudioſas, legibúſque civilibus pariter obſequentes, res non eſt neque adeò manifeſta, ut alteræ partes alterarum homines phteneticorum loco habere queant; nec in tantis affectibus, quanti hic deprehenduntur, alii aliorum judices eſſe poſſunt. Multitudo aut potentia, quæ ſibi jus judicandi vi adrogare ſolent, huc nihil faciunt, cùm vetitatem penès pleroſque & potentiſſimos fore nuſquam promiſerit Deus. Ac ſanè contrarium ſtatuito, videbis te contra te ipſum judicaſſe, ſi tempora mutentur; ut contigit paullò pòſt in Africa, ubi Vandali Ariani, & in Italia, ubi Gotthi, eidem hæreſi addicti, longè potentiores fuerunt. Si ad ea uſque tempora vitam produxiſſet *Auguſtinus*, vidiſſetque à Vandalis Arianis malè haberi Catholicos Afros, quaſi impios ac *phreneticos*, facilè ſenſiſſet ſe periculoſa ratiocinatione eſſe uſum contra Donatiſtas, & denuo cœpiſſet defendere ſententiam quam præ affectu rettactarat. Nam fruſtra repoſuiſſet à ſuis partibus veritatem ſtare, uti faciebant Donatiſtæ, negaſſent hoc Ariani; & cùm judices, in hac ſua cauſa, eſſent, cum eo ſe geſſiſſent, quaſi cum pertinace Hæretico, exptobraſſentque ei omnes vexationes, quas Ariani à Catholicis paſſi erant: quemadmodum hic Donatiſtis exprobrat Circumcellionum furores. O infelicia argumenta, quæ paullò pòſt mera ſophiſmata facta ſunt! Orationes imprudentes, ac fallaces, quæ errori æquè patrocinabantur, ac veritati!

Ibidem. *O ſi tibi poſſem oſtendere ex ipſis Circumcellionibus, quàm multos jam Catholicos manifeſtos habeamus damnantes ſuam priſtinam vitam* &c.] At quis credat homines facinoroſos non rationibus, quas ſemper ſpreverant antequàm vis admoveretur, ſed pœnis ſubitò adductos ad id profitendum quod damnarant, ita eſſe mutatos animo, non verò potentioribus partibus ore gratificatos? Valde credulum eſſe oportet, qui verbis metu extortis tam facilè fidem habet. Sed ſatis habebant vexatores Afri partes Donatiſtarum affixiſſe, nec multùm curabant an eorum animos verè ſanaſſent, ſi modò corpora obnoxia haberent. Præterea ſimilia jactare poterant Ariani, poſtquàm aliquamdiu Catholicos malè habuerant; nam multos ex infirmioribus aut nequioribus adducebant terrore ſuppliciorum ad abjurandam Synodum Nicænam. Sic fiebat ut optimi quique, qui contra animi conſcientiam agere & loqui detrectabant, atque propterea laudandi, licèt ceteroquin in errore verſarentur, erant, peſſimè mulctarentur; & contrà ut leviſſimi quique ac diſſimulatores calllidiſſimi laudes & à Catholicis & ab Arianis tefertent.

§. 3. *Si terrerentur & non docerentur, improba quaſi dominatio videretur. Rurſus ſi docerentur & non terrerentur, vetuſtate conſuetudinis obdurati, ad capeſſendam viam ſalutis pigrius moverentur* &c.] Sed tertor conjunctus doctrinæ eam vehementer ſuſpectam facit, quippe quam putant homines, niſi vi & auctoritate fulciretur, ſponte ſuâ collapſuram, nec terrore legum uti, niſi quia lumine veritatis ſibi hominum animos conciliare nequit. Hæc quæ dicimus Arianis objeciſſet *Auguſtinus*, ſi paullò diutiùs vixiſſet; quando eos vidiſſet üſdem argumentis uti contra Catholicos.

§. 4. *Quis nos* (malè editum eſt *non* in Exemplari Pariſienſi) *poteſt ampliùs amare quàm Deus? Et tamen nos non ſolum docere ſuaviter, verùm etiam ſalubriter terrere, non ceſſat. Diligamus etiam inimicos noſtros,*

noſtros, quia hoc juſtum eſt & hoc præcipit Deus, ut ſimus filii Patris noſtri, qui in cælis eſt, qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Sed ſicut iſta dona ejus laudamus: ita etiam flagella ejus in eos, quos diligit, cogitemus.] Ne jam repetam hoc quoque eſſe anceps auxilium, quo Ariani æquè uti poterant in Catholicos; quis homo audeat ſibi jus in ejuſdem naturæ participes, idem ac Deus, adrogare, niſi qui ſe hominem eſſe ſit oblitus? Quis enim ignorat aliud planè jus eſſe Creatoris in creaturas, aliud creaturarum in ſe invicem, aliámque Dei ac hominum affectionem? Deus ſummus eſt, jure creationis, dominus humani generis, idemque judex omnis erroris & affectûs expers: homines verò conſervi, erroribúſque & pravis affectibus obnoxii. Itaque non erat cur *Auguſtinus* vexatorum amorem erga fratres compararet, cum amore divino in humanum genus.

§. 5. *Putas neminem debere cogi ad juſtitiam, cùm legas patrem familias dixiſſe ſervis:* quoſcumque inveneritis cogite intrare; *cùm legas etiam ipſum primo Saulum, poſtea Paulum, ad cognoſcendam & tenendam veritatem, magnâ violentiâ Chriſti cogentis, eſſe compulſum* &c.] Antequam *coactionem*, de qua ſermo eſt Luc. XIV, 23. interpretaretur *Auguſtinus*, de vi illata legibus & pœnis, cogitare debebat parabolam illic à Chriſto tradi, in qua hoc jubetur ſervus, qui fruſtra vocaverat convivas antea invitatos, & qui liberrime ſeſe venturos negarant; neque hæc pars parabolæ contra ipſum urgeretur. *Auguſtinus* enim volebat omnes vocatos ad Eccleſiam Catholicam cogi, cùm in parabola mendici, dumtaxat, claudi & cæci cogantur, prætermiſſis aliis. An putabat *Auguſtinus* eâ *coactione* ſignificari impoſitionem pœnarum, quales ex lege Theodoſii ſad Epiſt. LXXXIX. protulimus? An ſic homines ad convivium venire coguntur? Quis neſcit eos *cogi* dici, qui precibus adiguntur? Sic Lotus Gen. XIX, 3. dicitur κατεβιάσατο *coegiſſe Angelos* ut apud ſe pernoctarent. Sic Matth. XIV, 22. & Marc. VI, 45. Jeſus ſcribitur ἠνάγκασε *coegiſſe* diſcipulos navigium ingredi. Sic Luc. XXIV, 29. diſcipuli duo Emmaüntem euntes dicuntur Jeſum παρεβιάσαντο, *coëgiſſe* ut ſecum cœnaret. Sic Gal. II, 24. exprobraſſe ſe dicit Paulus Petro quòd Gentiles *cogeret* (utitur verbo ἀναγκάζειν) *Judaizare*. In hiſce omnibus, nulla vis adhibita, ſed tantùm preces, auctoritas, exemplum, ſine ullis pœnis; & ſic ſolemus in omnibus fermè linguis loqui. Ad vocationem verò Sauli quod attinet, quæ cœleſte miraculum eſt, ſimiles artes adhibere ſi potuiſſet ad convertendos Donatiſtas, nihil erat cur eum hic confutaremus, & omnem pervicaciam facilè viciſſet. Sed cum divinis miraculis conferri vim à militibus, lictoribúſve Magiſtratuum allatam; & quia Deus miracula interdum adhibuit ad homines convincendos, hinc colligi ideò licitum eſſe vi uti, non patimur ſine aliqua indignatione. Quid enim hiſce diſſimilius? Si *Auguſtinus* ipſe ad Vandalicas perſecutiones vitam produxiſſet, & ſic eas defendi audiviſſet ab Arianis, vix temperare potuiſſet quin exclamaret eos blaſphemare, qui talia compararent.

§. 6. *Cùm legamus ancillam & Filium ejus à Sara paſſos graves moleſtias, Paulus tamen Apoſtolus dicit quod ab Iſmaele perſequutionem ſit paſſus Iſaac:* ſed ſicut tunc, *inquit*, ille qui erat ſecundum carnem perſequebatur eum, qui erat ſecundùm Spiritum: ita & nunc; *ut qui poſſunt intelligant magis Eccleſiam Catholicam perſequutionem pati ſuperbiâ & impietate carnalium, quos temporalibus moleſtiis, atque terroribus emendare conatur.* Verum quidem eſt Hagaram malè habitam à Sara, ſed eò hîc non reſpicit Paulus, verùm ad Iſmaelis actionem cum Iſaaco protervius ludentis, quam vocat *perſequutionem*, quámque confert cum perſequutione quam Chriſtiani patiebantur à Judæis; & quæ non erat ſita in eo quòd viderent Judæos ſuperbos eſſe ac pervicaces (quod nemo, niſi Pœnus Rhetor, *perſequutionem* vocarit) ſed in eo quòd ab iis omni moleſtiarum & pœnarum genere afficerentur. Abſurdum eſt conferri haſce perſequutiones, quas tempore Pauli Chriſtiani ferebant, cum affectione animi Epiſcoporum & ceterorum Clericorum Afrorum, qui ægrè patiebantur ſibi contradici à Donatiſtis. Quis ferat eum *perſequutionem* dici pati, cui dolet quòd non dominetur aliis, æquè ac miſeros qui facultatibus omnibus ſpoliantur, in exſilium mittuntur, fuſtibus cæduntur, imò & occiduntur, nam hoc factum liquet ex Epiſtola C. in qua *Auguſtinus* intercedit ne ampliùs fiat? Illudebat ſanè miſeris Hipponenſis Rhetor, quia ſentiebat omnia impunè à ſe in illos potuiſſe dici; ſed ſi Ariani ſuperiores ita loquuti eſſent adverſùs Catholicos, an non hic cœlum terræ miſcuiſſent? Præterea, quod primum dici oportuit, hîc & ubique ſtatuit atque adſumit pro comperto *Auguſtinus* quod in controverſia erat poſitum; ſuam, nimirum, Eccleſiam fuiſſe unam, excluſis Donatiſtis, Chriſti Eccleſiam. Non equidem probo Donatiſtarum ſchiſma, ſed cum illis diſceptanti abſurdum fuit perpetuò id adſumere quod præfractè negabant; útque intelligas quàm ſit iniquum, pone loco *Auguſtini* Arianos & fac eos ſimilia dicentes; tum verò videbis Arianis idem objectum iri, quod Donatiſtæ *Auguſtino* objiciebant. Quænam autem hæc eſt lex: *cùm res meæ ſuperiores erunt, tum mihi de æquitate & veritate cauſæ meæ judicium, fruſtra reclamantibus adverſariis, attribuitor; ſi numero & auctoritate vincar, adverſariis meis idem facere quod feci ne liceto?* Quid fingi poteſt iniquius? Eò tamen tendunt pleræque omnes ratiocinationes *Auguſtini*, & præſertim ſequentes, quas non exſcribam.

§. 7. *Aſpice etiam tempora Novi Teſtamenti, quando jam ipſa manſuetudo caritatis non ſolùm in corde erat ſervanda, verùm etiam in luce monſtranda, quando Petri gladius in vaginam revocatur à Chriſto, & oſtenditur non debuiſſe de vagina eximi, nec pro Chriſto.*] Si quis his lectis ulteriùs non pergeret, facilè crederet hæc eſſe verba Donatiſtæ oſtendentis illicitas eſſe pœnas temporales in rebus ad Religionem pertinentibus, quòd ſint indoli atque ingenio doctrinæ Evangelicæ planè contrariæ. At hinc conſectarium prorſus diverſum deducit. Nempe, vult inde colligi, ut Deus Pater tradidit Filium ſuum ſupplicio crucis, nec tamen minùs eſt miſericors: ſic nec Eccleſiæ Africanæ crudelitatis notam inuri poſſe, quòd Donatiſtas lictoribus plectendos traderet; nam ſpectandum hîc eſſe animum tradentium, qui ad emendationem traditorum tendebat. Igitur quamvis Catholici non aliter ſe gererent ac perſequutores, eos tamen non eſſe illicitæ perſequutionis incuſandos. *Diſcamus*, inquit, *frater, in ſimilitudine operum diſcernere animos operantium, nec clauſis oculis calumniemur, & benevolos pro nocentibus accuſemus.* At primùm quid ſimile eſt actioni Dei patientis volentem Filium ſuum occidi, in ſalutem humani generis, à ſceleratis hominibus, in moliminibus Eccleſiaſticorum, qui concitabant Magiſtratus in miſeros Donatiſtas? Pudet immorari confutandis ejuſmodi ratiocinationibus, quæ ne Logicæ quidem tironibus hodie condonarentur. Sed ut concedam hæc poſſe conferri, an quiſquam inter Afros fuit tam perfrictæ frontis, ut auderet poſtulare ab infelicibus Donatiſtis, ut crederent Catholicos tam bene erga eos quos vexabant affectos, quàm erat Deus erga homines cùm Filium ſuum vexationibus traderet, ut genus humanum ſervaret? Deus certè ex noſtra ſalute nihil lucrabatur: ſed Afri Epiſcopi auctoritate, dignitate atque opibus eò majores erant, quò greges eorum numeroſiores fiebant, quæ non ultima cauſa harum vexationum fuiſſe videtur. At Rhetor noſter non tantum veri, ſed ne veriſimilis quidem ullam rationem habet; nec opus erat, cùm hiſce argutiis minimè ceſſuros mulctæ, carceres, exſilia, mors manerent.

§. 8. *Si ſemper eſſet laudabile perſequutionem pati, ſufficeret Domino dicere:* beati qui perſequutionem patiuntur, *nec adderet*, propter juſtitiam.] At Donatiſtæ partes ſuas Catholicis non præferebant dumtaxat, quia *perſequutionem patiebantur*, ſed quia, ut quidem putabant, hoc fiebat *juſtitiæ*, hoc eſt, virtutis cauſâ; quòd nollent id facere quod ſibi illicitum eſſe ac Deo diſplicere credebant. Ea eſt ſanè animi affectio laudanda, etiam in errantibus: ut contrà vituperandi qui ab invitis extorquent ut id faciant, metu

tu

tu ſuppliciorum, quod illicitum eſſe putant; quamvis enim quod inviti faciunt naturâ ſua rectum eſſet, Deo non poſſet non diſplicere, qui non vult ore duntaxat coli, ſed potiſſimum animo, nec ab invitis quidquam accipit.

Ibidem. *Item ſi ſemper eſſet culpabile perſequutionem facere, non ſcriptum eſſet in ſanctis libris*: detrahentem proximo ſuo occultè, hunc perſequebar. *Aliquando ergo & qui eam patitur injuſtus eſt, & qui eam facit juſtus eſt.* Verùm non hîc de quavis *perſequutione*, hoc eſt, quibuſvis pœnis agitur; ſed de ea tantùm, quæ fit propter dogmata, non propter delicta quibus perturbatur ſocietas civilis, & de quibus non ex religioſis, ſed ex civilibus legibus pœnæ ſumi poſſunt. In loco Pſalmi C, 5. eſt quidem in verſione LXX. Interpretum *ἐδίωκον, perſequebar*, ſed ut jam rectè eos vertiſſe ſtatuamus, non eſt hic ſermo de dogmate controverſo, ſed de calumnia, hoc eſt, de peccato, quod qui committit peccatum eſſe diffiteri non poteſt. Rex David eo in loco Deo pollicetur, ſe daturum operam ut omnes calumniatores à conſpectu ſuo ejiciat: *Detrahentem*, inquit, *clam proximo ſuo, tollam, elatum oculis & vaſtum animo non feram.* Quid hæc faciunt ad perſequutionem hominum dogmata quæpiam bona fide amplexorum, nec ceteroqui deteriorum morum, quàm ſunt reliqui cives? Hoccine eſt Scripturam, ut decet, interpretari, an temerè arripere vocabulum malè intellectum, ut videaris aliquid dicere, cùm re verâ nihil dicas?

Ibidem. *Occiderunt impii Prophetas; occiderunt impios & Prophetæ.* Quoſnam propter meras opiniones occiderint Prophetæ, debuiſſet dicere *Auguſtinus*; nam ſi quos occiderint propter malè facta, ex Lege ipſa Moſis morte plectenda, hoc nihil facit ad Donatiſtas, aut alios ſimiliter errantes. Præterea oſtendendum fuiſſet quidquid fecerunt Prophetæ id licitum eſſe ſub Novo Teſtamento, nam hoc pernegat Chriſtus diſertiſſimis verbis Luc. IX, 55, 56. nec quemquam legibus à Chriſto latis ſolvere poteſt *Auguſtini* auctoritas. *Flagellaverunt*, inquit, *Judæi Chriſtum, Judæos flagellavit & Chriſtus.* Quaſi verò flagellatio illa quâ Chriſtus pecudes, potius quàm homines, ejecit è Templo, poſſit conferri cum crudeli flagellatione, quam Chriſtus paſſus eſt à Romanis Judæis gratificantibus! Aut *Auguſtinus* valde ſpernebat ingenia Donatiſtarum, quibus ſe ejuſmodi ratiocinationibus os obſtruere poſſe ſperabat; aut multò majorem fiduciam habuit in Edictis Honorii, quàm in pondere rationum. Sic quoque pergit: *Traditi ſunt Apoſtoli ab hominibus poteſtati humanæ, tradiderunt & Apoſtoli homines poteſtati Satanæ.* Tu quoque tradidiſſes Donatiſtas, ſi potuiſſes, poteſtati Satanæ; ſed quia eum dicto audientem non habuiſti, lictoribus tradebas; inter quæ maximum eſt diſcrimen. Nam homo nequam ſæpe innocentes lictoribus tradidit, numquam verò Satanæ; qui nemini paret niſi ei cui Deus eum ſubjicit, nec à Deo cuiquam ſubjicitur, niſi ſummæ virtutis viro & poteſtate edendorum miraculorum inſtructo.

§. 9. *Non invenitur exemplum*, inquiebant Donatiſtæ, *in Evangelicis & Apoſtolicis litteris, aliquid poſitum à Regibus terræ pro Eccleſia contra inimicos Eccleſiæ.* Reponit Auguſtinus: *quis negat non inveniri? ſed nondum implebatur illa Prophetia*: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram &c. Vult nimirum, *Auguſtinus*, Chriſtum & Apoſtolos non uſos brachio ſæculari, ut loquuntur, ad coercendos, ac plectendos inimicos Eccleſiæ, quia nulli erant Reges, qui eis faverent. Quaſi verò ea non fuerit nativa indoles regni Chriſti, quod ipſe teſtatur non eſſe *hujus mundi*, quamobrem legionibus minimè defendebatur! Annon potuit Chriſtus, ſi voluiſſet, ingentem copiam Judæorum ad arma vocare, ut ſe tueretur contra inimicos, & quod viribus humanis deerat vi divinâ miraculorum perfacilè ſupplere, ſi ita Deo viſum fuiſſet? Idem de Apoſtolis dixeris.

§. 11. Sic Rogatiſtas, qui ſchiſma ab ipſis Donatiſtis fecerant, alloquitur: *Mitiores quidem eſſe videmini, quia cum Circumcellionum immaniſſimis gregibus non ſævitis; ſed nulla beſtia, ſi neminem vulneret, propterea manſueta dicitur, quia dentes & ungues non habet. Sævire vos nolle dicitis, ego non poſſe arbitror* &c.] Non ſatis novimus Rogatiſtas, nec eorum libros habemus, ut intelligamus quomodo perſequutionem oppugnarent; ſed intelligimus facilè immite hoc & inhumanum eſſe reſponſum, valdéque alienum à manſuetudine, quam præ ſe ferre ſolebat *Auguſtinus*. Quî enim noverat eorum animos? Annon poterat fieri, ut ex animo ab omni perſequutione abhorrerent? Facilè ſane hoc mihi perſuadeo, qui ſatis mirari non poſſum, qui *Auguſtinus* tam futilibus rationibus ad perſequutionem probandam ac laudandam adduci potuerit, nec viderit eam cum caritate Chriſtiana conſiſtere nullo modo poſſe. Affectu, ut puto, occæcatus eſt.

§. 17. *His ergo exemplis à collegis meis propoſitis ceſſi. Nam mea primitùs ſententia non erat, niſi neminem ad unitatem Chriſti eſſe cogendum, verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos Hæreticos noveramus.*] Ut *Auguſtinus* norat, ex Rhetorica inſtitutione, id dicere, pro temporibus, quod cauſæ poſtulabant: ita etiam pro temporibus videtur ſenſiſſe. Quis enim dubitat quin, ſi Eccleſiæ Africanæ à perſequutione abhorruiſſent, & petiiſſent ab Honorio, ut abrogarentur Leges contra Donatiſtas, contrariam cauſam copioſè peroraturus fuiſſet? Ego ſanè nullo modo dubito, quin ſi illum apud Vandalos vexatæ ab Arianis Eccleſiæ Africanæ cauſam dicere oportuiſſet, contrariis planè uſus eſſet argumentis; qualia olim Chriſtiani apud Ethnicos adhibuerant, cùm ab iis malè haberentur. Hic enim *Auguſtinus* an res ſit per ſe iniqua non expendit, ſed tantùm an utilis videretur Eccleſiæ Africanæ; qualis utilitas nulla fuiſſet, ſi fortè Honorius faviſſet Donatiſtis.

Ibid. *Sed hæc opinio mea* (nempe, fictos Catholicos perſequutione fieri) *non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur civitas mea, quæ cum tota eſſet in parte Donati, ad unitatem Catholicam, timore legum imperialium, converſa eſt, quam nunc videmus ita hujus veſtræ animoſitatis perniciem deteſtari, ut in ea numquam fuiſſe credatur.*] Facilè quidem fieri poteſt ut adoleſcentes & puellæ ſententiam vexatione mutent; ſed difficillimum eſt ut grandiores natu, & perſpicacioris ingenii homines alieniores multò non fiant à doctrina, quæ eis vi ingeritur. Itaque cùm hi dicunt, metu pœnarum, ſe aliter ſentire, propterea digni fide non ſunt. At altera ætas, inquies, quæ ſchiſma non vidit, eſtque in Catholicis placitis educata, haud aliter ea amplectitur, quàm ſi nullum umquam ſchiſma fuiſſet. Non diffiteor, ſed contendo ſchiſmati finem imponi vexationibus nonniſi iniquè atque inhumanè poſſe; iiſque artibus non modò ſchiſma ex pertinacia aut imperitia ortum, ſed & omnem veritatis cognitionem tolli: ut liquet vel ipſius Africæ exemplo, in qua ne unus quidem ſupereſt, à pluribus ſæculis, Chriſtianus. Nimirum, Muhammedanorum furor exſtinxit illic Religionem Chriſtianam, ſimilibus artibus iis, quibus evulſum fuerat olim ſchiſma Donatiſtarum. Igitur non erat quod de eventu gloriaretur *Auguſtinus*, qui omnium vexationum par eſt.

§. 18. *His omnibus harum legum terror, quibus promulgandis reges ſerviunt Domino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant: jam hoc volebamus, ſed Deo gratias, qui nobis occaſionem præbuit jam jámque faciendi & dilationum morulas amputavit* &c.] Ne repetam eos, qui ita loquebantur, indignos fuiſſe fide; dicam, ejuſmodi ſermones auditos, ubicumque vi ſuperior aliqua cauſa facta eſt, hominum, nempe, victoris favorem ambientium, & paratorum quidvis facere & pati, ut facultatibus ſuis tranquillè fruerentur. Denique non capio quî ita ratiocinari poſſet *Auguſtinus*, qui credebat homines ad Deum ſolâ gratiâ internâ, & electis ſolis concedendâ converti, & ad vitam æternam adduci. Quid enim magis alienum à gratia divina,

viña, quàm mulctæ, exſilia, aliáque ſupplicia? Quis dicere ſuſtineat, qui modò pudore aliquo teneatur, nec omnem Religionis reverentiam exuerit, irritam planè eſſe verbi divini prædicationem, nec gratiam divinam cum ea conjungi, niſi accedat perſequutio? Quòd ſi divina gratia minimè exſpectet perſequutionem, ut animos hominum molliat, quid hac opus eſt, quando gratia divina ſine perſequutione convertit? At Donatiſtæ, inquies, non audiebant rationes Catholicorum, niſi poſtquàm metu in horum Eccleſias adducti ſunt. Verùm annon legebant Novum Teſtamentum? An gratia divina conjuncta potiùs fuit cum dictis & ſcriptis Afrorum, quàm cum verbo divino? Qui hæc probè expendent facilè intelligent affectibus hic multò plus datum fuiſſe, quàm cupiditati adducendi alios ad ſaniorem mentem, Epiſcopóſque Afros Eccleſias ſuas plebe refertiores, quæcumque tandem eſſet, cupiiſſe videre. Hæc de perſequutione ſatis ſupérque ſunt.

§. 22. *Hiſtoricus doctus magnum aliquid inveniſti*] Hiſtoricus hîc eſt πολυΐστωρ, *qui multa novit*. Vide not. ad Lib. de Ord. II. c. XII.

§. 35. *Hoc genus litterarum* (libri Hilarii, Cypriani & aliorum Patrum) *ab auctoritate Canonis diſtinguendum eſt. Non enim ſic leguntur, tamquam ita ex eis teſtimonium proferatur, ut contrà ſentire non liceat, ſicubi fortè aliter ſapuerunt, quàm veritas poſtulat.* Hæc aureis litteris ſcribenda eſſent in fronte operum ſingulorum Patrum, quæ èduntur, ne auctoritas eorum veritati præferatur. Nos quoque hoc jure, erga ipſum *Auguſtinum*, uſi ſumus, quod hominibus in homines minime afflatos perpetuò ſit neceſſe eſt. Similes cùm ipſius *Auguſtini*, tum aliorum ſententias collegit *Edm. Albertinus*, in Præf. Libri de Euchariſtia.

Epiſtolà XCVI. §. 2. *Ille quidem Paulus poſtquam Epiſcopus factus eſt, renunciaturus ſuis omnibus rebus, propter immenſum cumulum fiſcalium debitorum* &c.] Confugerat ad Epiſcopatum, quaſi ad aſylum, ne propter debita in carcerem compingeretur.

Epiſt. XCVII. §2. *Noverint inimici Eccleſiæ leges illas quæ de idolis confringendis & hæreticis corrigendis, vivo Stilichone, in Africam miſſæ ſunt, ex voluntate Imperatoris piiſſimi & fideliſſimi, conſtitutas.*] Nimirum, cùm Honorius mortalium eſſet infirmiſſimus, vehementer timebant Catholici ne fortè Ethnici ac Donatiſtæ æquius quodpiam reſcriptum impetrarent. Hiſtoriam harum legum vide Lib. VI. Vitæ Auguſtini, quæ exſtat Tomo XI. hujus Editionis, & in notis *Jac. Gothofredi* ad Tit. V. Lib. XVI. Codicis Theodoſiani.

Epiſt. XCVIII. §1. *Ideò ex Adam traxit quòd ſacramenti illius gratiâ ſolveretur, quia nondum erat anima ſeparatim vivens, id eſt, altera anima* &c.] Nempe, putabat *Auguſtinus*, omnium hominum animos aliquo modo in Adami animo fuiſſe, quia ex eo erant propagati. Vide de libero Arbitrio Lib. III. c. XX. §56. Hæc mira eſt opinio, ut & ratio, quâ quæſtiones Bonifacii ſolvit. Faciles eſſe oportuit, qui iis talibus reſponſis acquieverunt.

§9. *Si enim ſacramenta quamdam ſimilitudinem earum rerum, quarum ſacramenta ſunt, non haberent, omnino ſacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundùm quemdam modum, ſacramentum corporis Chriſti corpus Chriſti eſt; ſacramentum ſanguinis Chriſti ſanguis Chriſti eſt: ita ſacramentum fidei fides eſt.*] De ſacramento Euchariſtiæ, res difficilis non eſt intellectu; ſed quis intelligat ſuſceptorem infantis baptizandi, cùm pro infante reſponderet *credo*, hoc velle: baptiſmum, vel ſacramentum fidei ſuſcipio? Quis non videt primùm formulam illam antiquam baptiſmi eſſe inſtitutam in uſum adultorum, qui ſoli primùm baptiſmum ſuſcipiebant, deinde tranſlatam etiam ad infantes? Satius fuiſſet novam horum cauſâ inſtituere formulam; quod ſi factum eſſet, ad tam coactas & veriabſimiles rationes *Auguſtinum* confugere minimè neceſſe fuiſſet.

Epiſt. C. §. 1. *Corrigi eos cupimus non necari; nec diſciplinam circa eos negligi volumus, nec ſuppliciis, quibus digni ſunt, exerceri.*] Lege, nempe, Honorii datâ VIII. Calend. Decembres anno CCCCVIII. quæ eſt XLIV. Tit. V. De Hæreticis Lib. XVI. Codicis Theodoſiani ad Donatum, ſupplicium exigendum de Donatiſtis præcipitur, illis enim & Judæis memoratis: *in eos igitur*, inquit, *qui aliquid quod ſit Catholicæ ſectæ contrarium, adverſumque tentaverint ſupplicium juſtæ animadverſionis expromi præcipimus.* Ad quæ verba, vide *Jac. Gothofredum*. Si diſtinctione adhibitâ, juberet *Honorius* eos qui ſeditionem moviſſent juſto, ex legibus Romanis, judicio plecti; parci verò iis, qui quietè vixiſſent, & ſolâ opinione pravâ tenerentur, non eſſet cur eum vituperaremus. Dum enim publicæ tranquillitati conſuluiſſet, humanitatis & imbecillitatis ingenii humani, ut par erat, rationem habuiſſet. Nunc autem miſcet ima ſummis, ſimileſque de errantibus, ac de ſeditioſis pœnas ſumi vult. *Auguſtinus* quoque hîc errantes cum ſceleratis miſcet, promiſcue eos damnat, & pariter pro iis, ne occidantur, intercedit. Videtur eſſe aliqua primâ fronte ea in re miſericordia; ſed vereor ne magis famam miſericordiæ captarent Afri, quàm eam virtutem ex animo colerent; cùm quia, ut dixi, Donatiſtas omnes eodem loco habebant: tum quia, etiam citra mortem, immanes erant Leges Theodoſii & filiorum in miſeros homines, qualis eſt quarta Tit. VI. quâ ſancitur, inter alia, ut *quiſquis poſt hæc fuerit rebaptizaſſe detectus judici qui provinciæ præſidet, offeratur, ut facultatum omnium publicatione mulctatus, inopiæ pœnam, quâ in perpetuum adficiatur, expendat*; item, ut qui è ſupradictis iterare baptiſma non timuerint, aut qui conſentiendo hoc facinus propriâ hujus ſocietatis permiſſione non damnaverint, ſciant *non ſolùm teſtandi ſibi, verùm adipiſcendi aliquid, ſub ſpecie donationis, vel agitandorum contractuum in perpetuum copiam denegatam, niſi pravæ mentis errorem reverendo ad verſùs rectam fidem conſilio emendatio correxerit.* Quantâ calamitate afficerent Donatiſtas ejuſmodi leges exſequutioni mandatæ, quæ aliis legibus diligentiſſimè præcipitur, omnes facile intelligunt. Igitur Africani Epiſcopi non erant propterea admodum miſericordes, quòd eos occidi nollent, qui tam male habebantur, ut multi mortem vitæ præferrent. Quis neſcit an non mallent videre locupletes Donatiſtas ſibi vectigales in Eccleſiis, quàm eos in ſepulcris jacere bonis fiſco adſcriptis? Nihil indignius eſt Chriſtianis, quàm perſequutio, quam qui probant quidvis poſſunt probare.

Epiſt. CV. §3. de Presbytero, qui Catholicus factus erat: *Quare illum veſtri perſequuti ſunt, & penè occidiſſent, niſi Dei munus per homines ſupervenientes violentias eorum compreſſiſſet* &c.] Quin peſſimè fecerint Donatiſtæ nemo dubitet; & propter ejuſmodi *violentias* pœnas luere debebant, at non propter opiniones. Attamen omnia illis ignoſcebantur, ſi modò redirent ad Eccleſiam Catholicam, ut liquet ex Lege XLI. Tit. V. Lib. XVI. Codicis Theodoſiani.

§6. *Et tamen quid eſt melius, proferre veras Imperatorum juſſiones pro unitate, an falſas indulgentias pro perverſitate, quod vos feciſtis, & mendacio veſtro ſubitò totam Africam impleſtis.*] Non erat miſeris exprobrandum hujuſmodi mendacium, ſi mendacium fuiſſet; ſed nimio affectu occœcatus fallebatur *Auguſtinus*, nam ut obſervavit eruditus Benedictinus in vita *Auguſtini* Lib. VI. c. 7 §2. ex Concilio Carthagine XVIII. Kalendas Julias anni CCCCX. habito, conſtat eo tempore lege cautum fuiſſe ne quis, niſi liberâ voluntate, Chriſtianæ Religionis cultum amplecteretur. Eum adito.

Epiſt. CXX. §3 *Abſit ut ideò credamus, ne rationem accipiamus, ſive quæramus; cùm etiam credere non poſſemus, niſi rationales animas haberemus. Ut ergo in quibuſdam rebus ad doctrinam ſalutarem pertinentibus, quas ratione nondum percipere valemus, ſed aliquando valebimus, fides præcedat rationem, quâ cor mundetur, ut magnæ rationis capiat & perferat lucem, hoc utique rationis eſt.*] Nihil verius, quamvis non intelligam quomodo hoc in concordiam redigi queat cum eo quod alibi habet de auctoritate Vide Not. ad T. I. Lib. de Quant. Animæ, §12. Nemo etiam non probet quod eſt §6. *Sicut non ideò debes omnem vitare ſermonem;*

 quia

quia eſt & ſermo falſus: ita non debes omnem vitare rationem, quia eſt & falſa ratio. Auguſtino neſcio quid ex Academicorum, quos maxime adoleſcens miratus fuerat, ingenio adhæſit; quæcumque enim veri ſimilia animo ejus ſeſe objiciunt arripit, conſectariorum omnium, eorúmque quæ alibi dixit ſecurus. Sic ſe *Cicero*, in quo legendo tantum tempus triverat, gerebat. Vide *Joannis Clerici* Quæſtionum Hieronymianarum octavam.

Epiſt. CXXVI. § 7. *Ego quippe, ſecundùm multorum ſenſum, comparantium ſemetipſos ſibimetipſis* (hoc eſt, ut videtur, de aliorum animo judicium ex ſuo animo ferentes) *non divitias dimiſiſſe, ſed ad divitias videor veniſſe. Vix enim vigeſima particula res mea paterna exiſtimari poteſt, in comparatione prædiorum Eccleſiæ, quæ nunc ut dominus exiſtimor poſſidere.*] Nolim malè de cujuſquam animo, mihi ignoto, judicare; ſed non poſſum non hinc obſervare, ex mutatione ſortis Laïcæ in Eccleſiaſticam, malè colligi meliores eſſe Eccleſiaſticos quàm Laïcos; cùm in illa mutatione, quâ quiſpiam mavult fieri Clericus, quàm uxorem ducere, laboréque ſuo ſibi, conjugi, & liberis ex ea ſuſceptis victum quærere, non exiguum ſæpe ſit lucrum. Neque enim tanti eſt habere uxorem, cum qua concumbas, quanti multò ditiorem eſſe, tranquilliorémque & commodiorem vitam agere; ne jam loquar de dignitate Eccleſiaſticorum, qui ad Epiſcopatum perveniebant. Fateor poſſe eſſe & fuiſſe viros, qui eas opes, dignitatéſque non ambiverint, rectéque iis uſi fuerint; at profectò quòd talia prætulerint vitæ privatæ & obſcuræ, non poteſt dici ortum ex animo divitiarum & honorum ſpretore; nec propterea ceteris hominibus ſunt præferendi, nec laudandi quòd beatiores & honoratiores eſſe aliis voluerint.

Ibidem, de Piniano: *In qualibet autem maximè Africanarum Eccleſiarum, hic noſter, non dico presbyter, ſed epiſcopus ſit, comparatus priſtinis opibus ſuis etiamſi animo dominantis egeret pauperrimus erit. Multò ergo liquidiùs & ſecuriùs in hoc amatur Chriſtiana paupertas, in qua nulla rerum ampliorum poteſt putari cupiditas.*] Verùm hoc non agebatur, nam Albina non querebatur filium ſuum rapi à plebe Hipponenſi, ut Pinianus ditior fieret; ſed quia dives erat, & liberalis, ſperabat plebs fore, ſi Presbyteri munere apud ſe fungeretur, ut erogaret opes ſuas pauperibus, ſive ſortem ipſe ſervaret, fructúſque illis divideret, ſive ſortem ipſam ſimul ac ſemel largiretur. Exemplum ejuſmodi largitionis præbuerat *Paulinus* Nolanus, cujus vitæ Cap. VIII. in Ed. Pariſina anni M DC LXXXV. vide. Si plebs Hipponenſis, prout ſuſpicabatur Albina, eo animo Presbyterum Pinianum habere cupivit, & ſeditiosè poſtulavit, fuit hæc ſeditioſa mendicitas, & periculoſa, quippe quæ uxori virum rapiebat, ut ejus ſpoliis frueretur; non amor virtutis Piniani. Nec audet hoc planè negare *Auguſtinus*, quamvis ſimulet ſe non intelligere cur ſuſpicaretur Albina, ſed propemodum fatetur hiſce verbis: *& ſi fuerint illi multitudini permiſti inopes, vel mendici, qui ſimul clamabant, & de veſtra venerabili redundantia indigentiæ ſuæ ſupplementum ſperabant, nec iſta, ut arbitror, cupiditas turpis eſt.* Turpe non eſt modeſtè mendicare, ſi aliter vitam ſuſtentare nequeas; ſed turpe eſt minas intendere, ut genus vitæ imponas homini, quò tibi facultates largiatur, nec ferenda in Eccleſia talu mendicatio.

§ 8. *Reſtat ergo*, inquit, *ut iſte pecuniæ turpiſſimus appetitus, ex obliquo in Clericos & maximè in Epiſcopum dirigatur. Nos enim rebus Eccleſiæ dominari exiſtimamur, nos opibus frui.*] Propterea *credibiliter* potuiſſe hoc in Hipponenſem Clerum dici fatetur *Auguſtinus*; quod tamen verum eſſe pernegat, jurátque ſe nullâ pecuniæ cupiditate ſordidatum. Quod ei credo de ipſo, ſed vehementer ſuſpicor à nonnullis ex Clero inferiore utilitatem Eccleſiæ ſpectatam eſſe, quæ tam divitem presbyterum accipere non poterat, ſine emolumento; quod aliquo modo etiam redundabat in univerſum populum Hipponenſem, cùm cujuſvis liberi & Epiſcopi & Presbyteri fieri poſſent. Quæ omnino neſcio cur diſſimulet *Auguſtinus*, cùm plebs non ſoleret tumultuari ut pauper quiſpiam peregrinus presbyter fieret. Sic multa arcana olim diſſimulata ſunt, in honorem Eccleſiæ, quæ ſi nota eſſent, non ultra Apoſtolorum tempora exempla vitæ Chriſtianæ omnibus numeris abſoluta fortè quæreremus.

Epiſt. CXXXIII. § 1. *Mihi ſollicitudo maxima incuſſa eſt, ne fortè ſublimitas tua cenſeat eos tantâ legum ſeveritate plectendos, ut qualia fecerunt talia patiantur.*] Marcellinum orat ne Circumcelliones Donatiſtarum cædis, ut ait, & aliorum ſcelerum reos capite plectat. Sed cur non intercedit pro iis, qui opinionis ſolius causâ malè habebantur, quos molliùs haberi par erat? Nempe, famam, ut jam alibi diximus, miſericordiæ ex inſignium reorum ſalute captabat. Vide & ſequentem Epiſtolam.

Epiſt. CXXXVIII. § 19. de Apuleio Madaurenſe: *Pro ſtatua ſibi apud Coenſes locanda, ex qua civitate habebat uxorem, adverſus contradictionem quorumdam civium litigaret.*] Adnotant Benedictini undecim MSS. habere *Ocenſes*, quinque *Oeenſes*; duos *Ceenſes*. At nemo dubitabit quin quinque illi ſint emendatiores, qui *Apuleii* Apologiam legerit, ubi multis de nuptiis ſuis cum Pudentilla Oeenſi vidua. Quamobrem miror non admiſſam hanc lectionem in contextum.

Epiſt. CXLI. § 5. *Communio malorum non maculat aliquem participatione ſacramentorum, ſed conſenſione factorum.*] Nihil veriùs, nam dum palam licet improbare facta, iis minimè maculamur. Sed cur hoc non extendatur etiam ad dogmata? Attamen propter errores, quos damnare licuit, nec eos magni momenti, frequentiſſimè homines, ceteroqui minimè mali, ſunt Eccleſiaſticâ ſocietate ejecti.

Epiſt. CXLIII. § 2. *Fateor me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt. Unde ſi aliquid incautiùs vel indoctiùs à me poſitum eſt, quod non ſolùm ab aliis, qui videre id poſſunt, meritò reprehendatur, verùm etiam à me ipſe, quia & ego ſaltem videre debeo, ſi proficio; nec mirandum eſt nec dolendum; ſed potiùs ignoſcendum atque gratulandum, non quia erratum eſt, ſed quia improbatum.*] Hæc habet *Auguſtinus*, explicaturus locum quemdam librorum ſuorum *de libero arbitrio*, quæ ſanè à nemine, qui non ſit prorſus iniquus, improbari poſſunt. Sed miror non attingi alia ejuſdem Operis loca, quæ indicavi in animadverſionibus ad tertium ejus Operis librum. Miror & ſimilia ſentientes tam acerbè damnatos.

§ 7. *Si enim ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine, vera eſſe non poteſt. Rurſus ſi manifeſtiſſimæ certæque rationi velut Scripturarum ſanctarum objicitur auctoritas; non intelligit qui hoc facit, et non Scripturarum illarum ſenſum, ad quem penetrare non potuit, ſed ſuum potiùs objicit veritati, nec quod in eis, ſed quod in ſe ipſo velut pro eis invenit opponit.*] Aurea hæc eſt regula, à qua ſi nemo abiret & Scripturæ ſua auctoritas, legitimáque ſententia; & Rationi ſua indubitata veritas conſtaret. Nunc verò, quia negligitur, modò Scripturæ fides, modò Rationis lumen vacillat; aut inter ſe quæ diſſentire nequeunt turpiter committuntur. Optandum eſſet hujuſce ſuæ regulæ, in Controverſiis Pelagianis, memorem fuiſſe *Auguſtinum*. Vide ad Ep. CXX.

Epilt. CXLIX. § 3. *Unus habebat* (Græcus Codex) *quod & Latini noſtri*: Domine perdens de terra diſpertire eos; *alius, ſicut ipſe poſuiſti*: à paucis de terra] Locus exſtat Pſ. XVI 14 ex diviſione LXX. Int. reſpondétque *Auguſtinus* Paulino ſenſum horum quærenti. Hinc intelligere potuiſſet *Auguſtinus*, quàm neceſſarius erat labor *Hieronymi*, denuo convertendi Scripturas Veteris Teſtamenti ex Hebraicis fontibus. Cùm enim haberent alii libri Græci, ΑΠΟΛΛΥΩΝ, *perdens*, alii ΑΠ' ΟΛΙΓΩΝ, quorum prius eſt in Vaticano, poſterius in Alexandrino exemplari, & ſic Latini quoque variarent; utram lectionem eligere potuit, non inſpecto Archetypo Codice? Si potuiſſet eum legere, vidiſſet verti vocem ממתים *mimmethim*, quod eſt *a mortalibus*; unde collegiſſet primùm LXX. Intt. legiſſe ממיתים *methim*, occidens, quod eſt participium Hiphil; deinde rectam non eſſe eam verſionem, quod hìc non oſtendam. *Hieronymus* tamen etiam habet hìc *qui mortui ſunt*, ſed fruſtra, ut recentiores Interpretes ſatis oſtenderunt.

§ 4. Quod

§ 4. *Quod verò ſequitur:* ſaturati ſuot porcinâ, *jam quid mihi ex hoc videretur aperui. Sed quod alii codices habent & veriùs habere perhibentur* (ſaturati ſunt filiis) *quia diligentiora exemplaria per accentûs notam ejuſdem Græci verbi ambiguitatem Græco ſcribendi more diſſolvunt, obſcurius eſt quidem, ſed electiori ſententiæ videtur aptiùs convenire.*] Alii, nempe, Codices habebant ὑῶν, *porcorum*, aut *porcis*, alii υἱῶν, *filiorum*, aut *filiis*, quæ putavit *Auguſtinus*, pro ſua Linguæ Græcæ peritia, differre tantùm *accentu*, cùm differant litterâ I. Alii tamen habent nunc ὑείων *porcinis*. Veram quidem lectionem partim vidit, nam eſt Hebraicè בנים banim, *filii*, ſed caſu, ac pravâ conjecturâ, ſenium enim habet planè alienum ab hoc loco. De ſequentibus Interpretationibus, nihil addam, nam ſatis liquet ex recentioribus quanti ſiot faciendæ. Paucula tantùm obſervanda duxi, ut liqueret eos in tenebris ambulare, qui olim voluerunt Vetus Teſtamentum, ſine Hebraicæ Linguæ cognitione, ioterpretari. Multò rectiùs, quod modeſtia poſtulabat, tacuiſſent; ſed qui excogitandi ac dicendi facultatem aliquam nacti erant putabant ſe de omnibus dicere poſſe.

Epiſt. CLVII. § 2. *Si quæris utrum in hac vita quiſquam ita juſtitiæ perfectione proficiat, ut hic ſine ullo vivat omnino peccato; attende quid dixerit Joannes Apoſtolus, quem Dominus inter diſcipulos præcipuè diligebat:* Si dixerimus, *inquit*, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus &c] Hæc reſpondet *Auguſtinus* quæſtioni I. Hilarii in antecedente Epiſtola, ubi dicit quoſdam Chriſtianos varia Syracuſis docere, & primùm quidem *poſſe eſſe hominem ſine peccato*. Cujus dogmatis hic eſt ſenſus, hominem vivere ſine peccato noo oportere inter impoſſibilia cenſeri, quod noo poteſt negari; cùm res ſuâ natura non ſit impoſſibilis, &, ſi ab hominibus minimè præſtetur, poſſit ſaltem gratiâ divinâ præſtari. Præterea videndum quid intelligatur voce *peccatum*, nam fortè Pelagius ejúſque diſcipuli intelligebant non leviora delicta humanæ infirmitatis, quæ à Deo nequaquam imputantur, ſed ea quæ non conſiſtunt cum omnium virtutum Chriſtianarum habitibus; ſine quibus peccatis, Apoſtoli aliique ſancti viri aliquamdiu ſaltem vixiſſe videntur. Vide quæ habet *Joan. Garnerius* ex Lib. *Pelagii* de Natura, in Appendice ad Diſſert. VI. & ibidem fragmenta *Cæleſtii*. Hæc cùm penſitare debuiſſet *Auguſtinus*, invidioſè illico interpretatur enunciationem Pelagianam; quaſi ſimpliciter dixiſſent, eſſe homines qui non peccarent; cùm de *poſſibilitate* tantùm, ut Scholaſtici loquuntur, agat. Aliud planè eſt dicere *poſſe fieri* quidpiam, aliud *fieri reverâ*. Fortè ne de omni quidem peccatorum genere loquebantur Pelagiani.

§ 4 *Sed iſti*, inquit, *utcumque tolerandi ſunt, quando dicunt vel eſſe, vel fuiſſe hic aliquem, præter unum ſanctum ſanctorum, qui nullum haberet omnino peccatum.* Atqui hoc non dicebant, ut vidimus ad ſuperiorem quæſtionem. *Illud verò*, pergit Hipponenſis Epiſcopus, *quod dicunt ſufficere homini liberum arbitrium, ad dominica præcepta implenda, etiamſi Dei gratiâ & Spiritûs-ſancti dono ad opera bona non adjuvetur, omnino anathematizandum eſt & omnibus exſecrationibus deteſtandum.* Hæc habet de hoc dogmate, hominem *mandata Dei facilè cuſtodire, ſi velit*; quo ſignificatur homo qui ad ſaniorem mentem redire velit, poſſe emendare mores ſuos, & contrarios virtutum habitus contrahere, quo facto facilis erit mandatorum Dei obſervatio; at non unico quidem momento, quaſi ſceleri diu adſuetus, illico ad ſummum virtutis gradum tranſgredi poſſet, ſed ſenſim. Quod additur *ſine gratia Dei*, nullâ diſtinctiooe adhibita, id pernegabat *Pelagius*, qui multiplicem gratiam Dei agnoſcebat, ut oſtendit *Dionyſ. Petavius* Dogm. Theol. Tom. III. Lib. de Hæreſi Pelag. c. II. At nolebat admittere eam gratiam internam, quâ, veluti afflatu quodam ineluctabili, ſeu cui reſiſtere non licebat, pauci quidam electi ad fidem adducebantur. Quod ex Scriptura, non ambiguis locis, probandum fuit *Auguſtino*, antequam incenderetur tanto zelo, qui ſine amarore non fuit. Nam quod probat indigere homines non tantùm præceptis Dei, ut rectè vivant, ſed & adjutorio in legibus nequaquam ſito, hoc minimè negabat Pelagius, ut multis oſtendit *Petavius*, loco memorato.

§ II. *Quod autem dicunt infantem morte præventum non baptizatum perire non poſſe, quoniam ſine peccato naſcitur, non hoc dicit Apoſtolus* ——— *dicit enim ille doctor Gentium:* per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt,] Sed hunc locum Pauli pertinere ad adultos tantùm qui peccatum Adami imitantur, oſtenderunt dudum viri doctiſſimi; nec *Auguſtinus* umquam probavit infantibus baptiſmum præſcribi à Chriſto aut Apoſtolis, ne pereant. Alia ooo dicam, quæ hac de re dicta ſunt à viris eruditiſſimis; neque enim ſcribo ſcholas theologicas, ſed breves animadverſiones. Hoc unum dicam eò confidentiùs hîc loqui *Auguſtinum*, quo minùs probare poterat quæ hic habet. Locus Pauli Rom. V. obſcurior eſt, quàm ut à tam proletario Interprete explicari poſſit; quod vel ex ſequente animadverſione liquebit.

Epiſtola CLXIV. *Et Dominum quidem carne mortificatum veniſſe in infernum ſatis conſtat. Neque enim contradici poteſt, vel Prophetiæ, quæ dixit:* quoniam non derelinques animam meam in inferno; *quod ne aliter quiſquam ſapere auderet, in Actibus Apoſtolorum, idem Petrus exponit; vel ejuſdem Petri illis verbis quibus eum adſerit*, ſolviſſe inferni dolores, in quibus impoſſibile erat eum teneri. *Quis ergo, niſi infidelis, negaverit fuiſſe apud Inferos Chriſtum?*] Vel hinc intelligere licet quàm periculoſum ſit, Scripturam velle interpretari, ſi neceſſariis ſubſidiis deſtitutus ſis; primùm enim in ea invenitur quod non eſt, deinde acerbe damnantur qui eam meliùs intelligunt. Poſtquàm enim temerè quiſpiam credidit id perſpicuè eſſe in Scriptura quod non eſt, facile damnat eos qui non eſſe putant. Sic *Auguſtinus* ſe geſſit, hoc in loco. Cùm enim in ſermone Chriſtianorum illius ævi Latinè loquentium *infernum & inferi* ſignificaret locum in quo damnatorum hominum animi pœnas daot; quia invenit Pſalmo XV, 10. *non derelinques animam meam in inferno*, qui locus Chriſto à Petro aptatur; continuò exiſtimavit (nec ſolus, ne quid diſſimulem, ſed unà cum innumeris aliis) Chriſti animum in locum ſuppliciorum deſcendiſſe, dum corpus ejus in ſepulcro jaceret. Deinde quaſi impios, qui aliter ſentirent, traduxit. Verùm ante omnia ſtatuendum Petrum non quæſiviſſe in loco Pſalmi id quod minimè eſt; ideóque ex loco Pſaltæ iotelligendus Petrus, æquè ac Pſaltes ex ſermone Petri; nec ullus eſt inter eos diſſenſus, quamvis cum *Auguſtino* nullo modo ſentiant. Nec dubium eſt quin Petrus recitaverit locum Hebraicè aut Chaldaicè, qua Lingua utebatur. Sic autem habent verba Pſaltæ in Hebraico Codice: *non relinques animam meam ſepulcro* (לשאול *liſchol*) *nec patieris ſanctum tuum videre corruptionem.* Voces quidem *anima mea* perinde ſunt ac *ego*, idémque ſonant ac in altero membro *ſanctus tuus*. Ita ſolent, ut omnes norunt, loqui Hebræi. Vox verò שאול, perpetuo linguæ Hebraicæ uſu, ſignificat aut ſepulcrum, aut locum aliquem ſub terræ ſuperficie, aut certè ſtatum ac conditionem mortuorum quæcumque ſit; numquam locum peculiarem malorum ſuppliciis attributum; ut examine locorum, in quibus occurrit, liquebit. Græci verò Interpretes, qui LXX. dicuntur, & Gentilibus non una in re ſeſe attemperarunt, verterunt ſemper ᾅδης, aut θάνατον, numquam τάφον, *ſepulcrum*, quæ tamen propria erat vocis ſignificatio. Itaque hîc etiam verterunt: οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδην, οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν. Quæ verſio incommoda eſt, nam liquet hoc velle Pſalten, ſenſu tralatitio, Deum noo paſſurum ut occideretur, nam *relinquere ſepulcro*, aut *pati videre corruptionem*, eſt ſinere vulneratum quempiam, aut malè affectum mori. Hæc tamen verba, ſenſu proprio, meliùs in Chriſtum quadrant, quem Deus paſſus noo eſt in ſepulcro diu jacere, neque in eo corrumpi. Quamobrem Petrus Actor. II, 27. eum locum de reſurrectione Chriſti è ſepulcro agere oſtendit. Sic loquitur Apoſtolus v. 24. *Quem Deus ſuſcitavit, ſolutis do-*

loribus inferni (τοῦ ᾅδου) *juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.* Quæ loquutio deſumta eſt ex Pſalm. xviii, 5. ubi ſic David: *Dolores inferni* (חבלי שאול quod poteſt verti *dolores*, & *funes ſepulcri*) *circumdederunt me, præoccupaverunt me.* Cùm Petrus Jeroſolimæ Chaldaicè loqueretur, quam Linguam Judæi omnes, præter Helleniſtas, intelligebant, eadem hæc verba protulit; ac proinde intellexit *vincula mortis*, quæ ſunt ſine dubio intelligenda. Nam quamvis חבלים ſignificet etiam *dolores*, attamen verba *ſolvere* & *teneri*, oſtendunt de vinculis agi; iſque eſt etiam Pſaltæ ſenſus, ut ſequens membrum oſtendit. Sed Lucas verſioni Græcæ adſuetus, & ſcribens in gratiam Græcorum, adhibuit loquutionem LXX. Interpretum. Voluit ergo Petrus Deum ſolviſſe vincula mortis, quibus teneri Chriſtum par non erat. Scio *Auguſtinum* dicere, in ſequentibus: *facile eſſe intellectu ſic dolores inferni ſolutos eſſe, quemadmodum ſolvi poſſunt laquei venantium, ne teneant, non quia tenuerunt.* Sed primò falſiſſimum eſt uſquam שאול ſignificare *infernum*, hoc eſt, locum ſuppliciorum, & ipſa Pſaltæ verba oſtendunt *vincula mortis* eſſe intelligeoda; deinde ubi Deus dicitur *ſolviſſe dolores inferni*, ne Chriſti anima eos ſentiret? Nuſquam. Petrus loquitur hic non de ulla ejuſmodi actione Dei, impedientis ne Chriſtus ſupplicia damnatorum pateretur, ſed de ſola reſurrectione Chriſti; *quem*, inquit, *Deus ſuſcitavit*, *λύσας*, *ſolutis* &c. atque ita pergit: *David enim dicit in eum* (Pſ. xvi, 8. ex diviſione Hebraica) *providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dexteris mihi eſt, ne commovear* ——— *Quoniam non derelinques animam meam* &c. Tum ℣. 31. *Providens loquutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jeſum ſuſcitavit Deus* &c. Hinc manifeſtò liquet *Auguſtinum* non tantùm, ignorantiâ Linguæ Hebraicæ, dogma ex Scriptura hauſiſſe, quod in ea nequaquam eſt; ſed etiam ſeriem orationis Petri parum attendiſſe, ex qua intelligere potuiſſet loquutionis ejus ſenſum. Non nego alios vulgò Scriptores Eccleſiaſticos hoc in negotio ſimiliter aberraſſe, de quo Symboli Apoſtolici Interpretes ſunt conſulendi, inter quos eminet *Joan. Pearſonius*; ſed non minùs eſt falſum hoc interpretamentum, quod tam adſeveranter profert Hipponenſis Epiſcopus; qui hæc habet ad explicandum obſcurum locum 1. Pet. iii, 18. Qui ad eum confugiebant quaſi ad oraculum, ubi agebatur interpretatio Scripturæ, ii profectò neſciebant quid ſit Scripturam interpretari.

§ 7. *Ne ipſos quidem inferos uſpiam Scripturarum in bono appellatos potui invenire*] At *Hugo Grotius*, vir haud paullò doctior, meliórque interpres Scripturæ, nullum locum invenire potuit, ubi in malam partem ſumatur, nec nos etiam. Vide *Grotium* ad Matth. xvi, 18. & Luc. xvi, 23.

Epiſtola CLXVI. § 5. *Certus etiam ſum animam nullâ Dei culpâ, nullâ Dei neceſſitate, vel ſuâ, ſed propriâ voluntate in peccatum eſſe collapſam* &c.] Quomodo hæc poſſint cum peccato originali, ut nunc à Theologis explicatur, conſiſtere neſcio; nam animi eo infecti non poſſunt dici, *propriâ voluntate*, eo eſſe inquinati, *nec ullâ neceſſitate* in id peccatum eſſe prolapſi. Si dixeris hîc de actuali peccato agi, oſtendendum erit cur iniquum ſit, ad hoc peccatum quod attinet, peccatum id haberi quod non propriâ voluntate, ſed neceſſitate impoſitâ admittitur; ad peccatum verò originis quod ſpectat, non item. Sed *Auguſtinus*, *ut propriâ voluntate*, nec ulla *neceſſitate* peccaſſe homines intelligerentur, eò propendebat ut crederet animas omnes fuiſſe in anima Adami, atque ex ea propagatas, ut jam alibi obſervavimus, quod ſatis aperte § 10. oſtendit: *Dic mihi*, inquit, *ſi animæ ſingillatim ſingulis hodiéque naſcentibus fiunt, ubi in parvulis peccent, ut indigeant in ſacramento Chriſti remiſſione peccati, peccantes in Adam, ex quo caro propagata eſt peccati; aut ſi non peccant, quâ juſtitiâ Creatoris ita peccato obligantur alieno, cùm exinde propagatis membris mortalibus inſeruntur, ut eas, niſi per Eccleſiam ſubventum fuerit, damnatio conſequatur; cùm in earum poteſtate non ſit, ut eis poſſit gratiâ baptiſmi ſubveniri* &c. Sed quî animæ omnium hominum fuerint in Adami anima; ut cum ea peccarint, non faciliùs intelligitur, abſurdiſſimumque eſt commentum. Itaque ſatius multò fuiſſet diligenter expendere loca Scripturæ, ex quibus ejuſmodi opiniones fluxiſſe cenſebantur, & finem ac naturam baptiſmi; quod ſi penitiùs factum fuiſſet, intellexiſſent boni viri ſe, poſtquam in Scriptura quæſiviſſent quod in ea non eſt, inexplicabilibus difficultatum mæandris intricatos fuiſſe; nec articulos fidei eſſe tam facilè ex locis obſcuris eliciendos, atque imponendos Chriſtianis, terrore anathematum & omnis generis pœnarum: quemadmodum factum eſt, eo tempore, ab Eccleſiis Africanis.

§ 10. *Quoniam igitur neque de Deo poſſumus dicere quod vel cogat animas fieri peccatrices, vel puniat innocentes; neque negare fas nobis eſt eas, quæ ſine Chriſti ſacramento de corporibus exierint, etiam parvulorum, nonniſi in damnationem trahi; obſecro te, quomodo hæc opinio defenditur, quâ creduntur animæ non ex illa una primi hominis fieri omnes, ſed ſicut illa una uni, ita ſingulis ſingulæ?*] Certiſſimum eſt à Deo neque animas cogi, ut ſint peccatrices, neque plecti innocentes; Deus enim eſt, ſine dubio, & ſanctitatis amans & juſtus; at *Auguſtinum* oportuiſſet proferre locum aliquem Scripturæ, ex quò liquidò conſtet infantibus neceſſariò impoſitum eſſe baptiſmum, ita ut ſine eo damnentur, qualis locus nullus eſt. Ut enim concedam, adultis credentibus baptiſmum neceſſariò imponi, quaſi Chriſtianitatis publicam profeſſionem ac teſſeram; non ideò ſequitur etiam imponi infantibus. Nam ut, quamvis fides promiſcuè ab omnibus exigatur, ita ea loca intelliguntur, ut explicentur de iis qui ſunt fidei capaces, non de infantibus, qui credere non poſſunt ante rationis uſum: ſic quamvis eſſent generalia præcepta de ſuſcipiendo ab omnibus baptiſmo, eſſent ſemper cum exceptione intelligenda de iis, in quorum poteſtate eſt baptizari, non de iis, in quorum poteſtate non eſt. At *Auguſtinus* morem Eccleſiæ profert § 21. *ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur & curritur, quia ſine dubio creditur aliter eos in Chriſto vivificari omnino non poſſe.* Verùm cur id crederent Chriſtiani nullam in Apoſtolorum ſcriptis certam rationem invenire poſſumus; nec ex conſuetudine, aut opinione, quæ imperitis, æque ac peritis, ortum ſuum debere potuit, licet dogma Chriſtianæ fidei colligere; præſertim cùm difficultatibus, quæ ſolvi nequeunt, laboret. Quamvis non male baptizentur infantes, attamen id ab Apoſtolis factum, & quidem ne baptiſmo deſtituti damnarentur, nullo vel minimo indicio conſtat.

§ 21. *Quiſquis nobis dixerit quemquam in reſurrectione mortuorum vivificari poſſe, niſi in Chriſto, tamquam peſtis communis fidei deteſtandus eſt.*] Sed quid ſibi vult *in Chriſto*? Si *propter*, aut *per Chriſtum* intelligas, verum eſt; ſed quis hoc negavit? Pergit: *Item quiſquis dixerit quod in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine ſacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam* &c. Ubi Apoſtoli de infantibus hoc prædicarunt? Nuſquam. De Eccleſiæ conſuetudine jam diximus. Itaque tam facilè *peſtes communis fidei* non ſunt habendi, qui contrà ſentiunt. Atrox hoc eſt convicium, in eos qui Scripturis convinci nequeunt.

Epiſtola CLXXIII. § 2. *Sed neque hoc putas tibi fieri debuiſſe, quia neminem exſtimas cogendum eſſe ad bonum*] Rectè; nam bonum eſſe non poteſt, quod fit à coacto; Deus enim non accipit dicta aut facta, quibus animus non adeſt. Qui eleemoſynam dat invitus, Deo magis non placet, quàm qui eam præfractè negat. Attamen contra cenſet *Auguſtinus*, qui ſic contra Donatiſtam ratiocinatur: *Attende quid Apoſtolus dixerit:* qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus concupiſcit; *& tamen tam multi, ut Epiſcopatum ſuſcipiant tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec in adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni.* Sed qui ita coguntur (ut ponamus eſſe qui verè coguntur dignitates & opes Eccleſiaſticas accipere, cùm antea nollent) putant etiam ipſi Epiſcopatum eſſe *opus bonum*; nec eum refu-

Digitized by Google

refugiunt, quaſi malum quidpiam, ſed tantùm quòd ei oneri rectè ferendo impares ſe judicent. At Donatiſtæ malum per ſe eſſe, ac Deo diſplicere, quamvis ea in re errarent, putabaot id quod facere cogebantur; nec vexationibus aliter ut ſentirent adduci poterant. Itaque nihil ad rem hoc exemplum facit, nec adhibetur ab *Auguſtino*, niſi more eorum Rhetorum, quibus ſatis eſt vel leviſſima veriſimilitudinis umbra, ut ſibi rectè ratiocinari videantur; cujuſmodi hominibus nimis ſcatuerunt per multa ſæcula Chriſtiaoæ Eccleſiæ, ſed præſertim illo ævo. Optandum eſſet eos qui publicè cauſam Eccleſiarum ſuſcipiunt, paullò ſtudioſius Dialecticæ & Rhetoricæ ſeveriori operam dare, ne tot ſophiſmata, ac inanes phaleras plebeculæ venditarent.

HENRICI DE NORIS
ANIMADVERSIONES
In Epiſt. CLXXV.

Cl. Ac doctiſſimo Viro Antonio Magliabeco Florentino F. Henricus de Noris Veronenſis Auguſtinianus S. P. D.

CUM Piſas pergere deſtinaſſem, & jam ſchedas ac litteratium inſtrumentum collegiſſem; inſtitutum repentè iter, Vir Clariſſime, remoraris, ſimúlque longiſſimam peregrinationem injungis, jubens ut in Africam ocyſſimè tranſmittam, ibique plurimarum urbium, quas tempus edax, ac barbarorum olim furor evertit, ruderibus eruendis inſudem. Scribis enim te nuper Lugduoo *Marii Mercatoris* libellos ampliſſimis notis à *Joanne Garnerio* illuſtratos accepiſſe, ac gratulari te felici Mercatoris ſorti, qui cùm per duodecim ſecula latuiſſet, hoc anno orbi litterario primùm innotuit, ejuſdem libellis Pariſiis, Bruxellis, & partim etiam Patavii una ſimul in lucem emiſſis. Vidés-ne ſeram poſteritatem doctiſſimorum virorum curam gerere, quos nec looga ætas unquam obruit, ſed è bibliothecarum angulis in manus atque ora hominum poſtliminio licèt erumpunt? Addis legiſſe te in ejuſdem Garnerö opere notas, quas *diſſertatione II. de Synodis in cauſa Pelagianorum habitis vivente S. Auguſtino* in utramque epigraphen literarum Synodi Carthaginenſis, & Milevitanæ anno 416. contra Pelagiaoos celebratarum, exaravit. Ubi quæ me aſſequi nullatenus poſſe dudum tibi per litteras ſignificaveram, non modò idem ſcriptor tentavit, ſed etiam, ut ſibi perſuaſit, planè confecit. Etenim cum Synodicæ litteræ ad S. Innocentium Pontificem in epigraphe nomina tantùm Epiſcoporum, non verò etiam eorumdem ſedes præferant, ut ex epiſtolis 90. & 92. inter Auguſtioianas patet, Garnerium inquis animum non deſpondiſſe, ſed ex collatiooe Carthaginenſi ante quinquennium, nempe anno 411. coacta, omoium ferè illorum Præſulum urbes, quarum ſacris id temporis præerant, deſignaſſe. Fateor, Vir Doctiſſime, in eam me pariter cogitationem, ut probe noris, olim abiiſſe, atque eidem operi acriter ſtylum intendiſſe, cum Pelagianam hiſtoriam concinnarem. Verùm licet plurimorum Epiſcoporum ſedes ex laudata collatione deducerem, cum longè plurium urbes ignotæ mihi prorſus evaderent, manum è tabula amovi, dum divinare potiùs, quàm quidpiam me veri ſcribere intelligerem. Quod verò meum quoque ea de re judicium poſtulas, quamvis gravioribus curis diſtentus ſim, ut oec inde machinis à quoquam evelli poſſim, animadverſiones in Garnerii notas calamo ad alia properante ſcriptitavi; neque enim jubenti tibi, cui plurimum debeo, refragari poſſum. Erit id novum meæ erga te obſervantiæ argumentum, quippe qui volens ea exſequor, quæ alio imperante, noo dicam invitus, ſed nullâ plane ratione præſtarem. Et ut magni voluminis in manus ſubinde recipiendi moleſtiæ eximaris, ipſa Garnerii verba præmitto, quibus notationes cenſórias ſuppoſitas leges. Ceterùm operæ pretium duxi epigraphen Epiſtolæ Synodicæ Patrum Proconſularium ex titulo epiſt. 90. apud Auguſtinum exſcriptam inſerere,

Domino beatiſſimo, & honorandiſſimo fratri ſancto Innocentio Papæ, Aurelius, Mundius, Ruſticanus, Fidentius, Eugarias, Antonius, Palatinus, Adeodatus, Vincentius, Publianus, Theaſius, Tutus, Panthonius, Victor, Reſtitutus, Raſticus, Fortunatianus, alius Reſtitutus, Ampelius, Animus, Felix, Donatianus, Adeodatus, Octavius, Serotinus, Majorinus, Poſthumianus, Triſpalus, Victor, alius Victor, Leucias, Marianus, Fructuoſas, Fauſtinianus, Quodvultdeus, Candorius, Maximus, Magarias, Ruſticus, Rufianus, Proculianus, Thomas, Januarius, Octavianus, Prætextatus, Sixtus, Quodvultdeus, Penthadias, Quodvultdeus, Cyprianas, Servilius, Pelagias, Marcellas, Venantius, Didymas, Saturninas, Tiazacenus, Germanus, Germanianus, Juvenius, Majorinas, Inventius, Candidus, Cypriaaus, Aemilianus, Romanus, Africanus, & Marcellinus, qai in Concilio Eccleſiæ Carthaginenſis adfuimus.

Garnerius antequàm laudatorum Patrum provinciæ Proconſularis ſedes deſignet, hæc prefatur: *Viſum eſt porro, nonnullum futurum operæ pretium, nonnullámqae poſſe ab eruditis lectoribus iniri gratiam, ſi Epiſcoporum, qui Synodo interfuerunt, ita recenſerentur nomina, ut quod hactenus tentavit nemo, ſuæ ſingulis, qaantum licet, aſſignarentur Eccleſiæ. Collectæ ſant illæ verò, ſed non ſine cura, & labore ex diverſis veterum libris inter ſe collatis, & potiſſimum tribus, codice canonum Eccleſiæ Africanæ, parte prima collationis Carthaginenſis, & Notitia provinciarum Africæ edita à Patre Sirmondo.* Verùm quantum gratiæ apud eruditos ſibi conciliarit, ex iis, quæ ſubjiciam, patebit. Profectò *curam, & laborem* inanem impendit, eámque ſibi tantùm laudem comparavit, quòd magnis excidit auſis; longè majori præconio donandus, ſi opus, *qaod hactenus tentavit nemo*, majori diligentiâ aggreſſus fuiſſet, vel ſaltem cum cæteris intactum reliquiſſet. Sed ad rem veniamus, neque enim epiſtolæ brevitas patitur, ut per inania exſpatier.

AURELIUS CARTHAGINENSIS. *Succeſſit Genethlio, ſeu Genedio, ut conſtat ex Auguſtini epiſtola* 163. *ſcripta ann.* 412. *in qua tamen Genethlias dicitur* beatæ memoriæ, *cùm tamen Aurelius ſederet adhuc, imò tredecim poſt annis Synodo Africanæ præſederit ann.* 425. *Baronius igitur audiri non poteſt, Genethlium Aurelio ſubſtituens.* Rectiùs feciſſet, ſi nec audiviſſet Baronium dicentem memoratam epiſtolam 163. ſcriptam fuiſſe ab Auguſtino anno 412. cum Cirtam ad Syoodum pergeret. Certum eſt laudatam epiſtolam non eſſe ſcriptam poſt annum 397. nam ibidem Ambroſius Mediolanenſis adhuc ſuperſtes memoratur. Etenim cum Auguſtinus hæc initio præmiſiſſet, *Fortunium, quem Tuburſicum habetis Epiſcopum, per eamdem civitatem, quamquam feſtinantiſſimè, cum ad Cirtenſem Eccleſiam pergeremus, experti ſumus,* hæc ait: *Quæſivi ab eo, utrum juſtum, & Chriſtianum putaret Epiſcopum Mediolanenſis Eccleſiæ Ambroſium. Cogebatur utique negare, quòd ille vir Chriſtianus eſſet, & juſtus: quia ſi fateretur, ſtatim objiceremus, quod eum rebaptizandum eſſe cenſeret.* Itaque ſi Auguſtinus obtrudit Ambroſium Fortunio Epiſcopo Donatiſtæ rebapti-

baptizandum, nondum eo anno obierat Ambroſius, vel illius ſaltem obitus nondum Auguſtino innotuerat. Quod autem epiſtola 163. data ſit anno 397. ex iis, quæ verſus finem ſcribit, apertè colligitur: *Sed quia*, inquit, *ordinandi cauſa Epiſcopi neceſſitas nos inde*, nempè Tuburſico, *jam jamque rapiebat &c.* Itaque Cirtam properabat ad inaugurandum ibidem Fortunatum Epiſcopum, quem eo anno in demortui Profuturi locum electum fuiſſe pluribus oſtendi lib. 2. hiſt. Pelag. capite 8. quæ cùm ibidem poſſis legere, eadem huc transferre non vacat. His accedit, teſtari Auguſtinum ſe diſputaſſe cùm Fortunio Tuburſicenſi Donatiſta; At anno 411. inter Donatiſtas in collatione cap. 201. nominatur *Januarius Epiſcopus de Tuburſico Numidiarum*, qui Fortunio dudum defuncto ſucceſſerat.

Numidius Maxulitanus. *Hunc oportuit diu Maxulitanam Eccleſiam rexiſſe, quippe cum jam inde ab anno 403. ſecundo loco ſederit, nec tamen anno 419. diem obiiſſet. Civitas porro Maxula, quæ nunc Maſſa dicitur, non multùm diſtat ab antiqua Carthagine verſus ortum.* Laudu Garnerii correctionem, qui pro *Mundius* legit *Numidius*. Ceterùm neſcio unde ſciverit, Numidium ab annn 403. ſecundo loco ſediſſe. Exſtat Synodus habita eo anno Theodoſio, & Rurimundo Conſſ. Carthagine, in cujus calce ſolus Aurelius Primas legitur nominatim ſubſcriptus, & additur: *Similiter & ceteri Epiſcopi ſubſcripſerunt.* In qua quidem Synndo nuſquam Numidii nomen ſonat, qui fortè potuit abeſſe. Longè meliùs Numidii Epiſcopatus antiquitas probari poterat à Garnerio, ſi appellaſſet Synodum anno 390. à Genethlio indictam, in qua legitur: *Numidius Maxulitanus dixit &c.* & Aquilienſem A. 381. cui adfuit *Numidius legatus Afrorum.*

Rusticianus Tabracensis. *Fuit autem Tabraca nobilis olim colonia, Hipponem inter & Uticam.* Nolo objicere Carolum à S. Paulo, & Holſtenium adſcribere Tabracam Numidiæ; etenim cum in confiniis ſit inter Numidiam, & Proconſularem, potuit eamdem urbem ſuo jure Proconſularibus Eccleſiis accenſere. Illud tolerari nequit, quòd inferiùs, ut videbis, alterum Ruſticisnum hoc ipſo anno 416. & in hac ipſa Synodo Tabracenſem Epiſcopum dicit. Vel ergo hic Ruſticianus, vel alter perperam ponitur Tabracæ Antiſtes.

Fidentius Cæfalensis. *Incertum quæ fuerit civitas, cujus Eccleſiam rexit.* In collatione primæ diei cap. 133. laudatur, *Fidentius Epiſcopus plebis Cæfalenſis.* Hanc verò Eccleſiam ſpectaſſe ad provinciam Proconſularem probandum erat ex Synodica ejuſdem provinciæ Patrum, inſerta actioni ſecundæ Conſilii Lateranenſis anno 649. à S. Martino Papa celebrati, ubi ſubſcriptus legitur *Creſcens gratia Dei Epiſcopus S. E. Cæfalenſis.* Fuit ergo Cæfala civitas provinciæ Proconſularis.

Evangelus Assuritanus. *In excuſis codicibus legitur Evagrius, ſed mendum ineſſe ex eo conſtat, tum quòd Evagrii nomen vulgare non fuit Afris, fuerit autem Evangeli: tum quod Evangeli Aſſuritani ſit mentio in collatione.* Utrumque Garnerio probandum venit: Evagrii nomen nec unius hominis fuiſſe, Evangeli verò ſolitum apud Afros, & familiare. In elencho quadringentorum Epiſcoporum in Notitia Africæ nec unus Evangelus nominatur; in ducentis octoginta ſex Epiſcopis in collatione Carthaginenſi unus Evangelus Aſſuritanus appellatur, uti unus itidem Evagrius in epigraphe Synodicæ. Unde igitur habet Evagrii nomen vulgare non fuiſſe Afris, fuiſſe verò Evangeli? Cum nullus Evagrius in collatione nominatus fuerit, ac vellet omnino Epiſcopi quinto loco ſubſcripti ſedem aſſignare, ex Evagrio Evangelum fecit. Ceterùm error correctoris manifeſtè apparet ex Synodo Carthaginenſi A. 401. in qua can. 77. Cod. Afric. hoc ordine legati ad urbem Hipponenſem Diarrhytorum nominantur: *Reginus, Alipius, Auguſtinus, Maternus, Theaſius, Evodius, Placianus, Urbanus, Valerius, Ambrošius, Fortunatus, Quodvultdeus, Honoratus, Januarius, Aptus, Honoratus, Ampelius, Victorianus, EVANGELUS, & Rogatianus.* Quare cum in hac epigraphe Theaſius, & Ampelius poſt Evagrium nominentur, loco Evagrii Evangelus neutiquam poni poteſt, qui utroque laudato Epiſcopo poſterior fuit.

Antonius Carpitanus. *Sermo ſit de ipſo in collatione ann. 411. ſubſcripſit epiſtolæ, quam de appellationibus, & cauſa Apiarii Africana Synodus ad S. Cæleſtinum ſcripſit.* Niſi Antonius anno 425. redux in vitam iterum Carpitanam ſedem receperit, hæc procul à vero exorbitant; nam in Synodo Carthaginenſi, in cauſa de appellationibus, ſubſcriptus nominatur *Penthadius Epiſcopus Carpitanæ Eccleſiæ*, vel ut in aliis codicibus, *Penthadius Carpitanus.* Cum verò in titulo epiſtolæ ad Cœleſtinum inter primos nominetur Antonius, cur non iſte idem fuerit, qui anno 416. Synodicæ præfixus legitur? Qui tamen Carpitanus eſſe non potuit, cum anno 419. Penthadius Carpis ſederet. Alter familiaris huic ſcriptori error corrigendus eſt, quòd poſtea in hac Synodo an. 416. Penthadium Carpitanum Epiſcopum pronunciat. Itaque vel Antonius hic, & Penthadius in eadem ſede unà Coepiſcopi apud Carpos ponuntur, vel in alterutrius ſede deſignanda Garnerius falſus fuit.

Palatinus Bossetensis. *Palatini mentio fit in epiſtola Synodi Africanæ ad S. Cæleſtinum, Boſſetenſis ſedis in collatione.* In epigraphe epiſtolæ ad S. Cœleſtinum legitur: *Aurelius, Palatinus, Antonius, Tutus &c.* In hac verò epigraphe, Antonius præcedit Palatinum. Quare optimè notat Labbeus legendum eſſe *Valentinum*, qui tempore Cœleſtini erat Primas Numidiæ. Illius ſedes cap. 202. dicitur *Voſetenſis*, & cap. 125. *Boſetenſis.* Ex quibus patet pertinere illam Eccleſiam ad Proconſularem, quam tamen incertæ provinciæ dixerunt Carolus a S. Paulo, & Holſtenius, qui etiam lapſus eſt pag. 106. dum Voſetenſem dixit Viſicenſem; etenim anno 411. apud Eccleſiam Boſetenſem ſedebant Palatinus Catholicus, & Felix Dnnatiſta cap. 125. collationis: apud Viſicenſem verò urbem Felix Catholicus, qui cap. eodem 125. dixit: *Epiſcopum contra me non habeo.*

Aoedatus Bencennensis. *In Notitia Epiſcoporum ex provincia Proconſulari ejectorum, Guloſi Beneventenſis (lege Bencennenſis) in Corſicam relegati mentionem fieri.* Poſtquàm Epiſcopi nomen mutavit, urbis quoque nomen antiquat, imò duas in unam civitatem conflat, Beneventum in Bencennam tranſcribens. Verùm Beneventanam urbem fuiſſe in Africa præter Notitiam Epiſcoporum, in qua legitur *Guloſus Beneventenſis*, colligo ex Synodo prima Arelatenſi habita anno 314. cui ex Africa cum Cæciliano Carthaginenſi interfuit *Anaſtaſius de civitate Beneventina.* Præterea cum eidem collationi ex cap. 135. adfuerit *Adeodatus Simidiccenſis* ex Provincia Proconſulari, cur Adeodatus ſexto loco in epigraphe nominatus, Bencennenſis potius, quam Simidiccenſis appellandus ſit, pro arbitrio tantùm aſſeritur: præſertim cùm Bencennenſis Eccleſia iis accenſeatur, quæ incertæ prorſus provinciæ deputantur.

Vincentius Culusitanus. *Hunc oportet fuiſſe ſtrenuum in rebus agendis, & acrem in fide defendenda &c. Scio in itinerario Antonini, ubi deſcribitur via litoraria ab oſtiis Ampſagæ Hipponem uſque Regium, recenſeri Paratianas, Culuſitanas, Tacutuam, Sullucu, & Hypponem, nec aliud intelligi poſſe Culuſitanarum nomine, quàm utrumque Colopem, vel ſaltem minorem.* Poſtea. *An emendanda lectio codicum, & pro Culuſitano, ſeu Coloſitano Epiſcopo reſtituendus Curobitanus ab urbe Curobi propè Neapolim in Provincia Proconſulari ſita?* Hic ex unius litteræ variatione ingentes excitat controverſias, quæ nullæ ſunt. Neque enim Antoninus ſcribit *Culuſitanas* interjacere inter Hypponem, & Ampſagæ oſtia; hac enim ratione urbs Culuſitana pleno jure ad Numidiam ſpectaret, cùm Mauritaniæ Sitifenſi vicinior eſſet, quàm provinciæ Carthaginenſi. Scribit Antoninus *Culucitanas*, & conſentiunt tabulæ Peutingerianæ quæ inter Puſicadem, & Cirtam ponunt *Parantianis* & *Culucitani.* At Garnerius legit *Culuſitanas*, ex quo errore Culuſitam ex Antonini ſententia contendit locandam eſſe in Numidia. Ita Tacarata

carata eſt Numidiæ urbs, & in Notitia laudatur inter Numidas *Creſcentius Tacaratenſis*: Tagarata verò eſt in Proconſulari, in qua ibidem nominatur *Honoratus Tagaratenſis*. Itaque licèt Culucitani inter Numidas ſtatuantur, Culuſitani Proconſularibus deputantur, & Vincentius in collatione cap. 133. dicitur *Culuſitenſis*, & in ſubſcriptionibus Synodi A. 419. *Culſitanus*, & *Culuſitanus*. In Notitia legitur *Aemilianus Culſitanus* inter Proconſulares; in Synodo Bonifacii Carthaginenſis anno 525. *Marcianus Culuſitanus*; in Carthaginenſi ſub Grato can. 6. *Nicaſius Culuſitanus*. Nuſquam legitur Culucitanus. Sed neque varianda eſt lectio, ut pro Culuſitano Curobitanus Epiſcopus reponatur; nam Culuſita, & Curobis fuere diſtinctæ civitates Proconſularium: etenim in Synodo Carthaginenſi ſub Hilderico Rege anno 525. ſubſcripti leguntur & *Peregrinus Epiſcopus plebis Curobitanæ*, & *Marcianus Epiſcopus plebis Culuſitanæ*. Vides Curobim a Culoſita, ſeu Culuſita diſtinctam? Sed ex ipſa collatione hoc ipſum demonſtratur, in qua cap. 138. Vincentius Culuſitanus de ſua diœceſi dixit: *Catholica eſt*. At cap. 198. inter Donatiſtas recitatur *Victor Epiſcopus Curubitenſis*. Res eſt clariſſima, de qua unus Garnerius potuit dubitare.

PUBLIANUS BAZARADIDACENUS. *Ita quidem legitur in collatione: Sed quia nullibi, quod ſciam, hujuſcemodi civitatis mentio fit, ſuſpicari poſſet aliquis ineſſe mendum, reponendumque Mazaranacenum, eſt enim Mazarana civitas in provincia Proconſulari inter Bagradam Fluvium, & Fontem Catadæ, quo alluitur Carthago.* Profectò urbem Bazaradidacenam ex cap. 125. collationis habemus. Nuſquam tamen novæ urbis *Mazaranæ* nomen, niſi in nova Garnerii geographia reperitur. In Synodo S. Cypriani apud Aug. lib. 7. de baptiſmo cap. 10. nominatur *Felix à Marazana*, & in tabulis Caroli à S. Paulo Marazana deſcribitur: Synodum *Marazanenſem* laudat Ferrandus Diaconus Carthaginenſis can. 76. At Garnerii hallucinatio apparet, qui Marazanam ſitam fuiſſe putat in provincia Proconſulari, nam pertinebat ad Byzacium. Hinc in Notitia Africæ inter Byzacenos aſſeritur *Vindicianus Marazanenſis*. Hoc ipſum ex Antonino evincitur, qui ſcribit ab *Aquis Regiis Marazanam M. P. XV. Suſibus M. P. XXVIII.* Quare inter Suſetanos, & Aquas regias interjacet Marazana. Priores verò urbes pertinere ad Byzacenos conſtat ex Notitia laudata, in qua inter eoſdem nominantur *Liberatus Aquarum regiarum*, & *Euſtraſius Suſetanus*. Sed omne dubium diſpellit collatio Carthaginenſis, in qua cap. 127. ponitur *Publianus Epiſcopus plebis Bazaradidacenæ*, & cap. 133. appellatur *Ennomius Epiſcopus plebis Marazanenſis*. Igitur ſtulti ſolùm ſuſpicari poſſunt, unam eamdemque eſſe urbem, cum ibidem diſtincti Epiſcopi utriuſque opidi disertè aſſerantur. Ex Ortelii Tabularum mendo, ubi pro Marazana legitur Mazarana, errorem ſorbuit, tot ignoratis pro Marazana certiſſimis teſtimoniis.

THEASIUS MEMBRESITANUS. *Quod Membreſa porrò fuerit Epiſcopalis, dubium eſſe non poteſt; nam Lucii Membreſitani mentio eſt in Concilio Carthaginenſi de rebaptizandis hæreticis: Salvii Membreſitani apud Auguſtinum &c.* Eumdem lapidem offendit, duas iterum urbes in unam confundens. Tempore collationis Carthaginenſis, Membreſa ſeu Membreſſa, ut Auguſtinus, & Antoninus ſcribunt, erat civitas diſtincta à Membloſita. Hoc ad oculum patet ex memorata collatione, in qua cap. 133. recenſetur *Gennadius Epiſcopus plebis Membreſſitenſis*, itemque ibidem ponitur *Theaſius Epiſcopus plebis Membloſitenſis*. In Synodo Cypriani apud Auguſtinum lib. 7. de baptiſ. cap. 26. nominatur *Lucius à Membreſa*, quam eamdem cum Membloſita Garnerius exiſtimavit. Qui etiam ibidem probat Membreſſam ſpectaſſe ad Proconſulares, quia ex Antonino *conſtat civitatem hanc inter Muſtitanam, & Scilibbam fuiſſe*. At Muſtitana pertinebat ad Numidiam ex Notitia Africæ, in qua inter Numidas nominatur *Antonianus Muſtitanus*; ſi verò Membreſſa inter duas urbes Proconſulares fuiſſet, fortè intentum probaſſet. Hæc de Muſtitana urbe, juxta vulgarem ſententiam, loquor. Debuit ergo hæc demonſtrare ex Synodica act. 2. Concilii S. Martini Papæ, in qua inter Proconſulares laudatur *Victor Membreſſitanus*, & ex Synodo Bonifacii Carthaginenſis A. 525. quam ſubſcribit *Paſchaſius Membreſſitanus*.

TUTUS MELDITANUS. *Scribitur in collatione Melzitanus, ſed vitioſè opinor: neque enim ab ullo fit mentio Melzitæ civitatis in provincia Proconſulari: Fit autem ab omnibus Melditæ ad Hipponitidem paludem poſitæ, cujus ſitus à Ptolomæo deſcribitur.* Ita Garnerio Plinius, ac trecenti & decem Epiſcopi Donatiſtæ nulli ſunt. Plinius lib. 5. cap. 4 laudat in Africa opidum *Melzitanum*. Synodus Bagajenſis Donatiſtarum inter duodecim ordinatores Maximiani Carthaginenſis damnat *Valerium Melzitanum*. Apud Aug. lib. 3. contra Creſconium cap. 19. & 53. Rectè ergo in collatione cap. 121. legitur: *Tutus Epiſcopus plebis Melzitanæ*. Non tamen reprehendendus eſt Ptolomæus, ubi hoc ipſum opidum Melditam vocat, familiare enim fuit antiquis pro Z, uſurpare D, ut pluribus oſtendi lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. 3. Ita in eadem provincia Hipponem Zarrhutum laudat Antoninus, & Zaritonenſem Epiſcopum nominat collatio cap. 139. cum alii eandem urbem Hipponem Diarrbytum vocent.

PANTHONIUS PUPPITANUS. *In collatione parte prima legitur Pannonius Puppitanus, ſed gemino vitio, cum Pannonii nomen inſolens ſit apud Afros, Panthonii familiare, & civitas cujus ſedem tenuit, dicatur Pupput in Itinerario Antonini.* Imò *gemino vitio* laborat hæc cenſura. Cum textus epigraphes Synodalis ex collatione corrigendus eſſet, ut ubique erraret, maluit textum collationis erroris arguere. In MS. Sereniſſimi Magni Ducis poſtea laudando, in epigraphe non *Panthonius*, ſed *Pannonius* rectè legitur. Verùm quis illi dixit Pannonii nomen inſolens eſſe apud Afros, Panthonii verò familiare? Præter Pannonium Puppitanum, legitur in Notitia Africæ inter Mauritanos Cæſarienſes *Pannonius Bitenſis*. Unum tantùm Panthonium ex depravata epigraphe novit, alterum ex incognitis libris ex Africa appellet, & tunc familiare apud Afros nomen Panthonii affirmabo, & erit mihi magnus Apollo. Quod verò contendit à Pupput dicendum eſſe *Pupputanum*, non *Puppitanum*, vix citra indignationem ab Afris audiri poſſet, quaſi hic Scriptor Africanarum urbium vocabula meliùs quam ipſimet Afri, declinare ſciat. In collatione cap 187. inter Donatiſtas nominatur *Victorianus Puppitanenſis*, Pannonii æmulus. Synodicam Proconſularium act. 2. laudatæ Synodi Lateranenſis ſubſcribit *Guloſus Puppitanus*, in Synodo Bonifacii Carthaginenſis anno 525. recitatur *Fortunatus Puppitanus*. Quis autem dixerit, hos Epiſcopos neſciiſſe, ſuæ urbis nomen Latinè inflectere?

VICTOR VINENSIS *Legitur ipſius nomen in collationis prima parte, eſt autem Vina civitas propè Puppitanam.* Ariolatur; nam cum in titulo epiſtolæ, quam adeo eruditis notis illuſtrat, tres Victores nominentur, eorumdem ſedes ex collatione Carthaginenſi expiſcatur. Priorem dicit Vinenſem, alterum Uticenſem, poſtremum Migirpenſem. Quòd ita pro arbitrio horum Victorum ſedes diſponit, nullam Garnerio quæſtionem facio, quamvis prior potuerit eſſe Migirpenſis, poſtremus autem Uticenſis, & medius Vinenſis. Hoc eumdem interrogatum velim, cur tres alios Victores, qui in collatione recenſentur, omiſit, nullumque eorum in memorata epigraphe nominatum voluit? Recenſetur cap. 116. *Victor Libertinenſis*. Hanc vero urbem ſpectaſſe ad Proconſulares patet ex Synodica ejuſdem provinciæ Act. 2. Concilii Lateranenſis, ubi legitur *Januarius gratia Dei Epiſcopus S. E. Libertinæ*. Rurſus in eadem collatione recitatur cap. 215. *Victor Abitinenſis*. Ex hunc pariter Proconſularibus accenſendum conſtat ex proximè laudata Synodica, in qua nominatur *Auguſtalis gratia Dei Epiſcopus S. E. Abitinenſis*: & apud Cyprianum habetur *Saturninus ab Abbitinis*. Denique tertius Victor occurrit cap. 133. ubi dicitur ſubſcribere *Quintus pro Victore Epiſcopo Tuburbitanorum minorum*. Fuiſſe verò Tuburbum in Proconſulari docet Notitia Africæ, in qua appellatur *Benenatus Tuburbitenſis*: & utriuſque Tuburbi ſitum in Proconſulari exhibent Tabulæ Peutingerianæ. Cur ergo tres hoſce Victores, qui anno 411. eidem collationi cum tribus aliis, quos laudat, interfuere, à Synodo anni 416. excluſit? Cur unum ſaltem ex illis in-

tra Synodum non admiſit, ſed ſolummodo Vinenſem, Uticenſem, & Migirpenſem? Profectò vides, mi Antoni, Garnerium hic purum putum ariolatorem agere.

RESTITUTUS MUZULENSIS. *Legitur in collatione Muzucenſis, ſed Auguſtinus lib. 7.* (lege 6.) *contra Donatiſtas cap. 41. meminit Epiſcopi Muzulenſis, quem fuiſſe provinciæ Proconſularis colligo ex Notitia ſæpius laudata, in qua numeratur inter ejectos ex ea provincia Epiſcopos Felix Muzulenſis.* Geographus urbes confundit. Rectè in collatione Reſtitutus appellatur Muzucenſis, cujus adverſarius Donatiſta cap. 206. dicitur *Idaxius Muzucenſis*. Porrò hæc urbs erat inter Byzacenas; unde in Notitia Africæ inter Byzacenos Epiſcopos recitatur *Innocentius Muzucenſis*. Præterea more ſolito divinatur; nam in collatione cap. 133. ſcribitur *Reſtitutus Epiſcopus plebis Simingitenſis*. Hunc verò adnumeratum Proconſularibus colligo ex Synodo Bonifacii, in qua appellatur *Creſconius Epiſcopus plebis Simingitanæ*. Itaque errat Garnerius, dum Reſtituto Simingitenſi provinciæ Proconſularis omiſſo, Reſtitutum Muzucenſem ex Byzacio ad Proconſularem transferens, eundem in Muzulenſem Epiſcopum vertit.

RUSTICUS, ſeu potius RUSTICIANUS TABRACENSIS. *Sic enim legitur in collatione. Fuit autem Tabraca colonia in ipſo confinio provinciæ Proconſularis, & Numidiæ, unde factum eſt, ut una pars auctorum in Numidia, alii in Provincia collocarent.* Infeliciter labitur. Etenim cum in collatione nullum Ruſticum appellatum legeret, quo hujus Epiſcopi ſedem deſignaret, eumdem ex Ruſtico in Ruſticianum mutavit. Sed in hoc turpiter etiam errat; nam ſuperiùs Epiſcopum, qui tertius ab Aurelio Primate in epigraphe legitur, appellarat *Ruſticianum Tabracenſem*. Itaque auctore Garnerio anno 416. Tabracæ duo Ruſticiani Epiſcopi Catholici ſedebant, ut Eccleſiæ, quemadmodum & urbes id temporis regebantur, ſuos habuerint duumviros.

FORTUNATIANUS NEAPOLITANUS vel SICCENSIS. *Fortunatiani duo celebres exſtiterunt tunc temporis: Neapolitanæ unus, alter Siccenſis Eccleſiæ Epiſcopus, uterque Proconſularis provinciæ &c. Uterque ſine dubio interfuit Africano Concilio ann. 418. Incertum uter electus ad finiendas cauſas cum aliis provinciarum legatis. Uterque pariter interfuit Concilio univerſali ann. 419. Incertum utrius nomen præferatur in epiſtola Afrorum ad S. Cæleſtinum.* Laudo hominis eruditionem, qui duos Fortunatianos novit, eoſque in diverſis urbibus collocavit; verebar enim, ne duos Fortunatianos uni urbi præficeret, quemadmodum duos Ruſticianos uni civitati donavit. Verùm ſtatim ceſpitat, & præceps ruit. Quod enim ait, utrumque Fortunatianum interfuiſſe Concilio univerſali Africæ an. 419. admitti non poteſt, niſi mortuos Epiſcopos ſuffragia dare, ac ſententias dicere fingamus. Anno 419. Siccæ ſedebat Urbanus in mortui Fortunatiani locum ſubrogatus, qui cum anno ſuperiori Apiarium igni, aquaque interdixiſſet, & hic ad Zoſimum appellaſſet, acriter à Pontifice reprehenſus fuit; unde diuturniores illæ de appellationibus controverſiæ Afros inter & Romanam ſedem exordium duxere. In litteris Synodi Africanæ anno 419. ad Bonifacium Pontificem datis hæc leguntur; *Prior autem Coepiſcopus noſter Siccenſis Urbanus, quod in eo*, nempe Apiario, *corrigendum eſt, ſine ulla dubitatione correxit.* Unus ergo Fortunatianus Neapolitanus anno 418. & 419. Synodis Africanis interfuit, unus Neapolitanus ad finiendas cauſas cum aliarum provinciarum legatis electus eſt, idem epiſtolæ ad S. Cœleſtinum Papam præfigitur. Nota interim, Vir Clariſſime, Garnerii confidentiam, qui aſſeveranter pronunciat, Siccenſem Fortunatianum *ſine dubio* laudatis Synodis interfuiſſe, qui id temporis *ſine dubio* diem obierat, ac in eadem ſede Urbanum ex Hipponenſi Clero Epiſcopum exceperat. De initio Epiſcopatus Urbani ſcribit S. Auguſtinus epiſt. 59. ad Paulinum Nolanum.

RESTITUTUS CINCARITENSIS. *Legitur in collatione Epiſcopus hujus nominis, & ſedis; credibile admodum eſt hunc ipſum eſſe, quo de agitur.* Et hic divinatur; nam adfuit etiam collationi cap. 133. *Reſtitutus Epiſcopus plebis Simingitenſis.* Et in Concilio Bonifacii A. 525. inter Proconſulares laudatur *Creſconius Epiſcopus plebis Simengitanæ*: At Cincaritenſem Eccleſiam incertæ provinciæ deputant Carolus à S. Paulo, & Holſtenius, nec quicquam pro ea re affert Garnerius. Ego tamen puto illam Eccleſiam fuiſſe inter Proconſulares; nam in Synodica act. 2. Concilii S. Martini Papæ inter ejuſdem provinciæ Epiſcopos nominatur *Quodvultus Cecirtenſis*, quæ fortè Eccleſia eadem eſt cum Cincaritenſi.

AMPELIUS. *Incertæ ſedis. Nam Ampelius, cujus fit mentio can. 78. Cod. Afric. cujuſque ſedes in collatione dicitur fuiſſe Vaga, vel potius Vada, quique interlocutus legitur cap. 176. videtur fuiſſe Numidarum unus &c. Unde ulterius corrigendus quoque collationis textus cap. 215. ubi duo appellantur Epiſcopi Vagenſes Catholici, Ampelius, & Primulus: legi enim debet Vadenſis.* Ignoravit duas fuiſſe in Africa Vagas, unde alteram urbem Vadam dicendam contendit. At Plinius, cui meliùs Africanæ urbes cognitæ fuerunt, lib. 5. cap. 4. inter XV. oppida civium Romanorum nominat *Vagenſe*, & inter triginta libera oppida *Vagenſe aliud*. Conſultò addidit *aliud*, ut Vagam utramque diſtingueret. Una erat Latio donata, altera liberum municipium. Hinc perperam collationem corrigendam ducit, in qua duæ Vagæ aſſeruntur. Hæc opida, quæ Vagæ dicuntur in collatione, ambo *Vadæ* appellantur in Notitia Numidiæ, ubi recitantur *Rufinianus Vadenſis*, & *Proficius Vadenſis*. Imò tertia inſuper Vaga ponitur in eadem collatione; nam cum cap. 177. nominatus fuiſſet *Privatus Epiſcopus Vagenſis*, Rogatus Epiſcopus dixit: *Januarianus dicitur, non Privatus.* At reſpondit Primianus Primas Donatiſtarum Carthaginenſis provinciæ cap. 179. *Eſt Auzagga, ubi fuit Januarianus, qui nunc defunctus eſt; alia Auzagga ubi eſt Privatus, qui nunc vivit.* Ubi patet has Vagas agnominatas *Auzaggas*, ut à Vaga, ubi Ampelius ſedebat, diſtinguerentur. Et quidem præter duas Vagas, quas Plinius in Africa, hoc eſt, provincia Zeugitana ponit, Ptolemæus lib. 4. cap. 2. in mediterraneis urbibus Mauritaniæ Cæſarienſis *Vagam* etiam collocat, cujus ſitum exhibent Tabulæ antiquæ Peutingerianæ, & recentes Caroli à S. Paulo. Ampelius qui laudatur can. 78. Codic. Afric. non eſt idem cum Ampelio, qui hic appellatur; ille enim Ambivio Piſitenſi poſterior fuit, ut ibidem patet; hic autem eundem præcedebat, ut proximè oſtendam.

ANIMUS. *Sin minùs vitioſa ſit lectio, quod non temerè tamen quiſpiam conjiciat propter inſolentiam vocis, ignota dici debet hujuſce Epiſcopi Eccleſia. Quod ſi vitium irrepſit, ſuſpicari poſſit nonnemo reponi debere pro Animo Timianum, qui ut eſt in collatione, rexit Eccleſiam Utinæ civitatis à Ptolomæo ſub Carthagine ad Bagradam fluvium repoſitæ.* Si vitioſam lectionem ſuſpicabatur, cur antiquum aliquem codicem non conſuluit? Exſtat epiſtola hujus Synodi Carthaginenſis in codice MS. bibliothecæ Sereniſſimi Magni Ducis ad D. Laurentii in pluteo XII. in quo non *Animus* legitur, ſed *AMBIBIUS*, qui in reſcripto Innocentii Papæ dicitur *Ambivius*. In collatione cap. 133. appellatur inter Catholicos Patres *Ambibius Epiſcopus plebis Piſitenſis*. Evodius Uzalenſis S. Auguſtini diſcipulus lib. 1. de prodigiis S. Stephani cap. 13. meminit *Piſitanæ civitatis*. Ambibii Eccleſiam omiſit Carolus à S. Paulo, Holſtenius incertæ provinciæ deputavit, & minùs rectè à Piſitana diſtinxit, quæ tamen ex hac epigraphe colligitur fuiſſe in Proconſulari. Ambivii fit mentio can. 78. Cod. Afric. ubi ante Evangelum nominatur, quem Garnerius pro Evagrio ſuppoſuit, ut vidiſti, ſed perperam; nam in laudato codice *Evagrius* nominatur, & pro *Mundius*, ut in excuſis codicibus corruptè habetur, *Numidius* rectè ibidem legitur. In nullis codicibus epigraphen quæſivit Garnerius, qui tamen ob exſcriptos ab alio è Vaticanis MSS. Marii Mercatoris libellos, vah quales tragœdias in calce ſui operis excitat, & in quos!

FELIX UZITENSIS. *Legitur in collatione Vzicenſis, ſed in Notitia Epiſcoporum provinciæ Proconſularis mentio fit Caji Uzitenſis, qui periiſſe ſcribitur, antequam veniret ad exilii locum: & Uzitha civitas ponitur in Ptolemaicis Tabulis propè Adrumetum, & Ruſpinam.*

Cum

Cum iſtæ duæ urbes ſuerint in Byzacio, in eadem etiam provincia Uzitba Ptolemæi locanda fuit. Uzitbæ opidi ſitum diſertè tradit A. Hirtius lib. de bello civili in Africa, ubi ait Cæſarem propè Uzitbam caſtra metatum, *quæ aberant à portu* Leptis parvæ *millia paſſuum ſex.* Leptis verò erat in Byzacio ſupra Adrumetum verſus Tripolim M. P. XVIII. ex Antonino. Ex his in Notitia legendum eſt: *Cajus Ucitenſis*, non *Uzitenſis*; hæc enim Eccleſia erat in Byzacio; Ucitenſis verò in Proconſulari, in cujus provinciæ Synodica act. 2. Concilii Lateranenſis laudatur *Tripolius Ucitenſis*, ab Uci urbe, ut ex Plinio mox oſtendam in notis ad FRUCTUOSUM. Igitur perperam Viſicenſem in Uzithenſem Eccleſiam mutat. Scribitur in collatione cap. 125. *Felix Epiſcopus plebis Viſicenſis.* Quam Eccleſiam pertinere ad Proconſulares, colligo ex eadem Synodica, ubi inter Proconſulares cernitur *Valentinianus Epiſcopus S. E. Uſicenſis.* Erat hæc urbs propè Taboram, cujus Epiſcopus Victor Donatiſta cap. 125. citato dixit Felici Viſicenſi: *Ego tibi intervenio.* Et cap. 201. idem Victor ait: *Susceperam quidem mandatum; ſed quia beatiſſimus Pater & princeps noſter Primianus nunc ſuſcepit, me neceſſe eſt mandare bis actis.* Itaque erat in Proconſulari Epiſcopus, ſi Primianum Carthaginenſem ſuum Primatem appellat. Perperam in diſſert. de Synodo V. cap. 10. Taboram Victoris Donatiſtæ cum Tabora altera Mauritaniæ confudi. Quare addenda eſt Tabora tabulis Proconſularium Caroli à S. Paulo, & Holſtenii. Ceterum de hujus Felicis ſede Garnerius divinatur. In collatione cap. 127. laudatur *Felix Epiſcopus plebis Aptungitenſis.* Erat Aptunga in provincia Proconſulari, & alter Felix Aptungenſis olim Cæcilianum Carthaginenſem conſecraverat, ut ex Optato lib. 1. & Auguſtino epiſt. 68. 162. 163. & libris contra Donatiſtas paſſim habetur. Itaque omiſſo Felice Aptungenſi, Felicem Viſicenſem Synodo anni 416. pro arbitrio præſentem facit.

Donatianus Zegoensis, ſive Zellensis. *Recenſetur in collatione Donatianus Zellenſis. In Notitia provinciæ Proconſularis fit mentio Vincentii Zeggenſis in exilium ejecti.* Eodem in luto hæret, Ziggam cum Zella confundens. Erat Zella in Byzacio; Strabo enim recenſens hujus provinciæ opida lib. 17. ait: *Propè etiam erant Zella, & Achola liberæ civitates.* In Tabulis Peutingerianis Achola ponitur inter Tapſum, & Ruſpam urbes in Byzacio, in cujus Notitia recitatur *Reſtitutus Acholitanus.* Concilium *Zellenſe* laudat Ferrandus Diaconus, quod Teleptenſe perperam dici oſtendi lib. 1. Hiſt. Pelag. cap. 13. At Zaggera urbs in Proconſulari, in cujus Notitia recenſetur *Vincentius Ziggenſis*, quem Garnerius Zeggenſem dixit ut facilius Zellenſem faceret. In geſtis purgationis Felicis, coram Africæ Proconſule, in calce Optati Albaſpinææ editionis, memoratur *Ingentius Decurio Ziguenſium*, quæ urbs, ut ibidem patet, erat in Proconſulari. In litteris Conſtantini Imperatoris, apud Auguſtinum Epiſt. LXVIII. & Lib. III. contra Creſconium, cap. LXX. idem dicitur *Decurio Ziguenſium civitatis.* Et *montem Ziquenſem* memorat Victor Vitenſis de perſequutione Vandalorum.

Adeodatus Simidicus. *Interfuit collationi ann. 411. unuſque fuit ann. 419. è decem legatis provinciæ Proconſularis, qui cum legatis aliarum provinciarum canones Eccleſiæ Africanæ recognovit, & ſubſcripſit.* Et hic rurſus Epiſcopos, & urbes confundit. Adeodatus qui anno 419. canones recognovit, erat Epiſcopus Simittuenſis, non Simidiccenſis. Leguntur apud Labbeum ſubſcriptiones Synodi anno 419. Carthagine celebratæ, in quibus *Adeodatus Simituenſis*, vel *Simitenſis* dicitur. Oppidum *Simittaenſe* laudatur à Plinio lib. 5. cap. 3. *Simittu* ab Antonino dicitur. In collatione cap. 135. recenſetur *Benenatus Epiſcopus plebis Simittenſis*, & cap. 135. *Adeodatus Epiſcopus plebis Simidiccenſis.* Quare Adeodatus, qui anno 419. canones recognovit, anno 411. nondum erat Epiſcopus, cum Simittuenſem cathedram teneret Benenatus. Hoc ipſum etiam evidenter oſtenditur ex ſubſcriptione Synodi anno 419. ubi legimus: *Penthadius Carpitanus, Adeodatus Simittuenſis.* Quare Adeodatus fuit Epiſcopus tempore poſterior Penthadio: Africani enim juxta tempus delati Epiſcopatûs nomina Synodis dabant, & in tractoriis ſcribebantur, ex canone 53. Cod. Afric. & Auguſtino epiſt. 217. ad Victorinum. Rurſus certum eſt Penthadium anno 411. non fuiſſe Carporum Epiſcopum; nam cap. 125. ponitur *Antonius Epiſcopus plebis Carpitanæ.* Ex quibus colligimus Adeodatum Simittuenſem diverſum eſſe à Simidiccenſi, qui anno 411. collationi interfuit, & diverſas fuiſſe urbes Simittu, & Simidiccam, cum tempore collationis hic Adeodatus, illic verò Benenatus ſacra ſuprema auctoritate adminiſtraret.

Octavius Uthinensis. *Interfuit collationi, eſt autem Uthina civitas in provincia proconſulari ad Bagradam fluvium, ut habent tabulæ Ptolemaicæ. In concilio Carthaginenſi &c. dixit vigeſimo ſeptimo loco ſententiam Felix ab Uthina, & Lampadius Uthinus Concilio Arelatenſi II. ſubſcripſit.* Eadem chordâ oberrat, Utinunam cum Uthina confundens. In cap. 133. collationis Carthaginenſis editionis Maſſonis, & Albaſpinæi legitur *Octavius Epiſcopus plebis Utimmenſis.* Scio duas fuiſſe Utinas in Africa; & tempore collationis cap. 125. legitur: *Timianus Epiſcopus plebis Utinenſis*: capite verò 133. *Iſaac Epiſcopus plebis Uthinenſis.* Quare ſi Octavius fuit pariter Epiſcopus Utinenſis, tertiam in Africa Utinam nobis excitare debet, vel Octavium collegam Timiano, aut Iſaaco ſuperimponere. Contra Iſaac Epiſcopum Catholicum ſtabat Felicianus, contra Timianum Felix Donatiſtarum Epiſcopi. At de Octavio refero integrum textum ex collatione Carthaginenſi. *Octavius Epiſcopus plebis Utimmenſis coram V. C. Tribuno, & Notario Marcellino ſuperiùs mandavi, & ſubſcripſi Carthagine. Quare idem dixit: E contrario mihi eſt Bonifacius.* Ex tribus igitur Epiſcopis Catholicis, totidemque iiſdem adverſariis Donatiſtis duas Utinas, & Utinunam in Africa urbes habemus. Quod inſuper addit Uthinam ad Bagradam fluvium ſitam ex Ptolemæo, notes velim, vir eruditiſſime, Garnerium ante ſeptemdecim verſus idem dixiſſe de Utina altera, in qua ſedebat Timianus. Profectò Ptolemæus unam tantum Urbinam ponit; quòd ſi noſter Geographus Uthinam Octavii, & alteram Timiani ad Bagradam reponit, de utraque Ptolemæi teſtimonium neutiquam laudare poteſt. Scribit Holſtenius alterutram Utbinam cum aſpiratione ſcribendam, & verè apud Auguſtinum lib. 6. de bapt. cap. 33. recitatur *Felix ab Uthina.* Omitto quod ibidem ait Lampadium Uthinenſem ſubſcripſiſſe Concilium Arelatenſe II. voluit dicere primum indictum anno primo Sylveſtri An. 314. Bonifacius Octavii adverſarius cap. 198. dicitur Utummenſis; utri textui error irrepſit, incertum.

Serotinus Thurzitensis. *Interfuit collationi. Ponitur autem à Ptolemæo Thurſa propè Vinam coloniam non longè à Tunizza, atque adeo nec admodum procul à Carthagine.* Non ita ſcribitur in collatione; nam cap. 133. recenſetur *Serotinus Epiſcopus plebis Turuzitenſis.* Quæ inflexio, uno Garnerio auctore, à Thurſa Ptolemæi derivatur. Sanè vapularent diſcipuli, qui à Thurſa Thuruzitanum declinarent, hoc enim adjectivum à Thuruzita originem ducit. Quare perperam Ptolemæus in teſtem vocatur. Imò nuſquam legitur Thurſa in Ptolemæo, ſed tantùm Thurza, quam ponit in Byzacio propè Adrumetum. Rectiùs autem ex ipſa collatione oſtenditur Thuruzitam fuiſſe in provincia Proconſulari; quia cum Serotinus Epiſcopus dixiſſet ſe nullum habere Epiſcopum adverſarium, Primiani Primatis Carthaginenſis Diaconus Habetdeum repoſuit: *Preſbyter eſt illic Cattus.* Qui quidem Diaconus frequentius interloquebatur, ubi de Epiſcopis Proconſularibus quærebatur, ut paſſim ibidem patet; licèt ſemel, aut iterum de aliis quoque locutum concedam.

Majorinus Zemptensis. *Ita legitur in collatione; meliùs Zamenſis, nam in Proconſulari provincia fuit Zama civitas, ſi Plinio, Ptolemæo, ac Straboni credimus.* Quot verba tot errata. In collatione cap. 133. laudatur *Majorinus Epiſcopus plebis Zamenſis.* Et

quidem rectè: nam io Synodica Proconſularium act. 2. Concilii Lateranenſis memoratur *Florentius gratia Dei Epiſcopus S. E. Zentenſis*. Quo egregio teſtimonio evincitur, rectè ſcribi in collatione Zentenſem, ac malè legi Zemptenſem, & Zentam fuiſſe inter urbes Proconſulares. Rurſus quòd Zentam in Zamam mutat, vix patienter ferri poteſt. In collatione cap. 121. dicitur *Dialogus Epiſcopus Zamenſis*, cujus adverſarius Montanus unus e ſeptem Donatiſtis collatoribus recenſetur. Igitur non Majorinus, ſed Dialogus anno 411. erat Zamenſis Epiſcopus.

Postumianus. *Ignotæ ſedis; Nam qui dicitur in collatione Tagorenſis diverſus eſt ab iſto; ſiquidem Tagora civitas, ſeu Tagura, eſt in Numidia, non item in proconſulari, & inter Epiſcopos è Numidia in exſilium actos, recenſetur Timotheus Tagurenſis.* Ignoravit duas fuiſſe in Africa Tagoras, quod tamen intelligere poterat ex collatione, cui inter Catholicos Antiſtites interfuere *Reſtitutus Epiſcopus Tagorenſis*, qui fuit cuſtos tabularum cap. 143. & *Poſthumianus Epiſcopus plebis Tagorenſis* cap. 133. Itaque Poſthumianus, qui ponitur in epigraphe, fuit Epiſcopus Tagorenſis in provincia Proconſulari. At fuiſſe Tagoram in hac provincia colligo ex Tabulis Peutingerianis, ubi hæc leguntur. *Thacora V. Gegetu* (ſupple *XV.* ex Antonino mox laudando) *Narragara XII. Sicca Veneria XXX.* Antoninus ita ſcribit in itinere Muſti Cirtam. *Siccam XXXII. Naraggara XXX. Tagora XX. Tipaſa XXXIV.* Certum eſt Tipaſam ſpectaſſe ad Numidiam; nam in Notitia bujus provinciæ nominatur *Ruſticus Tipaſenſis*. Naraggaram Tipaſæ finitimam Numidiæ adſcripſere Carolus à S. Paulo, & Holſtenius, ſed perperam; nam Synodicam Proconſularium act. 2. Concilii Lateranenſis ſubſcribit *Benenatus Epiſcopus S. E. Narragaritanæ*, & in Notitia inter Proconſulares recenſetur *Maximinus Maraggaritanus*, ubi planè *Naraggaritanus* legendum eſt. Et in collatione inter Donatiſtas cap. 207. numeratur *Fauſtinus Epiſcopus Naraggaritenſis*. Ultra Naraggaram verſus Numidiam ponitur *Gegetu*. Porro hanc etiam urbem fuiſſe intra diœceſim Proconſularium, patet ex Victore Vitenſi, qui lib. 1. de perſecut. Vand. inter Proconſulares nominat *Vicentium Gigitanum*. Itaque Tagora V. M. P. Gigetu diſtans, erat ultima urbs provinciæ Carthaginenſis Tipaſæ contermina, cujus ſacra tempore collationis Poſthumianus miniſtrabat, qui poſtea anno 416. ſententiam contra Pelagianos ſubſcripſit. Tagora in Numidia dicebatur etiam Tagura, ut ex Notitia Africæ patet.

Crispolus Volitensis. *In vulgatis codicibus legitur Triſpolus, ſed vitium per ſe manifeſtat inſolentia nominis; quare emendari debet ex collatione.* Hic rectè priorem literam corrigit. In MS. Sereniſſimi Magni Ducis *Criſpolus* legitur, tum in epigraphe Synodicæ, tum in reſcripto Innocentii.

Victor Uticensis. *Non ille quidem ſcriptor librorum de perſecutione Vandalica anno 484. excitata adverſus Catholicos ab Hunerico, ſed alius ejuſdem nominis, & ſedis, qui fuit Carthagine, cum collatio haberetur.* Victor, qui ſub Hunerico vixit, ac ſcripſit libros de perſecutione Vandalica, non fuit Epiſcopus Uticenſis, ſed Vitenſis, ut egregiè è MSS. oſtenderunt Chiffletius, ac Holſtenius. Hoc ipſum probatur ex elencho Epiſcoporum ab Hunerico in exſilium deportatorum, nam inter Proconſulares nominatur *Florentinus Uticenſis*, & inter Byzacenos *Victor Vitenſis*, qui libros ſcripſit de perſecutione Vandalica. Plura hac de re leges in Chiffletio, cujus volumen, ut pleraque alia, è copioſiſſima tua illa bibliotheca non ſemel mihi commodaſti.

Victor Migirpensis. *Ita legitur in collatione &c.* In hoc, & præcedenti Victore redit ad ſolitas divinationes. Adfuere collationi tres alii è Proconſulari provincia Victores; nempe, Libertinenſis, Abitinenſis, & Tuburbitanus. Itane hoſce intra quinquennium obiiſſe putat, vixiſſe verò Migirpenſem, & Uticenſem, ut iſti ſolummodo, & nullus illorum trium Synodo anno 416. Carthagine contra Pelagianos coactæ intereſſe potuerint? Sed cui facile fuit urbes pro arbitrio mutare, confundere, exſtruere, haud quicquam penſi habuit, Epiſcopos ad Synodos admittere, prout libet, & prout lubet, excludere.

Lucius Tagaratensis. *Recenſetur ejus nomen in collatione. Tagaratenſis Epiſcopi meminit Notitia Epiſcoporum provinciæ Proconſularis, refertur enim Honoratus Tagaratenſis pulſus in exſilium.* Non poſſum non albos calculos adjicere.

Marianus Uzipparensis. *Nominatur in collatione. Meminit Notitia Epiſcoporum provinciæ proconſularis Augentii Uzippariteni in exſilium expulſi.* In pleriſque editis codicibus legitur *Macianus*, ſed Garnerio favet MS. Laurentianæ bibliothecæ. In Tabulis Peutingerianis *Uſippira* ponitur ſupra Putput in mediterraneis verſus meridiem. In Synodo Bonifacii appellatur *Sementius Uzipparenſis*. Marianus fuit unus legatorum Proconſularium in Concilio anni 419.

Fructuosus Aziritensis. *Ita legitur in collatione, legendum tamen fortè eſt Abderitenſis, vel Abbiritenſis: eſt enim apud Ptolemæum Abderæ mentio in Africa propria, ſeu provincia Proconſulari, ſiquidem ponitur ſub Carthagine, & in Notitia provinciæ proconſularis fit mentio Felicis Abaritani Epiſcopi. Hunc vero Fructuoſum oportet non diu fuiſſe ſuperſtitem; nam ann. 419. Candidus Abbaritanus recenſetur inter legatos provinciæ proconſularis, qui tamen in ſubſcriptionibus dicitur Germaniæ, ſed mendoſè: nam Germania ſive vetus, ſive nova, pertinet ad Numidiam, ſi qua fides Notitiæ ſæpius citatæ, in qua fit mentio Felicis Abaritani Epiſcopi.* Parum callet Africanam geographiam, dum urbem Abziritanam cum Abbiritana confundit. In collatione cap. 128. dicitur *Fructuoſus Epiſcopus plebis Abziritenſis*. Plinius lib. 5. cap. 4. laudat in Africa opidum *Abziritanum*. Hæc urbs Ptolomæo dicitur Abdera, nam D pro Z paſſim ſumptum ſuperiùs oſtendi. Et in Synodo Genethlii A. 390. *Victor Abziritanus* & *Abderitanus* in variis codicibus legitur. Ceterùm adhuc in Africa numerabantur duæ urbes, quarum Epiſcopi Abbiritenſes nuncupabantur. Nam cap. 215. laudatæ collationis ponitur *Annibonius*, *Abbiritenſis*; capite verò 133. *Felix Epiſcopus Abbirmajus*, quæ urbs ita appellabatur, ut ab Abbirminus, ubi ſedebat Annibonius, diſtingueretur; Afri enim ad duas ejuſdem nominis urbes diſtinguendas, utebantur illis vocabulis *majus*, & *minus*; ita apud eoſdem habemus *Leptiminus*, nempe, parvam Leptim, & in Notitia inter Byzacenos eſt *Fortunatianus Leptiminenſis*: ita Plinius ibidem recenſet opida *Ucitana duo, majus, & minus*, & cap. 133. collationis recitatur *Octavianus Epiſcopus plebis Ucimajus*. Itaque eidem collationi anno 411. interfuere Fructuoſus Abziritenſis, Felix Abbirmajus, Annibonius Abbirminus. In Synodali Proconſularium act. 2. Concilii Lateranenſis laudati appellantur *Adeodatus Abbiritanus*, & *Victorinus Abziritanus*, quorum Epiſcoporum urbes mirum non eſt Garnerium in unam confudiſſe, cum nec eaſdam Carolus à S. Paulo, nec Holſtenius exactè diſtinxerint. Sed alia rurſus Garnerii errata corrigenda ſunt; falſum enim eſt Candidum ſucceſſiſſe Fructuoſo; nam Candidus fuit Epiſcopus Abbiritenſis, non Abziritenſis: ita enim legitur in ſubſcriptione Synodi anno 419. Carthagine coactæ, *Candidus Epiſcopus Abbiritenſis Germanicianorum*, apud Labbeum tom. 2. Concil. pag. 1670. Et rectè; nam apud Auguſtinum lib. 6. de bapt. cap. 23. nominatur in Synodo Cypriani *Succeſſus ab Abbir Germaniciana*. Si Garnerius pro *Germaniæ* in melioribus codicibus *Germaniciæ* legiſſet, rectiùs textum correxiſſet. Verum pluſquam palmaris eſt ejuſdem ſcriptoris hallucinatio, ubi tradit Fructuoſum poſt annum 416. haud diu fuiſſe ſuperſtitem, quòd Candidus anno 419. in Fructuoſi cathedra ſedebat. Id ubi de Candido ſermo inferiùs incidet, oſtendam; nam ambos huic Synodo præſentes fingit.

Quodvultdeus Verensis. *Fuit unus ex decem legatis provinciæ proconſularis, qui cum aliarum provinciarum legatis ann. 419. nomine totius Africanæ Synodi canones recognoverunt.* Non ita eſt. Hic Quodvultdeus ante annum 411. erat Epiſcopus, nam nominatur ante Thomam Cubdenſem, qui interfuit collationi. At Quodvultdeus Verenſis poſt ann. 411. Epiſcopatum indeptus eſt; cum in ſubſcriptionibus ann. 419. poſt Pentha-

thadium Carpitanum locetur. Earum fragmentum, quòd plurimum ad rem facit, hic inſero.

Penthadius Epiſcopus Carpitanæ Eccleſiæ ſubſcripſi.
Ruffianus Epiſcopus Eccleſiæ Maſenſis ſubſcripſi
Prætextatus Epiſcopus Sicilibbenſis Eccleſiæ ſubſcripſi
Quodvult deus Epiſcopus Verenſis Eccleſiæ ſubſcripſi
Candidus Epiſcopus Abbiritenſis Germanicianorum Eccleſiæ ſubſcripſi.

Anno 411. ſedebat Carpis Antonius, cui Penthadius ſubrogatus fuit ex cap. 125. toties memoratæ collationis. Idem etiam Quodvultdeus in epigraphe ponitur ante Candorium Mullitenſem, qui collationi interfuit. Quare diverſus plane fuit a Quodvultdeo Verenſi.

Candorius Mullitensis. *Numeratur inter Epiſcopos, qui Carthagine fuerunt tempore collationis. Inter Proconſulares ejectos Notitia habet Liberatum Mullitanum.* Tandem Garnerius *non ſine cura, & labore* aliquid expiſcatus eſt.

Maximus & Megarius. *Ignotæ ſedes.* Sed & aliorum parum eidem notæ.

Rufinus Drusilianensis. *Quanquam ita legitur in collatione, legendum tamen puto Dinſianenſis, vel potius Dionſianenſis: ejuſce enim nominis Epiſcopus ponitur in Concilio Carthaginenſi rebaptizantium num. 48. An non illa ſedes, quæ in Notitia provinciæ proconſularis corruptè legitur Duaſſendelmai?* Non poſſunt ſine riſu hæc audiri. A carcere ad calcem pererrat. Lege, mi Antoni, epigraphen, videbis nominari non Rufinum, ſed RUSTICUM. Ita cum duo Ruſtici in epigraphe ſcribantur, Garnerius ex priori Ruſticianum facit, poſteriorem in Rufinum mutat. Cum non poſſit Ruſticum inter ducentos & octoginta ſex Epiſcopos, qui collationi nomen dederunt, reperire, ſatis urbano artificio pro Ruſtico Rufinum obtrudit. Porro Rufinus cap. 121. collationis vocatur *Epiſcopus plebis Druſilianenſis.* Verùm metamorphoſeos ſtudioſus, non modo Epiſcopum, ſed & Druſilianam ejuſdem ſedem in aliam convertens ait: *Legendum tamen puto Dinſianenſem.* Serióne, an jocoſè hæc ſcripſiſſe eumdem putas? Ubinam gentium, non dicam in Africa, ſed Orbe toto Epiſcopatus Dinſianenſis paruit? Verùm vide, quomodo eamdem Dinſianam ſuam illam urbem, quam uno ductu calami repente excitarat, altero ſtatim dejecit; *vel potius*, inquit, *Dionſianenſis.* Sed perperam Druſilianenſem Eccleſiam cum Dionyſiana confundit; illa enim ad Proconſulares pertinet, ut ex Tabulis Peutingerianis conſtat, hæc verò ad Byzacenos; nam inter ſedes Byzacii, quæ ſine Epiſcopis erant anno 484. ponitur in Notitia Africæ *Dionyſiana.* Eaſdem etiam diverſas urbes fuiſſe evidenter ex collatione deducitur, in qua cap 187. inter Epiſcopos Donatiſtas, qui collationi interfuere, ponitur *Reſtitutus Epiſcopus Druſilianenſis*, & cap. 198. *Victor Epiſcopus Dionyſianenſis.* Itaque Druſiliana, & Dionyſiana fuere diverſæ, & diverſarum provinciarum urbes, quibus diſtincti Epiſcopi Donatiſtæ præſidebant: illas verò novus Geographus in unam confundit, alteram ex Byzacio in Proconſularem ſine machinis transferens. At neque his mutationibus contentus, cum ex Druſiliana fecerit Dinſianam, dein Dionyſianam; tandem ex his omnibus tamquam dirutarum civitatum ruderibus novam urbem ædificat Duaſſendelmai; *An non*, inquiens, *illa ſedes, quæ in Notitia provinciæ Proconſularis corruptè legitur Duaſſendelmai?* Imò ipſemet, corruptè legit; nam in Notitia laudata non dicitur *Duaſſendelmai*, ſed *Duaſſedemſai*; nominatur enim ibidem *Mannucius Duaſſedemſai*, cujus ſedes cum ſtatuatur in Proconſulari, nequit eadem eſſe cum Dionyſiana, quæ in eadem Notitia locatur in Byzacio. Porrò Eccleſiam Duaſſedemſai puto eamdem eſſe, quæ cap. 202. collationis dicitur *Aſſenemſalenſis*, ubi inter Donatiſtas recenſetur *Fortunatianus Aſſenemſalenſis*, & in Synodo Bonifacii inter Proconſulares ponitur *Patronianus Senemſalenſis.* Synodicam Proconſularium act. 2. Synodi Lateranenſis ſubſcribit *Julianus gratia Dei Epiſcopus S. E. duarum Senepſalitinarum.* Habes ergo in quatuor verſibus tot errata recentioris hujuſce Geographi, quæ fortè idem addenda putavit Geographiæ reformatæ, quam quidam (noſti hominem) in lucem emiſit.

Rufianus Maxensis. *Dicitur in collatione Muzucenſis; unus fuit è decem delegatis è provincia proconſulari ann. 419. ad recognoſcendos canones &c.* Putabat ſe lippis ſcribere, ac tonſoribus, cùm tot fabularum portenta chartis inſeruit. Fallitur, dum ſcribit Rufianum dici in collatione Muzucenſem. Nec Rufianus dicitur, nec Muzucenſis, ſed cap. 127. nuncupatur *Rufinianus Muzuenſis.* Erat Muzua in Proconſulari, & inter ejectos ex hac provincia in exſilium ab Hunerico recitatur *Felix Muzuenſis.* In eadem collatione cap. 133. Epiſcopus *Muzucenſis* appellatur Reſtitutus. Denique in ſubſcriptionibus ſuperiùs adductis anno 419. Penthadius, qui poſt annum 411. electus fuit Carporum Epiſcopus, ſubſcribit ante Ruffianum Maxenſem. Nondum ergo hic anno 411. erat Epiſcopus, neque interfuit collationi, cum Penthadio, & Thomæ Cubdenſi in hac epigraphe præponatur.

Proculianus. *Vel ignotæ ſedis, vel, quod magis reor, legi debet Proculus Gineſitenſis Salariæ, cujus nomen ponitur in collatione. Nam in Notitia Epiſcoporum provinciæ Proconſularis legitur Cariſſimus Giſipenſis, ejectus in exſilium: Nullus verò dubito, quin idem Gineſitenſis, qui Giſipenſis.* Vereor, ne tot metamorphoſes nauſeam ac faſtidium tibi ingerant, Vir doctiſſime, ac memet non levi ſanè crimini obnoxium faciam, qui te à gravioribus ſtudiis, quibus diu noctuque curam intendis, ad hæc planè fabuloſa lectitanda interpellem. Scis Catonem poſt difficillima Senatus conſulta animum ad curſum, ludoſque cum pueris vertiſſe. Ego quidem varias ſubinde hominum, urbium, ac provinciarum non ſecus ac in ſcena fieri ſolet, mutationes exhibeo. Refice interim te, ac oculos, aureſque commoda, nam novæ rerum facies occurrunt. Hic Proculianus in Proculum vertitur, ac Giſipa in Gineſitam urbem tranſmigrat. Quòd hominis nomen varietur, dolo plerumque fit, vel conſilio, dum per adoptionem familiæ in alias tranſcribuntur. At urbes urbibus inſerere unus Garnerius tentavit. Verùm quàm infeliciter, ne imperitè dicam, collige ex cap. 133. collationis, in qua nominatur *Proculus Epiſcopus plebis Gineſitenſis Salariæ*: & ex cap. 135. ubi recenſetur *Januarianus Epiſcopus Eccleſiæ Giſipenſis.* Et tamen cum utriuſque urbis diſtinctio meridiana luce clarior appareat, confidenter exclamat Garnerius: *Nullus dubito quin idem Gineſitenſis, qui Giſipenſis.* Adde etiam Proculiani nomen familiare fuiſſe apud Afros; nam Epiſcopus, qui in Hipponenſi diœceſi contra Auguſtinum morabatur in parte Donati, Proculianus dicebatur, ad quem data eſt epiſtola inter Auguſtinianas 147. & nominatur etiam in epiſt. 168. Fateor tamen in codice Laurentiano *Proculum* ſcribi. Verùm adeſt in cap. 135. etiam *Proculus Serrenſis.*

Thomas. *Mirum ubique hujus nominis ſilentium, niſi quod Leo magnus ſcripſit ad Thomam Africanum Epiſcopum: ſed incredibile eſt huncce Thomam noſtrum tamdiu vixiſſe.* Si præſens collationi hæc dixiſſet, ſurdum illum affirmaſſem; nam cap. 133. alta voce nominatus eſt ab Officio *Thomas Epiſcopus plebis Cubdenſis*, qui etiam reſpondit: *E contra neminem habemus.* Hanc verò Eccleſiam ſpectaſſe ad Proconſulares poterat Garnerius diſcere ex Synodica act. 2. Concilii S. Martini Papæ, quam ſuſcripſit *Gentilis gratia Dei Epiſcopus S. E. Cubdenſis.* Portentum tibi fortè videbitur, hunc Scriptorem non vidiſſe Thomam ubi erat in collatione, reperiſſe verò hunc ipſum, ubi planè non erat, nempe in epiſtola S. Leonis magni. Semel tantùm Leo magnus literas, quæ exſtent, in Africam miſit; eſt epiſtola 87. ad Epiſcopos Mauritaniæ Cæſarienſis, in qua nullus Thomas appellatur. Interim non poſſum non dolere lupinam ac immanem prorſus Garnerii hallucinationem, qui non contentus urbes, & Africanos Epiſcopos confudiſſe, Leonem magnum pro Leone IX. obtrudit. Exſtat inter Leonis IX. epiſtolas tertia cum hac epigraphe: *ad Thomam Epiſcopum Africanum* quam tamen fingit à Leone magno ſcriptam. Damus ergo libentiſſimè *incredibile eſſe Thomam* nominatum in hac epigraphe, *tamdiu vixiſſe*; etenim uſque ad tempus literarum ab A-

poſtolica ſede *ad Toamam Epiſcopum Africanum* ſcriptarum, ſexcenti & triginta tres anni lapſi ſunt, primus Leonis IX. annus fuit noſtræ epochæ 1049. Si in lib. 2. Victoris de perſ. Vand. vidiſſet alium Thomam Epiſcopum Africanum?

JANVARIUS TIMIDENSIS. *In collatione legitur Tunudenſis, ſed legendum* (nota confidentiam) *omnino videtur Timidenſis: nam in provincia proconſulari nulla fuit Tunuda civitas, ſed Timida quæ regia aliquando dicitur* Eamdem cramben reponit. Audi interim quæ idem auctor in notis ad VINCENTIUM Culuſitanum ſcribit de urbibus proconſularibus: *ſiquidem vix illius provinciæ plures, quam ſexaginta octo Eccleſias novimus, nec illas noti ſitus, cum tamen fuerint centum ſexaginta quatuor, ſi qua fides Victori Uticenſi.* Cur ergo Tunuda non fuit una ex illis centum ferè, quæ ignorantur? Potuit tamen pertinere ad aliam Africanam provinciam; nam Tunuda incertæ provinciæ ab Eccleſiaſticis geographis deputatur. In Tabulis Peutingerianis in Proconſulari legitur *Ubbica XX. Thunu VII. Maxula XXI.* Fortè a Thunu dicta eſt Eccleſia Thunudenſis. In Tabulis Ptolomaicis ponitur *Tunuba*; ubi unius tantùm literæ variatio à textu collationis apparet. Et Plinius lib. 4. cap. 5. laudat in Proconſulari oppidum *Tunudiſenſe.* Ex his poterat Garnerius memoratam Eccleſiam faciliùs, & probabiliùs oſtendere, quàm illam in Timidenſem ſine teſte convertere. Cùm inter Donatiſtas nullus Timidenſis nominetur, non obſcurè deducitur, eamdem Eccleſiam fuiſſe Catholicam (rari erant Epiſcopi Donatiſtæ in Proconſulari teſte Petiliano capit. 165. collationis) ejuſque Epiſcopum ad Synodum non veniſſe; niſi fuerit ex LXIV. Eccleſiis Catholicorum, quæ tempore collationis Epiſcopis carebant, nondum in demortuorum locum novis ſubrogatis, ex eadem collatione cap. 215.

OCTAVIANUS RESSIANENSIS. *Ita legitur in collatione.* Hoc breviſſimo ſcholio rem ſe ad oculum monſtraſſe exiſtimat. Errat autem, dum Reſſianenſem Epiſcopum Proconſularibus adnumerat, qui inter Numidas locandus eſt, nam in Notitia Africæ inter Numidas habetur *Vigilius Reſſanenſis.* Hoc etiam ex ipſa collatione colligitur; nam cap. 121. hæc ſcribuntur: *Aſpidius Epiſcopus plebis Tacaratenſis. Idem dixit: Præſto ſum. Veriſſimus Epiſcopus Donatiſta dixit: agnoſco illum: quatuor ſunt in plebe mea, Datianus, Aſpidius, Fortunatus, & Octavianus.* Erat Tacarata in Numidia, unde ibidem in Notitia recitatur *Creſcentius Tacaratenſis.* Datianus erat Epiſcopus Legenſis ex cap. 121. Octavianus Reſſanenſis; Tres illæ dioeceſes intra Numidiam erant conterminæ. Octavianus ergo Reſſanenſis pertinet ad Numidiam. Garnerius tamen non vidit in eadem collatione alterum Octavianum Epiſcopum Proconſularem; is fuit *Octavianus Epiſcopus plebis Ucimajus,* uti ſcribitur cap. 133. Plinius ſuperius memoratus, recenſuit oppida *Ucitana duo, majus, & minus,* & in Synodica Proconſularium act. 2. Concilii Lateranenſis laudatur *Tripolius G. D. Epiſcopus S. E. Ucitanæ.* Quare hic fortè fuit Octavianus Epiſcopus Ucimajus.

PRÆTEXTATUS SICILIBENSIS. *Unus fuit è decem legatis provinciæ Proconſularis, qui cum aliis aliarum provinciarum recognovit canones ann.* 419. *nomine totius Africanæ Synodi.* Neque ſedem bujus Epiſcopi rectè divinatur; nam Prætextatus Præſul Sicilibræ, ſeu Sicilibbæ, erat dignitatis tempore poſterior Penthadio Carpitano; ſiquidem in ſubſcriptionibus Synodi à Garnerio laudatæ, Penthadio poſtponitur, ut ex tribus ſubſcriptionibus apud Labbeum tom. 2. Concil. pag. 1168. 1669. 1670. apparet, quarum unum exemplum ſuperiùs poſuimus; at hic Prætextatus Penthadio præponitur, cum tertius in epigraphe ab eodem recitetur. Hic Holſtenii ſententia rejicienda mihi eſt, qui pag. 36. ſcribit Cilibienſem eamdem cum Sicilibbenſi urbem fuiſſe; nam eidem collationi ex Donatiſtis interfuere *Quadratianus Epiſcopus Sicilibbenſis* cap. 198. & *Tertullus Epiſcopus Cilibienſis* cap. 206. In Synodo Bonifacii A. 525. nominatur *Reſtitutus Cilibienſis* inter Proconſulares. Utraque Eccleſia deeſt in Notitia Africæ. Carolus à S. Paulo pag. 114. Cilibienſem Epiſcopatum incertæ provinciæ adſcripſit, qui tamen ad provinciam Carthaginenſem ſpectavit.

SEXTUS, *ignotæ ſedis.* In codice Laurentianæ Bibliothecæ *Sixtus* legitur; ſed nuſquam memoratur, in vetuſtis Africæ monumentis.

QUODVULTDEUS GIVIRTENSIS. *Legi forte ita debet: fit enim mentio Epiſcopi ejuſdem nominis, & ſedis in collatione, nec tamen in aliis à proconſulari provinciis reperitur ſedes Givirtenſis.* Sanè Garnerius non legit ſubſcriptiones Synodi Bonifacii Carthaginenſis apud Labbeum tom. 4. Concil. pag. 1640. illam enim Synodum ſubſcribit *Vincentius Epiſcopus plebis Gervitanæ legatus provinciæ Tripolitinæ.* Itaque ſedes Givirtenſis erat extra terminos Proconſularis, imò ultra Byzacium, & ad Tripolitanos pertinebat.

PENTHADIUS CARPITANUS. *Fuit unus è decem electis ex provincia proconſulari ad recognoſcendos canones ann.* 419. Vides hunc ſcriptorem fingere duos Carpitanos Epiſcopos unà ſimul ſediſſe, & anno 416. eidem Synodicæ nomina dediſſe? Etenim ſuperius Antonium, qui ſextus in hac epigraphe nominatur, appellarat Epiſcopum Carpitanum, cui modò Penthadium concathedraneum facit.

QUODVULTDEUS. *Ignotæ ſedis.* Hunc rectiùs Verenſem dixiſſet, quippe qui in Synodo ann. 419. poſt Penthadium ſubſcriptus legitur.

CYPRIANUS TUBURBITANUS. *Ita legitur in collatione; Eſt autem Tuburbus ſive Tuburbo civitas in provincia proconſulari, fuitque olim colonia Plinio, & Ptolemæo nota. Meminit ejuſdem Antoninus in itinere Hippone Regio Carthaginem, eamque ponit inter Cluacariam, & Cigiſam.* Duas urbes Tuburbitanas in unam confundit. Nam cap. 133. collat. nominatur *Victor Epiſcopus Tuburbitanorum minorum*; & cap. 135. *Cyprianus Epiſcopus plebis Tuburbitanorum majorum.* Victor lib. ult. de perſecut. Vand. meminit *Tuburbitanæ civitatis majoris*, & Antoninus in deſcriptione memorati itineris ait; *Cluacaria* XV. *Tuburbominus* XXVIII. *Cigiſam.* Perperam ergo teſtimonium Antonini adducitur, quia Cyprianus ſedebat apud Tuburbomajus, cujus nulla apud Antoninum mentio eſt. Verum utrumque Tuburbiſitum deſcribunt Tabulæ Peutingerianæ, ubi Sicilliba media viſitur obliquè utrumque Tuburbum reſpiciens, diſtans Tuburbomajus M. P. XXVIII. Errat inſuper, dum Cyprianum Penthadio Carpitano poſteriorem ponit, qui tamen anno 411. erat Epiſcopus, & Penthadius, quemadmodum dictum eſt, nondum eo anno Carpis ſedebat.

SERVILIUS. *Ignotæ ſedis, quemadmodum* PELAGIUS, MARCELLUS, VENANTIUS, DIDYMUS, SATURNINUS, THIAZACENUS, GERMANUS, GERMANIANUS, JUVENTIUS, MAJORINUS, JUVENTIUS. Hic collatio Carthaginenſis hominem deſtituit, nec aliunde ſuppetias petere potuit; ſed quàm infeliciter eadem collatione uſus ſit, nemo non videat.

CANDIDUS ABIRITANUS. *Fuit unus è legatis provinciæ proconſularis &c.* Riſum, Amice, teneas. Superius in FRUCTUOSO, quem Abbiritanum Epiſcopum fuiſſe aſſeruit, hæc planè dixerat: *Hunc verò Fructuoſum oportet non diu fuiſſe ſuperſtitem, uam anno 419. Candidus Abbiritanus recenſetur inter legatos provinciæ proconſularis.* Si Fructuoſus, & Candidus ambo ejuſdem urbis Abbiritenſis Epiſcopi una eademque die anni 416. ſimul adfuere Carthagine in Synodo, cur unà ſimul in altera quoque Carthaginenſi Synodo anno 419. eſſe nequivere? Tam citò ſui oblitus, Candidum collegam in Epiſcopatu Fructuoſi facit, quem paulo antea deceſſorem pronunciaverat. Putaſne Garnerium ullam his reſponſionem adornare poſſe, niſi ad Kalendas Græcas? Ceterùm id etiam peccat, quod utrumque ejuſdem urbis Epiſcopum facit, cum Fructuoſus Abziritanum thronum ſederit, Candidus fuerit Epiſcopus Abbiritenſis Germanicianorum, ac Felici, qui collationi interfuit, ſucceſſerit, quemadmodum ubi de Fructuoſo ſuperiùs ſermo incidit, palam oſtendi.

CY-

Cypriανus, & Æmilianus. *Ignotæ Sedis.* Nec ego ſcio, nec inquiro.

Romanus Megalopolitanus. *Recenſetur in collatione. Fit mentio, in Notitia Epiſcoporum provinciæ proconſularis Coronii Megalopolitani in exſilium acti; quâ verò in parte provinciæ proconſularis ſita fuerit Megalopolis, ignotum mihi eſt.* Imo & Afris illius ætatis hominibus id pariter ignotum fuit; nulla enim nunquam exſtitit in Africa Megalopolis, cujus nominis urbs celebris fuit in Peloponneſo, Polybii hiſtorici patria. Erat quidem in Africa Meglapolis. Unde in collatione cap. 133. laudatur *Romanus Epiſcopus plebis Meglopolitanæ*, & in Notitia citata à Garnerio, ſed non benè lecta, vel certè corrupta, nominatur *Coronius Meglopolitanus*; denique in Synodica act. 2. Synodi S. Martini Papæ recenſetur *Reparatus Epiſcopus S. E. Meglapolitanæ.* Hos Epiſcopos unius literæ detractione Garnerius ex Africa in Europam rapit. Ceterùm Amanuenſis, vel Typographus erroris auctor judicetur; proprium Garnerii erratum eſt, quod Romanum ante annum 411. Epiſcopum, quippe qui collationi interfuit, ſediſſe in Synodo putat poſt Penthadium Carpitanum, & Candidum ab Abbir Germaniciana, qui poſt annum 411. ad ſacras ſedes evecti ſunt.

Africanus & Marcellinus. *Incertæ ſedis.* Marcus Epiſcopus Donatiſta cap. 187. collationis interrogatus à noſtro Alypio Thagaſtenſi: *Unde es? Quæ eſt civitas tua?* reſpondit: *Secuta Prura Amidicca. Melimelimenia Naſuta Prura.* Poterat Garnerius pro ea, quam in deſignandis pro arbitrio Epiſcoporum ſedibus auctoritatem uſurpat, Africanum Secutæ Pruræ Amidiccæ, Marcellinum verò Melimelimeniæ Naſutæ Pruræ Epiſcopos deputare.

Hactenus de notis Garnerii ad epigraphen Patrum Proconſularium. Accedo ad ejuſdem notas in titulum alterius Synodicæ à Numidiæ Epiſcopis anno eodem 416. itidem contra Pelagianos ad Innocentium Pontificem miſſæ.

EJUSDEM in Epiſt. CLXXVI.

ANIMADVERSIONES.

Domino beatiſſimo meritoque venerabili, & in Chriſto honorando Papæ Innocentio Silvanus, Valentinus, Aurelius, Donatus, Reſtitutus, Lucianus, Alypius, Auguſtinus, Placentius, Severus, Fortunatus, Poſſidius, Novatus, Secundus, Maurentius, Leo, Fauſtinianus, Creſconius, Malcus, Litorius, Fortunatus, Donatus, Ponticanus, Saturninus, Chriſtomus, Honorius, Lucius, Adeodatus, Proceſſus, Creſconius, Secundus, Felix, Aſiaticus, Ruffinianus, Fauſtinus, Servus, Terentius, Creſconius, Sperantius, Quadratus, Lucillus, Sabinus, Fauſtinus, Creſconius, Victor, Gigantius, Poſidonius, Antonius, Innocentius, Præſidius, Creſcentius, Felix, Antonius, Victor, Honoratus, Donatus, Petrus, Præſidius, Creſconius, Lampadius, Delphinus ex Concilio Milevitano, in Domino Salutem.

Peſſimis iiſdem auſpiciis, horum quoque Epiſcoporum ſedes Garnerius deſcribit; cujus quidem notis refellendis temporis jacturam facere forte videbor: ſed hoc ipſum in lucri loco reponendum cenſeo, quòd cùm tibi hoc in opere morem gero, obſequium erga te meum extendo; neque enim periculum eſt, ne ſit nimium, quod eſſe maximum debet. Collige interim te, & ex Proconſulari provincia in Numidiam à Garnerio vocatus gradum moveas, ut qualia de Carthaginenſis Concilii Patribus, eadem de Milevitani conſeſſus Epiſcopis commenta audias.

Silvanus Summensis *vel* Zumensis. *Utroque modo in collatione ſcribitur nomen ſedis, quæ prima tunc erat in provincia Numidiæ &c. Ubi vero ſita fuerit Summa, vel Zuma, incertum eſt; niſi fortè dicatur eſſe Zama, quam Plinius, & Ptolemæus in Africa, ſeu potius Numidia reponunt.* Niſi hoſpes in Africana hiſtoria Zamam cum Zumma confundet. Etenim anno 411. Kal. Junii collationi Carthaginenſi adfuere *Dialogus Epiſcopus Zamenſis*, contra quem Montanus unus è ſeptem Donatiſtis collatoribus ſtabat ex cap. 121. & *Silvanus Epiſcopus Zummenſis* cap. 99. cui adverſabatur eadem in diœceſi Felix Donatiſta, qui cap. 114. 201. & 202. dicitur *Zummenſis.* Hic ſcriptor in notis ad epigraphen Proconſularium dixerat. MAJORINUS *Zemptenſis. Ita legitur in collatione; meliùs Zamenſis, nam in Proconſulari provincia fuit Zama civitas, ſi Plinio, Ptolemæo, ac Straboni credimus.* Eamdem inconſtantiam, quâ paſſim laborat, in horum Epiſcoporum ſedibus deſignandis, viris doctiſſimis affricat, qui in recenſendis illarum provinciarum urbibus, exactam utriuſque provinciæ diviſionem, qualis ab Eccleſiaſticis ſervata eſt, non afferunt, ſed fluminum ſectione illas dividunt, ut ad oculum patet. Ex collatione habemus Dialogum Epiſcopum Zamenſem, cui Garnerius Majorinum, & Silvanum etiam collegas ſuperimponit, ut Epiſcoporum eadem in Urbe triumviratum conſtituat. Zama Jugurthæ, dein Jubæ in Numidia regia, rebus apud eamdem à Metello, & Cæſare geſtis celebratur à Salluſtio, & A. Hirtio; Zumma verò fuit exiguum in eadem provincia oppidum ex ſola collatione Carthaginenſi ſcriptoribus Eccleſiaſticis notum.

Valentinus Vajenensis. *Ita legitur in collatione. Incerta ſedes eſt; fuit tamen propè Vegeſelam, nam in collatione pro Vegeſelitano Epiſcopo ſubſcripſiſſe dicitur.* In cap. 135. collationis hæc leguntur: *Valentinus Epiſcopus Vajenſis pro conſacerdote meo Regino Eccleſiæ Vegeſelitenſis, qui hic Carthagine infirmitatis cauſa detinetur &c. ſubſcripſi.* Ejuſdem adverſarius Donatiſta cap. 186. dicitur *Quintaſius Vajenſis.* Vegeſela erat in confiniis Numidiæ verſus Byzacium; nam ex Antonino diſtabat Sufetula urbe Byzacii M. P. XXX. in itinere Thenis Theveſtem. Vaja, ſeu Baja non ſemel in Eccleſiaſticis Africæ monumentis nominatur. *Felix Bajanenſis* fuit in Concilio Grati Carthaginenſis, *Bejanus Bejanenſis* fuit unus è duodecim ordinatoribus Maximiani damnatus Bagaiæ à Donatiſtis ex Auguſtino lib. 3. con. Creſc. cap. 53. Perperam verò ex ſubſcriptione Valentini deducitur, iſtum ſediſſe propè Vegeſelam. In collatione cap. 208. & 209. plures Epiſcopi Donatiſtæ ſubſcripſere pro collegis, qui *in itinere infirmitatis cauſa detenti* dicuntur, quorum tamen diœceſes non erant conterminæ. Et cum Reginus Carthagine ægrotaret, inviſentem ſe Valentinum rogare potuit, ut mandatum ſuo nomine ſubſignaret. In Epheſina Synodo pro Rufo Theſſalonicenſi ſubſcripſit Flavianus Philippenſis, quorum ſedes non erant vicinæ; hic enim in Macedonia ſecunda, ille in prima ſacrorum præfectos agebant.

Aurelius Macomadiensis. *Bis Antoninus meminit civitatem Macomadum in Itinerario: ſemel dum deſcribit viam, quæ ducit Cirtam Carthagine; iterum in itinere Aſſuris Thenas. Illic non procul a Cirta, iſthic propè Thenas ponitur; quare neceſſe eſt falli lexicographos, qui legi debere putant Macomadem; eamque collocant propè Sirtim minorem.* Poſtea. *Gemina enim fuit Macomadia apud Numidas; una cujus Eccleſiam regeret Aurelius, haberetque adverſarium Salluſtium Donatiſtam; altera Reſticiana, cui pro parte Donati Proficentius præeſſet.* Imò tres Macomades recenſet Antoninus. Priorem in Numidia ponit diſtantem Cirta M. P. LIII. alteram in Byzacio propè Thenas, quæ urbs erat in Byzacio, in cujus Notitia nominatur *Paſcaſius Thenitanus*; & rurſus in eodem itinere a Magna

Lepti, quæ erat metropolis Tripolitanæ provinciæ, Alexandriam ait: *Macomades Syrtis.* Antonino conſentiunt Tabulæ Peutingerianæ, quæ propè Thenas in Byzacio reponunt *Macomades minores.* Quarta Macomadia apud Numidas lexicographi, quos velicat, à Garnerio diſcent. Quare Proficentius Donatiſta ſedebat apud Macomades Byzacenos; hæc enim urbs dicitur ab Antonino *municipium.* Limes Macomadienſis in Notitia imperii Occideotalis ponitur ſub cuſtodia Ducis Tripolitani.

Donatus Amporensis. *Dicitur quidem in collatione Auburenſis, ſed in Notitia fit mentio Creſconii Amporenſis ejecti in exſilium cum aliis.* In collatione cap. 121. non Auburenſis dicitur, ſed *Anburenſis*, cujus adverſarius Servatus cap. 198. appellatur *Epiſcopus Amphorenſis.* Potuit Donatus ſedere Anburæ in diœceſi Amphorenſi, ſeu Amporenſi, quemadmodum Delphinus ex cap. 65. ejuſdem collationis, morabatur in diœceſi Conſtantinienſi, & quatuor Catholici erant in diœceſi Adeodati Milevitani Donatiſtæ, ut ibidem Petilianus conqueſtus eſt.

Restitutus Novasinus. *Ita in collatione. In Notitia Epiſcoporum Numidiæ recenſetur inter expulſos Candidus Novaſinenſis. Interfuit concilio tum Carthaginenſi ante collationem anno 411. tum Milevitano anno 416. tam Africano univerſali ann. 418. in quo tertius fuit legatorum provinciæ Numidiæ.* Hæc partim rectè dicerentur, ſi unus è Numidia Reſtitutus Novaſinenſis appellaretur; ſed occurrit in eadem collatione cap. 143. *Reſtitutus Epiſcopus Tagorenſis*, quam Eccleſiam ad Numidiam ſpectare concedit Garnerius, quia in Notitia illius provinciæ ponitur *Timotheus Tagurenſis.* Rurſus in Synodo anni 418. dicuntur electi legati de provincia Numidiæ *Alipius, Auguſtinus, & Reſtitutus.* Quare cùm hic Reſtitutus ſederit in Synodo anni 416. ante Alipium, & Auguſtinum, perperam dicitur ille idem, qui anno 418. nominatur Numidarum legatus, quia hic poſt Alipium, & Auguſtinum ibidem, tamquam in Epiſcopatu poſterior memoratur.

Lucianus Guirensis. *Recenſetur inter Epiſcopos, qui Carthagiae Synodum habuerunt ante collationem &c. An verò & hic, & illic corruptè legatur Eccleſiæ nomen, reponique debeat pro Guirenſi, vel Girenſi, Girbenſis, cujus Epiſcopus decimo loco ſententiam dixit in concilio rebaptizantium, dubitaverit forte aliquis, nec meo judicio valdè timerè.* Non ibo inficias, judicio Geographi urbes ſubinde miſcentis, non fore ita ſentientem valdè temerarium. Sed eruditi riderent hominem Girbam in Numidia locantem. Qui ponitur *Monnulus à Garba* in Synodo rebaptizantium, ſpectat ad Tripolitanos; nam in Notitia hujus provinciæ laudatur *Fauſtinus Girbitanus.* In Numidia nulla Girba nominatur, ſed tantùm Garbe; unde in Synodo Secundi Tiſigitani apud Cirtam adfuit *Victor a Garbe* ex Optato Milevitano lib. 1. & Aug. lib. 3. con. Creſconium cap. 27.

Alipius Thagastensis. *Nobilior ille eſt cum ſcriptis Auguſtini, Hieronymi, ac Paulini, & aliorum, tum maxime rebus geſtis, faſtiſque Eccleſiæ, quibus adſcriptus eſt inter Divos die 15. Auguſti &c.* Omnia egregiè. Sed Alipius ſupra omne Garnerii præconium eſt.

Augustinus Hipponensis. *Nulla hic nota opus eſt.* Utinam quemadmodum nullas hic ſcriptor de Auguſtino notas ſupponit, ita nec alli Auguſtino notas inuſſiſſent; neque enim nobis vindiciarum ſcribendarum neceſſitas impoſita fuiſſet: unde eorum, qui ſe ac ſua tantùm probant, querela non uno loco erupit.

Placentius Madaurensis. *Legitur quidem in collatione Placentinus, imò & in codice Latino Eccleſiæ Africanæ, verùm in Græco habetur Placentius, quæ vox communior apud Afros. Interfuit Concilio Africano anno 418. perſonamque geſſit legati Numidiæ, ac in cauſa Maurentii Tuburſicenſis contra ſeniores novæ Germaniæ interlocutus eſt.* Correctionem admitto. Interim annum Synodi, cui interfuit Placentius contra ſeniores novæ Germanicæ (ita legitur cap. 67. cod. Africani) ipſe etiam corrigat; dicendus enim eſt annus 407. nam in Synodo indicta Baſſo, & Philippo Conſſ. anno 408. nullum Placentii nomen ſonat.

Severus Milevitanus. *Severi Eccleſiam ſilet collatio prout edita eſt, quamvis de Severo loquitur ſerius Carthaginem appulſo cum novemdecim aliis Catholicis, quorum Catholicæ Eccleſiæ appellantur &c.* Nulla nota his notis inferri poteſt. Loquitur ex cap. 215. collationis. Sedit Severus Milevi ante annum 397. Mileum dicitur ab Antonino, & fuit colonia ex Tabulis Peutingerianis.

Fortunatus Constantiniensis. *Fuit unus è ſeptem Catholicis, qui collationem contra Donatiſtas ſuſceperunt: ſitne Conſtantinienſis Eccleſia eadem quæ Cirtenſis, diſputant eruditi.* Ex adductis argumentis quibus eadem urbs utroque modo nominata apparet, ait: *Cogit me licèt reluctantem, tanta vis argumentorum aſſentiri Gravio, Pameliοque, quem ducem ſecutus eſt. Quamquam prima ratio, qua utitur, omnino infirma eſt; ſiquidem Fortunatus ille Cirtenſis, quem memorat Auguſtinus lib. de unico baptiſmo cap. 16. diverſus eſt procul dubio à Fortunato, quem lib. 3. contra Petilianum cap. 1. & lib. 3. cap. 38. Conſtantinenſem vocat: ille enim Poſſidium dignitate Epiſcopali præceſſit, iſte ſecutus eſt. Cirtenſis ſiquidem pauciſſimis annis, antequam Auguſtinus librum de unico baptiſmo ſcriberet, (ſcribebat verò anno 407.) ſucceſſit Profuturo, cùm tamen Poſſidius ante annum 394. Epiſcopus eſſet; at Conſtantinenſis præcedebat Poſſidium, ut ex multis ſubſcriptionibus conſtat.* Scribit Aurelius Victor in libro de Cæſaribus victo anno 306. à Conſtantino propè Milvium pontem Maxentio, à Senatu Romano *Cirtæ oppido, quod obſidione Alexandri ceciderat, repoſito, exornatoque nomen Conſtantina inditum.* Hinc Conſtans, & Conſtantius Conſtantini filii dederunt reſcriptum *Ordini civitatis Conſtantinæ Cirtenſium L. 29. de decurionibus Cod. Theod.* Auguſtinus lib. 1. con. Petil. cap. 11. ait: *In eadem Conſtantinenſe civitate Sylvanum Epiſcopum majores veſtri in ipſo exordio ſui ſchiſmatis ordinaverunt.* In libro verò tertio contra Creſconium cap. 27. *Sylvanum Cirtenſem* nuncupat. Et lib. 3. con. Petilianum Epiſcopum Conſtantinenſem Donatiſtam ait: *Ego commemoravi Sylvanum Cirtenſem, cui quibuſdam interpoſitis etiam ipſe ſucceſſit.* Ubi Petilianum Sylvani *concathedraneum* appellat. Legatur epiſt. 165. itemque geſta ſub Conſulari Numidiæ Zenophilo. Hinc idem S. Doctor Petilianum, & Fortunatum modò Cirtenſes, modò Conſtantinenſes Epiſcopos dicit, ut pluribus oſtendi lib. 2. hiſt. Pelag. cap. 8. Hæc ſunt evidentia: at Garnerius teſtatur *ſe reluctantem* in hanc ſententiam deſcendere; malebat enim Conſtantinam à Cirta diſtinguere, ut qui toties duas in unam urbem confudit, hic unam in duas diſſecaret. Verùm quod de urbibus malebat, hoc de Epiſcopis fecit, dum Fortunatum Cirtenſem à Fortunato Conſtantinenſi diverſum pronunciavit. Scribit hæc Auguſtinus libro laudato de unico baptiſmo cap. 16. *Proinde ſi Profuturus ante pauciſſimos annos defunctus, & Fortunatus qui in corpore adhuc eſt, atque illi ſucceſſit Epiſcopo &c.* Itaque A. 407. cum hæc ſcriberet Auguſtinus, vivebat Fortunatus Profuturi in Cirtenſi ſede ſucceſſor. Porrò eodem vivebat etiam Fortunatus Conſtantinenſis; nam lib. 1. con. Petil. cap. 1. ait: *Cum eſſem in Eccleſia Conſtantinenſi, Abſentio præſente, & collega meo Fortunatio ejus Epiſcopo.* At lib. 2. cap. 51. laudans Romanam Eccleſiam ait: *in qua hodie Anaſtaſius ſedet.* Ubi vides libros contra Petilianum ſcriptos fuiſſe à S. Doctore, ſuperſtite S. Anaſtaſio Papa, qui cùm diem obierit anno 402. conſequens fit, ut Fortunatus Conſtantinenſis ante annum 402. fuerit Epiſcopus Conſtantinæ, qui cum in collatione anno 411. & in Synodo Milevitana anno 419. præſens fuerit, anno 407. juxta Garnerii chronologiam ſedebat Conſtantinæ unà cum Fortunato alio Cirtenſi Profuturi ſucceſſore. Ita duos Fortunatos ex uno faciens, fabulam de duobus Menæchmis bellè iterum ludit.

Possidius Calamensis. *Fuit & ipſe collatorum unus, imò individuus fere quemadmodum & Ali-*

Alipius Auguſtini in rebus Eccleſiæ agendis ſocius &c. Omnia bene ſe habent; ſed quod proximè in notis ad Fortunatum dicit *Poſſidium ante annum* 494. *Epiſcopum fuiſſe*, anachroniſmo ſcatet. Ipſe Poſſidius Calamenſis in lib. de vita Auguſtini cap. 8. ſcribit S. Doctorem Hippone conſecratum *à primate Numidiæ Megalio Calamenſi Epiſcopo.* At Auguſtinus ex Chronico D. Proſperi viri & coætanei, & amiciſſimi, inauguratus eſt Antiſtes Olybrio, & Probino Conſſ. anno 395. Quare nondum illo anno Megalius obierat. Ceterum Fortunatum Conſtantinenſem, & Poſſidium Calamenſem ordinatos fuiſſe anno 397. evidenter oſtendi lib. 2. hiſtoriæ Pelagianæ cap. 8.

Novatus Sinitensis. *Ita legitur in collatione. Sinitenſis autem Eccleſiæ meminit Auguſtinus epiſt.* 128. *quæ eſt ad Donatum; meminit pariter Notitia Epiſcoporum Numidiæ, in qua ſcribitur, Stephanus Sinitenſis in exſilium pulſus. Quæ porro fuerit, & ubi poſita civitas illa incertum eſt; niſi quod ex Auguſtino colligi poteſt non procul ab urbe Hipponenſi abfuiſſe. An non idcirco putari poteſt eſſe Simiſtu colonia, cujus mentio fit apud Antoninum in itinere ab Hippone Carthaginem, diciturque Hippone diſtare III. M. LXXX. M. M.* Omnia planè ſuſdeque pervertit, urbes ex una in aliam provinciam portans, textus collationis, & Antonini peſſimè corrumpens. In cap. 143. collationis legitur; *Novatus Epiſcopus Eccleſiæ Sitifenſis*; & cap. 204. *Novatus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Sitifi.* Erat Sitifis celebris Mauritaniæ urbs, & ut ait Procopius lib. 2. de bello Vandalico, *caput regionis Zabis ultra Auraſium montem ſitæ*, à qua Mauritania Sitifenſis quinta Eccleſiaſtica in Africa provincia denominabatur. In codice Africano cap. 127. laudatur *Novatus Sitifenſis legatus Mauritaniæ Sitifenſis.* Garnerius ut Novatum inter Numidas recenſeat, ex Sitifenſi fecit Sinitenſem. Erat Sitifis proxima Numidiæ, diſtans Guiculo urbe Numidica ex Antonino millia paſſuum viginti quinque, Ampſaga fluvio inter utramque poſito. Nuſquam Antoninus meminit *Siniſtu* in itinere Hippone Regio Carthaginem: ſcribit enim: *Onellaba M. P. L. Ad Aquas M. P. XXV. Simittu M. P. V. Bullam Regiam VII.* At ille ex Simittu reddit Siniſtu. Porrò Simittu erat in Proconſulari provincia; nam in Synodica act. 2. 1. Concilii S. Martini legitur *Benenatus Simitenſis* inter Patres Proconſulares, & in Synodo anni 419. *Adeodatus Simittuenſis*, & cap. 125. collationis nominatur *Benenatus Simitenſis*, qui dixit; *Nec habeo alium, nec hæreticos* Verùm cap. 202. *Creſconius Epiſcopus Sinitenſis* cum Donatiſtis nominatur; ubi verò hæc urbs fuerit dicam ſuo inferius loco ad notas in LUCILLUM.

Secunous Ruspitensis. *Ita legitur in collatione. Pertinuiſſe verò Secundum cum ſua Eccleſia ad provinciam Numidiæ conſtat ex can.* 100. *Cod. Africanæ Eccleſiæ; ubi dicitur electus à Maurentio pro uno judicum ſua in cauſa, apud primatem Numidiæ Xantippum. Nam alii omnes Epiſcopi Numidæ ſunt, & judicium illud provinciale fuit.* Tot ſunt in paucis verbis errata, ut unde cenſuram exordiar, ignorem. Hærebo ejuſdem veſtigiis, ut ſubinde labentem, in pedes erigam. Erat Ruſpa Byzacii urbs, quam S. Fulgentius & vitæ ſanctitate, & ſcriptorum excellentiâ illuſtravit. Laudator in Notitia Byzacena *Stephanus Ruſpenſis*, & in Synodali ejuſdem provinciæ act. 2. Concilii S. Martini *Julianus Ruſpenſis.* In Tabulis Peutingerianis in Byzacio ponuntur *Ruſpe & Ruſpina.* In Tabulis Ptolemaicis legimus hæc in Byzacio oppida: *Adrumetum, Ruſpina, Leptis parva, Tapſus, Achola, Ruſpe, Bracordes promontorium &c.* Plinius *Ruſpinam* liberum opidum dicit lib. 5. cap. 4. Itaque Secundus Ruſpitenſis, qui in collatione nominatur, ſive Ruſpæ, ſeu Ruſpinæ ſedit, perperam ad Numidiam transfertur. Secundus qui canone 100. cod. Afric. memoratur, erat Epiſcopus Megarmelitenſis, ut poſtea oſtendam. Denique quod ait Antiſtites electos in cauſa Maurentii Tuburſicenſis *omnes Numidas fuiſſe*, falſum eſt. Nam hi planè fuere *Xantippus* Tagoſenſis Primas, *Auguſtinus* Hipponenſis, *Florentius* Hippoxarrhytenſis, *Theaſius* Membloſitanus, *Samſucius* Turrenſis ex epiſtola Auguſtini 168. *Secundus* Megarmelitenſis ex collat. cap. 125. & *Poſſidius* Calamenſis. At certum eſt Membloſitam, & Hipponem Diarrhytum fuiſſe in Proconſulari. De Theaſio hoc ipſum dixit Garnerius in notis ad ſuperiorem epigraphen, licèt neſcierit diſtinguere Membreſſam à Membloſita. In Synodali apud Concilium S. Martini, inter Proconſulares ſubſcribit *Donatus Ipponiz.arrtenſis.* Sed hæc clare patent, neque diutiùs in illis te volo.

Maurentius Tubursicensis. *Ita legitur in collatione &c.* Rem acu tetigit: hinc illi etiam atque etiam gratulor. Tollit ſe humo: ſed heu ſtatim corruit.

Leo Municipii Moptensis. *Ita legitur in collatione. Eſt autem ſermo Municipii in Notitia Epiſcoporum Numidiæ, ubi ſcribitur* Victor Municipienſis *cum aliis actus in exſilium. Cavendum porrò ne quis propter cognationem nominum Leonem hunc confundat cum alio; qui Moctenſem Eccleſiam rexit, adfuitque concilio plenario ann.* 419. *illa enim Eccleſia, quæ Moptenſis dicitur, ad Numidiam provinciam, iſta quæ Moctenſis ad Mauritaniam Sitifenſem pertinebat.* Moptam ex Sitifenſi diœceſi in Numidiam rapit, ubi apud unum Garnerium *Mopta* collocatur. In Tabulis Peutingerianis in Mauritania Sitifenſi ſcribitur: *Mopti municipium.* At ille municipium pro Municipio oppido, quod erat in Numidia, obtrudit, cum Mopta diceretur municipium, quòd non erat colonia, ſeu urbs Latio donata, ſed vivebat lege municipali; & in laudatis Tabulis oppida, quæ municipia, vel coloniæ fuerint, optime demonſtrantur. Quòd verò Leo in Synodo ann. 419. dicitur Moctenſis, mendoſè ſcribitur; nam ex vetuſtis codicibus Vaticani Labbeus tom. 2. Concil pag. 1670. repoſuit *Moptenſis.*

Faustinianus Tamuoadensis. *Ita in collatione. Eſt autem propè Theveſtam coloniam in Numidia Tamugade civitas nota Auguſtino, Antonino, Plinio, Ptolemæo, & aliis.* Neutiquam notum eſt Antonino Thamugadem eſſe vicinam Theveſti; nam hic ſcribit. *Theveſte M. P. XXII. Timphadi M. P. XX. Vegeſela M P. XVIII. Maſcula M. P. XXII. Claudi M P. XXII. Thamugadi.* Igitur Thamugada non eſt propè Theveſtem ex Antonino, cum eodem teſte, remota fuerit ab illa urbe M. P. CIV. & mediæ inter utramque fuerint Maſcula, & Vegeſela urbes Epiſcopales; hic enim tempore collationis Rheginus, illic verò Malchus Antiſtites ſedebant. Frugum copiam apud Thamugadam laudat Procopius lib. 2. de bello Vandalico. Ibidem etiam tradit p. 97. Ed. Grot. Thamugadam ſitam eſſe in campis ad orientem, adverſùs montem Auraſium, quem ait *trium dierum itinere* Carthagine remotum fuiſſe. In eodem vero libro laudato p. 120. *Theveſtem ſex dierum itinere Carthagine diſtans oppidum.* Verùm quòd Fauſtinianus ille fuit Toamugadenſis, pura puta Garnerii divinatio eſt; nam in collatione cap. 215. recitatur *Fauſtinianus Ruſiccadenſis.* Hanc verò urbem in Numidia ponit Plinius lib. 5. cap 3. ubi ſcribit diſtaſſe Cirta Numidiæ metropoli M. P. XLVIII. Ponitur ab Antonino diſtans à Gullu Numidiæ. M. P. LX. à Paratianis L. quæ loca erant in Numidia, & Ruſiccades media inter illa locatur. Cur ergo Fauſtinianus Ruſiccadenſis nequit affirmari ille idem, qui interfuit Synodo Milevitanæ? Legit in laudato capite 215. Alipium dixiſſe de Fauſtiniano Ruſiccadenſi: *Hic eſt in hac civitate, ſed malè habet.* Quare morbo eumdem anno 411. putavit Carthagine exſtinctum; unde unus Thamugadenſis in collatione remanebat, quem Synodo Milevitanæ præſentem citra dubium aſſeveraret. Vis-ne tam ſpecioſam conjecturam admittere?

Cresconius Cuiculitanus. *Ita in collatione: ſcribendum fortè Culcuitanus, eſt enim cognita non tantùm Antonino ſed etiam Ptolemæo Culcua colonia media ferè inter Cirtam, Simittu coloniam, Lares, & Gauſapham.* Rideas, per me licet, novæ geographiæ portenta. Ponit Cuiculum medium fere in itinere Cirtâ Orientem verſus, ac Carthaginem; & quod mira-

mirabilius eſt, ex Antonino, qui tamen hæc ſcribit: *Cirta Mileum M. P. XXV, Idicram M. P. XXV. Cuiculi M. P. XXV. Sitiſi M. P. XXV.* Vides, teſte Antonino, ſitum eſſe Cuiculum in itinere Cirtâ verſus Occidentem ad Sitifenſem civitatem, quæ cum in Mauritania Sitifenſi fuerit, apertè deducitur, Cuiculum extremam fuiſſe Numidiæ urbem verſùs Mauritaniam, quam tamen idem in medio ferè Numidiæ locat. Mirare interim hominis ſolertiam, qui in Antonino invenit Culcuitanum oppidum, quod nuſquam in Antonini Itinerario legitur; non autem vidit Cuiculitanum, quòd ab eodem tam diſerte deſignatur. Sed vix pati poſſum ab hoc commentatore Cuiculitanam Eccleſiam in Culcuitanam mutari auctoritate Ptolemæi (qui tamen *Calcuam*, non *Culcuam*, ut mendoſe legit, inter Numidiæ novæ urbes poſuit) cum in vetuſtis Africanæ Eccleſiæ monumentis nihil Cuiculitana urbe frequentius nominetur. In Synodo Grati laudatur *Elpidophorus Cuiculitanus*: in Synodo S. Cypriani *Pudentianus à Cuiculi*. in Notitia Africæ *Victor Cuiculitanus*: in collatione *Creſconius Epiſcopus plebis Cuiculitenſis*: in Synodo V. *Creſes Epiſcopus E. Cuiculitanæ provinciæ Numidiæ.* Memini Garnerium initio præfationis ad hiſtoriam Neſtorianam affirmare, Chriſtianum Lupum magnum Eccleſiaſticæ antiquitatis reparatorem *immenſâ eruditionis copiâ vix non obrui.* Procul ab hoc periculo remotum vides Garnerium, nondum enim immenſâ illâ eruditione ſuffocatur; tota enim ejuſdem litteraria ſupellex, quòd notas præſentes attinet, pugno ſtringitur.

Malchus Masculitanus. *Ita in collatione. Nota verò Antonino eſt Maſcula M. M. LX. P. à Thebeſte diſtans euntibus ad Sitifenſem coloniam. Recenſetur etiam inter Epiſcopos Numidiæ Januarianus Maſculitanus, & meminit Auguſtinus lib. 3. con. Creſconium cap. 27. Donati Maſculitani, qui in concilio Cirtenſi Donatiſtarum anno 303. cui præfuit Secundus Tiſigitanus Numidiæ primas, confeſſus eſt ſe traditorem.* Rectè de Malchi ſede: nam etiam in Synodo Bonifacii laudatur *Januarius Maſculitanus legatus provinciæ Numidiæ.* Verumtamen in iis, quæ addit, peccat biennii prochroniſmum. Nam Synodus illa, teſte Optato lib. 1. *poſt perſecutionem apud Cirtam coacta fuit.* Et Auguſtinus libro laudato cap. 26. ait: *Exſtat Secundi Tiſigitani concilium cum pauciſſimis quidem factum apud Cirtam, poſt perſecutionem codicum tradendorum, ut illic in locum defuncti ordinaretur Epiſcopus.* At ex geſtis municipalibus perſecutio codicum tradendorum incœpit Cirtæ *Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Conſſ.* anno 303. *XIV. Kal. Junii*, ex eodem cap. 29. Cirtæ ſedente *Paulo Epiſcopo*, cui poſtea anno 305. mortuo, Sylvanus ſucceſſor datus eſt. Auguſtinus annum & diem Synodi Cirtenſis deſignat in breviculo collationis tertiæ diei cap. 18. ubi & tempus durantis in Africa perſecutionis etiam declaratur. *Geſta*, inquit, *martyrum, quibus oſtendebatur tempus perſecutionis conſulibus facta ſunt Diocletiano IX. & Maximiano VIII. pridie idus Februarias: geſta autem Epiſcopalia decreti Cirtenſis poſt eumdem conſulatum tertio nonas Martias, ac per hoc tredecim menſes intereſſe inveniuntur.* Habes ex Auguſtino ſæviſſe perſecutionem anno etiam 304. cum martyres occiſi ſunt: Synodum verò Cirtenſem coactam anno 305. die quinta Martii, cum ceſſaſſet in Africa perſecutio poſt abdicationem Diocletiani, & Maximiani, dominante in Italia & Africa Severo Cæſare. Probat hæc ipſa pluribus eruditiſſimus Henricus Valeſius in notis ad cap. 2. lib. 8. Euſebii Cæſarienſis. Hadriani Henrici fratris litteras nuper ad te datas mihi oſtendiſti. Ambo de Eccleſiaſtica ac profana hiſtoria benemeriti, ac proinde tua amicitia digniſſimi.

Littorius Suanensis. *Ita quidem in collatione, ſed fortè legendum* Sugunenſis. *Ponitur enim ab Antonino in Numidia propè Cirtam Sugus: quamquam in Notitia Epiſcoporum Numidiæ fiat mentio Felicis Suabenſis in exſilium pulſi.* Si non perfunctoriè Notitiam lectitaſſet, cognoviſſet ibidem memorari *Victorem Sugitanum*; unde Suabenſis, ſeu Suavenſis (non, ut ille ait, *Suanenſis*) Eccleſiæ in Sugitanam convertendæ ſententiam exuiſſet.

Fortunatus Casensi-Calanensis. *Ita in collatione; ſed cùm plures ejuſdem nominis cenſeantur, dubium an Fortunatus noſter ſit hujuſce Eccleſiæ Epiſcopus.* Vah! quales modò ſcrupulos patitur, qui paſſim quoſdam Epiſcopos ad hanc Synodum ex collatione admittit, aliis ejuſdem prorſus nominis pro arbitrio excluſis! Sex Fortunati in collatione inter Catholicos recenſentur: Ruſuccurenſis, Capſenſis, Conſtantinienſis, prior pertinet ad Mauritanos Cæſarienſes, alter ad Byzacenos, poſtremus ad Numidas, qui ante Poſſidium legitur in Epigraphe. Tres alii recitantur, Caſenſi-Calanenſis, Abbenzenſis, & Undeſitenſis. Has duas Eccleſias incertæ provinciæ vulgo adſcribunt. At in Notitia Numidiæ recitatur *Optantius Caſenſi-Calanenſis.* Garnerius ergo dubitat, an Numidiæ Epiſcopus Fortunatus ſederit apud Eccleſiam Caſenſi-Calanenſem, quam certum eſt ad Numidiam ſpectaſſe, vel potius fuerit Epiſcopus Undeſitæ, vel Abbenzæ incertæ prorſus provinciæ oppidorum.

Donatus Tibilitanus. *Legitur in collatione Tigilitanus, ſed procul dubio mendoſe; neque enim uſpiam mentio reperitur civitatis Tigili.* Libenter admitto Donatum legi in collatione *procul dubio mendoſè* Tigilitanum, ſed ab uno Garnerio, nam qui litteras norit, in cap. 121. collationis leget: *Donatus Epiſcopus Tiſilitenſis. Idem dixit. Præſto ſum; ſed non habeo contra me etiam Epiſcopum.* Ille verò perperam pro *Tiſilitenſi*, quemadmodum in tribus editionibus Maſſunis, Albaſpinæi, & Labbei legitur, *Tigilitanum* dixit. Sed præproperæ lectioni id vitio vertatur. Aliud inſuper peccat, quòd in urbe Tibilitana Donatum Epiſcopum Catholicum ponit anno 411. cum id temporis apud Tibilitanum oppidum ſederet Simplicius Donatiſta Epiſcopus, qui cap. 197. collationis dixit: *Adverſarium non habeo.* Huic tamen, velit nolit, Donatum Catholicum in eadem urbe adverſarium jungit: cum uterque ſua in civitate teſtatus ſit, non habere adverſantem Coepiſcopum. Eſtne hoc eruditorum patientia abuti?

Ponticanus, saturninus, christonius, honorius, lucius. *Incertæ ſedis.* Uno verbo ſemet cenſuræ periculo, nos moleſtiâ liberat.

Adeodatus. Bellalitensis. *Ita quidem in collatione appellatur Eccleſia; ſed in Notitia Numidiæ legitur Bellaliſenſis. Ubi vero Numidiæ ſita fuerit ejuſmodi civitas, incompertum mihi eſt.* Sed cum Garnerio expoſtulabit alter ejuſdem nominis Epiſcopus Numida, qui cap. 129. dicitur *Adeodatus Epiſcopus plebis Bazaritanæ*: nam hanc urbem in Numidia fuiſſe docet Notitia ejuſdem provinciæ, in qua laudatur *Vitalianus Vazaritanus*: & loci *Vazaritani* fit mentio can. 54. Cod. Africani. Itaque merè pro arbitrio Bellalitenſem obtrudit, excluſo Bazaritano. Quare hujus Adeodati, qui in Synodo nominatur, civitas etiam incerta eſt, & non tantùm ſitus civitatis, ut ille affirmabat.

Processus. *Ignotæ ſedis.* Procedamus ad notas.

Cresconius Centenariensis. *Ita legitur in collatione. Et verò in Notitia Epiſcoporum Numidiæ numeratur inter ejectos inde Epiſcopos Florentius Centenarienſis.* Cum plures Creſconii in collatione numerentur, hunc qui trigeſimo loco in epigraphe nominatur, ſediſſe apud Centenarium (ita hoc opidum appellatur in Tabulis Peutingerianis) ſine teſte non credam; cum præſertim idem Garnerius de Creſconiorum in Numidia urbibus nihil certi ſe ſtatuere poſſe ingenuè fateatur, ut ſuo inferiùs loco videbis.

Secundus Magarmelitanus, ſeu Aquensis. *Quem Magarmelitanum collatio dicit, Aquenſem præterea vocat Auguſtinus.* Nuſquam in Auguſtini libris Secundi nec *Magarmelitani*, nec *Aquenſis* nomen reperitur. In libello tantùm Leporii hæc ſubſcriptio legitur: *Secundus Epiſcopus Aquenſis, ſive Megarmitanæ oblato nobis à Leporio libello ſubſcripſi.* Ubi non Auguſtinus, qui ibidem eodem modo ſubſcriptus legitur, ſed ipſe Secundus ſe Aquenſem dixit.

Felix Villaregensis. *Et ſi certum eſt ex duobus ejuſdem nominis Epiſcopis Numidiæ alterum fuiſſe Villaregenſem, alterum Tubienſem; dubium tamen utrum*

utram

Digitized by Google

utram Eccleſiam rexerit. Poſtea, *Canon* 48. *Cod. Afric. continet cauſam Creſconii Villaregenſis, qui cum Tubienſem Eccleſiam violenter invaſiſſet, relicta Villaregenſi, ſæpiuſque admonitus fuiſſet, contumaciter parere detrectaverat. Verùm cum expoſtulatio facta fuerit ab Honorato & Urbano Mauritaniæ Sitifenſis legatis, conjicere poſſet aliquis, nec temerè utramque præfatam Eccleſiam ad hancce Mauritaniam pertinere. Sed cum Notitiæ auctor in contrarium ſentiat, vix ego poſſim conjecturam probare: quis enim Victore Uticenſi melius ſitum civitatum Africæ, Eccleſiarumque à ſuis rectarum ſociis diſtinctius noverit? Quare donec lux aliunde major affulgeat, Notitiæ adhærendum puto.* Ceſpitat in plano, & in meridie *majorem lucem* exoptat. Sibi fingit teſtimonium Notitiæ canonis Africani dictis adverſari. In Notitia Numidiæ ſcribitur *Donatus Villaregenſis*; at Tubienſis Eccleſia ibidem non recitatur. Itaque Creſconius ex urbe Villaregenſi Numidiæ ad Mauritaniam Sitifenſenſem profectus, Tubienſem ibidem Eccleſiam invaſerat. Hinc legati Sitifenſes petiere à Synodo, ut agere poſſent contra Creſconium, coram *Rectore provinciæ*; erat enim Mauritania Sitifenſis provincia præſidalis teſte Sexto Rufo in Breviario. Ex quibus evidenter colligitur, Tubienſem Eccleſiam huic provinciæ adſcribendam, non verò Numidiæ; alias iſtius provinciæ legati contra Creſconium ſtetiſſent, non autem Sitifenſes. Carolus à S. Paulo Tubienſis Epiſcopatus non meminit, & Holſtenius pag. 65. & 96. notarum ad eumdem minus rectè cum Tubunenſi confundit, Tubunæ enim erant in Numidia, ut poſtea dicam. Garnerius quòd Creſconius relicto opido Villaregenſi Tubienſem ſedem occupavit, utramque Numidiæ urbem aſſeruit. Scimus ex Socrate, Sozomeno, & Theodoreto Euzoium priùs ſediſſe apud Germanicism in Euphratenſi provincia, dein Antiochenſem thronum invaſiſſe, poſtremò Conſtantinopolitanam ſedem uſurpaſſe. Euſebius teſte Synodo Alexandrina in apologia ſecunda S. Athanaſii, primò Beryti in prima Phœnicia Epiſcopus fuit, inde in Nicomedienſem in Bithynia ſedem ſe intruſit, tandem favente Conſtantio Auguſto Conſtantinopolitanam arripuit, *ſemper aliorum civitates, oculis per invidiam conjectis, oblimans, atque arrodens.* Juxta illationem Garnerii in eadem provincia erunt memoratæ urbes; cum tamen Conſtantinopolis fuerit in Europa, aliæ verò in variis, ac abs ſe invicem remotis Aſiæ provinciis. Fortè quo erronem iſtum Creſconium longioris itineris moleſtia liberaret, utrumque opidum Villaregenſe & Tubienſe in eadem provincia poſuit, ut Creſconius de uno ad alterum facilè tranſiliret.

ASIATICUS. *Incertæ ſedis, quemadmodum &* RUFINIANUS. Nullus hic cenſoriæ ſeveritatis notæ locus eſt. Melius illi vertit ignorare, quàm docere.

FAUSTINUS SILLITENSIS. *Ita in collatione: ſit autem in Notitia Epiſcoporum Numidiæ mentio Maximi Sillitani.* Exſpecta paulumper, & alterum Fauſtinum Sillitanam cathedram una ſimul ſedentem audies; imo tertium Fauſtinum ſuppoſititium in hac Synodo, Garnerio auctore, videbis.

SERVUSDEI BURENSIS. *Ita in collatione, niſi quod additur Tuburſicenſis Buræ. Verum in Notitia Epiſcoporum Numidiæ dicitur ſimpliciter Leontius Burenſis.* Non uno vitio laborat hoc ſcholion. Agnomen urbis pro ejuſdem nomine obtrudit. Cum duplex eſſet Tuburſicus in Africa, una dicta eſt Tuburſicus *Buræ*, altera *Numidiarum*. Patet ex collatione, in qua cap. 121. laudatur *Servuſdei Epiſcopus plebis Tuburſicenſis Buræ*, contra quem Donatus hæreticus ſtabat, qui cap. 206. dicitur *Donatus Tuburſicenſis*, neque additur *Buræ*; unde conſtat Servumdei non eſſe dicendum Burenſem, ſed Tuburſicenſem; à nomine enim, non ab agnomine urbis appellandus eſt: hoc enim hujus Tuburſicus ab altera illius nominis urbe diſtinctio tantùm ſignificatur. Ita dicimus Ultrajectum Rheni, ut hoc opidum ab Ultrajecto ad Moſam ſecernamus, & perperam quis hujus civitatis Epiſcopum vocaret *Moſenſem*. Altera Tuburſicus dicebatur *Numidiarum*: ita in eadem collatione cap. 201. inter Donatiſtas nominatur *Januarius de Tuburſicu Numidiarum*, cui adverſabatur ibidem Maurentius Catholicus ex cap. 143. ubi appellatur *Epiſcopus Eccleſiæ Tuburſicenſis.* Utrumque oppidum confudit Holſtenius pag. 55. & unius tantùm meminit Carolus à S. Paulo. Ex his etiam infertur, Tuburſicum, ubi ſedebat Servuſdei, non rectè ſtatui in Numidia, cùm ad diſtinguendam alteram Tuburſicum à Tuburſicu Buræ, illa diceretur *Tuburſicus Numidiarum.* Poterat Garnerius Servumdei ex Auguſtino lib. 3. contra Creſconium cap. 43. eximiè commendare, cujus verba hic laudanda ſunt, ac germana lectio reſtituenda. *Epiſcopus*, inquit, *Catholicus à Thuburſicubure Servus nomine, cum invaſum à veſtris locum repeteret, & utriuſque partis procuratores proconſulare præſtolarentur examen, repente ſibi in oppido memorato veſtris armatis irruentibus, vix vivus aufugit.* Ubi legendum eſſe *Thuburſicu Buræ*, patet ex collatione, unde S. Auguſtinus Servum disertè nuncupat *Tuburſicenſem*, & Donatus hæreticus cap. 106. dictus eſt *Tuburſicenſis*, non verò *Tuburſicuburenſis*. Ex laudatis Auguſtini verbis videtur colligi, hanc Tuburſicum Buræ fuiſſe in Proconſulari, quod illius opidi cauſæ *proconſulari* judicio ſubjicerentur, cum Proconſules Carthaginenſem provinciam, Conſulares Numidiam regerent; ſed video infirmum ac planè lubricum eſſe hoc argumentum; nam Poſſidii, & Criſpini in Numidia Epiſcoporum cauſam cognovit Proconſul ex Auguſtino lib. 3. cap. 48. operis ejuſdem contra Creſconium, quod etiam conſtat ex epiſtolis 127. & 128. ad Donatum Proconſulem Africæ. Proconſules enim ampliſſima poteſtate in omnibus Africæ provinciis, excepta Mauritania Tingitana, utebantur. Tuburſicus Numidiæ erat in itinere Hippone Cirtam ex Auguſtino Epiſt. 163. Denique notes velim Garnerii technas, nolo enim dicere malitiam, aut vafritiem, à quibus longè eſſe virum probè ſcio; ille ut citra dubium Servum, ſeu Servumdei cum ſua illa Burenſi urbe, quæ nulla uſpiam fuit, in Numidiam traheret, appellavit Notitiam Africæ, ſcribens in ea *dici ſimpliciter: Leontius Burenſis*, cum tamen non ita legatur; nam *ſimpliciter* ibidem ſcribitur: *Leontius Burcenſis.* Ita ex Burca Buram novam in Numidia urbem obtruxit. Burita fuit Numidiæ urbs, ut inferiùs patebit.

TERENTIUS SELEUCIANENSIS. *Ita in collatione. Fit autem in Notitia Epiſcoporum Numidiæ mentio Profici Seleucianenſis.* Poterat Terentium, & Servumdei, quem proximè nominaverat, laudare ex Synodicis litteris Africanæ Synodi ad Cœleſtinum Papam, in quarum inſcriptione nominantur *Aurelius Valentinus, Antonius, Titus, Servuſdei, Terentius, Fortunatus &c.* Ita in utraque Synodo Servuſdei, & Terentius tamquam eodem ferè tempore conſecrati, proximè ſedebant. Ex hac verò epigraphe deduces, maximos illos, Auguſtinianæ noſtræ gentis Heroas, Auguſtinum, Alipium, Severum, ac Poſſidium non fuiſſe in eo Africano Concilio; nam ante Servumdei, & Terentium inſcripti legerentur, quemadmodum ponuntur in titulo epiſtolæ tantis notis à Garnerio illuſtratæ; quod, nempe, intelligerent eo in Concilio ex univerſa Africa coacto adverſus Romanas appellationes acerrimè diſputandum, & decernendum eſſe, à qua ſententia collegarum cùm ipſi erga Romanæ Eccleſiæ jura obſequentiſſimi, procul eſſent, ideo ad eum Epiſcoporum conventum ſe conferre recuſarunt.

CRESCONIUS DE CASTELLO TITULIANO. *Legitur in collatione* plebis Tituli; *ſed Notitia meminit Victorini de caſtello Tituliano Epiſcopi Numidiæ.* Poſtea: *Monendum porro nunc, quoniam memini, vehementer eſſe probabile, Notitiam Epiſcoporum, qua tam ſæpè* (at quàm infeliciter?) *uſi ſumus, ſcriptam fuiſſe ab ipſomet Victore Uticenſi, qui tres libros de perſecutione Vandalica compoſuit &c. Atque hinc quiſque ſatis perſpiciat, utrumque opus conjungendum, ſi quando Victoris hiſtoria edatur, tamquam alterum alterius ſupplementum & lumen.* Paſſim labitur. Scribitur in collatione cap. 125. *Creſconius Epiſcopus plebis Tituli*, contra quem Victor Donatiſta ſtabat, qui capite 202. inter hæreticos ita recenſetur: *Victor Epiſcopus Titulenſis.* Hæc autem Eccleſia pertinebat ad Proconſulares,

quod diſertè Garnerius poterat diſcere ex Notitia Epiſcoporum, qua ſe tam *ſæpe uſum* teſtatur, ſed profectò hac vice uſus non eſt; nam ibidem inter Proconſulares legiſſet *Creſciturum Titulitanum*. At ille ut Creſconium in Numidia Epiſcopum faciat, eumdem ex opido Titulitano in *caſtellum Titulitanum* cito citius volare jubet. Quod addit, Notitiam Epiſcoporum Africæ inſerendam *hiſtoriæ* Victoris de perſecutione Vandalica, *atque utrumque opus conjungendum, ſi quando Victoris hiſtoria edatur*, vix ſine riſu leges, habes enim in inſigni tua bibliotheca hiſtoriam Victoris editam à Petro Chiffletio, quem inter eruditiſſimos Societatis Jeſu ſcriptores poſt Petavium, ac Sirmondum laudare ſoleo, in cujus libro quarto memorata Africæ Notitia legitur. Qui ſane vir doctiſſimus Garnerii vota non modò jamdiu prævenit, verùm etiam ſuperavit; cum Notitiam illam non quidem tamquam appendicem hiſtoriæ Victoris adjutam voluerit, quod ſe deſiderare Garnerius dicit, ſed medio prorſus operi inſeruerit. Editum eſt illud volumen à Chiffletio Divione anno 1664. Hinc forte putabis Garnerium hoc præſenti anno 1673. quo Marium Mercatorem notis illuſtratum publicavit, Chiffletii opus, quod in ore famæ verſatur, atque eruditorum omnium manibus teritur, penitus ignoraſſe. Verùm ſi ita judices, ægrè in tuam ſententiam deſcendam; nolo enim tam ſupinam celebratiſſimi voluminis ignorantiam homini affricare. Arbitror autem Garnerium jam ante novennium haſce notas in utramque epigraphen adornaſſe; ſcribit enim ſe opus difficillimum, *quod hactenus tentavit nemo* aggreſſum, *ſed non ſine cura & labore*. Et quidem diſſert. 5. pag. 319. teſtatur ſe ante duos & viginti annos ad Pelagianam hiſtoriam commentariis illuſtrandam, à Sirmondo vetuſtiſſimis ſchedis communicatis animatum. Hinc ejuſdem conſilium laudo, qui juxta Poetæ de ſcripto publicando monitum, *nonumque prematur in annum*, ſuas notas pleno à Chiffletiani Victoris editione novennio maturatas haud maturatè vulgavit. Quòd ſi ex eodem Horatio ſtatim reponas;

.... reprehendite quod non
Multa dies, & multa litura coercuit, atque
Præfectum decies non caſtigavit ad unguem.

Nullam pro homine reſponſionem adornare volo, ne ex cenſore repente, dum neſcio, advocatus fiam.

SPERANTIUS, *vel ut eſt in collatione*, SPIRATUS Ammadærenſis. *Dubium mihi fuit, debeat-ne Eccleſia Ammadærenſis in Numidia cenſeri, an in provincia proconſulari, quamvis certum ſit ad alterutram pertinere, etſi in neutrius Notitia inveniatur: verum cum propè abſit à Thebeſte colonia, ut eſt apud Antoninum, Thebeſte verò, ut conſtat ex Notitia Epiſcoporum Numidiæ, civitas ſit Numidiæ, Ammadæra videtur quoque Numidiæ tribui debere, quantumvis repugnent vulgares tabulæ, profectò non exactiſſimæ. In concilio rebaptizantium* Eugenius ab Ammadæra *trigeſimo ſecundo loco ſententiam dixit, quem ad locum Pamelius nihil attulit in notis, alioquin eruditis, quod optatam lucem afferret. Affert aliquam Antonini Itinerarium, cum via quæ Carthagine Cirtam ducit, ita deſcribitur:* Unucam M. P. XXII. Sicilibram M. P. VII. Vallos M. P. XV. Coreva M. P. XV. Muſti M. P. XXVIII. Laribum coloniam M. P. XXX. Attieuros M. P. XVI. Ammadæram coloniam M. P. XXXII. Theveſte coloniam M. P. XXV. &c. *Hinc enim patet Ammadæram tribuendam eſſe Numidiæ, ſiquidem media eſt inter Attieuros, & Thebeſtem, quæ duæ civitates in iſta provincia exiſtunt.* Quæſo, vir eruditiſſime, ne ægrè ac moleſtè feras, me in his diſcutiendis parumper immorari; nonnulla enim tradam, hactenus Eccleſiaſticis geographis ignorata, queis tamen Africanæ diœceſeos limites exactiùs ſtatuentur. Unuca Antonini apud Eccleſiaſticos ſcriptores Uluca nominatur. In cap. 127. collationis laudatur *Procericius Uculenſis*, & in Synodica apud Concilium Lateranenſe ſæpius nobis memoratum, *Creſconius Uculenſis* inter Proconſulares recitatur. De Sicilibba in ſuperiori epigraphe dictum eſt. Vallos etiam fuit urbs Epiſcopalis, & inter Præſules Carthaginenſis provinciæ in Synodo Bonifacii appellatur *Reſtitutus Epiſcopus plebis Vallitanæ.* Corevæ Epiſcopus nuſquam mihi apparuit. Hic ab Eccleſiaſticis geographis Carolo à S. Paulo, & Luca Hoiſtenio viris eruditiſſimis, deſignantur confinia provinciæ proconſularis; Etenim Muſtim Corevæ finitimam ad Numidiam ſpectare ex Notitia Africæ citra dubium exiſtimarunt; ibi enim inter Numidiæ Epiſcopos memoratur *Antonianus Muſtitanus.* Sed in eo decepti ſunt, quòd duas hujus nominis urbes in Africa non obſervarunt, quarum una in Numidia, altera erat in Proconſulari. Hoc patet ex collatione Carthaginenſi, in qua inter Donatiſtas cap. 206. nominatur *Creſconius Epiſcopus Muſtitenſis.* At ſuperiùs cap. 121. hæc leguntur: *Victorianus Epiſcopus plebis Muſtitenſis. Idem dixit; Præſto ſum. Habeo Felicianum Muſtitenſem, & Donatum Turrenſem contra me.* Et ſtatim cap. 122. *Alipius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit: De nomine Feliciani utrum in communione ſit Primiani.* Ex his optime intelligis apud Muſtim in Numidia anno 411. cum celebraretur collatio, ſediſſe Creſconium Donatiſtam, apud Muſtim in Proconſulari Felicianum, qui toties S. Auguſtino in libris contra Donatiſtas memoratur. Inde verò aſſeto Felicianum Proconſularem Epiſcopum & magni inter Donatiſtas Maximianiſtas nominis; quia Alipius petiit, num Felicianus eſſet in communione Primiani Primatis Proconſularium, non verò Januarii Primatis Numidarum; cum tamen in Synodo apud Bagajam Felicianus ab utroque Primate ob Maximiani ordinationem damnatus fuerit. Adeſt evidens teſtimonium pro Muſti Proconſulari in Synodica act. 2. Concilii S. Martini Papæ, quam inter Proconſulares ſubſcribit *Januarius Epiſcopus S. E. Muſitanæ*; in Notitia verò Numidiæ etiam legitur *Antonianus Muſitanus.* Urbs autem Turrenſis in Proconſulari, cujus ſacris præerat Donatus Donatiſta, quem Victorianus Muſtitenſis ſibi vicinum dixit, apparet in Tabulis Peutingerianis, in quibus habetur; *Turris VI. Sicilibba XIII. Inuca &c.* Turrenſis urbs erat proxima Sicilibbæ, quam eſſe Proconſularem in notis ad ſuperiorem epigraphen oſtendi, ubi inter legatos provinciæ Proconſularis laudavi Prætextatum Sicilibbenſem. Hac occaſione etiam ſupplendæ mihi ſunt tabulæ Eccleſiæ Africanæ, quam laudati geographi Carolus a S. Paulo, & Holſtenius publicarunt, qui Inucenſem Eccleſiam Sicilibba M. P. XIII. diſtantem omiſerunt; cum tamen in collatione cap. 187. nominetur *Valentinianus Epiſcopus Inucenſis.* Hinc vides Philippum Labbeum, cujus morti ſacra eruditio indoluit, & collegam Coſſartium virum inſignem, minus rectè in margine pro Inucenſi *Juncenſem* repoſuiſſe; illa enim Eccleſia erat in Proconſulari, hæc in Byzacio, & laudatur *Synodus* habita à Liberato Primate Byzaceno act. 2. Concilii Bonifacii Carthaginenſis, cujus etiam canones commendat Ferrandus Diaconus. In Laribo ſtatuendo iidem geographi decepti ſunt. Nam cum in tabulis Ptolomaicis viderent Lares poni prope Vagam in Numidia, eamdem urbem huic provinciæ adſcripſere. Sed ad eumdem lapidem offenderunt. Duplex enim fuit hujus nominis oppidum. In collatione cap. 207. recitatur *Reſtitutus Laritenſis*, & cap. 197. *Honoratus Laurenſis*, ambo Epiſcopi ex parte Donati. Lares verò etiam ad Proconſulares ſpectaſſe patet ex Synodo Bonifacii, quam cum illius provinciæ Patribus ſubſcribit *Vitulus Epiſcopus plebis Larenſis.* Ceterùm ex Tabulis Peutingerianis, quas mihi inſpiciendas tradidiſti, res illuſtrari poteſt: ita ibidem ſcribitur. *Theveſte XI. Ad Mercurium XIV. Admedera XVI. Mutia XVI. Orba VII. Larabus XII. Druſiliana VII. Thacia VII. Mubſi VII. Abora VI. Tignica XII. Tichilla XVI. Membreſſa VIII. &c.* Aliud verò iter à Mutia deſcribens ait: *Altuburos XVI. Alseſera X. Aſſures &c.* Ubi *Mubſi* legendum *Muſti.* Ex his patet, non ſatis conſequenter poni Ammederam (ita ſcribunt Auguſtinus lib. 7. de bapt. cap. 39. Collatio cap. 207. & Antoninus) in Proconſulari a ſacris Geographis, Lares verò, Druſilianam, & Muſtim in Numidia, cum iſtæ urbes recto itinere à Theveſte Numidiæ ſupra Ammederam ſint Carthagini propinquiores. Salluſtius *Opidi Laris* meminit in bello Jugurthino, Procopius lib. 2. de bello Vandalico Laribum

dicit,

dicit, & Victor Vitenſis lib. 2. de perſ. Vand. *Laribus* ſcribit, ubi etiam *Siccenſem & Larenſem civitates* appellat. Ex eodem Peutingeriano fragmento apparet ſitus Tignicæ in Proconſulari, cujus meminit collatio cap. 133. ubi nominatur *Aufidius Epiſcopus plebis Tignicenſis*, quæ incertæ provinciæ deputatur à Carolo à S. Paulo, & omittitur ab Holſtenio. Sed quid dicetur de Aboia? Ponitur in ſubſcriptionibus Synodi *V. Valerianus Epiſcopus Obbæ provinciæ proconſularis.* Hæc quoque urbs deſideratur apud Carolum à S. Paulo, & Holſtenium. An hic *Aobiæ*, vel *Obbæ* in Tabulis legendum, incompertum mihi eſt. Ultra Lares ad XVI. M. P. ponitur ab Antonino Altieuros, ſeu ut Surita legit, Altituros: utrobique corruptè, nam Altiburos legendum eſt. Hæc civitas erat in Proconſulari, & in Synodica ſæpe laudata ponitur *Conſtantinus Epiſcopus S. E. Altoburitanæ*, & in Notitia ejuſdem provinciæ *Vindemius Altoburitanus.* Garnerius mendoſè dixit *Altieuros*, cùm *Altieuros* dicatur in Itinerario, cujus verba adducit. Ubi perperam Altiburos, ſeu Altoburos Numidiæ accenſet, contra laudata veterum Synodorum teſtimonia. De Ammedera nihil certi invenio, quo movear ad eamdem Proconſulari potiùs, quàm Numidiæ adſcribendam. Cum in Notitia Epiſcoporum Numidiæ illius urbis Epiſcopus non appareat, qui tamen CXXIII ibidem recenſentur, exiſtimo Ammederam fuiſſe ultimam Proconſularia diœceſis civitatem, cùm Theveſtis inde M. P. XXV. diſtans ad Numidiam pertineat. Neque tamen ob eamdem in Numidis locatam, ullam Garnerio litem intendo, imò eidem gratias ago, quòd provinciæ, in qua ſita fuit Ammedera, inveſtigandæ occaſione data, Muſtim, ac Lares duas ejuſdem nominis urbes fuiſſe oſtendi; unde & exactior Africanæ Eccleſiæ notitia relucet, ac Synodorum ſubſcriptiones neutiquam, quod ad provinciarum urbes attinet, inter ſe diſcrepare intelliguntur; inde etiam Tabulæ diœceſeos Africæ facile corriguntur, ac ſupplentur.

QUADRATUS. *Incertæ ſedis.* Veritati exactiùs quadrarent ceteræ notæ, ſi eaſdem hiſce tantùm verbis exaraſſet.

LUCILLUS. *Incertæ pariter ſedis; niſi fortè legi debeat Lucianus Gurrenſis; nam hujus nominis aliquis in concilio, quod collationem præceſſit, ſubſcripſiſſe legitur. Fuit verò in provincia Numidiæ Gurrenſis Epiſcopus; meminit enim Notitia Martialis Gurrenſis.* Plura peccat. In primis Lucilli nomen diminutivum implet, augetque, *Lucianum* efformans. Rurſus Gurræ, ſeu Giræ in Numidia duos ſimul Coëpiſcopos donat, nam ſuperius alterum Lucianum itidem Girenſem pronunciaverat. Denique Lucilli urbem ignotam putavit, cum diſertè deſignetur ab Auguſtino lib. 22. de civit. Dei cap. 8. ubi loquens de miraculis poſt delatas in Africam anno 416. S. Stephani reliquias, ait: *In caſtello Sinitenſi, quod Hipponenſi coloniæ vicinum eſt, ejuſdem loci Lucillus Epiſcopus &c.* In excuſis codicibus legitur *Synitenſi*; ſed quatuor codices MSS. in bibliotheca Sereniſſimi Magni Ducis diſertè habent: *in caſtello Sinitenſi.* Auguſtinus in epiſtola 128. ad Donatum Proconſulem Africæ, mentionem facit colonorum, quos hic habeat in *Sinitenſi vel Hipponenſi* agro. Ibidem S. Doctor Lucilli deceſſorem deſignat inquiens: *Collega tunc meus Epiſcopus Sinitenſis Eccleſiæ Maximinus.* In editis codicibus *Synitenſis* itidem legitur, ſed ex epiſt. 163. textus emendandus eſt, ubi ſcribens S. Pater ad Donatiſtas ait: *Modo præconem miſiſtis, qui clamaret Siniti, quiſquis Maximino communicaverit, incendatur domus ejus.* Maximinus ex Donatiſta factus erat Catholicus.

SABINUS TUCCENSIS. *Tucca gemina eſt in Africa; altera in Mauritania Sitifenſi ad Serpetem fluvium; altera in Numidia penè media, ut habent Ptolemaicæ Tabulæ. De Numidiæ Epiſcopo intelligi debet collatio &c. In concilio certè rebaptizantium utriuſque Tuccæ Epiſcopi ſententiam dixerunt; alter qui* confeſſor Saturninus, *quinquageſimo ſecundo loco, alter qui* Honoratus *ſeptuageſimo ſeptimo.* Longis erroribus agitur, malis avibus arduum opus aggreſſus. In primis quattuor Tuccæ in Africa memorantur, & Sabinus non Tuccenſis, ſed fortè Tuncenſis Epiſcopus fuit. Ptolemæus prioris Tuccæ meminit in Mauritania Cæſarienſi: alteram ponit inter urbes Numidiæ novæ; tertiam inter Bagradam amnem & Tabracam: quartam Antoninus locat in Byzacio, vel Proconſulari; nam in itinere ab Aſſuris Thenas ait: *Aſſuris Tuccam Terebinthinam M. P. XV. Suſibus M. P. XXV*, Erat ergo Tucca Terebinthina medis inter Aſſuros, quæ eſt urbs Proconſularis, & Sufes Byzacenas: Utri deputanda, incertum. Ille verò duas tantum Tuccas novit, quarum unam ad Serpetem fluvium in Mauritania Sitifenſi, alteram in media Numidia ponit. Plinius Tuccæ Sitifenſis ſitum exactè tradit lib. 5. cap. 2. *Oppidum*, inquit, *Tucca impoſitum mari, & flumini Ampſagæ.* Itaque erat in confiniis provinciæ Mauritaniæ Sitifenſis, quæ Ampſaga flumine à Numidia ſeparabatur. Concinunt Tabulæ Peutingerianæ, ubi hæc leguntur; *Tucca fines Mauritaniæ, & Africæ.* Meminit Dio Caſſius lib. 48 Tuccæ civitatis ſub T. Seſtio Præfecto Numidiæ, pro Antonio Triumviro. In Notitia Sitifenſi memoratur *Uzalus Tuccenſis.* Rurſus Tuncam Sabini Epiſcopi perperam in meditullio Numidiæ ſtatuit. Nam Petilianus Epiſcopus Conſtantinenſis Donatiſta in collatione cap. 65. hæc dixit; *Nam etiam in plebe præſentis ſanctiſſimi* (mulus mulum fricat) *collegæ ac fratris mei Adeodati, id eſt, in civitate Milevitana, ita commiſſarii eſt, ut unum eumdem habeat adverſarium, alterum in Tuncenſi civitate, qui ad hujus, ſcilicet, plebem antiquitus pertinet, & ante biennium videtur eſſe conſtitutus.* Hic ipſe erat Sabinus; etenim cap. 130. edit. Labbei hæc habentur: *Sabinus Epiſcopus Tuccenſis. Idem dixit: Præſto ſum. Adeodatus Epiſcopus dixit: in diœceſi mea eſt ordinatus.* Itaque Tunca, ſeu Tucca, nolo enim de nomine cum Garnerio contentionis ſunem ducere, erat in diœceſi Milevitana. At Milevis, quam Mileum Antoninus vocat, diſtabat Cirta verſus Ampſagam M. P. XXV. & in Tabulis Peutingerianis ſcribitur *Milev. colonia*, & ponitur infra Ruſiccadem, quæ Cirta aberat ex Plinio XLVIII. M. P. Cirta non erat in media Numidia; nam diſtabat Hippone Regio M. P. XCIV. & Numidia ultra Hipponem Tabracam uſque ultimum provinciæ limitem verſùs Orientem, protendebatur M. P. LXIV. Milevi Cuiculum extremam Numidiæ urbem verſus Occidentem erat iter M. P. L. Tabracam verò M. P. CLXXXIII. euntibus ad Proconſulares. Hæc ex Itinerario Antonini patent. Itaque Tunca, quæ erat in diœceſi Milevitana, non erat in media Numidia, ſed ſupra Cirtam verſus Sitifenſes. In Tabulis Peutingerianis res ad oculum patet. Hinc etiam deduco neutrius Tuccæ, quas ex Synodo S. Cypriani laudat, Sabinum Epiſcopum fuiſſe; nam illæ urbes ſuos habebant Epiſcopos ante annum epochæ Chriſtianæ 258. quo Cyprianus martyrium ſubiit; oppidum verò Sabini *ante biennium*, quàm collatio Carthagine haberetur, nempè anno 409. Epiſcopali primùm dignitate ornatum fuit, cum *antiquitus* intra diœceſim Milevitani Antitiſtis cenſeretur.

FAUSTINUS SILLITANUS. *Ita in collatione legitur. In Notitia verò Numidiæ fit mentio Maximi Sillitani, qui periit in itinere ad exſilium.* In eadem omnino pagina duos Fauſtinos Sillitæ Epiſcopos anno 416. Milevitanæ Synodo præſentes facit. Error immanis, qui non modò memoriæ, verùm etiam oculorum propemodum defectum indicat: ſi tamen vigilans ea ſcripſit. Mirare interim, notas iiſdem omnino verbis concinnatas, utrique Fauſtino ſupponi. Sanè quæ de hoc Fauſtino repetuntur, dici nequeunt *nec ſine cura, & labore* exarata; quid enim faciliùs eſt, quàm exſcribere?

FAUSTINUS ALTER. *Vel hic, vel iſte Sillitanus fuit; alteruter ignoratæ ſedis.* Nec iſte, nec ille Sillitanus fuit, niſi prior Fauſtinus, quem in Sillitana ſede locaverat, dejiciatur. Ceterum tertius hic Fauſtinus emergit in Milevitana Synodo uni Garnerio cognitus, ceteris hucuſque ignoratus. Hi quidem tres Epiſcopi in epigraphe numerantur vel apud ipſum Garnerium, SABINUS, FAUSTINUS, CRESCONIUS. At ille eadem auctoritate, qua novas urbes condit, quâ binos in una ſede Epiſcopos locat, quâ civitatum & Præſulum nomina detruncat, auget, commutat,

Digitized by Google

eadem, inquam, auctoritate FAUSTINUM nuper domi ſuæ natum Epiſcopum, ſine tractoria Synodo intrudit, cum jute ſereodi in Pelagiana cauſa ſuffragii. Contineo impetum, ne epiſtola in ſatyram migret; vereor tamen ne ipſe riſum continere poſſis, dum hæc *non ſine cura* à Garnerio ſcripta audis, qui ne ullus in numerandis Epiſcopis error obreperet, epigraphes iterum legendæ curam dimiſit.

Cresconius Tubiniensis. *Cum quinque Creſconiorum nomina ſint inſcripta Synodicæ, ſcire quidem poſſumus, quæ ab iis indefinite Eccleſiæ in Numidia rectæ fuerint; definire non poſſumus, quæ à ſingulis. Creſconius Tubinienſis aliquis appellatur in collatione, ponitur verò in Notitia Numidiæ Reparatus Tubunienſis.* Scribendum eſt ubique *Tubunenſis*, ut in Notitia. In Synodo rebaptizantium appellatur apud Aug. lib. 6. de bapt. cap. 12. *Nemeſianus à Tubunis*; idem pariter epiſt. 70. *Tubunas* nominat; Sed nec addita cautio vel parum hominem juvat. Unde habet quinque Creſconios, qui anno 411. collationi ioterfuere, anno 416. adhuc ſuperſtites fuiſſe, ne uno quidem intra quinquennium defuncto? Itane quinque Creſconiorum numerus pleno quinquennio elapſo non decrevit, authore Garnerio, qui de Delphino ſcribens, brevi biennii ſpatio octodecim in una provincia Epiſcopos, ut oſtendam, diem obiiſſe publicat? Cur nec unus ſaltem illorum Creſconiorum domi remanſit, vel nullius ejuſdem nominis Epiſcopus intra quinquennium conſecratus Milevium perrexit? His addo alteram fuiſſe Tubunam in Mauritania Cæſarienſi ex Notitia memorata, & in alterutra urbe ſedit Nemeſianus, quem ex Cypriani Synodo appellabam.

Victor, Gignantius, & Possidonius. *Incertæ ſedis.* Quid illi mali intulit *Victor Epiſcopus Cullitenſis*, qui cap. 125. in collatione nominatur? Fuit enim Cullu, ſeu Colops magnus, Numidiæ opidum Plinio, Ptolemæo, Antonino, aliiſque in Numidia memoratum, cujus ſitum in littorario illius provinciæ itinere exhibent Tabulæ Peutingerianæ. Solinus cap. 27. de Numidia agens: *Urbes*, inquit, *in ea quam plurimæ, nobileſque; ſed Cirta eminet, dein Cullu purpureo ſuco Tyriis velleribus comparatæ.* Hæc ille.

Antonius, fortè antonianus Lamfortensis, *cujus mentio eſt in collatione; Lamfortenſem porro Eccleſiam pertinuiſſe ad Numidiam, probat Notitia Epiſcoporum Numidiæ, cum recenſet inter confeſſores Felicem Lamfortenſem.* O quàm turpiter illi vertit, ex Aotonino finxiſſe Antonianum! Nuſquam infeliciùs hallucinatus eſt; etenim Catbolicum Epiſcopum in hæreticum commutavit. In collatione cap. 149. poſt Januarium, & Primianum Donatiſtarum Primates, ferè ſtatim recitatur *Antonianus Epiſcopus Lanfortenſis*, qui cap. 163. cùm iterum inter Donatiſtarum turbam nominaretur, dixit: *Non illic habeo adverſarium.* Peſſimus enim Donatiſta totam diœceſim in parte Donati omni ſtudio tenebat. Et hunc Donatiſtarum primipilum, tamquam Saül inter prophetas, locat Garnerius inter Catholicos Epiſcopos Synodi Milevitanæ? Eſt-ne iſta *immenſa eruditionis copia, qua vix non obruitur Chriſtianus Lupus*? Omitto quòd hujus hæretici Eccleſia non *Lanfortenſis* dicenda eſt, ſed *Lanſortenſis*. Ita legitur in collatione, cujus teſtimonium proximè laudabam; in Notitia appellatur *Felix Lanſortenſis*: in Synodo Bonifacii A. 525. *Florentius Lanſortenſis*. Dum audio Garnerium ex Antonio Antooianum, hoc eſt, ex Catholico Hæreticum efformare, non poſſum non repetere lepidum Hieronymi dictum in apologia priori contra Rufinum, qui Euſebii Ariani pro Origene librum S. Pamphili Martyris titulo prænotatum publicaverat: *cum tantam*, inquit, *habeas licentiam nominum immutandorum, ut de Euſebio Pamphilum, de hæretico Martyrem feceris, cavendus homo, & mihi maximè declinandus, ne me repente dum neſcio, de Hieronymo Sardanapalum nomines.* Hæc ille. Poterat Garnerius, Antoniano Donatiſta in malam crucem abire juſſo, legere caput 133. collationis, ubi ponitur inter Catholicos *Antonius Epiſcopus plebis Mutugennenſis.* Holſtenius hanc Eccleſiam in Numidia ponit. Auguſtinus *villam Mutugennam* in territorio Hipponenſi recenſet epiſt. 204.

Innocentius Germaniensis. *Ita legitur in collatione. Eſt autem Germanenſis civitas in Numidia, ut conſtat ex Notitia: cenſetur enim inter confeſſores Numidas Epiſcopos Creſcentianus Germanenſis.* Si ab anno 411. ad annum 416. Innocentius Germanienſis ſuperſtes fuit, oulluſque alius hujuſce nominis Epiſcopus ioter CXXIII. Numidiæ Antiſtites exſtitit, verum dicit.

Præsidius & Crescentius. *Incertæ ſedis.* Nuſquam ſecuriùs ſibi conſulit, quam cùm ita loquitur.

Felix Tubiensis. *Ita legitur in collatione. Tubienſem verò Eccleſiam non procul à Villaregenſi poſitam, atque adeo in Numidia collocandam, colligi poteſt ex can. 48. Cod. Africanæ Eccleſiæ.* Vidiſti ex eodem canone oppoſitum evidenter deduci. Dixi etiam Holſtenium pag. 65. & 96. Tubienſem Eccleſiam cum Tubunienſe confundere: cùm tamen eidem collationi interfuerint ex cap. 121. *Felix Tubunenſis*, & ex cap. 133. *Felix Tubienſis*, ambo Catholici Epiſcopi.

Antonius Fussalensis. *Ita quidem mihi videtur, quamvis nulla ipſius mentio in collatione fiat, forte quia nondum ordinatus fuerat.* Quo ergo jure hic Antonius poſt annum 411. ordinatus, ſedit in Synodo Milevitana ante Donatum, Lampadium, & Delphinuoi, quos eidem collationi adfuiſſe Garnerius mox ſcribit? Junior antiquiores Epiſcopos ex can. 53. Cod. Africani præcedere non poterat.

Victor. *Ignotæ perinde ſedis, atque alter mox appellatus.* Hæc de utroque Victore ſcribens, nec oleum, nec operam perdit; quemadmodum malo eidem fato in aliorum ſedibus deſignandis contigit.

Honoratus Tabennensis. *Cur autem Honoratum, qui Milevitano huicce Concilio interfuit, Tabennenſem potius putem, quàm Moctarienſem, ſeu Matarienſem, qui recenſetur inter Epiſcopos in collatione, licèt ipſe quoque ad Numidiam pertineat, perinde ac Thabennenſis, facit Thabennenſis ſanctitas, familiaritaſque cum Auguſtino, cujus impulſu Synodus coacta eſt, à quo velut res ſua propter fidei ſtudium procurata, amicis, reor, non ſine invitatione prætermiſſis.* Et antea. *Suſpicatur Ortelius Thabennam eamdem eſſe cum Thabba, quæ nota fuit Ptolemæo. Suſpicionem non opinor levem.* Cum Thabenæ nec Plinius, nec Ptolemæus, nec Strabo meminerint; imò cum ejuſdem Epiſcopalis ſedes omiſſa fuerit à Carolo à S. Paulo, & Holſtenio, licet ex D. Poſſidio cap. 30. de vita S. Auguſtini *Honoratus Thabenenſis Epiſcopus* innoteſcat, Garnerius in tanto Scriptorum ſilentio, ſine teſte, Thabenam Numidiæ adſcribit. Unus A. Hirtius Thabenam opidum, ejuſque ſitum egregie tradit in libro de bello Africano: *Thabenenſes*, inquiens, *qui ſub ditione & poteſtate Jubæ eſſe conſueſſent, in extrema ejus regione maritima locati, interfecto regio præſidio, legatos ad Cæſarem mittunt. Cæſar eorum conſilio probato, M. Criſpum Tribunum cum cohorte, & ſagittariis, tormentiſque compluribus præſidio Thebenam mittit.* Tres id temporis in Africa reges erant. Juba Maſſiniſſæ pronepos mediterraneam Numidiæ regionem à Cirta uſque Zamam poſſidebat, itemquè Mauritaniam Sitifenſem uſquè ad Mulucham fluvium. Inde Bocchus Mauritaniam Cæſarienſem regebat; de quo hæc habet Dio lib. 49. *Fuit is Rex Mauritaniæ Cæſarienſis.* Poſtremus in Mauritania Tingitana rerum potiebatur Bogud, ex eodem lib. 48. Jubam poſt occiſum cum copiis Curionem pro Cæſare in Africa ducem, Pompejus eique adhærens Senatus Regem dixerat; quo tempore Bocchus, & Bogud eadem dignitate à Cæſare inſigniti ſunt, quæ ex Dione lib. 41. initio ferè belli civilis contigere. Juba tamen antea jure regio Getuliam, ac Libyam tenebat; cùm enim Curio eſſet tribunus plebis, tentaverat, ejecto Juba, regnum in provinciam Romanam redigere, teſte Cæſare lib. 2. de bello civili. Curio autem geſſerat tribunatum ex Dione lib. 40. Marcello, & Ruffo Conſ. biennio antequam à Juba occideretur. Plinius hæc

ſcribit

Digitized by Google

ſcribit lib. 5. cap. 2. de Mauritania Tingitana, & Cæſarienſi. *Namque diu Regum nomina obtinuere, ut Bogudiana appellaretur extima, itemque Bocchi, quæ nunc Cæſarienſis. Ab ea portus magnus à ſpatio appellatus, civium Romanorum oppidum; amnis Mulucha Bocchi Maſſeſulorumque finis.* Verùm olim poſt bellum Jugurthinum, ut ait Rufus, *in populi Romani poteſtatem Numidia venit.* Quæ quidem de regione maritima Numidiæ, quæ fuerat ditio Adherbalis à Jugurtha occiſi intelligenda ſunt, ex Salluſtio cap. 26. de bello Jugurthino; Zamam enim, & Cirtam regias in mediterraneis illius provinciæ urbes Cæſar Jubæ abſtulit; unde ea Numidiæ pars provinciæ novæ nomen ſortita eſt, auctoribus Appiano, & Dione. Quare ſi Thabenenſes erant *ſub ditione Jubæ in extrema ejus regione maritima locati*; ſanè erant in ora maritima Mauritaniæ Sitifenſis non procul à Mulucha, quà Mauritaniam Cæſarienſem Bocchi regis ſpectabat Et quidem aliquam Mauritaniæ partem Jubæ ſubditam fuiſſe, palam ex A. Hirtio intelligitur, qui ſcribit Regem, cum deſtinaſſet in Byzacium cum exercitu ad Scipionem pergere, Saburam cum aliis copiis in Mauritaniam miſiſſe, ne Rex Bogud, & Sitius Cæſaris præfectus ab altera parte ipſius regnum invaderent. Hinc apud Florum lib. 4. cap. 2. legitur *Mauritaniæ Rex Juba.* Addit idem Hirtius ferè in calce operis: *Publius interim Sitius, pulſo exercitu Saburæ præfecti Jubæ, ipſoque interfecto, quum iter cum paucis per Mauritaniam ad Cæſarem faceret, fortè incidit in Fauſtum, Afraniumque &c.* Erat id temporis Cæſar Uticæ in Proconſulari. Itaque illa Mauritaniæ pars, quæ olim Micipſæ, & Hiempſali illius filio parebat, & poſtea ex diviſione à legatis Romanorum facta, Jugurthæ tradita fuit, in Jubæ Hiempſalis filii poteſtatem venerat, in cujus maritima extrema regione Thabenenſes ab Hirtio ponuntur. Hæc me fortaſſe curioſiùs proſecutum dices; ſed rei obſcuritas id exegit; ſæpiùs enim illorum Africæ regum fines à Romanis mutati ſunt, ut optimè ex Strabone lib. 17. & Dione noveris. Quod ſi Garnerius in extremo quodam ac ſibi tantùm noto Numidiæ angulo ad Mediterraneum Thabenam fuiſſe contendat, unum ſaltem teſtem appellare debet, ut tot teſtimoniorum, quæ adduxi, fidem labefactet. Ex his intelligis, ſuſpicionem illam de Thabena cum Ptolemæi Thabba confundenda, quam *non levem* opinabatur, eſſe prorſus vaniſſimam; ſi quidem Ptolemæus Thabbam ponit in regione ſita inter fluvios Bagradam, & Tritonem: quorum primus propè Uticam in Proconſulari, alter propè Tacapem in Byzacio mari miſcetur; & tempore belli civilis nullum opidum maritimum in eo tractu à Juba tenebatur, ſed vel Cæſarianis, vel Scipionis, & Catonis præſidiis omnes illæ urbes inſeſſæ erant, ut ex commentariis Hirtii, Appiani, & Dionis apertiſſimè conſtat.

Donatus Boritanus, ſeu Burcensis. *Ita in collatione. Ubi vero Poſita fuerit Burca illa civitas, cujus Eccleſiam Donatus rexit, incertum eſt. In Notitia Epiſcoporum Numidiæ fit mentio Leontii Burcenſis.* Omnia prorſus invertit. Scribitur in cap. 133. collationis *Donatus Epiſcopus plebis Buritanenſis.* At excellentiſſimus immutandorum nominum artifex ex Buritanenſi Burcenſem reddit, ut in Numidia cenſeatur, cum Buritana Eccleſia incertæ provinciæ ſit. Rurſus ſuperiùs in notis ad *Servumdei*, dixerat hunc ſediſſe Buræ tempore collationis, qua in urbe poſtea anno 484. ut in Notitia habetur, fuit Epiſcopus, ut ille ait, *Leontius Burenſis.* At hunc ipſum Leontium modò affirmat fuiſſe ſucceſſorem poſt plures medios Donati Buritani, ſeu Burcenſis, qui eidem collationi adfuit. Suſpicor Buritanam Eccleſiam ſpectaſſe ad Proconſularem: nam act. 2. Concilii S. Martini inter illius provinciæ Epiſcopos ſubſcribit Synodicam *Creſcturus Buſitanus*, qui fortè Buritanus dicendus eſt; ni potius è contra Donatus Buſitanus appellandus videatur. Rem in medio relinquo.

Petrus, Præsidius, et Cresconius. *Incertæ ſedis.* Hic ſextus Creſconius tardè venit ad Garnerium, qui cum quinque aliis antea nominatis in epigraphe Creſconiis ſedes in Numidia deſtinaſſet, duabus etiam urbibus Titulitana ex Proconſulari, Tubienſi ex Mauritania Sitifenſi in Numidarum cenſum tranſlatis, ne quis Creſconiorum extra Numidiam ſacris præeſſet, nullam poſtea in hac provincia, imò nec in finitimis urbem habuit reliquam, ad quam ſextum Creſconium Epiſcopum mitteret. Doleo iſtius Antiſtitis vices, qui ſacris omnibus civitatum Africæ præfecturis à Garnerio aliis Creſconiis pro libito diſtributis, remanet *incertæ ſedis* Epiſcopus.

Lampadius Tiseditensis. *Ita quidem in collatione: at Tididitanus potius dici debet. Nam Notitia Numidarum Epiſcoporum meminit Abundii Tididitani.* Imò Notitiæ textus ex collatione fortaſſe corrigendus eſt; hic enim etiam inter Donatiſtas memoratur cap. 198. *Donatus Epiſcopus Tiſeditenſis*; cujus quidem nomen capiti 135. inſerendum eſt, ubi Lampadii Tiſeditenſis adverſarius non legitur, lacuna ibidem exſiſtente. Hanc urbem egregiè deſignat Salluſtius in bello Jugurthino cap. 62. ubi tradit Metello Romani exercitus imperatore contra Jugurtham Numidiæ Regem in hac ipſa provincia bellum gerente, pro componenda pace, eumdem Jugurtham *Tiſidium* accitum. Itaque Lampadius Tiſiditenſis, vel Tiſiditanus dicendus eſt, non Tididitanus. Lampadii urbem Tiſidium omiſit Carolus à S. Paulo, Holſtenius incertæ provinciæ adſcripſit; quam tamen fuiſſe in Numidia conſtat ex Salluſtio, & ex hac epigraphe, in qua Lampadius ejuſdem opidi Epiſcopus inter Numidas recitatur.

Delphinus. *Incerti nominis Eccleſiam rexit; vicinam tamen Conſtantinæ, ut colligitur ex cap. 65. collationis, ubi Petilianus Donatiſta interlocutus*: In plebe mea, *inquit*, id eſt, civitate Conſtantinenſi, adverſarium habeo Fortunatum; in medio autem diœceſis meæ nunc inſtitutum habeo, imò ipſi habent, nomine Delphinum. *Meminit hujuſce Delphini Auguſtinus epiſt. 158. &c.* Hic Epiſcoporum epigraphes agmen claudit; in quo quidem vellem cum Garnerio convenire, ut poſtquam in litteraria palæſtra diutiuſcule cum eodem luctatus ſum, amico erga eumdem animo ex certamine diſcederem, & ubi delphini imminentem procellam nautis indicant, ita hic Delphinus è contra commotam hucuſque geographicam tempeſtatem, in qua Garnerius naufragio proximus fuit, illata tranquillitate ſedaret. At novi iterum difficultatum fluctus inſurgunt. Res altiùs, licet paucis, repetenda eſt. Anno 411. Petilianus in collatione ita Marcellinum judicem allocutus dicitur cap. 165. cum plures Epiſcopi Catholici gloriarentur ſe ſuis in urbibus non habere Epiſcopum Donatiſtam: *Lucrum enim videtur his cedere, qui multos ſe adverſus noſtros habere per hanc provinciam oſtenderunt, ſi in provincia Numidia non oſtendamus, eos penitus non habere, aut habere certè, ſed raris locis.* Quæ licèt ab hæretico olim cauſidico, emphaticè dicta ſunt; illud tamen conſtat hæreſim Donatiſtarum, quæ ut ait Auguſtinus epiſt. 134. ad Pammachium, *in media conſulari Numidia* ortum habuerat, iſtius provinciæ urbes ita pervaſiſſe, ut plures Epiſcopum ſolummodo Donatiſtam ſine æmulo Catholico Antiſtite id temporis haberent. Hæ præſertim Eccleſiæ à ſolis Donatiſtis Epiſcopis occupatæ in collatione recitantur, *Lanſertenſis* cap. 143. *Idaſſenſis* cap. 182. *Legenſis*, *Lamiggenſis*, *Rotarienſis* cap. 187. *Tibilitana* cap. 197. *Ruſticianenſis* cap. 198. *Lambiritenſis* cap. 206. & aliæ plurimæ, ut ex interlocutione frequenti Aurelii Macomadienſis Numidarum Epiſcopi non obſcurè colligitur. Rurſus tempore collationis vacabant Catholicorum cathedræ per ſex Africanæ diœceſeos provincias *ſexaginta quatuor* cap. 215. quarum ut minimùm decem fuere in Numidia, cum in Tripolitana provincia quinque ſolum Epiſcopi numerarentur. Peracta collatione, victi Epiſcopi Donatiſtæ atque urbibus pulſi ab Honorio Imperatore, ſolum vertere coacti ſunt, ut patet ex Cod. Theod. *L. 54. & 55. de hæreticis dat. Conſtantio & Conſtante Coſſ.* anno 414. Tunc à Catholicis Epiſcopis in omnibus Africæ urbibus, ubi priùs hæretici ſacra miniſtrabant, Orthodoxi Antiſtites conſecrati ſunt, & viduatis cathedris novi Præſules aſſignati. Itaque in Numidia

viginti ſaltem Epiſcopi paulò poſt annum 411. inaugurati ſunt, quos omnes Delphinus jam ab anno 411. ante collationem Epiſcopus præcedebat. Itaque ſi hic ille idem eſt, qui poſtremus in titulo Synodicæ Milevitanæ recitatur, nullus illorum viginti Antiſtitum poſt annum 411. ordinatorum ad Synodum anni 416. ſe contulit. Quæ quidem unus Garnerius ſibi perſuaſerit. Præterea idem Petilianus in collatione cap. 65. de Sabino Epiſcopo Tuncenſi dixit: *ante biennium videtur eſſe conſtitutus*. Quare anno 409. Sabinus primus apud Tuncam Epiſcopus ſedit. Ibidem autem Petilianus teſtatur Delphinum *nunc inſtitutum* Epiſcopum in diœceſi Conſtantinenſi: nempe, 411. ut proximè notabam. Cum verò in epigraphe ioter Sabinum & Delphinum octodecim Epiſcopi oominentur, ſi hic Delphinus ille eſt, cujus mentio fit in cap. 65. collationis, affirmare debet Garnerius, intra biennium octodecim in uoa provincia Numidiæ Epiſcopos diem obiiſſe, ac totidem ſubrogatos, qui medii leguntur inter Sabinum & Delphinum. Quæ ſine tabulis, ſine teſte non credam. Verùm qui tot novas in Africam urbes tranſvexit, peſtem aliquam Numidiæ fortè importabit, qua intra biennium tantam Epiſcoporum ſtragem latè propaget. Nec credo Numidas de tot ſublatis tam brevi ſpatio Epiſcopis de Garnerio conqueſturos; cum Mopta, & altera Macomodia in ea provincia momento conditis, ac in illius diœceſim tranſlatis urbibus Tituli, Tubiæ, Girbæ, Dionyſianæ, Zellæ, Ruſpinæ, & aliis, quæ finitimis, vel incertæ provinciæ adſcribebantur, tam arctè Numidas ſibi devinxerit, ut in lucri loco deputare poſſint, octodecim Epiſcopos ſtatim ab hoc ſuo Polioctiſte ſublatos, cum factâ per eumdem tot opidorum acceſſione, provinciæ fines longè lateque protulerint.

Habes, Vir eximie, meum de Garnerii notis ad utramque epigraphen epiſtolarum Concilii Carthaginenſis, itemque Milevitani judicium; in qua quidem cenſura levi, ut ajunt, brachio eaſdem repaſtinavi. Profectò dum leges hunc ſcriptorem tot Africæ urbes confudiſſe, multas ignoraſſe, quaſdam nuper excitaſſe, plurimas io alienæ diœceſeos jura tranſcripſiſſe, Epiſcoporum, eorumque urbium nomina pro libito variaſſe, binos ſubinde Catholicos Antiſtites uni eidemque oppido præfeciſſe, defunctos dudum Præſules præſentes Synodis finxiſſe, & Donatiſtas pro Orthodoxis Patribus obtruſiſſe; dum, inquam, hæc portenta leges, jure optimo proounciabis in Garnerium, cùm opus, quod *a nemine hactenus tentatum* ſcribit, illotis, ut ajunt, pedibus aggreſſurus, in Africam tranſmitteret, illud Auguſti apoplithegma regeri potuiſſe, qui, teſte Macrobio lib. 2. Saturnal. cap 4. Nomenclatori ſuo ſatis obliviolo dixit: *Accipe commendatitias, quia illic neminem noſti.* Plinius ille noſter Veronenſis lib. 15. cap. 18. ſcribit, recentes ficus è Carthaginenſium hortis tridui tantùm navigatione Romam delatas, ac Patribus conſcriptis a Catone oſtenſas, Senatûs conſultum de æmula ac Latino nomini ſemper infeſta, urbe evertenda, iovitis ferè extorſiſſe. Hinc ipſe pariter receotes Geographiæ fructus, quos, te jubente, in Africa parumper cenſorio ſtylo verſatus decerpſi, tuis oculis ſubjicio, quo tot urbes nuper à Garnerio per Africam exſtructas, non dicam ſolo æquandas decernas, ſed quòd aeriæ prorſus ſuot, unico oris flatu diſpergas. Ille tamen teſtatur, *non ſine cura & labore* ſe aggreſſum opus, *quod hactenus tentavit nemo.* In quæ Garnerii dicta libeat hoc rudi carmine ludere.

MERCATORIS *opus, tantis quod mercibus auctum:*
Plurima Garneri cura labórque *fuit.*
Exſtruit hic urbes: alias è ſede revulſas,
Per Lybiæ celeres currere regna jubet.
Jus habet in Manes; quando ad ſuffragia mittit
Quos olim è vivis abſtulit atra dies.
Orpheus huic cedit: minor eſt Amphiona laude.
Quod ſemel his actum, ſæpiùs ille facit.

Hic tamen te monitum velim, ne feliciori aliis in ſcriptis Garnerii eruditioni quidpiam per me detractum putes; illum enim tanti facio, ut ſi ejuſdem de rebus Pelagianis commentaria hiſtoriam, quam de eadem hæreſi hoc anno Patavinis typis excuſam emiſi, prævenissent, mea ſtatim ſcripta (quod ſincerè affirmo, ac ſanctè juro) in angulum omnino projeciſſem; etenim plurima, quæ me primitus ea de re publicaturum arbitrabar, tam feliciter aſſecutus eſt, ut dubio procul plagii reus delatus fuiſſem, ſi poſt vulgatum Garnerii volumen, eadem repetere auſus eſſem. Fateor me in quibuſdam ab eo diſſentire; &, ut cetera ſileam, nequeo approbare ejuſdem emendationem, qua literarum Antiſtitum Pelagianorum textum corrigit. Nam diſſert. V. ex ſchedis a magno Sirmondo Veronæ Venetiarum urbe intra diœceſim Patriarchæ Aquilejenſis inveotis, ſibique communicatis, recitat libellum fidei Pelagianorum, quem ſcribit à Juliano Eclanenſi ad Sedem Apoſtolicam miſſum, in quo cum propè finem hæc legantur: *Illud etiam ſancte ac venerabilis Frater, & Pater Auguſtine, neceſſariò reſpondendum putavimus*; & certum ſit, ut optimè probat, hæc illos non ſcripſiſſe ad S. Auguſtioum Hipponenſem, putavit errorem in vetuſtiſſimum codicem irrepſiſſe, ac pro *Auguſtino* Zoſimum Papam reponendum; etenim Pelagianos Epiſcopos reſcribere ibidem ad ſuum Primatem, à quo hæreſim illam damnare per litteras jubebantur, idem Garnerius luculenter demonſtrat. Labitur tamen vir eruditus; nam id temporis celebris erat Auguſtinus Aquilejenſis Primas Venetiarum, Hiſtriæ, Norici utriuſque & Rhætiæ I. Audi Henricum Palladium, quo nemo diligentius, aut elegantius Aquilejenſium res in litteras miſit: *Poſt Chromatium*, inquit, *eligitur Patriarcha Auguſtinus, quo tempore alter Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus eloquentiæ, & doctrinæ fluminibus hæreticorum veſaniam in Africa obruebat.* In aula Patriarchali apud Utinum omnium Aquilejenſium Primatum elogia grandioribus, & pluſquam uncialibus characteribus antiquitus deſcripta leguntur. Porrò ibidem poſt Chromatium, Auguſtino hoc epigramma inſcribitur.

AUGUSTINUS URBE ROMA A GOTHIS DEVASTATA
CONSTERNATOS AQUILEJENSIUM ANIMOS
JEJUNIIS ET SUPPLICATIONIBUS SACRIS
AD DIVINAN OPEM IMPLORANDAM EREXIT.

Scribit ibidem Palladius Auguſtinum Aquilejenſem ſedem indeptum fuiſſe anno 414. eamque cum vita reliquiſſe anno 422. dato eidem Adelpho ſucceſſore. Errorem Ughelli in utroque Primate haud ſuo loco ſtatuendo, alibi me adnotaſſe lib. 2. Hiſt. Pel. cap. 12. Cum Zoſimus anno 418. Pelagianos damnaſſet, encyclicas ad Aquilejenſem, & Mediolanenſem Primates miſit, ut eaſdem ſuis in diœceſibus publicarent; quemadmodum paulò antea damnatis Romæ ab Anaſtaſio Papa Origeniſtis, Chromatius Aquilejenſis Auguſtini deceſſor, & Venerius Mediolanenſis acceptis ab Apoſtolica ſede litteris, itidem in ſuis diœceſibus per ſuffraganeos Epiſcopos Origeniſtas proſcribendos curaverant, teſte Hieronymo lib. 2. apologiæ contra Rufinum. Hinc Auguſtinus Primas Aquilejenſis Apoſtolicæ ſedis contra Pelagianos decretum cum litteris ad ſuarum provinciarum Epiſcopos miſit, quorum nonnulli cum Pelagianis erroribus tenerentur, memoratum fidei libellum ad Auguſtinum Primatem dederunt. Quam verò altius in diœceſi Primatis Aquilejenſis apud Eccleſiaſticos præſertim, Pelagiana hæreſis radices fixiſſet, conſtat ex litteris Septimii Altinatis ad S. Leonem Magnum, & hujus reſcriptis ad Primatem Aquilejenſem; de quibus fuſiùs egi in eodem libro de Hæreſi Pelagiana.

Ad Garnerium redeo. Hic in ſuis notis publicandis *nonnullam ab eruditis lectoribus gratiam iniri* poſſe ſperabat; verum tam infeliciter ea in re calculos poſuit, ut in lucri loco eidem reponendum videatur, ſi tam denſæ errorum farragini veniam à lectoribus impetret. Hinc fatearis neceſſe eſt, viros eruditos quandoque,

ut

Digitized by Google

ut tuo verbo utar, paratragœdiare, ac ſuis ipſorum ſcriptis nimiùm lenocinari; eadem confidenter æque ac audacter in oculos manuſque hominum mittentes, quæ tamen è re ipſorum eſſet, ſcrinio claudere, ac blattis corrodenda relinquere. Et quidem, ut de me loquar; non quod in eruditorum numerum venire auſim, ſed quia indoctorum, ut ait poeta, volumina paſſim ſcribentium turmæ accenſeor; exiſtimabam me ceteris diligentiùs in Pelagiana hiſtoria chronologiam tractaſſe; ſed quantum mea me opinio fefellerit, ſtatim intellexi: ſiquidem vel in ipſo limine in prochroniſmum impegi. Nam in primi pagina ſcripſi cum Baronio S. Athanaſium anno 372. diem obiiſſe; imò quod cum pudore dico, laudans Proterii Alexandrini Paſchalem ad Leonem Magnum epiſtolam, cum ibidem ex epocha Diocletiani, & charactere Paſchali evidenter deducatur, anno inſequenti ejuſdem obitum ſtatuendum fuiſſe. Plures meis in libris errores invenient rigidi cenſores, quorum agmen me manet: quibus, ubi me hallucinatum oſtenderint, gratias plurimas referam, quippe qui non mea, ſed ipſorum cura ac labore, non dicam doctior, ſed minus indoctus fiam; illud enim ſubinde Senecæ dictum repeto ex cap. 18. de vita beata; *Cum vitiis convicium facio, in primis meis facio.* Tu quidem, Vir Clariſſime, ſecurus ab hoc diſcrimine evades, qui magnum Philoſophum Socratem imitatus, nihil non dicam in literas mittis, ſed quod in te mirari tam ſæpè ſolitus ſum, tenaciſſima memoria fultus, ſuccenturiatis quibuſque ejuſdem præſidiis dimiſſis, nè verbum quidem unicum ſtylo alligas, ſed volumina devorans, tibi Muſiſque inſtar Aſpendii canis, publici judicii aleam refugis, & nullo ſcribendi cacoethe titillaris. Hinc te feliciſſimum puto, qui procul ab invidorum cenſuris, eximiis erga litteratos officiis nomen tanto nobilius poſteritati propagaſti, quanto dignius eſt, factu potius, quàm dictis nomen in ævum extendere. Plura juſtæ molis volumina Gallorum ac Batavorum typis excuſa, ac tibi certatim honoris gratia nuncupata, tot elogia ab eruditis quibuſque Italis ſuis in libris tibi paſſim inſcripta ſunt, ut nullus poſterorum, quibus bonæ artes in amore erunt, ignorare umquam poſſit, vixiſſe Antonium Magliabecum de literaria Republica ad invidiam uſque benemeritum: ut illa tantùm poſtrema tuo nomini dies ſtare poſſe videatur, quæ peſſimo mortalium fato librorum ac litterarum omnium altam oblivionem inducat. Ego ſanè nullum grati animi officium miſſum faciam, quo tibi quantulaſcumque vices rependam. Etenim non modò prior doctiſſimis ac humaniſſimis litteris me conveniſti, verùm etiam Illuſtriſſimi Senatoris & Equitis *Ferrantis Capponis* generis nobilitate, rerum agendarum peritia, juris utriuſque ſcientiâ, & magnâ etiam apud Principem gratia conſpicui, operam rogaſti, ut in Etruriam ſacræ eruditionis profeſſor vocarer. Annuit omnium gratiarum vir, quo ad beneficia pronior ne voto quidem fingi poteſt; ſciebat enim Sereniſſimo Cardinali LEOPOLDO (quo in nomine magnum Mediceæ gloriæ incrementum, & litterarum æque ac litteratorum cultorem & Mæcenatem incomparabilem Orbis veneratur) nihil eſſe antiquius, quam ut hiſtoria ſacra, quæ apud noſtrates exſilium pati videbatur, patriam in Etruria cum honore reciperet. Hinc ampliſſimi Senatoris operâ factum eſt, ut Sereniſſimus Magnus Etruriæ DUX COSMUS Eccleſiaſticam Hiſtoriam, quæ publicis ſapientum conventibus excluſa, cum umbraticis quibuſdam hominibus in Italia ſub paupere tecto hoſpitabatur, regia manu prehenſam, in Piſanum Atheneum, hoc eſt, in ſuam omnium ſcientiarum Regiam introduxerit, inſignémque eidem cathedram inauguraverit. Cum ſapientiſſimus idemque prudentiſſimus PRINCEPS optimè intelligeret, unam Hiſtoriam magnorum Regum nomina ad poſteros cum laude tranſmittere, eamdem tam nobili judicio, ac generoſâ munificentiâ demereri voluit: ut quando illum ſuprema & ſeris tantùm nepotibus nota dies cœlo inſeret, Hiſtoriæ munere in Etruſcæ gentis deſideriis, in omnium populorum, qui litteras extra barbariem norint, animis perenniter vivat. Et licèt illum ingens erga Superos religio, rarus in ſubditos amor, eximius litterarum cultus, ac ſollicita felixque gerendi imperii cura jam pridem Orbi univerſo ſpectabilem fecerint, ac grande iis, qui ſceptra moderantur, exemplum poſuerint; grato tamen Hiſtoriæ obſequio ultra ævum per ora hominum feretur, iiſdemque quibus virtutum ac litterarum notitia, ſpatiis pervagabitur. Ceterùm cùm ſinguli felici Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſub Maximo PRINCIPE ſorti adgratulentur, ipſe hoc unicè doleo, quòd me nulla ſacræ eruditionis ſupellectile ornatum, ejuſdem Hiſtoriæ primum in Piſana Academia interpretem deſignavit; vereor enim ne cùm ſublimis ſit Hiſtoriæ majeſtas, interpretis vitio minor eſſe videatur. Unus tamen, Vir undequaque eruditiſſime, ingentem animi moleſtiam minuis, dum è locupletiſſima bibliotheca, quæ domi tuæ atrium, cubicula, angulos quoſque occupat, libros ſubinde ad me tranſmittis, ut tantæ eruditionis ſuppetiis firmatus, animum non deſpondeam. Te interim precor, ut me Sereniſſimo DOMINO, qui te æque ac litteras amat, commendatum facias, ut tanti PRINCIPIS patrocinio fultus, felici fauſtoque auſpicio demandatum munus aggrediar. Vale ac me, ut ſoles, ama.

Finis Animadverſionum H. de Noris.

Epiſtola CLXXV. Inſcriptiones hujus Epiſtolæ & ſequentis copioſe explicuit Eminentiſſ. Cardinalis, contra *Joan. Garnerium*. Sed cùm ad ipſas Epiſtolas nihil dixerit, nonnulla ad eas monebimus, ad doctrinam quam complectuntur pertinentia. Quamvis enim, ne quis calumnietur candorem noſtrum, multa ſint, quæ improbamus in doctrina PELAGII, ejuſque ſequacium; adverſarii tamen ejus non ita ſeſe geſſerunt, ac ratiocinati ſunt, ut poſſint etiam à nobis per omnia probari. Damnatus quidem ille eſt & conviciis exagitatus ab omnibus, etiam quibus ejus dogmata ignota erant, ex quo eſt ab Africanis Epiſcopis infamatus; ſed nulla hominum damnatio efficere poteſt, ut quod verum fuit falſum fiat, & vice verſâ nullæ hominum laudes ex errore veritatem faciunt. Præterea notum eſt, in magnis cœtibus, res magnis affectibus dijudicari; nec in re tàm difficili facile fuit verum a falſo ſecernere omnibus illis Africanis Epiſcopis, quorum nonnulli ne ſcribere quidem potuiſſe dicuntur 1. Collat. Carthag. c. 133. & doctiſſimi ævi, præter dicendi facultatem, pro modulo illius mi, quid eximium habuerint non video. Non dicerem hæc, niſi viderem multitudine & auctoritate, multò magis quàm rationibus pugnari.

§ 2. *Id agunt iſti* (Cœleſtius & Pelagius) *damnabilibus diſputationibus ſuis, ut non defendendo; ſed potiùs in ſuperbiam ſacrilegam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei, quâ Chriſtiani ſumus.*] Non capio qui in ſuperbiam extollerent liberum arbitrium, & quidem adverſus Deum, qui fatebantur eum creatorem eſſe humanæ naturæ, omniúmque ejus facultatum, adeò ut ei debeant homines quidquid habent boni, & ab eo quaſi ab omnium rerum domino pendeant; hominem verò, cùm naturâ ſuâ minimè peccator eſſet, ſuâ unius culpâ in peccatum eſſe delapſum, & delabi, non verò Dei, quaſi illi negaſſet quæ neceſſaria erant ad vitandum peccatum; nec eo ſecius Deum voluiſſe ei ignoſcere peccata & æternam vitam largiri, cùm contraria omnia meritus eſſet, ſi modò Evangelio pareret, miſſo ei, ex mera gratia, ſervatore Jeſu-Chriſto, qui gratiam illam Dei ei adnunciaret, & ad officium miſericorditer revocaret; neve homo parum credibile eſſe cenſeret, quod ille nunciabat, addidiſſe Chriſtum miracula, quibus fidem ſibi, vel apud pertinaces, faceret; internum etiam auxilium ſuppeditare quo animos hominum illuſtrat, quamvis non neceſſariò adducat ad credendum; quin & per baptiſmum homines regenerari, & filios Dei fieri. Quod à *Pelagio* dictum multis oſtendit *Dionyſ. Petavius* in Hiſtoria Dogmatum Pelagianorum, quæ eſt Tom. III. Dogm. ejus Theologicorum Ed. Amſtelodamenſis. Hoc unum dicebat *Pelagius* pendere ab homine quod *poſſet* rectè uti aut abuti tot divinis beneficiis; qua in re, quamvis

vis ſummopere vituperandi ſint, qui beneficiis Dei abutuntur, non ſunt admodum laudandi, ſi rigidi cenſores naturæ noſtræ eſſe velimus, qui iis rectè utuntur; nam quòd poſſint hoc præſtare, totum muneris eſt divini, nec mirum eſt eos felices eſſe malle in æternum, quàm miſeros. Furioſum quidem eſt, & impium, Deo vitam & mortem offerente, eligere mortem: at profectò non eſt eximiæ cujuſdam prudentiæ, & virtutis malle vitam. Quis ſuperbiat ob ſapientiam & acumen, quòd maluerit vivere, quàm mori? Eſt igitur, ex ſententia *Pelagii*, cur Deo gratias agant homines, ſed non cur ſibi placeant ac plaudant. Africanæ, aut Punicæ Rhetoricæ exaggeratio fuit, cùm liberum arbitrium *in ſacrilegam ſuperbiam* extollere dictus eſt. Quàm facile fuit *Pelagio* premere contrarias partes invidioſis conſectariis, Deum jubere impoſſibilia, æternis pœnis afficere homines quòd impoſſibilia non præſtitiſſent, aliiſque id genus, quibus excuſatur planè homo, ac tota culpa in Deum conjicitur? Humilitatis Chriſtianæ eſſe putabant, ſi Deus omnium bonorum auctor fieret; & quidem meritò; at non ita id intelligi oportuit, ut fieret eadem operâ iniquus judex, quod Deo eſt contumelioſiſſimum. Ac ſanè hiſce permota ſæcula ſequentia in *Pelagii* opinionem dilapſa ſunt, quam etiam *Auguſtino* tribuerunt, cui ipſa *Pelagii* opuſcula adſcripſerunt; quia non poterant ſibi perſuadere tantum virum, quantum eum fuiſſe ex fama putabant, ejuſmodi conſectaria potuiſſe concoquere. Profectò ſi Africani illi Patres id fuiſſent, quod videri volebant, gravibus illis Auguſtinianæ ſententiæ incommodis probe penſitatis, ſibi non liquere potiùs dixiſſent, quàm tot damnationibus, quarum aliæ ſuper alias quaquaverſum mittebantur, doctrinam non intellectam damnaſſent.

Pergunt hiſce verbis: *quâ & ipſum noſtræ voluntatis arbitrium verè ſit liberum, dum à carnalium concupiſcentiarum dominatione liberatur, dicente Domino:* ſi vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis; *quod auxilium fides impetrat quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Non dubitabant Pelagiani quin divinâ gratiâ homines à peccatis liberarentur, ſi modò ea rectè uterentur. Sed putabant homines ea poſſe abuti, ac præterea neminem eſſe uſque adeò mancipatum peccato, ut gratiâ illâ excitari nequeat, ad ſervitutem illam fugiendam. Sed quid ſibi volunt boni Patres Africani, quando addunt, *quod auxilium fides impetrat?* Id enim auxilium, quod fides impetrat, non eſt gratia *quâ ſimus Chriſtiani*, quæ antecedit fidem, non eam ſequitur; nam quando credidimus & fide aliquid à Deo impetramus, jam ſumus Chriſtiani. Redolent illa verba Semipelagianiſmum, aut ſimile quidpiam. Itaque aut boni illi viri nondum ſatis intelligebant doctrinam *Auguſtini*, aut eſt hoc additamentum; cùm, ut adnotant Benedictini, in duobus MSS. Codd. deſint.

Iſti autem adſerunt, ſicut à fratribus, qui eorum libros legerunt, cognovimus, in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis conſtituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei poſſit implere, ſive naturaliter in corde conſcriptam, ſive in litteris datam. Eamdem quoque Legem ad gratiam Dei pertinere, quòd illam Deus in adjutorium hominibus dedit. Si credimus auctori *Prædeſtinati*, in prima Synodo Carthaginienſi, quinquennio ante habita, *obtulerunt* Cœleſtio *libros ſuos*, in quibus Pelagiana dogmata explicabat. Quod ſi verum eſſet, non mirari ſanè non poſſemus Carthagine non adſervatos fuiſſe libros illos, ut quàm jure damnatus ille eſſet liqueret; utque contra eum, ubi uſus poſtularet promerentur. Sed parum hoc credibile eſt, cùm *Cæleſtium* hìc Patres Carthaginienſes damnent, libris ejus minimè inſpectis. Verùm & hoc mirum eſt, graves Epiſcopos tam acerbas ſententias in abſentem dixiſſe, minimè lectis ejus libris & recitatis dumtaxat accuſatorum litteris. Quæ ratio judicandi à nemine paullò æquiore defendi poteſt; præſertim cùm difficiles quæſtiones agerentur, in quibus facillimum erat ſententiam non auditorum malè intelligere. Itaque & æquiùs & prudentiùs ſe geſſiſſet Synodus, ſi judicium poſt lecta Pelagiana ſcripta diſtuliſſet. Ad id verò quod hìc ex illis habet quod attinet; creationem ac legem *gratias* Dei eſſe, non poteſt hoc negari, cùm ſint hæc longè maxima Dei beneficia. Niſi enim nos ratione præditos Deus creaſſet, non poſſemus ei parere, neque beatitudine frui; niſi etiam legem Evangelicam promulgaſſet, officium noſtrum nobis parum notum fuiſſet, maximáque credendi incitamenta, ac præſtantiſſima præmia non haberemus. Profectò non capio cur ſpretim de hiſce tantis Dei gratiis loquantur Africani Patres, niſi accedat afflatus neſcio quis, cui reſiſtere non licet, iſque pauculis concedendus. Prioribus beneficiis refertæ ſunt Litteræ Sacræ, adeóque perſpicuè de iis loquuntur, ut ſine inſania, ab iis qui Scripturæ credunt, negari nequeant: poſteriorem verò fruſtra probare nituntur Patres Africani, nec quidquam proferunt, præter loca aut planè aliena ab eo quod ſpectant, aut ſummùm ambigua. Hoc quoque meritò deſideres in hac eorum Epiſtola, quòd *gratiam* illam ſuam nuſquam definiant, neque vocis ambiguitatem diſcutiant; quaſi illo uno ſenſu, quem volebant, legeretur in Scriptura, ſatiſque eſſet proferre loca in quibus exſtaret, ut probaretur quod ſentiebant. Aptum hoc eſt, fateor, ad movendam invidiam, at minimè ingenuum, accommodúmque ad probandum quod volunt, apud homines veritatis ſolius amantes.

3. *Illam vero gratiam, quâ, ut dictum eſt, Chriſtiani ſumus, cujus Apoſtolus prædicator eſt, dicens:* Condelector enim legi Dei, ſecundùm interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me ſub lege peccati, quæ eſt in membris meis. Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum; *nolunt omnino agnoſcere, ſed nec apertè quidem oppugnare audent.* Verùm in Pauli verbis, quid aliud eſt *gratiâ Dei*, quàm *Dei miſericordiâ*, aut *Dei beneficio?* Nemo contrarium umquam ex vi nativa vocis, uſúque probabit. Non negabat autem *Pelagius* homines Dei beneficio peccato eripi; ſed negabat fieri id afflatu quodam interno, cui reluctari non liceret, & ſine quo cetera omnia Dei beneficia inutilia eſſent. Oportebat Africanos Præſules perſpicuè ſuam & *Pelagii* ſententiam exprimere; ut quid ſentiendum, quidve damnandum, ex eorum ſententia, manifeſtò liqueret. Sed longè maximam partem Chriſtianorum in ſe concitaſſent, ſi apertè dixiſſent quod ſentiebant; neque enim ante hæc tempora, & ante definitiones Africanorum Conciliorum, aliter de gratia homines ſenſerant, quàm *Pelagius*.

Pergunt Carthaginienſis Concilii Patres: *ſed quid aliud agunt, cùm hominibus animalibus, non percipientibus quæ ſunt ſpiritûs Dei, perſuadere non ceſſant ad operandam perficiendámque juſtitiam, ac Dei mandata complenda, ſolam ſibi humanam ſufficere poſſe naturam?* Sed mandata Dei non ſunt ejuſmodi, ut omni vi deſtituta ſint ad movendos hominum animos. Eorum maximus conſenſus cum recta ratione, conſtitutionéque ipſa humanæ naturæ; magnifica præmia, iis adjuncta; miracula, quibus eis fides facta eſt; exempla ſanctorum virorum, ac præſertim Chriſti, qui ea obſervarunt; hujuſce vitæ miſeriæ ac calamitates, quæ fruſtra beatitudinem, quam uſque adeò optamus, in ea quæri oſtendunt, aliáque id genus maximæ ſunt efficaciæ ad revocandos, paullatim certè, homines ad bonam frugem. Sed *homo animalis*, inquies, ut docet Paulus 1 Cor. II. 14. ad quem locum reſpiciunt Afri Præſules, *non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei.* Imò *non admittit*, *οὐ δέχεται*, hoc eſt, iis non adſentitur, nimirum, dum eſt *animalis* ſequitúrque impetum brutorum, præſentia tantùm & ſenſilia quærentium. At nihil obſtat quominùs intellectâ & penſitatâ Evangelii præſtantiâ, animalis homo ejuſmodi eſſe tandem deſinat. Præterea enim quæſiverim à Patribus Afris, an non Deus jubeat homines animales deſinere animalibus cupiditatibus obſequi; annon mandata negligentes plectat, ac proinde excuſari non poſſe cenſeat? Hoc ſi ita eſt, quod nemo Chriſtianus neget, oportet ut habeant, aut poſſint ii homines conſequi quæcumque ſunt neceſſaria ad parendum; alioquin iniquum eſſet eis id imperare, ad quod præſtandum neceſſariis eſſent deſtituti

ſub-

Digitized by Google

ſubſidiis. Plura non addam, norunt enim quicumque haſce controverſias attigerunt, quæ hanc in rem ſoleant dici. Sed audiamus Afros Epiſcopos, oſtendentes *ſolam naturam humanam* non ſufficere ad pareodum Evangelio, circumſtantiis, quas antea memoravimus, cincto & ſuffulto.

Non attendentes quod ſcriptum eſt: Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram; (Rom. VIII, 26.) *&*: non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; Rom. IX, 16.) *& quod* unum omnes ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, habentes dona diverſa, ſecundùm gratiam quæ data eſt nobis; (Rom. XII, 5.) *&*: gratiâ Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantiùs omnibus illis laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum; (1 Cor. XV, 10.) & gratias Deo qui dedit nobis victoriam, per Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum; (Ibid. 57.) *&*: non quia idonei ſumus cogitare aliquid, quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; (2 Cor. III, 5.) *&*: habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, ut eminentia virtutis ſit Dei & non ex nobis; (2. Cor. IV, 7.) *& innumerabilia talia, quæ de Scripturis omnibus ſi colligere velimus, tempus non ſufficiat.* Recordandum hæc omnia proferri, ut probetur *gratia* quam deſcripſimus, hoc eſt, internus afflatus iſque neceſſarius, ut Chriſto credamus; nec dubium eſt quin potiſſima loca hæc eſſe putarint Synodi Patres, quibus Pelagianiſmus profligari poterat. Atqui ne unus quidem probat id quod volunt; quæ ratio citandi Scripturam fuit illorum ſæculorum, quibus ſoni ſingulorum vocabulorum, quàm ſententiæ locorum, pro orationis totius ſerie, multò major ratio habebatur. Statim enim ac ſonus verborum non prorſus abludere videbatur ab eo quod agebatur, res confecta putabatur, & probatum quod erat in controverſia. Scilicet, declamitare, & effutire quidquid in os veniebat apud plebem excommunicandam, ſi fortè à declamante diſſentiret, multò facilius fuit, quàm Criticæ ſeriam operam dare. *Spiritus* qui *adjuvat infirmitatem noſtram*, de quo Paulus, eſt qui eſt in jam credentibus, eóſque in orationibus rectè fundendis apud Deum adjuvat. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis*, quod verbum Dei mittitur ad populum quempiam ad cognitionem ejus vocandum; ſed quid hoc facit ad afflatum ſingulorum? *Gratia*, ſecundùm quàm ſunt diverſa dona, non eſt gratia, quâ ſinguli fideles ad Deum converſi ſunt, ſed beneficentia varia Dei, quâ aliis alias dotes conceſſerat; ſeu ſolitâ ſuâ providentiâ, ſed extraordinariâ ſpiritualium donorum effuſione. *Gratia Dei*, quâ Paulus *erat id quod erat*, hoc eſt, Apoſtolus, eſt Dei miſericordia & munificentia, quâ eum ei muneri ſuſtinendo neceſſariis donis inſtruxerat; nec quiſquam umquam negavit à Deo, per Jeſum Chriſtum, nobis datam eſſe de peccato victoriam, ac eſſe cur proterea ei gratias agamus; verum hoc factum afflatu interno & ineluctabili, nuſquam docet Scriptura. *Sufficientia* ſanè omnium Chriſtianorum, ad cogitandum aliquid Evangelio conſentaneum, eſt à Deo; quis enim neſcit Evangelium non ingenio hominum, ſed Deo deberi? At Apoſtolorum præſertim *ſufficientia*, ad munus, ad quod vocati fuerant, ſuſtinendum, non humana, ſed divina fuit. *Theſaurus* denique *in vaſis fictilibus*, de quo Paulus, ſunt dona Apoſtolica, ut liquet ex ſerie contextûs. Si oculi non planè negligenter conjiciantur in loca allata, veriſſima eſſe omnia ac manifeſtiſſima quæ diximus comperientur; unde intelligera licebit bonos illos Patres Africanos parum aptos fuiſſe Scripturarum interpretes, ac proinde meram eorum auctoritatem levis ponderis eſſe oportere.

§ 4. *Conſideret ſanctitas tua & paſtoralibus nobis compatiatur viſceribus, quam ſit peſtiferum & exitiale ovibus Chriſti, quod iſtorum ſacrilegas diſputationes neceſſariò conſequitur, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem; quod Dominus & diſcipulos monuit, & poſuit in oratione quam docuit; aut ne deficiat fides noſtra, quod pro Apoſtolo Petro ſe rogaſſe ipſe teſtatus eſt.* Non neceſſariò hoc ſequitur, nam particula illa orationis Dominicæ, aut preces Chriſti pro Petro non ſignificant id, quod innuunt Patres, quaſi hoc ſibi vellent: ô Deus, fac afflatu inrerno, cui reſiſtere nequeamus, ut teotationem vincamus; quidni enim Deus poteſt impedire ne ſuccumbamus tentationi, ipſam tentationem minuendo, ac temperando, ita ut vires noſtras non ſuperet? Novit ille quàm firmi, aut quàm infirmi ſimus, meliùs quàm nos; poteſtque ea amoliri, quibus ægerrimè pares eſſemus, ſi adeſſent; & quibus remotis, facilè in pietate conſtantes ſumus. *Si enim hæc poſſibilitate naturæ & arbitrio voluntatis*, inquiunt tamen Afri, *in poteſtate ſunt conſtituta, quis non ea videat à Deo inaniter peti, & fallaciter orari, cùm orande poſcuntur quæ naturæ noſtræ jam ita conditæ ſufficientibus viribus obtinentur?* At quamvis forte concederet *Pelagius*, nullam contingere tam atrocem tentationem, cui reſiſtere nequeamus, naturâ Evangelio illuſtratâ & emendatâ; non negabat tamen, nec negare poterat in periculo conſtitutis ad Dei auxilium, etiam extraordinarium, eſſe confugiendum, duabus de rationibus. Primò tametſi viribus ſemel à Deo conceſſis, & confirmatis promiſſis divinis, reſiſtere teotationi poſſumus; poſſumus etiam in ea cadere, quod non ita facile contingit, cùm inuſitato Dei auxilio, quodcumque ſit (modò ne ſit ineluctabilis afflatus) adjuvamur. Quis autem in periculo non ſibi optet non modò quod eſt prorſus neceſſarium, ſed etiam quàm maximas vires, ut faciliùs & ſecuriùs ſe ſe eo expediat? Deinde inter ipſas vires, quas Deus Chriſtianis ſufficientes largitur, nihil vetat, pro magnitudine periculorum, inuſitata auxilia haberi. Itaque non potuit meritò inſimulari *Pelagius*, quaſi doctrinâ ſuâ orationis uſum ſuſtuliſſet.

§ 5. *Contradicitur etiam iſtorum contentione benedictionibus noſtris, ut in caſſum ſuper populum dicere videamur quidquid eis à Domino precamur, ut rectè ac piè vivendo illi placeant, vel illa quæ pro fidelibus precatur Apoſtolus, dicens*: flecto genua mea ad Deum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti —— ut det vobis ſecundùm divitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per Spiritum ejus. *Si ergo voluerimus benedicendo ſuper populum dicere*: da illis, Domine, virtute corroborari, per ſpiritum tuum; *illorum nobis diſputatio contradicit, affirmans negari liberum arbitrium, ſi hoc a Deo poſcitur, quod in noſtra eſt poteſtate: virtute enim ſi corroborari volumus, inquiunt, poſſumus eâ poſſibilitate naturæ, quam nunc non accepimus, ſed cum crearemur, accepimus.* Quaſi verò innumera non ſint, præter creationem, quæ à Deo petere poſſumus, ut curriculum pietatis conſtanter decurramus, quæ tamen minimè ſunt ineluctabilis afflatus! Semper quidem eſt ſaluti incumbendum, *cum timore & tremore*, quia quamvis Deus *faciat velle & perficere in nobis*, poſſumus omnibus auxiliis abuti; ſed minùs tamen timendum nobis eſt, cùm Deus amovet à nobis plurima, quæ in hac vita virtutem noſtram labefactare poſſent. Is metus, eáque ejuſmodi auxilii divini invocatio cum libero arbitrio optimè conſiſtunt. Hic poſſemus, nomine *Pelagii*, objicere Afris, ex eorum ſententia à Deo nihil potuiſſe peti; cùm reprobis quidem neceſſaria negare, electis verò omnia concedere, etiam non petentibus, ab æterno decreverit. Sed fatendum homines non ſemper convenienter dogmatibus ſuis ſe gerere; nec ſunt inſimulandi, niſi eorum quæ faciunt.

§ 6. *Parvulos etiam, propter ſalutem quæ per ſalvatorem Chriſtum datur, baptizandos negant, ac ſic eos mortiferâ iſtâ doctrinâ in æternum necant, promittentes, etiamſi non baptizentur* &c. Fatentur tamen poſtea Cœleſtium faſſum eſſe *per baptiſmum Chriſti parvulorum fieri redemtionem. Sed multi*, inquiunt, *qui illorum perhibentur eſſe vel fuiſſe diſcipuli hæc mala, quibus fundamenta Chriſtianæ fidei conantur evertere, quacumque poſſunt, affirmare non ceſſant.* Quid de ſingulis quæſtionibus, quæ de baptiſmate proponi poſſent, cenſuerit *Pelagius* neſcio; ſed hoc ſcio, ex Novo Teſtamento probari nullo modo poſſe neceſſarium eſſe baptiſma ſaluti infantium, aut præceptum eſſe à Chriſto eos baptizari. Itaque nonniſi abſurdè *funda-*

menta fidei vocare potuerunt Afri ea de quibus altum eſt in Novo Taſtamento ſilentium. Attamen, ut jam alibi dixi, non damno baptiſma infantium; quod eſſe queat, ſi velimus, non tantùm profeſſio fidei parentum, ſed & ſymbolum redemtionis infantium, non quidem à peccato quo carent, ſed à vanitate cui cum ceteris creaturis ſubjacent, & à qua liberabit eos Chriſtus in ultima reſurrectione.

Epiſtola CLXXVI. § 2. *Cùm Dominus docuerit ut dicamus*: dimitte nobis debita noſtra &c. *iſti dicunt poſſe hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis ad tantam perfectionem juſtitiæ ſuæ, ſine adjutorio gratiæ ſalvatoris, per ſolum liberum arbitrium pervenire, ut ei non ſit jam neceſſarium dicere*, Dimitte &c. At non dicebant quemquam per totam vitam immunem prorſus peccatorum vixiſſe, excepto uno Chriſto; unde ſequebatur neminem eſſe, ex eorum ſententia, qui non deberet dicere: *dimitte* &c. Nam ad finem uſque vitæ peccatorum ſemel admiſſorum veniam petere omnes neceſſe habemus. Hæc ergo eſt invidioſa criminatio; qualis eſt & ſequens: *illud verò quod ſequitur*, ne nos inferas in tentationem, *non ita intelligendum tamquam divinum adjutorium poſcere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, ſed hoc in noſtra eſſe poſitum poteſtate.* Quamvis, ex *Pelagii* ſententia, gratiæ cœleſtes neminem adigant ad officium; attamen non parum in tentatione juvant, ac ſine iis in gravibus tentationibus homines ſuccumberent. Quare à Deo, uti putabat, erant auxilia illa petenda. Igitur fruſtra contra eum addunt Numidæ Epiſcopi: *tamquam fruſtra Apoſtolus dixerit*: non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; *&*: fidelis Deus, qui non permittet vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam exitum, ut poſſitis ſuſtinere. *Fruſtra etiam Dominus dixerit Apoſtolo Petro*: Rogavi pro te, ne deficiat fides tua; *& omnibus ſuis*: vigilate, & orate ne intretis in tentationem; *ſi hoc totum eſt poteſtatis humanæ.* De primo loco Rom. IX. diximus ad antecedentem Epiſtolam. Secundus 1. Cor. X, 13. planè contrarius eſt ſententiæ *Auguſtini*, cùm doceat Paulus Deum adjuvare fideles, non ut ineluctabili afflatu acti ſuſtineant tentationem, ſed ut *poſſint ſuſtinere*, quod ſolum promiſit Deus. De ceteris etiam antea egimus.

Ibidem. *Pueros quoque parvulos, etſi nullis innoventur Chriſtianæ gratiæ ſacramentis, habituros vitam æternam, nequam præſumtione contendunt, evacuantes quod dixit Apoſtolus*: (Rom. V, 12.) Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt; *& alio loco*: (1. Cor. XV, 22.) ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes vivificabuntur.] Exiſtimabam legendum in loco Rom. V. *mors pertranſiit*, nam vox ὁ θάνατος eſt in omnibus Græcis exemplaribus; ſed & alibi perperam ita profertur hic locus ab *Auguſtino*, ut in Lib. IV. contra duas Epiſt. Pelagianorum num. 7. Atque ex hac omiſſione perperam etiam argumentatur. Verum hujus loci ſenſus eſt: *ut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: ita etiam mors in omnes homines pertranſiit, quia omnes peccarunt.* Nam οὕτως καὶ *ſic &*, perinde eſt ac καὶ οὕτως, *& ſic*, ut Luc. XVII, 24, 26. Jac. II, 26. Deinde ἐφ' ᾧ eſt *quia* vel *eo quòd*, non *in quo*, ut 2. Cor. V, 4. Phil. III, 12. Quod viri doctiſſimi dudum oſtenderunt, ut & hic agi de peccato actuali, cujus capaces non ſunt infantes. Locus alter 1. ad Cor. nihil ad rem facit. Vult enim Paulus, ut unus Adamus mortem introduxit in mundum, omnibus qui eum imitantur morientibus: ſic quoque Chriſtum beatam reſurrectionem allaturum omnibus, qui ei parebunt. Nullus hîc ſermo de peccato infantium, qui conditione naturæ, quia hominibus mortalibus nati ſunt, non quaſi ſupplicio de iis ſumto, moriuntur; ut oſtenderunt doctiſſimi Theologi, quos non nemorabimus.

Epiſtolâ CLXXVII. § 2. *His auditis verbis* (Pelagii *gratiam Dei* ſe agnoſcere profitentis *Catholici Antiſtites* (in Dioſpolitana Synodo) *nullam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt, niſi quam in libris Dei legere & populis Dei prædicare conſueverunt; eam utique, de qua dicit Apoſtolus*: (Gal. II, 21.) non irritam facio gratiam Dei. Nam ſi per legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt; *ſine dubio gratiam, quâ juſtificamur ab iniquitate, & qua ſalvamur ab infirmitate, non quâ creati ſumus cum propria voluntate*] Verùm non ſola creationis beneficia agnovit *Pelagius*, ut ſæpiùs diximus, verùm etiam Evangelica omnia; ſed non gratiam illam efficacem Auguſtinianam, ante eum incognitam, præſertim in Oriente. Itaque Joannes Hieroſolymitanus *Pelagium* orthodoxum eſſe cenſuit, ut ex *P. Oroſio* ſatis liquet. Locus Pauli nihil facit contra *Pelagium*, cùm *gratia Dei* ibi ſit Evangelium, aut Evangelica Oeconomia, quâ Deus juſtos cenſet, non eos, qui peccato carent, ſed qui Evangelio parent; quamvis anteacta eorum vita vitiis inquinata fuerit, nec ſine lapſibus variis reliquam ætatem traducant. Eo ſenſu, ſemper ſumitur *gratia*, quando opponitur *Legi*, quæ ex Judæorum ſententia, contra quos Paulus diſputat, ſummam perfectionem poſtulabat. In hac autem diſputatione Epiſtolæ ad Galatas, ut & in ſimili, quæ legitur in Epiſtola ad Romanos, perpetuò *gratia* opponitur *Legi* & *operibus*, hoc eſt, miſericordia rigori, imperfecta obſervatio mandatorum Dei perfectæ ſanctitati. Meridianâ luce hoc clarius eſt, nec recentiorum Interpretum quiſquam rem non vidit. Itaque ſenſu Auguſtiniano hic minimè ſumitur, ut nec uſquam alibi in Scriptura. Quamobrem teſtimonia allata § 8. omnia ſunt extra rem. Qui tam negligenter legebant Scripturam, & tam oſcitanter laudabant, eos nobis quaſi egregiorum Interpretum exemplaria proponi quis ferat? Quis quaſi dogmata ad ſalutem neceſſaria, ut putabant, ex locis tam malè intellectis deducta, imponi ſibi patiatur?

§ 18. *Sed quoquomodo ſe habeat iſta quæſtio, quia, etſi non invenitur in hac vita ſine peccato; id tamen dicitur poſſe fieri per adjutorium gratiæ & Spiritûs Dei; quod ut fiat conandum atque poſcendum eſt, tolerabiliter in eo quiſque fallitur, nec diabolica impietas, ſed error humanus eſt.*] Videtur hic diſtinguere gradus errorum *Auguſtinus*, quod & alibi facit; ſed debuiſſet etiam ubique diſtinguere gradus neceſſitatis in dogmatibus, nec quaſi prorſus neceſſarium obtrudere, quod, quamvis verum eſſet, nullo Scripturæ loco neceſſariò nobis credendum imponitur, nec indivulſo nexu cum neceſſariis dogmatibus conjunctum eſt.

Epiſt. CLXXXI. § 1. *Ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes quid Apoſtolicæ ſedi, cùm omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, debeatur* &c. Paullò pòſt: *Vel id verò quod Patrum inſtituta ſacerdotali cuſtodientes officio non cenſetis eſſe calcanda, quod illi non humanâ, ſed divinâ decrevere ſententiâ, ut quidquid, quamvis in disjunctis, remotiſque provinciis ageretur, non priùs ducerent finiendum, niſi ad hujus ſedis notitiam perveniret; ut totâ hujus auctoritate, juſta quæ fuerit pronunciatio firmaretur, indéque ſumerent ceteræ Eccleſiæ* &c.] Dignum eſt obſervatu quam avidè & callidè arripiat ſibi *Innocentius* jus quoddam ex Africanorum Præſulum facto, quod ita interpretatur, quaſi auſi non eſſent damnare Pelagiana dogmata, eo inconſulto; cùm ea prorſus damnaſſent, &, invito etiam Zoſimo, Innocentii ſucceſſore, poſtea damnarint. Notum etiam eſt, non tantùm temporibus Cypriani, ſed & hiſce quoque Afros Epiſcopos nullâ ratione pendere voluiſſe à judiciis Epiſcoporum Romanorum, ut liquet ex controverſia de appellationibus tranſmarinis hoc ipſo tempore nata. Hæc Epiſtola tumida eſt declamatiuncula, in eos qui negaſſent auxilium Dei eſſe neceſſarium ad piè vivendum; ſed non definitur ratio & genus auxilii, quo factum ut poſtea Cœleſtius hanc Epiſtolam facilè probarit.

Epiſt. CLXXXII. § 1. *Nam ut durum arbitror conniventiam præbere peccantibus: ita impium judico magnum negare converſis.*] Mendum hic eſt typographicum *magnum*, pro *manum*, ut liquet ex prioribus editionibus. Habet Editio *Eraſmi conlubentiam*, pro *con-*

niven-

niventia, & ſic etiam ea vox in Codice Theodoſiano ſcribi ſolet, ut obſervavit *Jac. Gothofredus*, cujus vide Gloſſarium Nomicum. Qui ita ſcribebant putabant dicendum *conbibeo*, non *conniveo*, ſed malè. In hac ſententia *Innocentii* videtur etiam inverſio eſſe, ita ut legendum fortè ſit: *ut ineptum arbitror conniventiam præbere peccantibus; ita durum judico manum negare converſis.* Certè hoc poſtularet ſermonis proprietas.

§. 5. *Illud verò quod eos veſtra fraternitas adſerit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari perfatuum eſt. Niſi enim manducaverint carnem filii hominis & biberint ſanguinem ejus, non habebunt vitam in ſemetipſis.* (Joan. vi. 54.) *Qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum baptiſmum velle caſſare, cùm prædicant hos habere, quod in eos creditur nonniſi baptiſmate conferendum.*] Verba quidem Chriſti Joan. vi. de manducatione carnis ejus, ad baptiſmum pertinere non cenſebantur ab Innocentio, ſed ad Euchariſtiam. Si autem ſtatuas ſine Euchariſtia neminem poſſe ſervari, quod doceri eo loco à Chriſto putabat, hinc ſequetur ſine baptiſmo vitam infantes conſequi non poſſe; quia Euchariſtia iis dari non ſolebat, niſi poſtquàm baptizati fuerant. Eo manifeſtò reſpicit *Innocentius*, eáque conſuetudine nititur vis ejus ratiocinationis. *Defendere parvulis vitam ſine regeneratione*, eſt defendere hoc dogma, parvulis ſine baptiſmo vitam dari. Notum eſt eo ævo datam infantibus Euchariſtiam, quaſi neceſſariam ad ſalutem, non aliter ac baptiſmum, quod ex loco Joannis malè intellecto hauriebant Veteres. Audi *Auguſtinum* Lib. i. de merito peccatorum, cap. xx. *Dominum*, inquit, *audiamus non quidem hoc de ſacramento lavacri dicentem, ſed de ſacramento ſanctæ menſæ ſuæ, quò nemo ritè niſi baptizatus accedit*: niſi manducaveritis carnem meam & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. *Quid ultra quærimus? Quid ad hoc reſponderi poteſt?* &c. *An verò quiſquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc ſententia non pertineat, poſſintque ſine participatione corporis hujus & ſanguinis in ſe habere vitam, quia non ait*: qui non manducaverit, *ſicut de baptiſmo*: qui non renatus fuerit; *ſed ait*: ſi non manducaveritis, *velut eos alloquens, qui audire & intelligere poterant, quod utique non valent parvuli?* Duo hæc Joannis loca malè explicata dudum oſtenderunt doctiſſimi quique Interpretes; unde ſequitur ut perperam baptiſmus & cœna neceſſaria ad ſalutem habeantur. Vide & quæ habet *Auguſtinus* Epiſt. cxvii. cap. v. Sed hæc, hoc quidem in loco, non attingemus. Hoc tantùm dicemus, liquere ex *Innocentii* verbis, non minùs ac Auguſtini loco, Euchariſtiam neceſſariam ad ſalutem ab iis creditam. Scio aliter viſum viris nonnullis doctiſſimis, ſed profectò, non eſt hac in re quæſita ab iis veritas, ſed quomodo *Auguſtinum* cùm hodiernis placitis conciliare poſſent. Vide Vindicias Auguſtinianas Emin. Cardin. *Henr. Noriſii* Cap. iv. paragr. 4. ubi multis de hoc *Innocentii* loco.

Epiſt. clxxxv. § 12. de Donatiſtis, qui ſibi mortem inferebant: *Qui autem neſciunt conſuetudinem illorum, putant eos modò ſe ipſos occidere, quando ab eorum inſaniſſima dominatione, per occaſionem legum iſtarum, quæ pro unitate ſunt conſtitutæ, tanti populi liberantur.*] Hæc ſunt accuſatoriè planè dicta; emollit enim *Auguſtinus*, quæ contra miſeros Donatiſtas fiebant, dum dicit *occaſione legum* ereptos illis populos; cùm debuerit dicere terrore legum, & graviſſimis pœnis, ut oſtendimus ad Epiſtolam xciii. Deinde quod addit viſuros eos iis qui eos non norant ſibi violentas manus intuliſſe, quòd populi liberarentur ab eorum dominatione, id eſt invidioſè dictum. Quaſi verò quiſquam ſe occidat, cui licet vivere & bonis ſuis tranquillè frui, dumtaxat quia munere Eccleſiaſtico dejectus eſt! Non magis Eccleſiaſtici Donatiſtæ dominabantur populis, quàm Catholici; nec quiſquam ſuſpicari poterat miſeros homines, tam levi de cauſa, velle mori; cùm præſertim conſtet eos tunc à Magiſtratibus peſſimè habitos.

Ibidem. *Qui autem ſciunt & ante ipſas leges quid facere ſoleant non eorum mirantur mortes, ſed recordantur mores; maximè quando adhuc cultus fuerat idolorum, ad Paganorum celeberrimas ſollemnitates ingentia turbarum agmina veniebant, non ut idola frangerent, ſed ut interficerentur à cultoribus idolorum. Nam illud ſi, acceptâ legitimâ poteſtate, facere vellent, poſſent habere qualemcumque umbram nominis martyrum; ſed ad hoc ſolum veniebant, ut integris idolis ipſi perimerentur. Nam ſinguli quique valentiſſimi juvenes cultores idolorum, quotquot occideret, ipſis idolis vovere conſueverunt.*] Crediderim quidem nonnullos, inconſultâ cupiditate Martyrii, Ethnicis ſacris illuſiſſe, ut ab iis interficerentur; ſed frequenter id contigiſſe, & præſentibus magnis Chriſtianorum agminibus, cùm Imperatores Chriſtiani eſſent, vix putarim. Neque enim licebat Ethnicis impunè Chriſtianos occidere.

Ibid. *Quidam etiam ſe trucidandos armatis viatoribus ingerebant, percuſſuros eos ſe, niſi ab eis perimerentur, terribiliter comminantes. Nonnumquam & à judicibus tranſeuntibus extorquebant violenter, ut à carnificibus, vel ob officio ferirentur* &c. *Jam verò per abrupta præcipitia, per aquas & flammas occidere ſe ipſos quotidianus illis ludus fuit.*] Pauculos inſanos in mortem temerè ruiſſe, non eſt incredibile; ſed quotidiano ludo, ſine ulla vexatione, hoc factum credant alii. Certè de hiſce temporibus dici non potuit, quibus Donatiſtæ acerbiſſimè vexabantur; nec umquam adverſario de inimicis credendum. Si enim non mentitur, affectu tamen multa diſſimulat, minuit, aut auget; prout partibus, quas ſequitur, conducit.

§ 19. *Quod enim dicunt, qui contra ſuas impietates leges juſtas inſtitui nolunt, non petiiſſe à Regibus terræ Apoſtolos talia, non conſiderant aliud fuiſſe tunc tempus* &c.] Jam hoc confutavi ad Epiſt. xciii. § 9. Alia etiam argumenta, quam futilia ſint, ad eamdem Epiſtolam oſtendi. Non poſſum tamen non mirari hominem non hebetem potuiſſe ita affectu excæcari, ut, modò de Donatiſtis triumpharet, nihil penſi haberet an infamaret univerſam Eccleſiam Chriſtianam, antequàm eſſent Imperatores Chriſtiani, graviter ſemper de perſequutionibus, quaſi humanitati contrariis, conqueſtam. Si enim dicamus Chriſtianos antiquiores ea tantùm de cauſa vexationes damnaſſe, quod in ipſos exercerentur, non in Ethnicos; ceterùm ſi ſummam poteſtatem ſibi faventem habuiſſent, ſuperioréſque Ethnicis fuiſſent, ut ſine periculo eos vexare poſſent, ſimilia in eos continuò molituros fuiſſe, quæ in ipſos Ethnici fecerant; habendi erant antiquiſſimi Chriſtianæ Religionis patroni callidi diſſimulatores, qui tempori dumtaxat ſerviebant, cùm damnarent quaſi impia & inhumana, quæ ipſi libentiſſimè feciſſent, ſi potuiſſent. Neque enim vetuſtiores Chriſtiani damnabant perſequutionem quam ipſi patiebantur, ſed omnem omnino quæcumque eſſet. Quod ſi Ethnici Magiſtratus ſuſpicati fuiſſent eos ideò tantùm queri, quòd ipſi non malè haberent Ethnicos; multò graviùs & ſpecioſiùs in homines ſæviiſſent, quaſi in ſeditioſos, qui occaſionem tantùm vi evertendæ priſcæ Religionis, & malè habendorum ei addictorum exſpectabant; nec fuiſſet cur jure queri potuiſſent Chriſtiani, niſi quòd ab adverſariis anteverterentur. Non poterant dicere Chriſtiani ſeveritatis eſſe patronos, Ethnicos mendacii; nam quamvis verum hoc eſſet, controverſia illa etiamnum pendebat, dum Ethnici contra ſentiebant; armáque eis in Chriſtianos, interea dum Chriſtiani ipſi fierent, eis ſuppeditabantur; nam dum ſe pro veritate ſtare illi putabant, debebant, ex Chriſtianorum ſententia, vexare aliter ſentientes. Si potuiſſent prævidere Ethnici, adfore aliquando tempus, quo morte multarentur Diis ſacra facientes à Chriſtianis Imperatoribus, nec ſine plauſu Epiſcoporum, licèt alioquin in partes abiiſſent; Chriſtianos infamaſſent, quaſi factioſos & malos homines, qui non dicebant quod ſentirent, cùm Religionem liberam eſſe oportere clamitabant. Sic tamen *Auguſtinus* Ep. xciii. § 10. alloquitur Donatiſtas: *Quis noſtrûm, quis veſtrûm non laudat Leges ab Imperatoribus datas adverſùs ſacrificia Paganorum? Et certè longè ibi pœna ſeverior conſtituta eſt; illius quippe impietatis capitale ſupplicium eſt.* Nec dubito quin Ethnici, qui ſupererant in Imperio Romano, & vicini etiam Idololatriæ, ut Perſæ, talia Chriſtianis objicerent.

rent. Abſit verò ut hæc probemus!

Epiſt. CLXXXVI. § 37. *Natura humana, etiamſi in illa integritate, in qua condita erat, permaneret, nullo modo ſeipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret.*] Definiendum erat quodnam auxilium Dei hic intelligatur, idque ex Scriptura non ambiguo loco probandum; nam quis neget alioqui, ſi generaliter loquamur, ſemper creaturam indigere auxilio creatoris, ad ſalutem conſequendam?

Epiſt. CLXXXVII. § 5. *Quòd verò illa anima in infernum deſcenderit, Apoſtolica doctrina prædicat* &c.] Vide hac de re dicta ad Epiſt. CLXIV. ex quibus liquet *Auguſtinum* falli, unde ſequitur hic quoque eum à ſenſu verborum Chriſti aberraſſe. De anima ſua ſine dubio loquitur Chriſtus, cum qua latronis anima in Paradiſo fuit. De voce *Paradiſus*, vide *Hugonem Grotium* ad hunc locum.

§ 33. *Quod in ea malum.*] Eſt in Græco Matthæi contextu C. I. 20. *γεννηθὲν generatum*, quod obiter monitum oportuit ab *Auguſtino*. Sed fortè neminem habebat ad manum, qui Græcè ſciret, cùm hanc conſcriberet Epiſtolam. Alioquin interdum non malè ex Græca Lingua quæſtionibus reſponder, ut infra Epiſt. CXCVII. ubi docet quodnam ſit diſcrimen inter voces καιροὶ & χρόνοι.

Epiſt. CCXIII. § I. *Presbyterum Heraclium mihi ſucceſſorem volo.*] Hæc ſunt verba *Auguſtini*, ſucceſſorem ſibi deſignantis, coram populo. Mirum eſt eum ignoraſſe illicitum hoc planè fuiſſe, ex antiquis conſtitutionibus Eccleſiaſticis; & qui fatetur § 4. ſe contra Eccleſiæ Canones Epiſcopum factum, vivo ſuo deceſſore, ſucceſſorem etiam ſibi elegiſſe contra eoſdem. Canon Apoſtolicus LXXVI. ita habet: Οὐ χρὴ Ἐπίσκοπον τῷ ἀδελφῷ, ἢ τῷ υἱῷ ἢ τῷ ἑτέρῳ συγγενεῖ χαριζόμενον, εἰς τὸ ἀξίωμα τῆς ἐπισκοπῆς χειροτονεῖν οὓς ΒΟΥΛΕΤΑΙ: *non oportet Epiſcopum fratri aut filio, aut alii cognato gratificantem, ad Epiſcopi dignitatem quem VULT eligere.* Hæc ita concepta ſunt verba, ut ſi Epiſcopus conferat Epiſcopatum fratri, filio aut cognato, ſive in eorum gratiam alii, pro arbitrio, perinde peccet. Mirum eſt ſi non verba ipſa Canonis nota fuiſſe Afris, at certè conſuetudinem Orientalium in ea re non fuiſſe apud Afros receptam, cùm graviſſimâ ratione nitatur, quæ ſic exprimitur in ſequentibus verbis: κληρονόμους γὰρ τῆς ἐπισκοπῆς ποιεῖσθαι οὐ δίκαιον τὰ τοῦ Θεοῦ χαριζόμενον πάθει ἀνθρωπίνῳ. οὐ γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν ὑπὸ κληρονόμους ὀφείλει τιθέναι, εἰ δέ τις τοῦτο ποιήσει, ἄκυρος μὲν ἔστω ἡ χειροτονία, αὐτὸς δὲ ἐπιτιμάσθω ἀφορισμῷ: *Epiſcopatus enim heredes facere juſtum non eſt, ea quæ Dei ſunt humano affectu largientem, non enim licet Eccleſiam Dei in heredes conferre. Si quis autem hoc fecerit, irrita quidem Electio maneat, ipſe autem ſegregatione mulctetur.* Sic & Antiochena Synodus, ſub Conſtantio habita, Cap. XXIII. ſancit Ἐπισκόπῳ μὴ ἐξεῖναι ἀντ' αὐτοῦ καθιστᾷν ἕτερον ἑαυτοῦ διάδοχον, κἂν πρὸς τῇ τελευτῇ τοῦ βίου τυγχάνῃ: *Epiſcopo non licere alium pro ſe conſtituere ſucceſſorem, etiam ſi eſt circa vitæ finem.* Quod confirmationem eſſe memorati Canonis Apoſtolici obſervant *Balſamon* & *Zonaras*. Non opus eſt ut oſtendamus quàm gravia ſint in contraria agendi ratione incommoda; quam tamen ita ſequutus eſt *Auguſtinus*, ut pro imperio ſucceſſorem ſibi deligat voce VOLO; quaſi ne conſenſus quidem Coëpiſcoporum fuiſſet neceſſarius, quod tamen ſtatuit Synodus Nicæna. Scio dicturos nonnullos ita ſolitum fuiſſe fieri in Africa; nam ipſe *Auguſtinus* in ſuperioribus ait, ſuâ operâ factum, ut Milevitana Eccleſia Epiſcopum acciperet quem deceſſor vivus, apud Clerum, deſignarat. Addent, quamvis mali Epiſcopi poſſent hac poteſtate abuti, bonos rectè ea uſos. Sed omnia illa ſunt plena ſuſpicionibus, nec putarim Afros meliores fuiſſe Græcis, qui periculoſum putabant talia Epiſcoporum arbitrio permittere. Vide de ejuſmodi electione judicium *Theodoreti* Hiſt. Eccleſiaſt. Lib. V. c. 23.

§ 4. *Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ patre & Epiſcopo meo ſene Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo; quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat.*] Eſt Canon VIII. Nicænæ Synodi, ubi vetantur eſſe in una urbe duo Epiſcopi. Ad quem locum vide adnotationes viri doctiſſimi *Gulielmi Beveregii*. Non intelligo qui uſus ipſe Eccleſiæ, ex quo conſtabat unum in ſingulis urbibus Epiſcopum eſſe oportere, non monuerit Hipponenſem hoc illicitum eſſe. Nam ſi collegam unum ſibi adjungere licuit, quidni & plures? Quàm magnam hoc aperuit feneſtram adverſariis *Auguſtini*, dicendi hominem ſæpe in utilitatem ſuam erraſſe?

Epiſt. CCXVII. quæ eſt contra Vitalem Pelagianum, qui contendebat Deum, per verbum ſuum, operari, ut velimus. § 2. *dic ergo*, inquit Auguſtinus, *apertiſſime nos pro iis, quibus Evangelium prædicamus, non debere orare ut credant, ſed eis tantummodò prædicare* &c.] Sed præter nudam Evangelii prædicationem multa ſunt alia, quibus Deus ſolet hominum animos mollire, quæ tamen numquam debent à prædicatione verbi ſejungi; quippe quæ, etiam cùm alia adhibet, eſt potiſſimum inſtrumentum, quo Deus hanc in rem utitur. Illa autem alia, ſunt, exempli causâ, vitæ calamitates, bona religioſorum hominum exempla, pœnæ de malis à providentia ſumtæ, conſectaria virtutis & vitii etiam in hac vita, amotio tentationum, excitatio interna animi ad attentionem, exſtinctio aut imminutio affectuum Evangelio contrariorum, aliáque, quæ omnia multiplici Dei ſapientiâ variè à Deo offeruntur hominibus, eorúmque animis injiciuntur. Quis enim novit quot modis Deus animos hominum aggrediatur? Nec quiſquam negare queat, quin Deus intrinſecus agere in animos hominum poſſit. Talia, quæ divinæ ſapientiæ relinquuntur eligenda, à Deo petuntur, ſed nullus ineluctabilis afflatus; à Deo enim petuntur quæ ſolet ac vult facere, non quæ non vult, neque ſolet. Quicumque preces aliter interpretantur, eas præter mentem fundentium urgent. Debent enim preces ejuſmodi eſſe, quæ ſtatuant Evangelii præcepta eſſe legitima, ac proinde poſſe ab omnibus, quibus proponuntur, obſervari; ſin minùs, Deo ſunt, quem injuſtum faciunt, contumelioſæ. Non ita fas eſt interpretari Religionem Chriſtianam, ut dum aliquam ejus partem, ut tibi videtur, tuearis, eam repugnantem ceteris facias. Potuit Vitalis convertere argumentum in Auguſtinum, & dicere: non debes Evangelium prædicare, ex tua ſententia, ſed Deum orare pro hominibus; nam Deus omnia facit etiam ſine verbo.

§ 16. *Auguſtinus* hic XII. capitibus complectitur doctrinam ſuam de gratia, quorum brevi examine claudemus quæ in hunc Tomum II. animadvertenda habebamus.

I. *Scimus nondum natos nihil egiſſe in vita propria boni, ſeu mali, nec ſecundùm merita prioris alicujus vitæ, quam nullam propriam ſinguli habere potuerunt, in hujus vitæ veniſſe miſerias.* Hæc conceſſiſſet *Pelagius*, addidiſſetque ſingulos homines non tantùm propriam vitam priorem nullam habere potuiſſe, ut putabant qui προΰπαρξιν animorum defendebant, ut *Origenes*; ſed ne communem quidem, ut *Auguſtinus*, qui omnium hominum animos in Adamo fuiſſe credebat. Addit: *ſed tamen ſecundùm Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ primâ nativitate contrahere.* Conceſſiſſet hæc quoque *Pelagius*, ſed non omnia quæ ſequuntur in hiſce verbis: *nec liberari à ſupplicio mortis æternæ, quod trahit ex uno in omnes tranſiens juſta damnatio, niſi per gratiam renaſcantur in Chriſto.* Dixiſſet enim. 1. falſum eſſe tranſire damnationem ab Adamo in poſteros; ſed ſingulos, qui damnantur, propriam ob culpam damnari: 2. renaſci in Chriſto, hoc eſt, converti, ſi propriè loquamur, eos tantùm qui mortui fuerunt in peccatis, ſed non parvulos qui nondum peccarunt.

II. *Scimus gratiam Dei, nec parvulis, nec majoribus, ſecundùm merita noſtra dari.* Ante omnia definienda fuiſſet accuratè vox *gratia*. Intelligit, ut videtur, *Auguſtinus* afflatum illum qui certò, ex ejus ſententia, peccatorem convertit. *Pelagius* quoque fateri, ex ſua ſententia, hoc potuit; nam Evangelii prædicationem, ceteráque quæ Deus adhibet ad hominem primùm convertendum nullis profectò meritis ab homine provocatus largitur. Sed ſi intelligas poſteriora beneficia Dei, quæ jam credentibus dantur; ne *Auguſtinus* quidem negare potuiſſet ea meritis, (hoc eſt, bene factis quæ Deus præmio afficere, pro ſua miſeri-

miſericordia ac beneficentia, decrevit) Deum concedere; nam conſtat habenti dari, ut diſertè docet Chriſtus, non habenti non dari. Infantibus ſecundùm merita dari quidquam, ex ſententia *Pelagii*, dici non potuit, cùm infantes ſint virtutis prorſus incapaces: ut nec etiam propter vitia, quæ non cadunt niſi in ratione utentes, plecti poſſunt.

III. *Scimus majoribus ad ſingulos actus dari.* Afflari adultos ita ut afflatui reſiſtere nequeant, negaſſet *Pelagius*, ſeu converſionem ſummatim ſpectatam attendas, ſeu ſingulos actus; neque contrarium ex Scriptura probari adverſus negantem potuiſſet.

IV. *Scimus non omnibus hominibus dari, & quibus datur non ſolùm ſecundum merita operum non dari, ſed nec ſecundùm merita voluntatis eorum, quibus datur, quod maximè apparet in parvulis.* Si omnibus hominibus non datur neceſſaria prorſus ad credendum, perſeverandùmque in fide gratia, non poſſunt vituperari, æterniſve ſuppliciis plecti, qui non credunt, aut non perſeverant; quia numquam fuit in eorum poteſtate gratiam illam conſequi, quam, ex ſententia Auguſtini, Deus, pro arbitrio, largitur.

V. *Scimus eis, quibus datur, miſericordiâ Dei gratuitâ dari.* Non negaſſet *Pelagius*, ſi de prima converſionis gratia loquatur, ut videtur, *Auguſtinus*.

VI. *Scimus eis, quibus non datur, juſto judicio Dei non dari.* Adſenſiſſet huic ſententiæ *Pelagius*.

VII. *Scimus quòd omnes adſtabimus ante tribunal Chriſti, ut ferat unuſquiſque ſecundùm ea, quæ per corpus geſſit, non ſecundùm ea quæ, ſi diutiùs viveret, geſturus fuit, ſive bonum, ſive malum.* Nec huic aphoriſmo adſenſum negaſſet *Pelagius*, niſi fortè ſenſerit quod ad IX. regulam dicemus

VIII. *Scimus etiam parvulos, ſecundùm ea quæ per corpus geſſerunt, recepturos vel bonum, cvel malum.* Atqui nihil per corpus geſſerunt, nam g rere quidquam ſine rationis uſu non poſſunt. Audi tamen *Auguſtinum*: *Geſſerunt autem non per ſe ipſos, ſed per eos, quibus pro illis reſpondentibus, & renunciare Diabolo dicuntur & credere in Deum.* In formula quidem baptiſmi dicebat ſuſceptor *credo*, *abrenuncio*, ſed ea formula ut diximus ad Epiſt. XCVIII. in uſum dumtaxat adultorum primum concinnata fuerat, deinde infantibus incommodè aptata; neque ex ea ullum conſectarium deduci poterat, præſertim quod magnis eſſet difficultatibus obnoxium. *Unde*, inquit in ſequentibus Auguſtinus, *& in numero fidelium computantur, pertinentes ad ſententiam Domini dicentis*: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. At in hiſce verbis loquitur Chriſtus de adultis tantùm, qui ei credere poſſunt, ut iis ſolis prædicatur Evangelium. Addit tamen *Ariſtoteles Pænus*, ut eum quidam ejus adverſariorum vocabat: *Propter quod & illis qui hoc ſacramentum non accipiunt, contingit quod ſequitur*, qui autem non crediderit condemnabitur. Atqui loquitur Chriſtus de iis qui prædicato ſibi Evangelio non crediderant, non de infantibus, quibus non prædicatur. Qui tales interpretationes Scripturæ concoquere potuit, quid in ea non potuit invenire?

IX. *Scimus felices eſſe mortuos, qui in Domino moriuntur, nec ad eos pertinere quidquid acturi fuerant, ſi tempore diuturniore vixiſſent.* Commentum fuit Pelagianorum, qui ut alii putabant pueros non poſſe gloriam cœleſtem conſequi, ſine baptiſmo, ut redderent rationem cur alii quidem infantes morerentur, ſine baptiſmo, alii verò baptizarentut antequàm interirent. Priores, nempe, prævideral Deus fore malos, ſi viverent: poſteriores contrà fore bonos, ſi diuturniorem vitam haberent. Quod abſurdum eſt commentum.

X. *Scimus eos, qui corde proprio credunt in Dominum, ſuâ id facere voluntate ac libero arbitrio.* Concedebat *Pelagius*, ſed hoc negari ab *Auguſtino* contendebat; quia *Auguſtini* ineluctabilis afflatus evertit *libertatem*; quæ nulla eſt, niſi id poſſis omittere, quod facis; hoc eſt, vocationi divinæ ita obſequaris, ut eam poſſis negligere.

XI. *Scimus pro eis, qui nolunt credere nos qui jam credimus rectâ fide agere, cùm Dominum oramus, ut velint.* Nec hoc non orabat *Pelagius*, ſed non petebat à Deo ut ineluctabiliter voluntates hominum flecteret, ſed tantùm ut faceret, quæ diximus ad § 2. à Deo fieri ut cor hominum molliatur; oſtendebatque iis precibus amorem, quo proximum proſequebatur, dum optabat eum divinæ voci morigerum ſe præbere.

XII. *Scimus pro eis, qui ex illis crediderunt, tamquam de beneficiis, rectè atque veraciter & debere nos Deo agere gratias & ſolere.* Sic etiam faciebant Pelagiani omnes, aut facere certè debebant; nam nihil habebant credentes, ex eorum ſententia, quod à Deo non accepiſſent; nec ſi Deus Evangelium ad homines non miſiſſet, multáque Evangelio addidiſſet credendi incitamenta, quiſquam ei credidiſſet. Quis divitiarum amans non gratias ageret homini, qui eum divitiis cumulaſſet, quamvis ut eas acciperet minimè coëgiſſet? Quis non grato animo ſit erga eum, qui recta, in re magni momenti, conſilia præbuit, quamvis irrita fuiſſent, niſi fides eis habita eſſet? Quis fidem ſuam, aut alienam animo reputans, ſummáque Dei quæ eam conſequuntur beneficia, Deo gratias ob ea & fidem, cujus potiſſimus auctor eſt Deus, non habeat? Sed hæc grati animi teſtificatio non debet eſſe ejuſmodi, ut dum Deo pro fide credentium grates rependimus; ita de eo ſentiamus, quaſi non minùs cauſa ſit incredulitatis contumacium, quàm fidei credentium; aut ea dicamus, ex quibus neceſſariò ſequitur eos juſtè à Deo plecti non poſſe; quod faciunt, qui dicunt peccato Adami factos peccatores, antequàm eſſent in rerum natura, taleſque naſci, aut neceſſarium quidpiam ad fidem incredulis defuiſſe. Sed hæc obiter, nam de hiſce controverſiis copioſè ſcripſerunt viri doctiſſimi, præſertim in Belgio Fœderato, ubi magno animorum æſtu olim agitatæ ſunt.

ANIMADVERSIONUM IN TOMUM II.

FINIS.

ANIMADVERSIONES IN TOMUM TERTIUM S. AUGUSTINI

DES. ERASMUS ROTERODAMUS AD LECTOREM.

IN HUNC Tertium, & Quartum ſequentem tomos digeſſimus τὰ διδακτικά, hoc eſt, quæ nec ſunt epiſtolæ, nec ad populum dicta, nec adverſus hæreticos pugnantia, ſed lectori erudiendo ſcripta. Notha cenſuris additis indicavimus, ne quis erret inſciens.

IN LIBROS DE DOCTRINA CHRISTIANA.

PROLOGO. § I. *Hæc tradere inſtitui volentibus & valentibus diſcere, ſi Deus ac Dominus noſter ea, quæ de hac re cogitanti ſolet ſuggerere etiam ſcribenti mihi non deneget.*] Quamvis bonas omnes cogitationes ad Deum, quaſi ad bonorum omnium primam cauſam, referre debeamus; non ita tamen loquendum, quaſi Deus nos afflaret, & quidquid bonum eſſe credimus veluti dictaret. Primùm enim falli ſæpe poſſumus, ut verum eſſe putemus quod non eſt, quod frequenter *Auguſtino* contigit; ac proinde cavendum ne noſtros errores Deo tribuamus. Deinde quæcumque verè dicimus non ſunt propterea à Deo ſuggeſta, cùm ea inſtitutioni, lectionique plerumque, Deo nequaquam interveniente, debeamus. Denique ſi alius, qui pari jure gaudet, ſibi cogitationes ſuas à Deo ſuggeri dicat, & contraria proferat, quis in concordiam rediget afflatos hoſce homines? Se invicem infamabunt quaſi Pſeudoprophetas, & internecino bello perſequentur; dum homines minùs religioſi ipſam Religionem ridebunt, quam animadvertent cum ſomniis miſceri. Sunt & alia incommoda, quæ hinc naſci queant, quorum miror in mentem *Auguſtino* non veniſſe. Profectò hodie nemo eſt inter eruditos, qui velit ſub nomine ſuo edi, quæ ſuggeſtiones divinæ ab auctore putabantur.

LIBRO I. Cap. XXX. § 31. *Sed utrum ad duo illa præcepta* (de amando Deo & proximo) *etiam dilectio pertineat Angelorum non irrationabiliter quæri poteſt.*] Qui non oſcitanter legerunt Scripturam, nomine *proximi* tantùm aut ejuſdem gentis, vel familiæ hominem, aut ejuſdem naturæ humanæ participem ſignificari norunt. Nec Deus nos juſſit amare Angelos, quibuſcum non verſamur, & quos etiam nemo odio habere poteſt.

Cap. XXXVI. § 41. De interprete Scripturæ qui veram quidem ſententiam quærit in Scriptura, ſed alieno loco: *Corrigendus eſt tamen*, inquit, *& quàm ſit utilius viam non deſerere demonſtrandum eſt, ne conſuetudine deviandi, etiam in tranſverſum, aut perverſum ire cogatur* &c. Hæc ſunt conferenda cum iis quæ diximus ad Confeſſionum Lib. XII. c. 17. ubi Deus contraria *Auguſtino*, ſi de ſe creditur ipſi, ſuggerebat; nam quæ illic habet ſibi à Deo ſuggeſta ab initio Libri innuit. Sed ſecunda ſuggeſtio priore multò melior.

Cap. XXXIX. § 43. *Homo itaque fide, ſpe & caritate ſubnixus, eáque inconcuſſè retinens, non indiget Scripturis, niſi ad alios inſtruendos. Itaque multi per hæc tria in ſolitudine ſine codicibus vivunt.*] Nemo tam eſt peritus Scripturæ, quin indigeat codicibus, quos conſulat & legat ſubinde. Quòd ſi quis litteras neſciat, ibi potiùs debet vivere ubi leguntur, quàm in ſolitudine. Si quis ſciat, protervia eſt & negligentia non ignoſcenda, ſi Codices ſibi non comparet. Hæc merum Enthuſiaſmum redolent.

LIBRO II. Cap. VIII. § 12. *In Canonicis autem Scripturis Eccleſiarum Catholicarum quàm plurium auctoritatem ſequatur, inter quas ſanè illæ ſunt, quæ Apoſtolicas ſedes habere & Epiſtolas accipere meruerunt.*] Apoſtolicæ ſedes ſunt eæ in quibus ipſi Apoſtoli Epiſcopos conſtituerunt, quæ cùm eſſent omnium antiquiſſimæ, debebant primæ omnium Apoſtolica ſcripta eſſe nactæ. Mirum eſt Auguſtinum hîc nihil habere de eorum ſententia qui, ad Vetus Teſtamentum quod attinet, nullos alios agnoſcebant libros Canonicos, præter eos qui Hebraicè conſcripti fuerant, quam ex *Hieronymi* Scriptis cognoſcere potuit.

Ibidem § 13. *Illi duo Libri, unus qui Sapientia & alius qui Eccleſiaſticus inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur; nam Jeſus Sirach eos conſcripſiſſe conſtantiſſimè perhibetur, qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi ſunt.*] Retractationum Lib. II. c. 4. ait ſe poſtea didiciſſe *non ita conſtare*, ut putaverat, & *probabilius eſſe* Sirachidem Libri Sapientiæ non eſſe auctorem. Mirum eſt Epiſcopum tanti nominis rem tantillam ignoraſſe aliquamdiu, quam à Catechumenis diſci oportuiſſet. Numquam ſtudioſe eum legerat Librum, cùm hæc ſcriberet, nam auctor Libri ſe non ait Jeſum eſſe filium Sirach, ſed Regem Iſraelis Cap. IX, 7, 8. Quod cùm ita ſit, non capio qui inter propheticos Libros cenſeri poſſet opuſculum, cujus auctor præ ſe fert ſe Regem fuiſſe, cùm minimè fuerit.

Cap. XI. § 16. *Latinæ quidem Linguæ homines, quos nunc inſtruendos ſuſcepimus, duabus aliis, ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent, Hebræa, ſcilicet, & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, ſi quam dubitationem adtulerit Latinorum Interpretum infinita varietas.*] Non miror *Auguſtinum* Linguæ Græcæ ſtudium commendare, nam & alibi hoc facit; ſed Hebræam addi Latinæ vehementer miror. Certè non tantùm Epiſt. XXI. quæ cenſetur ſcripta circa annum CCCXCV, ſed & Epiſt. LXXI, ſcripta anno CCCCIII. *Auguſtinus* planè improbat ſtudium vertendi Hebraica Latinè, acquieſcitque in accurata verſione tranſlationis LXX. Interpretum. Similiter & infra hujus Libri Cap. XIV. loquitur, & Opere de Civitate Dei Lib. XVIII. c. 43. divinitus afflatos fuiſſe putat eoſdem Interpretes, ideóque *Hieronymo* præferendos, quamvis Judæi Hieronymianam verſionem Septuagintavirali præferrent. Sed & hoc mirum eſt ab *Auguſtino* hîc commendari ſtudium Linguæ Hebraicæ, nec tamen ipſum aut quemquam alium, iis ſæculis, quidquam aggreſſum eſſe facere, ut viam aperiret iis qui id ſtudium ingredi voluiſſent. Attamen & poſtea Lib. IV. c. 7. aliquid iterum de *Hieronymi* labore habet. Sanè, ut quod ſuſpicer dicam, vereor ne quid hîc ſit interpolatum alienâ manu, poſtquàm Hieronymiana verſio auctoritatem in Occidente conſequuta fuerat. Sin minùs, ad Academicum ingenium *Auguſtini*, ſibi non ſatis conſtans, hæc erunt referenda.

Ibidem.

Ibidem. *Qui Scripturas ex Hebræa Lingua in Græcum verterunt numerari poſſunt, Latini autem Interpretes nullo modo. Ut enim cuique, primis fidei temporibus, in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibi utriuſque Linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari.*] Fateor ex collatione variarum illarum Interpretationum aliquid lucis oriri, ut poſtea oſtendit *Auguſtinus*; ſed ex lectione unius Codicis Græci emendatioris multò major fructus capi potuit, quàm ex collatione viginti imperitorum Interpretum. Itaque optandum fuiſſet Occidentales Eccleſias, pro tot ſumtibus, quos faciebant in indoctos & otioſos, aut vili labore occupatos Monachos, publico ſumtu & conſilio adoleſcentes miſiſſe in Græciam, aut Græcos Magiſtros ex Oriente vocaſſe, ut plures Græcam Linguam intelligerent, aliiſque facem præferrent. Omnes verò Chriſtianos par fuiſſet conducere Hebræos, à quibus Lingua Hebræa doceretur, eáque omnia facere quæ avorum noſtrorum memoriâ in Europa facta ſunt, ad Linguæ illius cognitionem in uſum Chriſtianorum revocandam. Nam quod feriùs factum eſt, id priùs fieri potuit, & faciliùs etiam, niſi laborem fugiſſent homines illius ævi.

Cap. XVI. § 25. Ut oſtendat neceſſariam eſſe Arithmeticam ad intelligendam Scripturam, memorat jejunium quadraginta dierum Moſis, Eliæ & Chriſti, tum addit: *Cujus actionis figuratus quidam nodus, niſi hujus numeri cognitione & conſideratione non ſolvitur. Habet enim denarium quater tamquam cognitionem rerum intextam temporibus.* &c. Quæ, cum bona *Auguſtini* venia, nugæ ſunt Pythagoricæ ac Platonicæ, a quibus in re tam gravi abſtinere multò ſatius fuit. Sed neſcio quomodo, eo tempore, oſtentandi in ejuſmodi rebus ingenii ita invaluerat conſuetudo; ut cum plauſu talia audirentur, quæ ſunt riſu digna. Quis ferat hodie ſibi dici hydriarum quinque, quæ Canæ erant, Joan. II. menſurâ quæ fuit circiter trium metretarum, ſignificatam S. Trinitatem, quemadmodum facit *Auguſtinus*, ad eum Joannis locum? O felices homines, qui tantam eruditionis famam tam facilè ſibi pepererunt! Sed & ô ſtipites, qui talibus olim plaudebant, aut etiamnum ſeriò favent!

Cap. XVII. § 27. de novem Muſas eſſe dicentibus: *Refellit eos Varro, quo neſcio utrum apud eos quiſquam talium rerum doctior aut curioſior eſſe poſſit. Dicit enim civitatem neſcio quam, non enim nomen recolo, locaſſe apud tres artifices terna ſimulacra Muſarum, quod in Templo Apollinis donum poneret, ut quiſquis artificum pulcriora formaſſet, ab illo potiſſimùm electa emeret. Itaque contigiſſe ut opera ſua quoque illi artifices æquè pulcra explicarent, & placuiſſe Civitati omnes novem, atque omnes eſſe emtas, ut in Apollinis Templo dedicarentur, quibus poſtea dicit Heſiodum Poëtam impoſuiſſe vocabula.* &c.] Si quod de numeris dixit *Auguſtinus*, ad interpretationem Scripturæ, admitti ab Ethnicis oportuit; non video quo jure Ethnicis non licuerit dicere fictum hoc à *Varrone*, vel ab alio, cùm præſertim ſermo ſit de temporibus antiquiſſimis, quibus aut nullæ, aut raræ conſcribebantur hiſtoriæ; tum etiam de numero novenario Muſarum Pythagoricè philoſophari. Quidni eis licuerit dicere tribus Muſis deſignari tres Muſicæ tonos, gravem, medium, & acutum; & ter ternas dictas, quod eſſent tres chori, pro tribus illis tonis? At hæc, inquies, pro arbitrio comminiſceris; non diffiteor, ſed annon etiam Theologicæ Arithmeticæ myſteria pro arbitrio fingebant? Itaque non eſt committendum, ut veritatem illuſtrare videamur, eadem fingendi licentiâ, quâ & fabulas interpretari licuerit.

Cap. XX. § 31. *Illud eleganter dictum eſt Catonis, qui cùm eſſet conſultus à quodam, qui ſibi à ſoricibus eroſas caligas diceret, reſpondit non eſſe illud monſtrum, ſed verè monſtrum habendum fuiſſe, ſi ſorices à caligis roderentur.*] Ingenioſè. Simile eſt *Menandri* illud e Superſtitioſo, quod habet *Grotius* in Excerptis p. 714.

A. Ἀγαθὸν γένοιτό μοι, ὦ πολυτίμητοι θεοί,
Ὑποδύμενος γὰρ, δεξιᾶς τῆς ἐμβάδος
Τὸν ἱμάντα διέῤῥηξ'. B. Εἰκότως γ', ὦ Κλεινία,
Σαπρὸς γὰρ ἦν, σὺ δὲ σμικρολόγος οὐ θέλων
Καινὰ πρίασθαι.

Hoc eſt, interprete viro ſummo:

A. Bene hoc mihi proveniat, ô ſancti Dei,
Quod inter calceandum dextri calcei
Vinclum diruptum eſt. B. Meritò evenit, Clinia,
Namque erat id detritum & tu præparcus nimis,
Qui non novum emeres.

Cap. XXII. § 36. *Omnes igitur artes hujuſmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitionis ex quadam peſtifera ſocietate hominum & Dæmonum, quaſi pacta quædam infidelis & doloſæ amicitiæ conſtituta, penitus ſunt repudianda & fugienda.*] Veriſſimè, ſed inutile tamen non eſt theoreticè noſci, quæ de artibus illis ab Ethnicis dici & credi ſolebant, ut loca Scripturæ ad eas ſpectantia explicare poſſimus; quod feliciter doctiſſimi viri, poſtremis hiſce ſæculis, aggreſſi ſunt. Multa, per ſe inania, propter eas alluſiones, ſunt obiter cognoſcenda.

LIBRO III. C. II. § 3. *Illa hæretica diſtinctio:* in principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat; *ut alius ſenſus ſit:* Verbum hoc erat in principio apud Deum; *non vult Verbum Deum confiteri.*] Ex hoc loco & ceteris quæ de hac re habentur diſtinctiones nullas adſcriptas fuiſſe liquet in Codicibus, tempore *Auguſtini.* Qua de re vide quæ ſcripſit *Joan. Clericus* in *Arte Critica* Part. III. Sect. I. C. X.

Cap. V. §. 9. *In principio cavendum eſt ne figuratam loquutionem ad litteram accipias; & ad hoc pertinet quod ait Apoſtolus:* littera occidit, ſpiritus autem vivificat; *cum enim figuratè dictum ſic accipitur, tamquam propriè dictum ſit, carnaliter ſapitur.*] Hoc Pauli loco 2. Cor. III, 6. abutuntur omnes Allegoriſtæ, quo nihil ſimile ſignificatur; hoc enim vult Apoſtolus: legem Moſaicam occidere, Evangelium verò vitam dare. Nam γράμμα ſæpe vocat Legem, πνεῦμα verò Evangelium; quia, ut opinor, lex quidem mera eſt littera quæ non indicat per ſe animum Legiſlatoris: Evangelium verò animum ipſum Dei, cum legem ferret, aperit. Vide notata hac de re à *Joanne Clerico*, in additamentis *Henr. Hammondi* ad Novum Teſtamentum.

Cap. X, § 14. *Quidquid in ſermone divino neque ad morum honeſtatem, neque ad fidei veritatem propriè referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas.*] Nimis generalibus verbis concepta hæc eſt regula, ideóque *Auguſtinus* eam poſtea de præceptis partim interpretatur; ſed ne ſic quidem ſatis commoda eſt. Præceptum enim Dei Abrahamo datum, de occidendo filio, non erat figuratum, nec eo ſeciùs contra honeſtatem morum erat. Præceptum etiam Hoſeæ Prophetæ datum, de ducenda meretrice, figuratum non fuit, in ſe ſpectatum, & tamen indecorum fuit. Nollem regulas dari, de ſermone figurato; res enim ipſa & animus loquentis quid proprium ſit, quid figuratum ſatis oſtendit. Deinde Auguſtinus *figuratam* actionem miſcet cum *typica* narratione, quæ toto cœlo differunt.

Cap. XII. § 18. *Quæ autem quaſi flagitioſa imperitis videntur, ſive tantum dicta, ſive etiam facta ſunt, vel ex Dei perſona, vel ex hominum quorum nobis ſanctitas commendatur, tota figurata ſunt.*] Ad Deum quod attinet, cujus perfecta ac immutabilis eſt ſanctitas, certiſſima hæc eſt regula; ſed quæcumque fecerunt ſancti viri, ſub Vetere Teſtamento, minùs recta non ſunt propterea typica, aut figurata. Exempli causâ, polygamia de qua § 20. & 27. nihil habuit typicum, neque figuratum, neque fuit laudabilis, ſed tolerata eo ævo, ut & poſtea inter Judæos, quemadmodum & divortium. Sed laudes ac vituperationes intelligendæ ſemper ſunt, pro temporibus & hominibus. Quod habet *Auguſtinus* de temperante uſu plurium uxorum, paucis, ut opinor, perſuaſit.

Cap. XVI. § 24. *Si præceptiva loquutio eſt aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam jubens, non eſt figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata eſt.* Niſi manducaveritis, *inquit*, carnem filii hominis & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. *Facinus vel flagitium videtur jubere, figura eſt ergo præcipiens paſſioni Dominicæ*

nicæ communicandum & ſuaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit.] Non malè verba Chriſti interpretatur, quæ alibi tamen de Euchariſtia ſumenda perperam cenſet. At ipſa regula ſat accurata non eſt, ut antea oſtendimus. Accipiamus tamen quod rectum eſt, & hinc intelligamus qui *Auguſtinus* participes nos poſſe fieri crederet corporis Chriſti.

Cap. XXI. § 31. Narratâ ſimilitudine quâ Nathan ex ore Davidis expreſſit damnationem adulterii, quod commiſerat, ita loquitur: *Ex quo intelligitur quantâ temperantiâ multas mulieres habuerit, quando de una, in qua exceſſit modum, à ſe ipſo puniri coactus eſt.* Conſectarium hoc malè ductum eſſe nemo non videt, neque enim plectitur David, quòd cum una intemperantiùs concubuiſſet, ſed quòd eſſet alii nupta, & cum ea mœchatus eſſet. Quod in ſimilitudine Nathanis mentio ſit *unius ovis*, id dicitur κατ' ἀντίθεσιν ad multas Davidis uxores; qui tamen multis illis non contentus infelici Uriæ unam, quam habebat, eripuerat, quâ circumſtantia augetur flagitii gravitas. Unde, contrà quàm fecit *Auguſtinus*, colligas Davidem libidinoſum hominem fuiſſe, qui cum tot haberet uxores domi, tam facilè alienæ amore exarſerit.

LIBRO IV. Cap. VII. § 15. *Videtur enim ubi ait:* (Paulus, 2. Cor. XI, 6.) etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientiâ, *quaſi concedendo obtrectatoribus ſit loquutus, non, tamquam id verum agnoſceret, confitendo.*] Atqui res ipſa clamat verum eſſe. Vide additamenta *Joan. Clerici* ad Adnotationes *Hammondi*. Nec propterea minoris divinus Apoſtolus faciendus eſt; quem non veneramur quaſi eloquentem virum, ſed ut Apoſtolum Chriſti, munere ſuo ſummâ fide ac fortitudine defunctum.

Ibidem. Poſtquàm dixit ſe Amoſi loca prolaturum, ſubdit: *non autem ſecundùm Septuaginta Interpretes, qui* ETIAM IPSI *divino ſpiritu interpretati, ad hoc aliter videntur nonnulla dixiſſe, ut ad ſpiritalem ſenſum ſcrutandum admoneretur Lectoris intentio.* &c. *Sed ſicut ex Hebræo in Latinum eloquium Presbytero Hieronymo utriuſque linguæ perito interpretante tranſlata ſunt.*] Suſpecta mihi ſunt verba, *etiam ipſi divino ſpiritu interpretati*, quis enim alius Interpres eo ævo divino ſpiritu actus credebatur? De *Hieronymo* hoc poſtremis tantùm hiſce ſæculis jactatum. Fortaſſe tamen τὸ *etiam* non tam reſpicit alium Interpretem, quàm Scriptores ipſos ſacros; adeò ut voluerit *Auguſtinus* non tantùm ſacros Scriptores, ſed etiam Interpretes ipſos Græcos à Spiritu ſancto afflatos fuiſſe.

Cap. XXIV. § 53. De Cæſareenſibus dicenti Auguſtino adclamantibus: *Non tamen egiſſe aliquid me putavi, cùm eos audirem adclamantes, ſed cùm eos flentes viderem. Adclamationibus quippe ſe doceri & delectari, flecti autem lacrymis indicabant.*] Sæpe ejuſmodi adclamationum in Eccleſiaſticis monumentis mentio ſit, quæ quàm afficerent ſacros Oratores neſcio, ſed indecoras fuiſſe ſcio, & aptas ad eos mirum in modum inflandos. Plebs frequentiùs nugis applaudit, ſi ſint gratâ voce & decorâ actione pronunciatæ, quàm bonis ratiocinationibus; & cùm plauſum ferunt ineptiæ, meliori orationi negatum, hinc ſit ut negligantur quæ plebi minùs placent, colantur verò quæ ſunt rectæ Rationi contraria. Ex foro & theatro talia in Eccleſiam transferri non oportuit.

ANIMADVERSIONES
IN LIBRUM IMPERFECTUM
DE GENESI AD LITTERAM.

Cap. I. § 3. E*Sſe autem omnia, quæ fecit Deus, bona valde; mala verò non eſſe naturalia, ſed omne quod dicitur malum, aut peccatum eſſe, aut pœnam peccati. Nec eſſe peccatum, niſi pravum liberæ voluntatis adſenſum, cùm inclinamur ad ea quæ juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere.*] Hæc veriſſima eſt & peccati & libertatis definitio, quæ ab omnibus probabatur, & ſemper probata fuiſſet, niſi incidiſſent Controverſiæ Pelagianæ; quæ *Auguſtinum* à notionibus, quas κοινὰς ἐννοίας non malè vocaris, cùm ſint totius humani generis, avocarunt. Ceterùm hujus operis malum non erat conſilium, nulla enim recta interpretatio eſt, quæ non ſit *ad litteram*, ex qua poſtea & Moralia & Theologica deducuntur conſectaria. Sed eo ævo propemodum ignotæ erant litterales, ſeu grammaticæ interpretationes; nec *Auguſtinus* eo tempore, nec poſtea, neceſſariis eam in rem inſtructus præſidiis fuit.

Cap. IV. § 17. *Poteſt autem & aliter intelligi, ut ſpiritum Dei vitalem creaturam, quâ univerſus iſte viſibilis mundus atque omnia corporea continentur & moventur intelligamus; cui Deus omnipotens tribuit vim quamdam ſibi ſerviendi, ad operandum in iis quæ gignuntur.*] Hæc fuit ſententia *Theophili* Antiocheni, qui Libro II. ad Autolycum, ſic loquitur: πνεῦμα δὲ τὸ ἐπιφερόμενον ἐπὶ τοῦ ὕδατος, ὃ ἔδωκεν ὁ Θεὸς ζωογονεῖν τὴν κτίσιν καθάπερ ἀνθρώπῳ ψυχὴν, τῷ λεπτῷ τὸ λεπτὸν συγκεράσας. τὸ γὰρ πνεῦμα λεπτὸν καὶ τὸ ὕδωρ λεπτόν. ὅπως τὸ μὲν πνεῦμα τρέφῃ τὸ ὕδωρ, τὸ δὲ ὕδωρ σὺν τῷ πνεύματι τρέφῃ τὴν κτίσιν διικνούμενον πανταχόσε: *At ſpiritum, qui ferebatur ſuper aquas, largitus Deus creaturæ, ut ejus opera poſſit producere viventia, non ſecus ac homini animam attribuit, tenue tenui commiſcens; (Nam ſpiritus ſuâ naturâ tenuis eſt, itidem & aqua) ut ſpiritus nutriat aquam, & aqua addita ſpiritus nutriat creaturam univerſam, omnia permeans.*

Cap. VI. § 26. *Omne quippe vocabulum ad diſtinctionem valet. Unde etiam nomen, quod rem notet, appellatum eſt, quaſi notamen.*] Imò à *noſco* ſit *nomen*, quod ope nominis res noſcantur. Vide hac de re *Ger. Joannis Voſſii* Etymologicon.

ANIMADVERSIONES
IN LIBROS DUODECIM
DE GENESI AD LITTERAM.

LIBRO I. Cap. X. § 21. I*N libro qui appellatur Eccleſiaſtes, ita ſcriptum eſt:* & oritur ſol & occidit ſol, & in locum ſuum ducitur, *hoc eſt, in eum locum unde ortus eſt. Sequitur enim & dicit:* ipſe Oriens illud vadit ad Auſtrum & circuit ad Aquilonem. *Auſtralis ergo pars cùm habet ſolem nobis dies eſt, cùm autem ad Aquilonis partem circumiens pervenit, nobis nox eſt.*] Verſus quidem 5. Cap. I. Eccleſiaſtæ de ſole agit, ſed C. 6. videtur de vento tantùm intelligendus, ut docebunt accuratiores Interpretes. Verùm hoc non agimus, neque enim commentarium ſcribimus in loca ab *Auguſtino* minùs bene expli-

explicata. Ante omnia, animadvertendum hic mendum eſſe in voce *illud*, & legendum *illis*, ſic enim hunc locum ex verſione antiqua profert *Hieronymus*: *& vertitur ipſe ibi. Vadit ad Auſtrum* &c. In Editione *Eraſmi* eſt *illuc*, quod ad veram lectionem propiùs accedit. Deinde quærendum eſſet à quo Aſtronomo *Auguſtinus* didiciſſet, *cùm Auſtralis pars habet ſolem, nobis diem eſſe; cùm autem ad Aquilonis partem circumiens pervenit, nobis noctem eſſe?* Crediderim eum audiſſe à quopiam cùm auſtralis pars, hoc eſt, auſtralia ſigna, percurruntur à ſole, nobis hyemem eſſe; dum verò aquilonaria ſigna peragrat, æſtatem; ſed cùm Aſtronomiæ prorſus imperitus eſſet, diem & noctem æſtati atque hyemi, vacillante memoriâ, ſubſtituiſſe. Multò meliùs *Hieronymus*, ad verſ. 6. ſi modò in eo de ſole ſermo ſit: *Hinc poſſumus*, inquit, *æſtimare hyemis tempore ſolem ad meridianam plagam currere, & per æſtatem ſeptentrioni eſſe vicinum.*

Libro II. Cap. v. § 9. Poſtquàm dixit Saturni ſtellam frigidam ab Aſtrologis haberi, ſic contra ratiocinatur: *Quæritur itaque ab eis unde illa ſtella ſit frigida, quæ tanto ardentior eſſe deberet, quanto ſublimiore cælo rapitur. Nam procul dubio cùm rotunda moles circulari motu agitur, interiora ejus tardiùs eunt, exteriora celeriùs, ut majora ſpatia cum brevioribus ad eoſdem gyros pariter occurrant; quæ autem celeriùs, atque ferventiùs.*] Hic cernere liceat, quid ſit ratiocinari de re quam parum compertam habeas. Aſtrologi, quos confutat *Auguſtinus*, ex abſurdis opinionibus conſectarium caſu verum deduxerunt; Hipponenſis verò Epiſcopus rectâ ratiocinatione verum oppugnat. Nimirum, micabant utrique in tenebris; nec tamen minùs confidenter ſua commenta proferunt. Aſtrologi, quia Saturnus deſcribitur a Poetis, quaſi ſenex, & quidem exſectus, ideò ejus ſtellam frigidam eſſe abſurdè dictitabant. Vide *Servium* ad hunc *Virgilii* verſum, qui eſt 336. 1 Lib. Georgicon.

Frigida Saturni ſe ſe quò Stella receptet.

Attamen ex veris Aſtronomorum recentiorum dogmatibus *frigidus* dici poteſt Planeta, qui Saturnus vocatur; quia eſt à ſole, unde omnis mundi hujus noſtri calor, remotiſſimus. Contra *Auguſtini* ratiocinatio vera quidem eſt, ſed male aptata, quia ſtatuit Saturnum, cum ceteris omnibus ſideribus, intra viginti quatuor horas rapi circa terram; quod falſum eſſe jam norunt omnes. *Proinde*, inquit ille, *memorata ſtella magis debuit calida eſſe, quam frigida; quamvis enim ſuo motu, quoniam grande ſpatium eſt, triginta annis totum ambitum permeet, tamen cæli motu in contrarium rotata velociùs, quod quotidie neceſſe eſt patiatur, (quoniam, ſicut dicunt, cæli ſingulæ converſiones dies ſingulos explicant) calorem majorem debuit cælo concitatiore concipere.* Hæc habuit a vulgari illius ævi Aſtronomia, ſed ei Aſtronomiæ alium errorem ex loco Geneſeos perperam intellecto, Poeticiſque figmentis temere conjuncto addidit, in ſequentibus. *Nimirum, ergo eam frigidam facit aquarum ſuper cælum conſtitutarum vicinitas; quam nolunt credere qui hæc, quæ breviter dixi, de motu cæli & ſiderum diſputant.* Meritò nolebant, quia Rationi erat contraria, cum qua pugnare non poteſt Scriptura, ut ipſe *Auguſtinus* alibi docet.

Ibidem. *His quidam noſtri* conjecturis *agunt adverſus eos, qui nolunt aquas ſuper cælum credere, & volunt eam ſtellam eſſe frigidam, quæ juxta ſummum cælum circuit, ut ex hoc cogantur aquarum naturam, non jam illic vaporali tenuitate, ſed glaciali ſoliditate pendere.* Vanæ illæ erant conjecturæ hominum indoctorum Scripturam cum Poetica Aſtronomia temere in concordiam redigere conantium, cùm locus Geneſeos de aquis ſupra cælum intelligendus ſit de nubibus inferiori aeri imminentibus; ut rectè dudum conjecit *quidam* (neque enim aliter deſignatur) cujus meminit *Auguſtinus* ſupra Cap. iv. & quem bene monentem ſequi ſatius erat, quam aquas, ubi nullæ ſunt, ſomniare. Sic enim tandem claudit hanc diſputationem: *Quoquomodo autem & qualeſlibet aquæ ibi ſint, eſſe eas ibi minimè dubitamus; major eſt quippe Scripturæ hujus auctoritas, quàm omnis humani ingenii capacitas.* Verè dixit Scripturæ eſſe potiùs credendum, quàm conjecturis, ſed ante omnia intelligenda probe eſt Scriptura; ne commentitium ſenſum, hoc eſt, ſomnia noſtra, pro vera ejus ſententia, credenda obtrudamus, ut fecit hic *Hipponenſis Epiſcopus*. Vide præter Geneſeos Interpretes *Dionyſ. Petavium* Dogmatum Theologicorum T. III. de Opificio ſex dierum Lib. I. c. xi.

Cap. vi. § 10. *Perſonam Patris declaratam eſſe dicunt, in eo quod ſcriptum eſt:* & dixit Deus, fiat firmamentum &c. *ac deinde ut intelligatur Filium feciſſe quod à Patre dictum eſt ut fieret, arbitrantur eſſe ſubnexum:* & fecit Deus firmamentum.] Hæc ταυτολογία, & alia ejuſmodi, quæ habet hic *Auguſtinus*, nituntur prava verſione Latini Interpretis. Nam in Hebraico textu cum ſit יהי, *ſit*, verterunt Græci γενηθήτω, quod non eſt *fiat*, ſed *ſit*; ita ut imperium hoc Dei non reſpiciat ad aliam cauſam, quæ faciat quod jubet, ſed ſignificet Deum ſoli voluntate ſuâ feciſſe ut res ſint.

Libro III. Cap. I. § 1. *Dicuntur autem cæli pluraliter, in una eademque re, quæ dicitur unum cælum.*] Hebraice quidem ſemper שמים *Schamajim* eſt pluralis numeri, quamvis ſæpe ſenſu ſingulari ſumatur; ſed Græci Interpretes nunc οὐρανὸν, more Græco, nunc οὐρανοὺς Hebraico dixerunt, imitatoreſque habuerunt Latinos, licet neſcirent cur numeri in hac voce mutarentur.

Cap. xxi. § 33. *Quomodo autem homo immortalis factus ſit & acceperit eſcam cum aliis animalibus, herbam pabuli ferentem ſemen & lignum fructiferum & herbam viridem, difficile eſt dicere.*] At hinc, ut & ex ſequentibus, facile eſt intellectu hominis corpus, ſuâ naturâ, mortale creatum; ſed nihil vetabat Deum, ſi homo numquam peccaſſet, immortale id præſtare, extraordinariâ ope. Quia verò peccavit, Deus id ſuæ naturæ conficiendum reliquit, quâ ratione mors facta eſt merces peccati. Hoc ipſum perſpicue docet *Auguſtinus* infra Lib. vi. Cap. xxv. § 36.

Libro iv. § 2. *Invenimus ergo ſenarium numerum primum eſſe perfectum eâ ratione, quod ſuis partibus compleatur; hoc eſt*, bis tribus conſtet.] Quicumque alius numerus à Deo lectus fuiſſet, in eo neceſſarias perfectiones omnes inveniſſet *Auguſtinus*. Talia erant Platoniſmi commenta, à quibus alienum non fuiſſe *Auguſtinum* miror, vel propter hoc, quòd nihil haberent fixum ac certum.

Cap. xxxv. § 56. *Dies ergo ille, quem Deus primitus fecit, ſi ſpiritalis rationaliſque creatura eſt, id eſt, Angelorum ſupercæleſtium atque Virtutum, præſentatus eſt omnibus operibus Dei, hoc ordine præſentiæ, quo ordine ſcientiæ, quâ & in Verbo Dei facienda prænoſceret, & in creatura facta cognoſceret, non per intervallorum temporalium moras, ſed prius & poſterius habens in connexione creaturarum, in efficacia verò Creatoris omnia ſimul. Sic enim fecit quæ futura eſſent, ut non temporaliter faceret temporalia, ſed ab eo facta currerent tempora.*] Hæc omnia, quibus ſummatim profert quod particulatim in hoc libro docuit, quis non miretur vocari interpretationes *ad litteram*? Quis non obſtupeſcat, cùm cogitat ſeriò eſſe dicta? Quibus hæc ſomnia ſcitè dictitantis eximia videbantur, eos oportet fuiſſe aut valdè hebetes, aut valde affectu occæcatos. Quis Interpres hodie talia ſcribere vellet?

Ibidem. *Ac per hoc iſti dies ſeptem, quos lux corporis cæleſtis circumeundo explicat, atque replicat, ſecundum quamdam umbram ſignificationis admonent nos quærere illos dies, in quibus lux creata ſpiritalis omnibus operibus Dei, per ſenariam numeri perfectionem præſentari potuerit, atque inde ſeptimam requiem Dei mane habere & veſperam non habere* &c.] Placere hæc potuerunt iis, qui Platonis aut Pythagoræ myſticam Arithmeticam magni faciebant; ſed qui eam irridebant, ſine dubio hæc omnia etiam exſibilabant, & quidem meritò; ut jam liquet vel ex Interpretum recentiorum conſenſu, quibus alia omnia placuerunt. Ignoſcere hiſce commentis poſſumus, ſed mirari eos, qui tam ſæpe indulgentia noſtra indigent, non poſſumus.

Libro v. Cap. xiv. § 32. *Nec prætermittendum eſt, quod emendatiores codices habent:* (Joan. I, 3 & 4.) quod factum eſt in illo vita erat; *ut ſic intelligatur* vita erat, *quomodo*:

Digitized by Google

quomodo: in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *Quod ergo factum eſt, jam vita erat in illo,* & *vita non qualiſcumque* &c.] Emendatiores illi Codices ſine dubio vitioſa interpunctione laborabant, ut Editiones omnes hodiernæ & res ipſa oſtendunt.

Libro vi. Cap. xxiv. & ſeq. § 36. *Non ait Apoſtolus, corpus quidem mortale propter peccatum; ſed corpus mortuum propter peccatum. Illud quippe ante peccatum & mortale ſecundum aliam, & immortale ſecundùm aliam cauſam dici poterat, id eſt, mortale, quia poterat mori* &c.] Nondum hac de re cogitaſſe videtur *Auguſtinus*, cùm ſcriberet Libri iii. Cap. xxi. ut indicavimus obiter ad eum locum.

Libro vii. Cap. ii. § 3. *Sacrilega opinio eſt eam & Deum credere unius eſſe ſubſtantiæ.*] Loquitur de opinione Manichæorum, qui volebant animum humanum eſſe ὁμοούσιον, ſive conſubſtantialem Deo. Vide librum de Hæreſibus Cap. xlvi.

Cap. xxii. § 32. *Quærendum eſt quomodo poſſit intelligi quod cauſſalis ejus* (animæ) *ratio fuiſſe dicebatur in primis ſex dierum operibus Dei, quomodo fecit Deus hominem ad imaginem ſuam, quod niſi ſecundùm animam non rectè intelligitur.*] Sequitur *Auguſtinus* ſtylum Philoſophorum, qui omnibus *ſeminalem rationem* σπερματικοὺς λόγους fuiſſe docebant, quibus vocibus videntur intellexiſſe veluti principium quoddam, ex quo materiæ primæ miſtiones omnes conflatæ ſunt. Vide *Juſtum Lipſium* in Phyſiol. Stoicorum Lib. ii. Diſſert. viii. Iidem Philoſophi aliique dixiſſe etiam videntur αἰτιατικοὺς λόγους, *cauſſalem rationem*, qua loquutione ſæpe utitur in hiſce libris *Auguſtinus*.

Ibidem. *Verendum eſt autem, ne cùm dicimus, non ipſas tunc naturas atque ſubſtantias, quæ futuræ fuerant, Deum creaſſe, dum crearet omnia ſimul, putemur inania quædam dicere.*] Deum omnia ſimul creaſſe jam nemo credit, ſed multi credunt Deum materiam corporum ante omnia creaſſe, ex Gen. i. 1. nec abſurda ea poteſt haberi ſententia. At *cauſſalem rationem* aut corporis, aut mentis qui dicunt, illi *inania dicunt*, nec contrarium in ſequentibus oſtendit *Auguſtinus*. Miras ratiocinationes, quas poſtea affert, non confutabo, neque enim timendum eſt ne quis iis adſenſum præbeat. *Auguſtinus* adſuetus Platonicis argutiis plura ſæpe ſcribit, quàm quæ intelligit, conſequentiáſque paſſim admittit quaſi bonas; quæ ſi negentur, ſtatim corruunt omnes enim ratiocinationes, neque enim ullo modo probari poſſunt.

Ibidem. *Et corporis quidem humani, etiamſi fuit aliqua occulta ratio, quâ futurum erat ut formaretur, erat & materies de qua formaretur, id eſt, terra, in qua videri poterat illa ratio, veluti in ſemine, latuiſſe.*] Docebant Stoici, ut habet *Laërtius* Lib. vii. § 136 principio Deum, cùm eſſet apud ſe, ſubſtantiam omnem per aërem in aquam convertiſſe. καὶ ὥσπερ ἐν τῇ γονῇ τὸ σπέρμα περιέχεται, οὕτω καὶ τοῦτον σπερματικὸν ὄντα λόγον τοῦ κόσμου τοιόνδε ὑπολιπέσθαι ἐν τῷ ὑγρῷ, καὶ τὰ ἑξῆς: *& quemadmodum in fœtu ſemen continetur, ita & hanc, cùm ſeminalis ratio mundi ſit, eamdem in humore reliquiſſe* &c. Hanc Stoïcorum loquutionem imitatus manifeſtò eſt *Auguſtinus*.

Libro ix. Cap. x. § 16. *Quamvis honeſtiùs meliùſque credatur ita fuiſſe tunc illorum hominum corpus animale conſtitutorum in Paradiſo, nondum mortis lege damnatum, ut non haberent appetitum carnalis voluptatis, qualem nunc habent iſta corpora* &c.] Appetitus ille, ut liquet vel ex brutis, tam naturalis eſt quam appetentia cibi, aut potûs, voluptáſque quam experimur cùm comedimus eſurientes, vel bibimus ſitientes. Non puto ſanè quemquam dicturum ſitim aut famem, voluptatémque, quam iis explendis experimur, effectus eſſe peccati. Figmenta mera ſunt quæ hîc & alibi dicuntur. De his copioſiùs egit *Auguſtinus* de Civitate Dei Lib. xiv. Cap. 16. & ſeqq.

Libro x. Cap. vi. *Illud ergo jam videamus, cuinam potiùs ſententiæ divina teſtimonia ſuffragentur, eine quâ dicitur animam unam Deum feciſſe, & dediſſe primo homini, unde ceteras faceret, ſicut ex ejus corpore cetera hominum corpora; an ei, quâ dicitur ſingulas ſingulis facere, ſicut illi unam, non ex illa ceteras.*] Has duas ſententias, quaſi probabiles, admittit *Auguſtinus*, ceteris rejectis, & in priorem quidem pronior eſt, quod ex ea faciliùs explicari poſſe putet & qui omnes *in Adamo* peccaſſe dicantur, & qui peccatum originis ab eo propagetur. At neſcio quomodo hanc ſuam ſententiam cum eo quod ſentiebat de natura incorporea mentis ſtare poſſe intelligeret. Vide Cap. xxiv. Itaque difficultatem difficultate ſolvebat, hoc eſt, ex impedito impeditiorem lectorem reddebat; ſed difficultatibus bonus vir non terrebatur, nec admodum curabat an intelligeret quod dicebat. Quis enim intelligat ejuſmodi propagationem ex traduce, ſi ponas mentem eſſe prorſus incorpoream?

Cap. xix. Prolato loco Heb. vii. 4. & ſeqq. de Levi in Abrahamo decimato: *ſi ergo*, inquit, *hoc etiam valet ad iſtam diſtantiam, quantum præemineat ſacerdotio Levitico ſacerdotium Chriſti, quod ſacerdos Chriſtus per illum præfiguratus eſt, qui decimavit Abraham, in quo & ipſe Levi decimatus eſt, profectò Chriſtus ab eo non eſt decimatus.*] Non debet figurata loquutio Apoſtoli, quam non ſuſtinuit adhibere, niſi præmiſſâ emolliendi formulâ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, uſquè adeò urgeri, quaſi ex ea ſequatur omnem omnino poſteritatem Abrahami, ad ultimos uſque nepotes, in eo decimatam fuiſſe. Nam reverâ hinc ſequeretur ipſum Chriſtum decimas Melchiſedeko ſolviſſe; nemo enim dubitare queat quin Chriſtus, ſecundùm carnem, hoc eſt, humanitatem, ex Abrahamo ſit oriundus. Voluit dumtaxat oſtendere Scriptor ad Hebræos, non mirum eſſe ſi ſacerdotium Chriſti Levitico præferret, quandoquidem ſacerdos fuerat in Palæſtina temporibus Abrahami, qui ab ipſo Abrahamo Levis proavo decimas accepiſſet, & bene precatus ei eſſet, adeóque Abrahamo ſuperior fuiſſet; qui ſacerdos poterat haberi Chriſti adumbratio. Non eſt ulteriùs progrediendum, nec conſectaria, quaſi ex Mathematicis quibuſdam doctrinis hinc rigidè deducenda. Satis habebant Veteres ſuas interpretationes allegoricas aliquo ſenſu eſſe veras, non eas quaſi axiomata Geometrica proferebant.

Ibidem. *At ſi propterea decimatus eſt Levi, quia erat in lumbis Abrahæ; propterea non eſt decimatus Chriſtus, quia non erat in lumbis Abrahæ. Porro autem ſi non ſecundùm animam, ſed tantùm ſecundùm carnem accipimus Levi fuiſſe in Abraham; ibi erat & Chriſtus, quia Chriſtus, ſecundùm carnem, ex ſemine eſt Abrahæ, & ipſe itaque decimatus eſt.*] Sed cùm dicerent Hebræi nepotes *prodiiſſe ex lumbis* majorum ſuorum, aut *in iis fuiſſe*, non ita hoc intelligebant, quaſi & corpora & animi nepotum in lumbis majorum propriè fuiſſent; non ita ſubtiliter philoſophabantur Hebræi; ſed volebant tantùm propagationis ordine ab iis eſſe oriundos. Itaque hoc vult auctor ad Hebræos, Levin, ortum ab Abrahamo, poſſe cenſeri decimas Melchiſedeko ſolviſſe, cùm Abrahamus ejus proavus eas ſolverit.

Ibidem. *Quid eſt ergo quod affertur pro magna differentia ſacerdotii Chriſti à ſacerdotio Levi, quod Levi decimatus eſt à Melchiſedek, cùm eſſet in lumbis Abrahæ, ubi & Chriſtus erat; unde pariter decimati ſunt; niſi quia neceſſe eſt intelligamus ſecundùm aliquem modum ibi Chriſtum non fuiſſe? Quis autem neget eum ſecundùm carnem ibi fuiſſe? Ergo ſecundum animam ibi non fuit. Non eſt igitur anima Chriſti de traduce prævaricationis Adæ. Alioquin etiam ipſa ibi fuiſſet.*] Sed quamvis concederentur animi eſſe ex traduce, quod non puto, non ſequeretur animos nepotum fuiſſe in majoribus; quidni enim, ut corpora, poſſint mentes generari, ita ut ante generationem non fuerint? Deinde per exiguum duarum ætatum intervallum, quod interceſſit inter Abrahamum & Levin, licet, ὡς ἔπος εἰπεῖν, dicere Levin in Abrahamo decimatum; at poſt quadraginta & aliquot ætates idem de Chriſto affirmare, non niſi audaciori æquo figurâ, liceret. Denique ſi vellemus, ex philoſophicis *Auguſtini* placitis, contra eum philoſophari, negaremus ex ejus ſententia, quâ ſtatuit mentem ex traduce propagari, Chriſtum eſſe ortum ex Abrahamo; niſi ſolum corpus ejus, excluſo animo, Chriſtus dici poſſit, quod noluiſſet concedere; nec poſſet Chriſti exemplum nobis proponi, quia mens ejus non eſſet ejuſdem generis ac noſtra; nec eſſet, ut idem Scriptor ad Hebræos

docet,

docet, per omnia ſimilis nobis, excepto peccato. Hæc & talia poſſent ejus ſententiæ objici, quibus factum eſt ut à plerisque Theologis poſtea rejecta ſit. At, inquiet fortè aliquis, ratiocinatione Scriptoris ad Hebræos ut ita ſentiret adductus eſt *Auguſtinus*. Imò illic quæſivit firmamentum ſententiæ ſuæ, de mentis propagatione, quod tamen nullum eſt, ut antea oſtendimus.

Libro xi. Cap. ix. § 12. *Sic eos* (*malos*) *fecit* (*Deus*) *ut eis relinqueret unde & ipſi aliquid facerent, quo quidquid etiam culpabiliter eligerent, illum de ſe laudabiliter operantem invenirent. A ſe quippe habent voluntatem malam, ab illo autem & naturam bonam & juſtam pœnam*] Nemo non videt hæc potuiſſe rectè dici à *Pelagio*, & quidem eo ſenſu, quo ſunt intelligenda ut quæſtioni ſatisfiat; cur Deus crearit eos, quos malos fore prævidit; nam ex ejus ſententia mali *voluntatem malam* à ſe habent, à Deo *naturam bonam* quâ poſſunt aliquid facere; quod ſanè quæſtioni illi neceſſariò reſpondendum. Verùm, ex *Auguſtini* ſententia, hæc non poſſunt, niſi valde impropriè dici, eóque ſenſu, qui quæſtioni nequaquam ſatisfacit. Sed ita ſolet Ariſtoteles Pœnus, *Pelagii* more, objecta in Providentiam reſolvere; dum nihil objicientes contraria omnia docet. Jam non nulla talia ſuperiùs animadvertimus, pluráque animadverteont quicumque quæ hiſce de rebus habet accuratiùs expendent.

Cap. xvi. § 22. De quæſtione an beatus fuerit Diabolus ante peccatum: *quomodo enim*, inquit, *duxiſſe etiam vitam beatam inter beatos Angelos credi poteſt, qui futuri ſui peccati atque ſupplicii, id eſt, deſertionis & ignis æterni præſcius non fuit? ſi præſcius non fuit, meritò quæritur cur non fuerit?*] Delenda negatio in verbis, *ignis æterni præſcius non fuit*, ut liquidum eſt ex ſequentibus; nec ſane beatus eſſe poteſt, qui præſcit ſe miſerum fore. In Editione *Eraſmi*, deterius mendum eſt, nam poſt *æterni* ſequitur abſurdè *ſi præſcius non fuit*, omiſſis tribus antecedentibus vocibus. Sic autem pergit *Auguſtinus*: *neque enim ſancti Angeli æternæ ſuæ vitæ ac beatitudinis incerti ſunt. Nam quomodo beati, ſi incerti?* &c. Hanc argumentationem, ut alia multa, *Ciceroni* ſuo debuit, qui ſic loquitur de Finibus Lib. ii. n. 86. *Si amitti vita beata poteſt, beata eſſe non poteſt. Quis enim confidit ſemper ſibi illud ſtabile & firmum permanſurum, quod fragile & caducum ſit? Qui autem diffidet perpetuitati bonorum ſuorum, timeat neceſſe eſt, ne aliquando amiſſis illis ſit miſer.*

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS LOQUUTIONUM.

Libro i. Sic titulus concipitur: *Locutiones Scripturarum, quæ videntur ſecundùm proprietates, quæ idiomata Græcè vocantur, Linguæ Hebraicæ vel Græcæ.* Itaque Hebraiſmos, atque Helleniſmos hîc notare aggreſſus eſt *Auguſtinus*, optimo ſanè conſilio, quia Græca Tranſlatio ſæpe verbo tenus Hebraïca ſequitur, Græcam verò ſimiliter expreſſerat vetus Itala; unde neceſſe erat ſæpe magnam obſcuritatem naſci Latinè tantum ſcientibus. Verùm hoc ab *Hieronymo*, utriuſque Linguæ Hebraïcæ & Græcæ perito, meliùs præſtitum fuiſſet, quàm ab *Auguſtino*, Hebraïcæ planè imperito, Græcæ verò tenuiſſima cognitione perfuſo; qui ex conjectura idiomata vocat quæcumque Latine erant inuſitata, & intacta multa relinquit. Interea utile eſt hoc opus, ſi non in eum finem quem ſibi propoſuerat *Auguſtinus*, at certè ad confirmandas & eruendas veras lectiones lxx. Intt. reſtituendámque, quatenus licet, veterem Italam, ut liquet ex *Flaminii Nobilii* adnotationibus in verſionem Latinam lxx. Interpretum. Pauca, exempli gratiâ, expendemus, nam non inſtituimus ipſi loquutionum opus ſcribere.

n. 1. *Et dividant inter medium diei & inter medium noctis.* Verba exſtant Gen. 1, 14. de quibus nihil addit *Auguſtinus*. Sermo eſt de luminaribus cœli quæ vult eſſe Deus, *ut dividant* בין היום ובין הלילה *inter diem & noctem*; nimirum, tempus; vel ut omne tempus dividant in noctis & diei vices. Græci verterunt particulam בין *ben*, hîc & alibi, ἀνὰ μέσον, quod vertit Latinus Interpres *inter medium*, cùm debuiſſet ſimpliciter *inter*, unde nata obſcuritas.

n. 2. *Volatilia volantia ſuper terram, ſecundùm* (κατὰ) *firmamentum cœli*] Eſt verſus 20. ejuſdem Capitis, ubi Hebraïca habent על פני *hal phne*, ad faciem; quod optimè verſum κατὰ, *ſecundùm*, hoc eſt, juxta ejus extenſionem. At *Auguſtinus* quærit, *quomodo accipiendum ſit* ſecundùm firmamentum, additque: *ſic etiam* faciamus hominem ſecundùm imaginem & ſecundùm ſimilitudinem, *quod multi Latini Codices habent* ad imaginem. Sed hæ loquutiones nihil habent ſimile, nam prius κατὰ, *ſecundùm*, ſitum ſignificat, poſterius ſimilitudinem.

n. 6. Obſervat Græcum habere Gen. 11, 9. *& lignum ad ſciendum cognoſcibile boni & mali*, hoc eſt, τοῦ εἰδέναι γνωστὸν καλοῦ καὶ πονηροῦ, *quod neſcio*, inquit Auguſtinus, *utrùm loquutionis ſit & non magis certum ſenſum aliquem inſinuet.* Eſt tantùm prava verſio, nam Hebraica ſimpliciter habent: *ſcientiæ boni & mali*, quod verti non debuit (ſi modo ita verterunt lxx. Intt.) *ſcire quod poteſt cognoſci de bono & malo.*

Libro ii. n. 2. *Fecerunt ſibi domos, quoniam timuerunt Deum*] Exod. 1, 21. ubi ſermo eſt de obſtetricibus, quod ſuſpicatur *Auguſtinus* intelligi de divitiis ex Gen. xxx, 31. quæ ſane abſona non eſt interpretatio; malim tamen de liberis intelligere; ita ut Moſes velit, quia obſtetrices pepercerunt vitæ infantium Iſraelitarum, iis prolem eſſe à Deo numeroſam conceſſam. Si Hebraïca, aut verſionem *Aquilæ* legere potuiſſet *Auguſtinus*, aut ſi inſpexiſſet Hieronymianam, obſervaſſet in Hebraïco contextu eſſe *Deum ædificaſſe domos* obſtetricibus.

n. 5. *Quid ſit* thibin (Exod. 11, 3.) *ideò difficile eſt noſſe, quia nec Græcus Interpres ex Hebræo, nec Latinus ex Græco vertit hoc nomen, ſed ſic tranſtulit, ut invenit.*] Eſt Hebraïcum תבה *thebah*, hoc eſt, *arca*, quam θίβιν vocarunt lxx. Intt. fortaſſe quòd ea vox eſſet quoque in uſu in Aegypto. Si *Auguſtinus* ad manum tunc habuiſſet verſionem *Hieronymi*, vidiſſet *fiſcellam* intelligi, hoc eſt, cophinum.

n. 31. *Si loquitur vobis Pharao dicens: date nobis ſignum aut portentum, & dices Aaron fratri tuo, ſume virgam.* Ita habet Moſes Exod. vii, 9. Quærit *Auguſtinus*, *quid ibi additum ſit* & (ante *dices*) *niſi aliqua proprietate loquutionis Hebraicæ?* Verum eſt, nam in ea Lingua paſſim abundat conjunctio *Vau*, quod intelligere potuiſſet ex *Hieronymo*. Vide & Lib. iii. n. 23, 30.

n. 32. *Non mihi videntur*, inquit, *ſatis commodè interpretati Latini* σοφιστὰς *Pharaonis* (Exod. vii, 11.) *ut dicerent* ſapientes, *σοφοὶ enim ſapientes dicuntur. Potuit enim Latinus interpres* Sophiſtas *dicere, quoniam non eſt quemadmodum Latinè dicatur, & ideò iſto verbo jam utimur pro Latino* &c.] Sed auribus Latinis *Sophiſta* aliud ſonabat, quàm quod Græcè hîc ſignificat σοφιστής, quod uſurpatur pro Magiæ perito. Vide de hac voce quæ congeſſit vir eruditus *Lud. Creſollius*, in *Theatro Rhetorum quos in Græcia nominabant Sophiſtas*, ab initio.

Libro iii. n. 22. *Hæc uſitatiſſima loquutio eſt & creberrima in Scripturis* loquutus eſt dicens. *Sed ea quæ ſequitur* (Levit. xii, 1.) *rarius reperitur & Latini Sermonis coartat inopiam, Græcus enim habet*, ἢ ἐρεῖς πρὸς αὐτοὺς λέγων, *quod Latinè exprimi poſſit*, &c

dices

dices ad eos dicens, *minùs autem offendit ſi dicatur,* & inquies ad eos dicens; *& ſimilius eſt Græco, quia & ille non dixit:* λέξεις πρὸς αὐτοὺς λέγων.] Verùm (ne dicam futurum λέξω non ita uſitatum fuiſſe) in ſenſu ipſo nullum eſt vel minimum diſcrimen, mirúmque eſt ita καταλογιῶ *Auguſtinum*, qui tot idiomata Linguæ Hebraicæ paſſim omittit. Sed pluribus haſce minutias non perſequemur.

ANIMADVERSIONES

IN QUAESTIONES IN HEPTATEUCHUM.

Libro i. Quæſt. 3. Q*Uæritur quemadmodum potuerint Angeli cum filiabus hominum concumbere, unde Gigantes nati eſſe perhibentur*] Non malè quæſtionem de Angelorum concubitu ſolvit; in quam, quaſi in ſcopulum, impegerant multi Patres Græci; ſed fruſtra dat operam ut oſtendat fuiſſe *Gigantas*. Ante omnia, quærendum fuiſſet an eſſet vox Hebraica, quæ *Gigantas* ſignificaret, Gen. vi, 4. Voces certè נפלים *nephilim* ac גבורים *gibborim*, fortes ac militares viros ſonant & prior quidem *latrones* fortaſſe ſignificat; ſed Gigantas, hoc eſt, inuſitatæ proceritatis homines, iis ſignificari nemo oſtenderit. Fateor lxx. Interpretes, quos & ipſe ſequutus eſt *Hieronymus*, ſic vertiſſe; ſed neque nativa vis vocum, neque locorum circumſtantiæ iis favent. In hanc vocem iterum impegit *Auguſtinus* Quæſt. xviii.

Quæſt. ix. *Notandum*, inquit, *quod ſcriptum eſt*, (Gen. vii, 15.) in quo eſt ſpiritus vitæ, *non ſolum de hominibus, ſed etiam de pecoribus dictum; propter illud quod quidam de Spiritu Sancto volunt intelligere, ubi ſcriptum eſt*, (Gen. ii, 7.) & inſufflavit Deus in faciem ejus ſpiritum vitæ; *quod melius quidam codices habent* flatum vitæ.] Nimirum, voce *ſpiritus* vulgò utebantur Latinè, ad ſignificandam rem incorpoream & intelligentem, non verò voce *flatus*. Attamen *Auguſtinus* initio Libri vii. de Geneſi ad litteram interpretatur locum Geneſ. ii, 7. de mente immortali, non de anima, quæ poſſit nobis cum brutis eſſe communis. Eam verò cur *flatum*, potius quàm *ſpiritum*, dici malit non intelligo. Gen. ii. habent Græci πνοὴ ζωῆς, Capite verò viii. πνεῦμα. Sed ad ſignificatum quod attinet, nullum eſt inter eas voces diſcrimen. Multa hîc quæruntur, quæ quæſita non fuiſſent, ſi Hebraicè, aut certè Græcè doctus fuiſſet *Auguſtinus*; multáque aliter ſolvuntur, quàm ſoluta fuiſſent.

Quæſt. xi. *Aquila dixit* obtinuit; *Symmachus* prævaluerunt. (Gen. vii, 24.) *id eſt, aquæ.*] Ab alio hæc acceperat *Auguſtinus*, ſed mirum eſt eum ſibi eas tranſlationes non comparaſſe, & Latinè vertendas non curaſſe; non poterat enim ignorare quàm magni uſûs eſſe poſſent. Quis non obſtupeſcat eum, uſu ipſo interpretandi, non intellexiſſe quibus ſubſidiis indigeret; aut, ſi intellexerit, ſibi quatenus potuit non comparaſſe; aut denique, ſi non poterat ea nanciſci, à tot quæſtionibus proponendis, conſcribendiſque tot libris in V. T. & uſque adeò verboſis, abſtinere? Credo excitatum fuiſſe adulationibus, aut ſtultâ admiratione Afrorum ſuorum; ut non deſineret dictare, dum illa dictata ſua tam avidè excipi videbat. Sic homines putant ſe magnos ac eruditos, non quia ſunt, ſed quia ab aliis putantur, ſumúntque inde audaciam, quæ perſæpe malè eis cedit.

Quæſt. cv. *Quid ſibi vult quod Jacob ait fratri ſuo:* Propter hoc vidi faciem tuam, quemadmodum cùm videt aliquis faciem Dei? *Utrum paventis & perturbati animi verba uſque in hanc adulationem proruperunt? An ſecundùm aliquem intellectum ſine peccato dicta accipi poſſunt? Fortaſſis etiam quia dicti ſunt & Gentium Dei, quæ ſunt Dæmonia, non præjudicetur ex his verbis homini Dei. Non enim dicit: quemadmodum ſi viderem faciem Dei, ſed;* cum videt aliquis] Oportuiſſet hic conſultam fuiſſe verſionem *Aquilæ*, unde intelligere potuiſſet *Auguſtinus* ſe fruſtra argutari in vocibus, *ſi quis*, quibus nullæ ſunt quæ reſpondeant in Hebraicis. Poſtea putat poſſe intelligi *Deos gentium; maximè*, inquit, *quia ſine articulo in Græco dictum eſt, quo articulo evidentiſſimè ſolet veri Dei unius fieri ſignificatio. Non enim dixit:* πρόσωπον τοῦ θεοῦ, *ſed dixit* πρόσωπον θεοῦ. *Facilè autem hoc intelligunt quid diſtantia dicatur, qui Græcorum eloquium audire atque intelligere ſolent.*] Verum eſt hanc eſſe conſuetudinem Novi Teſtamenti, ſed Jacobus neque more Novi Teſtamenti, neque Græce loquebatur, ſed Hebraicâ Lingua; in qua nullus eſt articulus, ſeu ה, ut loquuntur Grammatici, Emphaticus, ſed ſimpliciter פני אלהים *phne elohim*.

Libro vi. Quæſt. iv. *Et erunt vobis lapides iſti memoriale filiis Iſrael, atque in æternum.* Verba ſunt Joſ. iv, 7. de quibus ſic ratiocinatur *Auguſtinus*: *Quomodo* in æternum, *cùm cælum & terra tranſeant? An quoniam æternum aliquid ſignificant hi lapides, cùm ipſi æterni eſſe non poſſint?* Cur non memor erat obſervationis, quam alibi ipſe non ſemel protulit, præſertim in Opere ſcripto eodem tempore ac hæ Quæſtiones? Loquutione xciii. de Exodo, ad hæc verba Exodi xxi, 6. *Serviet ei in æternum; quod Græcus*, inquit, *habet* εἰς τὸν αἰῶνα. *Ecce quemadmodum Scriptura, multis locis, dicit ſecundum hoc verbum Græcum*, ſempiternum, *vel* æternum. *Ubi non intelligitur æternitas illa, ſecundùm quam nobis æterna promittuntur* —— *neque enim ſervus iſte, qui vivere in æternum non poſſet, poſſet ſervire in æternum, ſed intelligitur* æternum *dictum, cujus temporis finis non eſt.* Notat etiam in Loquutionibus de Levitico xvii. & xviii. id aliquando *æternum* dici, quod utique non erit ſine fine. Similia habet Quæſt. xxxi. in Geneſin. Attamen pergit hiſce verbis: *quamvis poſſit quod in Græco eſt,* ἕως τοῦ αἰῶνος, *dici Latinè & uſque in ſæculum, quod non eſt conſequens, ut intelligatur æternum.* Sic cùm palpando verum quærat, an id invenerit neſcit, paratúſque eſt deſerere inventum, non aliter ac errorem. Quod Hebraicæ Linguæ operam dediſſet, ſciviſſet עולם *holam* ſignificare propriè tempus cujus occultus eſt finis, à radice עלם *halam*, occultatus fuit, latuit. Sciviſſet etiam Græcos, cùm hanc vocem αἰῶνα interpretantur, eamdem poteſtatem ſubjicere voci αἰὼν, nec paſſus eſſet fluctuationibus Academicis animum ſuum diſtrahi. Potuit ſanè, hac in re, ut & in aliis, *Carneades Pœnus*, potiùs quàm *Ariſtoteles* dici.

Libro vii. Quæſt. i. *In fine libri Jeſu Nave breviter narrator porrexit hiſtoriam quò uſque filii Iſrael, ad colendos Deos alienos, deſervierunt*] Quamvis *Auguſtini* Latinitas uſque adeò caſta non ſit, mallem tamen hîc legere *pertexit*, aut *pertexuit*; vix enim barbari ipſi, ex media Africa, dicant *porrigere hiſtoriam*.

Quæſt. xvi. Et ſervierunt Baal & Aſtartibus. Jud. ii, 13. *Solet* (inquit Auguſtinus) *dici Baal nomen eſſe, apud gentes illarum partium Jovis, Aſtarte autem Junonis, quod & Lingua Punica putatur oſtendere. Nam Baal Punici videntur dicere Dominum; unde* Baalſamin, *quaſi* Dominum cœli *intelliguntur dicere;* ſamin *quippe apud eos cæli appellantur. Juno autem ſine dubitatione ab illis* Aſtarte *vocatur.*] Egregiè hæc omnia, atque utinam multa ſimilia, apud *Auguſtinum*, occurrerent! omnibus allegoricis interpretationibus, atque argutiis rhetoricis ea præferremus. Non ſemel ſignificavit ſibi perſpectum fuiſſe, Linguas Punicam & Hebraicam fuiſſe affines. Sic ſupra Loquutione de Geneſi xxiv. *Quod ſcriptum eſt*, & *extendit manum ſuam, accepit eam* & induxit, *eam* &c. *Loquutio eſt*, inquit, *quam propterea Hebræam puto, quia & Punicæ Linguæ familiariſſima eſt*,

eſt, in qua multa inveniuntur Hebræis verbis conſonantia; nam utique ſufficeret, & extendit manum, *etſi non adderet* ſuam. Alibi etiam talia habet, quæ uſque adeò confirmavit vir ſummus *Sam. Bochartus*, in ſuo Chanaane, ut nemo ampliùs de iis dubitare queat. Quod cùm ita ſit, quis non miretur Chriſtianorum Pœnorum ſocordiam, qui Hebraicæ Linguæ e tenebris eruendæ operam non dederunt? Culpam maximam puto fuiſſe penes declamatores, qui præ declamationibus omnia ſpernebant, nec ulli labori, niſi loquendi, pares erant. De ipſa re, quæ hic agitur, multis egit *Joan. Seldenus*, in Opere de Diis Syris.

Ibidem. *Hoc autem, id eſt, nomine plurali Junones in Græcis ſecundùm Septuaginta novimus, in Latinis autem ſingulariter erat*] Quamvis terminatio עשתרות *haſtaroth*, ſit pluralis fœminini, nihil vetat tamen quin ſignificatio ſit ſingularis, חכמות *hhocbmoth*, ſapientia, בהמות *bhemoth*, hippopotamus &c.

Ibidem. *Quorum in illo qui non habebat Septuaginta Interpretationem, ſed ex Hebræo erat* Aſtaroth *legimus, nec Baal, ſed* Baalim.] Intelligere videtur *Aquilam*, quamvis textus hodiernus Hebraicus habeat בעל, *babal*, quemadmodum etiam legerunt Septuaginta Interpretes.

Quæſt. XXV. *Et percuſſit alienigenas in ſexcentos viros præter vitulos boum.* Jud. III, 31. Ad quæ verba, poſtquam fruſtra *Auguſtinus* quæſivit quid ſibi velint hæc, *præter vitulos boum*, addit: *Non autem habet interpretatio ex Hebræo*, præter vitulos boum, *ſicut iſta quæ ſecundùm Septuaginta eſt*: *ſicut* (lege *ſed*) *habet illa ex Hebræo*, vomere occiſos ſexcentos viros, *quod iſta non habet.*] In Codicibus noſtris Hebraicis legimus במלמד הבקר, *bmilmad habbakar*, hoc eſt, *ſtimulo boum*, pro quo legiſſe omnino videntur LXX. Interpretes מלבד *milbad*, hoc eſt, ἐκτὸς, *exceptis bubus*. Quæ, ut liquet ex hoc *Auguſtini* loco, vera eſt lectio LXX Interpretum, quæ poſtea interpolata eſt verſione *Aquilæ*, qui verterat ἀροτρόποδι, *vomere*. Hinc in Alexandrino Codice utramque lectionem videmus conjunctam: ἀροτρόποδι ἐκτὸς μόσχων, *vomere, exceptis vitulis*; quod cum minus commodum videretur, in Codice Vaticano eſt tantùm ἀροτρόποδι τῶν βοῶν. Non dicam rectiùs vocem Hebraicam intelligi ab iiſqui *ſtimulum* interpretantur, neque enim hoc nunc agitur; ſed ex hoc loco Auguſtini, liquere quàm corrupta fuerit verſio LXX. Interpretum, & quidem ut rectæ rationi convenienter vertiſſe viderentur. *Aquila* autem verterat ἀροτρόποδι, quòd ea pars aratri videretur aptior ad occidendos homines, quam ſtimulus, qui βουπλήξ. Plura in hunc librum non addam, neque enim Commentarium ſcribo, ſed tantùm animadverſiones, in quibus potiſſimùm uſum & abuſum operum *Auguſtini* notare voluimus. Nihil dicam etiam de *Annotationibus in Jobum*, quas *Auguſtinus* inſtar abortivi fœtûs habuit, nec dignatus eſt emendare. Ac ſanè difficilior eſt Jobus, quam ut ab *Auguſtino* explicari poſſet.

DESIDERII ERASMI

CENSURA IN SPECULUM.

AD LECTOREM.

HOC opus vix eram adſcripturus Auguſtino, niſi Poſidonius ſive (ut quidam malunt) Poſſidius in vita nominatim illi tribuiſſet: & præfatio non abhorret ab ejus ſtylo. Verſatus eſt in ſimili negocio Cyprianus, & apud Græcos nonnulli, ſed majore ingenio, curaque. Ceterum infimis etiam inſervire gaudet Chriſtiana caritas.

GRAVIS ſanè eſt cauſa dubitandi an hoc opus, quale ad manus noſtras pervenit, ſit *Auguſtini*; quia in eo laudatur paſſim non vetus Itala verſio, qua Eccleſiæ Occidentales eo ævo utebantur, ſed Hieronymiana. Viri docti, qui Editioni Pariſienſi præfuerunt, in Admonitione quam huic Libro præfixerunt, adnotant cùm ad vulgi uſum hoc opus compararet Hipponenſis Epiſcopus, verſionem uſum, non ex Græco LXX. Interpretum, quam ſequi ſolebat; ſed ex Hebræo, quod hanc demum comperiſſet eſſe illâ multis locis planiorem. Sed hæc ipſa cauſa deterrere potuit *Auguſtinum*, ne à verſione recepta recederet, quòd in gratiam vulgi exſcribebat loca Scripturæ digniſſima, quæ memoriæ mandarentur & aſſiduâ meditatione concoquerentur. Vulgus enim imperitum non potuit non offendi, ſi Scriptura ei diſcenda proponeretur, quæ diſſentiebat ab ea quæ in Eccleſiis legebatur; nec ei ſaltem proponenda fuit nova verſio, ſine præmonitione, qualis nulla hic occurrit. Addunt viri eruditi ab *Auguſtino* aliquoties verſionem Hieronymianam, quaſi planiorem laudari, in poſtremis libris Quæſtionum in Heptateuchum, ac præſertim IV. de Doctrina Chriſtiana Libro, cap. VII. At neſcio utrum laudet ſemper *Hieronymum*, an verò *Aquilam*, cùm in libris Quæſtionum citat Interpretem, qui vertit ex Hebræo; nec locus ille ex Lib. IV. de Doctrina Chriſtiana ejuſmodi eſt, ut omnem interpolationis ſuſpicionem excludat. Sed eſto, probarit, ſub vitæ finem, *Hieronymi* conſilium *Auguſtinus*, in Libris in doctiorum gratiam ſcriptis; in Libro, quale eſt ſpeculum, in uſum plebeculæ conſcripto, novam Tranſlationem vir, præſertim ſine admonitione, plebi propoſiturus fuiſſe videtur? Quid ergo? inquies, an *Auguſtino* igitur hoc opus abjudicas? Nequaquam, ſed ſuſpicor citationes Scripturæ olim eſſe mutatas à Monacho quopiam ex verſione Hieronymiana. *Joan. Phereponus.*

De Pſalmis, in Pſ. II. *Adorate purè, ne forte iraſcatur.*] Quis credat *Auguſtinum* ſpirituales ſenſus, etiam ubi nulli ſunt, avidiſſimè ſectantem, hunc tam inſignem locum, ex *Hieronymi* verſione citaſſe, cùm præſertim *Hieronymo* ingentem invidiam crearit? Nec Eccleſiæ quidem poſteriorum ſæculorum, cùm admiſiſſent verſionem *Hieronymi*; in Pſalmis, quia vulgò memoriter tenebantur, voluerunt veteris Italæ uſum abrogare.

De libro Sapientiæ, cui hæc præfiguntur: *Iſta de libris poſuimus, quos & Judæi Canonicos habent* &c. Hæc ex *Hieronymi* ſententia, neſcio an ex *Auguſtini*. Vide Lib. II. de Doct. Chriſtiana Cap. VIII.

ANIMADVERSIONES
IN LIBROS
DE CONSENSU EVANGELISTARUM.

Libro I. Cap. II. § 4. *Quamvis ſinguli ſuum quemdam narrandi ordinem tenuiſſe videntur, non tamen unuſquiſque eorum velut alterius præcedentis ignarus voluiſſe ſcribere reperitur, vel ignorata prætermiſiſſe, quæ ſcripſiſſe alius invenitur; ſed ſicut unicuique inſpiratum eſt, non ſuperfluam cooperationem ſui laboris adjunxit.*] Vix quidem dubitare poſſumus, an Joannes tria alia Evangelia viderit; quia cùm ad ſummam ſenectutem pervenerit, in ſuo etiam Evangelio operam dedit, ne repeteret quæ ab aliis occupata fuerant, præter pauca, eáque neceſſaria; quod ex *Harmoniis Evangelicis*, & præſertim quidem ex ea, quæ à *Joanne Clerico* edita eſt, liquet. Sed non video qui pro comperto dici queat Marcus ſciviſſe à Matthæo ſcriptum fuiſſe Evangelium, aut Lucas ab utroque. Si Marcus Matthæi laborem vidiſſet, multò credibilius eſt eum in labore Apoſtoli Chriſti, hoc eſt, teſtis oculati, ſequiturum fuiſſe; nec Lucas, qui, ut liquet ex initio ejus Evangelii, plures de dictis & factis Chriſti commentarios viderat, omiſiſſet memorare Apoſtolum, qualis erat Matthæus. Quis credat eum novam Chriſti genealogiam allaturum fuiſſe, ne verbo quidem memoratâ genealogiâ à Matthæo antea editâ, cùm præſertim ad eos in concordiam redigendos, non levis difficultas exoritura eſſet? Inſpiratos quidem nemo diffiteatur; at non ita, ut ratione ſua uti deſinerent, inſpirati fuerunt, & quaſi inſpiratione ſuâ fidem hiſtoriæ apud incredulos, quibus probari non poterat ille afflatus, facturi eſſent. Multò rectiùs ſentire videntur, qui Evangeliſtas tres priores ſcripſiſſe ſuas hiſtorias cenſent, cùm neuter aliorum conſilii conſcius eſſet, unde etiam eorum teſtimonio majus accedit pondus. Cum enim conſentiunt teſtes, qui inter ſe capita contulerunt, ſuſpecti potius habentur; ſed teſtes, qui idem teſtantur ſeorſim, neſcii aliorum teſtimonii, meritò verum dicere videntur.

Ibidem. *Marcus eum ſubſequutus, quaſi pediſſequus & breviator ejus videtur.*] Miror ita loqui *Auguſtinum*, de Scriptore afflato, neque enim inſpiratione opus eſt, ut quiſpiam ſit *pediſſequus & breviator* operis alieni. Crediderim potiùs iis, qui Marcum à Petro Evangelicam hiſtoriam accepiſſe cenſent; nec dubito quin, cùm multi, ut prodidit Lucas initio Evangelii, commentarios dictorum & factorum Chriſti ſcripſiſſent, Marcus & Lucas, qui teſtes eorum non fuerant, ex commentariorum illorum nonnullis, quos videbant ab Apoſtolis probari & veraces haberi, partim ſuas hiſtorias collegerint. Imò nihil vetat ipſum Matthæum aliquo uſum eſſe commentario, quem veracem eſſe videbat. Facilè autem contingere potuit Marcum incidere in commentarios ſimiles, maxima ex parte, iis quibus uſus fuerat Matthæus. Nec id obſtat, quo minùs eorum ſcriptioni præeſſet Spiritus Sanctus, ne quid falſi ſcriberent.

Ibidem. *Lucas autem circa ſacerdotalem Domini ſtirpem atque perſonam magis occupatus apparet.*] Cur? Duabus de cauſis, ſi credimus Auguſtino. Prior eſt quia *ipſe David, quamquam apertè rex fuit, figuravit tamen & ſacerdotis perſonam, quando panes propoſitionis manducavit; quos non licebat manducare, niſi ſolis ſacerdotibus*; Lucas autem *ad ipſum David non regium ſtemma ſequutus adſcendit, ſed per eos qui reges non fuerunt ex iis ad Nathan filium David, qui nec ipſe rex fuit.* Nullus non videt commentitias has eſſe conſequentias; quas ſi quis neget, nemo probare queat. Sed hiſce Rhetoribus ſatis erat quidpiam non eſſe impoſſibile, ut quaſi probabile in medium proferretur.

Non firmior eſt altera ratio, quæ ſic habet: *Huc accedit quod ſolus etiam Lucas Mariam commemorat ab Angelo manifeſtatum cognatam fuiſſe Elizabeth, quæ uxor erat Zachariæ Sacerdotis; de quo idem ſcripſit, quòd eam de filiabus Aaron, hoc eſt, de tribu Sacerdotum habebat uxorem.* Ergóne, quia Maria cognata erat mulieris è ſacerdotali proſapia, ideò ex ſacerdotali ſtirpe & ipſa fuit? An igitur Aaronis poſteri cum nulla alia Tribu connubia miſcuerunt? Nulla lege hoc iis impoſitum, nullâ conſuetudine obſervatum. Quæ ergo hinc colliguntur, de diverſo Matthæi & Lucæ conſilio, inania ſunt. Non meliore nituntur fundamento quæ poſtea dicuntur de Joanne quidem circa virtutem contemplativam, ceteris verò Evangeliſtis circa activam verſantibus; tum etiam de animalibus, ſingulis Evangeliſtis attributis. Quæ tamen non obſervarem, niſi viderem ſomniis hujuſcemodi adplaudi à nonnullis, qui contrà meliora vehementiſſime oppugnant; quaſi mille anni pondus adderent ſomniis, res verò accuratiſſimè demonſtratas ſola novitas poſſet elevare.

Cap. XV. § 23. *Quidam Philoſophi eorum, ſicut in libris ſuis Porphyrius Siculus prodidit, conſuluerant Deos ſuos quid de Chriſto reſponderent, illi autem oraculis ſuis Chriſtum laudare compulſi ſunt.*] *Porphyrius* non Siculus fuit, ſed Tyrius, ut jam obſervavimus ad Retractationum Lib. II. c. 32. *Porphyrii* verba vide apud *Euſebium* Demonſt. Evangelicæ Lib. III. c. 6. & de Civit. Dei Lib. XIX. c. 23.

Cap. XXII. § 30. *Alii dicunt Saturnus eſt, credo propter Sabbathi ſanctificationem, quia iſti eum diem Saturno tribuerunt*] Alii Bacchum ab iis coli dicebant, propter neſcio quas rituum ſimilitudines, ut liquet ex *Plutarcho* Sympoſiacorum Lib. IV. Quæſt. V. At hoc negat *Tacitus* Hiſtor. Lib. V. c. 5. ſed propter abſurdam rationem: *quippe Liber*, inquit, *feſtos lætóſque ritus poſuit; Judæorum mos abſurdus, ſordidúſque.* Imò ſapiens & ſobrius mos Judæorum, ritus verò Bacchi & temulentorum ac furioſorum hominum. Sic abſurdè Ethnici etiam viri graves & docti, de rebus divinis judicabant & dum ex moribus ſuis de aliorum gentium Diis loquuntur, alienas eis opiniones tribuebant. Vide quæ hac de re notavit *Joan. Clericus* Artis Criticæ P. 2. Sect. 1. Cap. XIII.

Libro II. Cap. IV. § 8. *Acutè quippe animadverſum eſt, Matthæum, qui regiam in Chriſto inſtituerat inſinuare perſonam, excepto ipſo Chriſto, quadraginta homines in generationum ſerie nominaſſe.*] Voluit Matthæus nominare quadraginta duos homines, eóſque nominarat, ut liquet ex verſ. 17. ubi omnes dividit in tres Teſſaradecadas; quarum primæ decimus quartus eſt David, ſecundæ Jechonias Joſiæ filius, tertiæ Joſephus vir Mariæ. Sed duæ primæ generationes deſunt in tertia Teſſaradecade, vitio librariorum; nihil enim poteſt abſurdius fingi, quàm ſi dicas Matthæum ipſum, recenſendo ſingulos, numeraſſe tantùm quadraginta homines; ſubducendo verò ſummam, inveniſſe quadraginta duos. Perinde eſt ac ſi quis recenſitis decem digitis, ſingulis nominibus ſuis, undecim poſtea ſibi eſſe diceret. Abſit ut tale quid Evangeliſtæ tribuamus! Myſterium in mendo Librariorum fruſtra quæſivit *Auguſtinus*, in ſequentibus verbis.

Ibidem. *Numerus autem iſte illud tempus ſignificat, quo in hoc ſæculo & in hac terra regi nos oportet, à Chriſto, ſecundùm diſciplinam laborioſam, quâ flagellat Deus, ut ſcriptum eſt, omnem filium quem recipit* &c.] Si ab *Auguſtino* petas, cur ita numerum quadraginta interpretetur; *quia ergo*, inquit, *numerus iſte laborioſi hujus*

ſus temporis ſacramentum eſt, —— *etiam illud declarat quod quadraginta dierum jejunium, hoc eſt, humiliationem animæ conſecravit; & Lex & Prophetæ, per Moyſem & Eliam, qui quadragenis diebus jejunaverunt; & Evangelium per ipſius Domini jejunium, quibus diebus quadraginta etiam tentabatur à Diabolo* &c. Sed ſi quis dicat hoc eſſe ſomnium vigilantis, quidvis ſomniare parati de quovis alio numero? Profectò contrarium numquam probabilius hac affirmatione videbitur. Quamobrem miror *Auguſtinum*, qui ut os Ethnicis obturaret hoc opus magno ſtudio elaboravit, talibus arithmeticis allegoriis ſuſtinuiſſe uti. Quod de ſequentibus etiam allegoriis dictum velim. Nihil hæc excuſare poteſt præter bonum animum eorum, qui allegoriis luſerunt, & qui non viderunt pro divinæ ſapientiæ conſiliis ſic credulæ turbæ mera ingenioſe delirantium commenta proponi miranda. Quod ſi seriò cogitaſſent, hæc omnia prætermiſiſſent; nec commiſiſſent ut loquerentur, niſi habuiſſent ſilentio potiora.

De ordine & conciliatione locorum inter ſe nihil hîc dicemus, quandoquidem tam multas habemus Harmonias, ex quibus peti queant. Vide vel Harmoniam Evangelicam à *Joanne Clerico* editam. Is ubi tradit *Canones Harmonicos*, quibus tota ejus nititur Harmonia, ſæpe utitur *Auguſtini* verbis, ex hoc libro petitis.

Cap. LXVI. § 128. *Manifeſtum eſt autem interpretationem illam, quæ dicitur Septuaginta, in nonnullis ſe aliter habere, quam inveniunt in Hebræo, qui eam Linguam noverunt, & qui interpretati ſunt ſinguli eoſdem libros Hebræos. Hujus item diſtantiæ cauſa ſi quæratur, cur tanta auctoritas interpretationis Septuaginta multis in locis diſtet ab ea veritate, quæ in Hebræis Codicibus invenitur; nihil occurrere probabilius exiſtimo, quam illos Septuaginta eo Spiritu interpretatos, quo & illa quæ interpretabantur dicta fuerunt; quod ex ipſa eorum mirabili, quæ prædicatur, conſenſione firmatum eſt*] Atqui hæc conſenſio putida eſt fabula, quam doleo æquè facilè creditam ac quæ fidem ſibi omnibus argumentis, quibus verum à falſo ſecernitur, faciunt; cùm præſertim inde aliud falſum enatum ſit conſectarium, quo putabant aut bene vertiſſe LXX. Interpretes, aut Spiritu actos alia dixiſſe, quæ iis ſuggerebat Spiritus. Quod quàm falſum ſit norunt ii, qui eam verſionem cum Hebraico Textu contulerunt, & qui eorum hallucinationum cauſas aperuerunt. Verum iis qui nolebant Hebraïcam Linguam diſcere expediebat credi quod habet *Auguſtinus*, ne inſcitiæ aut arrogantiæ inſimularentur, quòd per totam vitam ex vitioſa verſione Scripturam Veteris Teſtamenti temerè eſſent interpretati. Sic & multa credita ſunt, aut credi viſa, quod plebi vera videri intereſſet eorum, qui eam regendam ſuſceperant. Interea hinc confirmatur quod ad *Speculum* conjiciebamus, à Monacho quopiam recentiore verſionem Hieronymianam eſſe veteri Italæ, in eo libro, ſubſtitutam.

LIBRO III. Cap. VII. § 29. Ad Matth. XXVII, 10. *Si quis autem*, inquit, *movetur quod hoc teſtimonium non invenitur in Scriptura Jeremiæ Prophetæ, & ideò putat fidei Evangeliſtæ aliquid derogandum; primò noverit non omnes Codices Evangeliorum habere quod* per Jeremiam *dictum ſit, ſed tantummodo*, per Prophetam. *Poſſemus ergo dicere, his potiùs Codicibus eſſe credendum, qui* Jeremiæ *nomen non habent; dictum eſt enim hoc* per Prophetam, *ſed* Zachariam, *unde putatur Codices eſſe mendoſos, qui habent nomen* Jeremiæ, *quia vel Zachariæ habere debuerunt, vel nullum, ſicut quidam; ſed tantùm*, per Prophetam dicentem, *qui utique intelligitur Zacharias*.] Reverà qui propterea carpebant Matthæum, hoc potiùs credere debuerunt, quam hominem Judæum, perpetuò audientem Prophetas in Synagogis lectitari, & privatim etiam legentem, atque inter alios ſui ſimiles verſantem, in tali re aberraſſe; cùm præſertim nihil ejus intereſſet Jeremiam potiùs dici, quàm Zachariam.

Sed, inquit Auguſtinus, *utatur iſta defenſione cui placet, mihi autem cur non placeat hæc cauſa eſt, quia & plures codices habent Jeremiæ nomen & qui diligentiùs in Græcis exemplaribus Evangelium conſideraverunt, in antiquioribus Græcis ita ſe perhibent inveniſſe; & nulla fuit cauſa cur adderetur hoc nomen ut mendoſitas fieret; cur autem de nonnullis codicibus tolleretur, fuit utique cauſa ut hoc audax imperitia faceret, cum turbaretur quæſtione, quòd hoc teſtimonium apud Jeremiam non inveniretur.* Hîc planè Criticum agit *Auguſtinus*, nec ſine ſpecie rationis vulgatam lectionem defendit. Sed quidquid dicat, nihil vetat credere in antiquiſſimo quopiam codice id fuiſſe mendum, quod poſtea in alios tranſierit; cùm non auderent librarii id emendare, aut neſcirent etiam an eſſet mendum. Quam in ſententiam deſcendimus, quia, omnibus accuratè penſitatis, non videmus qui verba Zachariæ poſſint Jeremiæ tribui; nam ratio, quam habet in ſequentibus *Auguſtinus*, veriſimilis non videtur. *Quid ergo intelligendum eſt*, inquit, *niſi hoc actum eſſe ſecretiore conſilio providentiæ Dei, qua mentes Evangeliſtarum ſunt gubernatæ?* Poſtea conjicit inſinuatum eſſe hac citatione *ita omnes ſanctos Prophetas uno ſpiritu loquutos, mirabili inter ſe conſenſione conſtare, ut hoc multò amplius ſit, quam ſi omnium omnia Prophetarum uno unius hominis ore dicerentur, & ideò indubitanter accipi debere quæcumque per eos Spiritus ſanctus dixit, & ſingula eſſe omnium & omnia ſingulorum.* Sed hoc poſito, Moſi poſſet tribui quod dixit Zacharias, & cuivis alii Prophetæ quod alius quivis ſcripſiſſet; quod numquam tamen factum, neque fiet. Si Deus per Evangeliſtam tale quidpiam nos docere voluiſſet, curaſſet ut hoc perſpicue ab eo diceretur, non ita ut vacillante conjecturâ & facilè negandâ deducendum ex ejus verbis eſſet. Idem dicendum de aliis multis, quæ velut fidiculis ex Scriptura hauriuntur, ab *Auguſtino* & aliis Veteribus, coactas conjecturas pro divinæ ſapientiæ conſiliis venditantibus. Atqui ea demum pro divina revelatione habenda ſunt, quæ diſertè in Scripturis revelata leguntur, aut neceſſaria eorum conſectaria: quemadmodum leges in Republica habentur, quibus diſertè quidpiam præcipitur aut vetatur; aut quæ ex illis ita fluunt, ut, poſitis legibus, neceſſariò ſequantur. Uno verbo ea demum ſuſcipienda ſunt quaſi divinitus revelata quæ ex cognitione Linguæ, qua concepta eſt revelatio, ſenſuque communi toti humano generi, grammaticâ, ut ita loquar, ac dialecticâ neceſſitate colliguntur; ita ut, ſine pertinacia, rejici nequeant. Quod ſemper fieri debet, cùm ut nobis ipſi, tum etiam ut incredulis, alioqui licentiam conjectandi meritò irriſuris, ſatisfaciamus; niſi fortè interdum, cùm nobis res eſt cum pertinacibus præconceptiſque opinionibus mordicus adhærentibus, argumentatione *ad hominem* utamur; ſicuti fecerunt Apoſtoli, cùm illis res eſſet cum Judæis, placita Doctorum, potius quàm rectam Rationem audire adſuetis.

ANIMADVERSIONES
IN LIBROS DE SERMONE DOMINI
IN MONTE, SECUNDUM MATTHAEUM.

LIBRO I. Cap. II. § 9. AD verba: *beati pacifici. In pace*, inquit, *perfectio eſt, ubi nihil repugnat & ideò filii Dei pacifici, quia nihil reſiſtit Deo. Pacifici autem in ſemetipſis ſunt, qui omnes animi ſui motus componentes & ſubjicientes rationi, id eſt, menti & ſpiritui, carnaléſque concupiſcentias habentes*

habentes eſurientes, ſunt regnum Dei. &c. Meritò, ab initio hujus Libri, obſervavit *Auguſtinus*, in hiſce ſermonibus Chriſti, præcepta eſſe omnia, quæ ad informandam vitam pertinent. Sed miror pleraque allegoricè ab eo eſſe explicata, cùm *ad litteram*, ut loquitur noſter, intellecta pulcherrimam & ſanctiſſimam ſententiam complectantur. Exempli cauſa, quis non videt εἰρηνοποιοὺς dici belli, rixarúmque & litium omnium oſores? Quam in rem, multa pulcherrima, & ſaluberrima dici poterant; quæ dici nequeunt, ſi illatâ vi uſui Linguæ Græcæ, intelligas de pace affectuum. Sed noſter perpetuò captat generales allegorias, quæ non docto, ſed cuivis loquaci ſemper ſunt in promtu, ſine meditatione ulla; omiſſis Ethicis peculiaribus præceptis, quæ explicari ordine non poterant, ſine ſtudio & labore. Putabant vulgò, ignaris illis ſæculis, majoris eſſe ingenii incertas allegorias ubivis, invitis Grammaticâ ac Dialecticâ, aucupari; quam grammaticè & dialecticè Scripturam interpreteri; et, ſi verum amamus, multò minoris fuit ingenii futilibus conjecturis ἀπρεπεστάταις, quàm litteralem ſenſum aperire, atque ex eo ita ratiocinari, ut nihil, niſi à pertinacibus negari queat; ne dicam judicii hoc eſſe multò majoris, cùm alterum illud nihil ſit niſi in re ſerie nugantis. Conferantur, cum hiſce Auguſtinianis, quæ ad Cap. Matth. v, vi, & vii. habet *Hugo Grotius* in adnotationibus, aut *Henricus Hammondus* in Catechiſmo Practico, & liquebit tantum eſſe inter interpretationes allegoricas & veras diſcrimen: quantum eſt inter ſomniantium & vigilantium ratiocinationes.

Cap. ix. § 23. *Unum autem hic verbum obſcurum poſitum eſt, quia nec Græcum, nec Latinum eſt* racha, *cetera vero in ſermone noſtro uſitata ſunt.*] *Judicium* & *Conſilium* quæ hoc loco Matth. v, 22. habentur ſunt quidem voces Latinæ, ſed quas tamen bonus *Auguſtinus* non intellexit; qui ne ſuſpicatus quidem eſt ad Judaicos mores reſpici, ut pulcrè oſtenderunt recentiores Critici.

Ibidem. *Nonnulli autem de Græco trahere voluerunt interpretationem hujus vocis, putantes* pannoſum *dici* Racha, *quoniam Græcè* pannus ῥάκος *dicitur; à quibus tamen cùm quæritur quid* (non *quod*) *dicatur Græcè* pannoſus, *non reſpondent racha*] Scribendum eſt *raka*, & Græcè ῥακὰ, per *Kappa*, non per *Chi*, nam eſt Syriace ריקא *raka* per *Koph*, cui reſpondet origine & ſono τὸ *Kappa*. Nec qui pravam hanc Græcam Etymologiam proferebant, retuliſſent ad ῥάκος, *pannum*, ſed ad ῥάχος, unde ῥαχίων *perditus nebulo*. Sed rectè fecit *Auguſtinus* quod ad Hebraïcam Linguam confugerit.

Probabilius eſt ergo, inquit, *quod audivi à quodam Hebræo, cùm id interrogaſſem, dixit enim eſſe vocem non ſignificantem aliquid, ſed indignantis animi motum exprimentem. Has interjectiones Grammatici vocant particulas orationis ſignificantes commoti animi affectum; velut cum dicitur à dolente, heu! vel ab iraſcente, hem! Quæ voces quarumque Linguarum ſunt propriæ, nec in aliam Linguam facilè transferuntur; quæ cauſa utique coegit tam Græcum interpretem* (quum Matthæus credebatur Hebraïcè ſcripſiſſe) *quàm Latinum, vocem ipſam ponere, cùm quomodo eam interpretaretur non inveniret.*] Vereor ut ſatis rectè intellexerit *Auguſtinus* quid ſibi vellet Judæus ille. Certè ſi Judæus Hebraïcè ac Syriacè ſcivit, non potuit dicere ריקא *raka* eſſe interjectionem indignantis, nulla enim eſt talis interjectio, in iis Linguis; ſed ריקא *reka*, ut ſcribunt ac pronunciant Thalmudici, aut ריקא *raka*, ut Syri, eſt convicium; quod non ita facilè in aliam Linguam transfundatur, ſicuti nec aliarum Linguarum convicia. Quod puto dictum fuiſſe a Judæo *Auguſtino*, qui non aſſequutus eſt quod volebat. Si ſcribamus ריקא *reka*, hac voce ſignificabatur homo *vacuus* ſapientia ac virtute, nam radix ריק *rik* eſt evacuavit; nec eſt contumelioſa vox Græca, aut Latina, quâ hoc exprimatur. Si verò ſcribamus ריקא *raka*, erit à Syriaca radice ריקא *raka*, quæ eſt *ſputare*, ſignificabitque hominem dignum qui conſpuatur. Quam originem probat *Edmondus Caſtellus*, in Lexico Polyglotto, affertque obiter *Theophylactus*, in hunc locum: τινὲς δὲ τὸ Ῥακὰ Σύρων κατάπτυστον φασὶ σημαίνειν: *quidam vero* Raka *Syriacè aiunt ſignificare deſpuendum*. Sed non puto κατάπτυστον dictum eodem ſenſu ac *Raka*; nam Græca vox *abominandum*, fugiendum tralaticio ſenſu ſonat, Hebraica verò vox contemnendum. Priori allatarum ejus originum favet uſus Thalmudicorum, poſteriori prolatio ipſa vocis. Sed quidquid id eſt, *Raka* non eſt interjectio. Adi ad Matthæum *Joan. Druſium*, & *Hug. Grotium*.

Cap. xi. § 31. ad Matth. v. 25. *Eſto adverſario tuo benevolus* &c. *Auguſtinus* hîc perperam argutus judicem interpretatur *Chriſtum* & adverſarium *Deum*, quo nihil abſurdius fingi potuit. Dignum ſane hoc erat retractatu, ut & pleraque alia, quæ hîc habentur, & quæ ferè ſunt contorta & aliena. Satius fuiſſet *Auguſtino* diutiùs tacere, quàm cruda ſtudia in publicam lucem protrudere. Erat enim tantum Preſbyter, cùm hoc opus edidit, nec ita pridem Theologiæ Chriſtianæ & Scripturarum ſtudio operam dederat.

Cap. xvi § 50. *Acyndinus tunc Præfectus, qui etiam Conſul fuit* &c.] Inſignis eſt hiſtoria, & quâ ſarciri aliquatenus poſſit jactura temporis, quæ fit in legendis allegoricis interpretationibus hujus Opuſculi.

Libro ii. Cap. ii. § 5. *Cùm ad orationem ſtamus ad Orientem convertimur, unde cœlum ſurgit.* &c.] Credo factum ut contrario ritu Judæis uterentur Chriſtiani. Sanctuarium enim, in Templo in Jeroſolymitano, ad Occidentem ſpectavit; ac proinde ad eam cœli plagam converſi orabant Judæi. Vide not. ad Exod. xxvi. 33. à *Joanne Clerico*.

Cap. vii. § 25. de pane quotidiano, in oratione Dominica. *Panis quotidianus aut pro omnibus ſit dictus eſt, quæ hujus vitæ neceſſitatem ſuſtentant* —— *aut pro ſacramento corporis Chriſti, quod quotidie accipimus.*] Attamen, ut ait § 26. *plurimi in Orientalibus partibus non quotidie Cœnæ Dominicæ communicant*. In Africa jam à temporibus *Cypriani*, ea obtinuerat conſuetudo, ut liquet ex ejus libro in Orationem Dominicam: *Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus*. Ad quem locum, vide *Joan. Fellum* Epiſcopum Oxonienſem.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS QUAESTIONUM EVANGELIORUM.

Libro I. Quæſt. 2. Q*Uod Diſcipuli Domini cœperunt vellere ſpicas &* manducare; *quod, niſi confricantes eas, facere non poſſent. Hinc eſt*, mortificate membra veſtra ſuper terram; *id eſt, quia quiſque non tranſit in corpus Chriſti, niſi carnalibus exſpoliatus fuerit indumentis.*] Tales ſunt pleræque quæſtiones, unde intelligere licet finem *Auguſtini* in hiſce Libris non fuiſſe inquiſitionem veri ſenſûs, ſed commentitiarum allegoriarum, ad quas inviti Evangeliſtæ torquerentur. O cerebri felices, qui in tam levibus argutiis acquieſcebant!

Libro ii. Quæſt. xxxviii. § 3. *Quamquam illa receptio* (in Tabernacula æterna, Luc. xvi. 19.) *utrum ſtatim poſt iſtam vitam fiat, an in fine ſæculi, in reſurrectione mortuorum, atque ultima retributione judicii, non minima quæſtio eſt.*] Digna, hac de re, lectu eſt Diſſertatio viri doctiſſimi *Ludovici Cappelli*, quam inſcripſit *Mortuorum vitam*. Edita eſt in Operibus ejus Criticis, quæ prodierunt Amſtelodami anno 1689.

Quæſt. li. *Non omne quod fingimus mendacium eſt*: Quando, nempe, pro vero id non dicimus. *Sed quando,*

de, inquit, *id fingimus quod nihil ſignificat, tunc eſt mendacium.* Imò quando verum eſſe dicimus quod fingimus. Si quis parabolam habendam eſſe diceret pro vera hiſtoria, mendacium diceret, quæcumque ceteroqui ſignificatio foret parabolæ. Sed ut omnis ſimulatio non eſt vituperanda, qualis ea eſt, de qua Luc. xxiv. 28: ſic fortè nec omne damnandum mendacium. Sed hac de re integrum opus ſcripſit *Auguſtinus*.

ANIMADVERSIONES

IN TRACTATUS IN JOANNEM.

TRactatu i. §. 13. ad Joan. i, 3. *Sine ipſo factum eſt nihil.* Interpretatur *Auguſtinus, quæcumque naturaliter facta ſunt, quæcumque ſunt in creaturis, omnia omnino, quæ fixa in cœlo ſunt, quæ fulgent deſuper, quæ volitant ſub cœlo, & quæ moventur in univerſa rerum natura----ab Angelo uſque ad vermiculum.*] Nihil verius, qui enim divinam providentiam negabant, iidem nolebant inſecta à Deo facta. Multis hac de re egit, in notis ad hunc locum, *Joannes Clericus*, eáque dixit, quibus poſſint Auguſtiniana illuſtrari. Utinam Hipponenſis Epiſcopus, miſſis omnibus frigidis allegoriis, coactiſque interpretationibus, quibus ſcatet quidquid in Scripturam elucubravit, tales ſemper interpretationes protuliſſet! Pro querelis, & caſtigationibus, laudes & gratiarum actiones hic legerentur. Veriſſimè in §. 14. obſervat, ſi concedamus muſcas à Deo non eſſe factas, nos poſſe ſenſim deduci ad negandum elephantem atque hominem Dei opera eſſe. Ut enim gradatione ex ipſo deſumta utar, ſi muſca ſit fortuitus caloris fœtus, quidni & locuſta? ſi locuſta, quidni & lacertus? ſi lacertus, quidni avis? ſi avis, quidni pecus? ſi pecus, quidni bos? ſi bos, quidni elephas? ſi elephas, quidni homo? Attamen neſcio quomodo *Auguſtinus* concedit *vermes* (unde muſcæ) *ex putredine naſci*. Non video quid poſſet reſpondere gradationi ex ipſo allatæ. Verùm hi *Tractatus* populares ſunt orationes, quod nomen ipſum oſtendit; quibus neque Joannis verba, neque res ipſas ad amuſſim interpretatur, ſed dicit quod in mentem veniebat. Itaque fruſtra ſit, qui hinc quidquam exquiſiti exſpectet.

Tractatu xxvi. n. 11. *Panem cœleſtem ſpiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata etſi ſunt quotidiana, vel non ſint mortifera.*] Aut *vel* hic ſumitur, pro *ſaltem*; aut eſt mendum, legendúmque fortè: *at non ſint mortifera*, quod poſtea mutatum in *aut*, deinde in *vel*.

Tract. xxxviii. §. 11. in Joan. viii, 25. ubi Chriſtus, *principium quia & loquor vobis. Ecce*, inquit Auguſtinus, *quod eſt eſſe. Principium mutari non poteſt; principium in ſe manet, & innovat omnia; principium eſt cui dictum eſt: tu autem idem ipſe es & anni tui non deficient.*] Hæ ſunt argutiæ hominis Græcè neſcientis, ut optimi quique Interpretes dudum oſtenderunt. Accepit tamen *Auguſtinus* ἀρχὴν eſſe in accuſativo; quamobrem putat Chriſtum ita loqui, quaſi anteceſſiſſet *credite me*, nimirum, *principium*. Sed qui Græcè ſciunt norunt ſollemni ejus Linguæ conſuetudine, ſubaudiendum κατὰ, quod non opus eſt pluribus oſtendi; non enim ſcribimus in Joannem ſed obiter oſtendimus ſine cognitione Linguarum, inane eſſe acumen Scripturam interpretantium.

Tractatu xliii, §. 17. *Non dixit*, antequàm Abrahamus eſſet, ego eram; *ſed*: antequàm Abraham fieret, *qui niſi per me non fieret*, ego ſum.] Qui Græcè ſciunt norunt verbum γίνεσθαι perinde eſſe ac εἶναι, ac proinde argutia hæc Latinè tantùm ſcientibus tolerabilis, à Græcis exſibilata fuiſſet: quemadmodum *Fauſti Socini* interpretatio hujus loci ab omnibus rejicitur, qui voluit etiam verti *antequàm Abraham fieret*, quamquam alio planè ſenſu.

Tractatu xlvii. §. 4. *Ipſe Dominus ibi fuit, ibi matrem elegit, ibi concipi, ibi naſci, ibi ſanguinem fundere voluit, ibi ſunt veſtigia ejus, modò adorantur, ubi noviſſimè ſtetit, unde adſcendit in cœlum.*] Editores Pariſienſes obſervant de veſtigiis, in Oliveti monte, humo impreſſis mentionem fieri etiam in Libro de locis Hebraïcis, inter *Hieronymi* opera. Rectè dicunt id opus eſſe *inter Hieronymi opera*, nam non eſt ipſius *Hieronymi*, qui in eo etiam laudatur. Exſtat T. iii. Operum Hieronymi in Editione *Eraſmi*, ſubjicitúrque libro de locis Hebraicis, & inſcribitur: *De Actis Apoſtolorum.* Ut dicam quod videtur, crediderim paullò ante hæc tempora, non in Judæa ipſa, nec in vicinis provinciis, ſed procul, cœpiſſe fingi quod jactatum poſtea eſt, tantâ verborum pompâ, de inventione crucis Chriſti ab Helena Conſtantini matre, déque hiſce veſtigiis abeuntis Chriſti. Alioqui non modò *Euſebius* hæc in vita Conſtantini, in qua uſque adeò eum Helenámque extollit, agitque de Eccleſiis in Palæſtina ab hac ædificatis, non omiſiſſet; ſed nec etiam *Hieronymus*, non modicus locorum inſignium Judææ prædicator. Hæc autem figmenta avidè ſunt arrepta ab iis qui putabant facilè admittendum quidquid facere conferebatur ad confirmationem Chriſtianæ fidei, nec curioſiùs an verum eſſet expendendum; unde natæ ſunt innumeræ fabulæ, & ſuperſtitiones, quibus Religionis Chriſtianæ nativa pulcritudo non parum obſcurata eſt. Multò ſatius fuiſſet, homines de veritate & divinitate doctrinæ Chriſtianæ minimè dubitantes, abhorrere ab omnibus argumentis non tantùm falſis, ſed etiam levibus ac incertis; veritati enim exploratæ nulla poteſt eſſe conjunctio aut cum mendacio, aut cum incertis rumoribus, quæ eam non obſcuret, aut etiam dedecore afficiat. Quis non etiam indignetur incertam famam, aut etiam falſam non aliter admiſſam ab hominibus religioſis, ac ipſam Evangelii veritatem? Quis non ſuſpicetur, quamquam minimè ſuſpicacis ingenii, multos Chriſtianos fuiſſe, non quia doctrinæ Chriſtianæ veritate introſpectâ eſſent perculſi, ſed quia utile erat, poſtquam Chriſtiani rerum potiti erant; cùm turpibus fabulis illico adſenſum præberent, ſi modò prodeſſent? Dehoneſtarunt Religionem Chriſtianam, qui fidem ei ſoli habendam quibuſvis figmentis lubentes accommodarunt. Si contraria omnia credidiſſent ineſſe revelationi, quam proferebant Chriſtiani, non aliter ea eſſent amplexi.

Tractatu cxx. ad Joannis C. xx, 42 §. 5. *Quando jam propter paraſceuen, quam cœnam puram Judæi Latinè uſitatiùs apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.*] Multis de Paraſceue egit *Joſ. Scaliger* de Emend. Temp. Lib. vi. pag. 564. Ed. Roverianæ. Prolato hoc *Auguſtini* loco ſubdit: Vetus Interpres *Joan. Chryſoſtomi*, ſermone in natalem Joannis Baptiſtæ: *Quâ enim die conceptus eſt Dominus, eadem die & paſſus eſt. Eadem ipſa dies* cœna pura *fuit, in qua & luna quarta decima occurrit.* Vides *Paraſceuen* propriè dici tempus, quod adveſperationem inter & ſolem occaſum interjectum eſt ——— Alioqui καταχρηστικῶς vel ἰδιωτικῶς tota etiam dies Veneris dicitur παρασκευὴ, ſaltem ab hora ſexta, ut eſt apud Joannem. Itaque ea dicitur παρασκευὴ antequàm venerit, cùm propriè iniverit ἀπὸ ἐννάτης ὥρας, quæ dicebatur מנחה, id eſt, oblatio. Hinc deinceps à nona hora opus facere non licebat in προσαββάτῳ, ut disertè exſtat in Canonibus Hebræorum: *Quicumque facit opus in veſperis ſabbathorum, & dierum feſtorum ab oblatione veſpertina, & ultra, non videbit umquam bonum ſignum benedictionis.* Ex quibus potes percipere quare *Auguſtinus* dicebat, acceleratum tempus ſepulturæ; ne, ſcilicet, eos, qui Chriſtum de cruce depoſuerant, opprimeret ἡ ἑσπέρα, ſive עת המנחה tempus oblationis veſpertinæ, à quo tempore opus facere nefas erat. Hæc vir ſummus ex doctrina Judæorum, quæ falſiſſima eſt, ut liquet

ex Matth. xxvii, 46. & Marc. xv, 34. unde liquet poſt nonam demum fuiſſe ſepultum Chriſtum. Merum etiam commentum eſt, quod dicit propriè dictam *præparationem* fuiſſe quatuor ultimas horas diei Veneris; cùm non occurrat, niſi pro tota die Veneris. Ceterùm *Auguſtino* quoque prius perſuaſerunt Judæi. Hi autem *cœnam puram* vocabant *paraſceuen*, quod Ethnici *cœnam puram* dicerent quæ apponebatur iis, qui feſti alicujus cauſâ in caſto erant, quod Græci dicebant *ἁγνεύειν* & *ἀφαγνεύειν*, ut ad celebrationem feſti ſe pararent; unde factum erat, ut Judæi idem eſſe cenſerent *cœnam puram* & appararum feſti, eóque nomine diem Veneris vocitarent. In aliis nihil ſimile erat, ut rectè animadvertit *Iſ. Caſaubonus* Exercitat. Contra *Baronium*, xvi. num. 16. quem vide. Adi & *Feſtum* in voce *penem*, & *Fulvium Urſinum* in Appendice libri *Pet. Ciacconii* de Triclinio.

ANIMADVERSIONES

IN TRACTATUS IN I. EPISTOLAM JOANNIS.

TRactatu v. §. 1. *Profiteri ſi eſſe ſine peccato periculoſum eſt; & non ſolum periculoſum, ſed etiam mendoſum.*] Hoc eſt mendacio plenum, ut ſatis liquet cùm ex ſequentibus, tum ex proprietate vocis; nam deducenda à *mendum*, quod interdum falſum ſignificat. Vide notata à *Joan. Clerico* in Epiſt. Barnabæ Cap. 11. Multis in hoc loco agit *Auguſtinus*, ut redigat in concordiam Jounnem dicentem 1. Ep. Cap. 1, 8. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus & veritas in nobis non eſt*, & Cap. iii, 9. negàntem *natum ex Deo peccare*, tandémque hæc poſtrema verba intelligenda cenſet de peccato contra caritatem proximi. Multò melius interpretati ſunt Joannem, qui natum ex Deo habitu peccandi delinquere negant, ſed tantùm ſubitâ tentatione, aut infirmitate. Sic in pleriſque omnibus, ſi quid paullò difficilius occurrat, ceſpitat bonus *Auguſtinus*, ſi præſertim dicta ejus cum Recentiorum lucubrationibus conferantur.

ANIMADVERSIONES

IN EXPOSITIONEM EPISTOLAE AD ROMANOS.

HOc opus conſcripſit Presbyter *Auguſtinus*, circa annum ccc xciv. cùm ex communibus notionibus Scripturam interpretaretur. Quare in eo multa habet, quæ merè Pelagiana ſunt, ut vel ex Retractationum loco præfixo intelligere eſt. Mirum eſt hominem, qui numquam à quoquam propterea damnatus fuerat, quaſi hæreticus, imò verò ab omnibus laudatus, poſtea in eadem dogmata invectum eſſe, quaſi cum Religione Chriſtiana conſiſtere non poſſent. Si numquam tamen exortæ fuiſſent rixæ Pelagianæ, in iis ſententiis mortuus eſſet. Imò verò fortaſſe numquam ita invectus in eas fuiſſet, niſi *Pelagius* aliquid in ejus ſcriptis carpſiſſet. In libro *de dono perſeverantiæ* Cap. xx. n 53. narrat his verbis primam indignandi in Pelagium occaſionem: *Quid meorum Opuſculorum frequentius & delectabilius innoteſcere potuit, quam libri Confeſſionum mearum? Cum & ipſos ediderim, antequam Pelagiana hæreſis extitiſſet; in eis certè dixi:* DA QUOD JUBES ET JUBE QUOD VIS. *Quæ mea verba Pelagius Romæ, cum à quodam fratre & Coepiſcopo meo fuiſſent, eo præſente, commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquantò commotiùs, penè cum eo qui illa commemoraverat litigavit.* Hinc prima origo mali, nam nihil magis irritabile eſt ſcriptoribus, qui pro ſcriptis poſtea, tanquam pro aris & focis pugnant.

Propoſit. xliv. Ad Rom. vii, 19, 20. *Nunc enim homo deſcribitur ſub lege poſitus ante gratiam. Tunc enim peccatis vincitur, dum viribus ſuis juſtè vivere conatur, ſine adjutorio liberantis Gratiæ Dei. In libero autem arbitrio habet ut credat liberatori, & accipiat gratiam, ut jam illo, qui eam donat, liberante & adjuvante, non peccet* &c.] Hæc ſunt minimùm Semipelagianiſmus, qui ſi tunc temporis non docebatur in Eccleſia, ſummopere temerarius erat *Auguſtinus*; qui loquebatur de re tam gravi, cootra omnium ſententiam; aut ſi docebatur, non capio quî damnari potuerint quaſi novatores & exitiales hæretici, qui id docebant, quod antea ubique docebatur & quod cum laude ſcripſerat *Auguſtinus*. Ceterùm hunc locum retractavit *Auguſtinus*, ut & alia quædam, quæ *Pelagio* favebant. Sed ad hunc locum quod attinet, optimi quique Interpretes hîc eſſe verè *μετασχηματισμὸν* agnoſcunt, quo Paulus veluti in ſuam perſonam transfert, quæ ad hominem non regeneratum pertinent; quod extra omne dubium poſuerunt.

ANIMADVERSIONES

IN EXPOSITIONEM EPIST. AD GALATAS.

§. 24. PRofertur ſic v. 19. Cap. iii. Ep. ad Galatas: *Quid ergo? Lex, tranſgreſſionis gratiâ, propoſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſſum eſt, diſpoſitum per Angelos in manu mediatoris.*] Eſt mera depravatio, cùm in interpunctione, tum in voce *diſpoſitum*. Græca habent: *τί οὖν ὁ νόμος; τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη, ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται, διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου.* Vulgata hodierna: *Quid igitur lex? propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat, ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Atque ita legi oportere res ipſa oſtendit, agnoviſſétque *Auguſtinus*, ſi meliores Codices contuliſſet. Sic enim legit *Pelagius* in Commentario ad hanc Epiſtolam, ſi modò illic mutata ejus verba non fuerint. Sic quoque *Ambroſiaſter* ille, cujus Commentarii in Epiſtolas Pauli *Ambroſio* ſunt conjuncti. Sed perinde erat *Auguſtino* quomodocúmque legeretur, ex quibuſvis ſenſum quemvis elicere parato, nec orationis ſeriem evolvere curanti. Sæpe non feliciùs ſenſum expedivit, ubi rectam lectionem ſequutus eſt, quàm ubi falſam. At laudari non potuit, quòd cùm eſſet tiro, nam expoſitionem hanc etiamnum Presbyter conſcripſit, & præterea Græcæ Linguæ imperitus, difficillimos Novi Teſtamenti libros, Epiſtolas ad Romanos & ad Galatas, interpretari aggreſſus ſit, ne emendatis quidem codicibus ſibi comparatis. Hæc ejus zelo, bonóque animo condonanda quiſpiam fortè exiſtimabit; nec intercedo, modò ne laudentur quæ venia indigent, aut ne vituperentur meliora, iis præſertim collata,

quod

quod à multis tamen, inſcitiáne dicam, an partium ſtudio? fieri ſolet.

§. 40. *Unde & Joannes ad Parthos dicit*: Scribo vobis, patres &c. Verba exſtant 1. Joan. II, 13. Sic rectè editum à Benedictinis, non *ad Patres*. Vide Inſcriptionem Tractatuum in hanc ipſam Epiſtolam, & adi *Hugonem Grotium*, interpretum Scripturæ facilè principem, ad 1. Ep. Joannis.

§. 64. *Ego enim ſtigmata Domini Jeſu-Chriſti in corpore meo porto.*] Verba ſunt Apoſtoli Gal. VI, 17. quæ ita interpretatur Auguſtinus: *id eſt, habeo alios conflictus & certamina cum carne mea, quæ in perſequutionibus quas patior mecum dimicant.* His lectis, nemo non exſpectet *Auguſtinum* loquuturum de ſtigmatibus militum, de quibus hunc locum nonnulli interpretantur. Sed audi ſequentia: *Stigmata enim dicuntur notæ quædam pœnarum ſervilium; ut ſi quis, verbi gratiâ ſervus in compedibus fuerit, propter noxam, id eſt, propter culpam, vel hujuſmodi aliquid paſſus fuerit, ſtigmata habere dicatur; & ideò in jure manumiſſionis, inferioris eſt ordinis.* Quæ ut vera habeantur, nihil tamen ad interpretationem ejus faciunt. At hinc colligere potuit, Paulum hoc velle; ſervum ſe eſſe Chriſti, quod ſtigmata veluti à Chriſto ei impreſſa ſignificabant. Præterea hîc *ſtigmata* intellexerim, κατ' ἀντίθεσιν ad ſtigmata ſuperſtitioſa Idololatrarum, de quibus *H. Grotius* & *Henr. Hammondus* ad Apoc. XIII, 15. Ceterùm *ſtigmata* non propriè vibices dicebantur, ſed inſcripta puncta, quibus interdum fugitivi ſervi notabantur; unde στιγματίαι dicti, ut docebunt Græci Lexicographi.

ANIMADVERSIONUM IN TOMUM III.

FINIS.

ANIMADVERSIONES
IN TOMUM QUARTUM
S. AUGUSTINI.

DES. ERASMUS ROTERODAMUS
AD LECTOREM.

ENARRATIONES ſacrorum voluminum apud populum habitas, quas Græci vocant Homilias, Divus Auguſtinus appellat *Tractatus*: nos Conciones poſſumus appellare. In his ferè ſolebant notarii quod dicebatur excipere: nonnumquam qui dicturus erat, vel antequàm diceret, digerebat in ſchedulam quod parabat diſſerere, vel quod dixerat litteris mandabat In hoc dictionis genere, multa dantur auribus imperitæ promiſcuæque multitudinis. In primis aliquot Pſalmis adſtrictior eſt & accuratior. In poſterioribus identidem exſpatiatur in longas digreſſiones, mutatâ, ut apparet, voluntate. Lege diligenter, reperies arcanæ doctrinæ theſaurum inæſtimabilem. VALE.

PUTO ab *Eraſmo*, nomine *arcanæ doctrinæ*, intelligi ſenſus Pſalmorum Allegoricos, nam quid aliud hic arcanum dici poſſit non intelligo: neque enim ad litteralem ſenſum eruendum quidquam eſt in Pſalmorum Enarrationibus, quod non cuivis & ubique occurrat. Ad Theologiam verò atque Ethicam Chriſtianam quod attinet, nihil eſt hic reconditi & minimè vulgaris. Sunt, nimirum, Enarrationes ad rudem plebeculam, ſuſpenſis auribus omnia bibere paratam, inſtituendam; non doctis, ac verorum Scripturæ ſenſuum ſtudioſis ſcriptæ. Duo mihi videntur à Pſalmorum Interprete poſſe poſtulari. Prius eſt ut, ante omnia, oſtendat quis ſit ſenſus proprius ac grammaticus, qui *litteralis* vocari ſolet. Is autem ſenſus inveniri non poteſt, niſi diligenter Hebraïca conſulantur, útque faciliùs intelligantur, Interpretes ſtudioſè inter ſe conferantur. Nam prorſus pendere ex vitioſa fortè verſione, aut, quod pejus eſt, ex ipſius verſionis non meliore in aliam Linguam tranſlatione, & velle tamen Scripturam interpretari, hoc profectò eſt in tenebris micare. Itaque ad Authentica & Autographa Scripta confugiendum. Hæc autem planè neglecta ſunt ab *Auguſtino*, & quòd non poſſet Hebraïcum textum ac Interpretes illos conſulere, & quòd nollet in ſenſu litterali hærere. Hinc autem factum eſt, non tantùm ut ſententiam ipſius Pſaltæ adſequutus paſſim non ſit, ſed etiam ut ne ipſos quidem LXX. Int. intellexerit, quorum ſæpe barbara ac obſcura Tranſlatio meliùs multò ex Hebraïco Textu intelligitur, quam ſi ſola legatur. Præterea ubi litteralis ſenſus ſimplex atque apertus eſt, minimè opus fuit illo deſerto ad ſpirituales divagari; quod tamen perpetuò fermè facit *Auguſtinus*, & quidem ita ut ſibi propterea mirum in modum plaudat. Sic ille quæ obſcura ſunt minimè reddit labore ſuo clariora, & quæ ſunt perſpicua quàm maximè obſcurat. Exempli causâ, litterali ſenſu Pſalmi CXIX. fermè nihil eſt apertius; totus quippe de præſtantia, deque obſervatione divinæ Legis agit; nec potuit quidquam tractari aptius à Propheta, cùm ut ſe ipſum ad obſervandam Legem confirmaret, tum etiam ut populares ſuos ad morum ſanctitatem adduceret. Hiſce tamen ſpretis, quaſi ſpiritu Prophetico parum dignis, quæſivit *Auguſtinus* ſenſus de quibus nemini umquam in mentem veniſſet, qui litteralem ſententiam probè perſpexiſſet, pulcherrimáque ejus conſectaria perſpexiſſet. *Quanto*, inquit de illo Pſalmo, *videtur apertior, tantò mihi profundior videri ſolet, ita ut etiam quam ſit profundus demonſtrare non poſſim. Aliorum quippe, qui difficilè intelliguntur, etiamſi in obſcuritate ſenſus latet, ipſa tamen apparet obſcuritas; hujus autem nec ipſa, quoniam talem præbet ſuperficiem, ut Lectorem atque Auditorem, non expoſitorem neceſſarium habere credatur.* Quis non videt Hipponenſem Epiſcopum hîc nodum in ſcirpo quæſiviſſe; quia, in ſimplici interpretatione, non potuiſſet ſuam illam, quam ei exprobrat *Eraſmus* Epiſt. LXVII. Lib. XX ἀπεραντολογίαν oſtentare, ut fecit? Ingenioſi & docti viri putabant eſſe illa ſæcula, multùm loqui de re, quæ eloquentiæ nullum argumentum præbere videbatur.

Alterum, quod ab Interprete Pſalmorum poſtulari

queat, ſitum eſt in ſenſu ſpirituali eruendo; qua in re ſequenda eſt Apoſtolorum Cynoſura, ut ita loquar. Nimirum, loca Pſalmorum in Novo Teſtamento prolata, ut prophetica, explicanda ſunt ita, ut liqueat non fruſtra fuiſſe ab Apoſtolis laudata. Quam in rem adhibenda ſunt omnia Criticæ Sacræ ſubſidia, quibus ferè deſtitutus fuit *Auguſtinus*, qui propterea rem præſtare non potuit. Sed quia Apoſtoli loca nonnulla Pſalmorum ſpirituali ſenſu intellexerunt & interpretati ſunt, propterea non ſequitur à quovis, qualibet de cauſa, omnia pro arbitrio in ſpirituales ſenſus poſſe torqueri; quod tamen perpetuò, & quidem cum magna laude tudium ſæculorum, eorumque qui illa imitati ſunt, factitavit *Auguſtinus*. In illis citationibus Apoſtoli ſæpe, ut quidem videtur, ad traditiones, opinionesque Judaicas reſpexerunt, ea quibus contra ſui ævi Judæos meritò ratiocinabantur; ita ut ſint argumenta quæ à Logicis vocantur *ad hominem*, quibus apud alios, quaſi firmis, uſi non fuiſſent. Sæpe etiam ſpiritus Propheticus, quo afflati erant Apoſtoli, non minùs ac antiquiores vates, quædam iis aperuit, quæ nos alioqui fugiſſent. Itaque nemo non illorum auctoritati adſenſum præbet, nemo dubitat quin rectè citata ſint ab Apoſtolis illa loca; cùm tamen æquo animo nemo patiatur nunc à quovis ita Veteris Teſtamenti Scripturam explicari. Ac ſanè cur ſinamus ea nobis magnâ verborum pompâ obtrudi, ab hominibus minimè afflatis, imò etiam imperitis, quæ ſi negentur nullo modo probari poſſint? Cur quaſi ſacroſanctum habebitur quidquid Declamatoribus in buccam veniet de quovis Scripturæ loco? Quis tandem erit modus ſomniorum, in re uſque adeò ſeria, ſi ſtatuamus talia admitti oportere?

Igitur exiguus quidem eſt uſus harum *Auguſtini* Declamationum, ad intelligendos Pſalmos; ſed non inutiles fuerunt olim ad docendam plebem, eámque ad virtutem excitandam, quia etiam ea quæ præter rem & alieno loco dicuntur, utilia eſſe poſſunt, ſi modò ſint vera. Itaque legantur hæc, quaſi Conciones, ac miſcellæ quædam meditationes Theologicæ atque Morales, non quaſi interpretationes Scripturæ; excerpantur ex iis rectè, acutè, ingenioſè dicta, eáque commodis occaſionibus adhibeantur, laudato Auctore; tribuetur *Auguſtino* quidquid honoris ei debetur, nec ejus Opera ſuo fructu carebunt. Quiſquis volumen aperiet, & aliquot in eo paginas leget, veriſſimum eſſe & æquiſſimum quod diximus, comperiet. Attamen aliquot exemplis rem illuſtrabimus, neque enim in hoc ingens volumen notas conſcribere aggredimur; nec verò ullius id eſſet fructûs, qui quidem laborem expendendum æquare poſſet.

PSALMO I. Verſum 1. ſic interpretatur: *De Domino noſtro Jeſu-Chriſto, hoc eſt, homine Dominico accipiendum eſt.* Quid ita? Beatus profectò erat & re & ſpe quiſquis divinam legem obſervabat; ideóque abſurdum hæc Chriſto violenter aptare, quæ optimè omnibus conveniunt. Huc reſpexit auctor Expoſitionis Pſalmorum, perperam *Hieronymo* tributæ, quæ edita eſt in calce Tomi II. Operum *Hieronymi*, Lutetiæ anno 1699. *Quidam*, inquit Scriptor illius Expoſitionis, *iſtius Pſalmi clavem ſuper Chriſti Domini noſtri perſonam eſſe referendam, ut beatus iſte vir ſecundum hominem Chriſtus ſit. Bona quidem voluntas, ſed imperitia eſt.* Verè, quamvis ipſe ſit exigui pretii Inrerpres.

Ibidem, ad hæc verba: *in cathedra peſtilentiæ non ſedit*, hæc habet Auguſtinus: *noluit regnum terrenum cum ſuperbia; quæ ideò* cathedra peſtilentiæ *rectè intelligitur, quia non ferè quiſquam eſt, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Peſtilentia eſt enim morbus latè pervagatus, & omnes, aut pænè omnes involvens.* Sed quamvis ſedeant Reges in cathedra, aut in ſolio, ubicumque occurrit vox *cathedræ*, non agitur ideò de regno; niſi circumſtantiæ loci eò Lectorem deducant, quales hîc nullæ ſunt. Quamvis *peſtilentium* potiùs quàm *peſtilentiæ* vertendum fuerit, ut mox dicam, attamen hac etiam poſitâ lectione, facilè potuit intelligere *Auguſtinus* hîc ſermonem eſſe de conſeſſu hominum peſtilentium, ſi paullò peritior fuiſſet artis Criticæ. Docet hoc apertiſſimè Pſalmus xxv, 4, 5. (ſequor hîc Græcam diviſionem) ubi ita Pſaltes ex antiqua verſione: *non ſedi cum Concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi Eccleſiam malignantium, & cùm impiis non ſedebo*; ut & Pſalm. XLIX, 21. CXVIII, 23. Nimirum, homines otioſi ſolent unà ſedere in locis publicis, aut in quæ convenire ſolent, atque aliorum famæ maledicis ſermonibus detrahere. Hinc *Theophraſtus* Character. XXIX. qui eſt maledicentiæ, ſic de maledico loquitur: συγκαθήμενος δεινὸς περὶ τοῦ ἀναστάντος εἰπεῖν, *ſedens inter alios, paratus ad loquendum de eo qui ſurrexit.* Exemplum etiam καθεζομένων ἐν ἰατρείῳ λοιδόρων, *ſedentium maledicorum in medici officina* habemus apud *Aelianum* Var. Hiſt. Lib. III. c. 7.

Atque hoc quidem faciliùs iotellexiſſet *Auguſtinus* ſi oculos conjeciſſet in Verſionem Græcam, quæ habet λοιμῶν, quæ vox frequenter ſignificat *homines peſtiferos.* Quòd ſi præterea contuliſſet cum hac verſionem *Aquilæ*, intelligere potuiſſet eſſe vocem hîc Hebraicam, quæ ſoleret à Judæis verti χλευασταί. *triſores.* Unde etiam reſciviſſet hîc eſſe nomen pluralis numeri, ex quo liquebat Interpretem Latinum male vertiſſe *peſtilentiæ*; & cùm vix dici poſſet *cathedra peſtilentiarum*, voce λοιμοὶ ſignificari *peſtiferos homines.* Vel ex enarratione Ambroſiana hujus Pſalmi hæc partim diſcere potuit, ſi eam conſuluiſſet.

Ibid ad v. 2. *Sed in Lege Domini fuit voluntas ejus, & in Lege ejus meditabitur die ac nocte*; ſic ratiocinatur: *Juſto non eſt lex poſita ut dicit Apoſtolus; ſed aliud eſt eſſe in lege, aliud ſub lege. Qui eſt in lege, ſecundùm legem agit; qui eſt ſub lege, ſecundùm legem agitur. Ille ergo liber eſt, iſte ſervus.*] Quia olim Numidis & aliis Afris, qui doctiores non erant, hæc pulcra viſa ſunt, erúntne etiam nobis eximia habenda? Quæ ſi à nobis prodirent, exſibilarentur, an plauſibus excipientur? Non puto. Itaque dicemus, cum pace & Numidarum & aliorum omnium, quibus talia olim placuerunt, 1. locum Pauli planè extra rem eſſe: 2. non dici hîc quemquam eſſe *in lege*, ſed ejus *voluntatem eſſe in lege*, hoc eſt, ex conſtantiſſimo Linguæ Hebraicæ uſu, lege divinâ delectari, eique libenter parere: 3. diſtinctiunculam *ſub lege* & *in lege* inanem eſſe, cùm nemo dicat, *Voluntas ejus eſt ſub lege.* Pergit tamen argutari bonus *Auguſtinus*, his verbis: *Deinde aliud eſt lex quæ ſcribitur & imponitur ſervienti; aliud Lex quæ mente conſpicitur ab eo qui non indiget litteris.* At de nulla alia Lege hîc agitur, quàm de Moſaica, quæ ſcriptis conſignata erat & omnibus Judæis impoſita, nemine excepto. Loquitur enim hîc David, homo Hebræus, & quidem de hominibus ſuæ gentis, qui legem ſcriptam habebant, eámque obſervabant.

Ibidem. *Meditabitur die ac nocte; aut ſine intermiſſione intelligendum eſt.* Optimè, ſi deleas illud *aut.* Sed fluctibus Academicis abreptus, etiam in re clara, addit: *aut die, in lætitia*, nocte *in tribulationibus.* Fateor aliquando *luce* res ſecundas, *tenebris* adverſas ſignificari; ſed *facere quidpiam die & nocte* numquam ſignificavit in ſecundis & in adverſis. Quia voce quapiam aliquid in certo ſitu ſignificatur, ideò non ſequitur, ubicumque occurrat, eodem modo poſſe eam intelligi. Sed exempla ejus audiamus, nam duo profert: *Dicitur enim* (Joan. VIII, 56.) *Abraham diem meum vidit & gaviſus eſt. Et de tribulatione dicitur: inſuper & uſque ad noctem emendaverunt me renes mei*; Pſ. XV, 7. Sed in verbis Chriſti, *dies* lætitiam non ſonat, verum tempus quo futurus erat in terris; locus verò Pſaltæ *etiam noctibus erudierunt me renes mei*, nimis obſcurus eſt, quàm ut quidquam probare queat, & aliter commodiùs intelligi poteſt, ut quivis docebunt Interpretes ex recentioribus.

§. 3. Hæc ſunt verba v. 3. *Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecundùm decurſus aquarum.* Vel pueri intelligant hîc eſſe ſimilitudinem, quæ nonniſi integra explicari poteſt, & quidem ita ut oſtendatur quàm ſit apta tota ſimilitudo, non ut particulatim diſcerpatur. Attamen, prolatis his verbis, ſic ea interpretari aggreditur *Auguſtinus*: *id eſt, aut ſecundùm ipſam ſapientiam quæ dignata eſt hominem ſuſcipere ad ſalutem noſtram; ut ipſe homo ſit lignum planta-*

tum

tum ſecundùm decurſus aquarum: poteſt enim & hoc intellectu accipi quod in alio Pſalmo (LXIV, 10.) *dicitur: fluvius Dei repletus eſt aqua.* Sed primùm quis neſcit in ſimilitudine rem unde ſimilitudo ducitur, eſſe *ad litteram*, ut loquuntur, intelligendam? Ne ipſe quidem *Auguſtinus* hoc ignoravit, ſed argutandi immodica & intempeſtiva cupiditas & Africana [illegible] obſtitit ne judicio ſuo uteretur. Præterea nec locus Pſalmi LXIV, 10. ſimilis eſt, nec id ſignificat quod vult. *Fluvius* enim *Dei* illic eſt Jordanes, ut recte ex *Theodoro*, credo, Mopſueſteno, notavit *Lud. Ferrandus*. Pergit noſter eodem acumine: *Aut ſecundùm Spiritum ſanctum, ſecundùm quem dicitur: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto &c.* Nemo neget Spiritum ſanctum conferri ſæpe cum aqua; ſed in hac ſimilitudine non poteſt ſignificari *decurſibus aquarum*. Tertia poſt affertur interpretatio prioribus abſurdior: *aut ſecundùm populorum peccata, quia & aquæ populi interpretantur in Apocalypſi, & decurſus non abſurdè intelligitur lapſus, quod pertinet ad delictum.* O acumen! O Numidas patientibus auribus, aut oculis præditos! Talia hodie à noſtratibus ſine riſu non audirentur. Sed audi cetera: *lignum ergo illud id eſt, Dominus noſter de aquis decurrentibus, id eſt, populis peccatoribus, trahens eos in via in radices diſciplinæ ſuæ.* Quàm hæc contorta ſint non opus eſt monere, dicam tantum oblitum eſſe *Auguſtinum*, virum illum *beatum* de quo v. 1. conferri cum arbore plantata juxta aquam, quæ proinde non poteſt eſſe Chriſtus, ſi idem ille *vir beatus* Chriſtus ſit, ut dixit. Neque enim in ſimilitudine prior & poſterior pars idem eſſe poſſunt. Fructum dabit, *hoc eſt, conſtituet Eccleſias; in* tempore ſuo, *hoc eſt, id eſt, poſtquàm clarificatus eſt reſurrectione & adſcenſione in coelum* &c. Qui feliciſſimè verſati ſunt in interpretatione Parabolarum Novi Teſtamenti, obſervant ſingulas partes ſimilitudinum non eſſe nimium urgendas, ſed dumtaxat totam ſimilitudinem eſſe aptandam toti rei de qua ſermo eſt; quia nulla Parabola nititur perfecta ſimilitudine ſingularum partium, & quia non conſtat an minutas illas ſimilitudines attenderit Chriſtus. Hæc ſi animo reputaſſet *Auguſtinus*, hæc & alia multa, in hiſce Enarrationibus, reſecuiſſet.

§ 4. ad v. 4. *Non ſic impii, non ſic; ſed tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ*, ſic habet: *terra hic accipienda eſt ſtabilitas in Deo*; ad quod confirmandum profert loca Scripturæ, in quibus *terra* allegoricè, ut putabat, id ſignificat; ſed cùm omnia illa commenta allegorica ſolâ negatione confutari queant, hic quoque locus reſpuit illam interpretationem; quia in hac ſimilitudinis parte propriè ſumenda eſt vox *terra*, ut ad ſuperiorem ſimilitudinem oſtendimus.

Poſtea, *à cujus terræ*, inquit, *facie projicit ventus impium, id eſt ſuperbia quia inflat.* Feliciter verò inventum! Impius non dicitur hîc *projici à facie terræ*, ſed eſſe *tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ*; hoc eſt, incertiſſimam eſſe, & viliſſimam apud Deum ejus conditionem: ut eſt, apud homines, pulveris vento agitati. Vide ſimilem comparationem Pſalm. XVII, 42. & Pſalm. XXXIV, 5. & alibi.

§. 5. ad v. 5. *Ideò non reſurgunt impii in judicio*] *Ideo, ſcilicet*, inquit, *quia tamquam pulvis projiciuntur à facie terræ. Et bene hoc eis dixit auferri quod ſuperbi ambiunt, id eſt, ut judicent, ut hoc ipſum planiùs dictum intelligatur ſequenti ſententiâ:* neque peccatores in concilio juſtorum. Verùm ubi *reſurgere*, aut *ſurgere in judicio* ſignificat judicem agere? ſi conſuluiſſet aut Hebraïcum textum, aut Judæum, accepiſſet verbum quo hîc utitur David, non tam ſignificare *reſurgere*, quàm *ſtare*; unde collegiſſet hoc velle Pſalten, in judicio non poſſe conſiſtere impios, hoc eſt, fore ut cauſâ cadant. Vide Eſaiæ VII, 12. Mal. III, 2. Rom. XIV, 4. & *Hug. Grotium* ad hunc locum.

Psalmo II. §. 6. ad verba v. 6. *Ego hodie genui te. Quamquam etiam*, inquit, *poſſit ille dies in prophetia dictus videri, quo Jeſus Chriſtus ſecundùm hominem natus eſt: tamen* hodie, *quia præſentiam ſignificat, atque in æternitate nec præteritum quidquam eſt, quaſi eſſe deſierit; nec futurum, quaſi nondum ſit; ſed præſens tantùm, quia quidquid æternum eſt ſemper eſt; divinitus accipitur ſecundùm id dictum*, Ego hodie genui te, *quo ſempiternam generationem virtutis & ſapientiæ Dei, qui eſt unigenitus Filius, fides ſinceriſſima & catholica prædicat.*] Quamvis hæc interpretatio non ſit *Auguſtino* peculiaris, obſervandum tamen ante omnia Pſalmum hunc explicandum fuiſſe de Davide, qui de ſe loquitur; deinde ſublimiori ſenſu de Chriſto, quoniam ita hunc Pſalmum intellexerunt Apoſtoli. Ad Davidem quod attinet, *genitus* tunc à Deo dicitur, cùm eſt Rex conſtitutus, nam Reges dicuntur *filii altiſſimi* Pſalm. LXXXI, 6. Ac ſanè ad regnum ejus reſpici liquet manifeſtò ex antecedentibus & conſequentibus. Ad ſpiritualem ſenſum quod ſpectat, ſi negavero *hodie* uſquam in Scriptura ſumi de æternitate; non erit cur timeam, ne quis erroris me arguat; nec eſt Scriptura ex Philoſophis, dogmatibuſque Platonicis, ſine ratione, explicanda, ut fecerunt hîc & alibi multi Patres. Deinde quandoquidem Apoſtoli nos docuerunt hîc ſermonem eſſe de Chriſto, quod alioquin ignoraſſemus, ab iiſdem etiam Apoſtolis, petendus fuit genuinus hujus loci ſenſus; qui ab eis minimè refertur ad æternam generationem, ſed ad poteſtatem, poſt reſurrectionem in Chriſtum collatam; nam de reſurrectione ejus hunc locum explicat Paulus Act. XIII, 33. Scriptor verò ad Hebræos de ejus ſacerdotio, quo in cœlo præſertim functus eſt, Cap. V, 5. Malim cum illis ſentire, quàm cum Platonicis. Quod vitium etiam *Hilario*, qui ad Pſalm. II, §. 30. Edit. Benedictin. *Non ad virginis*, inquit, *partum, neque ad lavacri generationem, ſed ad primogenitum ex mortuis pertinere Apoſtolica auctoritas eſt.*

§. 10. *Apprehendere diſciplinam* interpretatur *Auguſtinus*, intelligere, erudiri; nec ſanè aliter potuit. Sed ſi Hebraïca conſuluiſſet, hic ſingularem inveniſſet prophetiam de Chriſto; nam eſt נשקו בר *oſculamini filium*, quod de oſculo, honoris cauſâ, quaſi Regi ferendo rectè intelligunt Recentiores. Vide Gen. XLI, 40. 1. Sam. X, 1.

Psalmo III. §. 1. quamvis hæc ſit inſcriptio Pſalmi: *Pſalmus David, cùm fugeret à facie Abeſſalon filii ſui*, ſic enarrationem ſuam orditur Auguſtinus: *Hunc Pſalmum ex paſſione Chriſti accipiendum perſuadet quod dictum eſt:* ego dormivi & ſomnum cepi, & exſurrexi, quoniam Dominus ſuſcipiet me. *Magis enim hoc ad paſſionem & reſurrectionem Domini congruenter ſonat, quàm ad illam hiſtoriam in qua David ſcribitur fugiſſe à facie bellantis adverſùm ſe filii ſui.* Neſcio quâ ratione præcavere potuiſſent contortæ Allegoriſtarum interpretationes, cùm ne apertiſſima quidem inſcriptio Pſalmi hujuſce noſtrum coërcere potuerit, ne allegoricis ſomniis indulgeret. Nam locus quidem quem profert nullo modo quadrat in hiſtoriam mortis & reſurrectionis Chriſti, contrà optimè conditioni Davidis convenit. Cùm multi de hoc actum eſſe putarent, quia longè maxima pars Iſraëlitarum Abſalomum ſequebatur, ait Propheta ſe ad Dei auxilium confugiſſe, atque ab eo exauditum fuiſſe, continentérque addit verba allata, *ego dormivi* &c. quæ aptiſſimè ſignificant ſecuritatem ac tranquillitatem animi Davidis, poſtquàm in Deo fiduciam ſuam poſuerat. Similiter deſcribitur ſecuritas Pſalm. IV, 9. Cur ergo alius erat quærendus ſenſus, cùm hic pu cherrimus eſſet, & eximia documenta non deſperandi, ſed fiduciæ in Deo collocandæ, nobis præberet? Nempe, ut, neglectis quæ ante pedes erant, ea quærerentur, quorum alioqnin in mentem nemini veniſſet; quod ferri poſſet, niſi ſententia, quæ primùm animo ſe ſe objicit, optima eſſet verbiſque convenientiſſima; ea verò, quæ procul accerſita eſt, coacta eſſet & à verbis, ſerieque orationis aliena.

Sed audiamus *Auguſtinum* ingenio ſuo mirè abutentem. Quidam ſignificari vult nomine *Abſalom*, ut Chriſtum *Davidis* perſonâ. Tum addit: *A cujus facie fugiſſe quamquam hiſtoricè poſſit accipi, quando, illo diſcedente, ſeceſſit cum ceteris in montem; tamen ſpi-*

rstaliter quando mentem Judæ Filius Dei, id eſt, Virtus & Sapientia Dei deſeruit —— *bene accipitur à facie ejus Chriſtum fugiſſe.* Neque hiſtoricus, neque ſpiritualis ſenſus ferri poteſt; niſi ab iis, qui io Scriptura vident quidquid volunt, ut pueri in nubibus.

At non parum hominem impedivit ſignificatio nominis *Abſalom*, ſic enim loquitur: *Abſalon autem, ſicut quidam interpretantur, in Latina Lingua dicitur* Patris pax; *quod mirum videri poteſt, ſive in hiſtoria Regnorum, cùm bellum adverſùs Patrem Abeſſalon geſſerit; ſive in hiſteria Novi Teſtamenti, cùm traditor Domini Judas fuerit, quemadmodum* Patris pax *poſſet intelligi.* Si Abſalomo nomen, poſt mortem demum, fuiſſet impoſitum, aliud ſine dubio nactus fuiſſet; ſed qui infanti impoſuerant, non præviderant eum olim bellum cum patre geſturum. Multò minùs intelligere poterant fore olim Rhetorem Numidam, qui veller Abſalomi nomine ſignificari Domini ſui proditorem. Sed quis noo miretur, poſt fictam à ſe Allegoriam, *Auguſtino* mirum videri commento ſuo noo bene convenire cum nomine Abſalomi? Cur non potiùs commentum illud abjecit? Sed poſtea ſe ſe expedit, eò quòd David in eo bello pacatus Abſalomo fuerit, quia illi parci volebat, & quòd Chriſtus Judam æquo animo inter ſuos tulerit. Sic id genus conjectoribus numquam deeſt poſticum, quo evadant, ſi aliâ viâ non poſſint. Si fortè nomen filii Davidis bellicum quiddam ſignificaſſet, quanto cum plauſu hæc figmenta accepta fuiſſent; quæ ne plauſu quidem caruerunt, quamvis pacificum quiddam ſonet?

Ibidem §. 3. ad hæc verba v. 4. *Tu autem, Domine, ſuſceptor meus es*, ſic ſcribit: *ſecundum hominem dicitur Deo, quia hominis ſuſceptio eſt Verbum caro factum.* Tota vis hujus interpretationis petita eſt ex voce *ſuſceptor*, quia Verbum dicebatur *ſuſcepiſſe* carnem humanam. Sed Propheta non loquebatur Latinè. Habet hîc Hebraice: *es clypeus pro me*, cujus loquutionis ſeoſum, potiùs quàm proprietatem vocabulorum, interpretati Græci habent, ἀντιλήπτωρ μου εἶ, hoc eſt, *adjutor meus es*; nam malè verſum *ſuſceptor.* Sic ex mala verſione ingens deduxit myſterium *Auguſtinus.* Si verum amamus, aut plura debuit ſibi comparare ſubſidia, aut munere ioterpretis abſtinere, dum omnibus eſſet deſtitutus, exceptâ Punicâ ἀντιμεταλογίᾳ.

Ibidem. *Exaltans caput meum. Mentem*, inquit, *ipſam humanam hic accipiendam puto, quod caput animæ non abſurde appellatur.* Imò abſurdè fingitur loquutio, cujus in nulla Lingua exemplum umquam auditum eſt; præſertim cùm in promptu ſit commodiſſima interpretatio, quam vide apud *Martinum Geierum* & alios Interpretes.

Ibidem §. 4. ad verba v. 5. *Voce mea ad Dominum clamavi; id eſt*, inquit, *non corporis voce, quæ cum ſtrepitu verberati aeris promitur* &c. Quidni? an indecorum fuit Davidi clarâ & magnâ voce Deum invocare, cùm in tantis anguſtiis verſaretur? Ego quidem oon putarim. Attamen negat *Auguſtinus* voce ad Dominum clamavi *rectè dici, niſi cùm ſola anima nihil carnis, nihilque carnalium intentionum in orationem adtrahens loquitur Domino, ubi ſolus audit. Clamor autem etiam iſte dicitur, propter vim ipſius intentionis.* Nolim equidem negare tralatitio ſignificatu poſſe dici *clamare ad Dominum* eos qui ſine verbis atque intra animum eum orant; ſed pernego verè & propriè oon dici clamare eos, qui revera clamaot.

Ibidem. *Et exaudivit me de monte ſancto ſuo. Montem quidem*, inquit, *ipſum Dominum per Prophetam dictum habemus, ut ſcriptum eſt*, Dan. II, 35. Verùm ut concedamus apud Danielem Chriſtum montis imagine deſcribi, an propterea quotieſcumque montis Domini mentio occurret, credemus agi poſſe de Chriſto, etiam ubi circumſtantiæ adverſantur, ut hîc? Nemo Scripturæ peritus dixerit, & liquet hîc de moote Sionis agi. Verum hanc interpretationem rejicit ipſe *Auguſtinus*, niſi contorto quodam ſenſu: *Sed hoc*, inquit, *ab ipſius perſona non poteſt accipi, niſi fortè ita dicere voluit: de memetipſo, tamquam de monte ſancto ſuo, me exaudivit, cùm habitaret in me, id eſt, in ipſo monte.* Quis umquam quidquam minùs veriſimile & ab omni uſu Scripturæ Sanctæ remotius audivit? Nec talia *Auguſtino* aliud agenti temere interdum effuſa ſuot; totum hoc opus, imò univerſa ejus opera ſcatent ejuſmodi interpretamentis. Audi & ſequens quod ipſi magis arridebat: *Planius autem & expeditius, ſi accipiamus exaudiſſe Deum de juſtitia ſua, Juſtum enim ut innocentem occiſum, & cui retributa ſunt mala pro bonis, reſuſcitaret à mortuis & digna perſequentibus tribueret.* Res ipſa veriſſima eſt, quis neget? Sed quomodo ex hoc Pſaltæ loco exſculpi queat, perpauci divinare poſſint. *Legimus enim*, inquit, *juſtitia tua ſicut montes Dei.* Pſalm. XXXV, 7. Ergóne hinc ſequitur *montem Dei ſignificare juſtitiam Dei?* Quis umquam præterea audivit hanc loquutionem, antequam ea uteretur *Auguſtinus, exaudire de juſtitia?* Sunt inter recentiores Heterodoxos, qui inſimulantur coactarum interpretationum; ſed præ hac & ſimilibus quæ in decem *Auguſtini* voluminibus, quæ nobis ſuperſunt, utramque paginam faciunt, omnia in illis ſunt plana & facilia. Attamen Heterodoxi conviciis ideò exagitantur, *Auguſtinus* ad cœlum laudibus tollitur.

Ibidem §. 5. *Ego dormivi & ſomnum cepi. Non inconvenienter*, inquit, *animadverti poteſt quod poſitum eſt*, Ego, *ad ſignificandum quod ſuâ voluntate mortem ſuſtinuit, ſecundum illud*: propterea me Pater diligit quoniam ego depono animam meam &c. Joan. X, 18. Quis umquam haoc eſſe Emphaſin, in voce *Ego*, cogitaſſet, oiſi monitus ab *Auguſtino?* Sed ſi quis hoc negaſſet, quo exemplo potuiſſet probare? Nullo. Nam ad locum Joanois quod attinet, vocula *ego* non probaret Chriſtum ſponte eſſe mortuum, niſi alia addita eſſent, quæ hoc perſpicuè ſignificant.

Vidimus antea *ſomno* hîc ſignificari ſecuritatem Davidis, in mediis periculis, Dei auxilio freti. Itaque fruſtra *Auguſtinus* obſervavit *ſomnum pro morte poſitum innumerabiliter Scripturas continere.* Hoc enim ad ea loca pertinet, in quibus aut conſtat agi de morte cujuſpiam, aut certè nihil eſt quod eum ſenſum reſpuat. Nemo neſcit hanc eſſe perpetuam interpretandi legem, ut ne quis ad metaphoricum ſenſum confugiat, dum proprio locus eſſe poteſt. Hic autem tota ſeries orationis oſtendit agi aut de vero ſomno, aut de ſecuritate quæ eſt cum ſomno conjuncta.

Nec quærendum eſt, ſubdit *Auguſtinus*, *cur additum ſit*, ſomnum cepi; *cùm jam dictum eſſet*, dormivi. *Uſitatas enim habent Scripturæ hujuſmodi repetitiones, ſicut in ſecundo Pſalmo multas oſtendimus.* Quod habet de repetitionibus verum eſt, ſed ab hoc loco alienum, in quo verba Hebraica ſunt, שכבתי ואישנה, hoc eſt, *cubitum ivi & dormivi*, quæ ſunt diſtincta. Igitur inania ſunt, quæ hac de ra in ſuperioribus verbis & in ſequentibus habet *Auguſtinus.*

Ibidem. *Hoc magis*, inquit, *animadvertendum eſt, quemadmodum in una ſententia & præteriti temporis verbum poſuit & futuri.* Et exſurrexi *enim dixit, quod eſt de præterito, &* ſuſcipiet, *quod eſt de futuro, cùm reſurgere utique ſine illa ſuſceptione non poſſet.* Nihil eſt mirum Davidem hîc uti verbo futuri temporis יסמכני *fulciet me*, aut *ſuſtentabit me*, quia nondum erat liberatus à periculo ſibi ab Abſalomo creato, cùm huoc Pſalmum ſcripſit; compoſuit enim illum, in ipſa fuga, ut ioſcriptio docet. Igitur præter rem ſunt quæ adduotur de prophetia futura præteritis miſcente.

§. 7. *Non eſt ita diſtinguendum* (v. 8.) *quaſi una ſententia ſit*: exſurge, Domine, ſalvum me fac, Deus meus, quoniam tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi, ſine cauſa. *Non enim propterea ſalvum facit, quia percuſſit inimicos ejus; ſed potiùs, ipſo ſalvo facto, illos percuſſit. Ergo ad id quod ſequitur pertinet, ut iſte ſit ſenſus*: quoniam tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi ſine cauſa, dentes peccatorum cootriviſti; *id eſt, inde contriviſti dentes peccatorum, quoniam percuſſiſti omnes adverſantes mihi.* Imò verò David Deum orat ut ipſum tueatur ac ſervet, quoniam antea ſemper de omnibus ejus adverſariis pœnas ſumſerat. Petit ut priora beneficia oovis cumulet.

De *dentibus* quæ argutatur *Auguſtinus* non excutiam, uti nec duplicem rationem quâ hunc Pſalmum poſtea interpretatur de Eccleſia conjunctim cum Chriſto capite ſpectata, aut Tropologiam, quæ poſtea ſequi-

ſequitur. Superiores animadverſiones in manifeſta luce locarunt judicium noſtrum de hoc opere; ex quo præterea à Lectore, tædii patiente & otio abuodante, poſſint colligi nooοulla quæ pertinent cùm ad mores & dogmata Eccleſiæ ejus ævi, tum ad *Auguſtini* ipſius peculiares ſententias. Sed hæc ſunt ex ingenti frigidarum allegoriarum & contortarum interpretationum cumulo eligenda.

Psalmo lxxvii. §. 3. *Quamvis enim proprie dicatur Synagoga Judæorum, Eccleſia verò Chriſtianorum, quia congregatio magis pecorum, convocatio verò magis hominum intelligi ſolet, tamen & illam dictam invenimus Eccleſiam.*] Rectè obſervavit *Iſaacus Caſaubonus*, Exercit. xvi. contra *Baronium* oum. xlii. huic argutiæ occaſiooem eſſe quod *congregare* deducatur à *grex*, ſed in Græca voce [illegible] nihil ſimile quæri poteſt. Sed & Jac. ii, 3. Eccleſia vocatur *Synagoga*. *Caſaubonum* ipſum adi. Sed quis ferat hæc obſervari ex occaſione vocis *Aſaph*, adſcripta titulo Pſalmi, & quæ *congregationem* ſignificat? *Aſaphus*, ut notum, auctor eſt duodecim Pſalmorum, fuitque Levita ex familia Gerſonitarum, ſacræ Muſicæ à Davide præfectus. Vide 1. Paral. vi, 31. 39.

Psalmo cviii. §. 1. *Quædam dicuntur quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cujus ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter* Primatum, *quem in Diſcipulis habuit* &c.] De primatu Petri ex *Auguſtino* aliiſque Patribus copioſiſſimè egit *Iſaac. Caſaubonus* in Exercitatione xv. ad Annales *Cæſ. Baronii.*

ANIMADVERSIONUM IN TOMUM IV.

F I N I S.

ANIMADVERSIONES IN TOMUM QUINTUM AUGUSTINI.

DES. ERASMUS LECTORI.

QUÆ ſine controverſia ſunt Auguſtini, primo poſuimus loco. Impudentiſſimum figmentum Sermonum ad Fratres in eremo agentes, in ſuum angulum rejecimus: de quo ſuo loco nonnihil dicemus. Inſunt & ceteris multa parum referentia phraſim & eruditionem Auguſtini, quorum aliquot notavimus.

ERAT hæc Præfatiuncula præfixa Tomo x. in quem omnes *Auguſtini* Sermones conjecerat *Eraſmus*; in Editione verò Pariſina ordo & Voluminum & Sermonum planè mutatus eſt. Verùm ne hanc quidem admonitiunculam omittere voluimus. Sermones *ad Fratres in Eremo*, de quibus hîc vir ſummus, ſunt in Tomum vi. rejecti, ubi breves *Eraſmi* cenſuræ proferentur.

JOANNIS VLIMMERII

Canonici Regularis Monaſterii S. Martini Lovanienſis Præfatio Dedicatoria ad Sermones S. AUGUSTINI, aliaque opuſcula à ſe edita Lovanii, apud Hieronymum Wellæum Anno D. M. DLXIV:

Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino D. Martino Rithovio, *Eccleſiæ Ipreſis Primo Epiſcopo digniſſimo*, Joannes Vlimmerius *perpetuam felicitatem.*

QUum nihil in omni rerum natura tam firmum, ſtabile ac perpetuum ſit, Ampliſſime Præſul, quod non vetuſtatis (quæ ut ſcribit Varro, pauca non depravat, multa tollit) inſignem aliquam injuriam ſentiat: præclaram mihi Reipub. litterariæ operam navare videntur, qui eo omne ſtudium, omnem induſtriam, omne denique tempus conferunt, ut veteres auctores, quorum opera aut planè corrupta ſunt, aut prorſus deſiderantur, quàm emendatiſſimos, quoad licet, in lùcem emittant. Quod ſi quiſquam alius, in B. Auguſtino ſummo Catholicæ Eccleſiæ columine ſumma induſtria præſtitit, certè doctiſſimus & diligentiſſimus vir D. Martinus Lypſius in primis præſtitiſſe videtur. Neque enim illi, qui ſe totum ei operi illigaſſe viſus eſt, ſatis fuit ab innumeris mendis, quibus undique contaminatus erat, Auguſtinum vindicare: niſi etiam variis Bibliothecis, quæ ob antiquorum Voluminum

num copiam, celebriores habebantur, pari labore atque diligentia perveſtigatis, ſi quid uſquam hactenus non excuſum reperiret, quod Auguſtinianum pectus, majeſtatem ac phraſim referre videretur, id reliquis ejus ſcriptis adjiciendum curaret. Neque ſanè pium hominis conatum ſucceſſus uſquequaque deſtituit. Nam præter tertium contra Gaudentium librum, quem Parcenſium Canonicorum Bibliotheca nobis ſuppeditavit, præter epiſtolas, quæ duæ ſunt ſupra viginti, horum quoque, qui jam hic primum emittuntur, Sermones aliquot, quibus Veteres *De diverſis* titulum indiderunt, variis in locis inventos collegit. Atque adeò cum ceteris ejuſdem ſermonibus excudendos dare conſtituerat: niſi bellico illo tumultu, qui per Martinum Roſſemum ea tempeſtate, in hac noſtra Belgica, excitatus erat, circumcirca omnia turbata fuiſſent. Quæ res certè multum nobis & calamitatis & detrimenti advexit. Nam ut taceam depopulatos agros, incendia domorum, abacta pecora, omniſque ætatis hominum captivitatem, & incredibilem jacturam, quam multi ex tam nefario auſu fecerunt; id etiam Auguſtini Studioſis incommodi acceſſit, quod tam præclaro theſauro tamquam è ſubterraneis ac divitibus metallorum venis effoſſo hactenus carere debuerint. Ita ſanè ut quemadmodum Auſonius eleganter ſcribit catenatos eſſe labores, negotiúmque ex negotio ſeri: ſic vinculorum quadam periodo colligatas ſibi eſſe calamitates malumque ex malo naſci, dicere liceat. Quum enim, ut dixi, bellorum ſtrepitu, omnia circumquaque perſtreperent, neque itinera ſatis tuta à militum impetu eſſe viderentur, & decimus Auguſtinianorum operum Tomus ſub prælo ſudaret, lucémque jamjam cogitaret, fruſtra exſpectavimus, qui hanc ſarcinulam in Germaniam deportaret. Unde non priùs eò delata fuit, quàm is ad umbilicum uſque, ut ajunt, perveniſſet. Cum verò ſecunda editio in officina Frobeniana adornari diceretur, nos ne quid ulla ex parte noſtro Auguſtino deeſſe poſſet, tum ne Lypſii opera quoquo modo periiſſe videretur, eam temporis iniquitatem noſtro qualicumque labore reſarcire conati, pleraque Auguſtini opera multò quàm priùs caſtigatiora, Baſileam miſimus. Inter quæ & decimus Tomus, qui hactenus ceteris contaminatior fuerat, ad viginti & eo ampliùs vetuſta exemplaria à nobis collatus, & ii quos jam emittimus Sermones maxima ex parte fuerunt. Librarius verò ille omnibus retentis, & quinque dumtaxat Sermonibus delectis, reliquos, neſcio quâ ratione motus ſuppreſſit, nec quidquam præterea ad nos remiſit. Atque ea ratione quidquid antea laboris noſter Lypſius devorarat, id ſumma eum nauſea, & tædio rurſus nobis exantlandum fuit, tam in perquirendis iis, quæ tranſmiſeram, quam in deſcribendis. Quod quanta me affecerit moleſtia, (ut ne quid interim de ſumtibus addam) haud facilè dixerim: ſed hoc unum boni accidit, quod, de quo antea nos poſt Lypſium & Coſterium deſperabamus, id aliud nobis agentibus, ac fortè fortuna ejuſdem B. Auguſtini vitam his adjunctam legentibus, repertum fuerit. Indiculum dico à Poſſidio Epiſcopo priùs in vita promiſſum, poſterius verò compoſitum, quem quidem quia eximius Theologus, D. Jacobus Pamelius, Brugis Canonicus, mihi ad hos labores perferendos, non obtuſum calcar ſæpenumero addidit, ei dedicatum ac conſecratum volui. Is enim tanto fervore tantiſque impendiis veterum Scriptorum ac præſertim Theologorum opera conquirit; ut confidam eum aliquando, quicquid ubivis terrarum Auguſtini deliteſcit, id totum in Studioſorum utilitatem à tenebris aſſerturum ac quod noſtris annotationibus marginalibus deeſt, ſuppleturum eſſe. Ceterum nec hoc unum dolorem noſtrum, quem ex ſuppreſſis D. Auguſtini Sermonibus, gravem conceperamus, mitigavit. Sed & alios plurimos Sermones, antea numquam typis excuſos, invenimus, quos Lypſianis adjunctos, & immenſis laboribus caſtigatos T. C. dedicare viſum fuit. Multæ verò cauſæ ſunt, quæ me moverunt, ut D. T. potiſſimùm hæc offerenda exiſtimarem: quas latiùs recenſerem, niſi ſingularem tuam modeſtiam id ægrè laturam arbitrarer, & vererer ne pleriſque adulari magis, quàm ex animo loqui cenſeri poſſem. Hoc unum tamen ſilentio præterire nequeo, nihil mihi accommodatius viſum eſſe quàm ut Epiſcopi monimenta Epiſcopo dedicarentur: eóque magis quod tui mores, eruditio, pietas, & omnis denique vitæ ratio cum Auguſtini virtutibus congruere videantur. Quanta illi ſuarum ovium cura fuit? quo ardore ſubditos ſuos ad perfectam & beatam vivendi rationem inſtituit? quàm ſuaviter ac tempori convenienter variis concionibus ad pietatem, vitæque ſanctimoniam populum excitavit? at quis eſt qui non hæc in T. C. ut maxima ſuſpiciat? omitto quod ſolus ferè Epiſcoporum tecum Monaſterium Clericorum habeas, quod & noſter ſanctiſſimus Auguſtinus de ſe profitetur in præclariſſimis illis duobus Sermonibus, quos de communi vita ſuorum Clericorum ad Populum Hipponenſem habuit. Quos ab Eraſmo denique, neſcio ſtudióne an oblivione aliquâ, omiſſos, poſtea verò ſuppoſititiis ac Sermonibus Eremiticis, commixtos ab iiſdem refectui, & vitæ, quia pleniſſimam ejuſdem Divi mentionem faciunt, adnexui. Accipias itaque Epiſcopus Epiſcopum, Auguſtinum Auguſtinianæ vitæ ipſe non minùs admirator, quàm imitator, & hos Sermones tuis commendare ne graveris, ut poſthac à frigidioribus lectúque indignioribus rebus abſtinentes, malint in ſtudiis ſanctioribus, utilioribuſque oleum operámque collocare. Porrò operæ pretium non putavi, multa in medium adducere, quibus hæc vera ac germana Auguſtini eſſe, ſi qui fortè ſint temerarii Cenſores, demonſtrarem: tum quod tibi id perſuadere difficile non ſit, qui adeò ejus attentus lector ſemper exſtitiſti, ut ubique Auguſtinum quantumvis aliis immerſum ſeſe auguſtâ quadam pietate prodentem agnoſcas, tum quod Poſſidius,

dius, hæc in numero Operum ejus recenſeat, & (ſi quid veterum Codicum conſenſio valet) in vetuſtiſſimis quibuſque libris Auguſtini nomine legantur. At ne quis objiciat phraſeos jugem ac perpetuam rationem habendam eſſe, ſciat is, iis id convenire qui libros tantùm aut ſcripſerunt aut dictarunt: concionanti autem apud vulgus promiſcuum, qui poſſit, non video: cùm ſermo vulgi moribus attemperandus, atque accommodandus veniat. Nam & D. Auguſtinus, quo diutiùs plebeis auribus concionando ſervivit, hoc magis remiſit ſermonis elegantiam, hoc etiam ruſticiore, ne dicam contemtiore uſus eſt orationis genere. Nam & myſtica ſuum dictionis genus habent, nec iis, quæ ad docendum parata ſunt, Ciceroniana myrothecia conveniunt: huc accedit quod non ſemper in Cathedralibus Eccleſiis, ubi pleroſque doctiores fuiſſe extra controverſiam eſt, verum etiam in reliquis ſuæ diœceſios civitatibus & oppidulis, concionatus ſit. Jam verò caneſcente potiſſimum Auguſtino, Africam ob Gothorum Vandalorumque incurſiones aſſiduas, magna ex parte, infectam barbarie fuiſſe quis ignorat? Aut quis ex ſancto Victore Epiſcopo Vitenſi diſcere non potuit? qui elegantiſſimum de hoc noſtro Antiſtite elogium deſcribens: Qua, inquit, tempeſtate * Hippone Regium, obſeſſa fuit civitas, quam omni laude dignus beatus Auguſtinus, librorum multorum confector Pontifex gubernabat. Tum illud Eloquentiæ quod ubertim per omnes campos Eccleſiæ decurrebat, ipſo metu ſiccatum eſt flumen, atque dulcedo ſuavitatis dulciùs propinata, in amaritudinem abſinthii verſa eſt: ut Davidicum præconium conveniret, dum conſiſteret peccator adverſum me, obmutui & humiliatus ſum & ſilui à bonis. Uſque ad illud tempus ducentos jam triginta & duos confecerat libros, exceptis innumerabilibus Epiſtolis, vel expoſitione totius Pſalterii & Evangeliorum atque tractatibus popularibus, quos Græci Homilias vocant, quorum numerum comprehendere ſatis impoſſibile eſt. Hactenus ille. Hæc & his ſimilia, D. Paulini, Proſperi, Leonis, Fulgentii, Eugippii, Gregorii, aliorumque, quantæ apud omnes auctoritatis & æſtimationis Beatiſſ. Auguſtinus fuerit, teſtimonia allegare poſſem: niſi te divinas Auguſtini virtutes aſſiduè meditantem, & tuos ipſius mores ad illarum normam exigentem, diutiùs interpellare mihi religio eſſet: quas ſi uſquam, certè in his ad Populum Sermonibus ampliſſimas reperire licet. In quibus emaculandis & repurgandis, ſi non quod volui præſtiti, certè quod potui. Nihil enim adeò unius alicujus operâ abſolutum reddi queat, ut non ſit quod in eo deſiderare liceat, quod egregiè expertus eſt noſter Lypſius, cujus incredibiles ſudores, neque umquam æſtimandæ vigiliæ, quas in Auguſtino emendando pertulit, abundè mihi exploratæ ſunt; ut perpaucos futuros exiſtimem, quos hac de re plura dicere geſtienti, fidem habituros credam, niſi ſuis ipſi oculis mecum unà, quid is præſtiterit, periculum feciſſent. Id autem jam mihi in mentem venit, quod nonnullos eſſe ſciam, qui ipſius labores tamquam infrugiferos & parum utiles elevare ac paſſim arrodere cœperunt. Quos hoc unum oratos velim, ut candoris & humanæ imbecillitatis rationem habeant, neque omnia, ſi alicubi fortè vel dormitatum vel ceſſatum ſit, ſtatim damnanda judicent. Dura enim in primis eſt caſtigandorum librorum provincia, parum amœnitatis, plurimum verò moleſtiarum ſecum trahens: potiſſimùm ubi ſæpe codicum ſubſidiis deſtitutus, ſolam habeas divinationem: qua utcumque è labyrinthis ac tenebris eluctari queas, difficile id fuerit perſuadere iis qui in hanc arenam numquam deſcenderunt: quorum ſanè hoc eſt ad carpendum voluntas proclivior, quò magis id neſciunt, quod calumniantur. His adde quòd quamvis accuratiſſimus quiſque eò totis nervis incumbat, ut auctor aliquis quàm caſtigatiſſimus in lucem exeat, adeò id illi incuriâ operarum & negligentiâ præſtare integrum non ſit, ut etiam plures aliquando maculæ, ipſis aut neſcientibus aut temerè quidvis immutantibus, irrepſiſſe, quàm radicitus extirpatæ eſſe comperiantur. Atque hinc fieri arbitror, ut nonnumquam prior Editio, poſteriori etiam laborioſſimæ à moroſulis pleriſque præferri ſoleat: quod & Lypſio obtigiſſe quidam magnâ voce ſtomachabundi quiritantur: ac ne mihi eveniat ſummopere metuendum exiſtimo, dum aliis frequenter diſtracto adeſſe prælo non licuit. Noſtrum itaque conatum ac qualemcumque laborem boni conſule, Præſul ornatiſſime, cui ſtudiorum meorum rationem, quòd ad ea amplectenda ſemper mihi auctor fueris, reddendam putavi: præſertim ne T. C. & ad tantum honoris apicem evectæ, & ex ſacroſancto Oecumenico Concilio reduci, cùm tam multi ſint qui voce gratulabundâ applaudant, unus ego tacere videar, quem ſingulari ſemper favore proſecutus videris. Oro autem Deum Opt. Max. ut T. R. C. & nobis & Eccleſiæ ſuæ quàm diutiſſimè ſervet incolumem, cui me etiam atque etiam commendo. Lovanii è noſtro Monaſterio Martiniano, Anno ſalutis 1564. menſe Martio.

* Hippo Regius.

Lib. 1. perſecutionis Vandalicæ.

JACOBI SIRMONDI
S. J.
PRESBYTERI

PRÆFATIO
AD

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI

Sermones novos numero XL. Ex diverſis antiquis exemplaribus collectos, ejuſdem Sirmondi ſtudio & opera, editoſque Pariſiis apud Sebaſt. Cramoiſy via Jac. ſub ciconiis 1631.

LECTORI.

SANCTI AUGUSTINI Sermones qui hactenus latuerint, reperiri novos poſſe non mirabitur, qui ab Auguſtino ipſo, à Poſſidio, à Victore Vitenſi, & aliis, infinitam ejus Tractatuum, Homiliarumque multitudinem prædicari meminerit. In his verò, quos damus in lucem, ut Auguſtini, quod proximum erat, non falſum fuiſſe titulum cenſeremus, confirmavit partim vetuſtiſſimi & probatiſſimi exemplaris in cortice ſcripti auctoritas, partim Poſſidii ejuſdem Epiſcopi, & Bedæ Presbyteri, pleroſque ex iis laudantium præjudicium, cujus in cenſendis approbandiſque Auguſtini operibus vim eſſe maximam, non erat ambiguum. Acceſſit & ROBERTI de BARDIS, Cancellarii olim Pariſienſis, non antiquiſſimum quidem, ſed minimè contemnendum ſuffragium; qui annis ab hinc trecentis *Collectorum Sermonum ſancti Auguſtini*, ſic enim appellavit, ſingulari ſtudio & induſtriâ condidit, univerſóſque pro diverſa ratione argumenti, quinque in partes tamquam in claſſes diſtribuit. Cujus operis cùm partes duas priores in Bibliotheca Regia, ſingularum deinde omnium Indicem amici operâ nactus eſſem, ex Cancellaria Pariſienſi, gratulatus ſum ab auctore, perpaucis exceptis, qui in ejus fortaſſe manus non pervenerant, noſtros omnes in Auguſtinianis ſine controverſia numerari. Tute vero, Lector, ut alii judices non ſint, Auguſtini genium & facundiam hîc ſtatim agnoſces. Cumque ſuaviſſimi ſanctiſſimique Eccleſiæ Magiſtri omnia plurimi facere merito ſoleas, erit tamen, ni fallor, quod in his Sermonibus præcipuè delectet, cùm ad ceteras utilitates animadverteris non pauca continere quæ ad illuſtrandam illorum temporum memoriam hiſtoriámque conducant. Quæ nos itidem cauſa permovit, ut in hunc libellum, quo frui omnibus poſſis, Sermones etiam illos conſerremus, qui poſtrema editione Pariſienſi à nobis expreſſi, ſed præter votum noſtrum excuſi fuerant, unà cum fragmentis Nicolai Fabri: quæ & ipſa, hucuſque manca & lacera, nunc tandem aliorum ope codicum priſtinam ad ſpeciem & nitorem explevimus. Fruere igitur feliciter, & Vale.

ANIMADVERSIONES
IN SERMONES

S. AUGUSTINI.

SERMONE I. Claſſ. 1. §. 2 (Geneſ 1, 1.) *Quid enim dicturi ſunt, cum ipſum principium Filium Dei eſſe reſpondero, in quo Deum feciſſe coelum & terram Geneſis loquitur?* &c.] Utitur poſtea ad hoc probandum Joan. VIII, 25. quod confutavimus in Animadverſionibus ad T. III. De explica-

plicationibus Scripturæ, quæ ſunt in biſce Sermonibus, idem ſentiendum ac de Pſalmorum interpretationibus. Ceteroqui ſunt hîc quoque varia dogmatica, moralia & hiſtorica; quæ non ſine fructu excerpi poſſunt ab hominibus otio abundantibus, atque in uſum ſuum converti.

SERMONE II. de tentatione Abrahami §. 5. *Ergo impletâ Abrahami devotionis obedientiâ, audit à Deo:* nunc cognovi quoniam tu times Deum. *Quod ita intelligitur, quod Abraham fecerit Deus ut ſibi innoteſceret.*] Itaque hoc, ex ſententia *Auguſtini*, vellet Deus: nunc feci ut ipſe cognoſceres te timere Deum. Sed contorta planè hæc eſt interpretatio, & quâ admiſſâ, non intelligo quæ alia, quòd dura ſit & coacta, poterit rejici. Audiamus tamen *Auguſtinum* exemplum; ut ipſi quidem videtur, ſimile ex Scriptura proferentem. *Sicut*, inquit, *quando loquitur Propheta, quid dicimus?* dixit Deus, *planè dicimus. Dicimus etiam*, dixit Propheta, *& utrumque rectè dicimus* &c. Verùm quando dicimus: *dixit Deus*, intelligimus per Prophetam, ſi quid ex Prophetarum libris à nobis profertur: ut etiam cùm de iiſdem verbis dicimus, *dixit Propheta*, intelligimus juſſu, aut nomine Dei, per eum loquentis. Nimirum, unus idémque effectus cauſæ *principali* & cauſæ *inſtrumentali*, ut Metaphyſici loquuntur, tribui æquè vere poteſt, quamvis non eodem prorſus ſenſu; eáque eſt omnium Linguarum conſuetudo. At hîc non poſſumus dicere perinde eſſe an dicas, *cognovit Abrahamus ſe timere Deum*; *aut*, *cognovit Deus ſe ab Abrahamo timeri.* Abrahamus enim hic non eſt inſtrumentum, quo utatur Deus ad aliquid cognoſcendum. Igitur multò ſatius erat agnoſcere hîc ἀνθρωποπάθειαν Dei, aut Angeli ſeſe moribus ac loquutionibus humanis adtemperantis, quàm prorſus diſſimilia, inter ſe, quaſi ſimilia, perperam conferre.

SERMONE V. *De luctatione Jacob*] In codice S. Victoris, titulus eſt: *de lucta Jacob*, apud Poſſidium: *de luctatione Jacob cum Angelis.* Sequutus ſum inſcriptionem veteris exemplaris noſtri, quam exhibet etiam Codex Bibliothecæ Regiæ, is qui Collectorium Cancellarii Pariſienſis, de quo præfatus ſum, pro parte continet, præfixúmque habet numerum CLXXXII. *Sirmondus.*

§. 5. *Juſſit Imperator Romanus jam Chriſtianus, ut ad ipſam Jeruſalem non accederent Judæi*] Conſtantinus Magnus. Is enim ut docet *Chryſoſtomus* adverſus Judæos Homil. III. Judæos quòd urbem ſuam, contra interdictum, inſtaurare aggreſſi eſſent, amputatis auriculis, malè mulctatos in diverſas regiones ſparſit; ut terrori ceteris eſſent, ne idem in poſterum conarentur. *Sirmondus.* Rectè, quidquid cenſeat *Benedictinus*, qui notulam hîc addidit; nam nullus Imperator Chriſtianus, ante Conſtantinum. Quod de Philippis jactatum ab *Oroſio* & aliis, hoc jam ab omnibus exploſum. *Phereponus.*

Ibidem. *Et ſparſi per orbem terrarum facti ſunt quaſi cuſtodes librorum noſtrorum*] Capſarios alibi Judæos vocat & librarios Chriſtianorum. Tractatu in Pſalm. XL. *Major ſerviet minori modò impletum eſt; modò, fratres, ſerviunt Judæi. Tamquam capſarii noſtri ſunt. Studentibus nobis, codices portant.* Et in Pſalm. LVI. *Codicem portat Judæus, unde credat Chriſtianus. Librarii noſtri facti ſunt. Quomodo ſolent ſervi poſt Dominos Codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.* Sirmondus.

§. 7. *Tractavi inde aliquando*] Sermonem innuit ex his noſtris XVII. (Editionis Pariſinæ CCXLIV.) qui eſt de verbis Evangelii: *noli me tangere.* Idem.

SERMONE VI. §. 2. oſtendit Deum per Angelos apparuiſſe, qua in re multo meliùs ratiocinatur, quàm in ſuperiori explicatione. Itaque eum paucis audiamus: *Quomodo ergo Verbum Dei, id eſt, Filius Dei, ut appareret oculis carnem adſumſit: ſic ſemper Deus, ut appareret oculis hominum in aliqua creatura viſibili apparere dignatus eſt. Nam apertiſſimè habes in Actibus Apoſtolorum* (Cap. VII, 30.) *quia Angelus apparuit Moyſi in rubo. Numquid iſta Scriptura vera & illa* (Exod. III, 2. & ſeqq.) *falſa eſt; aut illa vera & iſta falſa eſt? Sed quid? ſi Chriſtiani ſumus, ſi bene credimus, ambæ ſunt veræ. Si ergo ambæ ſunt veræ, quomodo hic Deus apparuit; quomodo ibi Angelus dicitur apparuiſſe, niſi quia ille ſpiritus, qui in Actibus Apoſtolorum dixit apparuiſſe Angelum, expoſuit hanc lectionem, quomodo apparuit Deus. Illa declaratio expoſitio eſt obſcuritatis hujus; ne intelligeres Deum per ſe ipſum apparuiſſe, illic tibi expoſitum eſt quemadmodum apparuerit Deus per creaturam, Angelum. Sic quid miraris, quia dicitur, cùm apparet Angelus*, Dixit Deus, & vocavit Deus &c? *Quia non attenditur Templum Angelus, ſed inhabitator Angeli. Ipſe enim Angelus Templum Dei erat.* Nihil verius. Hanc ſententiam aliis in locis copioſiùs expoſuit *Auguſtinus*, ut obſervavit *Joannes Clericus* ad Geneſ. XVIII, 1. Vide eumdem ea de re copioſè agentem ad Gen. XVI, 13. & in Indice ad Pentateuchum ad vocem *Angeli.*

SERMONE XIX. Ad titulum: *in Baſilica reſtituta.*] Quæ Baſilica major Carthagine, in qua ſedes Epiſcopi, ut tradit Victor Vitenſis Lib. I. Eadem in Concilio Carthaginenſi II. duplici nomine appellatur *Baſilica Perpetua Reſtituta*, in ceteris deinceps Conciliis, quæ ibidem celebrata leguntur, *Reſtituta* ſimpliciter, ut hoc in loco. *Sirmondus.*

Ibid. *Die munerum*] Vetus exemplar in fine Sermonis: *Explicit ſermo die munerum ſpectaculorum.* De gladiatorum itaque ſpectaculo accipiendum, quod proprie *munus* appellabatur, unde *gladiatorum munus* Cod. Theod. *de Gladiatoribus* L. II. & in Kalendario Romano Conſtantinianorum temporum, menſe Decembri, quando committi gladiatores ſolebant, crebra muneris eſt mentio ex A. D. IV. Nonas, quo die initium muneris adnotatur uſque in A. D. IX. Kalendas Januarias, quo cruenta *vel crudeliora* hæc ſpectacula deſinebant, ut *Julianus* quoque Cæſar docet, extremâ oratione ſua in Solem. *Idem.*

Voce *Munus* ſignificatos illo ævo frequenter non-tantùm gladiatorios ludos, ſed & ferarum venationes oſtenderunt *Franciſcus Juretus* ad *Symmachi* Lib. VII. Ep. 4. & *Jacobus Gothofredus* ad Cod. Theodoſ. Lib. VI. tit. 4. Leg. IV. *Phereponus.*

§. 1. *Quoniam iniquitatem meam* &c.] Codex Collegii Navarrici verſum habet: *averte faciem tuam à peccatis meis.* Idem.

§. 4. *De regione felicitatis Chriſtus venit, & hic eam nec ipſe invenit. Irriſus eſt, exprobratus eſt, apprehenſus eſt, flagellatus eſt, vinctus eſt, palmis cæſus eſt; affectus contumeliâ ſputorum, ſpinis coronatus eſt, ligno ſuſpenſus; ad extremum Domini exitus mortis.*] Tria poſtrema verba ſunt è Pſalmo LXXVII, 21. ſed in alienum ſenſum planè detorta. Illic enim Pſaltes ait *exitus mortis Dei eſſe*, hoc eſt, mortem eſſe in Domini poteſtate; hic vero *Auguſtinus* ita hoc ſumit, quaſi ſignificaret Dominum mortuum fuiſſe. Attamen hoc in loco, quaſi per parentheſin, adnotarunt Librarii: *hic adclamaverunt qui cognoverunt.* Cùm ſibilo dignis adclamaretur, quid ſupererat, niſi ut optima quæque faſtidioſè rejicerentur, aut oſcitanter audirentur ab Afris? De adclamationibus hiſce, vide notata ad Opus de Doctrina Chriſtiana Lib. IV. c. XXIV. in Tom. III. *Idem.*

§. 6. *Terræ motus magni de Orientalibus nunciantur, nonnullæ magnæ repentinis* (adde, *caſibus*, aut *ruinis*) *collapſæ ſunt civitates*] De his *Marcellinus* Comes, in Chronico, Monaxio & Pliota Coſſ. ad annum Chriſti CDXIX. *Multæ Palæſtinæ civitates, villæque terræ motu collapſæ. Multæ tunc utriuſque ſexûs vicinarum gentium nationes, tum viſa, quàm auditu perterritæ, atque credulæ, ſacro Chriſti fonte ablutæ ſunt; omniúmque baptizatorum in tunicis Crux Chriſti Salvatoris, Divinitatis nutu, extemplo impreſſa refulſit.* Idatius quoque noſter in Chronico: *Durante Epiſcopo, quo ſupra* (id eſt, Joanne) *graviſſimo terræ motu ſancta in Hieruſalem loca quaſſantur;* & in Faſtis Monaxio & Plinta Coſſ. *His Conſulibus S. Joannes Epiſtolam dirigit per Eccleſias orbis terrarum, quæ habetur, de ſignis, terroribuſque divinitus perpetratis.* Sirmondus.

Ibidem. Præter ea quæ habet *Marcellinus* & *Idatius*, circumſtantiam ſingularem addit *Auguſtinus*, in ſequentibus verbis. Judæos enim docet fuiſſe eos, in quorum tunicis cruces, poſtquàm baptizati fuerunt

conſpectæ. *Territi*, inquit, *apud Jeroſolymam, qui inerant Judæi, pagani, Catechumeni, omnes ſunt baptizati. Dicuntur fortaſſe baptizati ſeptem millia hominum. Signum Chriſti in veſtibus Judæorum baptizatorum apparuit. Relatu fratrum fidelium conſtantiſſimo iſta nunciantur.* Multò credibilius foret, ſi infidelium relatu confirmatum fuiſſet; fideles enim facilè credebant ſacerdotibus, quibus fides detrahi non ſemper tutò potuit & qui, jam iis ſæculis, Chriſtianæ Religioni, fraudibus piis, famam rectè parari putabant. Cùm verò ſpargi ab Epiſcopo quidpiam cœperat, alii totius Ordinis, imò Chriſtianæ Religionis intereſſe putabant verum id videri. Indidem nata alia circumſtantia, quam habet *Marcellinus*, loco à *Sirmondo* allato, & quæ cur omiſſa à doctiſſimo Jeſuita ſit neſcio; niſi forte fabellam exſcribere eum piguit. Sic enim habent verba *Marcellini*, poſtquàm dixit civitates, villaſque terræ motu collapſas: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſemper ubique præſens & ſuper montem Oliveti Hieroſolymæ vicinum ſeſe de nube manifeſtavit. Multæ tunc utriuſque ſexûs* &c. Talium ineptiarum per ſacerdotes didita fama facillimè inter imperitos ſpargebatur, altáſque in animis radices agebat. *Pherepoṇus.*

Ibidem. *Sitifenſis etiam civitas graviſſimo terræ motu concuſſa eſt.*] Sitifis, quæ Provinciæ in Africa nomen dedit, id eſt, Mauritaniæ Sitifenſi. De hoc ejus civitatis terræ motu an meminerint alii non habeo compertum. Epiſcopum ſanè Sitifi tum fuiſſe conſtat Novatum, qui & hoc ipſo anno interfuit, ſubſcripſitque Concilio Carthaginenſi, poſt Conſulatum Honorii XII. & paucis antè annis Collationi quoque Donatiſtarum adfuerat. *Sirmondus.*

§. 6. *Pauci quidem conveniſtis, ſed ſi bene audiſtis, abundatis.*] Ideò pauci ad Eccleſiam, quia plurimi ad ſpectaculum confluxerant. *Chryſoſtomus* de ſpectaculo Circenſi, in exordio ſermonis, *de Conſubſtantiali*: πάλιν ἱπποδρομίαι, καὶ πάλιν ὁ σύλλογος ἡμῶν ἐλάττων γέγονε: *iterum circenſia, & iterum ad nos pauciores convenerunt. Aſterius* Epiſcopus de feſto Kalendarum: πολλοὶ περιχαῦνος τινὲς ἐν ταῖς ματαιότητος τρυφῇ καὶ ἀσχολίᾳ, ἀπολειφθέντες τοῦ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν συλλόγου: *complures, dum vanitatis inhiant voluptatibus, & in illis occupantur, ab Eccleſiæ conventu abfuerunt.* Sirmondus.

Sermone XX §. 1. *Voce conſonâ, voce concordi, pro ipſo corde noſtro, Dominum deprecantes diximus* &c.] In Collectorio Sermonum P. III. & in Codice S. Victoris C. C. 16. ſubjicitur Sermoni, *de humilitate agendæ pœnitentiæ & de Pſalmo L. Miſerere mei, Deus*, quæ eſt Homilia XXVIII. de quinquaginta. Quare illius in utroque inſcriptio eſt: *de verſu ejuſdem Pſalmi, cor mundum crea in me, Deus.* Ceterum quæ deſiderabantur in Exemplari ſcripto in corticee, quod mutilum & acephalum erat, omnia ſupplevimus ex Victorino. Collectorii enim III Partis, & ſequentium ſolum Indicem nacti ſumus. *Sirmondus.*

Poſt Sermonem.] Similis huic adloquutio plebis poſt Sermonem legitur, in fine XXXII. de verbis Domini: ET POST SERMONEM. *Quod novit caritas veſtra ſuggerimus* &c. Idem.

§. 5. *Exhortamur caritatem veſtram, ut impigrè & vigilanter verba Dei, miniſtrantibus Presbyteris, vos audire non pigeat.*] Verbum Dei ſoli olim in Eccleſia prædicabant Epiſcopi, quorum id propriè munus erat. Pòſt etiam Presbyteris, ſed non uno apud omnes tempore, permiſſum. Primi Orientales cœperunt, quod & Pierii Presbyteri, apud Alexandrinos, & Chryſoſtomi adhuc item Presbyteri, apud Antiochenos, aliorúmque apud alios exempla declarant. In Africa inuſitatum fuit, ante Auguſtinum, cui primùm omnium, apud Hipponem, ea poteſtas facta eſt à Valerio Epiſcopo. Poſſidius in ejus vita Cap. V. *Eidem Presbytero poteſtatem dedit coram ſe, in Eccleſia, Evangelium prædicandi ac frequentiſſimè tractandi, contra uſum quidem & conſuetudinem Africanarum Eccleſiarum.* Valerii exemplum poſtea ſequuti ſunt alii, & Aurelius Epiſcopus Carthagine, cui hoc nomine gratulatus eſt *Auguſtinus* Epiſtolâ LXXVII. quod uſurpare cœpiſſet ut Presbyteri, præſente ipſo, ſermonem populo funderent. Itaque, tamquam uſu jam in Africa recepto, Presbyteros in hoc genere, cum Epiſcopis conjungit, Sermone XLIX. de verbis Domini: *Numquid non adſcendit aliquando aut Presbyter, aut Epiſcopus, & non dicit aliud de ſuperiore loco, niſi ne rapiantur res alienæ.* Apud Gallos ſeriùs uſurpatum videtur. Nam Synodus Vaſenſis II. quæ centum annis poſterior fuit *Auguſtino*, verbum faciendi Presbyteris dat poteſtatem. Antea ergo non habuiſſe conjectura eſt, quam Cyprianus quoque Diaconus in Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi vita confirmat. *Sirmondus.*

Ibidem. In Oriente, non Presbyteri tantùm præſentibus Epiſcopis, ſed etiam Laïci diu ante Pierii tempora, interdum concionabantur. Liquet hoc ex inſigni loco *Euſebii* Hiſt. Eccleſ. Lib. VI. c. 19. ubi ita de Origene: Ἐλθὼν ἐπὶ Παλαιστίνης, ἐν Καισαρείᾳ τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο, ἔνθα καὶ διαλέγεσθαι, τάς τε θείας ἑρμηνεύειν γραφὰς ἐπὶ τοῦ κοινοῦ τῆς Ἐκκλησίας οἱ τῇδε ἐπίσκοποι, καίτοι τῆς τοῦ πρεσβυτερίου χειροτονίας οὐδέπω τετυχηκότα, αὐτὸν ἠξίουν. ὃ καὶ αὐτὸ γένοιτ' ἂν ἔκδηλον, ἀφ' ὧν περὶ τούτου Δημητρίῳ γράφοντες Ἀλέξανδρος ὁ Ἱεροσολύμων ἐπίσκοπος καὶ Θεόκτιστος ὁ Καισαρείας, ὧδέ πως, ἀπολογοῦνται. προσέθηκε δὲ τοῖς γράμμασιν ὅτι τοῦτο οὐδέποτε ἠκούσθη, οὐδὲ νῦν γεγένηται, τὸ, παρόντων ἐπισκόπων, λαϊκοὺς ὁμιλεῖν, οὐκ οἶδ' ὅπως προφανῶς οὐκ ἀληθῆ λέγων. ὅπου γοῦν εὑρίσκονται οἱ ἐπιτήδειοι πρὸς τὸ ὠφελεῖν τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ παρακαλοῦνται τῷ λαῷ προσομιλεῖν, ὑπὸ τῶν ἁγίων ἐπισκόπων ὥσπερ ἐν Λαράνδοις Εὔελπις ὑπὸ Νέωνος, καὶ ἐν Ἰκονίῳ Παυλῖνος ὑπὸ Κέλσου καὶ ἐν Συνάδοις Θεόδωρος ὑπὸ Ἀττικοῦ τῶν μακαρίων ἀδελφῶν. Id eſt, interprete Henrico Valeſio: *Palæſtinam petiit & Cæſareæ domicilium fixit; ubi etiam ab illius regionis Epiſcopis rogatus eſt ut publicè in Eccleſia diſſereret, & divinas Scripturas, tametſi nondum Presbyter ordinatus, exponeret. Atque id manifeſtum fuerit vel ex iis quæ Alexander Hieroſolymorum & Theoctiſtus Cæſarienſis Epiſcopus ad Demetrium, pro hujus facti defenſione, ſcribunt in hunc modum*: quod verò in litteris tuis adjeciſti, numquam antea viſum, nec adhuc factum fuiſſe, ut, præſentibus Epiſcopis, Laïci concionarentur, in eo neſcio quomodo à veritate longiſſimè aberraſti. Nam ſicubi reperiantur, qui fratribus prodeſſe poſſint, eos ſancti Epiſcopi ultro adhortantur, ut ad populum conciones habeant. Sic Euelpis Larandis rogatus eſt à Neone, Paulinus Iconii à Celſo, Theodorus apud Synnada ab Attico, fratribus noſtris beatiſſimis. *Pherepoṇus.*

Sermone XXI. §. 1. *Jocundabitur juſtus in Domino*] Hujus Sermonis reliqua tantùm erant fragmenta, in Codice corticeo. Integrum poſtea exemplar offendimus in Codice S. Victoris C C. 16. Fuit & in Collectione Cancellarii Pariſienſis Parte III. ut ex Indice didicimus. *Sirmondus.*

§ 6. *Servum tuum manumittendum manu ducis in Eccleſiam. Fit ſilentium, libellus tuus recitatur, aut fit deſiderii tui proſequutio*] Manumiſſiones, ut in Eccleſia, coram Epiſcopo, facere liceret, Conſtantini Magni beneficio indultum eſt, ut aliàs obſervavimus ad *Ennodium*; apud quem, inter opuſcula, exſtat libellus, ſeu petitorium Agapeti nomine compoſitum, in quo Gerontium ille ſervum ſuum libertate donari poſtulans ab Epiſcopo, deſiderii ſui cauſas perſequitur, quæ cum *Auguſtini* verbis mirificè conſentiunt. *Idem.* Exſtat columnâ 1719. Tomi I. Editionis Pariſinæ Operum omnium *Jac. Sirmondi.*

Ibidem. *Ut manumittas ſervum tuum frangis tabulas ejus.*] Frangebantur in manumiſſione ſervorum tabulæ, quibus emtio illorum & ſervitus continebatur. *Auguſtinus* Ep. LI. de Donatiſtis: *Peſſimorum ſervorum, ut liberi abſcederent, tabulæ frangebantur.* Idem.

Ibidem. De hac manumiſſione qui plura voluerit adeat doctiſſimum Juriſconſultum *Jacobum Gothofredum* ad Lib. IV. Codicis Theodoſiani Tit. VII. Leg. 1. *Pherepoṇus.*

Sermone XXIV. §. 1. *Gratias Domino Deo noſtro* &c.] Egregii ſermonis unicum exemplar vidimus, in Codice S. Victoris CC. 16. Recenſetur tamen à *Poſſidio* Cap. IX. Indiculi, & in Collectorio Cancellarii, parte III. *Sirmondus.*

§. 2. *Lapides mortui æternam in ſe ſentiant miſericordiam lapidum vivorum.*] *Lapides* mortuos vocat Ethnicos, propter ſtuporem, & quibus *Dii ſimiles ſunt.* Interdum ipſi Ethnici ſimili comparatione uſi ſunt. *Juvenalis* Sat. VIII, 52.

——— *At tu*
Nil, niſi Cecropides, truncóque ſimillimus Hermæ.
Nullo quippe alio vincis diſcrimine, quàm quod
Illi marmoreum caput eſt, tua vivit imago.

Pherepoṇus.

§. 6.

§. 6. *Quomodo Roma, ſic & Carthago. Si in capite Gentium res præceſſit, membra non ſunt ſequutura?*] Hinc apparet Carthagine habitum etiam hunc ſermonem, & Epiſcopum paullò antè intelligi Carthaginenſem; & Judicem infra Proconſulem, cui ſuggeſtum à Chriſtianis fuerat, ut Herculi illudere liceret. Herculis cultum ceperant Carthaginenſes à Tyriis, quorum erant coloni; Tyrus enim Herculi ſacra. Neque verò Carthagine duntaxat, ſed aliis Africæ locis, conſtat in cultu Herculem fuiſſe; ut apud Suffectanos, in provincia Byzacena; ubi cùm Herculis ſtatuam comminuiſſent Chriſtiani, repentino in eos impetu populi, cæſi ſunt ſexaginta. Quam furoris immanitatem exagitans Auguſtinus Epiſtolâ CCLXVII. ſimul Herculem Deum, ut hoc loco, ſcitè deridet: *Si Herculem*, inquit, *veſtrum dixeritis, porrò reddemus. Adſunt metalla, ſaxa non deſunt* &c. *Sirmondus.*

Sermone XXXV. In titulo: *Si ſapiens fueris* &c.] Conſentit inſcriptio Codicis Victorini DD. 12. cum ea quæ apud *Poſſidium* legitur, & cum Indice Partis III. Collectorii. Proverbiorum locus expreſſus eſt, juxta editionem LXX. Interpretum, quæ aliquantò uberior eſt in hæc verbis & explicatior quàm Vulgata. Apud *Chryſoſtomum* autem Homiliâ in Pſ. c. & alibi, quando hæc verba recitat, priore loco non, *ſi ſapiens*, ἐὰν σοφὸς, ſed *ſi bonus fueris* legitur in hunc modum: τέκνον ἐὰν ἀγαθὸς ᾖς, σεαυτῷ σοφὸς ἔσῃ, καὶ τοῖς πλησίον σου. *fili, ſi bonus fueris, tibi ipſi ſapiens eris & proximis tuis*; reliqua verò non diſcrepant. *Sirmondus.* Melior eſt lectio *Auguſtini*, quam *Chryſoſtomi*, ut liquet ex Hebræo Textu, ſi modò hæc poſterior lectio dici queat, non minùs accurata citatio, quales quæ ex memoria fieri ſolent.

Sermone XLI. in titulo: *Fidem poſſide cum proximo, in paupertate ipſius.*] Huic, ut cetera deeſſent fidem adſtruit vetuſtas exemplaris, quod maximam ejus partem continebat. Reliqua ſuffecta ſunt ex eodem Codice S. Victoris DD. 12. non priſcæ quidem illo ætatis, ſed qui omnium generum Sermones S. *Auguſtini* plurimos collegerat. Fuit etiam in Parte III. Collectorii, ut Index declarat. *Sirmondus.*

§. 3. *Prior quidem pars ſententiæ hujus ſecundùm iſtum intellectum popularem, placet mihi; poſterior tamen, fateor, offendit me.* (ut & bonis ejus perfruaris Eccleſiaſtici XXIII, 18.) *Si enim propterea manes cum amico in paupertate ejus, ut quando dives fueris perfruaris divitiis ejus; adhuc non amicum, ſed aliquid aliud amas in amico.*] Sed ſapiens Hebræus non ita loquitur, quaſi velit ea ſola de cauſa in paupertate amico ſervandam fidem, ut, ſi fortè divitias recuperet, utilitatem ex eo capiamus; verùm ſi velimus amico ſecundis utenti frui, oportere nos ei fidem in adverſis ſervare. *Pherepomus.*

Sermone XLV. *De eo quod eſt in Iſaia Cap.* LVII. &c.] Apud *Poſſidium*, Cap. VIII. non auctoris culpâ, ſed librarii, titulus hic temerè in duos diviſus eſt quaſi unus Sermo de verbis Iſaiæ, alter de verbis Apoſtoli. *Sirmondus.*

§. 7. *Si dixiſſet, crevit ille mons & implevit Africam, numquid dicerent illi, niſi quia pars Donati eſt.*] Tractatu in Pſalm. XLIX. *Loquutus eſt & vocavit terram. Quam terram? An fortè Africam, propter eos qui dicunt, Eccleſia Chriſti pars Donati eſt.* Donatiſtæ, nimirum, Eccleſiam in omnibus mundi partibus communione Traditorum exſtinctam, apud ſe in Africa ſola remanſiſſe delirabant. *Auguſtinus* idem Epiſtolâ CLXV. ad Generoſum: *Vos dicitis propter Traditores, quos non oſtenditis, remanſiſſe Eccleſiam Chriſti, in ſola Africa partis Donati. Quod non de Lege, non de Prophetis, non de Pſalmo, non de Apoſtolo, non de Evangelio; ſed de corde veſtro & de parentum veſtrorum calumniis recitatis.* Eodem rurſus alludens in Pſ. XXI. *In omni loco Paulus dicit bonum odorem eſſe omnes fideles; & contradicitur & dicitur: Africa ſola bene olet, totus mundus putet.* Sirmondus.

Ibidem. Sic *Auguſtinus* eos alloquitur §. 8. qui vellent quidem peccare ſi tutò fieri poſſet, ſed propter pœnam & infamiam non audent: *Libido ardet, timor revocat. Quid times? inveniri & damnari, inveniri & expompari*] Hoc eſt, infamari, conviciis exagitari, ut verbum Græcum σωρευέσθαι, de quo vide *Henricum Stephanum*, in Theſauro Linguæ Græcæ. Adde & *Harpocrationem* in vocibus σωρευτὰς καὶ σωρευτῶν. *Pherepomus.*

Sermone LXXXI. *De verbis Evangelii Matth.* XVIII.] Habitus anno Chriſti CDX. poſt urbem captam à Gothis, cùm allato in Africam ejus cladis nuncio, Roma funditus everſa periiſſe diceretur. Titulum ex vetuſtiſſimo Codice adſcripſimus, qui apud *Bedam* in vulgatis exemplaribus deſideratur, quo loco Sermonis hujus, non expreſſo ejus nomine, verba proferuntur. *Sirmondus.*

§. 9. *Roma ruit quam condidit Romulus*] Sermone XXIX. de Verbis Domini: *Tranſient quæ fecit ipſe Deus, quantò citiùs quod condidit Romulus?* Ubi de Roma capta, totóque hoc argumento non diſſimilia tractat; atque iterum & in Sermone CVI. de Diverſis & in Lib. III. de Civitate Dei Capp. XVII, & XVIII. *Sirmondus.*

Sermone XC. *De nuptiis filii Regis*] Ex eodem volumine Corbeïenſi, ex quo Valeriani olim Homilias deſcripſimus. Sed mutilus erat, fine avulſo. Quod ergo deerat ſupplementum, ad nos poſtea miſſum eſt ex alio codice ejuſdem Monaſterii. *Idem.*

Carthagine in Reſtituta] De Baſilica reſtituta dictum eſt ad Sermonem XIX In eadem habitum etiam fuiſſe Sermonem CII. de Diverſis, indicat inſcriptio. Tertius præterea de Diverſis, qui eſt de verbis Pſalmi: *confitemini Domino quoniam bonus*, & Tractatus in Pſalmum LV. Ille in Codice S. Germani, hic in noſtro, Carthagine habiti dicuntur, in Baſilica reſtituta. Neque in hac ſolum, quæ primaria erat, ſed in aliis etiam Carthaginenſibus Baſilicis habiti ab eo Sermones memorantur, ut in Baſilica Fauſti XII, & CXXII. de Diverſis, in Baſilica Leontiana XI. de Diverſis, in Baſilica Celerinæ CXCV. de Tempore, in Baſilica Novarum CX. de Tempore, in Baſilica Petri regionis tertiæ CCLI. de Tempore, in Baſilica Pauli regionis ſextæ XXIV. de Tempore. *Idem.*

Sermone CXIII. § 2. *Primùm quid eſt Mammona? Verbum eſt enim quod Latinum non eſt. Hebræum verbum eſt cognatum Linguæ Punicæ. Iſtæ enim Linguæ ſibi ſignificationis quadam vicinitate ſociantur. Quod Punici dicunt* Mammon *Latinè* luctum *vocatur. Quod Hebræi dicunt* Mammona *Latinè* divitiæ *vocantur.* Vide not. in Lib. VII. Quæſtionum in Heptateuchum, Quæſt. XVI. ubi ſimilia habet *Auguſtinus* de Lingua Punica; quæ quò frequentiùs legimus eò magis movent iram noſtram in Poenorum ſocordiam, qui eam Linguam ſine uſu interire paſſi ſunt, dum tot frigidas & nullius pretii Homilias Latinas exſcriberent. *Pherepomus.*

Sermone CXVIII. *De eiſdem verbis Evangeliſtæ Joan.* 1. &c.] Hujus etiam unicum vidimus exemplar in Codice S. Victoris DD. 12. Sed deſignari videtur à *Poſſidio* Indiculi Cap. V. cùm inter ea, quæ *Auguſtinus* ſcripſit adverſùs Arianos Tractatum numerat, *in Principio erat verbum.* Eſt præterea de Diverſis Sermo XIV. de iiſden verbis Geneſis & Joannis, adverſùs Manichæos, cujus item meminit *Poſſidius* c. II. *Sirmondus.*

§. 1. *Si non potes intelligere, crede ut intelligas. Præcedit fides, ſequitur intellectus, quoniam Propheta dicit: niſi credideritis, non intelligetis.*] Hoc eodem loco Sermonem claudit, de quo vide notata ad Opus de Libero Arbitrio Lib. I. Cap. II. *Pherepomus.*

Sermone CXXV. *De quinque Porticibus*] Hunc nobis ſuppeditavit codex S. Vincentii Metenſis. Quod verò in Sermonis exordio ait *Auguſtinus*, de eodem capitulo Evangelii ſe jam loquutum, Sermonem, opinor, innuit XLII. de Verbis Domini, qui inſcribitur, *de infirmo jacente ad piſcinam.* Sed noſtri diſertè meminit *Poſſidius.* Sirmondus.

§. 7. *In quadragenario numero completio juſtitiæ figuratur.*] Pluribus rem enarrat §. 9. Dixit hac de re & Libro II. de Doctrina Chriſtiana §. 25. ubi tamen non tam juſtitiæ completionem, quàm vitam hanc ærumnoſam interpretatur. Vide quæ ibi diximus. *Pherepomus.*

Sermone CXL. *Contra quoddam dictum Maximini*

mini Arianorum Epiſcopi, qui cum Segiſvulto Comite conſtitutus in Africa blaſphemabat] Segiſvultum Comitem *Proſper* in Chronico narrat in Africam miſſum fuiſſe contra Bonifacium, Hierio & Ardabure Conſulibus, hoc eſt, anno Chriſti CDXXVII. Cum eo veniſſe Maximinum Epiſcopum Maximinus ipſe profitetur, initio collationis, quam Hippone habuit cum S. Auguſtino. *Ego*, inquit, *in hanc civitatem miſſus à Comite Segiſvulto* (ſic enim legendum eſt) *contemplatione pacis adveni*. Præter collationem autem & libros duos, poſt collationem, contra Maximinum ſcriptos, qui collationi vulgò adhærent, cùm ſejungi ab iis debeant, ſcripſerat etiam *Auguſtinus* Epiſtolam dogmaticam ad Maximinum, cujus ſola mentio ſupereſt apud Poſſidium, nunc enim non exſtat. *Sirmondus.*

Sermone clxvii. §. 4. *Proverbium notum eſt Punicum, quod quidem Latinè vobis dicam, quia Punicè non omnes noſtis. Punicum enim proverbium eſt antiquum*: Nummum quærit peſtilentia, duos illi da et ducat se.] Sapiens ſanè proverbium, & quod poſſit in nobis Punicorum librorum vehemens deſiderium excitare; quos utinam hiſce tractatibus poſſemus redimere! Hebraicè dixeris: :דבר שאל בכפי אחד חן לו שנים ויולך *Phereponus.*

Sermone cxviii. *De Verſu Pſalmi* cv.] Hanc tituli partem ipſi adjecimus, cùm in antiquo exemplari nuda & ſine auctoris nomine eſſet inſcriptio: *die Kalendarum Januarii.* Congruit autem pars utraque; nam & totus eſt auctor in arguendis ejus diei paganis ritibus, & Davidis verba in eam rem eleganter accommodat. De iiſdem Kalendis Januarii, quæ variâ Gentium ſuperſtitione polluebantur, exſtat *Aſterii* Amaſeæ Epiſcopi, quem ſupra laudavi, λόγος κατηγορικὸς τῆς ἑορτῆς τῶν Καλανδῶν. *Petri* etiam Chryſologi Sermo clv. & *Maximi* Taurinatis x. Sed & Auguſtinus noſter de Diverſis Sermone lix. *Calendæ*, inquit, *Januarii venturæ ſunt. Chriſtiani eſtis omnes; Deo propitio, Chriſtiana eſt civitas. Non fiant illa quæ odit Deus. Per luſum iniquitas, per jocum improbitas. Non ſibi faciant homines Judices, ne veniant in manus veri Judicis.* Judices, videlicet, Magiſtratúſque, inter alia ejus diei ludicra, effingebant. Quin & Deos etiam ſuos, ut Chryſologus docet, repræſentabant & ludibriis infamabant. *Sirmondus.*

§. 3. *Dæmonia delectantur Canticis vanitatis, delectantur nugatorio ſpectaculo, & turpitudinibus variis theatrorum* &c.] Copioſiſſimè hac de re egit *Auguſtinus* de Civitate Dei Lib. ii. cap. 8. & ſeqq. *Phereponus.*

Sermone ccxliv. *In diebus Paſchalibus* xv.] Habetur in Codice Regio Parte II. Collectorũ & in Victorino DD. 12.

§. 4. *Procedat Arianus; priùs procedat Photinianus. Reſpondemus Photiniano* &c.] Apud *Bedam*, cùm hæc verba citat, in Epiſtolam ad Philippenſes Cap. ii. alia quædam intexta leguntur, hoc modo: „ *Procedat Arianus, priùs procedat Photinianus.* Hæretici „ qui Dominum, niſi hominem, omnino non noverunt, Homuncioniſtæ dicuntur iſti hæretici; homuncioniſtæ, quia non noverunt Chriſtum, niſi „ hominem. *Reſpondebimus Photiniano* &c. Quæ verba, cùm abſint à Manuſcriptis, omittenda viſa ſunt. *Sirmondus.*

§. 2. De verbis Chriſti Joan. xx, 17. *Noli me tangere, nondum enim adſcendi ad Patrem meum*, poſtquàm quæſtiones propoſuit quas ferme ſibi inſolubiles fatetur, ita pergit: *Adjuvet me Dominus ut ſolvatur, qui dignatus eſt eam proponere, dignetur exponere. Orate mecum effectum; ad me aures, ad illum cor. Quod mihi ſuggerere dignatur communicabo vobis* &c.] Si nihil parati domo attulerat, hanc in rem, *Auguſtinus*, temerè ſanè Deum oravit in ipſo ſuggeſtu ut ſibi ex tempore verborum Chriſti ſententiam ſuggereret. Iis pulſantibus non aperit Deus, qui, exceptis iis, qui prophetico ſpiritu ab eo donantur, ceteros nihil docet; niſi laborem & intentionem animi, quales par eſt adhiberi, in re gravi ac ſeria, cum precibus conjunxerint. Si verò jam meditatus erat quod poſtea dicit, hiſtrioniam, ſi ita loqui fas eſt, apud plebem Hipponenſem fecit; cùm ita loquatur, quaſi ſubitâ ſuggeſtione Dei accepiſſet difficilis loci interpretationem. Sed utrum malis, perinde eſt; nam à Deo non eſt profectò exauditus *Auguſtinus*, qui *tangere* hic interpretatur credere, & ita ſenſum loci evolvit §. 3. *Quid ergo ſibi vult*: noli me tangere, nondum enim adſcendi ad Patrem meum? *Quod me vides hoc me putas*: nondum adſcendi ad Patrem; *hominem me vides, hominem putas; ſum quidem homo, ſed non hic ſtet fides tua. Noli me ſic tangere ut hominem tantummodo credas.* Nondum enim adſcendi ad Patrem meum. *Adſcendo ad Patrem meum & tange me*; id eſt, *profice, intellige me æqualem Patri, & tunc tange & ſalva eris.* Interpretationem homine paullò peritiore prorſus indignam à Deo ſuggeſtam non fuiſſe facilè omnes intelligunt; & antequam eam proferret, faſſus eſt *Auguſtinus* hiſce verbis, quæ §. 2. proximè ſequuntur, ea quæ initio attulimus: *Qui meliùs intelligit, doceat me; ſic doctor ſum, ut indocilis non ſim.* Hæc, inquies, hominis ſunt modeſti. Fateor. Sed modeſti non eſt dicere à Deo tibi ea eſſe ſuggeſta, quibus meliora diſcere paratus ſis. Jam alibi ἀλληγορίαν, nec ſecum ſatis conſentientem, redolentia notavimus. *Phereponus.*

Sermone cclvi. §. 2. *Converſi ad Dominum*] Sollemnis precatio, quâ Sermones ſuos claudere ſolebat *Auguſtinus.* Ejus in veteri Codice prima tantùm verba de more legebantur. Cetera deſcripta ſunt ex Sermone xxx. de verbis Domini. Sed incertum iſtámne, in hoc Sermone noſtro uſurparit, an alteram breviorem, qualis eſt in Sermone cxxi. de Diverſis, in hunc modum: *converſi ad Dominum ipſum deprecemur pro nobis, & pro omni plebe ſua, adſtante nobiſcum in atrio domûs ſuæ; quam cuſtodire protegeréque dignetur, per Jeſum Filium ejus, Dominum noſtrum, qui cum eo vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen*: Sirmondus.

Sermone clix. §. 2. *Regnabit enim Dominus in terra, cum Sanctis ſuis, ſicut dicunt Scripturæ, & habebit hic Eccleſiam, quo nullus malus intrabit, ſeparatam atque purgatam ab omni contagione nequitiæ; quam ſignificant centum-quinquaginta-tres illi piſces, de quibus jam, quantum memini, aliquando tractavimus*] Sermone iv. & v. de Diverſis & Sermone xxii. (in hac Editione cclxx.) de noſtris. Sed aliis præterea locis *Auguſtinus*, cùm in Tractatibus, tum in aliis libris ſuis, in hoc ſæpe luſit argumento, ut oſtenderet numero piſcium cliii. qui poſt reſurrectionem capti ſunt, ad mare Tiberiadis, numerum ſanctorum in æterna vita ſignificari. Luſerunt & Græci Patres interdum, ut *Gregorius* Tauromenitanus Epiſcopus, qui Sermone x. eorum, quos ἠθικὰ inſcripſit, Rebeccam propterea docet Eccleſiæ typum repræſentaſſe; quòd litteræ nominis Rebeccæ, ſi ad calculos revocentur, numerum reddant Piſcibus cliii. parem. Ἡ γὰρ Ῥεβέκκα τῆς Ἐκκλησίας εἰκὼν ἦν συναφθεῖσα Χριστῷ διὰ βαπτίσματος. τῶν γὰρ στοιχείων τῆς Ῥεβέκκας ὀνόματος εἰς ψῆφον μεταλαμβανομένων, τρεῖς καὶ πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν μονάδες συναχθήσονται, ὅσους καὶ τοὺς ἀγρευθέντας ἰχθῦς εὑρήκαμεν: *Rebecca igitur imago erat Eccleſiæ conjunctæ Chriſto per baptiſma; litteris enim nominis Rebeccæ in numeros mutatis, centum quinquaginta tres unitates colliguntur, quot captos piſces comperimus.* Etenim Ρ. quæ prima eſt nominis littera centum valet, Ε. quinque, Β. duo, Κ viginti, Κ. rurſus viginti, Α. unum, quæ in ſummum redacta centum & quinquaginta tres conficiunt. *Idem.*

Ibidem. Ludi quidem hi erant, & quidem ingenio abutentium, cùm pro ſomniantium arbitratu conficti ſint; ſed parciores in ejuſmodi ludis fuiſſe oporteret, nec talia commenta, quaſi eximias quaſdam Scripturæ interpretationes proferre. *Phereponus.*

§. *Peracti ſunt dies feriati, ſuccedent jam illi conventionum, exactionum, litigiorum.*] Quindecim, ut mox dicet; hoc eſt, ſepteni ante Paſcha, totidem poſt Paſcha, quibus diebus, lites omnes & contentiones ceſſabant ex lege Theodoſii Lib. ii. Cod. Theodoſ. de feriis: *ſacros quoque Paſchæ dies, qui ſepteno vel præcedunt numero, vel ſequuntur, in eadem feriarum obſervatione numeramus.* Sirmondus.

Sermone cclxviii. *In die Pentecoſtes*] vidimus, non ſolùm in Regio, & in Victorino DD. 12.

ſed

ſed in aliis etiam Manuſcriptis. Quòd verò inter Sermones de Pentecoſte primo hunc loco ſtatuimus, *Bedam* ſequuti ſumus, qui appellat Sermonem I. de Pentecoſte. *Idem.*

SERMONE CCLXX. *De die Pentecoſtes*] Citatur hîc etiam à *Beda*, ut admonui, II. ad Corinthios, 3. At in vulgatis exemplaribus Bedæ, *ex Sermone de Paſcha* ſcriptum eſt, pro, *ex Sermone de Pentecoſte.* Exſtat autem cùm in regio Codice, tum in Victorino DD. 12. *Idem.*

§. 3. *Quadraginta dies quater habent decem. Commendatur hoc numero, quantum mihi videtur, ſacramentum. Homines enim hominibus loquimur & rectè Scripturarum Tractatores dicimur, non noſtrarum opinionum affirmatores*] Ille demum jure eſt *Scripturarum tractator*, qui agit de re, quæ ſine dubio habetur in Scriptura; non qui leviſſimas & futiliſſimas quaſque conjecturas, pro divinis myſteriis, venditat; qualia ſunt hæc arcana arithmetica, quæ qui affirmat ille ſuas profectò opiniones affirmat. Senſit hoc ipſe *Auguſtinus*, ut liquet ex hiſce Platonicis verbis, *homines enim hominibus loquimur*, hoc eſt, nos qui veriſimilibus ducimur dicimus, apud eos, quibus veriſimilitudo ſatisfacit, quando ipſa veritas inveniri non poteſt. Sic enim *Timæus* apud *Platonem*: Ἐὰν ἄρα μηδενὸς ἧττον παρεχώμεθα εἰκότας, ἀγαπᾶν χρή, μεμνημένους ὡς ὁ λέγων, ὑμεῖς τε οἱ κριταὶ φύσιν ἀνθρωπίνην ἔχομεν. ὥστε περὶ τούτων τὸν εἰκότα μῦθον ἀποδεχομένους, πρέπει μηδὲν ἔτι πέρα ζητεῖν: *Si certè non minùs veriſimiles quam quiſquam alius* (rationes) *præbeamus, contentum te eſſe oportet; memorem & me, qui dico, & vos, qui eſtis judices, humanam habere naturam. Itaque ſi de hiſce veriſimilem fabulam acceperitis, decet vos nihil amplius quærere.* Phereponus.

§. 7. *Iſte numerus*, (CLIII.) *tamquam arbor, à quodam ſemine videtur ſuccreſcere, ſemen autem hujus magni numeri quidam minor numerus eſt, qui eſt decem & ſeptem.*] Fundamentum appellat Sermone IV. de Diverſis; ubi planiùs explicat quo pacto ex XVII. exſurgant CLIII. *Jam ergo*, inquit, *de numero* CLIII. *piſcium, quid opus eſt eadem retexere? noſtis illa. A decem & ſeptem naſcitur numerus creſcens. Incipe ab uno, pervent ad decem & ſeptem, ut omnes addas; id eſt unum addas ad duos, & fiant tres, addas tres & fiunt ſex, addas quatuor & fiant decem. Sic omnes adde, uſque ad decem & ſeptem, & pervenies ad centum quinquaginta tres.* Quæ ipſa uberius itidem & explicatiùs perſequitur Tractatu in Pſalm. XLIX. *Sirmondus.*

SERMONE CCLXXIX. *De S. Paulo Apoſtolo*] In Codice Regio & Victorino, titulus eſt: *in converſione S. Pauli.* Sed *Bedam* ſequi placuit, qui perpetuò citat, *ex ſermone de Paulo Apoſtolo.* Quamquam & alterum quoque laudat de converſione Apoſtoli, qui eſt XXXIV. de Diverſis. Ceterum ex hoc uno noſtro, membratim diſſecto, conflati ſunt duo in Vulgatis, Sermo XIV. de Sanctis & XXXVI. de Diverſis. *Sirmondus.*

§. 4. *Quidquid eſt quod ſævit, pro nomine Chriſti; ſi poteſt vivi, tolerabile eſt: ſi non poteſt vivi, migrare hinc facit.*] Hoc eſt, quamvis ſævus tibi videatur dolor, quem pateris pro nomine Chriſti, conſtanter patere; nam ſi vitam tibi non eripiat, poterit ferri: ſi eripiat, tibi felicitatis initium erit. Igitur nihil hîc mutandum. Hanc autem ſententiam debet *Auguſtinus* Epicuro, cujus apud ſuum *Ciceronem* legerat hanc κυρίαν δόξαν, *magnum dolorem brevem, longinquum levem eſſe*, quam pulcherimè illuſtratam invenies in notis *Petri Gaſſendi*, ad X. *Diogenis Laertii* Librum. *Phereponus.*

SERMONE CCLXXXVIII. *In natali S. Joannis Baptiſtæ*] Ex Codice Regio & altero S. Victoris DD. 12. ſuffecta ſunt quæ in vetuſtiſſimi libri fragmentis deſiderabantur. In utroque autem Codice, poſt hunc Sermonem, ſequebatur alter de eodem Natali S. Joannis, quem citat itidem Beda ad Philippenſes II. Eſt autem Sermo XXIII. de Sanctis. *Sirmondus.*

SERMONE CCXCIV. *In natali Martyris Guddentis*] Quamvis Benedictini exiſtiment reſtituendum hîc *Gaudentis*, *Theodoricus* tamen *Ruinartus* ejuſdem Societatis Monachus, vir eruditus, in *Actis Sinceris & Selectis Martyrum*, Admonit. in Vitam & Acta S. Cypriani, putat legendum *Gudennis*, *Gudenis*, aut *Gundennis*, quæ virgo paſſa eſt Carthagine, ſub Severo Imperatore, Conſulibus Getâ & Plantiano, & cujus feſtum vulgata Martyrologia die XVIII. Julii commemorant. *Phereponus.*

§. 3. Recitato loco Matthæi XXV, 33. *Hac*, inquit, *regnum nominat, hac cum Diabolo damnationem. Nullus relictus eſt medius locus ubi ponere queas infantes. De vivis & mortuis judicabitur, alii erunt ad dextram, alii ad ſiniſtram, non novi aliud. Qui inducis medium, recede de medio; non te offendat qui dextrum quærit. Et te ipſum admoneo, recede de medio, ſed noli in ſiniſtrum* &c.] Hæc quomodo conſentiant cum iis, quæ de Limbo à Scholaſticis poſtea ſcripta ſunt, non intelligo. Sed nec capio quâ ratione redigi in concordiam queant cum iis quæ alibi docet de purgatoriis poenis, ut Civit. Dei Lib. XXI. c. 13. *Idem.*

§. 6. *Vos* (Pelagiani) *dicitis: vitam quidem habebit iſte non baptizatus æternam, ſed non habebit regnum cælorum. Ille contrà: immò & vitam & regnum cælorum. Quare enim patrimonium regni cælorum abripis innocenti?* &c.] Rectè argumentatur *Auguſtinus*, nec erat ulla ratio diſtinguendi regni cœleſtis à vita æterna. Sed eò devenire coacti ſunt Pelagiani loco Joan. III, 5. quem de pædobaptiſmo intelligebant, ut alii: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei*; cùm ſatis liqueat in eo loco de adultis tantum Chriſtum agere, ut & in ceteris omnibus, in quibus cœlum pollicetur iis conditionibus, quæ non niſi ab adultis impleri poſſunt. *Idem.*

§. 12. *Quid ei dicis ut credat? Hoc enim reſpondetur à portante parvulum. Ad verba aliena ſalvatur, qui ad factum alienum vulneratur. Credit in Jeſum Chriſtum? fit interrogatio; reſpondetur, credit*] Imò verò *credo*, in prima perſona, quia formula baptiſmi adultorum ad infantes ſine mutatione fuerat tranſlata. Vide dicta ad T. II. Epiſt. XCVIII. §. 9. *Idem.*

§. 17. *Dic mihi obſecro te, parvulis baptizatis Chriſtus aliquid, an nihil prodeſt? Neceſſe eſt ut dicas prodeſſe; premitur mole matris Eccleſiæ. Fortè quidem vellent hoc dicere; nam ratiocinationes eorum ad hoc videntur compellere; ſed auctoritate reprimuntur Eccleſiæ, ne non dicam ſputis hominum obruantur, ſed ipſorum infantium lacrimis, tamquam fluvio pertrahantur*] Rhetoricum hoc poſterius eſt argumentum, prius à terrore petitum, non à veritate. Ubi enim promiſit Deus fore ut nulla in re maxima Chriſtianorum pars erraret? Nuſquam. Ubi revelavit neceſſariò baptizandos infantes, aut morientibus in infantili ætate prodeſſe baptiſmum? Nuſquam etiam. Itaque *Auguſtinus* fruſtra auctoritatem Eccleſiæ oggerit miſeris Pelagianis; nec ea magni facta fuiſſet, niſi rationibus deſtitutæ Edicta Imperatorum ſuppetias tuliſſent; quod odioſiùs factum in cauſa Pelagianorum, quàm in Donatiſtarum. *Idem.*

§. 19. *Si etiam graviſſimis delictoribus & in Dominum multùm ante peccantibus, cùm poſtea crediderint remiſſio peccatorum datur & à baptiſmo atque gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, niſi quod ſecundùm Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ, primâ nativitate, contraxit? qui ad remiſſam peccatorum accipiendam hoc ipſo faciliùs accedit, quòd illi dimittuntur non propria, ſed aliena peccata:*] Sunt verba *Cypriani*, quæ proferuntur ab *Auguſtino*, ex Epiſt. LXIV. ad Fadum, ut probet ejus auctoritate peccatum originale. At quidni licuit Pelagianis rejicere ejus auctoritatem, in hoc negotio; ut *Auguſtino* licuit, quod attinet ad baptiſmum hæreticorum? Profectò multò clariùs, pleniùs ac conſtantiùs baptizandos eſſe ab Hæreticis ad Eccleſiam Catholicam venientes affirmavit, quàm quod vult hîc Hipponenſis Epiſcopus. Deinde non dicit in infantes tranſire ullam labem internam, quâ eorum facultates ſint vitiatæ; ſed tantùm trahere eos *contagionem mortis* ab Adamo, quia ex patre mortali non niſi mortales naſcuntur; quod multùm abeſt à ſententia *Auguſtini*. Denique rhetoricè potiùs fortaſſe dixit remitti aliena peccata, quàm didacticè; ac ſane nec imputari, nec remitti aliena

peccata,

Digitized by Google

peccata, ſi propriè loquamur, à juſto judice poſſunt. Satis eſt multa Oratorum Eccleſiaſticorum dicta eſſe vel diluto ſenſu vera; cùm ſatis conſtet eos minimè accuratè loqui ſolitos. *Idem.*

§. 20. *Impetremus ergo, ſi poſſumus, à fratribus noſtris, ne nos inſuper appellent hæreticos, quod eos talia diſputantes nos appellare poſſimus forſitan, ſi velimus, nec tamen appellamus*] Hæc ſcribebat *Auguſtinus* anno cccxiii. initio fermè controverſiarum, cùm nondum ſcriptionibus contrariis & odiis incenſi eſſent animi. Poſtea pleno ore hæreticos vocavit, & conviciis omnibus proſcidit, ut ſolet fieri. *Idem.*

Suſtineat, inquit, *eos mater piis viſceribus ſanandos, portet docendos, ne plangat mortuos. Nimium eſt quo progrediuntur, multum eſt, vix ferendum eſt, magnæ patientiæ adhuc ferri* &c.] Mellita hæc ſunt, ſed dehoneſtata fuerunt ſequentium temporum incredibili acerbitate; ut propemodùm ſuſpicari quis poſſit manſuetudinem hanc datâ operâ ſimulatam, ut major invidia miſeris hominibus conflaretur, niſi cederent, útque homines imperiti magis in illos poſtea exardeſcerent. Has artes à Sacrorum Præſidibus ſæpe adhibitas nemo neſcit, ejúſque rei inſigne exemplum videmus in damnatione Donatiſtarum. Profectò cùm ejuſmodi initiis minimè conſentiunt viginti minimùm Synodorum intra paucos annos feſtinatæ Pelagianorum dogmatum damnationes, ut Epiſcopis ſæpiùs ad damnandos Pelagianos adductis, nulla iniri poſſet ampliùs ratio audiendarum partium tam ſæpe damnatarum; cùm enim Synodi quempiam damnarunt, honoris eſſe ſui putant hominem videri jure damnatum, nec patiuntur decreta ſua iterum expendi. Sed legantur Edicta *Honorii* & *Conſtantii*, contra Pelagianos, quæ ſunt ad calcem Tomi x. & ſæpe alibi edita, & liquebit multò vehementiùs illis, quàm rationibus eſſe pugnatum. *Idem.*

Sermone cccv. in titulo : *habitus ad menſam S. Cypriani*] Ad altare S. Cypriani. Menſam enim altare dicebant, ut Græci *ἱερὰν τράπεζαν*. De hac autem apud Carthaginem menſa S. Cypriani agens Sermone cxiii. de Diverſis : *ſicut noſtis*, inquit, *quicumque Carthaginem noſtis, in eodem loco, in quo propter nomen Chriſti ſanguis fuſus eſt Cypriani, menſa Deo conſtructa eſt. Tamen menſa dicitur Cypriani, non quia ibi eſt umquam Cyprianus epulatus, ſed quia ibi eſt immolatus, & quia ipſâ immolatione ſuâ paravit hanc menſam, non in qua paſcat, ſive paſcatur; ſed in qua ſacrificium Deo, cui & ipſe oblatus eſt, offeratur.* Ad eamdem porrò menſam S. Cypriani Carthagine habiti etiam Sermones xciv. & cxxxvii. de tempore & tractatus in Pſalmum xxxviii. *Sirmondus.*

Sermone cccxviii. in titulo : *De Martyre Stephano*] Ejuſdem argumenti eſt apud nos Sermo nondum editus *Fauſti* Epiſcopi, fortaſſe Reienſis, cujus exordium ſic ſe habet : *Præſente lectione percepimus viſionem omnibus Eccleſiis celebratam. Audivimus non ſomnia ſenſuum errore deluſa, ſed oracula rerum effectibus approbata. Meritò revelationi credimus in Sermone, qui fructum tenemus in munere. Ubi ſunt, qui dicunt piis Martyribus honores non eſſe deferendos? Ecce iſte, qui jam dudum beato Paradiſi ſplendore perfruitur, nunc mundo ad hoc oſtenditur ut colatur. Unde diſpenſator utilitatum noſtrarum Deus evidenter eum præcepit honorari, quem præſtitit inveniri. Ait ergo ſermo revelationis* &c. De revelato in Palæſtina ſub finem anni CDXV. corpore S. Stephani, ejuſque reliquiis inde allatis in Africam, & de memoriis in earum gratiam Uzali ab Evodio Epiſcopo, Calamæ à Poſſidio, Hippone ab Auguſtino excitatis, *Auguſtinus* ipſe omnium inſtar narrat Lib. xxii. de Civitate Dei Cap. viii. *Idem.*

Ibidem. Inventionem reliquiarum *S. Stephani* vide in narratione *Luciani* Presbyteri Caphargamalenſis, apud *Photium* Cod. clxxi. Miror hiſce ſæculis, quibus, ut ait ille,

Vel pueri naſum rhinocerotis habent,

ejuſmodi figmentis fidem haberi, quæ omnia indicia piarum, ſcilicet, fraudum præ ſe ferunt. Pleriſque Eccleſiarum rectoribus, ut ex rebus ipſis liquet, tum perſuaſum fuit quæcumque per ſe mala non erant, poterántque aut Ethnicos ad fidem Chriſtianam adducere, aut Hæreticos ſanare, aut certè plebem Catholicam in fide confirmare, ea omnia eſſe licita; neque nimis rigidè inquirendum veráne eſſent, necne. Adde quòd quicumque poterant ſemel vulgo perſuadere miracula frequentiora apud ſe, per reliquias Sanctorum fieri, ii ingentem plebis multitudinem ad Eccleſiam ſuam alliciebant, ejúſque donis ditabantur. Hinc factum ut tot fictæ eo tempore fuerint reliquiæ, tótque narrata miracula, quot antea numquam audita fuerant. Sed quid, inquies, an nemo tunc fuit, cui veritas antiquior eſſet, quàm utilitates Sacerdotum, & qui fraudes illas candidè retegeret? Non dubito quin à multis, eo tempore, fuerint agnitæ & irriſæ; ſed tanta erat potentia eorum qui illis artibus utebantur, tanta apud plebeculam gratia, tantus denique furor ſuperſtitioſæ plebis ſemel deceptæ, ut tutum non eſſet contra eas artes palam quidquam tentare aut ſcribere. Quod ſatis liquet, exemplis *Vigilantii* & *Joviniani* ab *Hieronymo* & aliis tam malè habitorum, quòd negatis hujuſmodi hiſtoriolis Sacri Ordinis utilitatibus adverſari viderentur. *Phereponus.*

§. 1. *Ante aliquot annos, nobis videntibus apud Mediolanum conſtitutis, apparuerunt corpora Sanctorum Martyrum, Gervaſii & Protaſii.*] In Victorino, *nobis juvenibus*. De inventis Mediolani à S. *Ambroſio* reliquiis SS. Gervaſii & Protaſii, cùm in ea urbe verſaretur S. *Auguſtinus*, anno Chriſti cccxcvii. ipſe itidem ſcribit Lib. ix. Confeſſionum Cap. vii. & loco citato de Civitate Dei : *tantæ*, inquit, *gloriæ Martyrum etiam ego teſtis fui, ubi Mediolani eram facta miracula novi* &c. Sirmondus.

Ibidem. Attamen vox *conſtitutis*, quæ ſequitur, oſtendit legi non poſſe *videntibus*, quod addiderunt homines male ſani, ut majorem Ambroſianæ Scenæ fidem facerent. Igitur rectiùs plures MSS. ut *Benedictini* teſtantur, habent *juvenibus*. Phereponus.

Sermone cccxxii. legi poteſt & ſanè debet fabula, ex qua de tota illius ævi Hiſtrionia certum judicium ferri queat. Primò die Paſchæ producitur Paulus neſcio quis è Cappadocia, hominum nequam feraciſſima, ſi veteri famæ & *Iſidoro Peluſiotæ* credimus, curatus à S. Stephano; ſed *libellus ejus*, hoc eſt, hiſtoria morbi & curationis differtur, ut magis plebs cognoſcendi cupidine inflammetur. Is eſt primus Actus, qui eſt Sermone cccxx. *Qui noſtis*, inquit Auguſtinus, *quid in illo videre ſoleatis* (lege *ſolebatis*, ſermo enim eſt de re præterita) *in præſenti gaudentes legite quod videtis.* Actus ſecundus habetur Sermone cccxxi. ubi promittitur plebi libellus ille mirificus Pauli, quia nonnulla *Auguſtino* indicarat, quæ noſſe debebat plebs *ad majorem admirationem & Domini noſtri gloriam.* Tertius eſt Sermone cccxxii. in quo *Auguſtinus* præfatur, deinde hiſtoriam Pauli, die Paſchæ curati, jubet recitari. Quartus Actus continetur Sermone cccxxiii. ubi *Auguſtino* ad populum dicente, ſubitò curatur Pauli ſoror, ſequitúrque acclamatio plebis. Quintum denique Actum complectitur Sermo cccxxiv. ubi pius Antiſtes ſapienter omnia in rem ſuam convertit, populúmque prudenter monet, cùm Deus alibi potuiſſet hæc miracula tam inſignia facere, ubi etiam erant reliquiæ S. Stephani, tamen Paulum & ſororem ad ſe fuiſſe directos; quò, niſi fallor, ſpectabat tota fabula. Quia verò fortaſſe hoc volumen incidet in eorum manus, qui non habebunt omnia Opera *Auguſtini*, aut etiam ſunt quos pigeret Volumen ejus V. in manus ſumere, dum hæc evolvunt, totam Comœdiam hìc ſubjicere viſum eſt. Sed non poſſum dolorem diſſimulare, qui animum meum ſubit, cùm reputo dum imprudentes homines majorem auctoritatem conciliare conantur Religioni Chriſtianæ, ejuſmodi dolis, eos quidem lucrum feciſſe ſibi fortaſſe non ſpernendum, ſed valde nocuiſſe Religioni, apud homines ſuſpicaces & iniquos; qui ob ficta, utilitatis cauſâ, Recentiorum miracula, Apoſtolicis fidem immeritò detrahunt; quamvis hæc tot habeant veri indicia, quot ſunt in recentioribus non credendi rationes. At faxit Deus ut aliquando ad defendendam veritatem ſola veritas adhibeatur, lucéque ſuâ ſolâ omnium animos ad ſanctiſſimam Evangelii doctrinam

nam credendam ac moribus exprimendam adducat. *Phereponus.*

Sermo cccxx. *Ubi Auguſtinus ſe excuſat, quod ſermonem facere non potuit, habitus ipſo die Paſchæ.*] De miraculis Dei, per orationes beatiſſimi Martyris Stephani, Libellos ſolemus audire: Libellus bujus adſpectus eſt, pro ſcriptura notitia, pro charta facies demonſtratur. Qui noſtis quid in illo dolentes videre ſolebatis, io præſenti gaudentes legite quod videtis: ut Dominus Deus noſter abundantiùs honoretur, & quod in Libello conſcriptum eſt, in veſtram memoriam conſcribatur. Date veniam, quia diuturnum noo reddo ſermonem; noſtis etenim fatigationem meam. Ut heri jejunus tanta agere poſſem, & non deficere, ut & hodie vobiſcum loquar, orationes ſancti Stephani præſtiterunt. Converſi ad Dominum, &c.

Sermo cccxxi. *Ubi alio die ſermonem fecit, & libellum ſanati hominis promiſit, feria ſecunda Paſchæ.*] Diximus quidem, beſterno die, ſicut meminit caritas veſtra, hujus Libellus adſpectus eſt. Tamen quia noonulla nobis indicavit quæ noſſe debetis, ad majorem admirationem & Domini noſtri gloriam, de iuorum Sanctorum memoriis, de quibus dictum eſt, *Precioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*, etiam libellum dare decet, qui habet omnia, quæ ex ejus ore cognovimus. Sed ſi Dominus voluerit, hodie parabitur, & vobis die craſtino recitabitur.

Sermo cccxxii. *Ubi libellum promiſſum ſanati hominis præſentavit, feria tertia Paſchæ.*] Heſterno die libellum promiſimus caritati veſtræ, ubi de illo ſanato audire etiam poſſitis, quæ videre non potuiſtis. Si ergo placet caritati veſtræ, imò quia placere debet quod & mihi placet, ambo fratres ſtent in conſpectu veſtro: ut qui illum non viderant, in iſto videant, quid ille patiebatur. Stent ergo ambo, uous cui donata eſt gratia, & alter cui petenda eſt miſericordia.

Exemplar libelli dati à PAULO, ſancto Auguſtino Epiſcopo.

Rogo Domine beatiſſime Papa Auguſtine, ut hunc libellum meum, quem ex præcepto tuo obtuli, ſanctæ plebi jubeas recitari.

Quum adhue in patria Cæſarea Cappadociæ moraremur, frater noſter natu major gravibus atque intolerandis communem matrem affecit io rantum injuriis, ut ei etiam manus non dubitaret inferre. Quod nos omnes filii pariter congregati patienter tulimus, ut ne verbum quidem fratri ooſtro, pro matre noſtra, cur hoc faceret, dixerimus. Illa autem fœminei doloris ſtimulis agitata injurioſum filium maledicendo punire conſtituit. Quumque ad ſacri Baptiſmatis fontem, poſt gallorum caotus, memorato filio ſuo iram Dei imprecatura properaret, tunc ei neſcio quis in patrui noſtri ſimilitudine, ut intelligitur, Dæmoo occurrit, & ab ea prior quò pergeret requiſivit. Cui illa, ad maledicendum filio ſuo, ob intolerabilem cootumeliam, ſe ire reſpondit. Tunc autem ille inimicus, quoniam in mulieris corde inſaniente locum facilè invenire potuit, ut omnibus malediceret, perſuaſit. Illa autem vipereis inflammata conſiliis, ſacrum fontem provoluta corripuit, & ſparſia crinibus, nudatiſque uberibus hoc à Deo potiſſimùm poſtulavit, ut extorres patria & circumeuntes alienas terras, omne hominum genus noſtro terreremus exemplo. Mox maternas preces efficax vindicta proſequitur: eumdemque continuò fratrem noſtrum ætate, culpaque majorem tremor membrorum tantus invaſit, quantum in me uſque ante hoc triduum veſtra ſanctitas vidit. Servato autem ordine quo nati eramus, intra unum annum eadem oos pœna omnes corripuit. Videns autem mater maledictiones ſuas ad tantam efficaciam perveniſſe, impietatis ſuæ conſcientiam & opprobrium bominum diutiùs ferre non potuit: ſed laqueo guttur adſtringens, luctuoſam vitam termino fuoeſtiore concluſit. Egreſſi ergo nos omnes, opprobrium noſtrum non ferentes, & communem patriam relinquentes paſſim ſumus per diverſa diſperſi. Ex nobis autem omnibus decem fratribus, qui naſcendi quoque ordine primum ſequitur ad glorioſi Martyris Laurentii memoriam, quæ apud Ravennam nuper collocata eſt, ſicut audivimus, meruit ſanitatem. Ego autem qui naſcendi ordine ſum ſextus illorum, cum hac ſorore mea, quæ me ætate ſubſequitur, ubicumque gentium, ubicumque terrarum loca eſſe ſacra, in quibus operaretur Deus miracula, comperiſſem, magno deſideratæ ſanitatis amore carpebam iter. Sed ut de ceteris celeberrimis ſanctorum locis taceam, etiam ad Anconam, Italiæ civitatem, ubi per glorioſiſſimom Martyrem Stephanum multa miracula Dominus operatur, eadem circuitione perveni. Sed ideo alibi curari non potui, quia huic loco divinâ prædeſtinatione ſervabar. Nec Uſalim civitatem Africæ prætermiſi, ubi beatus Martyr Stephanus magna prædicatur frequenter operari. Verumtamen ante bos tres menſes, id eſt, Calendarum Januariarum die, tam ego quàm ſoror mea, quæ hic mecum eſt, eadem adhuc paſſione detenta, evidenti ſumus viſione commoniti. Ait enim mihi quidam adſpectu clarus, & candido crine venerabilis, quòd intra tertium meoſem deſiderata eſſet mihi ſanitas adfutura. Sorori autem meæ in viſione ſanctitas tua in ea effigie, in qua te præſentes videmus, apparuit: per quod nobis ſignificatum eſt, ad iſtum locum oos venire debuiſſe. Nam & ego beatitudinem tuam ſæpiùs poſtea videbam per alias civitates, in itinere, quo veniebamus talem prorſus, qualem modò conſpicio. Admoniti ergo evidenti auctoritate divinâ, ad hanc venimus civitatem ante dies fermè quindecim. Paſſionis meæ vel oculi veſtri teſtes ſunt, vel miſerabilis ſoror mea, quæ ad eruditionem omnium, communis mali præbet exemplum; ut qui in illa, qualis ego fuerim, vident, in me quantum per Spiritum Sanctum ſuum Dominus ſit operatus, agnoſcant. Orabam ego quotidie cum magnis lacrymis in loco, ubi eſt memoria glorioſiſſimi Martyris Stephani. Die autem Dominico Paſchæ, ſicut alii qui præſentes erant viderant, dum orans cum magno fletu cancellos teneo, ſubitò cecidi. Alienatus autem à ſenſu, ubi fuerim neſcio. Poſt paululum adſurrexi, & illum tremorem in corpore meo non inveni. Huic itaque tanto Dei beneficio non ingratus, hunc Libellum obtuli: in quo etiam quæ de noſtris calamitatibus ignorabatis, & quod de mea iocolumitate & ſalute cognoviſtis exhibui, ut & pro mea ſorore orare dignemini, & pro me agere Deo gratias.

Sermo cccxxiii. *Sermo Auguſtini, habitus poſt libellum de ſancto Stephano.*] Miſericordia quidem Dei, fratres, ſicut credendum eſt, omnes iſti fratres quos una Dei ira materna plaga percuſſit, ad hujus de quo gaudemus, quandoque perventuri ſunt ſanitatem. Verumtamen diſcant filii obſequi, timeant parentes iraſci. Scriptum eſt, *Benedictio patris firmat domum filiorum: maledictio matris eradicat fundamenta.* Modò iſti per terras in fundamentis patriæ ſuæ non ſunt: præbent utique ſpectaculum, proponunt ſuum ſupplicium: præbent oculis miſeriam ſuam, terrent ſuperbiam alienam. Diſcite filii quod dicit Scriptura, reddere honorem parentibus debitum. Sed & vos parentes quando offendimini, parentes vos eſſe recordamini. Oravit mater contra filios, exaudita eſt; quia Deus verè juſtus eſt, quia verè injuriam paſſa fuerat. Unus ipſorum & verba contumelioſa & manus injecerat, & ceteri matris injuriam patienter tulerunt, nec unum pro ea verbum contra fratrem reſponderunt. Juſtus Deus qui audivit precantem, audivit dolentem. Sed quid illa miſera? Nónne unde citius exaudita, inde plus punita? Diſcite hoc petere à Deo, ubi non timeatis exaudiri. Nos autem, fratres, ſatagamus Domino Deo noſtro gratias referre pro illo qui ſanatus eſt, & pro illa quæ adhuc tenetur, preces fundamus. Benedicamus Deum, quia dignos nos habuit, ut hoc videremus. Quid enim ſumus, quia ego apparui iſtis neſciens? Illi enim me videbant, & ego neſciebam: & admonebantur, ut ad iſtam civitatem venirent. Quis ſum ego? Homo ſum unus de multis, non de magnis. Et verè, ut audiat caritas veſtra, multum miror, & gaudeo

nobis eſſe conceſſum, quoniam iſte homo nec Anconæ curari potuit: imò potuit, ſed propter nos factum non eſt, quia facillimè fieri potuit. Sciunt enim multi quanta miracula per beatiſſimum Martyrem Stephanum in iſta civitate fiant. Et audite quod miremini: Memoria ejus antiqua ibì erat, & ipſa eſt ibi. Sed fortaſſe dicis, Corpus ejus nondum apparuerat, memoria ibi unde erat? Latet quidem cauſa: ſed quid ad nos fama pertulerit, non tacebo caritati veſtræ. Quando lapidabatur ſanctus Stephanus, aliqui etiam innocentes, & maximè de iis qui jam in Chriſto crediderant, circumſtabant; dicitur lapis veniſſe in cubito, & excuſſus inde veniſſe ante quemdam religioſum. Tulit illum & ſervavit. Homo erat de navigantibus, ſors navigationis attulit illum ad littus Anconæ, & revelatum eſt illi ibi debere reponi lapidem illum. Ille obedivit revelationi, & fecit quod juſſum eſt: ex illo cœpit eſſe ibi memoria ſancti Stephani, & rumor erat, quia brachium ſancti Stephani ibi eſt, neſcientibus hominibus quid contigiſſet. Verum autem intelligitur propterea ibi fuiſſe revelatum, ut ibi poneret lapidem qui de cubito Martyris excuſſus eſt, quia Græcè cubitum ancon dicitur. Sed qui ſciunt quæ ibi miracula fiant, ipſi nos doceant. Non ibi cœperunt fieri iſta miracula, niſi poſteaquàm corpus ſancti Stephani apparuit. Ecce ibi non eſt curatus iſte juvenis, ut noſtris oculis ſervaretur. Apud Uſalim ubi eſt Epiſcopus frater meus Evodius: quanta miracula ibi fiant, quærite, & invenietis. Prætermiſſis autem aliis, indico vobis unum quod ibi factum eſt, ut videatis quanta ſit ibi præſentia majeſtatis. Mulier quædam ſubitò ægrotum filium, cui ſuccurrere feſtinando non potuit, in gremio ſuo catechumenum amiſit: quæ clamans, Mortuus eſt, inquit, filius meus catechumenus.

Et cùm hæc diceret Auguſtinus, populus de memoria ſancti Stephani clamare cœpit, Deo gratias, Chriſto laudes. In quo continuo clamore, puella quæ curata eſt, ad Abſidam perducta eſt. Qua viſa, populus cum gaudio & fletu nullis interpoſitis ſermonibus, ſed ſolo ſtrepitu interpoſito aliquamdiu clamorem protraxit, & ſilentio facto, Auguſtinus Epiſcopus dixit: Scriptum eſt in Pſalmo: *Dixi, Proloquar adverſum me delictum meum Domino Deo meo, & tu dimiſiſti impietatem cordis mei.* Dixi, *Proloquar*, nondum proloquutus ſum: dixi *Proloquar*, & tu dimiſiſti. Commendavi iſtam miſeram, imò ex miſera commendavi eam veſtris orationibus. Diſpoſuimus orare, & exauditi ſumus. Sit gaudium noſtrum actio gratiarum. Citiùs exaudita eſt mater Eccleſia, quàm in perniciem maledicta mater illa. Converſi ad Dominum, &c.

SERMO CCCXXIV. *Sermo Auguſtini, quo complet partem Sermonis mox præcedentis miraculo interrupti.*] Debet à nobis heſternus Sermo compleri, qui majori interruptus eſt gaudio. Statueram enim & cœperam loqui caritati veſtræ, quare mihi videntur iſti fratres divina auctoritate ad hanc civitatem eſſe directi, ut hic in eis diu optata & exſpectata ſanitas impleretur. Et hoc volens dicere, priùs commendare cœperam caritati veſtræ loca ſancta, in quibus non ſunt ſanati, & ad nos inde ſunt directi. Et dixi de Ancona civitate Italiæ: cœperam de Uſali civitate dicere, quæ eſt in Africa (Epiſcopum habet fratrem meum, quem noſtis, Evodium) quia & ad illam civitatem eos venire, fama ejuſdem Martyris & operum ejus compuliſſet. Non eſt illic datum quod dari potuit, ut hic daretur ubi dari debuit. Quum autem opera divina per ſanctum Martyrem commemorare breviter vellem, omiſſis ceteris unum inſtitueram dicere: quod cùm dico, reſtituta illi puellæ ſanitate, ſubitò lætitiæ tumultus exortus eſt, & nos aliter compulit finire ſermonem. Ergo tale ibi miraculum ſcimus factum inter multa alia, quæ commemorari utique cuncta non poſſunt. Mulier quædam amiſit in gremio ægrotantem filium catechumenum infantem lactentem. Quæ cùm vidiſſet amiſſum & irreparabiliter perditum, cœpit eum magis flere fideliter, quàm mater. Non enim filii ſui deſiderabat vitam, niſi in futuro ſeculo: & hanc ſibi ablatam & periſſe plangebat. Impleta affectu fiduciæ tulit illum mortuum, & cucurrit ad memoriam beati Martyris Stephani, & cœpit ab illo exigere filium, & dicere, *Sancte Martyr, vides nullum mihi remanſiſſe ſolatium. Non enim poſſum dicere filium præceſſiſſe, quem noſti periſſe: tu enim vides quare plangam. Redde filium meum, ut habeam eum ante conſpectum Coronatoris tui.* Hæc & talia cùm precaretur lacrimis quodammodo non petentibus, ſed, ut dixi, exigentibus, revixit filius ejus. Et quia dixerat, Noſti quare illum quæram: oſtendere voluit etiam Deus verum animum ipſius. Continuò tulit illum ad Presbyteros, baptizatus eſt, ſanctificatus eſt, unctus eſt, impoſita eſt ei manus; completis omnibus ſacramentis, aſſumtus eſt. Illa autem tali eum cum vultu deduxit, tamquam non deduceret ad requiem ſepulcri, ſed ad ſinum Martyris Stephani. Probatum eſt cor fidele mulieris. Ubi ergo tale miraculum fecit Deus per Martyrem ſuum, non potuit ibi iſtos curare? Et tamen huc nobis directi ſunt. Converſi ad Dominum, &c.

Hæc hactenus, quibus nihil addemus, niſi omiſſam hic eſſe ſollemnem clauſulam, quæ hoc, aut ſimili modo concipi potuit: *Quæ res bene vertat nobis & vobis, Spectatores plaudite.*

SERMONE CCCXXX.] Pars prior eadem eſt cum priori parte Sermonis CXVIII. de Diverſis. Sed quæ in illo Sermone ſubjiciuntur cum præcedentibus non cohærent. Hîc verò apta & connexa uſque ad finem ſunt omnia. *Sirmondus.*

TIT. *De viginti Martyribus.*] Ad Martyres XX. habitus etiam Sermo CX. de Diverſis. Horum verò memoriam Hippone Regio celeberrimam fuiſſe docet *Auguſtinus* illuſtre, quod in ea contigerat, miraculum commemorans Lib. XXII. de Civitate Dei, Cap. VIII. *Erat quidam Senex* &c. Horum nomina, cùm ignota fuerint hactenus, tres hoc loco memorantur, Fidentius Epiſcopus, Valeriana & Victoria ſanctæ feminæ. Quo uno ex capite non leve eſt quod huic Sermoni debemus; ſive Martyres hi, ut *Baronio* Cardinali viſum eſt, iidem habendi ſunt cum Martyribus viginti, qui apud Tarſum Ciliciæ paſſi ſub Diocletiano leguntur VIII. Idus Junias; ſive, quod certius reor, à Tarſenſibus diverſi fuerint Hipponenſes, de quibus hîc agitur. *Sirmondus.*

SERMONE CCCXXX. *In Natali plurimorum Martyrum.*] Ita regius Codex, cum Victorino; at *Beda* citat: *ex Sermone de verbis Evangelii.* Idem.

SERMONE CCCXXXII. Habetur hic etiam cùm in Codice regio, tum in Victorino. DD. 12. *Idem.*

§. 4. *Cùm Scriptura commemoraſſet eos qui non intrabant, ibi etiam nominavit homicidas, non expaviſtis. Nominavit fornicatores, audivi quia pectora tundiſtis.*] Hinc videre eſt pectora tundere ſolitos, cùm aliquid audiebant, quod conſcientiæ peccatorum, vel confeſſionis admoneret. Quod quidem uſque adeò frequentabant, ut intempeſtive nonnumquam uſurparent. Unde in Sermone VIII. de verbis Domini, eum ad illa verba, *confiteor tibi, Pater*, pectora populus de more tutudiſſet, ſcitè arguens illos Auguſtinus, *in hoc ipſo*, inquit, *quod ſonuit* confiteor, *pectora tutudiſtis. Tundere autem pectus quid eſt, niſi arguere quod latet in pectore & evidenti pulſu occultum caſtigare peccatum? Quare hoc feciſtis, niſi quia audiſtis:* confiteor tibi, Pater. *Confiteor audiſtis, qui confitetur non attendiſtis. Nunc autem advertite. Si confiteor Chriſtus dixit, à quo eſt longè omne peccatum, non ſolius eſt peccatoris, ſed etiam laudatoris. Confiteamur ergo ſive laudantes Deum, ſive accuſantes nos ipſos.* Idem.

SERMONE CCCXL. In titulo: *In die ordinationis ſuæ*] In anniverſario ſuſcepti Epiſcopatûs. Celebrarunt interdum Epiſcopi natale cathedræ, ſeu Epiſcopatûs ſui, ſicut Principes Imperii; quod natale Epiſcopi dicebatur. Ejus moris apud Romanos indices ſunt Sermones tres S. Leonis Papæ, in die adſumtionis ſuæ. Apud Afros, præter Homilias XXIV. & XXV. de anniverſario Epiſcopalis Ordinationis Auguſtini, quibus tertius hic Sermo additur, in antiquis codicibus; fidem etiam facit anniverſarius Aurelii Epiſcopi, de quo eſt *Auguſtini* ad plebem adloquutio, quam protulimus. Quo autem die ordinatus fuerit

Au-

Digitized by Google

Auguſtinus, non liquet; ordinatum paullò ante Natale Domini ex Homilia xxv. docemur. *Idem.*

SERMONE CCCXLI. In titulo: *de Sacrificio veſpertino*] Ita inſcribitur in Codice S. Victoris CC.16. nec aliter citat *Beda*, quàm, *ex Sermone de Sacrificio veſpertino.* At in Collectorio Sermonum Parte III. dicitur, *Sermo de verſu Pſalmi* CXL. *Elevatio manuum mearum Sacrificium veſpertinum.* Idem.

SERMONE CCCXLIV. *De amore Dei & amore ſæculi*] Unicum nobis fuit exemplar ex Codice S. Victoris DD. 12. Fuit tamen & in Collectorio Sermonum Parte V. ut Index docet. Utrobique titulum præfert: *de amore Dei & proximi.* Sed aptior & *Auguſtini* verbis congruentior viſa inſcriptio, quæ apud *Bedam* legebatur: *de Amore Dei & Amore Sæculi.* Idem.

SERMONE CCCXLV. *De contemtu mundi*] Vetus Codex auctoris nomen non habet. *Auguſtini* tamen eſſe non dubitavimus, cùm quòd aliis ejus Sermonibus intextus erat, tum maximè quod ſtylum & genium refert *Auguſtini.*

§. 5. *Nam quantumvis habeas, cùm venerit hora quinta, antequàm ad menſam accedas eſuris, & deficis quia miſer es.*] Quæ ſextam, id eſt, meridiem antecedit, & legitima eſt hora prandii. *Sidonius* noſter Lib. II. Epiſt. IX. de nuncio, qui ad prandium vocabat, *quem probabat competenter ingreſſum quinta digrediens.* Quem ad locum, nonnulla de priſco genere horarum in eandem ſententiam adnotavimus. *Idem.*

§. 6. *Fœminarum Martyrum Tuburbitanorum ſollemnitatem celebramus*] Perpetuæ & Felicitatis, quarum corpora in baſilica majore condita Carthagine. De harum natali, tres exſtant Sermones *S. Auguſtini.* Anniverſarius autem dies agitur Nonis Martii. Fuerunt & aliæ, ſed virgines, Maxima, Donatilla, & Secunda, quæ apud Tuburbum etiam paſſæ dicuntur III. Calendas Auguſti. Duplex enim fuit ejus nominis Civitas, Tuburbum majus & Tuburbum minus; unde Tuburbitani majores & minores, in Collatione Donatiſtarum. *Idem.*

SERMONE CCCLVII. *De laude pacis*] Ex Codice S. Victoris DD. 12. Fuiſſe autem & in Collectorio Parte V. Index demonſtrat. Pertinet cum duobus ſequentibus ad tempora collationis Donatiſtarum, quam ex Actorum exordio celebratam liquet P. C. Varanis, Anno Chriſti, CDXII. inchoatámque Calendis Juniis. Quod anni tempus congruit verbis *Auguſtini*, qui ſub finem Sermonis paullò ante peractum fuiſſe ait jejunium Pentecoſtes, quod illo anno deſiit IV. Kalendas Junias. *Idem.*

§. 4. *Unde ſum frater tuus*] Nolebant, videlicet, ſe fratres dici Donatiſtæ, & tamen fratres à noſtris dicebantur. *Optatus* Lib. I. adverſus Parmenianum: *Nolunt*, inquit, *ſe dici fratres noſtros. Sunt ſine dubio fratres, quamvis non boni. Quare nemo miretur eos me appellare fratres, qui non poſſunt non eſſe fratres.* Et Lib. IV. *Non enim poteſtis non eſſe fratres, quos iiſdem ſacramentorum viſceribus una mater Eccleſia genuit, quos eodem modo adoptivos filios Deus Pater excepit.* Quo in genere plurima etiam *Auguſtinus* in Pſalmum XXXII. Lib. III. contra Gaudentium, ac Libro item III. contra Parmenianum Cap. 2. *Idem.*

Ibidem. *Spiritus Sanctus loquitur per Iſaiam Prophetam*: audite qui pavetis verbum Domini, dicite, fratres noſtri eſtis eis qui vos oderunt &c.] Eximia ſanè verba, quamvis ſint tantùm apud LXX. Intt. Eſai. LXVI, 5. At, proh dolor! ſequentia facta minimè reſponderunt hiſce blanditiis; nam hoſce fratres ſuos graviſſimè vexari fas eſſe poſtea contendit mitis ille ac miſericors *Auguſtinus*, qui profectò minimè fraternus eſt animus. Vide Epiſt. XCIII. & quæ ad eam notavimus. *Phereponus.*

SERMONE CCCLVIII. *De Pace* &c.] In Codice S. Victoris & in Indice Collectorii præponitur præcedenti. Ut poſtponeremus perſuaſit, quòd ſub hujus finem, ubi de jejuniis & eleemoſynis cum oratione jungendis ſe præmonuiſſe ait, ad præcedentem alludere videatur. *Sirmondus.*

§. 6. *Ad collationis locum nullus veſtrûm irruat, fratres mei*] Ad Thermas Gargilianas. In harum enim Secretario, Carthagine habita eſt collatio. Exſtat Lib. II. veterum Epigrammatum, quæ *Pithœus* collegit, Epigramma de Thermis Gargilianis à Thraſamondo Rege renovatis; quod verſuum primæ poſtremæque litteræ indicant his verbis: THRASAMUNDUS VOTA SERENANS. Idem.

Ibidem. *Edictum viri illuſtris publicè propoſitum legiſtis.*] Marcellini Tribuni & Notarii, qui Judex, Honorii Auguſti nomine præfuit collationi. Ejus Edicto, quod in Geſtis primæ cognitionis continetur, de admonenda per Epiſcopos plebe, inter cetera cavebatur: *Nullus ergo*, inquit, *vel Laicus, vel Epiſcopus, ultra numerum præſtitutum, in illum tranquilliſſimum Concilii locum contra prohibitum moliatur accedere. Quin potiùs etiam plebes ſuas, pia quietis ac modeſtiæ commonitione conveniant, hoc per ſingulas Eccleſias ante tractantes, quatenus à die diſputationis ac loco omnis ſe multitudo contineat, ut religioſo patientiæ magiſterio delinitum Chriſtianæ paci populum parent.* Quod edictum Epiſcopi Catholici ſe obſervaturos profeſſi ſunt notoriâ ſuâ, quæ ibidem recitata eſt, Cap. XVI. *Idem.*

Ibidem. *Orationes etiam veſtras, ſicut jam ante præmonuimus, jejuniis & eleemoſynis adjuvate. Addite pennas illis, quibus volant ad Deum*] Nempe, eleemoſynæ & jejunia dicuntur duæ alæ, quibus ad cœlum evehuntur preces. Vide Act. X, 4. & ad eum locum Interpretes. *Phereponus.*

SERMONE CCCLIX. *Habito poſt collationem*] Prior pars edita eſt Sermone XCI. de Diverſis; poſterior, quæ de Donatiſtarum cauſa tractat ab iis omiſſa, qui ea carere ſe poſſe judicabant. Nos integrum repræſentavimus, qualem exhibuit Codex in cortice exaratus, & quidem à *Beda* agnitum fuiſſe non ignorabamus. *Sirmondus.*

§. 5. *Diximus poſſe in una Eccleſia, pacis causâ, eſſe fratres concordes; ſpecioſa enim res eſt concordia fratrum.*] Ex eadem Epiſtola notoria, quam Epiſcopi Catholici Marcellino Judici obtulerunt, conſtat eos cum Donatiſtis, veritatis fiduciâ, ita condixiſſe ut ſi Donatiſtæ cauſam obtinerent, honorem, apud eos, nullum requirerent; ſin ipſi victores forent, illos tamen in ſocietatem Epiſcopatûs admitterent. Ad hanc ergo ſocietatem pertinent quæ hoc loco dicuntur & quæ in eadem notoria fuſius explicantur, his verbis: *Poterit quippe unusquisque noſtrûm, honoris ſibi ſocio copulato, viciſſim ſedere eminentiùs, ſicut peregrino Epiſcopo, juxta conſidente collega. Hoc cùm alternis Baſilicis utriſque conceditur, uterque ab alterutro honore mutuo prævenitur; quia ubi præceptio caritatis dilataverit corda, poſſeſſio pacis non fit anguſta; ut uno eorum defuncto, deinceps jam ſinguli priſtino more ſuccedant.* Sed jam olim reſpuere hanc ſocietatem ſolitos Donatiſtas docet *Optatus* Lib. I. *Et quia collegium Epiſcopale nolunt nobiſcum habere commune, non ſint Collegæ, ſi nolunt; tamen, ut ſupra diximus, fratres ſunt.* Idem.

Ibidem. Si poſtea humanos ſe præbuiſſent Catholici erga Donatiſtas, nemo eſſet, qui hæc non laudaret, & à Chriſtiano animo profecta non cenſeret. Nunc verò, poſtquàm Donatiſtas, pertinaces quidem illos & factioſos, quis negat? ſed tamen Chriſtianos, uſque adeò malè habuerunt; ſunt qui ſuſpicentur Catholicos probè iniiſſe calculos, atque ex numero Epiſcoporum Donatiſtarum, plebiſque eis addictæ, collato cum numero Catholicorum, collegiſſe non ſine lucro, aut certè ſine jactura ulla illam conjunctionem Eccleſiarum fore. Fortaſſe & aliud latuit, quod neſcimus. Profectò ita avidi erant homines aureorum illorum, ſi multis credimus, temporum honoris & redituum Epiſcopalium, ut eos nacti non facilè dimitterent, atque in eos irrumpere quavis datâ occaſione niterentur. Itaque periculoſum erat, ne, præter pacta, qui ſuperior auctoritate futurus erat ſucceſſorem, pro more Afrorum, vivus ipſe ſibi deſignaret. Notum eſt omnibus diuturnum Schiſma Antiochenæ Eccleſiæ, ex ſimili origine ortum. Ad *fiduciam veritatis*, quæ hîc jactatur, quod attinet, vereor ne ſit mutanda in fiduciam victoriæ, non minùs ex perſpecto favore Judicis Marcellini, quàm ex bonitate cauſæ conceptam. Alioqui periculoſum fuit,

ut ita loquar, compromiſſum, cauſam tot Epiſcoporum & Eccleſiarum velle ex judicio unius hominis, & qui alteri parti addictus erat, pendere. *Pherepo-nus.*

§. 6. *Suſcepimus eam* (cauſam Cæciliani) *diſcutiendam, ſed tamquam fratris, non tamquam patris, aut matris. Pater nobis Deus eſt, mater nobis Eccleſia eſt; Cæcilianus frater fuit* &c.] In collatione diei III. cap. ccxxxv. *Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit: Ecce dico, quoties voluerint dico. Cæcilianus non eſt pater meus, quoniam audio Dominum meum dicentem:* ne vobis patrem dicatis in terra, unus eſt pater veſter Deus. *Dico Cæcilianum fratrem, bonum fratrem, ſi bonus, malum fratrem, ſi malus eſt; quoniam, propter communia ſacra, frater meus eſt.* Sirmondus.

Ibidem. *Semel abſens damnatus, præſens ter abſolutus.*] Damnatus fuerat à Donatiſtis in Synodo. Abſolutus eſt primùm Romæ in Concilio, ſub Melchiade; iterum Arelate, à Concilio generali; poſtremò Mediolani, à Conſtantino Imp. ad quem pars adverſa provocarat. Tota autem in eum criminatio, quod ordinatus fuiſſet à Felice Aptungenſi Epiſcopo, qui Sacros Codices, ſub Diocletiano tradidiſſe ferebatur. Quod etſi verum foret, ad ſchiſmatis cauſam ſatis non erat; quia alia eſt cauſa Eccleſiæ, alia hominum. Ceterùm ex Actis publicis comprobatum eſt Felicem Epiſcopum traditorem non fuiſſe. *Idem.*

§. 8. *Nova enim nobis nunciata ſunt; cuidam preſbytero noſtro linguam exſecuerunt.*] De altero Epiſcopo, cui linguam & manum præciderant Donatiſtæ, *Auguſtinus* Ep. L. ad Bonifacium: *Epiſcopi*, inquit, *& Clerici horrenda & dura perpeſſi ſunt, quæ commemorare longum eſt; quando quorumdam & oculi exſtincti ſunt, & cujuſdam Epiſcopi manus & lingua præciſa eſt.* Calcem etiam & acetum in oculos Clericorum Hipponenſium miſiſſe narrat Epiſtolâ CXXII. & aliis locis alia, eumdem illorum furorem teſtantia. Quò etiam ſpectat Honorii Auguſti conſtitutio XIV. proximè nuper edita in Appendice Codicis Theodoſiani. *Idem.*

Ibidem. Propter nefaria hæc ſcelera graves pœnas dare debebant quicumque eorum convinci poterant; ſed non quivis Donatiſtæ etiam integris moribus, propter opiniones vexari, ut jam ad T. II. diximus. *Phereponus.*

§. 9. *Honoraſtis Epiſcopum veſtrum, ut hanc Baſilicam Florentiam vocare velletis, ſed Florentia ejus vos eſtis*] Quemadmodum Baſilica Fauſti & Baſilica Leontina dictæ ſunt a Fauſto & Leontio conditoribus: ſic Florentia, hoc loco, Baſilica de nomine Florentii Epiſcopi. Cujus verò ſedis Epiſcopus fuerit, incertum eſt; niſi Florentium intelligi placeat Hipponenſium diarrhytorum in Proconſulari provincia Epiſcopum, qui & Collationi Donatiſtarum cum ceteris hoc anno interfuit, ut cognitionis primæ Geſta declarant, & aliquot poſt annos Leporii Monachi Epiſtolæ ad Gallos ſubſcripſit cum Auguſtino & aliis. Quod ſi verum eſt, non Carthagine, neque Hippone regio, ſed Hippone diarryto habitum dici Sermonem conſentaneum fuerit. *Sirmondus.*

Ibidem. *Hæc erit Florentia, verè Florentia.*] Sic loquitur de cœleſti beatitudine. Itaque *Florentiam*, hic & in ſuperioribus, interpreter de ſtatu æternùm florente, & quo gloriari verè liceat. Hæc & alia multa finxit Numidica ejus ævi Latinitas. *Phereponus.*

Sermone CCCLX. *Donatiſta reverſus ad Eccleſiam*] De tempore hujus Sermonis cùm affirmare nihil liceret, ut proximis ſubderemus adducti eò ſumus, quòd ex Donatiſtarum ſchiſmate, poſt Collationem, plurimos ad Eccleſiam rediiſſe auctor ſit *Auguſtinus*, non ſolùm in Sermone præcedenti, ſed multò apertiùs Lib. I. contra Gaudentium Cap. 29. *Quantum exiſtimas*, inquit, *nos habere conſolationis, quod à tanta dementia partis Donati, ubi non ſolùm nefariæ diviſionis error, verùm etiam furoris lex facta eſt, longè atque incomparabiliter plura millia liberantur?* Sirmondus.

Ibidem. *O vinea dilecta Domino meo, non ſolùm labor meus nihil tibi proderat, verùm etiam contra te inimico tuo ſerviebam* &c.] Hunc Sermonem lectum à Donatiſta Epiſcopo, dictatum ab *Auguſtino* cenſent Editores Pariſienſes; nec diſſentio. Sed non puto prætermittendum hìc eſſe videri veluti formulam quamdam, ut ita dicam, Palinodiæ, qualem cani oportebat à Donatiſtis. Nec dubium hanc non fuiſſe exiguam partem triumphi adverſariorum. Sed qui præ ignorantia in illis partibus fuerant, non poterant ſine gravi dolore, cum tanta contumelia, in unitatem Eccleſiæ recipi. Hæc Pœnorum fuit humanitas. *Phereponus.*

Sermone CCCLXIII. in Titulo: *De Cantico Exodi.*] Codex regius Sermonem vocat, *De Cantico Exodi, poſt tranſitum maris rubri.* At in Codice S. Victoris *tractatus* dicitur, itémque à *Poſſidio*, qui inter diverſos *Auguſtini tractatus*, duos commemorat, *De Cantico Eſaiæ*, &, *de Cantico Exodi.* Sirmondus. An vir longè doctiſſimus oblitus erat *tractatus* paſſim dici Sermones, quales in Tomo IV. *Tractatus in Joannem*? Neſcio. Sed nihil frequentius, ita ut *tractare* & concionari in ſtylo Auguſtiniano fermè idem ſint. *Phereponus.*

§. 1. *Senſum noſtrum in Scripturis ſanctis conſiderandis, atque tractandis regere debet earumdem Scripturarum manifeſtiſſima auctoritas; ut ex iis quæ apertè dicta ſunt, ad nutriendos nos, ea quæ obſcuriùs dicta ſunt, ad exercendos nos fideliter diſſerantur.*] Optima profectò Regula, & quâ certior, in Scripturarum interpretatione, nulla eſt. Igitur poſtquàm Scriptura Sacra nonnulla de Deo nos docuit, ita ut de eorum ſenſu nemo dubitare poſſit, niſi inſaniat; numquam quidquam ex obſcuris locis eliciendum, quod iis ſit contrarium. Exempli cauſâ, nihil clariùs in Scriptura Sacra docetur, quàm Deum eſſe bonum, miſericordem, ac juſtitiæ obſervantem; hoc eſt, qui reo poſſit quidem ignoſcere, & re verâ ignoſcat, certis legibus, ſed qui innocentem plectere nequeat. Qui in Scriptura hæc non inveniet, nihil profectò in ea intelliget; nullum enim dogma majori perſpicuitate habetur. Hoc autem poſito, ex obſcuris nonnullis locis non ſunt colligendæ doctrinæ, quæ omnem bonitatis, miſericordiæ ac juſtitiæ laudem Deo manifeſtò detrahunt; qualia ſunt dogmata illa, quorum confirmandorum cauſâ, hiſce temporibus, cœlum terræ miſcuerunt Africanæ Synodi. Neque hìc dixeris in rebus divinis profunda eſſe quædam, quæ ingenii humani acumen fugiunt; nam non debent ex obſcuris locis profunda illa fingi, quæ repugnent claris Scripturæ dogmatibus; ut ſi Deum facias crudelem aut injuſtum, ut locum obſcurum explices. Multò ſapientius illi faciunt, qui ſi commodam ac convenientem ceteræ Scripturæ ſententiam invenire nequeant, fateantur ea loca à ſe non intelligi; quam qui ita ea explicant, ut manifeſta atque acris pugna locorum Scripturæ & dogmatum Theologicorum in doctrinam Chriſtianam intromittatur. Nullæ exclamationes Rhetoricæ, nulla Epiſcoporum anathemata, nulla Regum edicta rectum ut poſterius bonis ac prudentibus viris videatur efficient. Facilè fieri poteſt ut non intelligamus locum Scripturæ, ſed fieri nequit ut ſecum ipſa pugnet, detrahátque Deo quod illi clariſſimis verbis, adſtipulante etiam rectâ Ratione, tribuit. *Phereponus.*

Sermone CCCLXVI. *De Pſalmo* XXII.] In Codice S. Germani unde primum ad nos pervenit & in duobus S. Victoris CC. 6. & DD. 11. titulus eſt: *expoſitio S. Auguſtini de Pſalmo* XXII. Atque in his omnibus libris inſertus eſt, tamquam eodem ſpectans, diverſis *S. Auguſtini* lucubrationibus contra Pelagianos. In Collectorii Parte III. *Sermo, ſeu expoſitio ſuper Pſalmum* XXII. Habitus eſt ad baptizandos. *Sirmondus.*

Sermone CCCLXXXIX.] Poſterior pars eadem eſt cum poſteriore Sermonis L. de Tempore, niſi quod ibi omiſſa eſt tota narratio de homine, qui de pretio ſolidi pauperibus erogarat. Ac vetus ſanè iſta confuſio. Nam & Sermo ille L. in manuſcriptis nihil diſcrepat à vulgatis, & hunc noſtrum fideliter expreſſimus ex Codice Regio & altero S. Victoris DD. 12. *Idem.*

§. 3. *Cùm ſolidum, ut adſolet, vendidiſſet*] Quanti ſolidum aureum vendiderit non declarat; intelligi

autem

autem poteſt ex novella Valentiniani xxv. inter Theodoſianas, quâ cautum eſt, *ne unquam intra ſeptem millia nummorum ſolidus diſtrahatur.* Caſſiodorus ſex olim millibus venditum docet Lib. I. Variarum Ep. x. *Sex*, inquit, *millia denariorum ſolidum eſſe voluerunt.* Idem.

Ibidem. *Centum folles ex pretio ſolidi pauperibus juſſit erogari*] Folles æreos dicit, non argenteos. Argentei enim folles centum pars ſolidi exigua non eſſent. Ut denarios ergo appellabant tum argenteos, tum æreos: ſic folles argentei alii fuerunt, alii ærei. Follium æreorum valor aut idem fuit, ac nummorum ſeu denariorum, quorum ſex, ſeptémve millia in ſolido cenſebantur, aut utriuſque generis non magnum diſcrimen. Folles autem argentei, Auguſtini ævo, quid valerent æſtimari poteſt ex Lege III. Cod. Theod. de ſuariis, quæ porcinæ pretium in ſingulas libras ſenis follibus definit, & ex iis quæ de Florentio ſartore Hipponenſi habentur de Civitate Dei Lib. xxii. Cap. viii, §. 9. Utrobique enim congruere omnia poſſunt, ſi pro follibus aſſes, ſive ſolidi ſumantur monetæ noſtræ Gallicanæ. Nam & porcinæ in ſingulas libras ſolidorum ſex juſtum fuerit pretium, & grandem piſcem trecentis aſſibus noſtris vendi nihil eſt abſurdi Quo fit ut follium & ſolidorum noſtratium valorem eumdem conjicere liceat, vel affinem. Verùm hæc de folle accipienda, quatenus certum nummi genus ſignificat. Follis enim aliæ ſunt, in re pecuniaria, notiones, quæ ad rem hoc loco non faciunt. *Idem.*

ANIMADVERSIONUM IN TOMUM V.

FINIS.

ANIMADVERSIONES
IN TOMUM SEXTUM
S. AUGUSTINI.

DESIDERIUS ERASMUS
AD LECTOREM
DE QUÆSTIONIBUS LXXXIII.

AGNOSCIT quidem hoc opus *Auguſtinus*, mihi tamen videtur à ſtudioſo quopiam ex omnibus illius libris collectum, in quod congeſtum eſt ſi quid haberetur argutius diſſertum. Huic ſtudio ſavens *Auguſtinus* recognovit, & quædam elimavit. Hanc conjecturam non omnino ſomnium eſſe declarat illud, quod q. XII. habet fragmentum ex Fontei libris decerptum. Et cap. XXXI. habet locum ex ſecundo M. Tullii de Inventione libro deſcriptum. Sunt autem & alia quæ mihi non videntur per omnia ſapere phraſin *Auguſtini*. Ad hæc erant quædam confuſa, vel huc tranſlata ex quæſtionibus Evangeliorum, vel hinc illo tranſmiſſa. Poſtremo multa ſunt, quæ non habent ullam ſpeciem quæſtionis, niſi quod quicquid doceri poteſt, idem & quæri poteſt. Ita tot naſcentur quæſtiones, quot ſunt ſententiæ, ſive proloquia. Ipſum tamen opus eruditum eſt, & lectu dignum.

Quæſt. ix. Q*Uod non manet percipi non poteſt, illud enim percipitur quod ſcientiâ comprehenditur. Comprehendi autem non poteſt quod ſine intermiſſione mutatur. Non eſt igitur exſpectanda ſinceritas veritatis à ſenſibus corporis.*] Sic ſolvit *Auguſtinus* quæſtionem, utrùm ſenſibus corporeis percipi veritas poſſit. Eſt Platonica ratiocinatio, cujus quis ſit uſus non intelligo; niſi ſi quis velit in dubium revocare teſtimonium ſenſuum in rebus corporeis, quo tamen ipſa Chriſtiana fides nititur. Scio Philoſophico quodam ſenſu poſſe dici ſenſus à Deo nobis datos non fuiſſe, ut intimam rerum naturam, & veritates occultas eorum ope cognoſcamus; ſed hæc ad Theologicas quæſtiones non pertinent. Multa hic ſunt quæ Platoniſmum redolent.

Quæſt. xvi. *Deus omnium quæ ſunt cauſa eſt. Quod autem omnium rerum cauſa eſt, etiam ſapientiæ ſuæ cauſa eſt.*] Quare non dicit *ſui ipſius cauſa eſt?* Nimirum, quia certiſſimis Metaphyſicorum axiomatibus hoc repugnat. Attamen idem aliis verbis dicit, nam ſapientia Dei eſt ipſe Deus. Non eſt diſſimulandum ita loqui ſolitos Platonicos. *Ariſtides* Tom. 1. Or. 1. p. 5. de Deo: ἐποίησε πρῶτος αὐτὸς ἑαυτόν. *primus ipſe ſe fecit.* Paullò pòſt: οὗτός ἐστι πρῶτός τε καὶ πρεσβύτατος καὶ ἀρχηγέτης τῶν πάντων, αὐτὸς ἐξ αὐτοῦ γενόμενος —— ἀπάτωρ τε καὶ μείζων ἢ ἐξ ἄλλου γεγονέναι. καὶ ὥσπερ τὴν Ἀθηνᾶν ἄρα ἐκ τῆς κεφαλῆς ἔφυσε, καὶ γάμου οὐδὲν προσεδεήθη εἰς αὐτήν, οὕτως ἔτι πρότερον αὐτὸς ἑαυτὸν ἐξ ἑαυτοῦ ἐποίησε. *Hic eſt primus & antiquiſſimus, & omnium princeps, ipſe ex ſe factus —— pater ſui ipſius, & major quàm ut ex alio eſſet; & quemadmodum ſanè Minervam ex capite genuit, nec nuptiis ejus cauſâ indiguit, ſic adhuc prius ipſe ſe ex ſe fecit.* Sic verò colligit *Auguſtinus* æternitatem Filii, ex allatis verbis: *Igitur ſempiternæ ſapientiæ ſuæ cauſa eſt ſempiterna, nec tempore prior eſt, quàm ſua ſapientia.* Idem collegeris, ſi recta ſit hæc ratiocinatio, de reliquis omnibus Dei attributis. Deus enim erit cauſa ſuæ bonitatis, ſuæ potentiæ, ſuæ juſtitiæ &c. ac proinde totidem erunt Filii Dei, quot ſunt ejus attributa, quo nihil abſurdius fingi poteſt. Præſtitiſſet ergo abſtinere ejuſmodi ratiocinationibus, quibus nihil probari poteſt; præſertim in re tam ſeria, & tot acerrimis controverſiis uſque adeò vexata.

Quæſt. xviii. Sic probat Trinitatem: *Omne quod eſt, aliud eſt quo conſtat, aliud quo diſcernitur, aliud quo congruit. Univerſa igitur creatura ſi & eſt quoquomodo, & ab eo quod omnino nihil eſt plurimum diſtat, & ſuis partibus ſibimet congruit, cauſam quoque ejus*

trinam

trinam eſſe oportet: quâ ſit, quâ hoc ſit, qua ſibi amica ſit.] Præterquam quòd hæc abſtractione dumtaxat animi diſtinguuntur, ac proinde non opus habent diverſis cauſis; an non variarum rerum poteſt eſſe una eadémque ſimpliciſſima cauſa? Niſi hoc admittatur, quot diſtingui poterunt in creaturis proprietates, totidem erunt Perſonæ Divinæ. Hæreticos illius ævi oportet valde ſtipites fuiſſe, ſi ad talia argumenta obmuteſcerent, aut adverſarios non irriderent. Sed & Orthodoxorum aures, atque oculi patientes fuerunt quorumvis ſermonum, & librorum, ſi ejuſmodi ratiocinationibus delectati ſunt. Me profectò, ne quid diſſimulem, offendunt, cùm reputo tam graves quæſtiones uſque adeò levibus ratiunculis ſolvi, & Theologiam Chriſtianam iis contaminari, ac ludibrio interdum exponi. De iis quæ oonniſi revelatione divinâ innotuerunt, nec Ratione poſſunt probari, ſatius fuit & ſola Scripturæ auctoritate, & ſolis ejus verbis uti. Sed audiamus & ſequentia: *Creaturæ autem cauſam, id eſt, Deum auctorem dicimus.* Verè ſanè, ſed quid inde? *Oportet ergo eſſe Trinitatem, qua nihil præſtantius, intelligentius & beatius invenire perfecta ratio poteſt.* Eſſe Trinitatem, hoc eſt, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum docent nos ſacræ paginæ; quibus credere nos par eſt, non minùs quam ratiocinationibus noſtris. At colligi ex antecedentibus, ut jam diximus, hoc non potuit. Alioquin eodem jure, ex Philoſophia illius ævi, quinque collegeris eſſe Divinas Perſonas, quòd ſint quatuor elementa, & quinta eſſentia, quâ cœli & hominum mentes conſtant. Qualia innumera poſſent fingi. Sed & audi rhetoricum argumentum, ne ſuæ artis obliviſceretur bonus Antiſtes. *Ideòque etiam cùm veritas quæritur, plus quàm tria genera quæſtionum eſſe non poſſunt utrùm omnino ſit, utrum hoc an aliud ſit, utrum approbandum improbandúmve ſit.* Quidoi alius ſimiliter quatuor eſſe Perſonas dicat, quòd ſint quatuor Rhetoricæ partes, inventio, diſpoſitio, eloquutio ac pronunciatio; aut quòd ſint quatuor figuræ Syllogiſmorum? At, inquies, *Auguſtinus* hæc quaſi argumenta firma non protulit, ſed potiùs quaſi illuſtrationes quaſdam philoſophicas ac rhetoricas veritatis aliunde exploratæ profudit; & quidem tiro, cùm primùm in Africam ex Italia rediiſſet. Sed primùm hæ non ſunt, ſi veritatem amamus, illuſtrationes, verùm obſcurationes veritatis, quæ futilibus hujuſmodi argutiis minimè indiget, & dehoneſtatur. Præterea, ut ipſe teſtatur, hunc librum jam Epiſcopus ex antiquis ſchedis colligi juſſit, cujus maxima parte, ſine ulla vel minima jactura, Numidæ potuerunt carere; & in libris ipſis de Trinitate, ab Epiſcopo magno ſtudio elaboratis, talia multa ſunt.

Quæſt. XXIV. *Meritum autem pœnæ peccatum, & meritum præmii rectè factum eſt.*] Hoc eſt meritum eſt, quo pœna contrahitur & quo præmium accipitur. Subdit: *Nec peccatum autem, nec rectè factum imputari cuiquam juſtè poteſt, qui nihil fecerit propriâ voluntate. Eſt igitur & peccatum & rectè factum in libero voluntatis arbitrio.* In Retractationibus verò ad hanc quæſtionem; *quod ita eſſe*, inquit, *omnino veriſſimum eſt, ſed ut ad rectè faciendum liberum ſit, Dei gratiâ liberetur.* Verum eſt hoc quoque. Sed ut ſtet illa prior *Auguſtini* reſponſio, ita ut actiones hominum malæ & bonæ tribui queant eorum libero arbitrio, non tantùm ii homines, qui ſervantur, debent liberari Dei gratiâ; ſed & ii, qui damnantur, ita ſervi peccati facti eſſe debuerunt, ut non neceſſariò peccarent, atque in illa ſervitute remanerent. Deinde quomodo infantes qui moriuntur non baptizati, & quibus, ex *Auguſtini* ſententia, pœnæ infliguntur, propriâ voluntate peccarunt? Ita opiniones ſuas retractat *Auguſtinus*, ut quàm minimum in iis mutatum videri velit; unde fit ut excuſet ſæpe nonnulla, omiſſis aliis quæ non minori retractatione indigebant. Verùm, hac in re, δεύτερος πλοῦς non fuit felicior.

ANIMADVERSIONES

AD DIVERSAS QUÆSTIONES AD SIMPLICIANUM.

LIBRO I. *Quæſt.* I. ad Rom. VII, 7. & ſeqq. *Videtur mihi Apoſtolus transfiguraſſe in ſe hominem ſub Lege poſitum, cujus verbis ex perſona ſua loquitur.*] Fuit hæc vulgò tum temporis recepta ſententia, eáque veriſſima, & quam numquam revocaſſet *Auguſtinus*, niſi poſtea exortus eſſet *Pelagius*. Vide ad Tom. III. Animadverſ. in Epiſt. ad Romanos.

Quæſt. II. §. 2. *Intentionem Pauli, quæ per totam Epiſtolam viget, tenebo quam conſulam. Hæc eſt autem ut de operum meritis nemo glorietur; de quibus audebant Iſraëlitæ gloriari, quod datæ ſibi legi ſerviſſent & ex hac Evangelicam gratiam tamquam debitam meritis ſuis, percepiſſent, quia Legi ſerviebant. Unde nolebant eamdem gratiam dari Gentibus, tamquam indignis, niſi Judaica Sacramenta ſuſciperent*] Si paullò attentiùs legantur priora undecim Capita Epiſtolæ ad Romanos, duas quæſtiones potiſſimas in illis à Paulo tractari nemo non intelliget. Prior pertinet ad juſtificationem hominis apud Deum. Contendebant Judæi neminem poſſe juſtum, hoc eſt, bonum haberi à Deo, niſi legis Moſaicæ cùm ad cærimonialia, tum ad moralia præcepta quod attinet, obſervantem. Negat hoc Paulus & multis oſtendit, ſine Legis Moſaicæ obſervatione homines juſtificari, ſeu juſtos à Deo haberi, adeóque juſtificationem obtineri non operibus, ſed gratiâ, hoc eſt, miſericordiâ Dei; quâ bonus habetur is qui legem numquam obſervavit, ſi modò Evangelio credat, eique in poſterum obſequatur. Poſterior quæſtio eſt utrum à Deo Gentes Idololatricæ poſſent ad Evangelii cognitionem vocari, & populus ejus haberi, etiam neglectis Judæis. Negabant hoc Judæi, affirmabat Paulus; qui oſtendit Deum, in vocandis populis ad ſui cognitionem, nullam rationem habere operum, ſeu meritorum, ſed beneficia ſua in quoſvis conferre, quamvis indignos, iis omiſſis qui beneficiis divinis indigniores ceteris non erant. Hæc ſunt duo ſumma capita, ad quæ tota diſputatio Pauli referenda eſt, non quod hic habet *Auguſtinus*. Itaque nihil ad rem facit quod ſequitur apud eumdem: *Multis locis hoc ſæpe teſtatur, fidei gratiam præponens operibus, non ut opera extinguat, ſed ut oſtendat non eſſe opera præcedentia gratiam, ſed conſequentia; ut, ſcilicet, non ſe quiſque arbitretur ideò percepiſſe gratiam, quia bene operatus eſt; ſed bene operari non poſſe, niſi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere; vel internâ vel externâ admonitione motus ad fidem.* Nolo hæc excutere, ſed pernego Paulum quidquam ejuſmodi cogitaſſe, cùm diſputaret contra Judæos. Nec hi contendebant gratiam fidei ſibi aut ulli alii deberi, nec Apoſtolus contrarium probat. Adeat Lector optimos quoſque Pauli interpretes, ſed præſertim ipſe Paulum legat, intelligetque ab *Auguſtino* Apoſtoli ſcopum nullo modo animadverſum fuiſſe. Ac ſane obſcurior eſt Epiſtola ad Romanos quàm ut à Semi-platonico Rhetore, Criticæ planè imperito, intelligeretur.

Ibidem §. 4. allatis verbis Pauli Rom. IX, 11, 12. *Unde*, inquit, *occurrit animo quærere, cur dixerit:* ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret? *Quomodo eſt enim juſta, aut qualiſcumque omnino electio, ubi nulla diſtantia eſt? Si enim nullo merito electus eſt Jacob, nondum natus & nihil operatus, nec omnino eligi potuit nullâ exſiſtente differentiâ, quâ eligeretur. Item ſi nullo meritò improbatus eſt Eſaü, quia & ipſe nondum natus & nihil operatus erat, cùm diceretur* &

major

major ſerviet minori, *quomodo ejus improbatio juſta dici poteſt?* &c.] Si hunc ipſum locum paullò attentiùs & , ut ita dicam, ἀκριβεστέρως conſideraſſet *Auguſtinus*, prolixam diſputationem quæ ſequitur, de electiona ſingulorum hominum compendii feciſſet, quippe quæ planè extra rem eſt. Liquidum enim eſt *Jacobum*, & *Eſavum* non ſpectari hic quaſi ſingulos quoſdam homines, de quorum converſione deliberet Deus; ſed quaſi conditores duarum gentium, quarum hanc, non illam ad ſui cognitionem vocaturus ſit & pro populo ſuo habiturus. Tota ſeries orationis, occaſióque diſputationis hoc clamant; ſed & ipſa illa verba, *major ſerviet minori*, Gen. xxv, 23. manifeſtò oſtendunt; nam hæc verba dicuntur non de hominibus, ſed de populis. *Duæ gentes ſunt*, inquit Deus ſciſcitanti Rebeccæ, *in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populúſque populum ſuperabit, & major ſerviet minori.* Ac ſanè Idumæi, quorum opes citiùs convaluerant, quàm Iſraelitarum, poſtea tamen iis ſervierunt; ſed ipſe Eſavus numquam Jacobo obnoxius fuit, cui terrori potiùs erat; ut ad eum Geneſeos locum oſtendit *Joannes Clericus.* Igitur ἀπροσδιόνυσα ſunt quæ quærit poſtea *Auguſtinus*, an electio Jacobi ſit ex præſcientia fidei, ac reprobatio Eſavi ex præſcientia contumaciæ, an fides inter dona Gratiæ numeretur &c. Attamen dum extra oleas ita vagatur oraculum Numidiæ, invenit, non ex inſtitutione Eccleſiaſtica, neque ex Paulo, qui ea de re hîc quidem nihil habet, *fidem eſſe donum Dei*; hoc eſt, ex ejus ſententia, naſci eam ex interno afflatu cui reluctari non licet, & qui pauculis tantùm electis conceditur, quamvis ſine eo nemo poſſit fidem ad finem uſque vitæ Evangelio habere. Presbyter hoc tam grande arcanum neſciverat, uti nec cùm Epiſcopus primùm factus eſt, ſed dum meditatur hæc reſponſa ad Simplicianum, invenit; atque ad hoc ſuum dogma poſtea Scripturam reluctantem licèt traxit; nullâ habitâ ratione nexûs orationis, ſignificatûs recepti verborum, quæſtionúmque ac controverſiarum, quæ inter Apoſtolos & Judæos agitabantur. Ita legebat Scripturam, quaſi ſingulæ periodi aut ſententiæ eſſent axiomata quædam Mathematica, cum ſuperioribus, ac ſequentibus minimè connexa, ſed quæ ſeorſim & per ſe poſſent explicari; & ſi quid occurreret quod ſpecioſæ declamatiunculæ occaſionem præberet, aut præbere videretur, id verò avidè arripiebat, & Punicæ eloquentiæ vela pandebat. Nullo in opere ſpecimen dedit illuſtrius mirificæ illius conſuetudinis, quam in hoc; ex quo tamen poſtea tot fluxere hallucinationes, quæ tolli potuiſſent, niſi vis & auctoritas remediis fuiſſent objectæ. Humilium enim, ſcilicet, oratorum illius ævi hæc fuit indoles, ut ad loquendum de iis quæ non intelligebant, nullo quamvis præſidio cincti, facillimè accederent; ſed difficillimè à præconceptis ſemel opinionibus poſſent revocari, quas anathematibus & edictis acerrimè tuebantur, ſi quis eas oppugnare auderet.

Libro II. *Quæſt.* iv. §. 2. ad quæſtionem quomodo Samuel per Pythoniſſam evocari potuerit, poſtquàm dixit Samuelis ipſius animum potuiſſe forte evocari, ſubjicit: *Quamquam in hoc facto poteſt eſſe alius facilior exitus & expeditior intellectus, ut non verè ſpiritum Samuëlis excitatum à requie ſua credamus, ſed aliquod phantaſma & imaginariam illuſionem Diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia ſolent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines ſunt.*] Cur non potiùs dixit loqui Scripturam illic ex ſententia Saulis, qui reverà Samuelem evocatum credidit? Cur etiam nihil de fraude Pythoniſſæ viro acuto ſuboluit, quæ tamen planè videtur os credulo & perterrito Saüli ſubleviſſe? Sanè ne ipſe quidem Saül vidiſſe narratur ſpectrum hoc; cujus nomine loqui facilè potuit ſubornatus quidam nebulo à Pythoniſſa. Sed vide hac de re acutum atque eruditum virum *Antonium Van Dale*, in Diſſertatione de Divinationibus Idololatricis ſub V. T. Cap. ix.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE OCTO DULCITII QUÆSTIONIBUS.

Quæſt. i. §. 6. AD locum 1. Cor. iii, 11. & ſeq. ſtatuit *fundamentum* eſſe fidem in Chriſtum, *aurum verò*, *argentum* & *lapides pretioſos* eſſe eximia quædam bona opera, *ligna vero*, *fœnum* & *ſtipulam* ea eſſe quibus carnale aliquid admiſtum eſt. Miror ei in mentem non veniſſe hîc agi de doctrina, & tot propoſitas quæſtiones homini, qui in re plana uſque adeò ceſpitabat, aut eum tam leviter in Scriptura verſatum tot quæſitis reſpondere ſuſtinuiſſe. O vacuam ſtudioſis Scripturæ Africam! O ſtupidos quibus hæc admirationi erant & qui tam verboſas diſputationes, ut nihil diſcerent, legere ſuſtinebant!

§. 13. *Tale aliquid poſt hanc vitam fieri incredibile non eſt, & utrum ita ſit quæri poteſt; & aut inveniri aut latère, nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quantò magis, minúſve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardius, citiúſve* (ſic lego, non *citiúſque*) *ſalvari; non tamen tales, de quibus dictum eſt: regnum Dei non poſſidebunt.*] Majore cum fiducia hac de re loquitur in Opere de Civitate Dei Lib. xxi. c. 13. Vide & quæ collegerunt Benedictini, in Præfatione ad *Hilarium* Cap. viii. Sanè ad affirmandum eſſe ignem purgatorium rectà deducebat conſuetudo jam recepta eo tempore orandi pro mortuis, de qua *Auguſtinus* ad Quæſtionem ſequentem. Quamobrem tandem opinio de pœnis purgatoriis, apud pleroſque Chriſtianos, decretis Synodorum conſecrata eſt; ne Eccleſiæ preces viderentur mortuis inutiles, quippe quæ nullis pœnis eos liberarent. De iis precibus ſuo loco aliquid dicemus.

Quæſt. vi. §. 2. *Item quæris, inquam, utrùm Spiritus immundus, qui erat in Pythoniſſa, potuerit agere ut Samuel à Saüle videretur* &c.] Vide notata ad Lib. ii. Diverſarum Quæſtionum ad Simplicianum Quæſt. iv.

DES. ERASMI CENSURA

LIBRI DE FIDE.

Libellus hic ex diverſis *Auguſtini* epiſtolis conſarcinatus eſt, maximè quod ad ſententias attinet. Probabile eſt hunc eſſe *Hugonis Victorini.*

AT hanc *Eraſmi* Cenſuram rectè confutarunt Benedictini. Quòd ſi quid decerptum hîc eſt ex Epiſtolis *Auguſtini*, nihil vetat id ab ipſo *Auguſtino* factum; qui ſe ipſe non ſemel exſcribit, in ſuperiore libello, quo Dulcitii quæſtionibus reſpondet.

Cap. I.

Cap. I. §. 3. *Certè enim ſi rebus non viſis credere non debemus, quandoquidem & nondum certiùs probatis amicorum cordibus credimus, & cùm ea malis noſtris bona probaverimus, etiam tunc eorum erga nos benevolentiam credimus potiùs quàm videmus.*] Adſcribunt Editores Pariſienſes margini *locum hunc perplexum eſſe & vitiatum*; ſed omnis difficultas, niſi fallor, tolletur ſi pro *quando*, legamus *quomodo*, & notam interrogationis fini periodi addamus: *niſi quia tanta fides eſt* (ſequuntur hæc proximè allata verba) *ut non incongruenter quibuſdam oculis ejus nos judicemus videre quod credimus; cùm propterea credere debeamus, quia videre non poſſumus?* Sic omnia ſunt plana, ut intelliget quiſquis periodum integram legere non gravabitur.

Cap. II. §. 4. *Omitto dicere quàm multa iſti, qui nos reprehendunt, quia credimus quæ non videmus, credant famæ & hiſtoriæ, vel de locis, ubi ipſi non fuerunt; nec dicant: non credimus, quia non videmus.*] At hoc fuit palmarium argumentum, quo adverſarios ad ſilentium adigere facilè potuit, idque ab omnibus non ægrè intelligendum, & rei, quæ hîc agitur, accommodatiſſimum; quandoquidem, ſi rem probè penſitemus, fides noſtra nititur potiſſimùm Evangelicæ hiſtoriæ veritate. Sed neſcio quomodo Veteres quæ firmiſſima erant rei Chriſtianæ fundamenta, ſæpe fermè negligunt, aut obiter certè attingunt; dum operoſè exponunt, quæ apud incredulos vim nullam habere potuerunt. Sic *Auguſtinus* copioſiſſimè de prophetiis agit, in ſequentibus, habetque quæ apud Chriſtianos cum fructu dici poterant, ſed apud incredulos pondus nullum habebant, cùm vix umquam ex vi vocum & nexu orationis, ſi cum homine veritatem Judaicæ & Chriſtianæ Religionis negante ſit nobis negotium, probare poſſimus ea vaticinia ad Chriſtum pertinere. Itaque apud incredulos his potiùs argumentis abſtinendum fuit, hiſtoriiſque utendum, quibus nihil ſanum reponi ab iis poterat.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE FIDE ET SYMBOLO.

Cap. III. §. 3. *Verbum autem Patris ideò dictum eſt, quia per ipſum innoteſcit Pater. Sicut enim verbis noſtris id agimus, cùm verum loquimur, ut noſter animus innoteſcat audienti, & quidquid ſecretum in corde gerimus, per ſigna hujuſmodi ad cognitionem alterius proferatur: ſic illa ſapientia, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipſam innoteſcit dignis animis ſecretiſſimus Pater, verbum ejus convenientiſſimè nominatur.*] Miror Catechumenis propoſitas res uſque adeò dubias, quaſi fidei capita. Nam ſi quis negaſſet *Auguſtino* vocem λόγον, apud Joannem, vertendam *verbum*, contendiſſétque eſſe *rationem*, quomodo contrarium probare potuit? Quin imò Platonicorum, quos magni faciebat, ſimiliáque Chriſtianis hac in re ſentire putabat, auctoritate premi potuit. Præterea ſi quis negaſſet munus eſſe Filii, ut animos per ſe illuſtraret, eo modo quem dicit *Auguſtinus*; quî probare potuiſſet quod hîc contendit, niſi fortè ex ſuis Platonicis, qui homines rationales eſſe putabant, participatione τοῦ Λόγου, quos tamen audire noluiſſet, de propria hujus vocis ſignificatione? Multa alia dici potuerunt, quæ omitto & quæ legi poterunt apud Joannis Interpretes ad Cap. I, 1. At eo tempore, ſi verum dicere velimus, non quærebatur tam quid eſſet verum, poſſetque contra quoſvis adverſarios firmis rationibus defendi; quàm quod vel levi probabilitate tinctum erat, & apud aures omnia admittere paratas ſpecioſè dici potuit. Legantur ſequentia, expendantúrque ab animo veritatis amante, & ni verum tuliſſe judicium dicar, abjiciantur hæ chartæ, tineiſque & blattis devorandæ permittantur.

Cap. V. §. 8. *Dono enim Dei, hoc eſt, Sancto Spiritu, conceſſa nobis eſt tanta humilitas tanti Dei, ut totum hominem ſuſcipere dignaretur.*] Scio & alios ſic loquutos, ſed profectò & Scripturæ Sacræ & rectæ Rationi planè contrarium eſt *humilitatem* divinæ naturæ tribuere. Virtus eſt hominis, quæ à Latinis *modeſtia* dicitur, ſed quæ Deo tribui non poteſt, ſine blaſphemiæ quadam ſpecie, cujus tamen incuſare *Auguſtinum* nolim. Locum ad Philippenſes II, 6. qui objici fortè poſſet intelligendum de natura humana Chriſti oſtenderunt *Hugo Grotius* & *Joannes Clericus* in Additamentis ad *H. Hammondi* Adnotationes ad Novum Teſtamentum. Quod factum ab æterna Ratione, quando *caro facta eſt*, id non humilitatis, abſit! ſed ſummæ bonitatis & munificentiæ ſpecimen fuit.

Cap. V. §. 11. *Credimus itaque in eum qui ſub Pontio Pilato crucifixus eſt & ſepultus. Addendum enim erat judicis nomen, propter temporum cognitionem* &c.] Tum nullâ mentione factâ *deſcenſûs ad Inferos*, proximè ſubjicitur: *credimus etiam illum* tertio die reſurrexiſſe à mortuis, *primogenitum conſequuturis fratribus* &c. Unde liquet, eo tempore in Symbolo Eccleſiæ Africanæ, ut & in Romano aliiſque abfuiſſe caput de *deſcenſu ad inferos*; quod tamen poſtea temerè conjunctum eſt. Vide quæ doctiſſimus omnium Interpretum Symboli *Joannes Pearſonus*, hac de re, in Anglica Interpretatione Symboli ſcripſit.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE FIDE ET OPERIBUS.

Cap. VII. §. 11. *Quidquid enim homo veluti rectè fecerit, niſi ad pietatem, quæ ad Deum eſt, referatur rectum dici non oportet*] Quomodo hæc intellexerit *Auguſtinus*, & quibus rationibus fretus ita loquutus ſit, quiſquis ſcire avebit, adeat Tomo x. Librum IV. contra Julianum c. 3. ubi multis hac de re agit. Conſulendus & Eminentiſſ. Cardinalis *Henr. Noriſius* in Vindiciis Auguſtinianis Paragr. IV. Attamen, ſi verum amamus, nemini hanc ſuam ſententiam perſuadebit *Auguſtinus*, qui quidem in nuda ejus auctoritate non adquieſcat, ſed rationes expendat. Nam certum eſt quæcumque fiunt, ſecundùm naturæ & Rationis rectæ impulſum, ea eſſe bona, quamvis revelatio non acceſſerit. Exempli causâ, colere parentes, eóſque omni ope adjuvare, miſerorum malis tangi & opitulari, caſtitatem colere, pudicè familiam educare & ſexcenta talia, quæ ſuadet recta Ratio, poſtulátque humanæ ſocietatis felicitas, recta ſunt & Deo placent, qui rectæ Rationis & humanæ Societatis non minùs auctor eſt, quàm revelationis. Qui ſine revelatione poſſunt damnari, ob delicta in rectam Rationem admiſſa, eoſdem neceſſe eſt & poſſe abſolvi, ſi rectæ Rationi obſequantur; quod docet etiam Paulus Rom. II, 14, 15. Nemo, qui rem expenderit, ſibi perſuadebit legem naturæ, à Deo per rectam Rationem latam, & per ipſam humanæ naturæ conſtitutionem confirmatam, perfractam aut obſervatam pariter damnare; nec pium erga parentes eſſe Deo gratiorem, quàm parricidam. Monſtra ſunt illa, ex contendendi & paradoxa defendendi libidine nata.

Cap. XV.

Digitized by Google

Cap. XV. §. 24. *Quapropter diligenter oportet attendere quomodo accipienda ſit Apoſtoli Pauli illa ſententia planè ad intelligendum difficilis, ubi ait :* fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere *&c.* 1 Cor. III, 11. & ſeqq.] Jam de hoc loco egit, in libello de quæſtionibus Dulcitii, nec tamen hic potuit ſe ſe expedire difficultate, quæ magna eſſe non poteſt, niſi oſcitanti. Liquet enim Paulum agere illic non de moribus, ſed de dogmatibus, cùm ſermo ſit de doctoribus; qualis ipſe atque Apollo, quorum ſe diſcipulos dicebant Corinthii, proptereáque in partes ibant.

ANIMADVERSIONES

IN ENCHIRIDION AD LAURENTIUM.

Cap. XI. §. 4. *QUid eſt aliud quod malum dicitur, niſi privatio boni?*] Eodem jure dicas Pœno Philoſopho : quid eſt aliud, quod virtus dicitur, niſi privatio vitii? Nam ſanè virtus; exempli cauſâ, fides, ſpes, caritas &c. non eſt magis habitus animi noſtri, repetitis actibus comparatus, quàm incredulitas, deſperatio, & odium proximi; nec effectus vitiorum ſunt minùs magni, quàm virtutum. Quod ſi dicas, detracto vitio, poni virtutem; ſimiliter dixero, detractâ virtute, poni vitium. Contrariæ hæc quidem ſunt, ſed non oppoſita, ut privatio & habitus, ignorantia & ſcientia. Verùm *Auguſtinus* comparatione hanc in rem utitur, quâ fortè quiſpiam negotium confectum putet. Non dicam comparatione rem veram & probatam illuſtrari tantùm, aut altiùs memoriæ infigi; non verò, ſi dubia eſt, probari; ſed ipſam comparationem expendam. *Nam ſicut*, inquit, *corporibus animalium nihil eſt aliud morbis & vulneribus affici, quàm ſanitate privari: ita & animorum quæcumque ſunt vitia, naturalium ſunt privationes bonorum, quæ cùm ſanantur non aliquo transferuntur; ſed ea quæ ibi erant nuſquam erunt, quando in illa ſanitate non erunt.* At morbi, aut vulnera non ſunt tantùm privationes ſanitatis; niſi quis dicat febrim, exempli cauſâ, cujus ſunt tot genera, & ſymptomata, quámque omnes norunt ſitam eſſe ut plurimum in motu extraordinario ſanguinis, meram eſſe privationem; quemadmodum motus, quamvis violentus, mera eſt privatio quietis. Quis ferret eo modo ratiocinantem? Quis dicat ſectionem muſculi aut nervi, effuſionem ſanguinis, luxationem aut fractionem oſſis meras eſſe privationes eorum quæ antea erant? Caprimulgis & foſſoribus hæc Philoſophia tradatur, non hominibus literarum ſtudiis expolitis. Quod addit vitia, cùm ſanantur, non aliò transferri, ſed nuſquam eſſe, tam valet ad probandum virtutem eſſe nihil, quàm ad oſtendendum vitium meram eſſe privationem; nam virtus, quam quiſpiam contrario vitio mutat, non aliquò transfertur, ſed nuſquam eſt. Quis in Metaphyſicis nonnihil exercitatus neſcit accidentia non transferri, cùm mutantur, aut intereunt, nec tamen eſſe merum nihil? Quàm hoc ſit manifeſtum nemo non videt, nec eo ſeciùs in tam mirifica argutie ſibi placet *Auguſtinus*, qui inter duo membra allatæ comparationis hanc parentheſin infarcit : *Neque enim id agitur, cùm adhibetur curatio, ut mala iſta quæ inerant, id eſt, morbi ac vulnera recedant hinc; & alibi ſint, ſed utique, ut non ſint. Non enim ulla ſubſtantia, ſed carnalis ſubſtantiæ vitium eſt vulnus aut morbus; cùm caro ſit ipſa ſubſtantia, profectò aliquod bonum, cui accidunt iſta mala, id eſt, privationes ejus boni, quod dicitur ſanitas.* Pariter ratiocinari queam ut probem, contra *Auguſtinum*, ſanitatem eſſe tantùm privationem morbi; nam quando propinatur, exempli cauſâ, venenatum poculum, ut ſanitas labefactetur, hoc non fit ut alibi ſit ſanitas, ſed ne omnino ſit. Quis præterea non miretur noſtrum hunc Philoſophum, quem uſque adeò acutum multi putant, ita loqui quaſi inter ſubſtantiam & nihil Ens nullum, ut philoſophicè loquar, intereſſet, accidentiáque omnia pro nihilo eſſent habenda? Si verum hoc eſſet, *ſanitas* & *virtus* habenda etiam eſſent nomina meri nihili, ſunt enim accidentium vocabula. Neſcio quid hiſce reponerent Manichæi; ſed ſi ita ſe confutari taciti patiebantur, valde ſtolidos fuiſſe oportet. Hiſce tamen uſque adeò non immorarer, niſi viderem & Scholaſticos, & alios acutiores Philoſophos, in accepto hoc à Veteribus commento, veluti de manu in manum, acquieviſſe. Propterea argutias Philoſophicas, quæ ſequuntur, non moror; quamvis parum idoneo loco ſint collocatæ; in Enchiridio quippe, quo *Laurentius* volebat non Metaphyſicas contemplationes, ſed Religionem Chriſtianam in ſumma capita contractam, breviterque explicatam habere. Sed hoc eſt hominum loquacium ingenium, ut quidvis quod ſe ſe animo objicit, quovis tempore & loco effundant.

Cap. XXI. §. 7. *In quibus autem rebus nihil intereſt ad capeſſendum Dei regnum, utrùm credantur an non; vel utrùm vera ſive ſint, ſive putentur, an falſa; in his errare, id eſt aliud pro alio putare, non arbitrandum eſt eſſe peccatum; aut ſi eſt, minimum eſſe ac leviſſimum.*] Si *peccatum* dici queat error, quo minùs Dei timentes, ac præceptorum ejus minùs obſervantes non ſimus; eſt *peccatum*, ut ita loquar, *Philoſophicum*, hoc eſt, delictum in leges Logicas, quæ, ſi ſemper à nobis obſervarentur, nos ab errore immunes conſervarent. Sed talia peccata, quibus non fit ut de Deo minùs magnificè ſentiamus, vel ut Evangelicis legibus minùs teneri nos putemus, non ſunt ea quibus Evangelica doctrina pœnas minatur. Itaque rectè in ſequentibus *Auguſtinus*, memoratis nonnullis innocuis erroribus : *in his atque hujuſmodi falſitatibus ſalvâ fide quæ in Deum nobis eſt, fallimur, & viâ non relictâ, quæ ad illum ducit erramus; qui errores, etiamſi peccata non ſunt, tamen in malis hujus vitæ deputandi ſunt; quæ ita ſubjecta eſt vanitati, ut approbentur hic falſa pro veris, reſpuantur vera pro falſis, teneantur incerta pro certis.* Hæc reputare ſecum deberent Theologi nonnulli, qui cùm magni *Auguſtinum* facere videri velint, attamen contendunt omnes errores eſſe peccata, omniáque peccata, ut Scholæ Theologi loquuntur, eſſe *mortalia*; unde, ut putant, ſequitur nullos errores ferri oportere, quandoquidem nulla lethifera peccata ferenda ſunt.

Ibidem, poſtquàm probavit omne mendacium eſſe peccatum, *plurimum quidem*, inquit, *ad bonum profeciſſe homines, qui non niſi pro ſalute hominis mentiuntur, non eſt negandum; ſed in eorum tali profectu, meritò laudatur, vel etiam temporaliter remuneratur benevolentia, non fallacia, quæ ut ignoſcatur ſat eſt, non ut etiam prædicetur* &c.] Videtur *Auguſtinus* loqui de *ſalute* æterna, ad quam nonnullis conciliandam multi tunc temporis mentiebantur, innumeris miraculis confictis; eum, ut dicebant, dumtaxat in finem, ut infideles ad fidem adducerentur. Eos non laudat *Auguſtinus*, ſed facilè iis ignoſcit; quòd frequens, ut quidem videtur, malum eſſet inter Eccleſiaſticos homines illius ævi. Sed dignum eſt obſervatu, primùm eos qui ſervandi proximi cauſa mentiebantur, ſæpiſſimè ex illo mendacio non contemnendum lucrum feciſſe. Exempli cauſâ, qui fingebant tot miracula in ſuis Eccleſiis fieri ope reliquiarum *S. Stephani*, ii ita ſe gerebant ut infideles, aut dubitantes de fide lucrifacerent; ſed eadem operâ oblationes ab iis accipiebant minimè ſpernendas; quis enim, ſi modò poſſet, non aliquid contuliſſet in uſum Eccleſiæ, quam tot ac tantis miraculis dignabatur Beatus Stephanus? Itaque ſine nimia malignitate, mentitos eos dixeris, non minùs ſpe lucri, quàm cupiditate ſervandi proximi. Certè qui ita mentiuntur digni non ſunt, qui meliores à nobis putentur. Secundò loco graviſſimum eſt

peccatum, in Deum, inque humanum genus, cùm certiſſimas rationes habeas, quibus infideles, ſi fieri id poſſit, ad credendum adducas, confugere ad mendacia; dehoneſtas enim planè veritatem, quam mendacio tueris; deinde eam in grave periculum conjicis, quia ſi fortè mendacium tuum retegatur, veritas ipſa in dubium revocabitur. Sed mendacii tam inimicus non erat *Auguſtinus*, quàm volebat videri.

Cap. XXX. *Hæc pars humani generis, cui liberationem Deus, regnúmque promiſit æternum, numquid meritis operum ſuorum reparari poteſt? Abſit.*] Quis *Auguſtino* non adſtipuletur? Nulla enim poſſunt eſſe merita malorum, dum mali ſunt, quæ Deo grata eſſe queant, ita ut propterea de iis ad ſe convertendis conſilium capiat. Pergit: *quid enim boni operatur perditus, niſi quantum fuerit à perditione liberatus? Numquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc abſit.* Hæc omnia vera ſunt, nemo enim malus rectè quidquam facit, quatenus malus eſt. Nemo etiam, qui non planè malus eſt, liberi arbitrii ſui *meritis reparari* poteſt; nulla enim illic ſunt merita, ſi rigidè loquamur, ubi venia opus eſt, nec ulli homini Deus ſalutem debet. Speciosa hæc ſunt dogmata, eadémque veriſſima, ſed videndum an ſequentia eis reſpondeant: *nam libero*, inquit, *arbitrio malè utens homo & ſe perdidit & ipſum.* Adamus quidem qui primus male uſus eſt libero arbitrio (immò verò ſolus, ſi *Auguſtinum* audiamus) ſe malo illo uſu in æternum perdidiſſet, niſi divina miſericordia delictum illud ei ignoviſſet; ſed nec perdidit liberum arbitrium, neque enim eâ ſolâ actione ſic neceſſariò peccator factus eſt, ut nihil boni ampliùs, niſi ineluctabili Dei gratiâ adjutus, facere poſſet. Nullo hoc Scripturæ loco conſtat, nec ratione ullâ nititur. Poſteri ejus etiam non ita amiſerunt, conſuetudine peccandi, libertatem, ut ſenſim jugum peccati, meliore contractâ conſuetudine, excutere non poſſint; niſi afflatu, interno cui reſiſtere nequeant, adjuventur. Fruſtra enim alioqui Deus eis leges ferret ſancitas præmiis & pœnis, quas ab iis minimè poſſe obſervari probè noſſet, niſi eos conſtanter afflaret, quod tamen erga omnes facere minimè conſtituit. Verùm hic non eſt locus confutandæ ejus ſententiæ; hoc tantùm diligenter memoriæ mandandum, quotieſcumque *Auguſtinus liberum* hominem agnoſcit, in libris poſt controverſias Pelagianas conſcriptis, id ex ejus ſententia valde impropriè intelligendum, cùm hîc diſertiſſimè doceat hominem & ſe & liberum arbitrium perdidiſſe. Audiamus & ſequentem comparationem: *Sicut enim*, inquit, *qui ſe occidit, utique vivendo ſe occidit, ſed ſe occidendo non vivit, nec ſe ipſum poterit reſuſcitare, cùm occiderit; ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amiſſum eſt liberum arbitrium.* A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt. (2. Pet. II, 19.) Ut comparationem aliâ comparatione eludam, dicam ut nemo fit in bello ſervus, niſi invitus, & quam primùm libertatem recuperare poteſt, occaſionem avidè arripit: ſic quoque hominem, qui ſe à peccato victum animadvertit, ejúſque ſervitutis incommoda ſentit, ſi quis eum meliùs doceat, peccato libenter valedicere. Sed ut Adamus uno peccato non potuit amittere omnem libertatem: ita nec unâ probâ actione peccandi conſuetudinem quiſquam delere poteſt. Vicit quidem peccatum, ejúſque ſervi facti ſunt homines, quia ei parere voluerunt; ſed nihil vetat ut nolint ei obſequi, præter conſuetudinem, quæ paullatim vinci poteſt; ut liquet ex eo quod Deus omnes homines ad pœnitentiam vocet. Ex loquutione tralaticia, qualis eſt *ſervire peccato*, non ita ratiocinandum quaſi ut captivus amiſit libertatem corporis, quam recuperare nequit dum victus eſt: ſic qui *ſervus* eſt *peccati*, numquam ejus dominationem excutere poſſet. Neque enim hominem captivum, catenisque vinctum, & carcere clauſum hortatur quiſquam ut excuſſis catenis carcere exeat, & niſi faciat indignatur; quia omnes norunt non eſſe hoc in ejus poteſtate. At homini nequam omnes indignantur, cùm nullam rationem habet adhortationum eorum, à quibus ad meliorem frugem revocatur; quia nemo putat eum ullâ neceſſitate teneri, quominùs malis moribus valedicat.

Pergit *Auguſtinus*: *Petri certè Apoſtoli eſt iſta ſententia, quæ cùm vera ſit, qualis quæſo poteſt ſervi addicti eſſe libertas, niſi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim ſervit, qui ſui Domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber eſt, qui peccati ſervus eſt.* At quò libentiùs peccato ſerviunt homines, eò magis ei ſunt addicti & mancipati; ſed eam ſervitutem ſenſim excutere poſſunt. Aliud eſt *liberaliter hero ſervire*, aliud *liberè ſervire*. Prius eſſe poteſt, ſi ſervus herum amet, ejúſque caritate libenter ad parendum adducatur; at poſterius eſſe nequit, quia repugnat liberum eſſe qui ſervit, ita ut ſervitutis jugum excutere non poſſit. Itaque ex ſententia *Auguſtini* negandum eſt ſervum peccati ullo modo liberum eſſe, ſi propriè loqui velimus. Verùm ille ſæpe impropriè loquebatur, quia paucorum aures aliter loquentem ferre poterant.

Unde, inquit, *ad juſtè faciendum liber non erit, niſi à peccato liberatus eſſe juſtitiæ cœperit ſervus. Ipſa eſt vera libertas, propter rectè facti libentiam* (aſſentior enim Benedictinis ita legentibus, pro *lætitiam* aut *licentiam*, ut habent aliæ Editiones & libri) *ſimul & pia ſervitus, propter præcepti obedientiam.* Hinc videmus regeneratorum, qui, ex *Auguſtini* ſententia, ineluctabili afflatu aguntur, nullam etiam eſſe propriè dictam libertatem, ſi illi credimus, ſed tantum parendi *libentiam*; quæ rhetoricè, non verè, libertas dici poteſt. Vox *libentia* occurrit apud *A. Gellium* Lib. XV. c. 2. *Cui libentiæ, gratiæque omnes conviviorum incognitæ ſint, quique illorum omnino expers ſit; ſi eum fortè ad participandas ejuſmodi voluptates aut voluntas tulerit, aut caſus induxerit, aut neceſſitas compulerit, deliniri plerumque & capi*; nimirum, dicit *Plato*. Similiter in Veteri Onomaſtico: *lubentia*, *ἡδονή*. Quæ quidem ſignificatio nonnihil diſtat ab Auguſtiniana, nam *libentiam* vocat eam affectionem animi, quâ libenter quidpiam facit; *Gellius* verò & *Onomaſticon* voluptatem; ſed tamen, non analogicè tantùm formatam vocem *libentia*, ſed & uſitatam oſtendunt. *Sed ad bene faciendum iſta libertas* (immò libentia) *unde erit homini addicto & vendito; niſi redimat, cujus illa vox eſt*: (Joan. VIII, 36.) Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis? *Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quiſquam de libero arbitrio in bono glorîatur opere, qui nondum eſt liber ad operandum bene, niſi ſe vanâ ſuperbiâ inflatus extollat?* Quam cohibet Apoſtolus dicens: gratiâ ſalvi facti eſtis per fidem. Epheſ. II, 8. Reverâ libentia illa rectè faciendi non naſcitur in homine malo, niſi liberatione Filii; qui præmiis & pœnis in Evangelio, cœleſtis veritatis luce fulgente, homines ſervituti peccati eripit, ſed nullâ tamen neceſſitate, ut nec ullâ neceſſitate eos in officio continet; quo modò non *libenter* tantùm bonis factis adhærent, ſed & *liberè*. Nec quiſquam poteſt jactare liberum arbitrium, antequàm eo rectè utatur; nec poſtquàm rectè uſus eſt gloriari tamen poteſt, ut oſtendimus ad Tom. II. Epiſt. CLXXV. §. 2. Fides ſanè *Dei donum* eſt, ſed invitis tamen non donatur; invitis enim rapere poſſis, invitis dare nihil poſſis. Ac ſanè Deus fidem dat, quòd ſit auctor doctrinæ quæ credenda proponitur, quod homines eam nunciaturos ad nos miſerit, & omnia fecerit quæ ad perſuadendam veritatem liberis creaturis à Deo fieri debuerunt. Verùm hæc ſatis, ſupérque de libertate, cetera quæ habet *Auguſtinus* non attingemus. Sed intelligere facilè licet bono viro multò plus cordi fuiſſe *Laurentium* controverſa illa ſua dogmata, quàm Chriſtianam Religionem, docere.

Cap. XCIV. §. 24. *Apertiſſimè námque Dominus dicit*: væ tibi, Corozaim; væ tibi, Bethſaida; quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. *Nec utique Deus injuſtè noluit ſalvos fieri, cùm poſſent ſalvi eſſe*, SI VELLENT.] Benedictini teſtantur viginti quinque Codices antiquos habere hîc SI VELLET, quemadmodum legit *Petrus Lombardus*, legendúmque cenſuerunt Lovanienſes, & alii. Ac ſanè ſententia ipſa *Auguſtini* & ſequentia ita legendum ſuadent. Senſus eſt: cùm poſſent ſervari ſi Deus voluiſſet, juſtè noluit eſſe ſalvos; quamvis rationem ejus rei

rei neſciamus, ſi cum aliis damnati non melioribus conferantur. Attameo editiones & undecim MSS. habent Si VELLENT, quòd, nimirum, exſcriptores aut Critici magis attenderent rem ipſam, & receptam ſuo tempore ſententiam, quàm *Auguſtini* mentem. Ac ſanè ſequentibus ſæculis, cùm totus fermè Occidens in Pelagianiſmum, aut Semipelagianiſmum (cur enim hoc diſſimularetur?) eſſet delapſus, nec tamen exuiſſet cæcam illam reverentiam, quâ ſuperiores ætates erant *Auguſtinum* proſequutæ; in eo ſententiam ſuam invenire voluerunt, ne eum damnare cogerentur, quem magni faciendum acceperant. In hoc præſertim loco, minùs acutis facilè perſuaderi potuit eſſe legendum *vellent*, quod *juſtitiæ* meminiſſet *Auguſtinus*; quæ nulla profectò eſt, ſi longè maxima pars hominum, culpâ Adami, cui Deus neceſſarium prorſus remedium afferre noluit, non potuerit velle ſervari. Vult tamen *Auguſtinus* ineſſe ei rei juſtitiam, ſed quam in altera demum vita intelligemus.

Eo faciliùs in errorem delapſi ſunt, quod *Auguſtinus*, ne Scripturæ contraria affirmare apertè videatur, interdum dicat homines ideò non eſſe ſervatos quòd noluerunt. Audi quæ habet Cap XCVII. *Quamobrem videndum eſt quemadmodum ſit de Deo dictum* (1. Tim. II, 4.) qui omnes homines vult ſalvos fieri. *Cùm enim non omnes, ſed multò plures non fiant ſalvi, videtur utique non fieri quod Deus vult fieri, humanâ, ſcilicet, voluntate impediente voluntatem Dei. Quando enim quæritur cauſa, cur non omnes ſalvi fiant, reſpondere ſolet, quia hoc ipſi nolunt.* Hæc erat, nempe, ſententia omnium Chriſtianorum, qui ſolebant ita loqui; eáque nixa iis quæ de bonitate & juſtitia Dei & recta Ratio & Scriptura docent. Nec ulla eſt in ea re difficultas, cùm enim Paulus dicit Deum *velle omnes homines ſalvos fieri*, hoc ita intelligendum non eſt, quaſi Deus vellet ipſe homines, nullâ ratione habitâ eorum voluntatis, volentes nolentes æternâ beatitate donare. Deus vult omnes homines ſalvos fieri, quia omnibus communem pœnitentiæ legem tulit, quâ obſervatâ ſalvi fieri poſſint, & quam reverâ obſervare poſſunt, ſi velint; & quia neminis animus uſque adeò depravatus eſt, ut beneficiis, quæ Deus in omnes homines ſpargit, paulatim certè emendari nequeat. Si lex quam fert Deus hominibus & ex qua pendet ſalus, obſervari ab iis non poſſet, quamvis homines vellent; aut ſi eſſent ita affecti ut voluntas illa parendi Deo naſci in iis non poſſet, niſi Deus eos afflatu ineluctabili movere dignaretur, quo nollet omnes dignari; tum verò negandus eſſet Deus homines omnes velle ſalvos fieri.

Subjicit *Auguſtinus*: *quod quidem dici de parvulis non poteſt, quorum nondum eſt velle, ſeu nolle.* Sed quis eum docuit parvulos damnari, cùm Chriſtus apertè dicat ad tales pertinere regnum cœlorum? *Sed apertiùs*, inquit, *Dominus in Evangelio, compellans impiam civitatem*: quoties, *inquit*, volui colligere filios tuos, ſicut gallina pullos ſuos, & noluiſti? *tamquam Dei voluntas ſuperata ſit hominum voluntate & infirmiſſimis nolendo impedientibus, non potuerit facere potentiſſimus quod volebat.* Sed aliud eſt velle præmio afficere obſequium naturarum liberarum, niſi ipſæ obſequi nolint; aliud facere ipſum ut creaturæ ſiant felices. Poſterius ſemper Deus facit, quando vult; prius non facit, quia non vult effectum dare, niſi volente creaturâ, cui ullam vim afferre noluit. Itaque inanis eſt exclamatiuncula, quæ ſequitur: *Et ubi eſt illa omnipotentia, quâ in cœlo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, ſi colligere filios Jeruſalem voluit & non fecit?* At quis neſcit Deum, propoſitis legibus, non uti omnipotentia ſua, ut obſerventur, quia vult iis liberè pareri? Quis ignorat, ſi Deus libertatis creaturarum nullam rationem habere vellet, poſſe eum quidvis ab iis extorquere? Itaque non minùs omnia Deus quæ vult facit, cùm vi creaturas, quibus libertatem conceſſit, non expugnat; quia hoc non vult facere. *An potiùs illa quidem filios ſuos ab ipſo colligi noluit, ſed ea quoque nolente, filios ejus collegit ipſe quos voluit? Quia in cœlo & in terra non quædam voluit & fecit, quædam verò voluit & fecit, ſed omnia quæcumque voluit fecit.* Sed quis non videt Chriſtum conqueri, quòd pertinaciam Jeroſolimitarum nullis adhortationibus, nullis miraculis flexiſſet? Alioqui ſi paucos quoſdam afflatu ineluctabili allicere tantùm ſtatuerat, idque effecerat, nihil erat quod quereretur. Deus omnia facit, quæ vult ipſe facere, quis negat? Sed non facit quæ vult à Creaturis liberè fieri, quia earum libertati vim non infert. Aut hoc eſt agnoſcendum, aut negandum, cùm nonnullis a Deo ullas leges ferri propriè dictas, ſed tantùm proponi Electis, quod ipſe in iis facere vult; ad Reprobatos verò quod attinet, Deum nolle eos legibus parere, quia probè novit eos non parituros, nec poſſe parere, ac eos damnatos cupit. Quæ omnia cum rationibus atque inſtitutis Chriſti & Apoſtolorum pugnant.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE AGONE CHRISTIANO.

Cap. XV. §. 17. NEC *eos audiamus, qui indignantur & ſtomachantur, quia non tres Deos colendos dicimus. Neſciunt enim quid ſit una eadémque ſubſtantia & phantaſmatis ſuis illuduntur, quia ſolent videre corporaliter vel animalia tria, vel quæcumque corpora tria locis ſuis eſſe ſeparata. Sic putant intelligendam ſubſtantiam Dei, & multum errant* &c.] Videtur eos intelligere, qui objiciebant Synodo Nicænæ *tritheiſmum*, quos etiam memorat *Gregorius Nazianzenus* Oratione XXXVII. pag. 600. ubi eorum objectioni reſpondere conatur. Vide hac de re ipſum quoque *Auguſtinum* de Trinitate Lib. VII. c. 4. &, ſi ita videatur, doctiſſimum virum *Dionyſ. Petavium* Dogm. Theologicorum Tom. II. Lib. IV. cap. II. ex editione Amſtelodamenſi, unde quid ſenſerit *Auguſtinus* ex notulis magis liquebit.

Cap. XX. §. 22. *Verbum in principio, per quod facta ſunt omnia, non ſic adſumſit hominem illum ut ceteros Sanctos; ſed multò excellentiùs, multòque ſublimiùs; quomodo ipſum ſolum adſumi oportuit, in quo Sapientia hominibus appareret, ſicut eam viſibiliter decebat oſtendi.*] Sapienter ſanè & ut Theologum decet, loquitur hic *Auguſtinus*, de ineffabili conjunctione divinæ Rationis cum homine; ſed poſtea exortis Neſtorianis controverſiis, cùm omnia odiis ac contentionibus arderent, dum volunt audaciores Theologi explicare quod neſciunt, omniáque novis nominibus inſignire, in tot difficultatum mæandros inciderunt, ut ſe ſe expedire nequeant, & riſum malè ſententibus moveant. Ante natas rixas, quidquid vulgò dici aliter hac de re ſoleat, meliùs & candidiùs homines loquuntur de rebus quæ poſtea in controverſiam veniunt, quia minùs affectibus præpediuntur, nec victoriam quærunt, ſed veritatem.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE CATECHIZANDIS RUDIBUS.

Cap. v. §. 9. *SI enim aliquod commodum exſpectando ab hominibus, quibus ſe aliter placiturum non putat, aut aliquod ab hominibus incommodum devitando, quorum offenſionem, aut inimicitiam reformidat, vult fieri Chriſtianus; non fieri vult, potiùs quàm fingere. Fides enim non res eſt ſalutantis corporis, ſed credentis animi.*] Editores Pariſienſes ita habere teſtantur melioris notæ MSS. Codices, non *ſalvandi corporis*; interpretantúrque, *ſalutem, ſeu adſenſum geſtu ſignificantis.* At malim interpretari *ſalutantis* hic, eodem ſenſu ac dicebant Latini *ſalutare Imperatorem*, hoc eſt, vocare. Senſus eſt fidem non eſſe corporis ſalutantis alium nomine *fratris* aut *Chriſtiani*, ſed credentis animi. In Veteribus Gloſſis *ſalutatio* non tantum ἀσπασμὸς, ſed & προσκύνησις vertitur. Ceterùm, eo tempore, facilè poterant Ethnici ſpe, aut metu adduci ut fierent Chriſtiani; nam Chriſtianis propoſiti erant honores in Aula, quos faciliùs adſequebantur, quàm Ethnicismo pertinaciùs adhærentes; propoſitæ erant & dignitates Eccleſiaſticæ, minimè contemnendæ. Contrà Ethnicis multa erant timenda, præſertim ſi avitæ Religionis ſtudio flagrantes à ſacris faciendis abſtinere nollent, quæ erant conſtitutionibus Imperatorum Chriſtianorum vetita.

Cap. IX. §. 13. *Noverint* (Grammatici aut Oratores qui catechizantur, cùm Chriſtiani fieri volunt) *etiam non eſſe vocem ad aures Dei, niſi animi affectum; ita enim non irridebunt, ſi aliquos antiſtites & miniſtros Eccleſiæ fortè animadverterint, vel cum barbariſmis & ſolæciſmis Deum invocare; vel eadem verba, quæ pronunciant, non intelligere, perturbatéque diſtinguere.*] Pigri ſanè fuerunt, & indigni qui publicè conciones ad populum haberent, aut preces coram eo funderent; qui cùm uni Linguæ Latinæ, nec ei Ciceronianæ, ſed qualem ætas illa ferebat, operam dare deberent, ne eam quidem ita diſcebant, ut ſine craſſioribus peccatis dicere, aut legere poſſent. Magnam verò & memorandam difficultatem diſcere bene loqui linguâ vernaculâ, cùm nullis aliis ſtudiis diſtineris! Sed quid facias illis ſæculis, quibus erant Epiſcopi, qui ne ſcribere quidem norant, ut liquet ex ſubſcriptionibus Conciliorum?

Capite x. & ſeqq. multis perſequitur cauſas tædii, quo Catechiſtæ afficiebantur, cùm rudiores erant inſtituendi; tum Catecheſeos duas formulas proponit; alteram longiorem, breviorem alteram, ad quarum exemplum poſſent ſacerdotes ſe componere. Non dicam eas parum accuratas eſſe deſcriptiones Religionis Chriſtianæ, & declamatiunculas potiùs extemporaneas videri, quàm elaboratas Chriſtianiſmi enarrationes; ſed mirum eſſe *Auguſtinum* auctorem non fuiſſe erudito Presbytero conſcribendi libelli, quem legendum præberet Catechumenis, & de quo poſtea quæſtiones eis proponeret; aut ipſe prælegeret, & explicaret, ut hodie fit. Commodius multò hoc fuiſſet & Catechumenis & Catechiſtis, quàm quod hîc habet.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE CONTINENTIA.

DES. ERASMI CENSURA.

Libellus pius, nec indoctus; *Auguſtini* non eſſe, phraſis arguit. Mihi videtur *Hugonis Victorini*. Sed vide Editores Pariſienſes, in admonitione huic libello præfixa, ubi *Eraſmum* confutant.

Cap. III. §. 6. *SEd aliud eſt bene pugnare, quando mortis contentioni reſiſtitur; aliud adverſarium non habere, quod tunc erit, quando mors noviſſima inimica deſtruetur.*] Rectè notarunt Monachi Benedictini reſpexiſſe *Auguſtinum* ad 1. Cor XV, 55. *ubi eſt mors contentio tua*; ſic enim citat *Auguſtinus* hunc locum, quaſi eſſet ſcriptum, ποῦ σου, ᾅδη, τὸ νεῖκος; non verò νῖκος victoria, ut eſt in noſtris codicibus. Non tantùm affinitas ſcripturæ, ſed & pronunciationis ſimilitudo fallere interpretem potuit. Attamen *Ambroſius* Epiſt. XLIV. ad Horontianum, ſic profert hunc locum: *ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors aculeus tuus?*

Cap. VI. §. 16. *Non autem poteſtas Deo defuit talem facere hominem, qui peccare non poſſet; ſed maluit eum talem facere, cui adjaceret peccare, ſi vellet; non peccare, ſi nollet: hoc prohibens, illud præcipiens; ut priùs eſſent bonum meritum non peccare, & poſtea juſtum præmium non poſſe peccare*] Hæc ſunt intelligenda non de ſolo Adamo, ſed & de quibuſvis hominibus, alioqui non ſolveretur objectio eorum, qui excuſabant peccata ſua, quòd Deo non diſplicerent, qui alioquin ea non pateretur. Non enim ſermo eſt de eo quod habuit Adamus, ſed de eo quod habent ſinguli homines, in ea conditione in qua nunc ſunt.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE BONO CONJUGALI.

Cap. II. §. 2. *SIve ergo, ſine coëundi complexu, alio aliquo modo, ſi non peccaſſent, habituri eſſent filios* &c.] Ea de re vide quæ ipſe comminiſcebatur *Auguſtinus*, in Opere de Civitate Dei Lib. XIV. c. 23. & 24.

Cap. XIII. §. 15. *Illis verò temporibus* (Patriarcharum) *cùm adhuc propheticis Sacramentis ſalutis noſtræ myſterium velabatur, etiam qui ante nuptias tales* (continentes) *erant officio propagandi nuptias copulabant, non victi libidine, ſed ducti pietate; quibus ſi optio talis daretur, qualis revelato Novo Teſtamento data eſt, dicente Domino: qui poteſt capere capiat; non eos dubitat*

(Lege

(Lege *dubitet*) *etiam cum gaudio ſuſcepturos fuiſſe, qui diligenter intentus legit quomodo conjugibus utebantur, cùm & plures habere uni viro licebat, quàs caſtius habebat, quàm nunc unam quilibet iſtorum, quibus videmus quid ſecundùm veniam concedat Apoſtolus*] Multùm in hoc commento ſibi placuit *Auguſtinus*, cùm id ſæpe repetat, & confidenter proferat; quia inſerviebat ad compeſcendos Manichæos, homines imperitos ac fatuos, qui ſolebant detrahere antiquis Patriarchis, propter polygamiam. Plura etiam ea de re habet, in ſequentibus. At qui legent Vetus Teſtamentum, paullò ſtudioſiùs, animadvertent facilè priſcorum Patriarcharum ætatem fuiſſe veluti veræ Religionis infantiam, in qua multa Deus tolerabat, quæ nunc adultâ Religione ampliùs non ferret; & in qua fidem ceteráſque virtutes probabat, pro modo revelationis & captu illius ævi. Illi ergo fuere inſtar ceterorum virorum, qui non tantùm prolem quærebant, ſed & cetera quæ in conjugio quæri ſolent, nec cogitabant de iis quæ nobis narrat *Auguſtinus*, & quorum in Vetere Teſtamento nec vola, nec veſtigium. Dolendum eſt eum paſſim non quod verum eſſe, accurato examine adhibito, compererat, ſed quod expediebat dici, & [illegible], apud imperitum vulgus, poterat tractari, protuliſſe.

Sed non poteſt non laudari quod habet Cap. XXIII. §. 29. *Majus eſt bonum obedientiæ, quàm continentiæ. Nam connubium nuſquam noſtrarum Scripturarum auctoritate damnatur, inobedientia verò nuſquam abſolvitur.* Unde meritò colligit ſi conjugata præceptis Evangelii fideliùs pareat quàm virgo, meliorem eſſe. Sed cenſet, ceteris omnibus paribus, præſtantiorem eſſe virginem, quàm nuptam; quod non ita videtur, nam uſu conjugii homines ingratiores Deo non fiunt, ſi ceteroqui reliquorum Evangelii præceptorum obſervantes ſint; quàm uſu ciburum bene conditorum, aut ſponte naturæ gratorum, quibus natura noſtra carere nequit.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE SANCTA VIRGINITATE.

Cap. IV. DE Maria Virgine: *ipſa quoque virginitas ejus ideò gratior & acceptior, quia non eam conceptus Chriſtus viro violaturo, quam conſervaret ipſe, præripuit, ſed priùs quàm conciperetur, jam Deo dicatam, de qua naſceretur elegit. Hoc indicant verba, quæ ſibi fœtum adnuncianti Angelo Maria reddidit*: Quomodo, *inquit*, fiet iſtud quoniam virum non cognoſco? *Quod profectò non diceret, niſi Deo virginem ſe ante voviſſet.*] Atqui ex hiſce verbis Mariæ, liquet potiùs in Angeli adnunciatione, verſ. 31. hoc comprehenſum fuiſſe, eam è veſtigio concepturam, antequàm cum viro, cui deſponſata erat, concumberet. Vide Luc. I, 27. Itaque inania ſunt quæ ſequuntur: *Sed quia hoc Iſraëlitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro juſto, non violenter ablaturo, ſed potiùs contra violentos cuſtodituro quod illa jam voverat.*

Cap. XII. §. 12. *Habeant conjugia bonum ſuum, non quia filios procreant, ſed quia honeſte, quia licite, quia pudicè, quia ſocialiter procreant, & procreatos pariter, ſalubriter, inſtanter educant, quia thori fidem invicem ſervant, quia Sacramentum connubii non violant.*] Hæc omnia maximi eſſe momenti nemo negarit, cùm ipſa ſocietatis humanæ fundamenta contineant, nec fieri recte poſſint omnia, ſine ſumma virtute. Pericula enim multa imminent conjugatis, multæ tentationes incumbunt, ex quibus ſe ſe, ut Chriſtianos decet, expedire ſemper non eſt facile. Ferenda ſæpe moroſa ingenia, reſiſtendum pravis conjugis cupiditatibus, occultanda ac molliter emendanda delicta aut conjugum aut liberorum; quod non eſt exiguæ moderationis, conſtantiæ & prudentiæ. Labore quærendi ſunt pleriſque patribus familias ſumtus, quos ſuppeditent uxori & liberis; gerenda eſt eorum cura, ne in nimia paupertate relicti tentationibus ſuccumbant; quæ ſine cujuſquam injuria facere, & æquo animo omnibus honeſtis laboribus defungi, eſt ſanè boni ac prudentis viri. Inter hæc omnia, divini cultûs meminorem eſſe, & ad Deum omnia referre, ſuiſque exemplum religionis eſſe, eſt hominis verè ſancti ac religioſi. At qui cœlibem vitam agunt nullius curam gerunt niſi ſui, nec indigent tanta virtute ad ſe ſolos ſuſtentandos, & viam virtutis calcandam, quæ multò minoribus periculis cincta eſt. Atqui, inquies, cœlibes ſpernunt voluptatem conjugii, qua in re magno animo opus eſt. Verùm ſi ea ſint temperatione corporis, ut conjugium non poſſint non appetere, malè faciunt qui ab eo abſtinent; nam *melius eſt nubere, quàm uri*. Quod ſi naturâ frigidiores nullo ejuſmodi appetitu tententur, exigua ſanè virtus eſt ab eo abſtinere, quod minimè cupias. Scio objici verba Pauli I. Cor. VII, 32. & ſeqq. ubi docet conjugatos anxios eſſe quomodo ſibi invicem placeant, deque rebus hujus mundi; cœlibes verò cogitare quæ Domini ſunt. Sed hæc non obſtant quominùs facilius ſit ac proinde minoris virtutis in cœlibe vita quæ ſunt Domini cogitare, quàm in conjugata, in qua multis neceſſariis curis homines diſtrahuntur; ad quas curas ita animum appellere, ut ſemper de præceptis Evangelii cogites, nec habitum ea perfringendi ullum contrahas, non eſt vulgaris ſanctitatis. Paulus habet quid vulgò fiat à conjugatis, non quid fieri debeat; & vice verſâ quid fieri debeat à cœlibibus, & facilè etiam fieri poſſit, non quid re verâ fiat. Cœlibatus alioqui non eſt res, quæ per ſe magis placeat Deo, quàm matrimonium; ſed is demum ei gratior, in alterutro ſit ſtatu, qui præceptorum ejus eſt obſervantior. Ea autem interdum incidunt tempora, quibus præſtat vitare connubium, quàm eo illaqueari; qualia ſunt tempora gravium perſequutionum, ut ætas Apoſtolica. Atque eò etiam reſpicit Paulus verſ. 26. ejuſdem capitis, ubi profitetur ſe ita loqui propter *inſtantem neceſſitatem*. Qui hæc probè expenderit non multum movebitur rhetoricis argumentis, quæ in hoc libro deinceps ſequuntur.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE BONO VIDUITATIS.

DES. ERASMI CENSURA.

MIRA dictionis facilitas, & candor clamitat non eſſe Auguſtini. Probabile eſt eſſe Juliani, cujus extat epiſtola ad Demetriadem de Virginitate. Nam & orationis filum congruit, & hic bis citat eum libellum. Sunt tamen quædam de libero arbitrio, quæ videntur

dentur ab alio correcta. Adde quòd titulus alieniſſimus ſit ab Auguſtini conſuetudine. Hunc affinxit aliquis, ut opuſculum alioquin pium, gratioſo nomini vindicaret. *Sed de hac Cenſura vide admonitionem Editorum Pariſienſium huic libro præfixam.*

Cap. ix. §. 12. IN *conjugali quippe vinculo, ſi pudicitia conſervetur, damnatio non timetur; ſed in viduali & virginali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur; quâ expetitâ & electâ, & voti debito oblata, jam non ſolùm capeſſere nuptias, ſed etiamſi non nubatur, nubere velle damnabile eſt.*] Ante omnia, oſtendendum fuiſſet Deum, alicubi in Novo Teſtamento, ſignificaſſe ſibi accepta eſſe talia vota; quod profectò mihi non conſtat; imò verò nihil tale uſquam haberi ſatis mihi conſtat. Deinde fac talia vota Deo accepta eſſe, ea demum accepta erunt quæ fient à mulieribus, quæ ſuæ temperationis ſibi probè conſciæ id pollicentur quod præſtare poſſunt, non quod nequeunt præſtare. Nam ſi juvencula quæpiam vidua, deſiderio nuper amiſſi viri confecta, & præ mœſtitia non ſatis ſui compos voveat perpetuam viduitatem; quam, ſedato luctu, intelligat ſe ampliùs ſervare non poſſe; an ejuſmodi temerarium votum gratum Deo erit? Non puto. Itaque ſupereſt ut veniam à Deo petat temerarii voti, & caſtum ineat connubium, potiùs quàm coacta votum temerarium ſervare, in perpetuo verſetur periculo, & uratur interea dum virum nacta ſit.

Sed Auguſtinus auctoritate Apoſtoli, hanc in rem, utitur: *Nam ut hoc demonſtret Apoſtolus, non ait, cùm in deliciis egerint, in Chriſto nubunt, ſed:* nubere volunt; habentes, *inquit*, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt; *etſi non nubendo, tantùm volendo, quia ipſæ nuptiæ vel talium damnandæ judicantur, ſed damnatur propoſiti fraus, damnatur fracta voti fides* &c. Sed ante omnia obſervandum Paulum agere, non de quibuſvis viduis, ſed de iis demum, quas Græci Diaconiſſas vocabant; quæ variis uſibus Eccleſiaſticis adhibebantur, oblationibúſque Eccleſiæ alebantur. Optandum erat has poſtea non nubere, multis de cauſis, & præſertim quidem quia non erat commodum Eccleſiæ ſubinde aliarum, atque aliarum miniſterio uti; timendúmque erat ne ſi nuberent Ethnicis, qualia ſine dubio multa fiebant tunc temporis matrimonia, noceret hoc Chriſtianis. Atque hoc omnino ſignificare videtur Apoſtolus hiſce verbis 1. Tim. v, 11. ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ, γαμεῖν θέλουσι, hoc eſt, *cùm enim immodeſtiùs ſe contra Chriſtum geſſerunt, nubere volunt.* Sententia eſt, ſi quid commiſerint, quod Chriſtianas viduas dedeceat, proptereáque caſtigentur, volunt nubere, Eccleſiæque valedicunt. Quod addit Apoſtolus eodem pertinet: *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Intelliguntur vulgò hæc verba de fide data Eccleſiæ, cui promiſerant ſe poſthac ea curaturas quæ iis committebantur; ſed neſcio an non de ipſa fide Chriſtiana ſint intelligenda, quam irritam facerent nubendo Ethnicis, quorum religionem ſequebantur. Certe hoc non ſignificari nullâ ſat firmâ ratione oſtendi poteſt. Scio ab *Auguſtino* aliter interpungi hunc locum, hoc modo: *cùm enim in deliciis egerint, in Chriſto nubere volunt*; ſed jam nemo paullò doctior dubitet an interpungendum ſit ut antea fecimus; nam ita neceſſariò Græcæ phraſeos ratio poſtulat.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS DE CONJUGIIS ADULTERINIS.

Libro I. c. I. §. I. PRima *quæſtio eſt* —— *quod ait Apoſtolus*: (1 Cor. vii, 10. & 11.) His autem qui ſunt in conjugio præcipio, non ego, ſed Dominus, mulierem à viro non diſcedere; quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari, & vir uxorem non dimittat; *utrum ita ſit accipiendum, ut eam prohibuiſſe nubere intelligatur, quæ ſine cauſa fornicationis diſceſſit à viro; id enim ſentis: an, ſicut ego ſenſi* —— *illas innuptas manere præceperit, quæ à viris ſuis eâ cauſâ receſſerint, quæ ſola permiſſa eſt, id eſt, fornicationis.*] Quamvis Paulus reſpiciat ad verba Chriſti, quibus vetat conjuges, excepto caſu adulterii, ſeparari; iiſque utatur ad impediendas diſſolutiones matrimonii, quæ quavis de cauſa fiebant apud Græcos ſuis legibus utentes; non ſequitur quod vult *Auguſtinus*, non licere adulterii causâ publico judicio ſeparatis novas nuptias contrahere. Nam quamvis ex legibus Chriſti non liceret, ulla de cauſa præter adulterium, dimittere conjugem; non ſequitur Græcos, recens ad Chriſtianam Religionem adductos, priſtinis moribus non eſſe interdum abuſos. Hoc ſatis indicat Paulus cùm dicit, *quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam*; nam hinc liquet ejuſmodi diſceſſum non probari Apoſtolo. Sed conſulendi recentiores Interpretes ad locum Pauli, & alios Novi Teſtamenti, quos hanc in rem profert *Auguſtinus*, longum enim eſſet omnes ejus παρερμηνείας excutere.

Libro II. Cap. vi. §. 5. *Nonnulli modicæ fidei, vel potiùs inimici veræ fidei credo metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus ſuis, illud quod de adulteræ indulgentia Dominus fecit auferrent de codicibus ſuis, quaſi permiſſionem peccandi tribuerit qui dixit*: jam deinceps noli peccare, *aut ideò non debuerit à Medico Deo illius peccati remiſſione ſanari, ne offenderentur inſani.*] Videtur indicare *Auguſtinus* abraſam à Codicibus eam ſolam particulam quam memorat. Mirum eſt *Auguſtino* non innotuiſſe integram hiſtoriam defuiſſe in pleriſque exemplaribus Græcis. Ac ſanè *Theod. Beza* & *H. Grotius* oſtenderunt graves eſſe rationes dubitandi de tota hacce hiſtoria. Vide & quæ adnotata ſunt à *Joanne Clerico*, in additamentis *H. Hammondi.*

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE MENDACIO.

Cap. v. §. 7. DE exemplis eorum qui in V. Teſtamento mentiti dicuntur: *credendum eſt*, inquit, *illos homines, qui propheticis temporibus digni auctoritate fuiſſe commemorantur omnia quæ ſcripta ſunt de illis propheticè geſſiſſe atque dixiſſe; nec minùs propheticè iis accidiſſe quæcumque ſic acciderunt, ut eodem prophetico ſpiritu memoriæ litteriſque mandanda judicarentur.*] Neſcio cui *credendum* hoc velit *Auguſtinus*, nam ſanè nuſquam Scriptores Sacri hoc ſibi credi voluerunt. Hiſtoria optimorum quorumque qui temporibus propheticis vixerunt, hiſtoria eſt non prophetia; nec diſſimulat vitia & delicta Patriarcharum & Prophetarum ipſorum, ut Davidis; non quia ea vitia, delictáve habent aliquid propheticum, ſed quia hoc poſtulat veritas hiſtoriæ, & lectorum etiam utilitas. Hinc enim intelligimus quantâ diligentiâ cavendum

Digitized by Google

vendum ſit à peccato, in quod inciderunt etiam viri alioqui laudati; & ſi fortè, per imprudentiam infirmitatemque in id delapſi fuerimus, non eſſe deſperandum de miſericordia divina. Præterea ſi leges Veteris Teſtamenti & leges Novi comparemus, intelligemus facilè antiquis temporibus fuiſſe veluti Religionis infantiam, in qua multa ferebantur, quæ nunc minimè ferrentur; eritque cur Deo gratias agamus quòd nos ampliori luce donaverit, majoribúſque aut certè clarioribus promiſſis nos à peccando revocaverit. Hæc aliáque, quæ per ſe patent, & ex rebus ipſis neceſſariò naſcuntur dicenda ſunt potiùs, quàm fingamus quidlibet, ut allegoricè ſimpliciſſimas hiſtorias interpretemur.

Subdit *Auguſtinus*: *De obſtetricibus autem* (de quibus Exod. 1, 19.) *quia eas non poſſunt dicere prophetico ſpiritu ſignificandi futuri veri gratiâ, aliud pro alio renunciaſſe Pharaoni; etiamſi aliquid, ipſis neſcientibus, quod per eas actum eſt ſignificavit, pro gradu ſuo dicunt approbatas & remuneratas à Deo. Qui enim, nocendi causâ, mentiri ſolet; ſi jam conſulendi causâ mentiatur, multum profecit.* Verùm quod facto obſtetricum aliquid ſignificatum ait *Auguſtinus*, eorum nomine quorum ſententiam refert, id quid eſt, præter ſomnium? Si talibus, quæ omni veriſimilitudine deſtituta ſunt, pondus tribuatur, quid tandem habebitur leve? Sed ſunt multa quæ & dicuntur & repetuntur, dumtaxat quia aliquando à celebri Scriptore prolata ſunt, à quo auctoritatem trahunt; quamvis negata ab aliquo, qui ſine argumentis perſuaderi merâ auctoritate fallacium hominum ſibi nihil patitur, abeunt in auras. Deinde quis non videt mendacium obſtetricum, quod prolatum erat non eo fallendi animo, ut fallacia noceret & quod nocere reverâ nemini poterat, cùm præſertim nulla alia ratio eſſet vitæ infantium conſulendi, maximum fuiſſe officium humanitatis? Nemo certè non eo modo delinqueret, & delinquere ſe debere cenſeret, ſi ſe ejuſmodi occaſio daret. Ponenda ſunt tantùm tria quæ diximus, primum eſt nullum eſſe oportere animum nocendi mendacio; alterum ejuſmodi debere eſſe mendacium, quod nocere reverâ non poſſit; tertium denique non eſſe aliam viam, quâ imminens malum vitetur. In hiſce ſane circumſtantiis licitum eſſe debet mentiri, ſi non illicitum ſit joco mentiri, quod per *Auguſtinum* licet. Vide Cap. II. Nec putes qui uſque adeò ab utili & neceſſario mendacio abhorrere ſe dictitabant, tam rigidos fuiſſe veri ſatellites, ut numquam emolumenti causâ mentirentur. Contrarium perſuadent tot ficta miracula, ad venerationem plebis quibuſdam Eccleſiis ac Baſilicis conciliandam, tótque rhetoricæ fictiones in diſceptationibus cum hæreticis, quæ in multis Scriptoribus utramque paginam faciunt. Sed, ſi liceat id quod ſuſpicamur proloqui, non alia de cauſa multi in licita mendacia, qualia deſcripſimus, tam acriter invehebantur, quàm ut poſtea in rem ſuam fructuoſiùs mentirentur. Simpliciores enim homines non ſuſpicabantur ab iis ſibi fucum fieri, qui tam infenſos profitebantur ſe mendacio. At à tot ſæculis videmus, mutatis dumtaxat perſonis, eam fabulam agi, hominéſque omnium ſæculorum tam multis in rebus ſibi ſimiles eſſe; ut jam tandem prudentiores eſſe debeamus, aut digni ſimus qui ludibrio habeamur, & vel à Cappadocibus fallamur.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM CONTRA MENDACIUM AD CONSENTIUM.

Cap. VII. §. 17. *SI propterea juſta ſunt, non qualiacumque, ſed blaſphema mendacia, quia hoc animo fiunt ut occulti hæretici detegantur; poterunt iſto modo, ſi eodem animo fiant caſta eſſe adulteria.*] Meritò ſanè invehitur *Auguſtinus* in eos, qui improbè ſimulabant ſe eſſe Priſcillianiſtas, ut eos quos putabant occultare apud animum ſuum hæreſin Priſcilliani, retegerent. Etenim animo nocendi miſeris Priſcillianiſtis hoc fiebat, ut cum iis Legibus contra Hæreticos latis ageretur. Hæretici autem habendi erant, ex Lege Arcadii anno CCCXCV. lata, *qui vel levi argumento à judicio Catholicæ Religionis & tramite detecti fuerint deviare.* Eſt XXVIII. Tituli V. Lib. XVI. Codicis Theodoſiani. Deinde impium fuit ſimulare ſe eſſe Priſcillianiſtam iis, qui opiniones Priſcilliani pravas eſſe putabant; quales re verâ erant, ſi eæ fuerunt quæ à Scriptoribus Eccleſiaſticis ſcribuntur. Noxium autem fuit veritati & contrarium divinis præceptis veritatem in re gravi non profiteri, ac proinde ne ea quidem de ratione talia mendacia innoxia haberi potuerunt.

Cap. XVIII. §. 37. Poſtquàm quæſivit an patri ægrotanti ſit dicendum filium eſſe mortuum, ne pater triſtitiâ moriatur, ſubdit: *hinc accedit, ubi miſerabiliùs ejulandum eſt, quod ſi conceſſerimus pro ſalute illius ægri de vita filii ejus fuiſſe mentiendum, ita paullatim, minutatimque ſuccreſcit hoc malum, & brevibus accesſibus ad tantum acervum mendaciorum ſceleratorum ſenſim ſubintrando perducitur, ut nunquam poſſit penitus inveniri, ubi tanta peſti per minima additamenta in immenſum convaleſcenti poſſit obſiſti.*] Sed huic mendaciorum decurſui modus facilè imponitur iis, quæ ad ſuperiorem librum notavimus; ſi, nempe, numquam mentiamur, niſi ubi mendacium ita prodeſt alicui, ut numquam nocere, ulla in re, poſſit, & quidem ita ut neceſſitate eò adducamur. Ac ſanè pii, qui mendacio utili & neceſſariò aliquando uſi ſunt; noluiſſent tamen pejerare, blaſphemare aut quidquam aliud facere quod divinâ lege prohibitum ſit; multóſque etiamnum hodie ſic affectos eſſe puto. Hoc poſito, corruunt quæ paratragœdiatur Orator Numida, ſi ſemel concedatur aliquando licere mendacio uti, fore ut ad perjuria & blaſphemias, imò & ad ſtupra deveniatur: cùm hæc prodeſſent iis, in quorum gratiam admittentur. Talia contendimus ſemper eſſe mala, nec umquam poſſe prodeſſe, quicumque fingatur caſus; nec eſt ejuſdem naturæ mendacium in indifferentibus ſitum rebus, quæ ad virtutem, aut veritatem in genere ſpectatam nihil faciunt. At damnat, inquies, Scriptura uti ſtuprum, ita & mendacium. Nimirum, noxium, & quod fit animo nocendi; nam hoc ſemper eſt contrarium humanæ ſocietatis legibus, quemadmodum & ſtuprum. Exempli causâ, verba Pſaltæ Pſ. V, 6, 7. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium, virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus*; quis dubitet ſpectare fraudulentum mendacium, in detrimentum perniciemque aliorum excogitatum? Verùm hæc ſatis ſuperque.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE OPERE MONACHORUM.

NOtum eſt per Orientem, pérque Africam, ubi primùm ingentia Monachorum examina eſſe cœperunt, initio eos in ſolitudinibus ſuis manibus laboraſſe, ut tenuem ſaltem victum ſibi compararent. Sed

cùm

cùm in urbes irrumpere cœperunt, maluerunt, labore illo ſellulario omiſſo, ex oblationibus religioſorum hominum vivere; ex quibus tandem, ut videmus, maximas opes ſibi conflarunt, præſertim antiquiores Ordines. Contra hoſce homines hoc opuſculum, rogatu Aurelii Carthaginienſis Epiſcopi, ſcripſit *Auguſtinus*; cujus argumentum optimè expreſſerunt Monachi Benedictini. *Primùm*, inquiunt, *demonſtrat Apoſtolum dediſſe ſervis Dei præceptum & exemplum faciendi operis corporalis, quo victum & veſtitum ſibi procurarent. Deinde oſtendit Evangelica illa præcepta, unde ſuam Monachi illi non ſolùm deſidiam, ſed etiam arrogantiam fovebant, apoſtolico præcepto non eſſe contraria.* Candidè ſanè, nec poſſunt non laudari, qui *Auguſtini* præceptorum memores honeſtiori multò & animi & corporis labori operam dederunt; intelligo editiones Patrum, quas magno ſtudio curarunt. Nam tametſi eo labore victum ſibi non compararunt, quòd ex prædiis & latifundiis ſat amplos fructus percipiant quibus ſe ſe ſuſtentent, attamen omnibus digni viſi ſunt, qui iis fruerentur, quicumque Litterariam Rempublicam ita juvarunt; & præſertim quidem ii, qui Monaſticæ modeſtiæ memores probum neminem momorderunt, dum de omnibus bene mereri videri volunt. Sed quid fiat tot fucis & mendicis, de quibus *Eraſmus* in Dedicatione ad Cardinalem Fonſecam? Ii ſanè legant & relegant hoc opus *Auguſtini*, ut ſi erudito labore ſibi de neceſſariis proſpicere nequeant, aut digni eſſe quibus ab aliis proſpiciatur, manuum ſuarum operâ hanc in rem utuntur.

ANIMADVERSIONES
IN LIBRUM DE CURA PRO MORTUIS.

Cap. 1. §. 2. PRolato loco 2. Cor. v, 10. ubi ita Apoſtolus: *Omnes enim adſtabimus ante tribunal Chriſti, ut ferat unuſquiſque ſecundùm ea, quæ per corpus geſſit, ſive bonum, ſive malum*; ex quo ſingulorum poſt mortem ſortem prorſus pendere ex anteactæ vitæ ratione, liquet, unde ſequebatur preces pro mortuis inanes eſſe; ſic reſpondet *Auguſtinus*: *hæc ita ſolvitur quæſtio, quoniam quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore vivitur, ut aliquid adjuvent iſta defunctos; ac per hoc, ſecundùm ea quæ per corpus geſſerunt, eis quæ poſt corpus religioſè pro illis facta fuerint adjuvantur.* Sed locum aliquem Scripturæ, aut revelationem certam hanc in rem proferri oportuit; quî enim norat *Auguſtinus* hoc velle Deum, ut preces Eccleſiæ proſint poſt mortem nonnullis; cùm altum ſit ea de re ſilentium, & ubique ad mores præteritos defuncti ſors ejus poſt mortem teferatur? Non enim ſatis eſt ut poſſit hoc fieri; quàm multa enim Deus non vult, quæ potuiſſet velle? *Sunt enim*, inquit, *quos nihil omnino adjuvant iſta* (Eccleſiæ pro iis defunctis deprecationes) *ſive pro iis fiant quorum tam mala ſunt merita, ut neque talibus digni ſint adjuvari; ſive pro iis quorum tam bona, ut talibus non indigeant adjumentis.* Nihil veriùs, nam quos apertè damnant Leges Evangelicæ, ii, propter preces ſuperſtitum, ſervari nequeunt; & quos apertè ſervatos volunt, ii non minùs ſervabuntur, ſi taceant ſuperſtites, quàm ſi orent. Sed judice *Auguſtino*, ſunt medii quidam generis, quibus proſunt preces Eccleſiæ; at hoc probandum ei fuit, nam Deum orare ut iis ignoſcat, de quibus nihil promiſit, eſt verba perdere, & fortaſſe etiam eum offendere, qui coli vult non ut hominibus videtur, ſed ut ipſe juſſit. Adfert tamen poſtea Hipponenſis Epiſcopus locum Macch. xii, 43. & *in Machabæorum*, inquit, *libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium.* Sed ubi Lex talia ſacrificia juſſit, aut ubi Deus ſe adinventis ab hominibus ſacris propitium fore promiſit? Nuſquam. *Sed*, inquit, *etſi nuſquam in Scripturis veteribus* (adde & novis) *omnino legeretur, non parva eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* At quis docuerat *Auguſtinum*, à temporibus Apoſtolorum nullas pravas opiniones, ac conſuetudines ſenſim irrepere potuiſſe? Nullum Dei legitur, hanc in rem, promiſſum; eadémque eſt ratio hominum in Rempublicam Eccleſiaſticam, ac in Civilem coëuntium, nec in hanc, magis quàm in alteram, malæ conſuetudines ſenſim irrepere poſſunt. Quod eò faciliùs contigit, quòd cum quibuſdam conſuetudinibus magnum & certum lucrum Eccleſiaſticorum eſſet conjunctum; qualis eſt deprecatio pro mortuis, quæ nunc magno ære, per totum Occidentem, redimitur. De origine precum pro mortuis vide Joan. Fellum ad Ep. 1. *Cypriani*.

ANIMADVERSIONES
IN LIBRUM DE PATIENTIA.
DES. ERASMI CENSURA.

Auguſtini non eſſe, phraſis arguit, congruens cum ea quam habent libelli ſuperiores.

S*Ed vide de hac Cenſura Admonitionem huic libro ab Editoribus Pariſienſibus præfixam.*

Cap. 15. §. 12. *Sed vera patientia, quæ hujus eſt nomine digna virtutis quærendum eſt unde ſumatur. Sunt enim qui eam tribuant viribus voluntatis humanæ, non quas habet ex divino adjutorio, ſed quas ex libero arbitrio*] Ex quo *Auguſtinus* cœperat cum Donatiſtis & Pelagianis digladiari, eos [illegible], [illegible], ubique aggreditur & inſectatur, etiam ubi ſimile nihil exſpectares: quemadmodum *Cicero* Catilinariæ factionis reliquias. Ac ſanè facile erat; nam ſemper eadem repetebantur, eadémque invidia miſeris conflabatur. Sic hîc ita diſtinguit *adjutorium* Dei, à *libero arbitrio*, quaſi hoc quoque non eſſet donum Dei, minimè patientis hominem in immedicabilia prorſus vitia incidere, quia beneficio facultatum à Deo acceptarum ſemper poteſt homo ea, ſi non ſubitò, at ſenſim vincere. Ita infamat Pelagianos, quaſi negarent implorandum auxilium divinum, cùm ſe id implorare profiterentur, atque ex doctrina ſua omnino deberent. Sed hæc alibi jam attigimus, & fortaſſe copioſiùs commodiore loco perſequemur. Nunc ſatis ſit morem *Auguſtini* indicaſſe, ne quis dubitet an ejus ſit hic libellus.

DES. ERASMI CENSURA
IN SERMONES AD FRATRES IN EREMO.

ORatio conſarcinata ex Auguſtini regula, nihil alioqui habens Auguſtini. Artifex qui finxit, hoc agit, ut ordinem qui Auguſtinenſium dicitur, orbi commendaret. Itaque quotquot ſunt hujus generis, ο præfixo notavimus.

Quoniam Benedictini omnes hoſce ſermones, quorum pleriſque ο præfixerat Eraſmus, exceptis duobus, obelo critico jugularunt, nihil opus indicari eos, quos vir ſummus damnarat.

ANIMADVERSIONUM IN TOMUM VI.

FINIS.

ANI-

ANIMADVERSIONES IN TOMUM SEPTIMUM S. AUGUSTINI.

JOANNES LODOVICUS VIVES INCLYTO PRINCIPI HENRICO VIII. ANGLIÆ REGI, HIBERNIÆ DOMINO, &c.

S. D.

ITA comparatum eſt naturâ humanorum ingeniorum, CLARISSIME REX, ut illos demum verè & ex animo admiremur, quos in ea præſtare videmus arte, quæ maximè nobis inter omnes placet, ac probatur. Alii aliis dediti ſunt ſtudiis ac exercitamentis. Sic ſert natura rerum, ut hac varietate ſpecioſus ac mirabilis conſiſtat mundus: & tamen, ut inquit ille, *Suum cuique pulchrum.* Jam olim opibus & imperio tam latè patenti, non armis & ſanguine quæſito, ſed a parentibus per manus tradito, & robore animi corporiſque, & virtute bellicâ, tum carus eras omnibus, tum etiam ſuſpiciendus. Nunc verò poſtquam etiam, quantum ingenii viribus ſtudiiſque ſapientiæ valeres, documenta dediſti, major litteratis omnibus cœpiſti eſſe, ac admirabilior: non quin te antea permagni æſtimarent: præſertim cùm regno, cujus poteſtas majeſtaſque eſt in terris ſecundùm Deum maxima, animi clementiam probitatemque adjunxeris, quo verior fieres expreſſiorque naturæ principis imago: qui ut maximus, ita eſt & optimus: ac prius quidem optimus, quàm maximus. Sed qui ſtudiis dediti non perinde vel divitias ſuſpiciunt, vel potentiam, quod eſſes quidem bonus, id in te complectebantur, & amore proſequebantur ingenti: quòd Rex eſſes, non ita admirandum ducebant, cùm & ſceleſti homines ſæpe Reges fuerint, corporis etiam dotibus inſignes. Ubi vero tua Sacramentorum adſertio prodiit, qua nihil vel elegantius fieri poteſt, vel purius, vel ſanctius, & uno uti verbo dicam, Chriſtianius, opinio probitatis animi tui confirmatior reddita eſt: ſi modò id fieri poterat: nam certiſſima firmiſſimáque in omnium animis erat multis exemplis velut clavis infixa, & admiratio jam apud omnes ſuborta. Nempe & apud illos, qui amplius auguſtiuſque nihil putant poteſtate regia, & eos qui divitias ſupra res univerſas conſtituunt: & qui corporis muneribus, formæ, lacertis, agilitati plurimum tribuunt: & qui belli artium ſunt ſtudioſi, velut omnipotentis ac rerum Domini: quo fit ut certatim Principes omnes amicitiam tecum, quibuſcumque poſſint rationibus viiſque, ambiant: omnes tibi ſive fœdere, ſive, quod optatius eſt, ſanguine jungi affectantes. Nec privatorum tibi ſtudia deſunt, quæ ipſe fulgore tuarum virtutum facis: alios liberalitate ſeu magnificentiâ potius alliciens, alios humanitate ac ſuavitate morum, cunctos prudentiâ atque juſtitiâ, duabus verè regiis virtutibus. Qui cùm talis ſis, profectò impudentiam meam fateor, ſæpenumero tibi innoteſcere affectavi: quoniam, hæc eſt mea ſententia, laus non mediocris tibi vel notum eſſe. Et cùm aliàs ſemper defuerit occaſio, nunc ſeipſa ſponte obtulit, paratis à me in Auguſtini libros de Civitate Dei Commentariis, quos cum diſpicerem cui dicare ſic poſſem, ut tum aliquam ipſe laboris mei gratiam inirem non omnino contemnendam; tum cui dicarentur, non perinde litteras dari exiſtimaret, ac ſtipulas, & libros, ac ſarcinas capſarum moleſtas: tum etiam ceu ad cenſorem graviſſimum mitterem; qui unus ſi approbaſſet, ſuffragiis omnium probati commendatique viderentur, ipſe multis nominibus rationibuſque occurriſti. Primùm, quod ea es virtute ac doctrina, ut tibi etiam dicaſſem, ſi privatus eſſes. Deinde quod viam hanc expeditiſſimam cernebam, qua voti facilè compos fierem jam pridem concepti & nuncupati. Accedit huc, quòd, quemadmodum experti narrant, obvius es ac expoſitus hujuſmodi muneribus: quibus gratiora vix tibi ulla poſſunt contingere. Nam aurum, argentum, gemmas, veſtes, equos, arma tibi qui offerat, plane mari, quod ajunt, aquam, aut ſaltibus ligna. Et profectò ut aliis in rebus omnibus, ita in hoc quoque prudentiſſimè agis, qui dignam vir-

tute ac meritis tuis apud poſteros gloriam libris doctorum hominum parari cogites: ſi non meis aut mei ſimilium, certè facilem te & perhumanum litteratis exhibendo, in aliquem incides, cujus ſtilo, ceu penicillo quodam eruditiſſimo, effigies iſtius præſtantiſſimi atque optimi animi depicta & formata immortalitati commendetur: nec ullo oblivionis operiatur ſitu, aut vetuſtatis injuriâ corrumpatur, & memoratu digna non taceat poſteritas virtutum teſtis incorrupta, ſimul in gloriam tui jam olim cœlo redditi, quamvis leve hoc & negligendum, ſimul quod magnum in primis eſt, & optandum in exemplum eorum, qui tunc vivent. Præter hæc omnia congruit ſive ingenio, ſive ſtudiis tuis hoc Opus, in quod Auguſtinus optimam eorum partem, quæ apud veteres legerat auctores, tamquam in theſauros conjecit: nempe, cum omnibus acutiſſimis, ſumma præditis & eloquentia & doctrina diſputaturus. Quo factum eſt, ut aliud agens magis optimarum rerum ſervarit reliquias domiciliis earum, & quaſi ſedibus, unde priùs peti ſolebant, everſis. Itaque pro Varrone, pro Salluſtio, pro Livio, pro Cicerone in libris de repub. magni poſterioris ætatis viri hiſce Auguſtini ſcriptis ſunt adjuti: ut Hermolaus, Politianus, Blondus, Beroaldus, quæ tu omnia non ita leges, ut nova tibi & inaudita, ſed ut vetera recognoſces. Adde, quod Auguſtini tuumque ſcribendi inſtitutum eodem propemodum videntur pertinuiſſe. Nam ut tu contra Babyloniam pro meliore illa ſcripſiſti Roma, ita & Auguſtinus contra Babyloniam illam veterem Romam Chriſtianam & ſanctiorem defendit. Congruit & magnitudini tuæ non Opus meum, ſed Auguſtini, ſub quo ipſe deliteſco, ſive auctor ſpectetur, ſive materia Operis. Auctor eſt Auguſtinus, vir, Deum immortalem, quàm ſanctus, quàm doctus, quale ſpecimen columenque reipublicæ Chriſtianæ! quo uno multis ritibus, multis ſtatutis, moribus, cærimoniis piis ac venerandis eſt illa innixa: nec injuriâ. Fuit enim in viro illo ſtudium uberrimum, cognitio ſacrarum Scripturarum exactiſſima, judicium acre & exterſum, ingenium ad miraculum acutum. Fuit ipſe ſincerioris pietatis diligentiſſimus propugnator, moribus manſuetiſſimis, & ad caritatem Evangelicam effictis atque expreſſis, vitæque integritate ſanctitateque inſignis & adorandus: quæ omnia perſequi ne volumine quidem juſto poſſis, nedum epiſtolâ. Bene, quod de ſcriptore agimus omnibus noto, tibi etiam familiari. Jam opus non eſt de filiis Niobe, quod ajunt, aut de portis Thebarum: non de ſarciendis veſtibus, aut parandis voluptatibus, non de agro colendo: quæ alioqui argumenta magis ſunt quoque Regibus dedicata: ſed de utráque civitate mundi & Dei, quibus angeli, dæmones, hominéſque univerſi continemur: ut natæ, ut educatæ ſint: ut adoleverint, quò tendant, & quid, ubi ad metam percurrerint, facturæ. Quæ ut explicet, nihil neque profanæ prætermiſit eruditionis, neque ſacræ, quod non attingat & exponat. Romanorum res geſtas, deos, ſacra, & cærimonias, philoſophorum placita, cœlorum terræque, tum angelorum, dæmonum, hominum originem. Hinc quibus initiis populus Dei creverit, & quomodo uſque ad Chriſtum Dominum deductus eſt: tum duæ civitates comparantur, Dei & mundi, regnáque adducuntur Aſſyrium, Sicyonium, Argivum, Atticum, Latinum, Perſicum. Poſt hæc quid de Chriſto vates, & Ethnici, & Judæi prædixerint. Jam dicturus de vera felicitate, opiniones veterum Philoſophorum de illa confutat & refellit. Deinceps ut venturus ſit Chriſtus de bonis maliſque pronunciaturus judex vivorum & mortuorum. Ad hæc de ſceleratorum ſuppliciis. Poſtremò de gaudiis piorum, & æterna felicitate. Atque hæc omnia miro ingenio, maximo acumine, eruditione excultiſſimâ, ſtylo mundo & exterſo, qualis auctorem per omne diſciplinarum ſcriptorumque genus verſatum exercitumque, & res illas magnas & præſtantiſſimas, & eos quibuſcum diſputabatur, decebat. Leges itaque, clariſſime & optime Rex, iis horis, quas tu immenſis regni negociis atque occupationibus ſuffuraris, ut litteris & ingenii cultui impendas, ſimul noſtros Commentarios deguſtabis: de quibus licet mihi dicere, quod Ovidius de ſuis Faſtorum libris dixit, cùm eos Germanico Cæſari mitteret:

Pagina judicium docti ſubitura movetur
Principis, ut Clario miſſa legenda Deo.

Quos ſi tibi non diſplicuiſſe ſenſero, nihil verebor, ne parum aliis probentur. Quis enim adeò impudens ſit, ut à tam exacto judicio diſſentire non erubeſcat? Quod ſi quis audeat, tua tamen vel tacita mihi patrocinabitur auctoritas. Vale, OPTIME REX, & Vivem tibi addictiſſimum quovis loco numera, modò inter tuos. Lovanii, Nonis Juliis, M. D. XXII.

JOAN-

JOANNIS LODOVICI VIVIS VALENTINI,

IN SUOS COMMENTARIOS AD LIBROS DE CIVITATE DEI

D. AURELII AUGUSTINI,

PRÆFATIO.

QUANDO de Auguſtino, deque ejus opere, quantum quidem videbatur, ſumus locuti; nunc cum Lectore ipſo aliquanto familiariùs de hiſce meis Commentariis libet pauliſper commentari. *Eraſmus Roterodamus*, vir adeò laudatus à plurimis, ut ad eum gloriæ cumulum nihil ſit mea de illo prædicatio, aut perparum additura, cùm poſt Hieronymum & Cyprianum recognitos, Auguſtinum quoque eumdem in modum perpurgare decreviſſet, nec uni ipſi vacaret tantum operum librorum obire, aliis quoque magnis & præſtantibus rebus occupato, alios ſibi adjunxit ſive operis ſocios, ſive miniſtros: inter quos me etiam adſcivit: cumque aliis, quod eorum eſſet & amplior eruditio, & ingenium felicius, & diligentia dexterior, graviora mandaſſet atque majora, mihi libros attribuit de Civitate Dei duos & viginti: quod Opus bona ex parte tum rerum geſtarum fabularúmque narrationibus, tum diſputationibus philoſophicis conſumeretur: quibus rebus bonam ætatis partem videbamur impendiſſe, magno quidem conatu ac voto, utinam pari ſucceſſu. Theologica tametſi multa inerant, tamen non ita forſan, ut aliis libris crebra, quamquam ab hac etiam ſacroſancta diſciplina numquam alieni fuimus, quantum per ætatem noſtram, & aliarum artium quæ nos mirificè ceperunt ſtudia, licuit. Neque verò ſic ſum ad hoc ipſe munus electus, tamquam optimè rem exſecuturus: ſed ne prorſus nullus eſſet, qui hoc ageret, reliquis Eraſmi amicis aliis in alias res intentis. Ac, ut verum fatear, arripui Opus ab Eraſmo oblatum avidiſſimè, pollicitus me poſtremam Commentariis impoſiturum manum ante ſecundum menſem aut tertium. Nam memineram me olim aliquot ejus Operis volumina legiſſe, quæ mihi nec admodum erant viſa mendoſa, & ſatis facilia: ac ejuſmodi, in quæ non parum ejus notitiæ antiquitatis, quam jugi paraveram lectione, poſſem effundere, ut eodem labore ſimul exercerem ſtylum, atque ingenium meum, ſimul aliis mea ſtudia nonnihil afferrent fructus, ſimul aliquam ingenii atque eruditionis gratiam pararem. Et fuit illa profectò juvenilis quædam cogitatio, quæ longè aliter experiendo proceſſit, quam ipſe mecum eram ratiocinatus: nam Opus, præterquam quod eſt longiſſimum, habet in ſe miram rerum omnium varietatem, hiſtorias, fabulas, naturalia rhetorica, mathematica, geographica, moralia, theologica: & horum nihil propè, vel tenuiter, vel mediocriter. Jam libri erant ſupra quàm dici poſſit mendoſi, qui totam Auguſtini ſententiam prava ſcriptura aliò avertebant. Hic jam non exiguus in caſtigando ex veteribus libris, tum etiam in divinando labor: nam & divinandum ſæpenumero fuit, & conjecturis vera reſtituenda lectio: orſus nihilominus ſum ſcribere circiter Calendas Januarias, anni ſuperioris, id eſt, M. D. XXI. & confecto ad finem menſis primo libro, affertur de Guilielmi Croji Cardinalis patroni mei morte, qui Vormaciæ naturæ conceſſerat. Facilè intelligere quiſque poteſt, ut ea res ſtudiorum meorum quietem concuſſerit, ſublato eo, qui mihi unus otia faciebat, quanta cupiebam. Hinc, ut nulla umquam calamitas venit ſola, in morbum incidi non ſimplicem: ita ad curam valetudinis coactus ſum me Brugas conferre ad meos Hiſpanos, inter quos æger more ac modo meo commodiùs tractarer: convalui menſe Junio. Et quoniam dicebantur eodem Carolus Cæſar, & Britannus Cardinalis venturi, ea me res ibi aliquot menſibus tenuit, ut Eraſmum & Morum convenirem, videremque Tooſtallum, & Montjojum, & doctos alios, tum amicos pleroſque meos, qui eodem venturi dicebantur. Eo loco ſcribere non licebat, quòd bibliothecam, qualem optabam, non haberem: unde quæ ſcribenda forent ſuppeditarentur. Tantùm libros aliquot ad vetuſta exemplaria contuli, quorum unum dederat mihi Marcus Laurinus, decanus ſancti Donatiani Brugenſis: alterum Carmelitæ Brugenſes: tertium Eraſmus miſſum ad ſe Colonia Agrippina, ſcriptum, ut ferunt, manu divi Lutgeri Epiſcopi. Mira dictu res quanta in codicibus varietas: ut unuſquiſque deſcribentium putaret ſibi licere verba arbitratu ſuo ponere, modò conſtaret ſenſus, quaſi interpretatio eſſet, non exſcriptio. Ita in hoc libro legas arbitror, in illo puto: in hoc ſignificatum, in illo figuratum: hîc præſens, alibi iſte: hic habet ergo, ille igitur: hic æternus, ille immortalis: hic flexiſſe, ille deflexiſſe, alius inflexiſſe. Sed hæc fortaſſis tolerabilia. Quid illa detracta, quid addita, inverſa? Jam quoties erratum, quum verſionem LXX. interpretum, quam ubique Auguſtinus adducit, voluerunt ad hanc noſtram detorquere, & ex duabus malè cohærentibus unam facere: nec aliud æquè fuit moleſtum mihi, ut variam lectionem expendere, examinare, excutere in uno quoque capite non ſemel. Quæ erant difficiliora, in Commentariis annotavi: quæ verò apertiora & promptiora, in margine. Id accuratius feci in locis ſanctarum litterarum, propter earum myſterium. In pleriſque veriorem indicavi lectionem, & quid ſentirem, aperui. In ceteris adjeciſſe quid legerint alii contentus, nihil Lectori præjudicans, liberam illi atque integram cenſuram reliqui. Fruetur per me ſuo quiſque ſive ingenio, ſive judicio. Poſt Cæſaris & Cardinalis digreſſum redii Lovanium ſub finem Septembris: hîc compoſitis rebus, & digeſtâ bibliothecâ, cœpi totus in ſcriptionem incumbere: ita mihi eâ hyeme uſque ad quintum decimum librum eſt progreſſum. Extremo vere, quòd ſalutandi erant amici parantes in Hiſpaniam proficiſci cum Cæſare, intermiſi opus. Eraſmo ſubinde ſtimulante & inſtante, ut perficerem, ut mitterem, redii Lovanium, & quantâ maximè potui diligentiâ menſe uno quatuor poſtremos libros abſolvi, cum bona parte decimioctavi: venique ad has Præfationes ſcribendas adeò feſſus, & labore tanto tamque vario fractus, ut litteras omnes libroſque neſcio quemadmodum animus averſaretur, velut crudus ſtomachus ac redundans cibos omnes: liberari tandem ea moleſtia miſerè cupiens, & univerſis atque unicis votis exoptans: ita ut eum ad calcem perveni, nec pecuniam, nec gratiam ſtudioſorum ullam, nec aliud quidquam exiſti-

Digitized by Google

marim æquè eſſe pretium operæ, ac ſolutum tandem liberatumque eſſe melabore tam ſinuoſo, & plerumque inamœno. Narrandæ fuerunt fabulæ & hiſtoriæ : deſcribendæ regiones & urbes : tum conſulendi Platonici penè omnes, & reliquæ philoſophorum nationes, & theologica tractanda : in quibus parcior quàm in profanis, aliquot de cauſis, fui. Primùm, quod non decebat profanum hominem, nec natu grandem temerè de ſanctiſſimis rebus vel definire, vel diſputare. Deinde, quòd hiſtoria Sacrarum litterarum notior ſolet eſſe lecturis Auguſtinum, & hujuſmodi auctores, quàm ut opus ſit eam per me repeti, quæ indicatis locis ex ſacris libris fuſiùs & apertiùs cognoſci poteſt, quàm ut à me hîc pluribus videretur explicanda. Jam dicta ex arcanis noſtræ religionis litteris, ab Auguſtino adducta, nonnulla enarravimus : alia præterivimus, quòd viderem non hunc eſſe illorum explicandorum locum. Auctores profanos crebros ad confirmanda Auguſtini dicta, velut teſtes, induximus : quòd fides dictorum penes illos eſſet, præſertim in profanis rebus, quas ab illis eſt Auguſtinus mutuatus. Nam in rebus noſtræ pietatis neque Ethnicis quidquam eſt negotii : & ſcriptoribus noſtris non perinde multis ſum uſus, ne parum firma Auguſtini auctoritas exiſtimaretur, niſi illis velut tibicinibus ſuffulta. Satis enim videbatur eſſe, dixiſſe Auguſtinum. Hieronymum frequentiùs advocavi : præcipuè ubi de linguarum ſignificationibus, aut interpretationibus agebatur : quoniam is, ut Græci aut Hebræi ſermonis peritia, ita & cognitione ſanctarum Scripturarum omnes noſtræ religionis ſcriptores longè antecellit. Nec putavi fore interpretis controverſias illas movere, quas noſtri Theologi in ſcholis magnis animis agitant : quamquam iis prima ætate ſuimus imbuti: quæ ab inſtituto, à mente rationéque Auguſtini plurimum diſſident : aſpernatúſque fuiſſet illas, atque indignatus operi ſuo admiſtas, velut tritico lolium, quacumque cœli parte purus ille ac ſanctiſſimus animus res hominum deſpectat. Itaque nec diſputandum mihi cenſui vel cum hoc hominum genere, vel cum antiquioribus, quicumque alieni à ſententia Auguſtini eſſent: nam hoc jam non eſſet interpretis, ſed defenſoris ac patroni : cùm non modò mea, ſed nec ullius defenſione aut patrocinio ille indigeat. Feci igitur quod Hieronymus in Commentariis Epiſtolæ ad Galatas præfatur ſe feciſſe, ut magna ex parte aliorum ſententias tantum referret : ſic & nos quid alii dixiſſent ſenſiſſentque contenti lecturis explicuiſſe ſententiam noſtram continuimus, veterem Academiæ morem imitati : tum, quòd id magis ad enarratorem alieni Operis exiſtimavi pertinere : tum etiam, quòd cunctari, & ſententiam ſuam non prodere, & conſectari magis aliena quàm ſua proferre atque oſtentare ante canos decere potius arbitrabar, qui cenſuris ac judiciis non parum auctoritatis addunt : nec immeritò. Multa nunc mihi vera, certa, explorata videntur : quæ, ſi diutiùs contingat vivere, non modò ambigua per ætatem videbuntur, ſed forſan etiam falſiſſima. Idcirco pleriſque in locis delectare magis lectorem placuit, quàm docere. Et ſi quid docerem, non tam ſeverè imperando volui perſuadere, quam blandè rogando monendóque. Adducti ſumus nonnumquam eâ cauſâ, quoniam Auguſtinus fuſus eſt plerumque, ac ipſe interpres ſui : ideo labore docendi ademto ludere libuit, & lectorem in digreſſus aliquos interim non prorſus inamœnos ducere : ſimul ut mei laboris quandoque partem levarem, etſi non onere depoſito, certè frigidâ ſuffuſâ, & per viam aliquanto munitiorem, & inter ſata cultáque ſpectatu jucunda commodiorem. Nam hæc omnia quæ dixi, etſi habent ſuas animi ceu reparationes refectioneſque, habent nihilominus ſuas ſalebras, ſuos acclives colliculos, per quos non ſine ſudore agas onus : ſuos quoque deſcenſus, per quos non ſine lapſus periculo facias iter, ne faſce preſſus in pronum ferare. Illic verò non ſtratam ullam viam invenias, nec quod recreet oculos, nec quò vel momentum divertas, ac ne ubi ſedeas quidem feſſus, cùm conferenda ſunt tempora, cum diverſitas inter auctores atque adeò adverſitas oſtendenda, cùm ſæpenumero tollenda, cùm quærendum, & evolvendum, & divinandum ubi ſit locus, quem Auguſtinus affert ex ſcriptore aliquo: quem locum invenire multum ac diu quæſitum, caſûs eſt ſæpiùs quàm eruditionis. Nam in eum incidat frequenter imperitiſſimus, quem doctus inveſtigare non potuit diu veſtigatum. Et hoc mihi tanto fuit difficilius, ac plus temporis extraxit, quod & imparatus ad hoc opus acceſſi, cùm antea quatuor aut quinque tantum in eo volumina legiſſem, nec indices ullos mihi ex lectione confeci, vel in hunc, vel in ſimilem aliquem uſum : quos qui habent, næ hi felices in litteris ſunt, quibus haud exigua laboris demitur pars. His anguſtiis & difficultatibus inopia Græcorum voluminum acceſſit, quæ eſt in hac regione mira. Nam cùm paſſim doctis ſias obvius, ſi Ariſtotelem Græcum, aut Demoſthenem, aut Vetus Teſtamentum : aut Pauſaniam, aut Iſocratem, aut Julium Pollucem, aut Euſtathium utendum petas, negant ſe habere : nec apud Bibliopolas venales invenias. Cùm hîc adeſſet Eraſmus, ejus Bibliotheca adjuvabar : & illinc aliud agens, aliquot mihi decerpſeram loca, quæ ceu præſagiebat animus uſui mihi aliquando futura. Nam ea in hæc Commentaria intuli. Græcum Platonem habui in octavum, nonum, & decimum librum ſcribens: Strabonem plerumque : Pauſaniam nonnumquam : ſed præcipuè cùm in decimum octavum commentarer, & aliquot alios, quibus non perinde atque iſtis indigebam. Non quidem, quod Auguſtinus ad ſe enarrandum magnam Græcorum auctorum copiam deſideret, qui Latinos tantum eſt ſecutus, quos ſolos penè legerat, aut verſos è Græcis. Sed certè ſi adjutus majore Græcorum ſuppellectile fuiſſem, potuiſſet opus paulò exire ornatius ac locupletius. Itaque nonnulla ſunt à nobis prætermiſſa, quæ partim ex nullo potuerunt auctore peti, eorum dumtaxat qui exſtant: partim ex reconditis Græcorum litteris fuerunt eruenda, aliàs Bibliothecam nacti Græcorum codicum ampliorem, per occaſionem ea lectori farciemus. Quamquam ſedulò illud ante alia eſt à nobis advigilatum, curatúmque, ne multa ſint quæ in hoc Opere ſtudioſi homines cordatique poſſent deſiderare. Quæ omnia præſtare aliis vel cognitione rerum amplinre, vel ingenio majore, vel feliciori memoria leve & facile fuiſſet. Nobis certè haud ſanè credat quiſquam, quàm tædioſum fuerit ac faſtidiorum plenum : quo fit, ut prima illa, quæ me in opus ſtimulabat, perficiendi facilitas plane perierit. At utilitas quanta ſit futura, pronunciare non eſt meum : quòd nec in opere ſuo quiſquam vel incorruptus eſt judex, vel non ſuſpectus: & eventum rei ſitum in fortunæ manu poteſtatéque prædicare nemo poteſt, nec ego promittere. Vivet, & legetur, & placebit, & proderit opus, ſi faverit genius: ſin adverſetur, concidet ac interibit. Multa grata ſunt & utilia tantùm ea cauſa, quòd ſic libuit fortunæ. Illud modò precari poſſum, ſi quid optando proficitur, tam utile ut ſentiant opus legentes, quàm mihi grave & moleſtum fuit ſcribenti. Jámque primum illud amiſimus, ſecundum incertum eſt, tertium non profectò certius de gratia, unde nomen gloriáque ad ſcriptorem redit. Primum non ignoro quantum famæ admirationiſque operi etiam optimo detrahatur, quum in alium ſcribitur : id eſt, ædificatur in aliena ſuperficie, & velut ſcribendi argumentum ab alio eſt ſuppeditatum : niſi forſan in ſacras litteras aliquid commenteris propter ſanctam majeſtatem earum, aut in Ariſtotelem, propter receptam ſcholis omnibus auctoritatem. Accedit huc, quòd multi quibus omnia quæ negligunt, aut non capiunt, in grammaticam vertuntur, quamlibet in hoc libro ſacra & philoſophica & recondita tractaverimus, grammaticam dicent, ideo præcipuè, quòd hiſtorias narravimus, & fabulas; idem de ipſo Auguſtini Opere dicturi, niſi pudor impediret, & reverentia nominis tam omnibus ſacri & admirandi. Alii hoc totum nec viſum, nec judicatum, qualicumque cenſeatur nomine, rejicient, & damnabunt : ut proximè quidam Theologiæ Licentiatus, quum audiſſet me in libros de Civitate Dei ſcribere, magno faſtidio operam meam tanquam inutilem prorſus vanamque aſpernatus eſt. Et quid, inquit,

Digitized by Google

quit, opus eſt libris illis illuſtratore, plus ſatis ex ſe perſpicuis & claris? O te felicem quiſquis es, cui tam aperti faciléſque ſunt hi de Civitate Dei libri! Ceterùm mirari qui audiebant vel ingenium hominis, vel eruditionem, vel certè impudentiam. Nam imperitiſſimè loquebatur, & rerum omnium veterum erat omnino expers & rudis: rogavitque ex bis qui audierant unus cur ſic cenſeret, quum eſſent tot hiſtoriæ, tot fabulæ, tot philoſophica, tot geographica, tot mathematica. Quid, inquit, illa ad Theologum? Deinde ſint a vel b, non ſum ſollicitus. Hoc illud eſt, iſtis nec Cicero, nec Virgilius, nec Plinius, nec alii ſimiles interprete indigent: quum eorum nihil interſit, quis fuerit Scipio, quis Cæſar, quis Pompejus, quis Cato: quæ aut ubi Carthago, Babylonia: herbáne an ſaxum malva, aut beta: lapis, an lignum magnes, vel adamas: animal, an metallum tigris, vel milvus: Sitne qui ardeat mons Ætna, an Alpes: ardeatne ſulpbure accenſo, an barenâ. Quid dixerit, quid ſenſerit Plato, quid atomi Democriti conficiant: quid ſimilares partes ſint Anaxagoræ, aut diſſimilares: quid Pythagoræ tranſanimatio. Iſti ad hæc omnia linea ſuot alba, ſicut dici ſolet, in lapide albo. Tantum illa curanda & expendenda ducunt, an Deus poſſit ſuppoſitare hanc peñnam quâ ſcribo: an jubere poſſit odium ſui: poſſitne diſpenſare Pontifex ſuper voto profeſſionis Romanæ, aut Hieroſolymitanæ: an pecunia ſacerdotii penſionem redimere, ſit ſimonia. Verum enimverò iſti cenſeant quomodo voluerint cumque de opere. Nec eis ſcribo, nec eos curo mea legere: nec eorum judicium cenſurámque naucifacio, nec eis placere ſtudeo: & doctius putabo me ſcripſiſſe, ſi diſplicuero. At illud magnoperè dolendum eſt, inſiſtere ſæpenumero ingeniis doctorum quidem, ſed non perinde bonorum hominum perniicioſum invidentiæ virus, qua bona opera inceſſant, lacerent, proſcindant, aut perdere conentur profutura, aut allatura lucem obſcurare. Hinc odium, & ex odio rabioſa maledicentia, & impotentis animi verba, & rixæ, & jurgia, & calumniæ. Hinc ſæpe deſperatio & deſponiatio meliorum ingeniorum, quum pertæſa rem ſic amaram & inamabilem ab omni ſcribendi & juvandæ poſteritatis ratione avertuntur, plerumque & ab ſtudiis etiam: quod tantum abeſt, ut invida ingenia fieri doleant, ut ſe ex boc fructum capere ſingularem exiſtiment, ac laboris ſui præmium: finem verò quem deſtinarant, ſi conſequantur, ut ceſſent omnes, nemo bene faciat. Quod Terentius, ut alios vitæ humanæ mores, ſic & iſtum prudenter expreſſit, quum malevolum & invidentem poetam omnibus contendiſſe viribus ait, ab ſcribendo uti deterreret, & in otium transferet. Neque verò id ego dixerim, quòd ægrè feram me vel admoneri, vel etiam reprehendi, dii meliorem mentem! Imò debere me multum profitebor potiora ſuggerenti, & reprehendenti doctè. Nam & meipſum non pigebit mutare ſententiam, ſi vel ſtudium, vel ætas alia docuerit meliora. Ceterùm permoleſtum eſt, atque intolerandum pronunciari ſemel de toto opere, damnarique ceu imperitum aut futile, quum nec legeris, nec forſan ſi legeris, inveneris uſque adeò multa, quæ convellas: vel ipſe ſi tantumdem præſtare tentes, vel non valeas, vel ſudea ſatis. Aut ſi unum, aut ad ſummum alterum deprehendas erratum, propter illa opus tantum tamque varium rejicias univerſum, & contemnas: velut ſi egregio inſperſos reprehendas corpore nævos, ut Horatius inquit. In ſumma, quandoquidem bominum linguas nec habeo in manu mea, & liberas decet in liberis ſtudiis, non deprecor quo minùs ſentiat, loquaturque de opere quiſque pro libito. Si enim malum eſt opus, iraſci ob veritatem non debeo: ſin bonum, eos qui maledixerint, ſua invidentia exedet tanquam venenum: in quo uno juſtiſſima eſt invidia ipſa, ceteris in rebus iniquiſſima. Hoc ſolum etiam atque etiam rogo, & obſecro, ut ſi quis à me diſſenſerit, volueritque id ſcriptis teſtari, meminerit modeſtiæ, & ſine conviciis aſperiſque morſibus me, quod ignoraverim, doceat. Nam ut convitia & gravem fortaſſis objurgationem mereatur liber, non meretur inſtitutum & conatus animi mei: ita eadem opera fiet, ut ego cum aliis fructum eruditionis illius percipiam, agnoſcamque permagnum beneficium, atque habeam gratiam immortalem: & ipſe melior magiſter tum ſe profuiſſe intelligat, tum doctrinæ ſuæ nulla immodeſtia, quæ pejor eſt quàm inſcitia, corruptæ & inquinatæ laudem ampliſſimam auferat. Neque abſit ab ſtudiis bumanitatis bumanitas, ſerveturque illa tranquillitas animorum, qua ſuper res omnes alias Muſæ gaudent. Et incipiamus morem huoc tollere, quem inſidæ omnibus furiæ in præſtantia ſtudia immiſerunt, impetendi & lacerandi eum, quem conjunctiſſimum nobis cariſſimúmque debebat reddidiſſe communio ſtudiorum, ac earumdem Muſarum cultura, ut prætercam baptiſmum & caritatem Chriſti: quandoquidem hæc jam olim ſurdis auribus inania ſunt nomina, & ægris oculis vanæ ſine corporibus umbræ: colamuſque litteras ut nos delectent, ut juvent: non ut in certamen acerbum committant, & tela vel eruditionis, vel ſtyli ſubminiſtrent, quibus pravos affectus noſtros explentes feriamus ſauciemuſque inimicum. Sed de bis rebus erit tempus, quum locum inveniam dicendi aptiorem. Nunc mihi, ut ad quod cœperam revertar, tota ſpes in iis eſt, qui candido, qui integro pectore ad lectionem horum librorum accedent, ſive docti ſint, ſive indocti. Denique ita me conſolor, ſi ab hominibus nulla redeat ad nos gratia, non deerunt, quibus adductus impulſuſque banc me operam navaſſe numquam pœniteat. Nam & obſecutum eſſe Eraſmo meo, tam me juvat, quàm nefas fuiſſet, quod imponeret onus recuſare, qui in me & hominis arcta mecum amicitia conjunctiſſimi, & præceptoris optimè meriti, jus ac poteſtatem babet. Tum interea dum hæc ſum meditatus honeſtiſſimo me exercitamento occupaſſe, & animum mentémque crebris cogitatis honeſtate ac ſanctitate refertiſſimis imbuiſſe, quæ promtiorem me atque expeditiorem ad bene & Chriſtianè vivendum reddant. Hæc una, ſi cetera deſint univerſa, abunde ampla & magnifica merces eſt. Poſtremò, ut aliud nibil reputem, niſi me voluiſſe Auguſtino, & proinde Chriſto aliquid ſtudiorum meorum ſacrare, præclarè mecum actum exiſtimare debeo. Quippe qui etiam frigidæ poculum propter ſe ſuumque nomen præbitum irremuneratum ſe non præteriturum pollicitus eſt: huic quoque meæ voluntati, quam unam ille curat, gratiam referet: præſertim cùm ipſe labores omnes meos ita demùm ratos mihi eſſe velim, ſi Chriſto ejúſque caſtiſſimæ & integerrimæ ſponſæ Eccleſiæ approbentur.

DE VETERIBUS INTERPRETIBUS

HUJUS OPERIS.

NARRAVIT hodie mihi amicus quidam meus, inter colloquendum cum nonnullis fratribus Dominicani ordinis atque inſtituti, incidiſſe ſe in Sermonem de his meis Commentariis: illos reſpondiſſe, inanem me operam atque induſtriam ludere, ac potuiſſe hujus temporis compendium facere, cum in libros Auguſtini de Civitate Dei ſcripſerunt prædicatorii quidam fratres ad miraculum eruditè, dextrè, exactè, feliciter, nibil ſuprà. Quæ ſi ſic habent, nimis profectò confidens fui, qui me hac ingenii & eruditionis tenuitate ſcripta uſque adeò miranda ſuperare poſſe ſperarim: & demens, qui tantam lucem

meâ faculâ obſcurari poſſe crediderim : & ſtultus, ut non illis ſim uſus potius, ſicut Valerii Probi, Servii, aut Donati commentariis : & male feriatus, ut ultrò tanti temporis ſecerim jacturam actum agendo, quod ajunt : & Eraſmus ipſe imprudens, qui oovos Commentarios mandarit ſcribendos, ubi tales eſſent veteres : & doctiſſimus quiſque ineptiſſimus huic noſtræ operæ votis favendo, ſcilicet, ut illi fratres putant, ſupervacaneæ. Quos ego fratres dejerare auſim, ne litteram quidem in illis Commentariis legiſſe, titulos vidiſſe ſolummodo: aut ſi legerunt, & probant, planè ſimiles ſunt ipſi commentatorum. Ut numquam fuit animus refellere tam apertam inſcitiam, tam inſipidas expoſitorum ineptias, non collegi locos aliquot in primis ridiculos & imperitos: ex quibus de Opere toto qui non legiſſent, poſſent judicium facere. Nec profectò fuit neceſſe. Nam in ſeculo jam tot litteris diſciplinisque excultiſſimo rariſſimi ſunt, qui quemcumque in illis Commentariis legerint locum, non ſtatim qualis ſit tota maſſa ex quamlibet parvo exemplo poſſint judicare. Itaque ad doctos homines magna ſanè ac injucunda ſum moleſtia liberatus ſtultitiis illis patefaciendis. Nihil enim eſt neque gravius, neque inſiusvius, quàm ſtulta refutare prudenter. Quæ ſi tantum indices, pro ſtultis rejicientur: ſin operam in eorum natura declaranda inſumas, non tam contemnenda reddas, quàm minus apud quoſdam facias ſtulta. Nec deſunt ex hominibus ejuſdem ordinis, qui cenſere poſſint : & haud dubiè cenſent quàm vilia, & deſpicienda ſint ſcripta illa ooo modò Auguſtino, ſed ne Theodolo, vel Faceto, vel Floreto digna : tamen quia id non illi ſolùm, qui totam meam operam ceu inanem damnarunt, ſed alii permulti non credunt, tantum quia illi Fratres Prædicatores nuncupantur, volo illis rationem approbare laboris mei : ſi modò approbari ſinant, aut approbationem intelligant: quorum ego aliquos credo tales eſſe, ut illis nihil inter dictionem Ciceronis & Catholicontis interſit : aut inter hiſtoriam Livii, & Vincentii : vel inter cognitionem rerum Plinii & Bartholomæi Anglici, aut Hieronymi & Hugonis Carrenſis. Qui poterit, cùm nec Latinè ſciant, nec ullos bonos umquam attigerint ſcriptores, innutriti ſemper & ad ambas aures immerſi Sermonariis Parati, Diſcipuli, aut Dormiſecure? Ego verò ſi apud illos non meâ, ſed eorum culpâ non profecero, proficiam apud alios & ingenio ſaniore, & eruditione meliore : quales habent in ordine ſuo quoſdam etiam mihi amiciſſimos, qui beneficio meliorum litterarum communem popularium ſuorum & agnoſcunt errorem, & dolent, &, quatenus licet, vitant. Faciam igitur invitus, quod à principio non ſtatueram, ut homines vita functos, & extra invidiam omnem jam poſitos, in judicium cenſurámque revocem: prælertim cùm illi homines, quantum mea fert opinio, probi, quod potuère præſtiterint : tametſi hoc imperitum atque ineptum, ut ferè illo erant ſeculo. Profitentur ergo ſe in hoc Opus ſcribere Thomas Valois, & Nicolaus Trivet, & Jacobus de Paſſavant. Et veritates colligit Franciſcus de Maronis Minorita, ne ſolum regnum Prædicatores teneant. Primum Thomas Valois arbitratus credo ingens eſſe opus, & unius viribus majus, non omnia ſolus eſt obire auſus, ſed ſocium ſibi ſumpſit, ac velut ſuccedaneum ſodalem ſuum Nicolaum Trivet, tam ſimilem ſibi, quàm ovum ovo : cui ipſe lampada, quod ajunt, traderet feſſus, neſcio quo volumine : nam etſi legi, non tamen annotavi. Neque verò aliud ſuſceperunt explicandum quàm fabulas aut hiſtorias: ſacrilegum credo rati ſacra contrectare : in quo certè modeſtiam hominum non mediocriter laudo : quibus ſatis viſum eſt profana contaminare, à ſacris abſtinuerunt. Ita ab undecimo ad decimumoctavum, & à decimonono ad vigeſimumſecundum nihil ferè ſcripſerunt. Quod promptum eſt unicuique videre: nam libri ſunt in manibus. Octavo verò, & nono, & decimo Libris, quibus Auguſtinus adverſus Platonicos diſputat, quid dixiſſent miſelli, qui non modò Platonem, aut Platonicum ullum, ſed ne umbram quidem philoſophi viderant? Itaque ne quod agant deſit, toti ſunt in contexſu partiendo & diſtribuendo. Hic Auguſtinus tractat de hoc, aut illo, & facit duo. Primum eſt, quod reprobat Platonem, ibi: ſecundum, quod dicit hoc aut illud, ibi & dicit. Tum quæ Auguſtinus purè ac Latinè dixerat, ipſi ut chartas impleant, ad ſuum cœnum, ſuamque obſcœnitatem trahunt, ceu non aliter poſteris intellecturis. Jam in quinque libris, & parte decimioctavi fabulæ & hiſtoriæ tractantur. Hic putant ſe eſſe in ſua harena, & vagantur jactantque ſe, ut equus, quod dicitur, in campo. In quibus omitto ſermonis ſordes ac ſpurcitiam, fatuáſque & inſulſas narrationes: quas tamen ipſi interdum ex facundiſſimis deſumebant ſcriptoribus; quas nullus ſit tam impatiens ſtomachus, qui unam ex eis aut alteram poſſit devorare, niſi quibus fortè ſalubria ſunt noxia. Sed ad res ipſas veniam. Sunt certè Commentarii utiles iis, qui nihil verè rectèque ſcire volunt : qualia ſunt ingenia quædam, quæ ne hiſtoriam quidem audire poſſint, verè & uti geſta res eſt, narratam : nefas credo exiſtimantes aliquid remanere ſinceri ac incorrupti. Falluntur igitur infinitis locis, & fallunt, ſi quis ſequatur : tum propter confuſam incertámque eorum, quæ ſcribebant, notitiam : tum etiam quòd ignoratione Latini ſermonis in ipſis rebus paſſim labebantur. Ad hæc afferunt commentitia pleraque, & numquam ab auctoribus vel ſomniata : partim ex geſtis Romanorum moralizatis, partim quæ fando narrari audierant inter compotandum in hoſpitali cœnaculo ſodalitatis. Colligam quæ prima erunt ad manum paucula quædam, velut exempla. Primo libro, capite quinto, cùm Cæſar apud Salluſtium referat quæ ſoleant in bellis fieri, rapi virgines, pueros divelli à complexu parentum : etiam commentator hæc jam eſſe à Catilina facta, Cæſarem ſignificare dicit : verus ſcilicet commentator quaſi commentor. Tum capite vigeſimoquarto, Fortium Latronem declamatorem Catonem fuiſſe dicit : ibi egregie diſputat, an iſte ſit qui Catunculum puerorum compoſuerit. Et libro ſecundo capite quarto, Atym dicit oblatum matri Deûm in ejus templo, ut voveret caſtitatem. Quod credo eum didiciſſe ab aliquo ex Gallis matris Deûm. Et poſt paulum : Symphoniaci, inquit, ſunt canentes tubis, vel alio modo ſonitum magnum facientes. Ea dulci concentu magnos facit ſonos, atque tubas. Et paucis verbis pòſt : Vocat, inquit, hic Auguſtinus ſymphoniacos, qui in honorem deæ Pudicitiæ quædam turpia faciebant : non melius dixiſſet, ſi illa ætate vixiſſet : & paucis interjectis verbis, Palladem dicit lavari cum matre Deûm in Almone amne. Credas Varronem hoc dicere : tantum quoniam Auguſtinus virginis cæleſtis illic meminit, ceu non eſſet alia Dea virgo, quam Pallas. Et mox : Fuit, inquit, ſcena propriè domuncula in medio theatri, quales ſunt domunculæ tabernariorum vel mercatorum in nundinis, ſecundum Huguitionem. O miſeræ Scauri & Curionis, & Pompeji ſcenæ latiſſimæ, & auro argentóque ornatæ, quomodo ad domunculas mercatorum in nundinis reciditis? Sed hoc tolerabilius. Et addit : In ſcena pulpitus erat, quem aſcendebant illi, qui ſabulas recitabant : & quot erat carmina, tot reputabant appoſuiſſe fercula. Hæc eſt argutiſſima interpretatio ferculi. Pergit verò : Infra etiam latebant larvati hiſtriones, & mimi, qui ſubitò exeuntes coram populo motibus corporis expreſſerunt hiſtorias, ſeu fabulas recitatas : & iſti propriè fuerunt appellati ſcenici. Scena etiam quandoque ponitur pro ipſo toto theatro, quandoque pro fabula, quandoque pro recitatione fabulæ. Hæc omnia quis neget eſſe admirabilia, cum antea nullus umquam audierit? Quis umquam vel theatrum dixit ſcenam vel fabulam, vel fabulæ recitationem? Tum addit Valerium Maximum dicere, antequam imago matris Deûm tranſlata eſſet ex Peſſinunte, Imperatores Romanos ſæpe ad Peſſinuntem iviſſe, ut vota ſolverent. Ubi hoc umquam ſomniavit Valerius? ita non ſatis eſt te fingere, niſi & aliis mendacia affigas. Narrat quidem iviſſe illuc Romanos imperatores libro primo, ſed non ante matrem Deûm tranſlatam : quo tempore nullus umquam Romanus eò eſt profectus. Adjicit Pantheon templum à Domitiano magnæ matri

Deûm

Digitized by Google

Deûm exſtructum fuiſſe, cum Pantheon exſtruxerit ante Domitianum Agrippa Jovi Victori, deinde ceteris diis. Et hæc omnia in eodem verè aureo & copioſo capitulo 4. libri 2. quod licet Cornu copiæ appelles. Io ſexto verò capite verſiculi ſuor Perſii, quos ipſo feſtiviſſimè explicat:

Diſcite, ô miſeri, & cauſas cognoſcite rerum,
Quid ſumus, & quidnam victuri gignimur,
Ordo quis datus?

Sic, inquit, ordinata eſt humana natura, quod eſt ſuper bruta animalia. Putabam eſſe infra. Aut metæ quàm mollis flexus? Metæ, inquit, id eſt, mortis. Atqui ex hac nullus eſt flexus. Quid aſper utile oummus habet. Hic cùm ignoraret, cur aſper nummus diceretur, non defuit mora izatio. Aſper, inquit, id eſt, quantum habeat aſperitatis: proptes curas magnas quas ingerit: propter quod & ſpinis comparantur divitiæ. Non ſic Perſius ſua tam acutè intellexit, oec tam ſanctè. Et capite octavo, de poetis annotatio digna quæ ad verbum ediſcatur. Poëtarum, inquit, duo ſunt genera, Vereres & Novi. Veteres omnia quæ canebant convertebant ad riſum: unde de meretriciis & ſtupris, & his quæ poterant provocare riſum, tractabant: ſicut Plautus & Terentius. Novi verò reprehendebant vitia hominum nominatim: undéque homines laceſſebant, eorum vitia carpenres vera & ficta: & pingebantur nudi, quia vitia denudabant. Tales poëtæ comici Satyrici appellantur: ſicut Horatius, Perſius, Juvenalis, & hujuſmodi. Er paulò pòſt: Poſſunr autem poëtæ Tragici, ſicut & Comici, dividi in duas partes. Primi puri Tragici: ſecundi verò Elegi, rractantes de elegia, id eſt, de miſeria. Sic ille, ex Ariſtotele eredo, aut ſi quis hoc quoque doctiùs de poëtis ſcripſir, & tamen qui nihil umquam de iis poetarum generibus audivit, non intelliget quàm frivola hæc & imperita ſint, nedum ſtulta atque ridicula. Si audivit, huic periode iſta erunt, cùm de novis & veteribus loquitur poetis, ac ſi quis dicat, architectorum officium eſt, calceos ſuere: cerdooum verò, ædificare: & cùm novos Comicos vocat Satyricos, eeu quis dicat fartores eſſe rextores: cùm Comicos dixit Elegiacos, velut aliquis agaſones dicat oautas, aut tonſores carbonarios. Jam cùm explicat elegia, id eſt, miſeria 1 non ſecua quam ſi interpreteris: ſcrioium, id eſt, liber. Et CIX. cùm de Plauro ageret, iſte ſcripſit, inquir, comœdiam, quæ appellatur Aulularia, quaſi non aliam. At philoſophari quoque voluit lib. VII. Nam cùm dixiſſet Auguſtin. Menam deam, quæ menſtruis præeſt, conferre fluores menſtruos, ad ejus quod conceptum eſt, ineremeutum, ignarus fluorem menſtruum dici etiam muliebrem ſanguinem, qui fluxurus erat in menſe, niſi vel fœtu vel alia cauſa detineretur, incipit diſtinguere ſanguinem menſtruum: uno modo pro eo quod eſt purgameotum naturæ, & ſingulis menſibus ejicitur. Alio modo accipitur pro ſanguine, qui per ejectionem purgarur, & pòſt fluor menſtruus non coofert ad incrementum fœtùs, niſi per accidens, ſcilicet, per ſuam abſentiam. Confert enim pro tanro: quia cùm ipſe expellitur, ſanguis ille unde fœtus augetur, efficitur mundior, & ad augendum melior. Sed beatus Auguſtious extenſivè loquens, vocat illum ſanguinem, qui depuratur fluorem menſtruum. Hæc ille. Primùm quis umquam ſanguinem illum qui putior remanet in corpore mulieris poſt ejectum meoſtruum, vocavit fluorem menſtruum? Deinde quomodo iſti augentur fœtus in locis? qui ſi menſtruus ille defluat, fiunt imbecilliores: & ſi largius, & ut alio ſoler tempore effluat, abit cum eo fœtus, nec augeri nec ali poteſt. Sed libet explicationes audire vocabulorum? Exclamat Auguſt. lib. 2. O animos germanè Romanos. Germanè, inqoit, id eſt altè, vel immaoiter: nam Germaoi habent immania & alta corpora. Et in eodem loquens Auguſtinus de lino aut lanula flaminum, quo vinciebant caput, quem apicem nominabant, quaſi ſummitatem. Apex, inquir, nomen eſt cujuſdam Hiſtoriographi, ut jam mirandum noo ſit feciſſe Deum homines ex limo, cùm iſte faciat ex lino. Et cùm libro quarto poſuiſſet Auguſtinus inter prodigia fœminas & gallinas & homines verſas in maſculum ſexum. Credo, ioquit, litteram eſſe falſam, quam tamen multi libri habent. Deberet autem littera ſic eſſe, in homines & maſculum ſexum. Vulr enim ſic dicere, quòd fœminæ converſæ ſunt in homines: id eſt, in viros, & gallinæ in maſculum ſexum. O tenebras illius ætatis miſerandas, & tamen illis oculi aſſuefacti illatam jam lucem ſpectare oon ſuſtinent! Claudite iſtas feoeſtras omnes & rimulas, ne quà lux penetrare queat, & fruantur liberè ſua nocte; tenuem quoque & languidulam in tenebroſo cubiculo meridie ipſo accendite lucernam. Illud in eodem miror interprete, quòd cùm graviſſimos haberet auctores, ex quibus nonnulla ſolitus eſt deſumere, poſſetque ex eiſdem alia quædam afferre, maluit ab Iſidoro petere, aut hoc pejoribus, Huguitione, & Vincentio hiſtoriali: quod ſuſpicari me cogit ipſum vel aliena eſſe uſum io citandis auctoribus opera, vel citatos aut inveniſſe in aliquo Vade mecum, aut Rapiamus totum, aut de aliquo audiviſſe. Nam definitionem Dei, quam ex Ciceronis primo Tuſc. quæſt. citat Auguſtinus colligi dicit ex his quæ in 3. De nat. deo. ſparſim tractat: & conſolationem de morte filiæ, neſcire ſe dicit, ao ſit lib. 12. Orationum, cùm Cicero ipſe in Academ. & Tuſc. quæſt. & Lactantius & Plinius ejus libri meminerint. Valerii Sorani nihil recordarur ſe legiſſe, cum ejus ſit mentio apud Plinium, Solinum, Lactantium, Plutarchum, Servium, Macrobium. Jam ex multis Diogeoibus unum, & ex multis Æſchinibus unum, & ex Socrate & Iſocrate eumdem conglutinare & conferruminare iovitos & malè cohærentes, oon rarum, ut nec alia omoia: quæ ſi perſequi ſingillatim tentem, rem in iofioitum extendero. Hæc quæ adduxi, tantùm velut ſpecimina poſui, quæ prima profectò volventi librum occurrerunt. Sunt enim uſque adeò frequentia & denſa, ut periculum noo ſit ne lateant, ſi non indicentur: exitant, oimirum, & offerunt ſe atque adeò ingeruot oculis omnium volentium intueri, quæ nec in opere ipſo ſum conſectatus. Tum ne faſtidio lectori eſſem tanta prolixitate, rum quòd ineptiora ſunt, quàm ut in eis refellendis aliquid collocari operæ debuerit. Quiſquis mihi fidem noo habet, legar ipſe: & vel judicet; ſi eſt doctus, vel à doctioribus ſententiam exquirat, illiſque aſſentiatur. Quòd ſi quis eſt, qui hæc unicè forſan ac tenerè complectitur & amat, habet oon ſolùm hos Commentarios, ſed etiam Huguitionem, Papiam, Græciſtam, Joannem de Garlandia, Catholicon, illis ſe omnibus oblectet, quod ſit ei bonum proſperumque, & io eorum complexu hæreat. At Thomæ Valois & Nicolao Trivet prodiit velut ſuccenturiatus Jacobus Paſſavantius, quem nomen ipſum indicat fuiſſe ſcurram aliquem feſtivum, qui ſodalitium totum oblectabat: cui, ut credo, per jocum luſumque oomen Paſſavant eſt à reliquis fratribus inditum. Loquendum eſt de Tertulliano, nihil mihi occurrir, reſervetur eum aliis: de Valerio Sorano, nihil mihi modò occurrit, reſervetur eum aliis: de Xenophane & Anaxagora, de Lactantio, reſervetur cum aliis. Quid malùm ſunt iſta alia? ubi reſervas? in quem uſum? quid quod nec legerat expoſitores ipſos, quibus dicit ſe ſua addere, ut lib. 3. cap. 12. ſic ſcribit: In hoc cap. 12. facit Aug. mentionem de Dea Febre, de quâ dicit expoſitor, quòd fuit mater Æſculapii, quòd eſt Dea inferoi, & quod Numa Rex ſacravit Deæ Febri menſem Februarium. Atqui numquam id expoſitor ſcripſit, niſi forſan res tam ſtulta ex codicibus ſit ab aliis fratribus, qui eam deprehenderanr eraſa: ſed videlicet ſuper cœnam ſrater aliquis Paſſavantio narraverat id expoſitorem dicere. Ceterùm quo reprobet modo, audiamus. Quod non videtur benè dictum, ioquit, ſalva ſui gratia. Nam ſicut infrà dicetur; Æſculapius fingitur fuiſſe filius Phœbi & Coronidis: ſicut vult Ovidius ſecundo Met. Nec umquam legitur, quòd Phœbus cùm Febre convenerit, vel quòd ex ea filium genuerit. Tum incipit philoſophari, & conjecturas quærere. Nec convenienter, inqoit, fingitur Æſculapius filius Febris, cùm ipſe poſtmodum ſit habitus Deus Medicinæ, quæ habet Febrem expellere. Jam ne omnino deſit quod alii poſſint pro ſe reſpondere addit: Niſi dicatur ita crudelis filius, quod matrem perſequatur ubique, & omni ſede expellar.

Jocu-

Joculares ſunt additiones iſtæ, ad riſum fratribus movendum paratæ. Iſtis omnibus accedit Franciſcus de Maronis non quivis doctor, ſed illuminatus, & veritates colligit, quaſi cetera eſſent falſa. Sed hic non magis ad hoc opus ſpectat, quam ad cætera Auguſtini: ex quis omnibus ita videtur veritates ſelegiſſe, ac ſepoſuiſſe, ut Virgilius gemmas è ſtercoribus Ennii. Quòd ſi alieni à noſtra religione Auguſtini Opera ſumant in manibus, illius, ſcilicet, illuminatis veritatibus illuminata, quid eis veniet in mentem de hujuſmodi veritatibus? quid ſuſpicabuntur, quid credent? Nimirum, eſſe cetera vel parum vera, vel Eccleſiæ ſuſpecta: illa tantummodo teneri & aſſeri à nobis ceu firma & indubitata, ut quæ illuminatus doctor indicarit: in quibus tamen rixoſa multa, alia ambigua, etiam falſa complura inveniat. Nam ſi omnia Auguſtini ſunt æquè vera, quid mihi cum tuis veritatibus, in quarum pleriſque nihil Auguſtini dictis addis: cum verò addis, ſophiſticaris: & non tu Auguſtini veritatem ſequeris, ſed illum cum veritate obtorto collo; quò ipſe vis torques, nempe ad factionem Scoticam, ut contra Thomam locutus videatur: & conaris ipſum putari dicere, quæ ne cogitavit quidem ullus ætatis illius? Jam non minus ex hiſtoria & fabulis veritates, quam ex rebus Theologicis colligis. Quæ glacies eſt, cùm Auguſtinus narrat Ninum Aſſyriis imperaſſe primum, te ilicò ceu veritatum plaſtem cum formulis tuis ad fingendam ex hoc veritatem accurrere, ceu non aliter futura veritate? Veritas, inquis. Ninus fuit rex Aſſyriorum primus. Cur quod paullò antè legitur, non eſt etiam veritas? cur non paulo pòſt? Et unum exemplum adduxi pro multis millibus. Jam quale eſt te figulum veritatum, modò aliis incerta, & in primis controverſa admiſcere: ut cùm contra Aquinatæos diſputas, quo nihil facis nec libentius, nec proinde crebrius: modò etiam tibi incerta, ut verbi gratia, cùm Holofernem illum ex libro Judith dicis fuiſſe Cyrum Aſſueri & Heſter filium: de quo veritatibus aliquot poſt eam ambigis: modò etiam vel pueris falſa, ut de hoc ipſo, quòd Darius ſit filius Aſſueri & Heſter, tum quòd tertii libri Eſdræ Auguſtinus non meminerit, cùm citet ex eo quæſtionem illam de re quæ fortitudine ceteris anteſtaret: etiam eodem capite, quo tu id dicis libro decimooctavo, ita veritates tuas non ex una ſimplici veritate videris effingere, ſed partim ex veris, partim ex incertis, partim litigioſis, partim falſis: ut ſtatua illa, quam per quietem Nabocodonoſorus vidit, ex auro, argento, chalybe, ferro, & argilla erat conflata. Sed ſint ſanè veritates iſtæ, quantum aliis libuerit, nihil impedio: & legantur ab his, qui ejuſmodi amant. Ego verò, quæ ipſa ad verbum ex Auguſtino refert, Auguſtini eſſe puto: cetera quæ de ſuo addit, non peculiariùs ad Auguſtinum pertinere, quàm quæ à ſummulariis aut ſententiariis auctoribus de ſimilibus conſcribuntur propè infinita. Hæc paucula de interpretibus hujus Operis dixiſſe me laſſum & feſtinantem ad alia ſit ſatis, tantum ad bona ingenia commonefacienda non me omnino in his libris actum egiſſe.

Quinam hominum fuerint Gothi, & quomodo Romam ceperint.

CUM Auguſtinus ex Romana captivitate occaſionem ſumſerit ſcribendi de Civitate Dei, ut iis reſponderet, qui eam cladem Chriſtianæ Religioni imputabant, operæ precium erit altiùs narratione repetitâ explicare, quínam hominum fuerint Gothi, quomodo in Italiam venerint, Urbemque ceperint. Primùm omnium ferè video conſtare, quos poſterior ætas Gothos, priorem Getas nuncupaſſe: ut illa pauca ex priſcis vocabulis non corrupit. Sic Rutilius & Claudianus Poëtæ, cùm de Gothis loquuntur, Getas eos ſemper nominant. Oroſius itidem in Hiſtoria: Getæ, inquit, qui nunc Gothi, quos Alexander evitandos pronunciavit, Pyrrhus exhorruit, Cæſar autem declinavit, relictis vacueque factis ſedibus, ac totis viribus tuti Romanas ingreſſi provincias. Hieronymus in Geneſim, Gothos ab eruditis antiquis Getas nominatos eſſe teſtatur. Getæ verò ſunt, qui circa Iſtrum fluvium habitant: ut auctores ſunt Strabo, Mela, Plinius, & alii: lateque regionem poſſident incultam magna parte, & rigoribus immitem: tenentque ulteriora Iſtri ad Scythiam, & citeriora ad Thraciam, ubi Tomus Ovidii vatis exilio clara, qui ſe apud Getas agere non ſemel in Triſtibus & Ponto ſcribit, tum & mediterranea occupant Germaniam verſus & Iſtri fontem, quos Strabo libro ſeptimo Dacos & olim Davos nominatos eſſe ait, cùm viciniores Ponto dicerentur à Græcis Getæ, eundemque utriſque populis ſermonem eſſe. Quamquam Plinius non aliud inter hos populos videtur ſignificare diſcrimen eſſe, quàm quòd Getæ Græcis ſunt, qui Romanis Daci. Sed nos Strabonem hoc ſequemur loco. Getæ barbara & fera gens eſt, viribus atque animo immani mortis contemtore, quòd perſuaſum habeant redire animas, ſicut Mela ſcribit: aut ſi non redeant, non tamen exſtingui, & in meliores ſedes immigrare: quod ſi neutrum contingat, præſtare certe vitæ mortem. Fama eſt, poſterioribus deinde temporibus Getas Oſtrogothos eſſe dictos: Dacos verò Viſigothos patriis nominibus: quòd hi ad Occidentem, ad Orientem illi magis ſpectarent. Confunduntur tamen plerumque hæ cognominationes rerum à ſcriptoribus, non modò recentioribus, ſed etiam antiquis. Hanc gentem tradunt, jam olim florente cum plurimùm Romana re, impetum in Provinciam populi Romani Mithridatico feciſſe bello: quos Lucullus, qui in Aſia magno cum exercitu imperator res gerebat, è Myſia cum clade exegit. Pòſt verò Bœrebiſta duce, cùm ab eo ad labores militaremque diſciplinam eſſent aſſuefacti, egreſſos regionem ſuam multas ſibi gentes ſubegiſſe, Iſtróque cum maxima trajecto manu, Thraciam, Macedoniam, & Illyrium latè depopulatos, ingentem feciſſe Romanis terrorem. Interimque, dum in eos Romanorum arma expediuntur, Bœrebiſta fato conceſſit. Auguſtus legiones ferè decem in illos miſit, eorumque opes uſque adeò attrivit, ut ex ducentis millibus militum ad quadraginta millia copias eorum redegerit: ac parum abfuerit, quin gentem totam imperio ſubderet Romano. Aliquot annos pòſt fines Romanos ingreſſi, Oppium Sabinum conſularem virum cum exercitu ceciderunt, qui à Cornelio Fuſco, Domitiano principe, poſt varia prælia tandem compreſſi ſunt. Trajanus Imperator multum cum eis magnáque cum gloria belligeravit. Antoninus Caracalla per occaſionem nihil tale ſuſpicantes vehementer afflixit. Gordiani verò temporibus in Romanos fines frequentiſſimè ſe effundebant, quos minor Gordianus facili operâ excedere Provincia coëgit. Ferox & inquieta gens, ſuiſque ſedibus malè contenta, ſubinde cauſas alienas invadendi quærebat. Itaque Philippo Boſtrenſi Imperatore, qui primus ex Romanis principibus Chriſtianam pietatem eſt profeſſus, multis cædibus populationibúſque editis ampliùs trecenta ferè virorum millia in proximas ſibi Thraciam, Myſiamque irruerunt. Ad quos expellendos miſſus Decius rem parum plerumque proſperè tentatam & ipſe infectam reliquit, quam ſuccedens Philippo in principatu diſſimulavit. Gallus deinde pater, & Voluſianus filius, certis conditionibus ſibi iniquis pacem cum illis fecerunt: quam Gothi non admodum diuturnam ſervarunt, ignavia & ſocordia Gallieni principis freti. Non jam Thraciam Myſiamque, ſed Aſiam ipſam minorem ſunt tentare adorti. Bithyniam vexatam ſpoliaverunt, reverſique in Europam, Thraciam Macedoniamque pervaſtarunt. Quibus in Achaiam venientibus Macrinus ſe objecit, eoſque vicit ac fugavit perſecutus, quouſque illos intra fines ſuos compulit. Quibus tamen ſe non diu continuêre; quamquam egreſſi in ſtrenuiſſimum principem inciderunt, virum nec minoris felicitatis quàm virtutis, ſi vita modò contigiſſet in principatu diuturnior. Claudius fuit is, qui ccc. millia eorum partim delevit, partim cepit. Infinitam fuiſſe gentis hujus multitudinem oportuit. Non enim multos poſt annos, Aureliano Imperium tenente, ad arma redierunt, primóque prælio ſunt ad Danubium ſuperati.

Fl. Con-

Fl. Conſtantinus tanta illos cæde affecit, ut cogeret tandem multos per annos quietos eſſe. Ita enim iſti pugnabant, ut magno hoſtium malo vincerent, non minore ſuo vincerentur. Atque hæc quidem geſſerunt Gothi, quàm diu certas ipſi habuerunt ſedes. Valente principe, Hunni, qui & ipſi ſunt Scythæ, ſed immitiores rudioreſque humani commercii, in Ryphæos montes inclinatiores, inter Tanaim Maſſagetaſque concluſi, Gothos regione quam incolerent, per vim ejecêre. Quæ tametſi rigoris intemperie parum humanis erat uſibus commoda, tamen Hunni ſaluberrimam ſuaviſſimamque omnium exiſtimabant, homines extra ſolis vias curſuſque nati & educati. Hic jam Gothi ſedibus, domibus, laribus, penatibuſque exuti, qui ultra alienos erant ſoliti fines invadere, coacti ſunt vel mortem fortiter oppetere, vel in alieni ſoli poſſeſſionem, cùm ipſi nullum jam haberent, hærere. Sunt qui non Getas illos, quos Oſtrogothos diximus, veniſſe in agrum populi Romani perhibeant, ſed Viſogothos fortunâ ſociorum conterritos deliberaſſe de mutandis ſedibus, veritos ne eadem eſſent paſſuri, quæ Oſtrogothi, extendentibus ſe velut marino æſtu Hunnicis armis, vicioáſque regiooes delentibus. Hæc res Viſogothos in eam ſententiam impulit, ut legatos ad Valentem Romanum imperatorem mitterent, qui gentis nomine Myſiam citra Danubium flumen ſibi incolendam peterent, ſpondentes communi nomine, ſe omnes Chriſtianam pietatem accepturos, futuróſque honos fideléſque Romanorum ſtipendiarios, armis ſuis opibúſque fines illos populi Romani ab incurſibus reliquorum Scytbarum ſedulò defenſuros. Quibus conditionibus adductus Valens Lupicinum & Maximum velut duumviros agris dividundis ad eos miſit, qui ſedes Viſogothis diſtribuerent. Hi cùm avarè crudeliterque haberent gentem, primùm ferre Gothi, & diſſimulare injuriam, ac primo ſtatim alienæ regionis ingreſſu res novarent, exiſtimantes, cùm exſatiati ſuis opibus duces eſſent, facturos ſæviendi & rapiendi finem. Sed illi dum malignè commeatus partiuntur, & cutant, famem intolerabilem effeceruot, quæ & ipſis ducibus & Romano principi exitio fuit. Gothi enim cùm fame jam ſe velut beluas viderent peti, correptis tumultuoſiſſimè armis Romanos duces cum præſidiis atrociter cædunt, & ita armati totam Myſiam pervagantur, inque proximam tranſcendunt Thraciam, quam ſibi vectigalem reddiderunt. Hic illis occurrit Valens: pugnatúmque eſt acriter, fuſis fugatiſque Romanis, magna in eis factâ ſtrage. Saucius Imperator in hoſtium poteſtatem vivus venit: quem illi efferatiores poſt tantum exhauſtum ſanguinem vivum cremaverunt, rectáque Byzantium petunt: & nullis obviam factis armis, urbem corona cingunt, quæ aliquamdiu opera & conſilio Dominicæ Valeotis conjugis obſidionem ſuis opibus tulit, confirmatis in fidem principis civium animis, magna Dominicæ largitione. Pòſt Valentiniani Valentis fratris virtute ſolutâ obſidione, retrò abierunt. Valentinianus Theodoſium Hiſpanum virum accitum ex Hiſpania adoptavit, participemque fecit imperii. Hic Gothos multis præliis fregit contuditque, & ſupplices pacem coëgit petere: quam cùm dediſſet, rexque eorum Athalaricus Byzantium ad Theodoſium ægrum viſendum veniſſet, rex in morbum lapſus, aliquot poſtea menſibus moritur. Gothi toto imperii Theodoſii tempore ſub Romano imperatore militarunt: nec regem habuerunt alium, nec ducem, niſi quem Romanns dediſſet Imperator. Inter hæc Theodoſius, Mediolani, princeps ſine controverſia & bello & pace optimus, moritur, Baſſo & Philippo COSS. relictis Archadio & Honorio filiis, & Placidia filia. Archadium Byzantio & illi orientali præfecit imperio, Honorium occidentali Romanæque urbi. Et quia juvenes admodum erant, tutores educatoréſque teſtamento aſſignavit: illi Ruffinum, huic Stiliconem, vafrum utrumque & ſceleratum hominem, cujuſmodi ingenia facillimè in intimas ſe ſolent aulas inſinuare. Hi principum ætate injuriæ obnoxia ad ſuas ambo augendas opes, magnamque ſibi & immodicam parandam potentiam abutentes, non jam de privata aliqua magnitudine cogitare, ſed ad principale ipſum faſtigium animos nefariis cogitationibus adjecerant. Ruffinus ſibi, Stilico filio imperium affectabat. Cùm hæc uterque conſilia agitaret, bello opus erat ad eas res perficiendas, ut tempeſtate turbatis rebus cùm minùs eorum deſideria deprehenderentur, tum verò perficerentur faciliùs perculſis principum animis bellorum terroribus, nihil non concedentibus proximis ſibi viris, & qui rerum omnium adminiſtrationibus præeſſent. Nam in pace velut ſereno & tranquillo cœlo, & cognoſci tenebras ſuorum animorum, & puniri conſulentibus per ocium principibus poſſe non ignorabant. Quocirca Gothos, gentem ad res novas tumultúſque bellicos exciendos aptiſſimam, ſpe ingentis prædæ uterque ſollicitat, ut ſuo principi bellum faciat. Gothi occaſionem adeſſe rati, vel rei alicujus bene gerendæ, vel certè intentato bello domum cum haud parva redeundi præda, arma induunt, regéque de ſuo corpore ex Balthorum Illuſtri familia Halarico creato, fines ſuos magno vicinorum terrore egrediuotur. Huic ſe paullò pòſt Rhadagaſus cum ducentorum Gothorum millibus conjungit: cumque nulla ſatis terra multitudini alendæ eſſet, caſtra duces dividunt, diverſiſque profecti viis per Pannoniam, Illyricum, Noricumque, incenſis vaſtatiſque obviis rebus omnibus, in Italiam veniunt. Ruffinus cùm imprudentius cogitata exſequeretur, ad Theſſalonicam à militibus occiſus eſt. Stilico aſtutius conſilia celabat: & Rhadagaſus quidem per Etruriam ad urbem cum agmine veoiebat, longè latéque quacumque iret fugam terroremque oſtendens. Trepida Romana civitas mercenarios duces venienti opponit. Rhadagaſus inconſultiùs exercitu caſtriſque diſpoſitis, in loca ſe iniqua præcipitavit. Commeatibus ademptis multitudinem ſuam fame confecit. Ipſe comploratis rebus, dum fugam per occulta cum paucis tentat, à Romanis militibus interceptus necatúſque eſt, Gothorum multitudine viliſſimis preciis divendita. Secundùm hanc Gothorum cladem, Halaricus in Italiam venit, majoribus adhuc miſcens omnia terroribus, quàm fecerat Rhadagaſus. Ad cujus rei nuncium, Stilico qui Byzantii erat, præmiſſa copiarum parte, quæ extremum Gothorum agmen carpendo ab ſtrage aliqua magna agrorúmque vaſtatione hoſtem deterreret; ipſe per oram Superi maris cum viribus peditatus equitatúſque ad hoſtes pervenit: uterque exercitus caſtra prope Ravennam contulit: Gothi Pollentiam viam obtinebant, numero quidem potiores, ſed arte & diſciplina militari nequaquam cum exercitu Romano comparandi. Stilico bellico aſtu plerumque Gothos ſuperavit, compulitque in arctum quemdam locum, ubi ſedens conficere poterat bellum, ſi voluiſſet: verum cum exercitu eſſe decreverat, quouſque populares ſui Vandali in Galliam veniſſent. Pro indubio enim habebat eam fore certam occaſionem imperii Euchebrio filio parandi. Ita levibus aliquot certaminibus hoſtem laceſſendo tempus trahebat: quod Halaricus cùm per occultos meatus olfeciſſet, ad Honorium detulit. Eóque velut munere cum placatiore ſibi Honorio ſe uſurum exiſtimaret, per eoſdem legatos quos ad detegendum Honorio ſcelus Stiliconis miſerat, Galliæ partem ſuæ multitudini petiit: victuros ſe legibus Romanis, nec parvo futuros uſui imperio belliſque Romanis, nulliſque provincialibus vel fide vel obſequio erga Romanos ceſſuros. Imperator ancipiti malo concuſſus, in partem ditionis Gothos recipere, quàm Stiliconis perfidiâ ſibi ſuiſque exitium parare maluit. Neque enim primus detulerat ad Honorium Halaricus, quòd Stilico coqueret ſcelus. Nec tamen tutum putabat quovis tempore virum tollere ex duabus uxoribus ſibi ſocerum, & opibus ſupra privatum faſtigium pollentem potentémque. Simul igitur cum legatis Gothorum litteras ad Stiliconem mittit, ut primo quoque tempore Gothos in Galliam venire permittat. Nuncius hic fuit Stiliconi aſper & importunus: quippe & ſe fraudari tanta ſpe videbat, & ſua conſulta palàm fieri ſuſpicabatur. Hæſit aliquandiu acer & ferox animus, tandem quod tutius erat ſecutus, pariturum ſe juſſis principis ſui, reſpondit. Sed ne res in totum è ma-

nibus laberetur, Saulum quemdam cum Judaicis copiis ſubornat, qui Gotborum veſtigiis proximè inſiſtens, cæſis per occaſionem aliquot millibus, irritabilem populum ad fœdus rumpendum impellat. Saulus Dominico die, quo ex vetere noſtræ religionis inſtituto feriamur, cum toti rebus ſacris intenti Gothi eſſent, impetum in eos facit, primóque tumultu aliquot ex eis ſternit. Territi Gothi ſubitò, quantum io trepidatione rerum fieri poterat, num ad arma concurrendum eſſet, conſultant. Venerat enim in religionem feſto Servatoris die arma tractare, bumanum ſanguinem fundere, cædes bominum facere. Sed cùm Judæi modum occidendi trucidandique non ponerent, ſibi quiſque conſilium cœpit non exſpectato communi, ut arma ſui tuendi gratiâ indueret. Cúmque jam frequentes armati conveniſſent, Halaricus pro tempore inſtructâ acie imbelle genus hominum facilè ſiſtit. Hinc connixi aliquantum Gotbi Judæos fundunt, fugantque. Et queſti coactos ſe à violatoribus humsni juris divinum jus polluere ac contaminare, Chriſtum ipſum invocantes, per cujus juratum oumen fœdus eſſet utrimque ſancitum, cujuſque ferias contra ſuam voluoratem cruore, cædibus, ſtrage fœdaſſent, irâ incenſi, per mediam Italiam ad urbem ferre ſigna pergunt. Dimiſerat Stilico nonnullos milites tamquam ſine bello inutiles, quos ad præſentem terrorem coactus eſt ab imperatore repetere, ſimul cum ſupplemento copiarum, ut maximis viribus Gothorum conatibus obviam iretur. Honorius patefactis Stiliconis conſiliis, magnam militum manum ad eum mittit, dato ducibus occultè negotio, ut opportuno rei agendæ tempore captato, Stiliconem cum filio obtruncent. Illi communicato inter ſe conſilio, diéque deſtinato, quo imperata principis ſtrenuè peragerent, diverſi Stiliconem ac filium adorti, & eos ipſos, & ex neceſſariis aliquot, qui vim parabant, Romæ in foro Pacis interficiunt. Imprudens tamen & ignavus princeps, duce ſublato, in ejus locum neminem ſurrogavit: credo ne ullus parem nactus potentiam, ſimilia moliretur. Ita exercitus ſine præcipuo aliquo duce miſerè à Gothis fuſus, per multas clades terrorem Gotbici nominis ingentem imbibit. Gotbi ſuperiores facti, ad urbem Romam ſigns infeſta ducunt, eámque obſidione diu preſſam, capiunt, diripiunt majori tumultu atque expilatione rerum, quàm cædibus aut ſtupris, aliiſque tetris ac fœdis facinoribus, quæ urbibus expugnatis committi per inſolentiam militum ſolent. Halaricus enim urbem ingreſſurus, duo in caſtris edicta propoſuerat: alterum, à cæde & violatione bominum abſtinerent, ſibi ejuſmodi res diſpliciruras: alterum, ut capitale eſſet, ſi quis eum qui ad templa principum Apoſtolorum confugiſſet, læderet, aut ipſa templa violaret. Capta eſt à Gothis Roma anno poſt eamdem conditam M.C.LXIV. Cal. April. Flavio & Varrone COSS. Quo pacto ſit capta, parum explicant rerum ſcriptores. Baptiſta Egnatius ſe modum ejus rei dicit ex Procopio Græco afferre, mirárique interpretem vel eum locum ſcientem prudentémque tranſiliiſſe: vel ſi in mutilum incidit codicem, parum animadvertiſſe quid deeſſet. Procopium Græcum nondum vidi: fides erit penes Egnarium, bominem diligentem, ac bene doctum, quantum ex ſcriptis judicsre poſſum. Scribit ergo: Obſederat Romam Halsricus jam biennium, nec Hoorius, qui Ravennæ deſidebat, aut ferre ſuppetias poterat, aut sudebat. Nam cùm nihil minùs quàm de urbis ſalute ſollicitus eſſet, Stilicone interfecto, ducem exercitui minimè præfecerat, qui rem adverſus Gothos adminiſtraret. Unde Gothis obſidendæ urbis cogitatio, Romano milite aut dilapſo, aut ſegniter rem agente. Verùm eam fruſtrà obſeſſam cùm expugnare vi non poſſent, ad dolum hoſtis barbarus vertitur. Profectionem in patriam ſimulat, trecentóſque juvenes corporis & animi vi præſtantes deligit, quos Romanis principibus dono det, inſtructos priùs, ut omni obſequio dominos ſuos promereri ſtudeant: & sd certam diem circa meridiem, cùm Romani principes ſomno vel otio vacarent, ad Aſinariam portam advolent: interfectiſque improviſo inſultu cuſtodibus, portam ſibi præſtò futuris aperiant. Interea Gothi cùm reditum alia atque alia deeſſe ſibi ſimulantes differrent, trecenti illi juvenes occaſione egregiè uſi, portam ſtato die ſuis aperiunt, & intromiſſus Gothus majore ignominia quàm damno urbem omnem populatur. Sunt qui Probæ illuſtris fœminæ & opuleotiſſimæ operâ patefactam Gothis portam exiſtiment, cùm plebem Romanam paſſim fame & morbis, pecudum more cadentem miſeraretur. Duo ſunt cognitu non indigna: unum, edictum ab Halarico fuiſſe, ut quicumque in templa divorum confugerent, præcipuè Petri & Pauli, his nulla vis inferretur: quod & ſumma fide ſervstum. Alterum, quòd cùm nunciatum Honorio eſſet Ravennæ, Romam perditam: credidit ille de pugnaci Gallo, cui nomen erat Romæ, ſignificarum eſſe, admiratúmque vehementer tam ſubitò periiſſe eum, quicum paullò aotè feſtiviſſimè luſerat. Hæc Egnatius. Has omnes clades maledicentiſſima & impia gens religioni Chriſtisnæ imputabat, negans futurum, ut capta umquam eſſet Roma, ſi Deorum religiones à majoribus cultas traditáſque poſteris tenuiſſent: quaſi verò non eamdem ob cauſam, quia violatum eſt jus humanum, Galli olim vigentibus, ut ajunt, maximè impiis illis inſaniis, urbem ceperint & diruerint: ceu non multi Imperatores Chriſtiani optimè rem geſſerint, & tamquam non bæc inclinatio imperii & manifeſtus ad ruinam caſus cœperit ſub Imperstoribus gentilibus, & non per eamdem ſocordiam ignaviámque Honorius amiſerit Romsm, per quam Galienus Ægyptum, Aſiam, Galliam, ad quarum perditsrum rumores dictis luſerit facetis. Adverſùs bos igitur homines ſanctæ religionis, etiam ſi nulla contigiſſet calamitas, inimicos, & infenſos, libros conſcripſit Auguſtinus duos & viginti, Civitatem Dei, boc eſt, Chriſtianam religionem adverſùs rabioſas atque impias eorum querelas defendens.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS DE CIVITATE DEI.

Libro i. Cap. i. *ANnon etiam illi Romani Christi nomini infeſti ſunt, quibus propter Chriſtum Barbari pepercerunt. Teſtantur hoc Martyrum loca & Baſilicæ Apoſtolorum, quæ in illa vaſtatione Urbis ad ſe confugientes ſuos alienóſque receperunt.*] Sed non erat diſſimulandum boſce Barbaros fuiſſe Chriſtianos, quamvis Arii ſectam ſequerentur. Vide *Paulum Oroſium* Lib. vii. c. 6. in fine. Sed laudandi fuiſſent Hæretici, & rei admirabilitas minuenda; quod ſimplicior quidem Scriptor facere potuiſſet, ſed non callidus Rhetor.

Cap. iii. *Ecce qualibus Diis urbem Romani ſervandam commendaſſe gaudebant. O nimium miſerabilem errorem!* &c.] Irridet, nempe, Deos qui nec Templa ſua, nec ſtatuas ſervare potuerant. Idem facit *Lactantius* Inſtit. Divin. Lib. ii. c. 4. & alibi. Idem quoque alii veteres Chriſtiani; ſed, niſi fallor, imprudenter, cùm ſimilia aliquatenus Judæis objici poſſent, qui tamen verum colebant Deum. Sic & aliàs fecerunt minùs prudentes Chriſtiani, Ethnicis objicientes, quæ ipſis ab Ethnicis objecta fuerant, ut viri docti animadverterunt. At ſi prudentiores fuiſſent, iis armis pro Religione Chriſtiana utendum fuit, quæ uſui numquam Ethnicis fuiſſent, aut eſſe poſſent, cùm Veritati nihil commune ſit cum Mendacio. Verùm Rhetores, veriſimilium æquo avidiores captatores, talia monita nequaquam attendebant.

Cap. v. *Quem morem etiam Cæſar (ſicut ſcribit Salluſtius,*

Digitized by Google

luſtius, nobilitate veritatis hiſtoricus) ſententiâ ſuâ, quam de conjuratis in Senatu habuit, commemorare non prætermittit.] Credebam illico, cùm hæc primùm legerem, hîc legendum *nobilitatas*, ſed inſpectâ *Eraſmi* Editione, vidi mendum hoc eſſe typographicum, legendúmque *nobilitatæ*, hoc eſt, celebratæ veritatis. Obſervant autem hîc Benedictini, in omnibus MSS. legi non *Cæſar*, ſed *Cato*, verùm quia verba, quæ profert poſtea *Auguſtinus*, ſunt in oratione *Cæſaris* non *Catonis*, à Criticis mutatum eſſe nomen. Suſpicantur ipſi potuiſſe fieri ut *Auguſtinus* memoriâ lapſus ſit. Iis eò libentiùs adſentimur, quòd aliud agens *Auguſtinus*, ut fit, vidénſque hæc verba magis feciſſe ad ſcopum orationis *Catonis*, quàm *Cæſaris*, ea potuerit propterea *Catoni* tribuere. Sæpe animo in rem quampiam ſeriò intento, memoria minùs fida eſt.

Cap. IX. *Suæ famæ ac ſaluti conſulentes, dum inſidias atque impetus malorum timent.*] Dudum obſervaverat *Joan. Frid. Gronovius*, Obſervat. in Script. Eccleſiaſticos, cap. XVII. in MSS. deeſſe vocem *conſulentes*, adeóque delendam. Sic enim ſæpe loquitur *Auguſtinus*, ut infrà Cap. XXX. *Iſtam vobis metuens calamitatem*; & Cap. XXXII. *Hanc probitatis & honeſtatis everſionem vobis Scipio ille metuebat.* Hanc animadverſionem judicio ſuo confirmarunt Editores Pariſienſes.

Cap. XVII. *Ac per hoc & quæ ſe occiderunt* (ſanctimoniales ne vitiarentur à militibus) *ne quidquam hujuſmodi paterentur, quis humanus affectus eis nolit ignoſci?*] Hac de re multis agit in ſequentibus, ubi meritò & firmis rationibus *αὐτοχειρίαν* oppugnat. Sed aliud eſt velle ignoſci iis, qui in extremo caſu & animo periculi atrocitate perturbato, ſimile quid fecerunt; aliud factum probare. Vellem tamen ut Lucretiæ & Catoni æquior noſter fuiſſet, cùm declamatores Ethnici ſimilia in Chriſtianas Virgines & fervidiores Martyres jacere poſſent. Sed iniquior fuit Ethnicis omnibus, poſt controverſias Pelagianas; quia nihil ſine *gratia*, hoc eſt, afflatu divino inuſitato, bonum eſſe dicebat, nolebátque eam *gratiam* Ethnicis tribui.

Cap. XXVI. *Quædam Sanctæ Feminæ, tempore perſequutionis, ut inſectatores ſuæ pudicitiæ devitarent in rapturum atque necaturum ſe fluvium projecerunt, eoque modo defunctæ ſunt, earúmque martyria in Catholica Eccleſia veneratione celeberrimâ frequentantur.*] Tales Domninæ filiæ Bernice & Proſdoce, quarum natalem celebrant Græci die IV. Octobris & de quibus exſtat elegans Homilia *Joannis Chryſoſtomi* Tomi primi LI. Eam Latinè inſeruit Actis ſinceris & ſelectis Martyrum *Theod. Ruinartus*, ubi etiam quædam habet, hanc in rem, in præfixa Admonitione, lectu non indigna.

Ibidem. *De his nihil temerè audeo judicare. Utrum enim Eccleſiæ aliquibus fide dignis teſtificationibus, ut earum memoriam ſic honoret, divina perſuaſerit auctoritas neſcio.*] Multò credibilius eſt à vicinis Eccleſiis primùm eas virgines in ordinem Martyrum relatas; quòd hoc, quidquid fuit peccati, ſatis elutum eſſe cenſerent, animo quo in id inciderant, hoc eſt, intemeratæ caſtitatis & Religionis Chriſtianæ amore. Sanè multa laudantur, in quibus tantus animus non emicuit, quantus in iis quæ excuſatione indigent. Quamobrem id earum factum laudare non dubitavit *Chryſoſtomus*, novúmque & inuſitatum baptiſma vocare. Quæ in Eccleſia conſtituuntur ſæpe ſenſim, & ſine matura ulla deliberatione in eam irrepunt; quinimò & in ipſis Conciliis, ubi ſuffragiis omnia decernebantur, non doctiores, qui pauci erant, ſed plures, hoc eſt, indoctiores aut certè auctoritate ac dicendi facultate ſuperiores audiebantur: ut omnes norunt, nec ignorabat ipſe *Auguſtinus*.

LIBRO II. Cap. 3. *Memento autem me iſta commemorantem adhuc contra imperitos agere, ex quorum imperitia, illud quoque ortum eſt vulgare proverbium:* Pluvia deſit, cauſa Chriſtiani. *Sunt námque qui eorum ſtudiis liberalibus inſtituti amant hiſtoriam, qui facillimè iſta noverunt; ſed ut nobis ineruditorum turbas infeſtiſſimas reddant, ſe noſſe diſſimulant* &c.] Notant, nempe, quod anteà dixit *Auguſtinus*, nonminùs ante Chriſtiana tempora, quàm deinceps ſiccitates aliáſque id genus calamitates contigiſſe. Nemo copioſiùs objectionem hancce diduxit, & pluribus confutavit quàm *Arnobius* Lib. I. contra Gentes. Inter eruditos illos, quos memorat *Auguſtinus*, accenſendus fuit *Symmachus* ille Urbi Præfectus, qui talia habet, in relatione oblata Valentiniano, anno CCCLXXXIV. quam confutavit *Ambroſius*. Vide num. 14. in Editione Ambroſiana. Ad eam calumniam confutandam, rogatu *Auguſtini*, hiſtoriam ſcribere aggreſſus eſt *Paulus Oroſius*, ut in Præfatione ipſa ad *Auguſtinum* teſtatur.

Cap. VII. Poſtquàm exprobravit Deos Ethnicorum nulla virtutis præcepta cultoribus ſuis ſuppeditaſſe, ita pergit: *an nobis fortè Philoſophorum ſcholas diſputationeſque memorabant? ——Non Deorum præcepta ſunt, ſed hominum inventa, qui utcumque conati ſunt, ingeniis acutiſſimis præditi, ratiocinando veſtigare quid in rerum natura latitaret, quid in moribus appetendum eſſet, quid fugiendum* &c.] Nimirum, id quod Religionem vocabant Ethnici, erat diſciplina quædam ſuperſtitioſa de ritibus ſacrorum, quibus Deos placari putabant, eáque à Sacerdotibus & Pontificibus diſcenda, non à Philoſophis. At quiſquis ſcire cupiebat quid de Numine ſentiendum, & quomodo mores inſtituendi, eum ad Philoſophos conferre ſe oportebat. Audiamus hac de re Latinorum Patrum diſertiſſimum *Lactantium*, Lib. IV. c. 3. Inſtitutionum Divinarum, quo in libro agit de Vera Sapientia: *Deorum cultus*, inquit, *non habet ſapientiam; non modò quia divinum animal hominem terrenis fragilibuſque ſubſternit; ſed quia nihil ibi diſſeritur quod proficiat ad mores excolendos, vitámque formandam, nec habet inquiſitionem aliquam veritatis, ſed tantummodo ritum colendi, qui non officio mentis ſed miniſterio corporis conſtat. Et ideò non eſt illa Religio vera judicanda; quia nullis juſtitiæ virtutiſque præceptis erudit, efficítque meliores. Itaque Philoſophia, quia veram Religionem, id eſt, ſummam pietatem non habet, non eſt vera ſapientia* &c. *Quoniam igitur, ut dixi, Philoſophia & Religio Deorum disjuncta ſunt, longéque ſecreta, ſi quidem alii ſunt profeſſores ſapientiæ, per quos utique ad Deos non aditur; alii Religionis Antiſtites, per quos ſapere non diſcitur; apparet nec illam eſſe veram ſapientiam, nec hanc Religionem* &c. Quæ objectio cenſenda eſt, meo quidem judicio, inter maximas & firmiſſimas quibus Ethnica ſuperſtitio labefactari ac deſtrui penitus, & contra Religio Chriſtiana illuſtrari, & confirmari potuit, ſi quando Chriſtianis res fuit cum paullò doctioribus Ethnicis.

Cap. XVII. *An fortè populo Romano propterea Leges non ſunt à Numinibus conſtitutæ, quia ſicut Salluſtius ait,* jus bonúmque apud eos non legibus magis, quàm natura valebat? *Ex hoc jure ac bono credo raptas eſſe Sabinas. Quid enim juſtius & melius, quàm filias alienas fraude ſpectaculi inductas, non à parentibus accipi, ſed vi, ut quiſque poterat, auferri?*] Meritò *Auguſtinus* hîc & in ſequentibus irridet quod Romani jactabant de virtute conditorum Reipublicæ ſuæ, & proximè ſequutarum ejus ætatum. Nam ſanè, ut oſtendit, ex *Salluſtio*, quemadmodum etiam ex *Livio*, *Dionyſióque* Halicarnaſſeo, conſtat veteres illos Romanos perpetuis ſeditionibus, ex intolerabili nobilium injuſtitia natis, domi agitatos fuiſſe; foris verò bellis vicinos omnes vexaſſe, quæ ſine ſumma injuſtitia, inhumanitate & crudelitate geſta non ſunt, quamvis ab Hiſtoricis ſpecioſis nominibus amoris Imperii, Patriæ, & Fortitudinis velentur. Si conſcriberetur hiſtoria Romana, ſine fuco, & adhibitis, non Rhetorum coloribus, quibus vitium pro virtute venditatur, præconceptiſque temerè opinionibus, ſed rectæ Rationis & veræ Virtutis luminibus, liqueret laudatiſſimos illos veteres Romanos fuiſſe meros latrones, ſibi invicem domi inimicos, nec umquam conſentientes, niſi ad infeſtandos latrociniis vicinos. Quòd ſi nondum deliciis fracti eſſent, quia pauperes etiamnum erant, propterea meliores habendi non fuerunt, quàm ubi ſumtuoſiùs & delicatiùs peccare cœperunt. Quis enim pluris faciat barbaram duritiem

Scytharum, quos hodie Moſchos, aut Tartaros vocamus; quàm Meridianarum gentium molliorem nequitiam? Fateor pauperem illam barbariem bello, & propulſandis hoſtibus meliorem eſſe; ſed an eſt melior, ad mores quod attinet, hoc eſt, juſtior, temperantior, prudentior? Non puto. Utrobique eſt barbaries & immanitas, ſive ſit cum deliciis, ſive cum pauperiore cultu ac victu conjuncta. Sed ſolent homines, vitiorum ſuæ ætatis pertæſi atque impatientes, præſentibus ſemper præferre tempora præterita; quibus ſi vixiſſent, ſimiles querelas profudiſſent, & in antiquioribus ſæculis majorem virtutem ac felicitatem quæſiviſſent. Hæc ſi ad animum ſeriò revocaſſent recentiores Romani, nemo dixiſſet cum *Juvenali* Sat. III.

Felices proavorum atavos, feliciáque illa
Sæcula, quæ quondam ſub Regibus, atque Tribunis,
Viderunt uno contentam carcere Romam!

Cap. XXV. *Jam multos moverat, quòd miles quidam, dum occiſo ſpolia detraheret, fratrem, nudato cadavere, agnovit, ac deteſtatus bella civilia, ſe ipſum ibi perimens fraterno corpori adjunxit.*] Exſtant in Veterum Poetarum à *Joſepho Scaligero* editis Catalectis, elegantiſſima duo Epigrammata *in Mævium qui fratrem ignarus interfecit*; ſed refertur miſerandum hoc facinus ad Bellum Actiacum, quod Auguſtus cum Antonio geſſit; quod verò hîc narratur pertinet ad initium belli Syllani, contigitque in prælio quod commiſit Cn. Pompejus cum L. Cornelio Cinna, de quo *Livius* Lib. LXXIX. Bis idem potuit contingere, aut etiam Poëta ad aliud bellum quod in alio contigerat retulit.

Exit in immenſum fœcunda licentia vatum,
Obligat hiſtoricâ nec ſua verba fide.

Cap. XXVII. *Vir gravis & Philoſophaſter Tullius Ædilis futurus clamabat* &c.] Quamvis Ethnicam Philoſophiam, ſapientiæ Chriſtianæ collatam, meritò ſperneret *Auguſtinus*; tamen ſemper maximi fecit *Ciceronem*, honorificéque ubique de eo loquutus eſt, & fortè pleraque quæ de Philoſophia norat ei debebat; nam ad Græcorum fontes numquam, ut notum eſt, adiit. Itaque mihi perſuadere non poſſum *Ciceronem* ab eo ita contemtim habitum, ut *Philoſophaſtrum* vocaret. Plerique MSS. habent *Philoſophus tertullius*, alii *tertullius*, unus Corbeïenſis *philoſophaſter Tullius*, quemadmodum legendum conjecerat *Lud. Vives*. Crediderim in antiquiſſimis codicibus ſcriptum fuiſſe PHILOSOPHUS M. TULLIUS, deinde pro M. à feſtinante librario lectum, aut ſcriptum III. quod poſtea expreſſum *ter*; unde nobis natus *Philoſophus Tertullius*, aut *ter Tullius*, aut denique *Philoſophaſter Tullius*, invito, niſi fallor, *Auguſtino*, qui exiſtimabat ab eo *in Latina Lingua Philoſophiam inchoatam & perfectam*, contra Academ. Lib. I. n. 8. Ac ſanè, hoc ipſo in loco, vox *gravis* oſtendit *Auguſtinum* voluiſſe de eo honorificè loqui, nec conſentiunt voces *gravis* & *Philoſophaſter*.

LIBRO III. Cap. 4. *Vir doctiſſimus eorum Varro falſa hæc eſſe, quamvis non audacter, neque fidenter, penè tamen fatetur. Sed utile eſſe civitatibus dicit, ut ſe viri fortes, etiamſi falſum ſit, Diis genitos eſſe credant; ut eo modo animus humanus, velut divinæ ſtirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præſumat audaciùs* &c.] Nemo Philoſophiæ paullò peritior credidit æternum Numen mulierum amore poſſe capi. Itaque quærendæ cordatioribus fuere cauſæ, cur antiquiſſima fama tot filios Deorum prædicaret; quarum rationum unam hanc *Varro* prodiderat, in quopiam libro ex iis quos tanto numero ſcripſerat & qui perierunt. Verumtamen fraudibus Sacerdotum & muliercularum aut deceptarum, aut ſponte impudicarum, filios illos Deorum debitos, maxima ex parte, exiſtimarim. Cùm libidinoſi Sacerdotes virginem in templo aut luco Numinis cujuſpiam vitiarant, nec eorum intererat ducere eam uxorem, ut ejus honori conſulerent, ex ipſo Numine natum puerum dicebant; nec puellæ, eorúmque propinqui rem negabant, cùm honori vitiatarum eâ fraude conſuleretur. Antiquiſſimis temporibus rudes homines, nec ullis ſtudiis expoliti talia ſibi perſuaderi ſtultè paſſi ſunt. Pluribus hac de re egit *Joan. Clericus* in notis ad *Theogoniam Heſiodi*.

Cap. X. *An reſpondent quòd niſi aſſiduis ſibique continuo ſuccedentibus bellis Romanum Imperium tam longè, latéque non poſſet augeri, & tam grandi gloriâ diffamari?*] Rectè obſervavit *J. Frid. Gronovius* hic *diffamari* perinde eſſe ac celebrari, eámque vocem in utramque partem ſumi, quod ex *Nonio Marcello* probat. Addit Membranas MSS. ignorare τὸ *ſuccedentibus*, legendúmque putat *aſſiduis ſibique continuis bellis*. Obſervat. Lib. III. c. 16. Miror Benedictinos hujus variæ lectionis non meminiſſe. Quod attinet ad vocem *diffamare*, in bonam partem non rarò ab *Auguſtino* ſumitur, ut hujus Libri Cap. XXXI. *Multò autem minùs eorum voces tolerarentur, quantum attinet ad Romanos ſi Chriſtianæ Religionis receptionem, & diffamationem, vel irruptio illa Gallorum, vel Tiberini fluminis igniúmque illa depopulatio, vel quod cuncta mala præcedit, bella civilia ſequerentur.*

Cap. XVIII. *Sacra illa fatalia, quæ jam tres, in quibus fuerant, preſſerant civitates —— Metellus Pontifex ſuæ quodam modo ſalutis oblitus, irruens ſemiuſtulatus abripuit*] Trojam, Lanuvium & Albam rectè intelligi oſtendit *Juſtus Lipſius*, Syntagmatis de Veſta & Veſtalibus Cap. II. ubi multis hunc *Auguſtini* locum illuſtrat.

Cap. XXXI. *Cùm pluit terrâ, cùm pluit cretâ, cùm pluit lapidibus, non ut Grando appellari ſolet hoc nomine, ſed omnino lapidibus; hæc profectò etiam graviter lædere potuerunt.*] Cùm lapidibus pluiſſe dicebant, omnino majorem grandinem intellectam fuiſſe exiſtimo, cùm præſertim *Auguſtinus grandinem* ita dictam obſervet, ſi quæ, nimirum, ſolito major eſſet. Scriptor de Bello Africano Cap. XLVII. *Vigiliâ ſecundâ noctis, nimbus cum* SAXEA GRANDINE *eſt exortus ingens.*

Ibidem. *Locuſtarum enim in Africa multitudinem prodigii ſimilem fuiſſe, cùm jam eſſet Populi Romani provincia, litteris mandaverunt*] Qui hæc multitudine exemplorum illuſtrata videre avebit, adeat oportet *Samuelem Bochartum*, Hierozoici Part. II. Lib. IV. ſex primis Capitibus, & *Joannis Clerici* Diſſertationem de ſtatua ſalina Geneſi ab eo illuſtratæ ſubjectam.

Ibidem. *Tunc Uticæ ex triginta millibus juniorum, quæ ibi erant decem remanſiſſe confirmant.*] Rectè animadverterunt Benedictini, *juniores* dictos præſidiarios milites. Quod pluribus exemplis confirmatum invenies apud *Juſtum Lipſium* Epiſtol. Quæſtionum Lib. I. Epiſt. I.

LIBRO IV. Cap. 4. *Remotâ juſtitiâ quid ſunt regna, niſi magna latrocinia; quia & ipſa latrocinia quid ſunt niſi parva regna?*] Molliùs flueret oratio ſi pro *quia* legeremus *quin*, præpoſitâ interrogationis notâ. De re ipſa permulta habet elegantia & vera *Lactantius* Lib. V. Inſtitutionum Divinarum.

Cap. VIII. *Neque enim in hoc tam præclaro opere* (prolatorum Imperii Romani finium) *& tantæ pleniſſimo dignitatis audent aliquas partes Deæ Cloacinæ tribuere, aut Volupiæ; aut Vaticano, qui infantum vagitibus præſidet; aut Cuninæ, quæ cunas eorum adminiſtrat*] Teſtantur Pariſini Editores non tantùm in Editionibus aliquot, ſed & in MSS. eſſe non *Vaticano*, ſed *Vagitano*; quod cur in textum non receperint non intelligo, cùm cetera Deorum nomina oſtendant hujus etiam vocabulum à *vagitu* duci oportuiſſe. Vide & Cap. XXI. Scio locum *Varronis* proferri ab *Aulo Gellio* Lib. XVI. c. 17. qui videtur lectioni *Vaticani* favere, ſed cum ſit abſurda etymologia, vulgò potiùs *Vagitanum* dictum fuiſſe exiſtimo.

Cap. IX. *Hunc* (Jovem) *Varro credit etiam ab his coli, qui unum Deum ſolum abſque ſimulacro colunt, ſed alio nomine nuncupari.*] De hac opinione *Varronis* vide quæ obſervavit *Joannes Clericus* Artis Criticæ Parte 2. Sect. I. c. 13.

Cap. X. *Quis enim ferat, quòd cùm tantùm honoris & quaſi caſtitatis igni tribuerint, aliquando Veſtam non erubeſcant etiam Venerem dicere*] Rectè obſervavit

Juſtus

Juſtus Lipſius, in Syntagmate de Veſta & Veſtalibus Cap. II. vix exempla inveniri Veſtæ nomine Veneris appellatæ, nec ejus rei ſatis liquidam eſſe rationem, niſi fortè amoris æſtus cum igne conferatur. Eum vide, ſi vacat.

Cap. XIII. *Si autem ſola animalia rationalia, ſicut ſunt homines, partes Dei eſſe contendunt; non video quidem ſi totus Mundus eſt Deus, quomodo beſtias ab ejus partibus ſeparent.*] Intelligit Stoïcos, qui Mundum Deum eſſe dicebant. Vide *Juſtum Lipſium* Phyſiol. Stoïcorum Lib. I. Diſſ. 8.

Cap. XVI. *Vocaverunt ---- Deam Murciam, quæ præter modum moveret ac faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, id eſt, nimis deſidioſum & inactuoſum*] *Tertullianus* de Spectaculis Cap. VIII. *Murciam Deam marcoris volunt, cui in illa parte ædem vovere.* Sic enim legendum, non *marmoris*, aut *amoris*, ut emendant nonnulli. Nuſquam Veteres *Murciam* illam amoris Deam eſſe prodiderunt, ſed marcoris & ignaviæ; nam *murcus* Veteribus idem quod ignavus. Hinc extremis Latinitatis temporibus, *murcos* appellabant joculariter qui ſibi pollices præciderant, ne militiæ nomen darent. *Ammianus Marcellinus: nec eorum aliquando quiſquam, ut in Italia, munus Martium pertimeſcens pollicem ſibi præſcidit, quos jocaliter murcos appellant.* Deſides & ignavos & imbelles ita vocarunt. *Murcus*, *murcidus*, ut *flaccus*, *flaccidus*. Feſtus: *murcidum*, *ignavum*, *ſtultum*: Plautus: *murcide homo*, *ignave*, *iners*. Malè in editis *murricide*, quod *Scaliger* exponebat *μυοκτόνον*, hoc eſt, muricidam. *Arnobius*: *Murcia*, *ſegniam Dea.* Hæc aliáque habet *Claud. Salmaſius* in *Solinum* pag. 636. Ed. Ultrajectinæ.

Cap. XIX. *Tantum ſanè huic, velut Numini, tribuunt, quam Fortunam vocant, ut ſimulacrum ejus, quod à matronis dedicatum eſt, etiam loquutum eſſe memoriæ commendaverint, atque dixiſſe non ſemel, ſed iterum, quod eam ritè matronæ dedicaverint.*] *Valerius Maximus* Lib. I. cap. VIII. Exempl. Rom. 4. ex emendatione *Juſti Lipſii*: *non ſemel ſed bis loquutum (ſimulacrum) conſtitit, his prius verbis*: RITE ME MATRONÆ VIDISTIS; *deinde*: RITE DICASTIS. Quæ vera eſt lectio, & præ oculis *Auguſtino* fuiſſe videtur.

Cap. XXI. *Divæ Fructeſeæ*] Scripti codices Auguſtini (verba ſunt *Claud. Salmaſii* ad *Solinum* p. 50. Ed. Ultraject.) quos in Germania olim vidimus, habebant, *atque ipſi maximè divæ Frutes Seæ*, in aliis erat, *Frutiſſeæ.* Scripſiſſe *Auguſtinum* opinor: *Divæ frugis*, *Seiæ.* *Seiam* vel *Seam* vocat Deam frugis, cui maximè Agricolæ ſupplicabant, ut ubertatem fructuum ſecundaret. Hanc idem *Auguſtinus* Lib. IV. cap. 8. ex *Varrone* dicit ſegetibus præpoſitam fuiſſe, quamdiu ſub terra eſſent. *Plinius* à ſerendo *Seiam* dictam autumat Lib. XVIII. c. 2.

Cap. XXXI. *Dicit idem auctor acutiſſimus* (Varro) *atque doctiſſimus quod hi ſoli ei videantur animadvertiſſe quid eſſet Deus, qui crediderunt eum eſſe animum motu ac ratione mundum gubernantem.*] Vox *motu*, inquit *Juſtus Lipſius* Phyſiologiæ Stoïcorum Lib. II. Diſſert. X. non omnino diſconvenit, fateor, & verius tamen credam *mente*. *Cicero* I. Acad. de Stoïcis: *Mundum naturâ ſentiente teneri, in qua Ratio perfecta inſit, quæ ſit eadem ſempiterna. Quam vim animum eſſe dicunt Mundi, eamdémque eſſe Mentem, ſapientiámque perfectam, quam Deum dicunt.* Nihil tamen in Vulgata lectione mutandum, ego quidem cenſeo, ſic enim fermè loquutus eſt *Manilius*, non procul ab initio Libri II. ubi dicit ſibi conſtitutum eſſe canere Deum omnia moderantem,

Totúmque alterno conſenſu vivere mundum
Et RATIONIS *agi* MOTU, *cùm ſpiritus unus*
Per vinctas habitet partes &c.

LIBRO V. Cap. I. *Prorſus divinâ Providentiâ, regna conſtituuntur humana. Quæ ſi propterea quiſquam fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem vel poteſtatem fati nomine appellat, ſententiam teneat, linguam corrigat. Cur enim non hoc primum dicit, quod poſtea dicturus eſt, cùm ab illo quiſquam quæſierit, quid dixerit fatum?*] Pulcherrima profectò ſententia & digna quæ aureis litteris inſcribatur Auditoriis Philoſophorum & Theologorum, ut diſcant illico perſpicuè loqui; quò compendium temporis fiat, expulſione tot inanium verborum, quæ explicationibus prolixis indigent; & quibus auditis, nihil quidem novi, ad res ipſas quod attinet, diſcimus, ſed intelligimus dumtaxat Scholaſtici ſermonis uſum. Hanc autem admonitionem, de *fato*, neceſſariam fuiſſe intelliget quiſquis leget Diſſertationem XII. & ſequentes Lib. I. Phyſiologiæ Stoïcorum, à *Juſto Lipſio* conſcriptæ, ubi fatum ille contendit effectum eſſe Providentiæ divinæ, quod & Veteres multos crediḋiſſe oſtendit.

Cap. X. Poſtquàm Cap. IX. propoſuit argumentationem *Ciceronis*, quâ probare conabatur, ſi quid eſſet in noſtra poteſtate, id à Deo certò non prævideri, quia poterat non contingere; aut ſi omnia à Deo certò prævidérentur, nihil eſſe in noſtra poteſtate, quia neceſſariò omnia fierent; Capite X. reſpondet *Auguſtinus*, ſed ita ut vim objectionis non ſenſiſſe, aut diſſimulaſſe, ſi ſenſit, videatur. *Non ergo*, inquit, *propterea nihil eſt in noſtra voluntate, quia Deus præſcivit, quid futurum eſſet in noſtra voluntate.* At *Cicero* dixerat in *noſtra poteſtate*, hoc eſt, quod poteramus nolle, aut velle; ita ut ad alterutrum non eſſet neceſſariò inflexa voluntas; quemadmodum eſt naturâ ſuâ ita affecta, ut veritati manifeſtæ adſentiatur, útque beatitudinem optet. *Auguſtinus* hic, ut & alibi, *voluntarium* & *liberum* confundit, quæ in omnium hominum ſermone diſtincta ſunt; nam voluntate quidem adſentimur evidenti enunciationi, ſed non liberè; & voluntate ſimiliter cupimus felicitatem, ſed non liberè; neque enim poſſumus nolle evidentibus aſſentiri aut nolle eſſe felices, aut de hiſce deliberare. Subdit: *non enim qui hoc præſcivit, nihil præſcivit.* Verùm non negavit *Cicero* Deum aliquid præſcire, ſed dumtaxat quæ ſunt libera. *Porrò*, ait Auguſtinus, *ſi ille quid præſcivit quid futurum eſſet in noſtra voluntate, non utique nihil, ſed aliquid præſcivit; profectò & illo præſciente, eſt aliquid in noſtra voluntate.* Verum eſt, ſed *Cicero* negaſſet illud quod in noſtra voluntate futurum præſcit Deus, eſſe in *noſtra poteſtate*; qualia ſunt optare felicitatem, perſpicuiſque adſentiri; quæ ſunt quidem in voluntate noſtra, volentes enim adſentimur & cupimus, ſed non *in noſtra poteſtate*, cùm in contraria ire non poſſimus.

Quo circa nullo modo cogimur, inquit Philoſophus Pœnus, *aut retentâ præſcientiâ Dei tollere voluntatis arbitrium* (cur non addit *liberum*?) *aut retento voluntatis arbitrio* (addendum erat *libero*, hoc eſt, in utramque partem flexili) *Deum, quod nefas eſt, negare præſcium futurorum. Sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter confitemur; illud ut bene credamus; hoc ut bene vivamus. Male autem vivitur, ſi de Deo non bene creditur.* Poſtrema hæc libenter amplectimur, ſed ſi *Cicero* excitatus ex Orco fuiſſet, aut ſi Ciceronianus aliquis Philoſophus repoſuiſſet *Auguſtino*, negaſſet ab *Auguſtino* retineri liberum arbitrium; quod nec ille diffitetur, cùm extra controverſiæ æſtum loquitur. Vide Enchiridion ad Laurentium Cap. XXX. in Tomo VI.

Pergit: *proinde non fruſtra ſunt leges, objurgationes, exhortationes, laudes & vituperationes; quia & ipſas futuras eſſe præſcivit & valent plurimum, quantum eas valituras eſſe præſcivit; & preces valent ad ea impetranda; quæ ſe precantibus conceſſurum eſſe præſcivit; & juſtè præmia bonis factis, & peccatis ſupplicia conſtituta ſunt.* Utraque eſſent injuſta, ſi à bonis factis & peccatis abſtinere non magis poſſemus quàm ab adſenſu præbendo evidenti enunciationi, aut à concupiſcenda beatitudine. Reliqua etiam ideò non fruſtra ſunt, quòd homines ſint liberi, hoc eſt, non tantùm *volentes* peccent, mens enim humana non aliter quàm volendo agit, ſed etiam liberè, ita ut nolle potuerint quod voluerunt, & velle quod noluerunt. Legum quas Deus fert creaturis liberis non eſt ratio præſcientia, ſed ſanctitatis Dei & creaturarum libertas.

Neque enim ideò peccat homo, quia Deus illum peccaturum

Google

caturum eſſe præſcivit. Melioris notæ Codices, ut teſtantur Benedictini, habent hîc: *neque enim ideò non peccat.* Sed duplex hæc negatio plus non videtur valere, quàm una; qua de re vide *Gerard. Joan. Voſſium*, de Arte Grammatica Lib. VII. c. 61. Aut eſt altera negatio ponenda in ſequentibus, *quia Deus illum non peccaturum eſſe præſcivit.* Veriſſimum hoc eſt, ſed repoſuiſſet Ciceronianus ideò, ex *Auguſtini* ſententia, hominem peccare, quòd non potuerit non peccare, eâdemque de cauſa hoc præſcire Deum; quod alioqui non præſciret, ſi liberum eſſet. Nec evaderet vim argumenti Ciceroniani, ſequentibus verbis: *imò ideò non dubitatur ipſum peccare, cùm peccat, quia ille cujus præſcientia falli non poteſt, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſcivit.* Nam verum non eſt, ideò nos credere peccare homines, quia Deus hoc præſcivit; ideò credimus quia videmus ab iis Leges divinas perfringi, & conſcii nobis ſumus, ab iis potuiſſe non perfringi, quippe qui ejuſdem libertatis participes ſunt, ac nos. *Qui ſi noluit*, inquit tandem Carneades noſter, *utique non peccat; ſed ſi peccare noluerit etiam hoc ille præſcivit.* Certè *ſi nolit* homo, non peccat, ſed oportet ut poſſit velle ac nolle, ut ſit peccati capax; oſtendendúmque fuerat, contra *Ciceronem*, Deum poſſe præſcire id futurum, quod poterit nolle is qui facturus eſt. Hinc liquere poteſt quantum ſit diſcrimen inter rhetoricas argutias & philoſophicas ratiocinationes.

Cap. XV. de Romanis: *Quibus ergo non erat Deus daturus vitam æternam; ------ ſi neque hanc eis terrenam gloriam excellentiſſimi imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id eſt, virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur.*] Antea tamen oſtendit eas virtutes fuiſſe mera vitia; nam, ut ait Cap. XIII. *cauſâ honoris, laudis & gloriæ, conſuluerunt patriæ, in qua ipſam gloriam requirebant, ſalutemque ejus ſaluti patriæ præponere non dubitaverunt; pro iſto uno vitio, id eſt, amore laudis, pecuniæ cupiditatem, & multa alia vitia comprimentes.* Sed propterea Deus iis *mercedem* non debuit, præſtarétque dicere Deum paſſum eſſe, aut etiam certis de rationibus, ſed nobis ignotis, voluiſſe ut rerum potirentur, potiùs quàm alius populus. Duo præterea ad hæc accedunt, quorum prius eſt antiquos Romanos tales non fuiſſe, quales aliquando à nepotibus deſcribuntur, quod demonſtravit ipſe *Auguſtinus* Lib. II. ad quem etiam aliquid ea de re diximus. Alterum eſt vicinas gentes Italiæ, aut etiam Græciæ, aliáſque, quas memorare nihil attinet, nequaquam deteriores fuiſſe quàm veteres Romanos, ad mores quod attinet, ac proinde Deo ingratiores non fuiſſe.

Cap. XVII. *Numquid non multi Senatores ſunt, in aliis terris, qui Romam ne facie quidem norunt?*] Non novum hoc fuit, tempore *Auguſtini*, jam tempore Claudii, cùm Galliæ Comatæ incolæ honores ſibi concedi Romæ poſtularent, vulgo Itali quærebant, *an parum quod Veneti & Inſubres Curiam irruperint, niſi cœtus alienigenarum veluti captivitas inferretur?* Tacitus Annal. Lib. XI. c. 23.

LIBRO VI. Cap. I. §. 2. *An verò illi peritiſſimi & acutiſſimi viri, qui ſe pro magno beneficio conſcripta docuiſſe gloriantur* (Varro, de quo egit Lib. IV. c. 22.) *ut ſciretur quare cuique Deo ſupplicandum eſſet, quid à quoque eſſet petendum, ne abſurditate turpiſſimâ, qualis jocularitèr in Mimo fieri ſolet, peteretur à Libero aqua, à Lymphis vinum; auctores erunt cuipiam hominum Diis immortalibus ſupplicanti, ut cùm à Lymphis petierit vinum, eíque reſponderint: nos aquam habemus, hoc à Libero pete; poſſit rectè dicere: ſi vinum non habetis, ſaltem date mihi vitam æternam?*] Editi libri habebant *Nymphis*, ſed MSS. conſtanter *Lymphis*, ut obſervant Benedictini. Eas voces ſæpe miſceri in antiquis libris monuerunt viri doctiſſimi *Nicolaus Heinſius*, ad Epiſt. Oenonæ ad Paridem verſ. 31. & *Janus Broekhuſius* ad *Propertium* Lib. III. El. XIV, 4. Hic tamen puto re verâ *Auguſtinum* ſcripſiſſe *Lymphas*, quia cùm Nymphæ dicantur etiam Oreades, & Hamadryades, non videntur dictæ *Lymphæ*, niſi eæ quæ aquis præerant, quamvis ea vox ſit à *Nymphis*, mutatione N in L, deducta. *Feſtus*: *Lymphæ dictæ ſunt à Nymphis. Vulgò autem memoriæ proditum eſt, quicumque ſpeciem quamdam è fonte, id eſt, effigiem Nymphæ viderint, furendi non feciſſe finem, quos Græci νυμφολήπτους vocant, Latini lymphatos appellant.* Vide Æneid. Lib. VII, 377.

Cap. IX. §. 1. *Liberum à liberamento appellatum volunt, quod mares in coëundo, per ejus beneficium, emiſſis ſeminibus liberentur*] Eò reſpicit *Seneca* Lib. IV. de Beneficiis cap. VIII. *Hunc Liberum patrem & Herculem ac Mercurium noſtri putant. Liberum patrem, quia omnium parens ſit, quòd ab eo primùm inventa ſeminum vis eſt, conſultura per voluptatem.* Quâ & re & etymologiâ, quid abſurdius fingi potuerit neſcio; ſed Varronianæ Etymologiæ meliores ſunt ejus Theologiâ.

Cap. X. §. 2. *Sunt quæ Junoni & Minervæ capillos diſponant, longè à templo, non tantùm à ſimulacro ſtantes digitos movent, ornantium modo.*] Talia habet *Seneca* etiam Epiſt. XCV. Hoc autem munus dictum *curationem facere* docet *Tertullianus* Libro de Jejunio c. XVI. *Qui in Idolis comendis & in aris ornandis, & ad ſingulas horas ſalutandis, curationem facere dicuntur.*

Ibidem. *Sedent quædam in Capitolio, quæ ſe à Jove amari putant; nec Junonis quidem, ſi credere Poëtis velis, iracundiſſimæ reſpectu terrentur.*] Ita *Seneca* loquebatur, in pulcherrimo libro de Superſtitione, quem ego, potiùs quàm tot frigidas homilias, à Monachis exſcriptum vellem & ad nos diligenter tranſmiſſum. Impudicæ mulierculæ æditui fortè amore captæ, in Capitolio ſedebant, ut ſi fortè gravidæ fierent, ſe ex Jove peperiſſe fatuis perſuaderent. Nota eſt hiſtoria Mundi & Paulinæ, apud *Joſephum*. Sed & vide quæ de Deorum filiis notavit *Joannes Clericus*, ad Theogoniam Heſiodi.

Cap. XI. *Uſque eò ſceleratiſſimæ gentis conſuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta ſit; victi victoribus leges dederunt.*] Sunt verba inconſulta ſanè *Senecæ* de Judæis, ad quæ reſpexiſſe videtur *Rutilius Numatianus* in Itinerario v. 395.

Atque utinam numquam Judæa ſubacta fuiſſet,
Pompeji bellis, imperioque Titi!
Latiùs exciſæ peſtis contagia ſerpunt,
Victoréſque ſuos natio victa premit.

LIBRO VII. Cap. I. *Quæ in re non dico, quod facetiùs ait Tertullianus, fortaſſe quàm veriùs; Si Dii ſeliguntur, ut bulbi, utique ceteri reprobi judicantur.*] Adnotarunt in margine Benedictini ſimile quidpiam eſſe in Apologetico Cap. XIII. At ipſa verba exſtant in Opere contra Nationes Lib. II. cap. IX. ubi *Nic. Rigaltius*, vir doctiſſimus, obſervat ab *Auguſtino* dictum hoc *Tertulliani* malè carpi. Ac ſane in eo, quod vocatur Deus, nulla poteſt eſſe ſelectio, quemadmodum in hominibus, à quibus exempla perperam petit *Auguſtinus*; nam omnes Dii omnia poſſe debent, ut idem obſervat.

Cap. II. *Ibi Liber, qui marem effuſo ſemine liberat. Ibi Libera, quam & Venerem volunt, quæ hoc idem beneficium conferat feminæ, ut etiam ipſa, emiſſo ſemine, liberetur.*] Hæc habuit Cap. IX. Libri ſuperioris. Miror autem Epiſcopum, & quidem gravem ac ſenem, quamquam olim adoleſcens ſat libidinoſam vitam duxerat, tam ſæpe περὶ τῶ αἰσχρῶ verba facere, in opere hoc etiam à mulieribus & adoleſcentibus legendo. Scio Ethnicorum has fuiſſe ſpurcitias, ſed præſtabat generalioribus verbis eas attingere, quàm ad caſtarum aurium faſtidium repetere. Vide & quæ habet eodem Capite de *Subigo*, de *Prema*, & *Pertunda*. Sed alia alibi non honeſtiora obſervabimus, in re graviore.

Cap. XIV. *Si Mercurius ipſe ſermo eſt, etiam ipſis confitentibus, Deus non eſt.*] Miror non timuiſſe *Auguſtinum* ne ſibi objiceretur quod paſſim habet de *Verbo*; nam ſimilis objectio potuit fieri, reſponſioque *Auguſtini* pariter eludi.

Cap. XXI. *In Italiæ compitis, quædam dicit ſacra Liberi celebrata, cum tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur* &c.] Similia ſie-

Digitized by Google

fiebant in Sacris Oſiridis, ut docet *Diodorus* Siculus Bibliothecæ Lib. I. qui ea ab Ægyptiis ad Græcos traducta eſſe putat.

Cap. XXVI. *De mollibus eidem Matri Magnæ, contra omnem virorum mulierúmque verecundiam, conſecratis, qui uſque in heſternum diem madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, inceſſu fœmineo, per plateas vicoſque Carthaginis, etiam à populis, unde turpiter viverent exigebant, nihil Varro dicere voluit, nec uſpiam me legiſſe commemini*] Miror, cùm innumeri ſcriptores de iis ſint loquuti, quorum loca plura indicabit *Gerard. Joannes Voſſius* Operis de Origine & Progreſſu Idololatriæ Lib. III. Cap. LIII. Adi & *Catulli* Poema, quod *Attis* inſcribitur, & ad id Interpretes, qui affatim ſuppeditabunt quod hic *Auguſtino* deeſt. Μηναγύρται vocabantur Sacerdotes illi, quâ inſcriptione Comœdiam ſcripſerat *Menander*, quæ utinam exſtaret!

Cap. XXVII. *Totam de hoc Euhemerus pandit Hiſtoriam, quam Ennius in Latinum vertit eloquium; unde quia plurima poſuerunt, qui contra hujuſmodi errores ante nos vel Græco ſermone vel Latino ſcripſerunt, non in eo mihi placuit immorari*] *Lactantium* videtur potiſſimùm intelligere, qui, Lib. I. Inſtitutionum Divinarum, ſat prolixa nobis ſervavit *Euhemeri* fragmenta; de quo Scriptores nonnulli Ethnici adeò male judicant, quòd Religionem eorum planè infamaſſet; quamvis ceteroqui nollem omnia præſtare quæ habebat. Miror à Chriſtianis Græce aut Latine non eſſe ſervatum.

Cap. XXXIV. *Terentius quidam cum haberet ad Janiculum fundum & Bubulcus ejus juxta ſepulcrum Numæ Pompilii trajiciens aratrum eruiſſet ex terra libros ejus, ubi ſacrorum inſtitutorum ſcriptæ erant cauſæ, in urbem pertulit ad Prætorem. At ille cùm inſpexiſſet principia, rem tantum detulit ad Senatum. Ubi cum primores quaſdam cauſas legiſſent, cur quidque in ſacris fuerit inſtitutum, Numæ mortuo Senatus adſenſus eſt eoſque libros, tamquam religioſi, Patres Conſcripti, Prætor ut combureret, cenſuerunt.*] *Plinius* Lib. XIII. cap. 13. dominum agri, in quo libri effoſſi, vocat etiam *Cn. Terentium*, ut & *Feſtus* in voce *Numam*. At *Livius* Lib. XL. cap. 29. & *Valerius Maximus* Lib. I. cap. I. vocant *L. Petilium*. Unde ſtet verum quis dicat? nec ſanè multùm intereſt. Sed credibile eſt Numæ commentarios contemtim egiſſe de ſuperſtitione plebis Romanæ atque Italæ, cujus palato religionem aptare coactus fuerat. Nihil enim vetat quin cum Philoſophis de Deo ſenſerit, quemadmodum *Mutius Scævola* & *M. Terentius Varro*, de quibus vide Lib. IV. cap. 27. & VI. cap. 5. & unà cum illis ſe ſe inconſultæ multitudini attemperarit. *Auguſtinus* autem ex *Varrone* dicit Senatum *mortuo Numæ eſſe adſenſum*, quod ut Numa curaverat eos libros ſecum ſepeliri, ne populo innoteſcerent; ſic cenſuerat eos comburendos, eadem de cauſa.

LIBRO VIII. Cap. 9. *Aliarum quoque gentium, qui ſapientes, vel Philoſophi habiti ſunt, Atlantici, Libyci, Ægyptii, Indi, Perſæ, Chaldæi, Scythæ, Galli, Hiſpani, aliique reperiuntur* &c.] *Juſtus Lipſius* Manuductionis ad Stoïcam Philoſophiam Lib. I. Diſſert. V. multis hunc locum illuſtrat, & Atlanticos Mauritaniæ ſapientes intelligit, duce Atlante eò delatos. Libycos aut Libyas intellexerim alios aut interioris Libyæ, aut ejus quæ Ægypto vicina.

Cap. XIX. *Poſtremò ipſe Apulejus numquid apud judices Chriſtianos de Magicis artibus accuſatus eſt?*] Unde liquebat non poſſe reprehendi Chriſtianos quòd Platonicos Magiæ inſimularent, cùm apud Maximum Claudium, judicem Ethnicum, accuſatus fuiſſet *Apulejus*, celebris Platonicus.

Cap. XXII. *Reſtat ut nullo modo credendum ſit quod Apulejus perſuadere nititur, & quicumque alii Philoſophi ſunt ejuſdem ſententiæ, ita eſſe medios Dæmones inter Deos & homines, tamquam internuncios & Interpretes, qui hinc ferant petitiones noſtras, inde referant Deorum ſuppetias*] Si hoc de Cacodæmonibus intelligas, verum eſt eos non eſſe nec eſſe poſſe internuncios inter Deum & homines; ſed non video *Auguſtinum* de bonis Dæmonibus contrarium probaſſe, quamvis tædioſiſſimè hac de re agat. Quinimò hodie pars non exigua Chriſtianorum tale quidpiam ſentit de Angelis. Interdum vitilitigat Hipponenſis Epiſcopus cum Platonicis, quemadmodum & cum aliis adverſariis.

Cap. XXIII. *Diverſa de illis ille Hermes Ægyptius, quem Triſmegiſtum vocant, ſenſit & ſcripſit.*] Multis oſtendit *Iſaacus Caſaubonus* Exercitat. I. in Apparatum Annalium Cardinalis *Baronii*, fictum hunc eſſe *Hermetem* à Chriſtiano quodam, qui Religionis Chriſtianæ dogmata ejus auctoritate, dolo malo & indigno homine veritatis amante, confirmare voluit; quod adeò manifeſtum eſt, ut mirum ſit Patres ejuſmodi nugis auſos eſſe uti. Fortaſſe non intelligebant ipſi fraudem, quamvis ſit ſatis aperta; ſed mirum eos à naſutioribus Ethnicis non fuiſſe exſibilatos. Certè digni erant, qui albis dentibus irriderentur, qui tam avidè uſque adeò malè conſutos dolos arripiebant, ſi credebant ſuppoſitos illos libros eorum eſſe, quorum nomina præferebant. Quòd ſi fraudem quidem intelligebant, quod negare nollem, magnam injuriam Veritati faciebant, quam turpibus mendaciis adjutum ibant, impediebántque ne Ethnicorum reliquiæ fidem Evangelio haberent. Denique non poſſumus nunc de iis aliter judicare, quàm fuiſſe aut peſſimos Criticos, aut non ſatis vim Veritatis intellexiſſe, quæ profectò ejuſmodi fraudibus non indiget; nec uſque adeò Mendacii inimicos fuiſſe, quam libris editis ſimulabant.

Cap. XXVII. *Nec tamen nos eiſdem Martyribus templa, ſacerdotia, ſacra & ſacrificia conſtituimus; quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſanè Memorias eorum, tamquam ſanctorum hominum Dei, qui uſque ad mortem corporum ſuorum pro veritate certarunt,* &c. *Quis autem audivit aliquando fidelium ſtantem Sacerdotem ad Altare, etiam ſuper ſanctum corpus Martyris, ad Dei honorem cultumque conſtructum dicere in precibus: offero tibi ſacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane* &c.] At pompa, quâ ferebantur reliquiæ, honor qui iis genuum flexione deferebatur, invocationes Sanctorum, quaſi preces audirent, cujus rei exemplum habuimus antea ad T. V. pag. 552. col. 2. perſuadebant Ethnicis Martyras coli, quaſi quoddam genus inferiorum Deorum; nec, ſi nunc tandem ſine diſſimulatione loqui licet, multùm à vero aberrabant, nam & Chriſtianos nonnullos offendebat quoque hujuſmodi cultus. Liquet hoc ex libello *Hieronymi*, quo homo vehemens convicus exagitat *Vigilantium*, quem talia graviſſimè offenderant. Itaque hic noſter Rhetorum more reſpondet, diſſimulatis iis quæ ab Ethnicis objiciebantur, & prætermiſſo cultu qui re verâ reliquiis Martyrum exhibebatur, & meritò offendebat Ethnicos.

LIBRO IX. Cap. 15. *Nec tamen ob hoc Mediator eſt, quia Verbum; maximè quippe immortale, & maximè beatum Verbum longè à mortalibus miſeris* (non miſeris) *ſed mediator per quod homo.*] Verè, nam ad Deum quod attinet, non indiget ipſe Mediatore, cujus operâ nobiſcum agat; ſed nos ad tantam majeſtatem, ſine mediatore & quidem noſtri generis, vix adſurgere poſſumus.

Cap. XXII. de Angelis: *Ideò certius etiam temporalia & mutabilia iſta noverunt; quia eorum principales cauſas in Verbo Dei conſpiciunt, per quod factus eſt mundus; quibus cauſis quædam probantur, quædam reprobantur.*] Ante omnia vellem ſcire an qui talia de Angelis & Verbo affirmant ſatis intelligant quid velint; nam ad me quidem quod attinet, non intelligere me fateor quomodo Angeli poſſint Æternæ Rationis notiones & cogitationes videre, ita ut ex ejus naturæ contemplatione ſciant, quid fieri velit, quid nolit; &, ut verum profitear, à nemine puto intelligi, qui creaturæ mentem Creatoris, quam non revelavit, adſequantur ſolâ ejus contemplatione. Deinde vellem ſcire unde hoc habeant Theologi, ex Philoſophicisne ratiocinationibus, an ex Scriptura; nam ad Scripturam quidem quod attinet, auſim affirmare, nullum eſſe locum, qui quidem ſit perſpicuus, ex quo hoc veriſimiliter deduci poſſit: Philoſophicis verò ratiocinationibus quomodo talia poſſint colligi multò minùs adſequor. Attamen hoc *Auguſtinus* non ſemel affirmat,

quaſi

Digitized by Google

quaſi Theologiæ Chriſtianæ dogma, & ita ſecurè profert quaſi res eſſet explorata, ac Theologi Scholaſtici magno conſenſu arripuerunt. Vide quæ hac de re collegit *Dionyſius Petavius* Theologicorum Dogmatum Tom. I. Lib. IV. c. 2. & Tom. III. De Angelis Lib. I. c. 4.

Cap. XXIII. §. 1. *Illud verò ubi dicitur* Deus Deorum, *non poteſt intelligi Deus Dæmoniorum*; & Rex magnus ſuper omnes Deos, *abſit ut dicatur Rex ſuper omnia Dæmonia*.] Apud Hebræos, ut viri docti dudum oſtenderunt, vox אלהים *elohim*, ſignificat quidquid colitur, σέβασμα, ſeu in cœlo illud ſit, ſive in terris. Itaque quando Deus verus dicitur *Deus Deorum*, perinde eſt ac ſi diceretur omnium eorum quos colimus eminentiſſimus; ut *canticum canticorum* dicitur quod in ſuo genere eſt eximium. *Etſi ſunt qui dicantur dii*, ait Paulus I Cor. VIII, 5. *ſive in cœlo, ſive in terra (ſiquidem ſunt Dii multi & Domini multi) nobis tamen unus Deus Pater ex quo omnia* &c. Sic & Pſalm. XCIV, 3. *Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos*; perinde eſt ac rex regnum, aut dominus dominorum.

Ibidem. *Sed homines quoque in populo Dei eadem Scriptura Deos appellat*: Ego, *inquit*, dixi: Dii eſtis & filii Excelſi omnes. *Poteſt itaque intelligi horum Deorum Deus; qui dictus eſt* Deus Deorum, *& ſuper hos* Deos Rex magnus]. Nihil verius hac poſteriore *Auguſtini* animadverſione, ſed quod dicit *homines in populo Dei* dici Deos, non eſt ſat accuratè ab eo dictum; nam non quivis homines è populo Dei dicuntur *Dii* Pſalm. LXXXI, 6. ſed tantùm Reges & Judices, ſeu Magiſtratus. Quamobrem malè etiam concepta eſt Capitis hujus inſcriptio, quæ ſic habet: *Nomen Deorum falsò adſcribi Diis gentium, quod tamen & Angelis ſanctis & hominibus juſtis, ex divinarum ſcripturarum auctoritate, commune eſt*. Nam in Scriptura nuſquam hoc eſt nomen hominum juſtorum; ſed tantùm ad honores Reipublicæ evectorum, quicumque ſint alioquin eorum mores; non enim virtus in iis ſpectatur, ſed dignitas.

Ibid. §. 2. *Veruntamen, cùm à nobis quæritur, ſi homines dicti ſunt Dii, quòd in populo Dei ſunt, quem per Angelos, vel per homines alloquitur Deus; quantò magis immortales eo nomine digni ſunt, qui ea fruuntur beatitudine, ad quam Deum colendo cupiunt homines pervenire? Quid reſpondebimus, niſi non fruſtra in Scripturis Sanctis, expreſſiùs homines nuncupatos Deos, quàm illos immortales & beatos, quibus nos æquales futuros in reſurrectione promittitur; ne, ſcilicet, propter illorum excellentiam, aliquem eorum nobis conſtituere Deum infidelis auderet infirmitas? Quod in homine facile eſt evitare.*] Nos verò, qui non ex turbidis rivis, ſed ex ipſo fonte haſce aquas hauſimus, aliud reſpondebimus; nimirum, Angelos diſertiſſimè *Deos* ſeu אלהים dici Pſalm. VIII, 6. ubi Hebraica habent de homine: ותחסרהו מעט מאלהים *& feciſti eum paullo minorem Diis*, ubi LXX. Intt. Ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους. Sic & Chaldæus pro מאלהים habet ממלאכיא, *mimmalachaja*, quàm Angeli. Sic & Scriptor ad Hebræos Cap. II, 7. Pariter Pſalm. XCVI, 7. ex diviſione Græca, eſt apud LXX. Intt. προσκυνήσατε αὐτῷ πάντες ἄγγελοι αὐτοῦ, & Scriptorem ad Hebræos Cap. I, 6. ubi Hebraica verba habent: *adorate eum omnes Dii*, אלהים. Non addemus alia loca, ſed obſervabimus periculoſum eſſe comminiſci rationes uſûs ſermonis ſacri, antequàm planè ſit exploratus; nam facile eſt commentis falli & indulgere, quemadmodum hîc facit *Auguſtinus*, niſi Græca & Hebraica diligenter legerimus. Poſſemus hanc poteſtatem vocis *Deus* pluribus confirmare, ſed adi *Joan. Clerici* Artem Criticam Part. I. Sect. 2. cap. III.

LIBRO X. cap. I. §. 2. *Hic eſt enim Divinitati, vel, ſi expreſſiùs dicendum eſt, Deitati debitus cultus, propter quem uno verbo ſignificandum, quoniam mihi ſatis idoneum non occurrit Latinum, Græco, ubi neceſſe eſt, inſinuo quid velim dicere.* Λατρείαν *quippe noſtri, ubicumque Sanctarum Scripturarum poſitum eſt, interpretati ſunt ſervitutem. Sed ea ſervitus, quæ debetur hominibus, ſecundùm quam præcipit Apoſtolus, ſervos dominis ſuis ſubditos eſſe debere, alio nomine Græcè nuncupari ſolet.*] Intelligit vocem δουλεία. Quamvis λατρεία; ex vocis proprio ſignificatu, non magis ſignificet apud Græcos Dei quàm hominum cultum, ut rectè ad hunc locum animadvertit *Joan. Lud. Vives*; attamen ex uſu LXX. Interpretum & Novi Teſtamenti, ut in ſequentibus habet *Auguſtinus*, λατρεία divinum cultum ſonat; at vox δουλεία promiſcuè pro utroque ſumitur, ut docebunt Concordiæ. Igitur etſi λατρεία, in ſacris libris, ſignificat cultum excellentiorem; continuò non ſequitur voce δουλεία minùs excellentem ſignificari, quod probè obſervandum.

Cap. XI. §. 1. *Ibi quidem omnes homines reprobat, quos dicit ob imprudentiam trahere humidum vaporem, & ideò non in æthere, ſed in aëre eſſe ſub luna, atque in ipſo Lunæ globo.*] Ex hac Philoſophia *Lucanus* Lib. IX. ab initio, de animo Cn. Pompeji Magni ſic loquitur:

At non in Pharia Manes jacuere favilla,
Nec cinis exiguus tantam compeſcuit umbram;
Proſiluit buſto, ſemuſtáque membra relinquens,
Degenerémque rogum, ſequitur convexa Tonantis;
Qua niger aſtriferis connectitur axibus aër,
Quáque patet terras inter Lunæque meatus,
Semidei Manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vitæ patientes ætheris imi.
Fecit & æternos animum collegit in orbes.

Sed de hac re copioſè egit *Apulejus* Platonicus, in libello de Deo Socratis.

Cap. XVI. §. 1. *Reſpondeant Theurgi, vel potiùs* PERIURGI, *hoc enim ſunt illæ artes vocabulo digniores.*] Audiverat, ut quidem videtur, *Auguſtinus* ab aliquo Græcè ſciente, magicas illas artes περιέργους dici, hoc eſt, *perperam curioſas*, cúmque videret *Theurgos* vocari, vacillante memoriâ, eos *Periurgos* vocari oportere dixit, quæ vox tamen non eſt uſitata; nam quamvis dicatur θεουργὸς, à vocibus θεὸς & ἔργον, ut δημιουργὸς, πανουργὸς, χειρουργὸς, & ſimilia, propterea non ſequitur ex περὶ & ἔργον fieri περιουργὸς, ut norunt uſûs & analogiæ periti. De voce περιεργὸς, in malam partem ſumta, vide *Hug. Grotium* ad Act. XIX, 19. Veteres Gloſſæ: περίεργος, *curioſus, veſanus*. Heſychius: Περιεργὸν (ſic enim legendum oſtendit ſeries litterarum non περιεργὸν) περιττὸν, ἢ σφαλερόν. Περιεργία, (non περιεργεία) καθαρσία, aut potiùs κάθαρσις, vel τὰ καθάρσια, hoc eſt, ſuperſtitioſa luſtratio, qualibus plena erant Theurgorum ſacra, de quibus potiſſimum egit *Jamblichus*, in libro de Myſteriis Ægyptiorum. Vide & *Auguſtinum* infra in hoc Libro cap. XXII. & XXVII. Igitur perperam quærit vir ſanè eruditus *Joan. Lud. Vives* an *periurgi* dicantur à *perurgendo*, an *perurgi* à *perurendo*. Nec tamen audiverim *Leonardum Coquæum*, qui conjiciebat legendum *perиergi*; nam hoc corrumpit adluſionis elegantiam, nec neceſſe eſt *Auguſtinum* vocem Græcam accuratè tenuiſſe.

Cap. XXIII. de Porphyrio: *dicit enim Deum Patrem & Deum Filium, quem Græcè appellat* paternum intellectum, *vel* paternam mentem; (πατρικὸν νοῦν ex Oraculis Chaldaicis) *de Spiritu autem ſancto, aut nihil, aut non apertè aliquid dicit. Quamvis quem alium dicat horum medium non intelligo. Si enim tertiam, ſicut Plotinus, ubi de tribus principalibus ſubſtantiis diſputat, Animæ naturam etiam iſte vellet intelligi, non utique diceret horum medium, id eſt, Patris & Filii medium.*] Non omnia *Porphyrii* opera Latinè verſa habebat *Auguſtinus*, nam ceteroqui de tribus Principiis diſertiſſimè loquutus fuerat Philoſophus Tyrius, in Philoſophica hiſtoria, ex qua hæc habet *Cyrillus* Alexandrinus, contra Julianum Lib. VIII. Γράφει τοίνυν Πορφύριος ἐν βιβλίῳ τετάρτῳ φιλοσόφου ἱστορίας. Ἄχρι γὰρ τριῶν ὑποστάσεων ἔφη Πλάτωνα τὴν τοῦ θείου προελθεῖν οὐσίαν. εἶναι δὲ τὸν μὲν ἀνώτατον θεὸν τ' Ἀγαθὸν, μετ' αὐτὸν δὲ καὶ δεύτερον τὸν Δημιουργὸν, τρίτον δὲ τὴν τοῦ κόσμου ψυχήν. ἄχρι γὰρ ψυχῆς τὴν θεότητα προελθεῖν, λοιπὸν δὲ τὸ ἄθεον ἀπὸ τῆς σωματικῆς ἐσχηκέναι διαφορᾶς: *Scribit ergo Porphyrius, in libro IV. Philoſophicæ Hiſtoriæ. Uſque enim ad tres hypoſtaſes Plato dixit divinam eſſentiam progredi; eſſe verò ſupremum Deum Bonum, poſt eum ſecundum Creatorem, tertium Animam mundi; nam uſque ad Animam progredi Deitatem, cetera divinitatis expertia incipere à differentia corpo-*

corporea. Hîc planè eſt quod volebat *Auguſtinus.* *Platonis* & *Plotini* loca, eam in rem, eodem loco habet *Cyrillus.*

Ibidem. *Et, nimirum, hoc dixit, ut potuit, ſive ut voluit, quod nos Spiritum Sanctum nec Patris tantùm, nec Filii tantùm, ſed utriuſque Spiritum dicimus. Liberis enim verbis loquuntur Philoſophi, nec in rebus, ad intelligendum difficillimis, offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem.*] Dignum erat notatu, ne imperiti ſimilitudine fallerentur, Philoſophos illos verbis quidem videri adſentiri Scripturæ Sacræ ſed re ipſâ diverſiſſimos abire. Contendebant enim Platonici tres eſſe ſubſtantias, eaſque inæquales, quod facilè intelliget quiſquis attente legerit *Plotini* Lib. III. Enneadis IX. & rectè animadverſum eſt à *Cyrillo*, loco antea memorato Libri VIII. contra Julianum. Pluribus etiam egit hac de re *Joannes Clericus* Artis Criticæ T. III. Ep. VII. Attamen, non ſine cauſa, liberioribus verbis Philoſophos uti dixit *Auguſtinus*, nam illi tres Deos apertè eſſe dicebant tres illas *principales ſubſtantias*; quod alii, qui eas prorſus pares eſſe putabant, ſolebant negare; non tam quòd hoc falſum eſſet, ex ipſorum ſententia, ſi propriè quis loqui vellet, quàm quòd pertimeſcerent offenſionem aurium religioſarum, quæ paſſæ non eſſent dici plures eſſe Deos, contra perpetuum totius Scripturæ ſermonem.

Cap. XXVII. *Tu autem didiciſti hoc non à Platone, ſed à Chaldæis magiſtris, ut in æthereas, vel empyreas mundi ſublimitates & firmamenta cæleſtia, vitia extolleres humana, ut poſſent Dii veſtri theurgis pronuntiare divina.*] Nimirum, Chaldæi putabant Deos minis & terroribus adhibitis cogi dicere quæ cuperent ſcire Theürgi. Vide ſupra capp. IX. & XI. Attamen, ne quid diſſimulem, *Jamblichus* in Libro de Myſteriis Sect. VI. c. 7. negat Chaldæos uti talibus minis: Παρὰ Χαλδαίοις, παρ' οἷς διακέκριται καθαρὸς ὁ πρὸς μόνους τοὺς θεοὺς λόγος, οὐδαμοῦ ἀπειλὴ λέγεται. Αἰγύπτιοι δὲ συμμιγνύντες ἅμα μετὰ τῶν θείων συνθημάτων καὶ τοὺς δαιμονίους λόγους, χρῶνται ἔστιν ὅτε καὶ ταῖς ἀπειλαῖς: *Apud Chaldæos, apud quos diſtinctu eſt pura ad ſolos Deos oratio, nuſquam mentio fit minarum; Ægyptii verò, qui cum Symbolis Deorum permiſcent ea etiam quæ ad Dæmonas pertinent, minis etiam aliquando utuntur.* Sed quis illam hominum ſuperſtitioſorum & mendacium inſanientem ſapientiam in concordiam redigere curet?

LIBRO XI. c. 5. *Si infinita ſpatia temporis ante mundum cogitant, in quibus eis non videtur Deus ab opere ceſſare potuiſſe, ſimiliter cogitent extra mundum infinita ſpatia locorum; in quibus ſi quiſquam dicat non potuiſſe vacare omnipotentem, nonne conſequens erit ut innumerabiles mundos cum Epicuro ſomniare cogantur?* &c.] Sed ſi quis concederet per infinitam mundi extenſionem eſſe ubique varias variarum atque innumerabilium Creaturarum habitationes, qualis eſt hæc noſtra Terra, & quales majores illi Planetæ, qui nobiſcum volvuntur circa Solem noſtrum; non eſſet cur valde ſibi à Philoſophorum argumentis timeret; & ad Theologos quidem quod attinet, tacente Revelatione, nihil eſt quod hac de re adieveraoter dicant. Contenderet ille eos de Deo nimis exiliter ſentire, qui incolas in hac tantùm exigua Terræ glebula, eóſque ſat miſeros collocaſſet, nec quidquam aliud, per immenſa mundi ſpatia, rationis particeps, exceptis Angelis, creaſſet; contra verò eos dignè de Deo loqui, qui infiniti opificis infinita numero opera eſſe dicerent. Huc accederent quæ doctiſſimus ac ingenioſiſſimus Mathematicus ac Phyſicus *Chriſtianus Huygenius*, in ſuo Coſmotheoro, dicit de Planetarum vicinorum incolis. Ad durationem verò quod ſpectat diceret, non eſſe hanc Terram primum habitaculum intelligentium naturarum à Deo creatum, nec quidquam obſtare quominùs, ut ſi rerum Univerſitatem luſtrare aggrederemur, numquam perveniremus ad ultimum operum divinorum: ſic quoque ſi præteritam durationem, quæ initio caruit, contemplari animo poſſemus, & ſcire quæ in ea geſta ſint à Deo, nulla umquam creatura nobis regredientibus in præterlapſa ſæcula, occurret quæ prima omnium dici poſſet. Nec mirum eſt, ſi hîc ſunt difficultates, cùm ſermo ſit de infinito; ſed præſtat cogitare de officiis quæ nobis impoſita à Deo ſunt, quàm de iis quæ, ex judicio noſtro vacillante, Deus, ſi ita loqui fas eſt, facere debuit.

Cap. VIII. *Convenientiſſimè itaque, cùm Deum requieviſſe prophetica narrat auctoritas, ſignificatur requies eorum, qui in illo requieſcunt, & quos facit ipſe requieſcere.*] Nihil potuit magis coactum fingi, ad explicandam quietem ſeptimi diei; quæ non poteſt aliter intelligi, quàm de ceſſatione creationis, ita ut nulla deinceps nova rerum genera creaverit Deus; ut conſtat ex re ipſa, & optimorum quorumque Ioterpretum conſenſu. Eò devenit *Auguſtinus*, ut reſponderet objectioni Ethnicorum Philoſophorum, qui dictitabant indecorum eſſe Deo quieſcere, quaſi feſſum. *Rutilius Numatianus* Itinerarii verſ. 391.

Septima quæque dies turpi damnata veterno,
Tamquam laſſati mollis imago Dei.

At deſinere opus quoddam facere, cùm eſt abſolutum, indicium eſt ſapientiæ, non defatigationis; neque enim idem debet ſemper fieri.

Cap. XI. *Quamvis non quidquid æternum continuò beatum ſit; (dicitur enim etiam pœnalis ignis æternus) tamen ſi verè perfectéque beata vita nonniſi æterna eſt, non erat talis iſtorum quandoque deſitura, & propterea non æterna, ſive id ſcirent, ſive neſcientes aliud putarent.*] Neſcio cur inanem hanc quæſtionem agitet hic *Auguſtinus.* Sed libenter, ut animadvertent quicumque ejus opera legent, ſua ipſius repetit. Vide in T. III. opus de Geneſi ad litteram, Lib. XI. c. 16. & quæ illic adnotavimus.

Cap. XV. *Quod ab initio Diabolas peccat, non ab initio, ex quo creatas eſt, peccare putandas eſt; ſed ab initio peccati, quod ab ipſius ſuperbia cœperit eſſe peccatum.*] Quidni ab initio mundi, ut innuere videtur Chriſtus Joannis VIII, 44. quò etiam reſpici ab eodem Apoſtolo Joanne I Ep. III, 8. non ineptè credideris? Sic ſumitur *initium* non ſemel, apud Joannem. Vide Evang. C. I, I.

Cap. XIX. *Non mihi videtur ab operibus Dei abſurda* (fortè *abſona*) *ſententia, ſi cùm lux illa prima facta eſt, Angeli creati intelliguntur, & inter ſanctos Angelos & immundos fuiſſe diſcretum ubi dictum eſt*: Et diviſit Deus inter lucem & tenebras; & vocavit Deus lucem Diem, & tenebras vocavit Noctem.] Nihil mihi alienius eſſe videtur hoc interpretamento, à mente & verbis Moſis; nec ſanè, ſi negetur, ullâ ratione probari poterit. Senſus Moſis litteralis optimus & pulcherrimus eſt, Deum diviſiſſe omne tempus in lucem & tenebras, qua de re egit *Joannes Clericus*, in Comment. Philologico ad Geneſ. I, 4. Tali ſenſu invento, qui ſe ſponte ſuâ animo legentium ingerit, alium quærere eſſet delirare.

Cap. XXIV. *Utrum autem boni Patris & boni Filii Spiritus ſanctus, quia communis ambobus eſt, rectè bonitas dici poſſit amborum non audeo temerariam præcipitare ſententiam, verumtamen amborum eum dicere ſanctitatem faciliùs auſus fuero, non amborum quaſi qualitatem, ſed ipſum quoque ſubſtantiam, & tertiam in Trinitate perſonam.*] Has incommodas loquutiones, quas invenit *Auguſtinus*, cur in Theologiam intromiſſas cuperet, non intelligo; cùm ipſe fateatur eſſe ambiguas, & Scripturæ ignotas. Eſt autem planè abuti ſermone, cum ſine neceſſitate, in re per ſe difficillima, ambiguæ loquutiones adhibentur. Fateor fabricatas has fuiſſe, ad exemplar ejus quâ Dei Filius cenſetur dici Proverb. VIII. ejus *ſapientia*; ſed doctiſſimi Ioterpretes oſtenderunt agi reverâ illic non de perſona ulla vera, ſed κατὰ προσωποποιΐαν de ſapientia, quæ divinæ eſſentiæ eſt attributum. Attamen illâ ambiguitate multi Patres ſunt abuſi. Vide *Dionyſ. Petavium* Dogm. Theologic. T. 2. Lib. VI. c. 9. Sed notandum *Auguſtinum* dicere Spiritum Sanctum *ipſum quoque ſubſtantiam* eſſe, unde liquet ſingulos alios ab eo creditos eſſe *ſubſtantias* diſtinctas, quamvis pares & conjunctiſſimas.

Cap. XXIX. *Illi quippe Angeli Sancti non per verba ſonantia Deum diſcunt.*] Facilè hoc conceſſerim; ſed rationem, quâ Dei imperia accipiant, ignoro. At norat *Auguſtinus*, qui ſic pergit: *ſed per ipſam præſentiam immutabilis veritatis, hoc eſt, verbum ejus unigenitum.* Sunt quidem hæc verba, & voces, ſed quibus quam poteſtatem ſubjiceret Scriptor ipſe vix, ut opinor, dixiſſet. Vide notata ad Lib. IX. c. 22.

Ibidem. *Eámque eſſe inſeparabilem Trinitatem, ſingulâſque in ea perſonas eſſe unam ſubſtantiam, & tamen omnes non tres Deos, ſed unum, ita noverunt, ut eis magis iſta, quàm nos ipſi cogniti ſumus.*] Si unaquæque perſona eſt *una ſubſtantia*, totidem ſunt ſubſtantiæ, quot perſonæ; nec diffitebatur *Auguſtinus*. Vide ad cap. XXIV. & *Dionyſ. Petavium* Dogm. Theologicorum Tom. 2. Lib. IV. c. IV. Attamen ſæpe affirmat *unam eſſe ſubſtantiam*, cùm ſermo eſt de unitate ſpecifica, ut loquuntur Scholaſtici, non de unitate numerica. Planiùs hac de re ipſe *Auguſtinus*, in libris de Trinitate.

LIBRO XII. c. 7. *Nemo igitur quærat efficientem cauſam malæ voluntatis; non enim efficiens, ſed deficiens, quia nec effectio eſt ſed defectio.*] Malæ *volitionis*, nam ita cum Scholaſticis, vitandæ ambiguitatis gratiâ, loquar, cauſa efficiens eſt voluntas, aut mens libera; quæ ignorantiâ, imprudentiâ, aut affectu peccare poteſt. Peccata enim non ſunt nihil, ſed veræ actiones mentis; quas unaquæque mens, facultate à Deo acceptâ, edere poteſt. Inanes ſunt ſubtiliorum æquo Philoſophorum ratiocinationes, quibus nobis perſuadere vellent id non eſſe quod in nobis ipſi ſentimus. Vide notas ad T. VI in Enchiridium ad Laurentium cap. XI.

Cap X. §. 2. *Fallunt eos quædam mendaciſſimæ litteræ, quas perhibent, in hiſtoria temporum, multa annorum millia continere; cùm ex litteris ſacris ab inſtitutione hominis nondum completa annorum ſex millia computemus.*] Reſpicit, ut videtur, *Auguſtinus* potiſſimùm litteras Ægyptiacas; quas antiquiſſimis temporibus non Chronologicum calculum, ſed Aſtronomicam periodum continere acutè atque ingenioſè oſtendit *Joannes Marshamus*, in [illegible] Chronici Canonis. Sed antea perperam tempora verè prætérlapſa eâ Periodo contineri perſuaſum erat.

Cap. XII. contra eos qui nimis recentem mundum eſſe querebantur: *Si brevitas eos offendit temporis, quod tam pauci eis videntur anni, ex quo inſtitutus homo noſtris auctoritatibus legitur; conſiderent nihil eſſe diuturnum, in quo eſt aliquid extremum, & omnia ſæculorum ſpatia definita, ſi æternitati interminatæ comparentur, non exigua intelligenda eſſe, ſed nulla.* Acutè ſanè & eruditè; nam hominem laudamus æquè libenter, ac à minùs rectè ſentiente diſcedimus. Itaque tempus longum & breve dicitur reſpectu humanæ vitæ, non æternitatis, præ qua omnia tempora nulla ſunt. Sed audiamus & ſequentia: *Ac per hoc, ſi non quinque, vel ſex, verùm etiam ſexaginta millia, ſive ſexcenta aut ſexagies, aut ſexcenties millies dicerentur annorum; aut itidem per toties totidem multiplicaretur hæc ſumma, ubi jam nullum numeri nomen haberemus, ex quo Deus hominem fecit; ſimiliter quæri poſſet, cur antè non fecerit.* Omnia egregiè, ita ut nihil melius dici hanc in rem potuerit. Aliquando mirari ſubiit Scriptorem eruditum, ſingularíque alioqui judicio præditum, qui quæſtioni, quam ſibi hic proponit *Auguſtinus*, reponebat mundum fortaſſe eſſe antiquiorem, quàm vulgò hodie creditur, quòd calculus LXX. Intt. major ſit calculo Hebraici Codicis. Quod numquam dixiſſet, ſi de hoc *Auguſtini* reſponſo cogitaſſet. Sed quamvis ſit veriſſimum, nequaquam minuit difficultatem propoſitam, ex qua ſemper ſequetur Dei bonitatem infinitam nulla ſui indicia dediſſe per æternitatem præteriti temporis. Philoſophos philoſophicis rationibus coërceri oportere cum certum ſit, dicamus iis, ſi ita videtur, non noſtram dumtaxat Tellurem & vicina aliquot corpora à Deo eſſe creata; ſed innumerabilia alia, longè antequàm eſſet noſter hic Terræ Planeta; ita ut ſi internoſcerent operum illorum divinorum quænam priora quænam poſteriora creata ſint, poſſent ab hac noſtra Terra numerare retrogrediendo in præterita temporum ſpatia, in ſæcula ſæculorum, nec umquam pervenire ad antiquiſſimum operum divinorum. Quomodo contrarium probarent non video, nec quidquam hic dicerent quod contra infinitatem ſpatii & numeri partium cujuslibet corporis dici non poſſit; quæ tamen infinitas demonſtrationibus mathematicis nititur. Itaque ſuperba Philoſophorum ingenia eo modo retundi & ad modeſtiores cogitationes adduci poſſent. Aliquid jam antea hac de re diximus, quod expendi à Philoſophiæ peritis cupimus.

Cap. XVI. *Dicit etiam Apoſtolus tempora æterna, nec ea futura, ſed quod magis eſt mirum, præterita. Sic enim ait* (Tit. 1, 2, 3.) in ſpem vitæ æternæ quam promiſit non mendax Deus ante tempora æterna, manifeſtavit autem temporibus ſuis verbum ſuum. *Ecce dixit retrò quod fuerint, quæ tamen non fuerint coæterna.*] Antequàm ulterius progrediar, verbo indicabo veram loci ſententiam. Χρόνοι, nempe, αἰώνιοι, ut docebit *Hugo Grotius*, ſunt antiqua tempora, Hebraice ימי עלם aut ימי קדם, quibus verbis longum tempus ſignificatur, non æternum. Vide Paraphraſin Chaldaicam Jonathanis Mich. V, 2. Igitur hoc vult Apoſtolus ante longum tempus promiſſam vitam æternam olim per Meſſiam revelandam. Vide Rom. XVI, 25. 2 Tim. 1, 9. Res Hebraicè ſcienti & illa loca, aliáve ſimilia legenti obſcura eſſe nequit. Sed Hebraicè neſcienti, Scriptorémque non ex perſpecto Linguæ Sanctæ ſtylo interpretanti, ſed ex Philoſophicis neſcio quibus placitis, omnia ſunt obſcura. Hinc ſomniat hic noſter *tempora æterna*, ſed quæ tamen *non fuerint Deo coæterna*; quaſi aliquid magis æternum, quam aliud æternum, eſſe poſſit! *Si quidem ille*, inquit, *ante tempora æterna non ſolùm erat, verùm etiam vitam promiſit æternam, quam manifeſtavit temporibus ſuis, id eſt, congruis, quod aliud quàm Verbum ſuum? Hoc enim eſt vita æterna.* Non dicam *ante æternitatem* eſſe nihil poſſe; ſed *Auguſtinum* rationem præbuiſſe Arianis eludendi multa loca antiquiorum Synodo Nicænâ Patrum, de æternitate Filii; quem eodem ſenſu, ac hic loquitur *Auguſtinus*, æternum deſcribi dicere potuerunt, dum Patri coæternum negabant. Sed quod Deus *promiſiſſe* vitam æternam dicitur, ante illa tempora quæ *æterna* vocabantur, id profectò *Auguſtinum* admonere debuit ſignificari dumtaxat antiquiora Veteris Teſtamenti tempora. Attamen ne hoc quidem animadvertit. *Quomodo autem promiſit*, inquit, *quod hominibus utique promiſerit qui nondum erant ante tempora æterna; niſi quia in ipſius æternitate, atque in ipſo ejus Verbo eidem coæterno jam prædeſtinatione fixum erat quod ſuo tempore futurum erat?* Poſſet hoc aliquo modo ferri, ſi dictum fuiſſet *ab æterno*, ſed *ante tempora æterna promittere*, pro apud ſe ab æterno ſtatuiſſe dare, ſine exemplo eſt. Quod mireris, hic ipſe *Auguſtinus* circa idem tempus quo hæc ſcripſit, partim verum ſenſum loquutionis hujuſce ſenſit. Sic contra Priſcillianiſtas. Cap. VI. *Et dixit Apoſtolus æterna tempora priora & antiqua, quod in Græco legitur* πρὸ χρόνων αἰωνίων. *Ad Titum enim ſcribens* &c. Hactenus optime, ſed audi loquutionis ejus miram rationem: *Cùm autem retrorſum tempora à conſtitutione mundi habere videantur initium, quomodo ſunt æterna, niſi quia æterna dixit, quæ ante ſe non habent ullum tempus?* Sic ergo mundus poſſet dici *æternus*, quia, ex doctrina *Auguſtini*, ante ſe non habuit tempus, cùm creationem ejus ſola anteceſſerit æternitas. Quis tamen ferret, inter Chriſtianos, dicentem mundum eſſe æternum? Quæ cùm ita ſint miror Pariſienſes Editores, cùm poſſent *Hug. Grotium* conſulere, ut alios prætermittam, in hac interpretatione acquieſcere potuiſſe. Sed hic idem locus *Hieronymum*, multò *Auguſtino* doctiorem, turbaverat, ut liquet ex hac ejus adnotatione in Cap. 1. Ep. ad Titum, ubi memoratâ creatione mundi & temporis, ſic pergit: *Ante hæc igitur mundi tempora, æternitatem quamdam ſæculorum fuiſſe credendum eſt, quibus ſemper cum Filio & Spiritu Sancto fuerit Pater; &, ut dicam, unum tempus Dei eſt omnis æternitas imò innumerabilia tempora ſunt, cùm infinitus ſit ipſe qui ante tempora omne tempus excedit.*

Sex

Sex millia nec dum noſtri orbis implentur anni, & quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas ſæculorum origines fuiſſe arbitrandum eſt, in quibus Angeli, throni, dominationes, ceteræque virtutes ſervierunt Deo, & abſque temporum vicibus atque menſuris, Deo jubente, ſubſtiterunt? Igitur *ante tempora æterna* eſſet, ante ingentia temporum ſpatia, quæ priuſquàm mundus conderetur effluxerant. Sed & hoc ſine exemplo eſt, & ſuppeditat quoque Arianis novæ æternitatis notionem, quam tribuere poſſent Filio, integrâ ſuâ de creatione ejus ſententiâ. Plura hac de re non dicam, niſi *Hieronymum* hic non uſum peritia Linguæ Hebraicæ, quam ſibi comparaverat, quæ tamen tanta non fuit, quanta vulgò à multis creditur, ut copioſè oſtendit *Joannes Clericus* in Quæſtionibus Hieronymianis.

Cap. XIX. De loquutione *ſæcula ſæculorum*, poſtquàm duas opiniones propoſuit à vera ejus poteſtate planè alienas, ſubjicit: *Quid ergo iſtorum duorum ſit, an præter hæc duo aliquid aliud de* ſæculis ſæculorum *poſſit intelligi, profundiſſima quæſtio eſt.* Quis verò nunc ignorat hoc eſſe idioma Linguæ Hebraicæ, ac Chaldaicæ, quo ſignificatur tempus aut ſine fine, aut certè longum? Ut enim in Veteri Teſtamento legimus לדור דורים ldor dorim, *in ætatem ætatum*, eâ, quam diximus, ſententiâ, ut Pſalm. CII, 25. Eſai. LI, 8. ſic in ſermone Judæorum, temporibus Apoſtolicis, לעלם עלמין *lhalam halmin*, Syriacâ Linguâ dicebant, pro eo quod eſt, in omnem æternitatem. Inde videtur orta hæc loquutio, quòd de tali re ſæcula ſingula, vel ſingulæ ætates dicere omnes poſſint futuram in ſæcula ſequentia. Sed undecumque orta ſit, ſignificatio ejus perpetuo Novi Teſtamenti uſu notiſſima eſt, ex quo conſtat εἰς αἰῶνα & εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων perinde eſſe. Attamen hac quoque in re, æſtuavit ſimiliter *Hieronymus*, in Epiſtol. ad Galatas cap. V.

LIBRO XIII. cap. 12. Poſtquàm expoſuit quæ ſit prima & ſecunda mors, hæc habet: *Quando ergo dixit Deus primo illi homini, quem in paradiſo conſtituerat, de cibo vetito:* quacumque die ederitis ex eo, morte moriemini; *non tantùm primæ mortis partem priorem, ubi anima privatur Deo, nec tantum poſteriorem, ubi corpus privatur anima; nec ſolam ipſam totam primam, ubi anima & à Deo & à corpore ſeparata punitur, ſed quidquid mortis eſt, uſque ad noviſſimam, quæ ſecunda dicitur, quâ nulla eſt poſterior, comminatio illa complexa eſt.* Duo hic animadvertenda; alterum, hæc pro imperio ab *Auguſtino* dici, non probari; nullus enim, in ulla lege, exſtat uſquam locus ubi *morte mori*, aliud ſignificet, quam ſimpliciter *mori*; nec *mortuum*, præter eam quâ corpus diſſolvitur, ſi ita loqui licet, quarum meminit, ulla in toto Vetere Teſtamento mentio. Itaque ſi negetur quidquam hìc ſignificari, præter ſimplicem mortem, ſeu diſſolutionem corporis; non erit timendum, ne contrarium vel probabile fieri poſſit. Alterum eſt falſum planè, neceſſitatem peccandi cuiquam à Deo, quaſi pœnam peccati, impoſitam eſſe; Deus enim auctor pœnæ, ſine dubio, eſſet eadem operâ auctor & ultor peccati, quod cogitatu & dictu horrendum eſt.

Cap. XIII. de primis parentibus, quos nuditatis ſuæ, poſt peccatum, pudere cœpit: *Senſerunt ergo novum motum inobedientiæ carnis ſuæ, tamquam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ.* Hoc in ſequentibus pluribus exſequitur & ſæpe repetit, præſertim Lib. XIV. unde intelligere eſt id commentum non parum auctori placuiſſe. Attamen ne quid aliud hic dicam, non debuit dicere *ſenſerunt*, ſed *ſenſit Adamus*, nam motus aut nullus fuit in Eva, aut certè minimè conſpicuus, & qui eam in ruborem dare poſſet. De nuditate primorum parentum vide cùm alios Interpretes, tum præſertim *Joannem Clericum* ad Geneſin.

Cap. XIX. *Licèt enim juſtorum ac piorum animæ defunctorum, quod in requie vivunt dubitare fas non ſit, aſque adeo tamen eis melius eſſet cum ſuis corporibus bene valentibus vivere, ut etiam illi, qui omni modo eſſe ſine corpore beatiſſimum exiſtimant, hanc opinionem ſuam ſententiâ repugnante convincant.*] Hic ad Platonicos reſpicit, qui tamen ſe facilè contra eum poſſent tueri. Sed hoc hic non agitur. Obſervabimus tantùm melius quidem eſſe animis defunctorum iterum cum corporibus excitatis è ſepulcro conjungi, ut plena cum iis felicitate fruantur, quoniam ad corporum reſurrectionem eam differt Scriptura; ſed ſine dubio deteriùs eis eſſet, ſi hic in terris nobiſcum, *cum corporibus ſuis bene valentibus*, viverent. Sunt enim exemti omnibus vitæ miſeriis, & quod caput eſt rei, periculo excidendi è gratia divina. Sed ſatis intricatè hìc diſputat *Auguſtinus* contra Platonicos, quos defendere non eſſet uſque adeò difficile.

LIBRO XIV. cap. 5. *Si quidem, ſecundùm ipſos, illa, ut loquutor nobilis ait,* dira cupido *aſque adeò non eſt ex corpore, at ab omni corporea peſte purgatam & extra omne corpus animam conſtitutam ipſam compellat eſſe in corpore.*] Reſpicit ad *Virgilium* antea laudatum, & quidem verſ. 321. Lib. VI. Æneidos:

------ *quæ lucis miſeris tam dira cupido?*

Sed vix mihi perſuadere poſſum *Virgilium* vocari *locutorem*. *Ludovicus Vives* alibi Ciceronem ſic ab eo nominatum notat, quod non memini. Utrobique mallem *Auctorem*, quam *loquutorem* legi.

Cap. XVII. *Quod itaque adverſus damnatam culpa inobedientiæ voluntatem libido inobedienter movebat, verecundia pudenter tegebat.*] Jam hoc dixit Lib. XIII. cap. 13. ubi monuimus de Adamo hoc potuiſſe dici, de Eva non item. Nimirum, putat *Auguſtinus* cum pleriſque primos parentes ſibi feciſſe *cingula* tantùm, non veſtes. Sed ſunt ab Interpretibus nuperis dicta, in eam rem, quæ ſunt examine digna.

Ibidem. *Et hoc omnes gentes, quoniam ab illa ſtirpe procreatæ ſunt uſque adeò tenent inſitum pudenda velare, ut quidam barbari illas corporis partes nec in balneis nudas habeant, ſed cum earum tegumentis lavent. Per opacas quoque Indiæ ſolitudines, cùm quidam nudi philoſophentur, unde Gymnoſophiſtæ nominantur, adhibent tamen genitalibus tegmina, quibus per cetera membrorum carent.*] At navigationes nuperæ & per noſtrum hemiſphærium & per antipodum noſtrorum, nos docuerunt eſſe gentes in Africa & in America planè nudas; & ad Brachmanes quidem quod attinet, planè nudos eos eſſe oculati teſtes docent, inter quos *Franciſcus Bernerius*, vir candidi ingenii & philoſophicis ſtudiis exculti, qui diu in India vixit. Nec puto olim magis veſtitos fuiſſe, quidquid dicat mendaciſſimus ille ac putidiſſimus Scriptor, in ſuo Apollonio, *Philoſtratus*. Ceterùm pudor nuditatis inde partim ortus videtur, unde dicit *Auguſtinus*, ſed multa alia acceſſerunt. Cùm Adamus & Eva habuerunt liberos, tecti eſſe debuerunt, ne liberi partes non tectas contrectarent, ſuiſque abuti citiùs æquo diſcerent. Mulieres etiam à pubertate tectas eſſe oportet, ne ſingulis menſibus fœdum quidpiam oculos offendat. Conjugati quoque tecti eſſe debent, ne libidine per oculos concitatâ conjugiorum optimæ ac utiliſſimæ leges violentur, & adulteria paſſim committantur; quod ſine humanæ ſocietatis pernicie, fieri non poſſet. Hinc paullatim natus nuditatis pudor & diligenter à parentibus, nec ſine graviſſimis rationibus, liberorum animis inſinuatus. Sed de hiſce pluribus non agemus, ne in pudorem & ipſi peccemus.

Cap. XVIII. *Quis enim neſcit, ut filii procreentur, quid inter ſe conjuges agant? Quandoquidem ut id agatur tantâ celebritate ducuntur uxores; & tamen cùm id agitur unde filii naſcuntur, nec ipſi filii, ſi qui inde jam nati ſunt, teſtes fieri permittuntur.*] Hoc non fit quòd ipſa res, in ſe ſpectata, pudenda ſit; ſed quòd periculoſum eſſet, ne imitatione intempeſtivâ liberi imitarentur parentes, in iis circumſtantiis, in quibus res illicita eſſet, & humanæ ſocietati vehementer noceret. Ideò intereſt à pueritia liberos pudore illo imbui, ne audeant facere quod noxium eſſet. Sed tamen pro varietate temporum ac gentium, augetur aut minuitur ille pudor; quod liquet ex libidine effreni non tantùm veterum Europæ & Aſiæ Ethnicorum, ſed etiam hodiernorum Africæ & Americæ Barbarorum.

Cap. XX. *Unde & illum* (Diogenem qui publicè concumbere cum meretrice voluit) *vel illos, qui hoc feciſſe referuntur potiùs arbitror concumbentium motus dediſſe oculis hominum neſcientium quid ſub pallio gereretur,*

Google

tur, quàm humano premente conſpectu, potuiſſe illam peragi voluptatem.] Maluiſſem illa non attigiſſe quàm tam perite philoſophatum de re tam turpi fuiſſe, illâ præſertim ætate quâ erat *Auguſtinus*; ſed non illibenter de ejuſmodi rebus loqui videtur, ut jam vidimus & poſtea etiam videbimus. Utile enim eſt talia diligenter notari, ne homines nonnulli impunè pergant viri auctnritate uſque adeò abuti; ita ut ettores ejus, non minùs ac verè dicta, cenſecrent.

Cap. XXIII. §. 3. de ratione quâ propagatum fuiſſet genus humanum, ſine peccato Adami: *Voluntati*, inquit, *membra illa, ut cetera omnia ſervirent. Ita genitale arvum vas in hoc opus creatum ſeminaret, ut nunc terram manus*; hoc eſt, ſine ullo voluptatis appetitu, nam eam libidinem vult *Auguſtinus* eſſe peccatum. Eadem operâ dicere debuiſſet appetitum cibi grati peccatum eſſe; nec primos parentes cùm fructus licitos & jucundos comederant; ullâ voluptate titillatos fuiſſe, aut adductos ut hos, potiùs quàm illos, comederent, ſed comediſſe tantùm ut corpus ſuſtentarent. Addere etiam eum oportuiſſet bruta, quorum organa noſtris noo abſimilia ſunt, nullam quærere in naturalibus actionibus voluptatem, nam ſanè non peccarunt; ſed iis defungi ſponte naturæ, ſine ulla planè cupiditate. Nam hæc ſunt æquè rationi conſentanea, ac Auguſtinianæ conjecturæ. Poſtquàm Deum planè alium deſcripſit, ac eſt, quámque à Scriptura nobis præpingitur; toti etiam naturæ vim infert, ut poſſit pravas interpretationes obſcurorum aliquot Scripturæ locorum tueri. At multò ſatius fuit agnoſcere interpretationes illas falſas eſſe, eò quod naturæ rerum eſſent contrariæ, cum qua Scriptura pugnare nequit.

Cap. XXIV. §. 1. *Seminaret igitur prolem vir, ſuſciperet femina genitalibus membris, & quantum opus eſſet voluntate motis, non libidine concitatis. Neque enim ea ſola membra movemus ad nutum, quæ compactis articulata ſunt oſſibus, ſicut pedes, manus & digitos; verùm etiam illa quæ mollibus remiſſa ſunt nervis, cùm volumus, movemus agitando & porrigendo producimus, & torquendo flectimus & conſtringendo duramus; ſicut ea ſunt quæ in ore ac facie, quantum poteſt, voluntas movet.*] Fruſtra honorem auribus præfatus eſt *Auguſtinus*, hæc vix tolerari poſſunt in ore ſenis, & Epiſcopi omnes promiſcuè alloquentis, tam obſcœna ad illuſtrandam, ut mitiſſimè loquar, inanem conjecturam, tam operoſè congeſta, ac ſtudioſè repetita. Quoſnam enim tandem hæc tam putida docebat? Puellas, credo; nam pueri Afri, ſub ardente cœlo nati & educati, ſat citò talia norant. Paullò antea dixit quidem *ſibi facillimè pudicum ac religioſum lectorem ignoſcere, donec infidelitatem refellat, non de fide rerum inexpertarum, ſed de ſenſu expertarum argumentantem.* Sed erunt & pudici & religioſi, quos pudebit commenti, quod nonniſi tam obſcœnis conjecturis defendi potuit; nec patientur *infideles* dici, qui talibus ſomniis fidem derogant, ſed eos contendent eſſe valde audaces, ne quid duriùs dicam, qui pro verbo divino opiniones has ſuas populis obtrudunt. Sed utitur noſter Orator exemplo Apoſtoli, quo ſe tueatur: *Legit enim hæc*, inquit, *ſine offenſione, qui non exhorret Apoſtolum horrenda fœminarum flagitia reprehendentem*, quæ immutaverunt naturalem uſum, in eum uſum qui eſt contra naturam. Verùm Apoſtolus hæc noo ſine ſumma & juſtiſſima indignatione detonat, in reas ejuſmodi flagitiorum; at *Auguſtinus* turpia commenta hîc nobis propinat, dumtaxat ut rationem reddat rei, quæ non fuit, neque erit; nimirum, generationis liberorum in ſtatu innocentiæ, ſi in eo primi parentes perſeveraſſent; & quidem quia ſtatuit peccatum id eſſe, quòd ineſt naturæ omnium animalium, nec uſquam damnatur, ſi modò intra leges contineatur; nimirum, cupiditatem conjugii poſtquàm pubertatis annos attigerunt. Suum ergo turpiloquium malè confert cum juſta Pauli indignatione; ne jam dicam Paulum ſemel & paucis flagitia Ethnicorum attingere, cùm ille ſæpiùs huc redeat & rhetorico fuco omnia exornet, ut ex allatis verbis ſatis liquet.

LIBRO XV. Cap. IX. Ut probet fuiſſe gigantes ex occaſione loci Geneſ. VI, 4. *Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis*, ſic ratiocinatur: *nobiliſſimus eorum Poeta Virgilius, de ingenti lapide, quem in agrorum limite infixum vir fortis illorum temporum* (nempe, Heroïcorum) *pugnans & rapuit, & cucurrit & intorſit & miſit,*

Vix illum, *inquit*, lecti bis ſex cervice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Significans majora tunc corpora producere ſolere tellurem. Quanto magis igitur temporibus recentioribus mundi, ante illud nobile diffamatumque diluvium? &c.] Rem ipſam copioſiſſimè & eruditiſſimè pertractavit vir eruditus *Theodorus Ryckius*, in Oratione quam ſubjecit notis *Lucæ Holſtenii* in *Stephanum* Byzantium, oſtenditque fuiſſe quidem hîc illic *Gigantes*, ſeu grandioris ſtaturæ homines, ſed antiquioribus temporibus homines vulgò hodiernis proceriores non fuiſſe. Adeant eum Lectores, ſi qui hanc quæſtionem expendere cupiant. Duo tantùm hîc obſervabimus. Prius erit, *Auguſtinum*, antequàm quæreret an fuerint Gigantes, debuiſſe conſulere Græcos Interpretes Veteris Teſtamenti, *Symmachum* atque *Aquilam*; ex quibus intellexiſſet nullam eſſe hîc Hebraïcam vocem, quæ Gigantes ſignificet, ac proinde quæſtioni, an fuerint Gigantes, nullum hîc locum eſſe. Poſterius verò, auctoritatem *Virgilii*, poſt *Homerum* mentientis, nimis levem fuiſſe apud homines ſerios, quàm ut uſui eſſe poſſet ad defendendam contra Ethnicos Hiſtoriam ſacram. Parata enim erat reſponſio, *Virgilium* Poëtam fuiſſe, cui fingere licuiſſet, & in hac quidem re eum imitatorem fuiſſe *Homeri*, cui nemo neceſſe haberet credere.

Ibidem. *Plinius Secundus, doctiſſimus homo, quanto magis magiſque præterit ſæculi excurſus minora corpora naturam ferre teſtatur.*] Hoc quidem habet *Plinius* Lib. VII. H. N. c. 16. Sed falſum eſſe nemo neſcit, & multis oſtendit is, quem dixi, *Theodorus Ryckius.*

Cap. XIII. Poſt longam & anxiam diſputationem, de diſcrimine chronologiæ Hebraïcæ & Græcæ, in annis Antediluvianorum Patriarcharum, tandem ſic ratiocinationes ſuas claudit *Auguſtinus*: *Sed quomodolibet illud accipiatur; ſive credatur ita eſſe factum, ſive non credatur; ſive poſtremò ita, ſive non ita ſit; rectè fieri nullo modo dubitaverim, ut cùm diverſum aliquid in utriſque Codicibus invenitur; quandoquidem ad fidem rerum geſtarum utrumque eſſe non poteſt verum, ei linguæ potiùs credatur, unde eſt in aliam per Interpretes facta tranſlatio.* Nihil verius, ſed hoc videtur extorſiſſe *Auguſtino* quod habetur in Verſione LXX. Intt. de annis Mathuſalæ, quem, ex eorum calculo, diluvio ſuperſtitem fuiſſe oporteret, quod Scripturæ prorſus contrarium eſt. Interea amplectamur quod nobis dat, gratiáſque ei habeamus ob prolatam veritatem; quamvis huic confeſſioni convenienter ſe minimè geſſerit, qui ut Hebraïcam Linguam diſceret operam non dedit. Subjicit: *Nam in quibuſdam etiam Codicibus Græcis tribus & uno Latino, & uno etiam Syro, inter ſe conſentientibus, inventus eſt Mathuſalem ſex annis ante Diluvium fuiſſe conſumtus.* Crediderim Syriacam interpretationem ex Hebræo codice, Hietooymi verſionem Latinam, tranſlationéſque *Aquilæ, Symmachi*, & *Theodotionis* intelligi, quas non mirum cum Hebraïco fonte conſenſiſſe, quandoquidem ex eo erant derivatæ.

Cap. XVII. *Porrò ille Seth reſurrectio interpretatur, & Enos filius ejus interpretatur homo.*] Vera eſt poſterior interpretatio, nam reverâ Hebraïce אנוש *enoſch* eſt homo; ſed שת *ſcheth* reſurrectionem non ſonat, ſed potiùs *poſitum*, aut *repoſitum*, à שית *poſuit*, quod liquet Gen. IV, 25. ubi Etymologia nominis ſic traditur: ותקרא את שמו שת כי שת לי אלהים זרע אחר תחת הבל *& vocavit nomen ejus Scheth, quia poſuit* (Schath) *mihi Deus prolem alteram loco Hebel.* Quod ſic expreſſerunt LXX. Intt. καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Σὴθ, λέγουσα, ἐξανέστησε γάρ μοι ὁ Θεὸς σπέρμα ἕτερον ἀντὶ Ἄβελ. Unde temerè collegit Auctor Libelli Nominum Hebraïcorum voce *Seth* ſignificari ἀνάστασιν, cùm LXX. Intt. ſenſum potiùs quàm

Digitized by Google

quàm vim propriam Hebraicæ vocis, expreſſerint. Periculoſum eſt aliis credere, in re quam nullo modo intelligas, cùm neſcis an ejus periti ſint.

Ibidem. *Enos filius ejus interpretatur homo; non ſicut Adam, (& ipſum enim nomen interpretatur homo) ſed commune perhibetur eſſe in illa Lingua, id eſt, Hebræa, maſculo & feminæ. Nam ſic de illo ſcriptum eſt:* Maſculum & feminam fecit illos, & benedixit illos, & cognominavit nomen eorum Adam. *Unde non ambigitur ſic appellatam fuiſſe feminam Evam, proprio nomine, ut tamen Adam, quod interpretatur homo nomen eſſet amborum.*] Rectè de nomine *Adam*, ſed perperam de nomine *Enos*, quod pluribus interpretatur in ſequentibus: *Enos autem*, inquit, *ſic interpretatur homo, ut hoc non poſſe feminam nuncupari periti Linguæ illius adſeverent; tamquam filius reſurrectionis, ubi non nubent, neque uxores ducent. Non enim erit ibi generatio, cùm illuc perduxerit regeneratio.* Si hæc pro concione dixiſſet *Auguſtinus*, quis dubitet quin mirabilem plauſum ab ignara Numidarum plebe tuliſſet? Nec dubium mihi eſt quin obtuſa Pœnorum pectora, aliquò non doctiores acumen Oratoris Hipponenſis ſint admirati. Atqui ut falſum eſt voce *Seth*, ut jam vidimus, *reſurrectionem* ſignificari: ſic voce איש ſignificari tantum *virum* falſum quoque eſt, præſertim in ſingulari numero, ubi eſt idem ac אדם *Adam* Hebræis & Græcis ἄνθρωπος, & conſtanter utrumque ſexum complectitur. In plurali אנשים *viros*, ſeu ἄνδρας, ſæpe ſignificat, ſed neque id perpetuò, ut Concordantiæ Hebraicæ vulgariaque Lexica docebunt. Itaque pro plauſu, dignus hic erat bonus vir acerrimis paſtoritiæ fiſtulæ ſibilis; qui ex aliena fide de re ejuſmodi loqui non debuit. Sed audi & ſequentia: *Quare & hoc non in caſſum notandum arbitror, quod in eis generationibus, quæ propagantur ex illo, qui eſt appellatus Seth, cùm genuiſſe filios filiáſque dicantur; nulla ibi genita nominatim femina expreſſa eſt; in his autem, quæ propagantur ex Cain, in ipſo fine, quò uſque protenduntur, noviſſima femina genita nominatur.* Cùm hæc argutia nitatur fundamento antea diruto, de ſignificatu vocis Enos, tota corruat neceſſe eſt, & myſterium hoc ſomnium Africanum habeatur.

Cap. XXIII. §. 3. De loco Geneſ. VI, 2. *videntes Angeli Dei filias hominum &c.* Rectè obſervat illos *Angelos* Dei fuiſſe homines, deinde ſubdit: *Septuaginta quidem Interpretes &* Angelos Dei *dixerunt iſtos &* filios Dei, *quod quidem non omnes Codices habent; nam quidam niſi* filios Dei *non habent. Aquila autem, quem interpretem Judæi ceteris anteponunt, non* Angelos Dei, *nec* filios Dei, *ſed* filios Deorum *interpretatus eſt.*] Erant ergo Codices qui habebant, ἄγγελοι Θεοῦ καὶ υἱοὶ Θεοῦ, & qui ſine dubio vitioſi erant, nam cùm ſit tantùm ſemel, in Hebræo Codice, בני אלהים *bne elohim*, alterutrâ tantùm loquutione verti potuit. Sine dubio aliquis è regione vocum ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ ſcripſerat υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, ut ſignificaret, aut ita legendum eſſe, aut meliùs ita verſuros fuiſſe LXX. Interpretes; quod poſtea temerè intruſum in orationis contextum, qualia multa ſunt in ea verſione. Quod ait noſter quoſdam Codices non habuiſſe, niſi *filios Dei*, verum videmus eſſe ex antiquiſſimo Codice Vaticano, in quo hæc tantùm lectio habetur. Verùm, in paris antiquitatis Codice Alexandrino, legitur tantùm ἄγγελοι Θεοῦ: quemadmodum videntur legiſſe multi antiquiſſimi Patres Græci & Latini, qui hinc magno conſenſu collegerunt Angelos amore mulierum mortalium captos fuiſſe. Vide *Dionyſii Petavii* Dogm. Theol. Tom. III. & Operis de Angelis Lib. III. c. 2. Ad *Aquilam* denique quod attinet, non mirum eſt eum vertiſſe *filios Deorum*, quia אלהים pluralis eſt numeri in Hebræa Lingua; notum eſt autem eum κατὰ πόδας vertiſſe, præſertim in ea verſione, quæ erat κατ' ἀκρίβειαν. *Utrumque*, ſubdit *Auguſtinus*, *verum eſt; nam &* filii Dei *erant ſub quo patre ſuorum patrum etiam fratres erant, cùm quibus & ipſi Dei erant, juxta illud Pſalmi:* ego dixi Dei eſtis &c. Sed hic locus Pſalmi ad omnes non pertinet, & locus Geneſeos intelligendus de tota proſapia Sethi, ut eruditiſſimi Interpretes ad eum locum oſtenderunt.

Tandem claudit hanc ſuam ratiocinationem *Auguſtinus*, hiſce verbis: *Merito enim creduntur LXX. Interpretes accepiſſe propheticum ſpiritum, ut ſi quid ejus auctoritate mutarent, atque aliter quàm erat quod interpretabantur dicerent, neque hoc divinitus eſſe dictum dubitaretur.* Hæc opinio tribus potiſſimùm fulcris ſuſtentabatur. Primum fuit abſurda fabula commentitii *Ariſteæ*, de ratione, quâ hi Interpretes Vetus Teſtamentum, quamvis cellulis ſejuncti, eodem planè modo verterant; quam fabulam irriſit olim *Hieronymus*, & nunc omnes cordatiores ſimiliter rident. Nam qui aliter ſentiunt aut Hebraicè neſciunt, aut ſtultâ pertinaciâ ita ſentiunt, vel ſentire videri volunt. Alterum fuit ignorantia Linguæ Hebraicæ Judæorum nonnullorum & Chriſtianorum, qui numquam eam verſionem cum Hebraico Codice contulerant; nam ex eorum collatione deprehendiſſent manifeſta peccata, innumeris in locis, admiſſa ab iis Interpretibus fuiſſe; quæ ex minùs accurata Linguæ Hebraicæ cognitione orta erant. Tertium denique, graviſſima ratio, ſi prudentiam carnalem ſpectes, ſed nullius ponderis ſi ſolius Veritatis rationem habeas; nimirum, quòd, admiſſâ *Hieronymi* opinione, de vitiis verſionis LXX. Intt. & neceſſitate confugiendi ad Hebraicum Codicem, actum erat de libris, déque exiſtimatione innumerabilium Concionatorum & Interpretum Scripturæ Græcorum & Latinorum; quibus delenda fuiſſet maxima pars operum ſuorum, ſervandúmque turpe ſilentium de rebus, de quibus tanta cum fiducia & dictionis pompa verba è ſuperiore loco facere ſolebant. I nunc, moroſe Lector, & admirare cur *meritò credi* id dicerent hujuſmodi homines, quod verum videri eorum tantopere intererat. Attamen *Auguſtinus* qui vult, ſi quid mutarunt LXX. Intt. prophetico ſpiritu eſſe mutatum, non auſus eſt id affirmare de annis Antediluvianorum Patriarcharum Cap. X. & ſeqq. hujus libri.

Cap. XXVII. *Qui mihi videntur non computare, niſi trecenta cubita longitudinis & latitudinis quinquaginta, nec cogitare aliud tantum eſſe in ſuperioribus, itémque aliud tantùm in ſuperioribus ſuperiorum, ac per hoc ter ducta illa cubita fieri nongenta, centum quinquaginta.*] In editis exemplaribus adduntur poſt latitudinis cubita, *triginta altitudinis*; & in ſequentibus ut conſentiant poſteriora prioribus, ſic legimus: *cubita fieri nongenta per longum, centum quinquaginta per latum, nonaginta per altum.* At Benedictini hæc emendarunt ex Codd. MSS. *in quibus*, inquiunt, *cubita altitudinis meritò nulla memorantur, nam hæc ad propoſitam difficultatem ſolvendam, non eo modo licet quo longitudinis & latitudinis cubita, ſalvâ Scripturæ fide, multiplicare.* Quæ verba quid ſibi velint fateor me non ſatis intelligere; nam nulla cubita licet multiplicare, ex Scripturæ fide; quæ nos docet longitudinem quidem arcæ fuiſſe dumtaxat trecentorum, latitudinem verò quinquagenorum cubitorum, quæ ter multiplicare non licet, ut hinc fiat arca longa nongenta cubita, & lata centum quinquaginta, nam hoc eſſet plane contrarium Scripturæ. Quin & ipſi *Auguſtino* prorſus adverſatur, qui ita Scripturæ verba intellexit, quaſi Gen. c. VI, 15. tradatur menſura non ſolius arcæ, ſed ſingularum contabulationum, quibus conſtabat, ita ut ſingulæ eſſent latæ quinquaginta cubita, longæ verò trecenta; adeò ut Arca eſſet triplo major quàm vulgò credebatur. Perſpicuum hoc eſt ex *Auguſtini* verbis. Verùm ut rectè calculos ineat, definienda quoque fuit altitudo ſingularum contabulationum, qualem eam Arcæ tribuit Scriptura, hoc eſt, triginta cubitorum; aut ſi longitudinem & latitudinem tantùm auctas velis, negandum erit tres in arca fuiſſe contabulationes, contra diſerta Scripturæ verba, Geneſ. c. 6, 16. תחתים שנים ושלשים תעשה: κατάγαια, διώροφα καὶ τριώροφα ποιήσεις αὐτήν, *deorſum, cœnacula & triſtega facies in ea.* Sic habent Hebræus Codex, authenticique Orientis & Occidentis Interpretes. Igitur, ſi ſequamur lectionem *Benedictinorum*, exiſtimemúſque ab *Auguſtino* Arcam altiorem non deſcribi, quàm vulgò creditur, hoc eſt, triginta cubitorum, ſed tantùm latiorem & longiorem; adverſabitur verbis manifeſtis Scripturæ. Si verò ſequamur

 prio-

priores editiones, in eo tantùm peccaverit quod de tota Arca dictum de ſingulis ejus contabulationibus intellexerit. Alteterutrum eligatur, fatendum erit hallucinatum *Auguſtinum*; ſed potiùs ſequendi Codices MSS. Voluiſſem diligentiùs inſpectos, in ſequentibus ubi occurrit vox *epires*, quam refingendam in ἐπώροις, aut *epuros* ſuſpicatus erat *Coquæus*, poſt *Meurſium*. Vide Benedictinos in calce voluminis.

Libro xvi. Cap. 3. *Quòd verò dictum eſt de terra illa, id eſt, de terra Senaaar, quæ pertinebat ad Regnum Nembroth, exiſſe Aſſur & ædificaſſe Niniven & alias, quas contexuit, civitates longè poſtea factum eſt, quod ex hac occaſione perſtrinxit, propter nobilitatem regni Aſſyriorum* &c.] Vide quæ hac de re adnotavit *Joannes Clericus*, in Philologico Commentar. ad Geneſ. x, 11. ſine quibus vix intelligi queat quod hic habet *Auguſtinus*.

Ibid. §. 2. *Sic enim legitur:* & Sem natus eſt etiam ipſi patri omnium filiorum Heber, fratri Japhet majori. *Ordo verborum eſt: Et Sem natus eſt Heber etiam ipſi, id eſt, ipſi Sem natus eſt Heber, qui Sem pater eſt omnium filiorum ſuorum.*] Nomina hæc propria minimè declinata, more Græco aut Latino, impediverunt bonum *Auguſtinum*. Itaque planè aberravit à ſenſu loci, qui vertendus eſt: *Semo etiam nata eſt proles, imò omnium qui trans fluvium degunt, cum fratre Japheto nata majore, pater fuit.* Vide memoratum antea Interpretem ad Geneſ. x, 21.

Cap. v. *Si enim jam deſcenderat* (Deus Gen. xi, 7.) *quid ſibi vult:* venite & deſcendentes confundamus ibi linguam eorum; *quod intelligitur Angelis dictum, niſi quia per Angelos deſcendebat, qui Angelis deſcendentibus erat?*] Hanc interpretationem ſequutus eſt & illuſtravit idem Interpres ad Geneſ. xi, 7.

Ibid. §. 2. *Illud ſanè quod dictum eſt:* & non deficient ex illis omnia, quæ conati fuerint facere (Gen. xi, 6.) *non dictum eſt confirmando, ſed tamquam interrogando, ſicut ſolet à comminantibus dici.*] Eſt loquutio elliptica, quâ ſignificat Deus, futurum id, niſi ipſe intercederet. Vide Interpretes ad eum locum.

Cap. viii. §. 1. *Quæritur etiam, utrum ex filiis Noë, vel potiùs ex illo uno homine, unde etiam ipſi extiterunt, propagata eſſe credendum ſit quædam monſtroſa hominum genera, quæ Gentium narrat hiſtoria; ſicut perhibentur quidam unum habere oculum in fronte media* &c.] Hæc omnia legere licet, apud *Plinium* Hiſt. Nat. Lib. ii. c. 8. quò reſpexiſſe videtur *Auguſtinus*. Jungi cum *Plinio* poteſt *Pomponius Mela* Lib. 1. Cap. 4. & ſeqq. ubi ſimilia mendacia, ſed pudentiùs narrantur. Sic verò diſputationem ſuam de hiſce mendaciis claudit: *quapropter ut iſtam quæſtionem pedetentim cautèque concludam; aut illa, quæ talia, de quibuſdam gentibus omnino nulla ſunt; aut ſi ſunt, homines non ſunt; aut ex Adam ſunt, ſi homines ſunt.* Verùm antequàm quæſtionem ipſam ingrederetur, trium horum primum dicendum fuit; nimirum, neceſſe non eſſe earum rerum rationem quærere quæ fortè nuſquam ſunt; eam ſat citò quæſitum iri, cùm de rebus conſtaret. Sic & multæ Sympoſiacæ quæſtiones *Plutarchi* eludi potuiſſent; quia antequàm rei rationem quæreremus, de re ipſa conſtare oportet.

Ibid. §. 2. *Ante annos aliquot, noſtrâ certè memoriâ, in Oriente duplex homo natus eſt ſuperioribus membris, inferioribus ſimplex. Nam duo erant capita, duo pectora, venter autem unus & pedes duo, ſicut uni homini; & tam diu vixit, ut multos ad eum videndum fama contraheret.*] Hanc hiſtoriam debebat *Auguſtinus Hieronymo*, qui in Epiſtola ad Vitalem Presbyterum, ſic loquitur: *Num quia noſtrâ ætate duplex Lyddæ natus eſt homo, duorum capitum, quatuor manuum, uno ventre & duobus pedibus, omnes homines ita naſci neceſſe eſt?*

Cap. ix. de Antipodibus: *Neque hoc ullâ hiſtoricâ cognitione didiciſſe ſe affirmant, ſed quaſi ratiocinando conjectant, eo quod intra convexa cœli terra ſuſpenſa ſit, eundémque locum mundus habeat & infimum & medium; & ex hoc opinantur alteram terræ partem, quæ infra eſt, habitatione hominum carere non poſſe.*] Rectè animadvertit *Joan. Lud. Vives*, non fuiſſe meris conjecturis notum Auſtrale Hemiſphærium, ſed navigationibus profectorum per fretum Herculeum & reverſorum per mare Arabicum, quod jam à temporibus *Herodoti* notum erat, ut liquet ex Lib. iv. c. 42. Vide & *Plinium* Hiſt. Nat. Lib. ii. & ad eum Interpretes. Præterea ipſe *Auguſtinus* ideò tantùm negabat eſſe Antipodes, quòd per zonam torridam dari tranſitum noſtri Hemiſphærii, hoc eſt, ſeptentrionalis, hominibus non putaret in Auſtralem; quod tamen falſum jam deprehenſum fuerat à ſuperiorum ſæculorum Geographis, qui gentium trans Tropicum Cancri & ipſum Æquatorem ſitarum mentionem fecerant. Quo admiſſo, nulla ratio erat negandi ad meridiem ulterius progredi homines non potuiſſe; cùm quidem eſſet notiſſimum, Aſtronomiæ non prorſus imperitis, ad Auſtrum pergentibus alteram temperatam Zonam occurrere oportere. Mirum profectò eſt homines, minimè alioquin hebetes, hoc non vidiſſe. Sed *Auguſtinus* nobis hîc auctoritatem Scripturæ objicit: *Quoniam*, inquit, *nullo modo Scriptura iſta mentitur, quæ narratis præteritis facit fidem, eo quod ejus prædicta complentur; nimiſque abſurdum eſt ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immenſitate trajectâ, navigare ac pervenire potuiſſe, ut etiam illic, ex uno illo primo homine genus inſtitueretur humanum.* Sed nimis abſurdum eſt hîc immenſitatem Oceani commemorare; primùm, quia de ea minimè conſtabat, poteràtque fieri ut Punicæ naves ſecundis ventis eò delatæ eſſent, quò ire nollent. Ac ſanè jam nobis conſtat, ſi quæ navis trigeſimum gradum ſeptentrionalis latitudinis ſuperaverit ad Auſtrum vela faciens, vix eam abſtinere poſſe, quin in auſtralem Americam recto curſu feratur, quæ ſic facilè retecta fuit. Hæc cùm eſſe poſſent, nec iis contraria ulla experimenta objicerentur, non debuerunt quaſi abſurda rejici. Deinde minimè opus fuit trajicere Oceanum, ut in *Antichthonum* Hemiſphærium iretur, nam pedibus eò pervenire potuerunt Afri, & reverâ pervenerunt. Quin & legendo Africæ oram eò navibus ire licuit. *Hanno* Pœnus narraverat ſe non potuiſſe navigare ultra Heſperium promontorium, quod eſt idem illud, quod *Viride* nunc vocatur, non navigandi difficultate, ſed tantùm annonæ penuriâ: Οὐ γὰρ ἔτι, inquit, ἐπλέομεν προσωτέρω, τῶν σίτων ἡμᾶς ἐπιλιπόντων: *neque enim navigavimus ulteriùs, quod nos cibaria defeciſſent.* Itaque auctoritas Scripturæ huc nihil faciebat, quæ non docet ſolum Boreale Hemiſphærium incoli, ſed tantùm in eo primos homines creatos; unde non ſequitur non potuiſſe eos in oppoſitum Hemiſphærium ſe conferre. I nunc & crede homini de Dei voluntate, déque mundo futuro tam multa ex obſcuris Scripturæ locis colligenti, qui ne de terra quidem, quam pedibus calcabat, rectè ratiocinari, aut rectè ſentientibus adſentiri potuit. Atqui multò mirabiliora erunt quæ illic videbimus, quàm quæ in altero hoc orbe à proavis noſtris inventa ſunt. De hoc meritò dixeris, quod de Thalete nonnemo dixit: *Quod ante pedes non videt, cœli ſcrutatur plagas!*

Cap. xi. *Sicut lingua una cùm eſſet omnium, non ideò filii peſtilentiæ defuerunt; nam & ante diluvium una erat lingua, & tamen omnes, præter unam Noë juſti domum, deleri diluvio meruerunt: ita quando, merito elatioris impietatis, gentes diverſitate linguarum punitæ atque diviſæ ſunt, & civitas impiorum confuſionis nomen accepit, hoc eſt, appellata eſt Babylon, non defuit domus Heber, ubi ea quæ antea fuit omnium lingua remaneret.*] Merum hoc eſſe commentum, ipſique Scripturæ contrarium oſtendit multis *Joan. Clericus*, in Diſſert. de Lingua Hebraïca. Nec ſanè hac de re poterat judicare *Auguſtinus*, qui eam ignorabat; ſed neſcio quo fato de iis, quæ ignota ei erant, paſſim judicare aggreſſus eſt, nec dubitavit pro compertis paſſim adſumere, quæ numquam probare potuiſſet. Attamen Scholaſtici, ſed linguarum non peritiores, aliique è Scholaſticorum illorum proſapia, cæcum ducem cæci, aut, quod mirum eſt, oculati, ſed ſponte clauſis oculis, ſequuti ſunt.

Cap. xvii. *Aſſyriorum* (regnum) *multò erat potentius atque ſublimius. Nam Rex ille Ninus Beli filius,*

exceptâ

exceptâ Indiâ, univerſæ Aſiæ populos ſubjugaverat.] Hæc quoque adverſari Scripturæ Sacræ oſtendit idem Moſis nuperus Interpres ad Gen. x. 10.

Cap. xxix. *Item Deus apparuit Abrahæ ad quercum Mambræ, in tribus viris quos dubitandum non eſt Angelos fuiſſe.*] Optime, ut oſtendit etiam memoratus Interpres, qui æque libenter *Auguſtinum* ſequitur, cùm rectâ viâ præeuntem putat, ac ab eo abit, cùm aberrare eum exiſtimat. Atque utinam ſemper aut ille, aut alius Scripturæ Interpres certum ubique ducem ſe præberet! Nos ſanè magno labore liberaret, quibus omnia ſunt expendenda, quia ab omnibus fermè aliquando deceptis nemini eorum ἀξιοπίστως credere licet.

Libro xvii. Cap. iv. In explicatione Cantici Annæ, poſtquam priora verba de Chriſto explicuit, tandem devenit ad hæc: *Exaltabit cornu Chriſti ſui*, 1 Sam. ii, 10. *Quomodo*, inquit, *Chriſtus exaltabit cornu Chriſti ſui? De quo enim ſuprà dictum eſt:* Dominus adſcendit in cœlos. *Et intellectus eſt Dominus Chriſtus; ipſe, ſicut hic dicitur*, exaltabit cornu Chriſti ſui. *Quis eſt ergo Chriſtus Chriſti ſui? An cornu exaltabit uniuscujusque fidelis ſui, ſicut ita ipſa, in principio hujus hymni, ait:* exaltatum eſt cornu meum in Deo meo. *Omnes quippe unctos ejus chriſmate rectè Chriſtos poſſumus dicere; quod tamen totum, cum ſuo capite, corpus unus eſt Chriſtus.*] Sed ubi Eccleſia dicitur *Chriſtus Chriſti?* Ubi *Chriſtus* vocatur ullus, præter Regem, aut Sacerdotem? Scripturam nos interpretari oportet, non ex ſtylo quodam *poſſibili*, ut ita loquar, quem ipſi comminiſcamur, ſed ex ſtylo ipſo uſu conſecrato. Itaque cùm nuſquam inveniret *Chriſtum* dictum Chriſtianum ullum in ſingulari, & præterea videret hîc agi de Rege, debuit inde potius colligere ſuperiora de Chriſto male eſſe intellecta. Ac ſane ſi conſuluiſſet *Aquilam*, aut *Theodotionem*, aut *Symmachum*, intellexiſſet male verſa eſſe ſuperiora verba: *Dominus adſcendit in cœlos & tonuit*, vertendúmque, ut habet verſio Hieronymiana: *ſuper ipſos* (vel *contra illos*) *in cœlis tonabit*; Nec ex illis verbis collegiſſet de Chriſto agi, quia ſolus Chriſtus adſcendit in cœlum.

Cap. vii. §. 4. Narratur hiſtoria quæ habetur 1 Reg. vii, 12. *Adſumſit lapidem unum, & ſtatuit illum inter Maſſephat novam & veterem & vocavit nomen ejus Abenneſer, quod eſt Latine lapis adjutoris, & dixit:* Uſque huc adjuvit nos Dominus. *Maſſephat interpretatur intentio. Lapis ille adjutoris medietas eſt Salvatoris per quem tranſeundum eſt à Maſſephat vetere ad novam, id eſt, ab intentione, quâ exſpectabatur in carnali regno beatitudo falſa carnalis, ad intentionem, quâ per Novum Teſtamentum exſpectatur in regno cœlorum beatitudo veriſſima ſpiritualis.*] Non habebant Lxx. Interpretes *inter Maſſephat novam & veterem*, ſed ἀναμέσον Μασσηφὰθ καὶ ἀναμέσον τῆς παλαιᾶς, quæ verba reſpondent Hebraïcis: בין המצפה ובין השן *inter Mitſpha & Schen.* Poſteriorem vocem, quæ nomen eſt proprium, malè verterunt appellativâ voce παλαιᾶς, *veterem*, dum legunt ישן *jaſchan* pro השן *haſſchen*; unde factum ut priſcus Interpres Latinus crediderit omiſſum eſſe *novam*, verteritque *inter Maſphat novam & veterem.* Hâc autem falsâ interpretatione nititur tota *Auguſtini* ratiocinatio; ac ſane mirum eſt Virum ſatis acutum apud ſe non reputaſſe ſubinde, ſe noctu & interdiu de Scriptura Sacra ſat tutò loqui non poſſe, niſi certò ſciret quid ſibi vellet, quod non poterat ubique ex infida verſione intelligere. Similiter quod deducit ex ſignificatione vocis *Maſſaphat* eſt abſurdum, quia non intellexit quid ſibi vellet vox *intentio*, hoc in loco; eſt enim intentio oculorum, nam מצפה *mitſphah*, poteſt deduci à צפה *tſaphah*, contemplatus, ſpeculatus eſt, ac proinde oculos intendit. Ac ſanè in Lexico Nominum Græco vertitur ἀποσκόπευσις, & in Libro de Nominibus Hebraïcis emendato ab *Hieronymo*, *ſpeculatio*, ſive *contemplatio.* Sed quidquid ſignificet, allegoricis interpretationibus, ex nominum ſignificatu deductis nihil eſſe inanius oſtendit *Joan. Clericus*, in Quæſtionibus Hieronymianis.

Cap. xi. Memento quæ eſt mea ſubſtantia. *Nihil hic meliùs, quàm ipſe Jeſus intelligitur, ſubſtantia populi ejus, ex quo natura eſt carnis ejus.* Non enim vanè, *inquit*, conſtituiſti omnes filios hominum. *Niſi enim eſſet unus filius hominis ſubſtantia Iſraël, per quem filium hominis liberarentur multi filii hominum, vanè utique conſtituti eſſent omnes filii hominum.*] A Capite ix. aggreſſus eſt interpretari *Auguſtinus* Pſalm. Lxxxviii. ex diviſione Græca; cujus interpretationis hanc tantùm particulam, quæ eſt ℣. 47. expendemus. Hebraïcus Codex habet: זכר אני מה חלד, *recordare ego quanti ſim ævi*, hoc eſt, quàm brevis ſit vita mea. Lxx. Int. verterunt: μνήσθητι τίς μου ἡ ὑπόστασις, hoc eſt, *recordare quæ mea ſit*, ut barbarè loquar, *ſubſiſtentia*, ſeu quamdiu hîc ſubſiſtam. At Latinus Interpres perperam vertit *ſubſtantiam*, quod non poſſet conferre Verſionem Græcam, cum Hebraico Textu, cum quo niſi conferatur ſæpe non poteſt intelligi; unde *Auguſtinus* contortam illam arripuit interpretationem, quam protulimus. Vide & interpretationem ejus, in hunc Pſalmum. Vir ille ex quovis loco quamvis ſententiam exſculpere potuit; ſed miror ipſum non animadvertiſſe eam rationem interpretandi totam eſſe commentitiam, & figmenta, pro arbitrio excogitata, tam ſecurè & tam confidenter proferre ſuſtinuiſſe.

Cap. xiv. *Mihi autem credibilius videntur exiſtimare, qui omnes illos centum & quinquaginta Pſalmos ejus operi tribuunt, eúmque aliquos prænotaſſe nominibus aliorum.* &c.] Mira profectò eſt hæc ſententia, nam ſi David prænotare potuit Pſalmos quoſdam nominibus aliorum, quis docuit *Auguſtinum*, eos qui prænotati ſunt nomine Davidis ab alio quopiam prænotatos non fuiſſe? Nam quod ait prænotaſſe eum nominibus *aliquid, quod ad rem pertineat, figurantibus*, merum eſſe commentum quis non videt? Deinde nemo poſſit tribuere Davidi Pſalmos, in quibus mentio fit Babylonicæ captivitatis, quaſi rei præteritæ, ut Pſalm. cxxxvi.

Libro xviii. Cap. 3. De tempore natalium Iſaaci: *Tunc*, inquit, *& Aſſyriis quintus erat Rex Aralius*; hoc eſt, poſt Belum, cujus filius Ninus fuiſſe dicitur. Si ſequitur hîc *Euſebium*, ut videtur, debuit dicere: *quartus erat Rex Arius*, ut ex Scaligerana editione liquet. Ac ſanè teſtantur Benedictini legi in pluribus MSS. *Arrium*, & deberet præterea legi quartus. Ceterùm ſeriem hanc Aſſyriorum regum confictam multi putant. Vide *Joan. Clericum* ad Gen. x, 10. Temporibus ſanè Abrahami non Rex Babyloniorum, qui hîc Aſſyriorum dicitur, ſed Elymæorum potentiſſimus erat Regum Tranſeuphratenſium. Vide Geneſ xiv, 4.

Ibidem. *Io filia Inachi fuiſſe perhibetur, quæ poſtea Iſis appellata, ut magna Dea culta eſt in Ægypto; quamvis alii ſcribant eam ex Æthiopia in Ægyptum veniſſe reginam, & quod latè juſtéque imperaverit, eiſque multa commoda & litteras inſtituerit, hunc honorem illi habitum eſſe divinum, poſteaquàm ibi mortua eſt & tantum honorem, ut capitali crimine reus fieret, ſi quis eam hominem fuiſſe diceret.*] Ionem ſuam temere cum antiquiſſima regina Ægyptiorum confuderunt Græci, ut viderentur iis eſſe antiquiores, nixi dumtaxat tenui ſimilitudine nominis, & quòd Iſis ſub imagine vaccæ, in quam mutata ferebatur Io Argiva, colebatur. Quæ ſatis firma non ſunt τεκμήρια indicia: nec quiſquam facile credet antiquiſſimis illis temporibus Ægyptios à Græcia accepiſſe Reginam & Deam. *Herodotus* Lib. 1. c. 1. docet quidem Orientales dixiſſe Ionem iviſſe in Ægyptum, ſed raptam à Phœnicibus, & illic, ut videtur, venditam. Dicamus ergo Iſidem Ægyptiam fuiſſe cum *Diodoro Siculo*, Lib. I. Bibliothecæ, & quidem antiquiſſimam Ægypti reginam, quod vel nomen ejus ſignificat; cùm idem ſcriptor teſtetur [illegible], *Iſin verti antiquam*, Linguáque Hebraica, quæ affinis erat Ægyptiæ, ישיש *jaſchiſch*, vetus dicatur. Attamen *Auguſtinus* rectè contra Græcos ſic, ut facit, ratiocinari potuit; tametſi Ægyptios eo modo ad fidem adducere non potuit, cum ſe Græcis multò antiquiores, nec ſine ratione, eſſe putarent.

Cap. v. *His temporibus* (nempe, Jacobi) *Rex Argivorum Apis navibus transvectus in Ægyptum, cùm ibi mortuus fuiſſet, factus eſt Serapis omnium maximus Ægy-*

Digitized by Google

Ægyptiorum Deus. Nominis autem hujus cur non Apis, etiam poſt mortem, ſed Serapis appellatus ſit, faciliimam rationem Varro reddidit. Quia enim arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes jam σαρκοφάγον vocant, σορὸς dicitur Græcè, & ibi eum venerari ſepultum cœperant, priuſquàm templum ejus eſſet extructum, velut Soros & Apis.] Quaſi verò defuerint in Ægypto homines, quos in Deorum numerum referrent, ut advenientes ex Peloponneſo continuò Deorum loco haberent; aut quaſi Græcè loquuti fuerint! Itaque viri docti meritò originationem *Varronis* rejecerunt, Serapimque antiquiſſimum eſſe Ægyptiorum Numen exiſtimarunt; & quidem aliquot ſæculis Argivo Api. Vide *Joſ. Scaligerum* in Animadverſionibus Euſebianis ad Ann. MDCCXXX. & *Gerb. Joan. Voſſium* de Idololatria Gentilium Lib. I. c. 29. quamvis non probemus poſterioris ſententiam, qui *Joſephum* Patriarcham *Serapin* dictum vult.

Cap. VIII. *Minerva verò longè his* (Hercule & Mercurio) *antiquior. Nam temporibus Ogygis ad lacum, qui Tritonis dicitur, virginali apparuiſſe fertur ætate, unde & Tritonia nuncupata eſt.* &c.] Etymologiam nominis Tritoniæ, & rationem cur è capite Jovis nata diceretur attulit veriſimiliores *Joan. Clericus* ad Theogoniam *Heſiodi* v. 895.

Cap. XII. *Hiſce temporibus Hercules in Syria* (ſic habent MSS. non in *Tyria* ut eſt in Editionibus) *clarus habebatur; ſed, utrumrum, alius, non ille de quo ſupra loquuti ſumus. Secretiore quippe Hiſtoria plures fuiſſe dicuntur & Liberi Patres & Hercules.*] Certum eſt Herculem numen eſſe Phœnicium, cui urbs Tyrus conſecrata fuit. Quin & plures Tyrios fuiſſe volunt, ut animadvertit *Gerb. Joh. Voſſius* de Idololatria Gentilium Lib. I. c. 22. & 34. Crediderim ipſum aut Thebanum, aut Argivum Herculem indidem originem ducere, ſive unus ſit, ſive plures. Vide quæ obiter hac de re habet *Joan. Clericus* in notis ad Sect. III. Diſſert. *Joannis Seldeni* de Decimis. Nam rem pluribus hîc diducere non vacat, nec neceſſe eſt. Sed hinc apparet non perperam hîc legi *in Syria*, nec emendandum eſſe in *Tirynthia*, ut putabat *Joan. Lud. Vives.*

Cap. XIV. *Per idem temporis intervallum exſtiterunt Poetæ* (Orpheus, Muſæus, Linus, temporibus Judicum Iſraelis) *qui etiam Theologi dicerentur, quoniam de Diis carmina faciebant, ſed talibus Diis, qui licet magni homines, tamen homines fuerunt; aut mundi hujus, quem Deus verus fecit, elementa ſunt; aut in principatibus & poteſtatibus, pro voluntate creatoris & ſuis meritis ordinati.*] Liquet hoc ex Theogonia *Heſiodi* qui antiquiſſima Numina facit Chaos, Cœlum & Terram; tum Spiritus neſcio quos, quos variis naturæ partibus præficit; ac tandem animos hominum fato functorum. Non dubito quin ſuperiores Poetas Theologos ſit, ea in re, imitatus, quamvis nonnulli Veterum primum auctorem Theogoniæ eum faciant. Vide *Joannem Clericum* ad titulum Theogoniæ Heſiodeæ, & Prooemium *Diogenis Laertii*, ubi de *Theogonia Lini.*

Cap. XVIII. *Si enim dixerimus ea non eſſe credenda, non deſunt etiam nunc, qui ejuſmodi quædam vel certiſſima audiviſſe, vel etiam expertos ſe eſſe adſeverent. Nam & nos cùm eſſemus in Italia, audiebamus talia, de quadam regione illarum partium, ubi ſtabularias mulieres imbutas his malis artibus, in caſeo dare ſolere dicebant, quibus vellent ſeu poſſent, viatoribus; unde in jumenta illico verterentur & neceſſaria quæque portarent, poſtque perfuncta opera iterum ad ſe redirent* &c. Miror *Auguſtinum* hæc ita proponere, quaſi poſſent eſſe vera, vixque ea negare liceret, cùm poſtea dicat *hæc vel falſa eſſe, vel tam inuſitata ut meritò non credantur*, putétque potiùs à Dæmonibus turbatam fuiſſe phantaſiam hominum, qui præ furore crederent ſe eſſe jumenta. Poſtea etiam narrat cujuſdam Præſtantii patri, poſt caſei ejuſmodi comeſtionem, tale quid in ſomnis contigiſſe. Sed ſi hoc fieret ope Dæmonum, quid illis opus fuit medicato cibo? Aut ſi talis cibus id efficeret, quid opus fuit Dæmonibus? Præterea ſi ex arbitrio Dæmonum ita pependiſſet hominum Phantaſia, ut nec, cibo ſumto, eorum vi reſiſtere homines poſſent, nec turbatæ Phantaſiæ imagines vincere, non exiguum hoc fuiſſet prodigium. Itaque ſatius fuit mulierculatum figmenta apertè negare, quàm rerum ejuſmodi rationes quærere.

Cap. XXII. *Si quidem poſt illud maximum atque univerſale diluvium, cùm in arca Noe octo ſoli homines evaſerunt, anni non multò ampliùs quàm mille tranſierant, quando Ninus Aſiam totam, exceptâ Indiâ, ſubjugavit.*] Reverâ ex calculo LXX. Intt. ad natalem Abrahami annum, non effluxerunt plures anni, quàm MCXXXII. ut oſtendit *Iſaacus Voſſius* in Lib. de Ætate Mundi, cap. VI. Sed cùm à temporibus Phalegi, quibus genus humanum in varias abiit colonias, ad tempora Nini, ex eodem calculo quo ſtatuitur ab *Euſebio* Ninus paullò ante natum Abrahamum, ſubegiſſe Aſiam, non effluxerint multò plures D. annis, Aſia nihil fermè habebat præter deſerta, nam intra id tempus non potuerunt ita augeri homines, ut tantos terrarum tractus implerent. Itaque rectiùs faciunt, qui Ninum ſerius regnaſſe volunt. Vide cap. II. hujus libri.

Cap. XXIII. *Eodem tempore nonnulli Sibyllam Erythræam vaticinatam ferunt. Sibyllas autem Varro prodidit plures fuiſſe, non unam. Hæc ſane Erythræa Sibylla quædam de Chriſto manifeſta conſcripſit, quod etiam nos priùs in Latina Lingua, verſibus malè Latinis & non ſtantibus legimus, per neſcio cujus interpretis imperitiam, ſicut poſt cognovimus.* &c.] Poſtea dicit exemplar Græcum ſibi oſtenſum à *Flacciano*, profertque *Achroſtichin* verſibus, ut loquitur, *ſtantibus* verſam, cujus initiales literæ ſunt Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ. Quod de Græcis verſibus eſt intelligendum, nam in Latinis non potuerunt eæ litteræ comparere. Quare miror imperitiam interpretis accuſari, qui ſanè non potuit Latinis verſibus hoc exprimere. Sed multò magis miror *Auguſtinum* qui γνησιότητα librorum ſacrorum contra Manichæos non male defendit, non animadvertiſſe hic manifeſtam ſuppoſitionem. Scio alios multos Chriſtianos Scriptores hac in re eum eſſe ſequutum, nec repetam quæ contra eos animadverſa ſunt, cùm ab aliis, tum à *Davide Blondello* in Opere Gallico de Sibyllis. Sed profectò eſt quod ſuſpicemur multos eorum facilè quidem olfeciſſe ſuppoſitionem hujuſce fœtûs, ſed quia rudis plebecula tam levibus capiebatur rationibus, quàm gravibus, eos arripuiſſe hoc argumentum, ut alia multa, quia conducebat cauſæ, non quia verum iis videbatur. Alioqui ſi ita obbrutuiſſet iis palatum, ut nihil hîc ſuppoſiti animadverterent, nullos ſuppoſitos fœtus à genuinis ſecernere potuiſſent. Non patitur quidem Hiſtoriæ fides nos dubitare quin fuerint fatidicæ quædam mulieres, quæ varia prædixiſſent, de imperio præſertim Romano: ſed illa nihil ad Chriſtianam Religionem. Crediderim, ut meam quoque conjecturam aperiam, fanaticas illas mulieres nomen ab Oriente, una cum arte decipiendi, attuliſſe, & dictas *Sibyllas* à Græcis, quòd Phœnices vocarent hujuſmodi mulierem שבלה *ſchebola*, hoc eſt, *quæ conſeneſcit*: nam vetulæ erant hæ vates, nec earum ſenectus minùs decantata fuit, quàm vaticinia. *Ovidius* Metam. Lib. XIV, 132. ſic inducit loquentem Sibyllam:

Lux æterna mihi, cariturâque fine dabatur,
Si mea virginitas Phœbo patuiſſet amanti.
Dum tamen hanc ſperat, dum præcorrumpere donis
Me cupit, elige, ait, virgo Cumæa quid optes,
Optatis potiere tuis. Ego pulveris hauſti
Oſtendens cumulum, quot haberet corpora pulvis,
Tot mihi natales contingere vana rogavi:
Excidit optarem juvenes quoque protinus annos,
Hos tamen ille mihi dabat, æternámque juventam,
Si Venerem paterer. Contemto munere Phœbi
Innuba permaneo, ſed jam felicior ætas
Terga dedit, tremulóque gradu venit ægra ſenectus,
Quæ patienda diu eſt, nam jam mihi ſæcula ſeptem
Acta vides, ſupereſt numeros ut pulveris æquem,
Tercentum meſſes, tercentum muſta videre.

Quæ ſunt poëtica figmenta inde nata, quòd diceretur Sibylla grandæva fuiſſe.

Ibidem

Ibidem §. 11. *Inſerit etiam Lactantius operi ſuo quædam de Chriſto vaticinia Sibyllæ, quamvis non exprimat cujus.*] Reſpexit ad locum *Lactantij* ex Lib. Inſt. Divin. 1. c. 6. ubi, memoratis variis Sibyllis, ſic loquitur: *Harum omnium Sibyllarum carmina & feruntur & habentur, præterquam Cumææ, cujus libri a Romanis occuluntur; nec eos ab ullo, niſi à quindecim viris, inſpici fas eſt. Et ſunt ſingularum ſinguli libri, qui quia Sibyllæ nomine inſcribuntur, unius eſſe creduntur, ſuntque confuſi.* Hactenus nihil habet, quod non conſentaneum ſit loco *Auguſtini*; ſed ſequentia ei adverſantur, ſic enim pergit Scriptor elegantiſſimus: *nec diſcerni, ac ſuum cuique adſignari poteſt, niſi Erythrææ, quæ & nomen ſuum verum carmini inſeruit, & Erythræam ſe nominatum iri prælocuta eſt, cùm eſſet ortu Babylone. Sed & nos confuſè Sibyllam dicemus, ſicubi teſtimoniis earum fuerit utendum.* Sed & poſtea Erythrææ verſus nominatim profert Lib. IV. c. 15. & Lib. de Ira cap. XXII. Quæ omnia ficta eſſe à Chriſtianis, eo nomine indignis, res ipſa clamat.

Cap. XXXVII. *Tempore igitur Prophetarum noſtrorum, quorum jam ſcripta ad notitiam ferè omnium gentium pervenerunt, Philoſophi gentium nondum erant, qui hoc etiam nomine vocarentur, quod cœpit à Samio Pythagora, qui eo tempore, quo Judæorum eſt ſoluta captivitas, cœpit excellere atque cognoſci.*] Nihil veriùs, optimumque id eſt argumentum, quo quàm ſit recens Græcorum Philoſophia oſtendatur. Illuſtrarunt etiam hanc Chronologiam Editores Pariſienſes; ſed nonnulla ſunt in eorum adnotatione errata aut Typothetarum, aut feſtinantis calami, quæ hîc emendabo, ut ex aliis Editionibus, ſi quæ poſthac fiant, demantur. Primùm ajunt ab *Euſebio* in Chronico Pythagoram ad LXIII. Olympiadem referri. Atqui eſt LXV. ad quam in Euſebiano Chronico legere eſt: *Pythagoras Phyſicus Philoſophus clarus habetur.* Addunt Benedictini eumdem *Euſebium* Lib. X. de Præparatione Evangelica c. 3. ſcribere claruiſſe Pythagoram, Olympiade LXII. In illo tamen capite nihil habet *Euſebius* de ætate Pythagoræ, ſed tantùm in ſequente, ubi etiam hoc unum dicit, vixiſſe eum diu poſt ſeptem Sapientes. Præterea ſubjiciunt de eo tempore: *regnabat autem apud Romanos Servius Sulpitius.* Voluerunt dicere viri docti *Servium Tullium*, nam *Servius Sulpitius* Juriſconſultus fuit, *Ciceronis* æqualis. Tandem ita de emortuali anno Pythagoræ loquuntur: *Pythagoras mortem obiit Olympiade LXX anno ejus, juxta Euſebij Chronicon, quarto vel quinto.* Debuit ſcribi *tertio vel quarto*, & ſic ſcriptum puto à viris eruditis, nam vel pueri ſciunt in ſingulis Olympiadibus eſſe tantùm quatuor annos. Quod obſervo, non inſectandi gratiâ, abſit! qui laborem eorum minimè omnium ſperno; ſed ut diſcant alii homines maligni ex talibus exemplis, non eſſe bonis & eruditis viris propterea inſultandum, præſertim ſi ſe aliis faciles in talibus præbeant.

Ibidem. *Iſis porrò Inachi filia fuiſſe proditur, qui primus regnare cœpit Argivis.*] Si, nimirum, credamus Ionem, quod antea parum veriſimile eſſe oſtendimus ad Lib. XVIII. Cap. 3.

Cap. XXXIX. *Moyſes in populo conſtituit, qui docendis literis præeſſent, priuſquam divinæ legis ullas litteras noſſent. Hos appellat Scriptura γραμματεισαγωγεῦσι, qui Latinè dici poſſunt litterarum inductores, vel introductores, eo quod eas inducant, id eſt, introducant quodammodo in corda diſcentium, vel in eos potius ipſos quos docent.*] Qui ita interpretatus eſt vocem Græcam *Auguſtino*, hominem fefellit, nam Septuaginta Interpretes vocem adhibent ad vertendam Hebraicam שטר *ſchoter*, quæ Grammatiſtam minimè ſignificat, ſed apparitorem Magiſtratuum. Vide quæ notavit de ea voce *Joannes Clericus* ad Exod. V, 6.

Cap. XLIII. Memoratis verſionibus Aquilæ, Symmachi, Theodotionis & quinta: *Hanc tamen*, inquit, *quæ Septuaginta eſt, tamquam ſola eſſet, ſic recepit Eccleſia, eâque utuntur Græci populi Chriſtiani, quorum plerique aliqua ſit alia ignorant.*] Nempe, mulieres & artifices, ceteraque plebecula, vagis Numidis ſimilis; nam alii, qui vel leviter litteris ſacris tincti erant, aliquid legerant aut inaudiverant de Tetraplis, aut Hexaplis *Origenis*. Pergit: *ex hac Septuaginta Interpretatione etiam in Latinam Linguam interpretatum eſt quod Latinæ Eccleſiæ tenent.* Itaque legebant homines docti & prudentes verſionem verſionis, quarum plerique Eccleſiaſtici neutram poterant expendere; nam Græcam cum Hebræo codice conferre vel duo potuerunt, ut loquitur ille, vel nemo; Latinam cum Græca plures quidem, ſed pauci, præ iis qui Græcè neſciebant, inter quos *Auguſtinus.* I nunc & in ejuſmodi hominibus lauda aut acumen in interpretatione Scripturæ, aut diligentiam in ſacris ſtudiis, aut prudentiam in acquieſcendo in verſionibus, quæ bonæne eſſent, an malæ neſciebant.

Quamvis, inquit, *non defuerit temporibus noſtris Presbyter Hieronymus, homo doctiſſimus & omnium trium Linguarum peritus; qui non ex Græco, ſed ex Hebræo in Latinum eloquium eaſdem Scripturas converterit.* Quatenus porrigeretur eruditio Hieronymiana in utraque Lingua, Græca & Hebraica, ſatis luculentè oſtendit *Joannes Clericus*, in Quæſtionibus Hieronymianis; ſed collatus aliis Presbyter Stridonenſis ſanè erat doctiſſimus. *Sed ejus*, ſubjicit Auguſtinus, *tam litteratum laborem, quamvis Judæi fateantur eſſe veracem, Septuaginta verò Interpretes, in multis erraſſe contendant; tamen Eccleſiæ Chriſti tot hominum auctoritati, ab Eleazaro tunc Pontifice, ad hoc tantum opus electorum neminem judicant præferendum; quia etſi non in eis unus apparuiſſet ſpiritus, ſine dubitatione divinus, ſed inter ſe verba interpretationis ſuæ Septuaginta docti more hominum contuliſſent, ut quod placuiſſet omnibus hoc maneret, nullus eis unus interpres debuit anteponi.* Quamvis nihil eſſet quod reponeretur huic ratiocinationi, non poſſet tamen contra rem ipſam valere, ita ut manifeſta peccata, quæ inveniuntur in Verſione LXX. Interpretum, vir Hebraicè doctus incipiat credere non eſſe peccata; nam ratiocinationes, ex eo quod convenire videtur deductæ, ipſis factis ac rebus opponi non poſſunt; quia ſæpè quod non conveniebat fieri factum eſt, nec factum eſt quod conveniebat. Deinde omnis illa hiſtoria LXX. Interpretum mera eſt fabula, ficta à Judæo Helleniſta, fortè ut pigritiæ Helleniſtarum conſuleretur; ne neceſſe haberent diſcere Linguam Hebraïcam, cùm θεόπνευστον verſionem habere viderentur. Doleo, fateor, tot ac tanta apud Veteres inveniri ſpecimina non fidei circumſpectæ & firmis rationibus nixæ, ſed credulitatis inconſultæ & omnia temere arripientis; niſi quis *politicam* calliditatem, ut nunc loquimur, malit hæc haberi. Utrumvis verum ſtatuatur, inde colligendum erit nobis, præter Chriſtum & Apoſtolos, qui fideliter doctrinæ ejus adhæſerunt, non eſſe quærendos magiſtros, in quorum auctoritate adquieſcamus: qua de re, etiam nos ipſe Chriſtus diſertè præmonuit Matth. XXIII, 8. Præterea facilè fieri poteſt, ut non Septuaginta, ſed aliquot centeni homines minùs periti uno viro fuerint; ac ſanè integri conſeſſus quàm ſæpe errarunt? Quidve eſt notius, quàm veri amantibus ſuffragia non eſſe ex numero, ſed ex pondere æſtimanda? Nulla propemodum veritas, ne ipſâ quidem Religione Chriſtianâ exceptâ, defendi poteſt, ſi numerus nota ac argumentum veritatis habeatur. Denique, ut jam dixi, illa de LXX. Interpretibus *Ariſteæ* hiſtoria putida eſt fabella. Vide quæ hac de re jam notavimus ad T. II. Epiſt. XXVIII. Itaque dignum eſt riſu, quod tam gravibus verbis exprimitur in ſequentibus: *Cùm verò tantum in eis ſignum divinitatis apparuit, profectò quiſquis alius illarum Scripturarum ex Hebræa in quamlibet aliam Linguam interpres eſt verax, aut congruit illis LXX. Interpretibus, aut ſi congruere non videtur, altitudo ibi prophetica eſſe cenſenda eſt.* Aut hîc aliquid excidit, aut ſupplendum animo poſt *congruere non videtur*, hanc ſententiam: & cum Hebraico Codice tamen conſentit; nam ex ſequentibus hoc velle *Auguſtinum* liquet. Hæc ſanè mira ſunt, & inaudita, nec temerè, ac ſine gravibus rationibus affirmanda. Quis enim poſſit ſibi perſuadere Spiritum propheticum certam ſententiam dictaſſe Hebræis olim Vatibus, à quibus primùm oracula divina litteris mandata ſunt; deinde eumdem Spiritum eorum Vatum Græcis interpretibus aliam,

Digitized by Google

aut contrariam afflaſſe ſententiam? Nemo talia facilè ſibi perſuadeat. Hic verò nulla credendi ratio occurrit, præter anilem illam *Ariſteæ* fabulam, cui inſunt omnia mendacii malè confićti indicia, & cui res ipſa contradicit. Nam liquet, conferenti verſionem cum contextu Hebraico, permulta delićta eſſe à LXX. Intt. aut ab eo, quicumque ſit, qui eam verſionem concinnavit admiſſa; quòd malè in Exemplari ſuo legerent voces Hebraicas, quòd affines litteras miſcerent, quòd vocum rariorum ſignificatus neſcirent, quòd loca obſcura non adſequerentur, & quòd ne clara quidem interdum ſatis intelligerent; quæ humani & hallucinantis ſpiritûs ſunt, non divini. Sed hæc per ſe ſcire *Auguſtinus* non potuit; verùm de re ipſi planè inexperta tacere eum potiùs decuit, quàm tam multa inania effundere. Si verum amamus, fatendum tam abſurdas opiniones non diſplicuiſſe viris nequaquam hebetibus, quòd eorum pigritiæ ac exiſtimationi conſulerent, ut jam alibi ſignificavimus.

Cap. XLIV. *Sed, ait aliquis, quomodo ſciam quid Jonas Propheta dixerit Ninivitis, utrum:* triduum, & Ninive evertetur; *an:* quadraginta dies? *Quis enim non videat non potuiſſe utrumque tunc dici à Propheta, qui miſſus fuerat terrere comminatione imminentis exitii civitatem? —— Si ergo à me quæritur quid horum Jonas dixerit, hoc puto potius quod legitur in Hebræo:* Quadraginta dies, & Ninive evertetur.] Optimè, unde colligendum erat aut graviter erraſſe LXX. Interpretes, aut mendoſos eſſe eorum Codices. Prius fateri noluit *Auguſtinus*; itaque ad poſterius deveniendum fuiſſet, niſi hinc incommoda quædam exortura prævidiſſet; nempe, plebem dićturam valde pigros, aut inconſultos, aut indoćtos fuiſſe Præſules ſuos, qui verſionem Latinam, hauſtam ex vitioſis Codicibus Græcis, ſibi prælegi adhuc curaſſent; nam magnæ hoc fuit ignorantiæ, ſi neſcientes peccarant: nec minoris pigritiæ, aut imprudentiæ, ſi in veritatem inquirere, vitiáque verſionis emendare noluerant. Multò hoc deterius erat, conſećtariiſque periculoſioribus obnoxium, quàm nova interpretatio *Hieronymi* vocis Hebraicæ קיקיון *Kikajon*, in eodem Propheta, qua de re tantas querelas profuderat ventis ferendas *Auguſtinus*, cujus vide Epiſtolam LXXI. & quæ ad eam notavimus. Igitur ſe ſe ad aliud σοφὸν φάρμακον convertit Pœnus Orator. *Septuaginta quippe*, inquit, *longè poſteriùs interpretati aliud dicere potuerunt, quod tamen ad rem pertineret, & in unum eumdemque ſenſum, quamvis ſub altera ſignificatione concurreret; admoneretque Lećtorem, utraque auctoritate non ſpretâ, ab hiſtoria ſe ſe attollere ad ea requirenda, propter quæ ſignificanda hiſtoria ipſa conſcripta eſt.* Hæc demum inter ea quidem recenſeri poſſunt, quæ non ſunt naturâ ſuâ repugnantia, ac proinde fieri non poſſunt; ceteroqui ne leviſſimâ quidem veriſimilitudine tinćta. Septuaginta Interpretes, eo ipſo quòd ſe Interpretes profitentur, pollicentur ſe dićturos Græcè quæ Hebraicè ſcripta ſunt; quod niſi præſtent, non poſſunt crimen aut imperitiæ, aut negligentiæ, aut malæ fidei effugere. Hoc cùm ſemper verum ſit, in Hiſtoriarum interpretatione, ſi ita loqui licet, eſt vero verius. Quiſquis enim inducit aliquem in verſione dicentem quod non eſt in Archetypo, quod vertit, mentitur. At licet, inquies, verba nonnihil immutare, ſi ſit eadem ſententia. Non nego, ſed hoc tum demum fieri poteſt, cùm id poſtulat ingenium linguæ quâ utitur Interpres, non ubi nihil neceſſe eſt. Præterea falſum eſt eſſe idem, ad ſententiam quod attinet, *adhuc quadraginta dies*, & *adhuc tres dies*. Sed audiamus *Auguſtinum* allegoricas machinas violenter adhibentem, ut defendat Græcos Interpretes; *ſi per illam civitatem rećtè accipitur Eccleſia gentium propheticè figurata; everſa, ſcilicet, per pœnitentiam ut qualis fuerat jam non eſſet; hoc quoniam per Chriſtum factum eſt in Eccleſia gentium, cujus illa Ninive figuram gerebat; ſive per quadraginta dies, ſive triduum, idem ipſe ſignificatus eſt Chriſtus; per quadraginta, ſcilicet, quia tot dies peregit cum Diſcipulis ſuis poſt reſurrećtionem, & adſcendit in cælum; per triduum verò, quia die tertio reſurrexit.* Quæ omnia ſunt commentitia, nam primò ſi negavero Niniven, apud Jonam, eſſe figuram Eccleſiæ Gentium, nemo ex Scriptura contrarium probabit. Deinde dicam abſurdum eſſe dicere everſionem intentam Ninivæ propter peccata, niſi pœnitentiam ageret, eſſe figuram mutationis morum quæ fit per pœnitentiam. Profećtò ſi peccata & exitium propter peccata ſint figura pœnitentiæ, & mutationis veterum inſtitutorum per pœnitentiam; jam omnium omnia poterunt eſſe figuræ, nec ulla ampliùs ſimilitudo inter figuras & res figuratas erit quærenda. Poterunt rotunda haberi archetypa quadratorum, & quadrata antitypa rotundorum. Tenebræ erunt imago lucis, lux tenebrarum. Denique quadraginta aut tres dies, conceſſi pœnitentiæ, non poſſunt eſſe figuræ dierum jejunii & mortis Chriſti, qui ſimile nihil habent, præter numeri ſimilitudinem. Imò verò quamvis tot violentæ interpretationes admitterentur, propterea tamen non licuit LXX. Intt. mutare numerum Prophetæ; & quod de eorum prophetico ſpiritu hìc habet *Auguſtinus*, planè eſt inane & aptum ad offendiculum Lećtoribus objiciendum. Quis enim non illico dixerit, ſi LXX. Intt. prophetico ſpiritu donati fuiſſent, ejus ope potiùs novas prophetias effuturos, quàm veteres inſcitiâ corrupturos fuiſſe? Itaque meritò habet *Hieronymus* in Comment. Jonæ: *Trinus numerus, qui ponitur a Septuaginta, non convenit pœnitentiæ, & ſatis miror cur ita tranſlatum ſit, cùm in Hebræo nec litterarum, nec ſyllabarum, nec accentuum, nec verbi ulla ſit communitas, tres enim dicuntur* SALOS, *& quadraginta* ARBAIM. *Alioquin & de Judæa tanto itinere miſſus Propheta in Aſſyrios, dignam ſuæ prædicationis pœnitentiam flagitabat, ut antiqua & putrida vulnera diu appoſito curarentur emplaſtro. Porrò quadragenarius numerus convenit peccatoribus & jejunio & orationi, & ſacco & lacrimis & perſeverantiæ deprecandi, ob quod & Moiſes quadraginta diebus jejunavit in monte Sinai &c.* Itaque viri dooćti conjecerunt mendum eſſe apud LXX. Interpretes, ſive vitioſo Codice uſi eſſent, ubi pro מ, quod eſt *quadraginta*, eſſet ג, hoc eſt, *tria*; nam frequentia menda, quæ ſunt in numeris apud Veteres Scriptores, eò adduxerunt eximios Criticos, ut crederent olim non integris vocibus, ſed litteris ſignatos numeros fuiſſe. Poſſet etiam fieri ut in Græcum Codicem mendum irrepſiſſet & γ ſcriptum fuiſſet pro μ. Vide ad Jonam *Joannem Druſium*, & *Hugonem Grotium*. Sed nihil vetat nos hìc quoque *Iſaacum Voſſium*, qui hoc ſibi negotii datum eſſe credidit, ut defenderet Septuaginta Interpretes. „ Hoc ſæculo, *inquit*, Græca verſio unanimiter hoc in loco rejicitur, „ nec immeritò. *Auguſtinus* Lib. XVIII. Cap. XLIV. „ de Civitate Dei, conatur componere hanc diſcrepantiam, ſed nihil meo judicio proficit. Meliùs „ *Theodoretus*, qui errorem Græcorum Exemplarium „ non interpretibus, ſed librariis imputat. Miratur „ *Hieronymus* hanc diverſitatem, cùm nulla aut verborum, aut numerorum ſit affinitas, inter tres & „ quadraginta. Sed verò quæſtionem hanc ſolvit „ *Juſtinus* Martyr, qui, in Dialogo cum Tryphone, ipſa Interpretum verba producens dies numerat „ quadraginta tres. Bis verò eumdem repetit numerum, ne quis vitium ſubeſſe exiſtimet. Si itaque „ hanc LXX. Interpretum ſequamur lećtionem, jam „ manifeſtam hujus diſcrepantiæ rationem habebimus. Nempe, minor numerus excidit è Codicibus Hebræis, major verò abeſt ab hodiernis exemplaribus Græcis; in quibus olim fuiſſe, non ut „ vulgò ἔτι τρεῖς ἡμέραι, ſed verò ἔτι τρεῖς καὶ μʹ ἡμέραι „ clarè ex *Juſtino* colligitur. Porrò hic numerus valde eſt rationi conſentaneus. Triduum enim omnino requirebatur, ad prædicandum & peragrandam urbem. Confećto unius diei itinere, prædixit urbem perituram, poſt dies quadraginta tres. „ Secundo die, longiùs progreſſus, quadraginta duos „ dies ſignificavit. Tertio itaque die elapſo, & peragrata jam urbe, nonniſi quadraginta ſupererant „ dies. Hæc *Voſſius* Lib. de Tranſlatione LXX. Interpretum Cap. XXIII. quæ ingenioſa ſunt; ſed multò, ut mihi quidem videtur, veriſimiliùs, cùm ceteri Patres & Codices in vulgari lećtione conſentiant,

Ju-

Juſtino fuiſſe Codicem in cujus contextu ſcriptum erat τρεῖς, ſed cujus margini aliqois ex Hebraico Codice adſcripſerat τεσσαράκοντα, quod ille prætermiſſum putans, dixit τεσσαράκοντα τρεῖς.

Cap. LII. Memoratis decem perſequutionibus: *Plagas enim*, inquit, *Ægyptiorum*, *quoniam decem fuerunt*, *antequàm inde exire inciperet populus Dei*, *putant ad hunc intellectum eſſe referendas* —— *Sed ego illâ re geſtâ in Ægypto*, *iſtas perſecutiones prophetice ſignificatas eſſe non arbitror*; *quamvis ab eis qui hoc putant exquiſitè & ingenioſè illa ſingula his ſingulis comparata videantur*; *non prophetico ſpiritu*, *ſed conjecturâ mentis humanæ*, *quæ aliquando ad verum pervenit*, *aliquando fallitur*.] Quis non exclamet hic: ἀπαλῶς, σοφῶς, nihil melius? Sed & nos quoque idem judicium ferimus de tot myſticis interpretationibus *Auguſtini*, quibus fermè totum Vetus Teſtamentum in alienos ſenſus contorſit. Ceterum de decem perſequutionibus, vide *Sulpitium Severum* Lib. II. Sacræ Hiſtoriæ.

LIBRO XIX. Cap. I. §. 3. *Denique fuerunt*, *qui cùm diverſa ſequerentur bona finalia*, *alii virtutem*, *alii voluptatem*, *eumdem tamen habitum & conſuetudinem tenebant*, *ex qua Cynici appellabantur*.] Ideò *Apollinaris Sidonius* Carm. II, 167.

Quidquid Erichtheis Cynicorum turba volutat
Gymnaſiis, *imitata tuos*, *Epicure*, *ſodales*.

Ad quem locum illuſtrandum hunc laudat *Jac. Sirmondus*.

Cap. VII. *Opera data eſt*, *ut imperioſa civitas non ſolùm jugum*, *verùm etiam linguam ſuam domitis gentibus per pacem ſocietatis imponeret*; *per quam non deeſſet imò & abundaret etiam interpretum copia*.] Multis hac de re egit vir doctiſſimus *Juſt. Lipſius* Libeo de recta Latini ſermonis pronunciatione Cap. IV. ubi rectè etiam monet hìc legendum, non *pacem ſocietatis*, ſed *ſpeciem ſocietatis*, aut *per pacem ſociatis*. Vellem hìc à *Benedictinis* prolatam lectionem MSS. Codicum.

Cap. XXIV. Poſtquàm oſtendit, ſine amore Dei & proximi non eſſe populum, ita hoc Caput inchoat: *Si autem populus non iſto ſed alio definiatur modo*, *velut ſi dicatur*: *populus eſt cœtus multitudinis rationalis*, *rerum quas diligit concordi communione ſociatus*; *profectò ut videatur qualis quiſque populus ſit*, *illa ſunt intuenda quæ diligit*. *Quæcumque tamen diligat*, *ſi cœtus eſt multitudinis*, *non pecorum ſed rationalium creaturarum*, *& eorum quæ diligit communione concordi ſociatus eſt*, *non abſurdè populus nuncupatur*; *tantò utique melior*, *quantò in melioribus*: *tantòque deterior*, *quantò eſt in deterioribus concors*. Tum ſubjicit: *Secundùm iſtam definitionem noſtram Romanus populus populus eſt*. &c.] Miror in mentem *Auguſtino* non veniſſe loci Deuter. XXXII, 21. *Ipſi me provocaverunt in eo qui non erat Deus & irritaverunt in vanitatibus ſuis*, *& ego provocabo eos in eo* QUI NON EST POPULUS, *& in gente ſtulta irritabo illos*. Ubi Deus ad Gentium vocationem reſpicit, ut docet Paulus Rom. X, 19. Sanè vix digni erant nomine populi, qui ſic deſcripti ſunt à *Lucilio*:

Nunc verò à mane ad noctem, *feſto atque profeſto*
Toto itidem paritérque die, *populúſque*, *patréſque*
Jactare indo foro ſe omnes, *decedere nuſquam*,
Uni ſe atque eidem ſtudio omnes dedere & arti,
Verba dare ut cautè poſſint, *pugnare doloſè*,
Blanditiâ certare, *bonum ſimulare virum ſe*,
Inſidias facere, *ut ſi hoſtes ſint omnibus omnes*.

Quos elegantiſſimos verſus nobis ſervavit *Lactantius* Inſt. Divin. Lib. V. c. 9.

LIBRO XX. c 7. de Apoc. XX. 1. & ſeqq. *Mille autem anni duobus modis poſſunt*, *quantum mihi occurrit*, *intelligi*; *aut quia in ultimis annis mille iſta res agitur*, *id eſt*, *ſexto annorum milliario*, *tamquam ſexto die*, *cujus nunc ſpatia poſteriora volvuntur*: *ſequuturo deinde Sabbatho*, *quod non habet veſperam*, *requie*, *ſcilicet*, *ſanctorum*, *quæ non habet finem* &c.] Hi ſunt fructus Allegoricæ Arithmeticæ, ex qua collegerunt Veteres multi Mundi hujuſce durationem fore ſex millium annorum, ſeptimo verò millenario ei finem impoſitum iri, & tum fore æternum piorum Sabbathiſmum. Sic *S. Barnabas* Epiſt. Cap. XV. ad quem vide notas doctiſſimi viri *Joan. Bapt. Coteleri*, qui aliorum ei adſentientium & nomina & loca ſuppeditabit.

Cap. XV. De hoc Apocalypſeos loco Cap. XX, 13. *Et exhibuit mare mortuos qui in eo erant*, *& mors & infernus reddiderunt mortuos*, *quos in ſe habebant*; ſic ratiocinatur: *Sed qui ſunt mortui*, *quos exhibuit mare*, *qui in eo erant*? *Neque enim qui in mari moriuntur non ſunt in inferno*, *aut corpora eorum ſervantur in mari*; *aut quod eſt abſurdius*, *mare habebat bonos mortuos & infernus malos*. *Quis hoc putaverit*? *Sed profectò convenienter quidam hoc loco mare pro iſto ſæculo poſitum accipiunt*.] Non ſemel fefellit *Auguſtinum* vox Latina *infernus*, quòd neſciverit ᾅδην, Hebraicè שאול, ſignificare *ſepulcrum*. Vide quæ notavimus ad Tom. II. Epiſt. LXIV. *Mortui* quos reddet mare ſunt cadavera eorum, qui in eo perierunt; *mors* verò & *ſepulcrum* ſunt reliqui mortui, qui in terra ciciderunt, ſive inſepulti, ſive ſepulti. Nam *mors* & ᾅδης ſæpe ponuntur ἐν παραλλήλῳ, ut I. Cor. XV, 54. Apoc. XX, 14. ad quæ loca vide Interpretes.

Cap. XIX. de 2. Theſſ. II, 1. & ſeq. §. 3. *Quidam putant hoc de Imperio dictum fuiſſe Romano*, *& propterea Paulum Apoſtolum non id apertè ſcribere voluiſſe*; *ne calumniam*, *videlicet*, *incurreret*, *quòd Romano Imperio malè optaverit*, *cùm ſperaretur æternum*, *ut hoc quod dixit*: jam enim myſterium iniquitatis operatur, *Neronem voluerit intelligi*, *cujus jam facta velut Antichriſti videbantur*.] Mihi multò veriſimilius fit Paulum hìc egiſſe de rebellione Judæorum in Romanos, de qua obſcuriùs loquutus eſt, ne noceret popularibus ſuis. Vide hac de re Interpretem *Henr. Hammondi*, in additamentis, quæ adnotationibus ejus Sciptoris admiſcuit. Sed hanc obſervationem *Auguſtini* optimam exiſtimarim, ad rationem reddendam obſcuritatis Apocalypſeos, in qua exitium Romæ Ethnicæ prædicebatur, nomine Babylonis.

Cap. XXIX. *Per hunc Eliam magnum mirabilémque Prophetam*, *expoſitâ ſibi lege*, *ultimo tempore*, *ante judicium*, *Judæos in Chriſtum verum*, *id eſt*, *in Chriſtum noſtrum eſſe credituros celeberrimum eſt in ſermone cordibuſque fidelium*.] Mirum eſt illis temporibus eam opinionem tam altas radices in animos hominum egiſſe, tantóque conſenſu eſſe receptam, cùm Chriſtus diſertiſſimè docuerit Matth. XVII, 12. & apud alios Evangeliſtas, nomine *Eliæ* intelligendum fuiſſe Joannem Baptiſtam. Facilè erat intellectu *diem Domini magnum & terribilem*, eſſe eum diem vel tempus quo Deus Jeroſolymam & Judæam paſſus eſt à Romanis diripi, ferróque & igne vaſtari. Sed nullus Interpres hoc in majore luce collocavit, *Henrico Hammondo*, ad Matth. XXIV. & alibi. Non rarò contigit multos homines non hebetes conſenſiſſe in errore, quia maluerunt ſuperiores ſequi, quàm eorum placita expendere. Vide *Tertullianum* de anima Cap. XXXV.

LIBRO XXI. Cap. III. §. I. contra ſupplicia malorum æterna hanc ſibi proponit objectionem: *Nullum eſt*, *inquiunt*, *corpus*, *quod poſſit dolere*, *nec poſſit mori*.] Eam objectionem confutat operoſiſſimè, variiſque adductis incredibilibus & falſis hiſtoriis ex *Plinio*, nec tamen ſatisfacit. Quid facilius erat dictu, quàm alias leges fore & corporum & ſpirituum eo tempore, quàm nunc; Déumque effecturum ut certo corporis motu, eóque non ita magno ut noceat corpori, excitetur ingens dolor in animis improborum? *Vide Dionyſii Petavii* Dogmat. Theolog. Tom. III. Opus de Angelis Lib. III. c. 5.

Cap. XXIV. *Ut Deus ſententiam ſuam mitiget & reflectat in melius*] *Joan. Freder. Gronovius* rectè legit *in mollius*, Obſervat. in Script. Eccleſiaſt. Cap. VI. Sic *Hegeſippus* de Exſcidio Hieroſol. Lib. I. c. 12. *Ab Ariſtobulo impetravere*, *ut matrem ab exſecutione præcepti ſeverioris*, *ad molliora inflecteret*. Sic MSS. ubi editi libri habent *meliora*. Quod ex melioris ævi Scriptoribus hauſtum. *Tacitus* Ann. I. *ſatis ſuperque miſſione & pecunia*, *& mollibus conſultis peccatum*.

Hegeſippus iterum c. 16. *Verbiſque in mollius ſupplicater inflexis, mitigaverat indignationem Conſulis.*

Cap. XXVI. Locum Pauli 1. Cor. III, 11. de fundamento, cui alii quidem ſuperædificant aurum, argentum, aliáque pretioſa; alii verò ligna, fœnum, ſtipulam; ſibi objicientes inducit quoſdam, qui credebant Baptiſmum & Eccleſiæ Catholicæ communionem ſatis eſſe ad vitandam damnationem æternam. Tum circa eum locum multùm hæſitat, quaſi in eo ſermo eſſet de moribus, cum Paulus loquatur de doctrina. Sic & alibi in eo interpretando æſtuavit. Vide adnotata ad Tom. VI. in Lib. de Fide & Operibus Cap. XV. Hinc nata alia æſtuatio, quæ in hiſce verbis ſe prodit: *Poſt iſtius ſanè corporis mortem, donec ad illum veniatur, qui poſt reſurrectionem corporum futurus eſt, damnationis & remunerationis ultimus dies, ſi hoc temporis intervallo ſpiritus defunctorum ejuſmodi ignem dicuntur perpeti, quem non ſentiant illi, qui non habuerunt tales mores & amores, in hujus corporis vita, ut eorum ligna, fœnum, ſtipula conſumatur; alii verò ſentiant, qui hujuſmodi ſecum ædificia portaverunt; ſive ibi tantùm, ſive & hic & ibi; ſive ideò hic, ut non ibi, ſæcularia quamvis à damnatione venialia concremantem ignem tranſitoriæ tribulationis inveniant, non redarguo, quia forſitan verum eſt.* Sic hic Pauli locus fuit veluti ſcrupulus, in quem non ſemel impegit *Auguſtinus*; quem tamen virum, quaſi magnum Scripturæ interpretem, multi nobis venditant; ſed quibus ii demum credent, quibus nullum eſt ſacrorum librorum ſtudium, aut qui *Auguſtini* opera numquam attentè legerunt.

Libro XXII. c. VII. *Cum ſexcentis fermè annis ante Ciceronem Romulus fuerit* &c.] *J. Lud. Vives* edidit *ante Scipionem*; nempe, Æmilianum, qui in libris de Republica loquens à *Cicerone* inducebatur; quia *Cicero* anno demum poſt Urbem Conditam DCXLVIII. natus eſt. Sed rectè Benedictini lectionem allatam quæ eſt omnium MSS. Codicum retinuerunt, quia minimè neceſſe eſt *Auguſtinum* ex memoria loquentem, accuratiùs calculos poſuiſſe; nec eſt peccatum tantum, ut in id incidere non potuerit.

Lib. XXII. c. VIII. §. 1. *Cur, inquiunt, nunc illa miracula, quæ prædicatis facta eſſe, non fiunt?*] Eſt objectio Ethnicorum, ad quam commodiùs ſolvendam, ficta ſunt, quarto præſertim ſæculo, innumerabilia miracula Reliquiarum, quæ antea inaudita fuerant. Cùm incautiùs ac proinde veriùs loquebantur Chriſtiani hujus ævi, fatebantur miracula non ampliùs fieri, quod contigit *Auguſtino* in Lib. de Vera Religione Cap. XXV. ubi negat *miracula illa* (qualia Apoſtolorum) *in noſtra tempora durare permiſſa.* Sed poſtea hæc verba retractavit, propter nova miracula, cujus utilitatem animadvertere ſeriùs cœpit. Hic quoque multa narrat, quæ omnia claudit egregiâ illâ narratione de qua ad Tom. V. egimus. Sed de hiſce omnibus, & præſertim de quarti ſæculi fictis miraculis, vide *Henr. Dodwellum* in diſſert. Irenaica II.

Cap. XXIV. §. 3. *Quæ in Theatris mirabilia ſpectantibus, audientibus incredibilia & exhibenda moliata ſit*; induſtria, nempe, humana] Intelligit, ut *Juſto Lipſio* videtur, pegmata, ſeu machinas theatrorum; quorum pegmatum figuræ & motus mirabilia ſpectacula præbebant, ut multis oſtendit vir doctiſſimus in libro de Amphitheatro Cap. XXII. quod legiſſe non pœnitebit.

ANIMADVERSIONUM IN TOMUM VII.

FINIS.

ANIMADVERSIONES

IN TOMUM OCTAVUM

S. AUGUSTINI

DES. ERASMUS ROTERODAMUS

LECTORI S. D.

QUEMADMODUM in præliis ſolet potiſſimùm emicare virtus & ardor militum ducumque, ita divus *Auguſtinus*, quum nuſquam non ſit multis ſuſpiciendus nominibus, haud alibi tamen eluxit, quantum valuerit acumine ingenii, ſubtilitate judicii, vehementiâ, copiáque diſſerendi, quàm in his Libris; in quibus pro tranquillitate domûs Dei, quam unicè diligebat, pugnat adverſus hæreſes: quas quum hoc odio majore proſequeretur, quo impenſiùs amabat Chriſti ſponſam Eccleſiam, tamen ubique ſingulari caritate laborat, ut homines ſanet potiùs quàm perdat. Lege feliciter, ac vale.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE HÆRESIBUS.

PRÆFAT. *Noſter verò* Epiphanius *Cyprius Epiſcopus abhinc non longè rebus humanis exemtus, de octoginta hæreſibus loquens, ſex libros etiam conſcripſit, hiſtoricâ narratione commemorans omnia, nullâ diſputatione adverſus falſitatem pro veritate decertans.*] Adnotant Benedictini ad hæc verba, *Auguſtinum* vidiſſe dumtaxat *Anacephalæoſin Epiphanii*; ſed ne hoc quidem opus integrum vidit, cujus initio, & pluribus locis indicat Scriptor ſe majoris operis epitomen ſcribere. Credibile eſt *Auguſtinum* excerpta tantùm ex eo, ab aliquo Græcè ſciente facta, habuiſſe.

Hæreſ. I. quæ eſt Simonianorum: *Jovem ſe credi volebat, Minervam verò meretricem quamdam Helenen,*

Digitized by Google

nem, quam ſibi ſociam ſcelerum fecerat; imaginéſque & ſuam & ejuſdem meretricis diſcipulis ſuis præbebat adorandas; quas & Romæ, tamquam Deorum ſimulacra, auctoritate publicâ conſtituerat.] Sic paullatim augentur fabulæ, prout à pluribus narrantur: inſtar rivuli, qui, aliis, atque aliis accedentibus aquis, tandem fit amnis. Clementinarum Recognitionum auctor Lib. II. §. 9. & *Juſtinus* Martyr Apol. I. meminerunt quidem ſtatuæ Simonis, Romæ collocatæ, ſed de ſtatua *Selenæ* vel *Helenæ*, ejus concubinæ, nihil habent. Itaque hoc erit additamentum *Auguſtini*, ex memoria hæc ſcribentis. Mirum eſt fabulam de poſita à Romanis ſtatua tam turpem & tam manifeſtam, quæ proinde meritò ab Ethnicis ridebatur, uſque adeò Veteribus placuiſſe, ut uno ore illam affirmaverint. Vide *Joan. Bapt. Cotelerium* ad Conſtitutiones Apoſtolicas Lib. VI. c. 9. itemque ad Recognitionum Lib. II. c. 9. Sed fallitur vir doctiſſimus cùm innuit ab *Auguſtino* negari quod narrabatur de interitu Simonis, Epiſt. XXXVI. ad Caſulanum, cùm dicat tantùm Romaoos negaſſe Petrum die Sabbathi jejunaſſe, cùm eſſet die Dominico ſequente cum Simone Mago certaturus. Jam eruditi fermè conſentiunt *Juſtinum* aut alium auctorem hujus fabulæ deceptum fuiſſe ſtatuâ Herculi poſitâ in inſula Tiberina, cujus etiamnum hodie baſis ſupereſt, cum hac inſcriptione SEMONI SANCO DEO. Vide *Deſ. Heraldum* ad Tertullian. Apolog. cap. XIII. *Henr. Valeſium* ad *Euſebii* Hiſt. Eccleſ. lib. II. c. 13. alioſque paſſim. Hinc autem liquet quanti faciendus ſit conſenſus multorum, ſine examine, aliorum poſt alios idem temere affirmantium. Simile exemplum animadvertere eſt Civit. Dei Lib. XX. c. 29. de adventu Eliæ ante ultimum judicium. Si errorem vitare velimus, in ejuſmodi rebus, quæ plurium teſtimonio probari ſolent, ante omnia, expendamus oportet quibus eorum, qui conſentiunt, res perſpecta eſſe potuerit, eóſque ab aliis ſejungamus; nam qui repetunt tantùm, ab aliis accepta, ea io quæ minimè inquiſiverunt, indigni ſunt qui teſtium numero habeantur. Quòd ſi etiam primi rei adſertores id protulerint quod probè non norant, nubes illa ſpecioſa teſtium facillimè diſſipatur. Quæ in hiſtoria de Simonis Magi ſtatua obſervare eſt; oec ſcio annon de tota Simonianorum ſecta dici queaot; nam quamvis conſtet ex Actis Apoſtolicis Simonem fuiſſe hominem nequam, multa de eo ficta ſunt, ut liquet ex *Clementis* Recognitionibus.

Hæreſ. L. Vadianos, quos appellat Epiphanius, & ſchiſmaticos, non hæreticos vult videri, alii vocant Anthropomorphitas.] Cùm hic *Epiphanium* auctorem laudet *Auguſtinus*, omnino exiſtimarim legendum *Audianos*, ſic enim eos hæreticos ab *Audio* conditore vocat Conſtantienſis Epiſcopus. Non morarer hic mendas librariorum, uti nec *Sirmondus* fecit in Opere *Prædeſtinati*, quamvis in Codice MS. legeretur *Valdiani*. Nomina minùs nota ſemper facillimè a Librariis depravata ſunt. Hinc apud *Facundum* Hermianenſem Lib. VIII. Ed. Sirmondi anni CIϽ IϽ XCVI. col. 671. Iidem Hæretici vocantut *Baſiani*, quæ vox facta à *Vadiani*.

Hæreſi LXXXVIII. quæ eſt Pelagianorum: *Hi Dei gratiæ, quâ prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, & quâ eruimur de poteſtate tenebrarum* &c. *in tantum inimici ſunt, ut ſine hac poſſe hominem credant facere omnia divina mandata* &c.] Anathema verò omnibus, qui divinæ gratiæ ſunt inimici! Nec puto *Pelagium*, ſi reviviſceret, deliberaturum an poſſet reſpondere, *Amen*; magnâ voce illico ita reſponderet. Verùm accuſatorie dicit *Auguſtinus* inimicos gratiæ Dei, eos qui internum afflatum, ad ſingulos neceſſarium actus, cúmque ineluctabilem & ad finem uſque vitæ ſolis electis dandum, hoc eſt, *gratiam Auguſtini*, non Dei repudiabant; oam *gratiam* hunc afflatum, aut *gratiam Dei* vocari in Scriptura numquam demonſtravit. Ceterùm cùm Deus mandata cuipiam dat, ſine dubio ea ille poteſt obſervare; nam Deus, qui juſtus eſt, impoſſibilia non imperat, ſumitve pœnas de iis qui non fecerunt impoſſibilia. Quòd ſi præter nudum imperium, auxilium aliud divinum neceſſarium ſit, quod oon negabat *Pelagius*, nemini eorum, quibus aliquid imperat, id ſubtrahit Deus. Sed omnia hic ſunt, ut alibi apud *Auguſtinum*, ad invidiam faciendam compoſita. Conſulendus hac de re Liber *Dionyſii Petavii*, de Hæreſi Pelagiana & Semipelagiana, qui eſt in Tomo III. Dogmat. ejus Theologicorum. Cetera non attingemus, de quibus ad Epiſtolas *Auguſtini* ſat multis diximus; ſed hinc obſervabimus, ubi agitur de Adverſariorum ſenteotia, non eſſe facilè eorum Adverſariis credendum.

ANIMADVERSIONES
IN TRACTATUM ADVERSUS JUDÆOS.

CAp. III. §. 4. *Quid ſibi autem velit, quòd ſit prænotantur quidam Pſalmi, quos & ipſi legunt & habent, in litterarum auctoritate ſanctarum, ut in eorum titulis ſcriptum ſit:* pro iis quæ immutabuntur; *textus verò eorumdem Pſalmorum prædicat Chriſtum, niſi quia eorum mutatio per illum futura prædicta eſt per quem apparet impleta?*] Reſpicit *Auguſtinus* ad titulos Pſalmorum, ex diviſione Græca XLIV, LXVIII & LXXIX. Fatendum, niſi verum diſſimulare velimus, aptiſſimum fuiſſe *Auguſtinum* ad retundendam pertinaciam Donatiſtarum, aut ſtultam impietatem Manichæorum; ſed contra Judæos in arenam deſcendere non debuit, quippe deſtitutus armis in illa pugna planè neceſſariis, hoc eſt, cognitione Linguæ Hebraicæ & litterali Veteris Teſtamenti intelligentiâ. Res ex toto libello liquet, ſed præſertim ex hoc argumento, quod tamen pluribus perſequitur. Regerere potuerunt & quidem meritò, Judæi LXX. Int. malè vertiſſe verba Hebraïca quæ hic ſunt: על ששנים *hal ſchoſchannim*, ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων, quaſi legendum eſſet hic, ששנים *ſcheſchonim*, hoc eſt, *qui mutant*, vel *diverſi ſunt*; eſſe vertendum cum *Aquila*, *ſuper liliis*, nam שושן eſſe *lilium*, quâ voce ſignificatur hic aut inſtrumentum muſicum, aut initium cantici. Quomodo contrarium probaſſet *Auguſtinus*? Deinde ſi conceſſiſſent, ſic eſſe vertendum, ut tranſtulerunt LXX. Interpretes; negaſſent inde ſequi à Meſſia legem mutari debuiſſe, ſed tantum, quandóque venerit, miſeram ſuæ gentis ſortem in beatiorem mutatum iri; fruſtra ſudaſſet *Auguſtinus*, ut iis hiſce aut ſimilibus argumentis utentibus os occluderet. Ac ſanè duobus tantum modis, cum aliquo fructu, diſceptare cum Judæis poſſumus. Alter eſt ſi non tantùm Scripturis Vet. Teſtamenti, quas eludere norunt, ſed illorum opinionibus & Scriptoribus contra ipſos utamur, quod facere non potuit *Auguſtinus*, cui ignota illa erant armamentaria. Alter verò ſi hiſtoriam & miracula Jeſu Nazareni verè contigiſſe oſtendamus; quod facere potuiſſet *Auguſtinus*, ſi omiſſis allegoriis, frigidiſque argutiis, ad accuratas ratiocinationes ſe convertiſſet, quales ſunt in Libris II. & III. Operis de Veritate Religionis Chriſtianæ ab *Hug. Grotio* conſcripti, quæ & in aliis Recentiorum monumentis copioſiùs expoſitæ leguntur. Verùm iis ſæculis, quantumvis ab imperitis aut factioſis jactentur, parum nota erat ratiocinandi & probaodi accurata methodus.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE UTILITATE CREDENDI.

CAPITE III. §. 5. *Omnis Scriptura, quæ Teſtamentum Vetus vocatur, diligenter eam noſſe cupientibus quadrifaria traditur; ſecundùm hiſtoriam, ſecundùm ætiologiam, ſecundùm analogiam, ſecundùm allegoriam.*] Hæc omnia ad unum referenda, quid, nimirum, ſignificetur verbis Scripturæ; quæ ex omnibus Grammaticorum & Criticorum legibus ſunt explicanda. Ætiologia, Analogia & Allegoria, quæ non nituntur litteralis interpretationis fundamento, meræ ſunt ad populum phaleræ, ut dudum viri docti oſtenderunt. Sed videamus quomodo hæc intelligat *Auguſtinus*: *Secundùm hiſtoriam*, inquit, *traditur, cùm docetur quid ſcriptum, aut quid geſtum ſit; quid non geſtum ſed tantummodo ſcriptum quaſi geſtum ſit.* Sic omnia eſſent hiſtorica, quia aut ſcripta, aut geſta ſunt; nec quidquam etiam eſt ſcriptum, quaſi geſtum, cùm geſtum non ſit, præter parabolas. *Auguſtinus* exemplum tamen profert veræ hiſtoriæ à Chriſto laudatæ Matth. XII, 3, 4. *Secundùm ætiologiam*, inquit, *quid qua de cauſa vel factum, vel dictum ſit.* Cujus rei exemplum eſt dictum Chriſti, de cauſa permiſſi à Moſe divortii Matth. XIX, 8. At in inquirendis ejuſmodi cauſis, oportet aut præviam habere auctoritatem Chriſti & Apoſtolorum, aut certiſſimam hiſtoriam rationéſque non dubias. Alioqui quælibet rationes quorumlibet reddentur, quæ utramque faciunt paginam apud Veteres. Tertiò *ſecundùm analogiam*, inquit, *cùm demonſtratur non ſibi adverſari duo Teſtamenta, Vetus & Novum.* Quod veriſſimum, ſi animus Dei & Oeconomiæ diverſitas probè obſerventur; Lex enim complectebatur *στοιχεῖα*, ut loquitur Paulus, ſeu *elementa* Religionis, quibus ad inſtar Pædagogi, paullatim Judæi ad perfectionem Chriſtianam deducerentur. Itaque multa ferebantur ſub Lege, quæ non ampliùs feruntur ſub Evangelio; quamvis utrobique fuerit idem Dei animus, ſed qui non una Oeconomia, pro captu populorum & temporum, uſus eſt. Quod ſi hæc miſceantur & violentis allegoriis torqueatur V. T. ut per omnia idem videatur tradere ac Evangelium, tum verò analogia nulla ſervabitur. Denique, *ſecundùm allegoriam, cùm docetur non ad litteram eſſe accipienda quædam quæ ſcripta ſunt, ſed figuratè intelligenda.* Scio quid allegoriarum patroni ſoleant dicere, ſed ea demum allegoricè ſunt intelligenda, quæ manifeſtæ allegoriæ ſpeciem præ ſe ferunt, ut Eccl. XII, 4. & ſeqq. Cetera omnia propriè intelligenda. Sed hac de re aliàs.

Cap. IX. *Vera Religio, niſi credantur ea, quæ quiſque poſtea, ſi ſe benè geſſerit, dignúſque fuerit, aſſequatur atque percipiat, & omnino ſine quodam gravi auctoritatis imperio, iniri ritè nullo pacto poteſt.*] Hæc contra Manichæos, qui Catholicam Eccleſiam maximè criminabantur, quòd illis qui ad eam veniebant præciperet ut crederent, cùm ipſi omnia ratione demonſtraturos ſe pollicerentur. Qua in re, intolerandi profectò erant, cùm nihil niſi monſtra proferrent, & quæ nullâ veriſimilitudine erant tincta; nedum ut ratione niterentur, ut multis in locis rectè oſtendit *Auguſtinus*. Verùm hic aliter reſpondet illis, quàm vellem, & quàm res poſtulabat. Quo enim argumento probare poterat priùs eſſe quædam ſine ratione (nam hoc debet intelligi) credenda, quæ poſtea perciperentur? Quis mendaciorum & fabularum Propola non potuit ſimilia exigere; & poſtea dicere, ſi quis commenta ejus rejeciſſet, eum fuiſſe indignum qui ea adſequeretur? Annon Judæi & Ethnici Chriſtianis, contra ſe ratiocinantibus, talia reponere poterant; eſſe credendum, non ratiocinandum? Igitur Chriſtiani, ut pari jure agerent, pati debuerunt id contra ſe adhiberi, quo uſi fuerant contra Ethnicos, & Judæos; nec erat cur propterea ſibi timerent, ratione enim longè ſuperior futura erat Religio Chriſtiana, ut ſatis oſtenderunt *Hugo Grotius*, aliíque qui eam ratione defendere, laudatiſſimo inſtituto & feliciſſimo ſucceſſu, cœperunt. Sed tria erant quæ tempore *Auguſtini* effecerunt ut fides, ſine ratione exigeretur. Primum, eſt quod non ſatis erant in Philoſophia, Criticáque exercitati, ut Scripturam contra objectiones Manichæorum, aliorúmque defendere commodè poſſent; ut liquet vel ex hiſtoria creationis, quæ tantopere torſit *Auguſtinum*, ut neque in *Confeſſionibus*, neque in Libris *de Geneſi ad litteram*, ſibi, aut ulli ſatisfecerit. Creatio ſeptem diebus diſtincta, quieſqoe Dei ſeptimo die ſcopuli fuerunt, ad quos impegit, quotieſcumque hac in parte ſacri Oceani navigare auſus eſt. Senſum litteralem quaſi adverſum rationi rejicit, allegoricum verò à vocibus planè abhorrentem amplectitur. Alterum, quòd re verâ ſibi conſcii eſſent non pauca à ſe dici planè contraria rectæ Rationi; qualia erant tam multa quæ de Gratia & Prædeſtinatione, aliiſque dogmatibus iis adnexis, quaſi capita fidei credenda ab *Auguſtino* proponebantur. Denique is ſermo fuit partium jam vires ſuas ſentientium, & multitudine ſuâ fretarum; quam ſæpe jactat hìc *Auguſtinus*, contemtâ paucitate aliter ſentientium. Ejuſmodi partes, ac ingenia pati non poſſunt ſibi obloqui pauciores, ſed volunt fidem loquentibus continuò haberi.

Cap. X. Poſtquàm multis probare conatus eſt Sacerdotem ei, qui Religionem Chriſtianam ſibi probari cupit, credere oportere, eum animo veritatis cupido ita ſe gerere; hinc colligit talem hominem viciſſim Sacerdoti de Religione aliquid affirmanti credere oportere. *In Religione verò*, inquit, *quid iniquius fieri poteſt, quàm ut Dei antiſtites nobis non fictum animum pollicentibus credant, nos eis præcipientibus nolimus credere?* Miror tam levem rationem tam multis perſequi ſuſtinuiſſe Rhetorem noſtrum. Nam primùm ſimilia Judæus ac Ethnicus Sacerdos dicere potuerunt Chriſtianis; cùm poteſtate ac numero ſuperiores erant Judæi ac Ethnici, in Romano Imperio. Quare Chriſtianum à tali reſponſione ſatius fuit abſtinere. Secundò, quis docuit *Auguſtinum*, nonniſi iis qui ſtudioſi veri eſſe creduntur, explicandam fuiſſe Religionem Chriſtianam? Annon indignis omnia pandunt Sacri Scriptores, qui libris, in quorumvis manus deventuris, Religionem Chriſtianam, æquè ac Judaicam, complexi ſunt? Fateor interdum, vitandi periculi causâ, fugiendæve inutilis concertationis, ſatius eſſe tacere, quam apud improbos id proloqui quod ſpernant, aut cum indignatione excipiant. Sed exceptis ejuſmodi circumſtantiis, debet Religio apud omnes accuratiſſimè probari, & præſertim quidem libris. Quinimò ſic ſe geſſit ipſe *Auguſtinus*, ſic omnes Chriſtiani Doctores. Tertiò, nemo neſcit omnes bonos eſſe habendos, dum malos eſſe non conſtat. Quis autem animum novit ejus, qui petit ſibi explicari Religionem, niſi hominis mores eum antea aperuerint? Sed planè alia eſt ratio doctrinæ, cui adſentiri nemo debet, antequàm eam veram eſſe conſtet. Damnare eam non debet, rationibus nondum auditis, ſed amplecti nullâ lege jubetur. Quartò denique, jubenti me pro imperio credere quidpiam quod ei naturâ ſuâ notius non eſt quàm mihi, nullâ ratione editâ, nonniſi ſtultè credere poſſum; at animus uniuſcujuſque eſt ipſi notiſſimus. Sed quid opus eſt verbis? Si *Auguſtinus* vixiſſet apud Ethnicos, quales erant etiamnum Perſæ aliique Orientales populi, ejus tempore, adiiſſétque Sacerdotem, aut Magum, & ab illo quæſiſſet rationes ob quas Ignem Perſæ colebant, iis demum crediturus poſtquam firmas deprehendiſſet; Sacerdos verò ille ſimilia dixiſſet de utilitate credendi, quæ hic narrat Manichæo; *Auguſtinus* ſine dubio intolerandam eſſe tyrannidem ſenſiſſet, & dixiſſet ſi auſus eſſet. Ne ergo bona ratiocinatio habeatur in Africa Chriſtiana; quæ Paralogiſmus fuiſſet, ad ortum Euphratis.

Cap.

Cap. xii. *Quæro igitur, ſi quod neſcitur credendum non eſt, quomodo ſerviant parentibus liberi, eóſque mutuâ pietate diligant, quos parentes ſuos eſſe non credant. Non enim ratione ullo pacto ſciri poteſt, ſed interpoſitâ matris auctoritate de patre creditur, de ipſa vero matre plerumque nec matri, ſed obſtetricibus, nutricibus, famulis* &c.] Verùm hæc ſunt planè diſſimilia, nam parentes & alii ſcire poſſunt, & reverâ ſciunt quinam ſint ſui & certorum hominum liberi; nec ulla utilitate ducuntur, ſaltem plerumque, ad ſupponendos ſibi alienos liberos. Sed Sacerdotes, qui volunt ſibi credi de Religione, ejus veritatis non ſunt magis conſcii quàm alii homines, ſi rationibus ſint deſtituti; & plerumque, non ſine magna utilitate ſua, ſuum gregem augebant.

Cap. xiv. *Si nihil me credere jubet*, (Hæreticus) *hanc ipſam veram Religionem ullam in rebus humanis eſſe non credo; quam cum eſſe non credo, non quæro. At ille, ut opinor, quærenti monſtraturus eſt* —— *Ad eum igitur qui me vetat credere non venirem, niſi aliquid crederem. Eſtne ulla major dementia, quam ut ei ſolâ, quæ nullâ ſcientiâ ſubnixa eſt, fide diſplicеam, quæ ad ipſum me ſola perduxit?*] Sed qui credit veram aliquam eſſe Religionem, ſeu Deum coli velle ab hominibus, ſine ulla omnino ratione; aut inſanit, aut ita hebes eſt, ut ab inſanis non multùm diſtet. Qui fidem habuit tibi ſine ratione, idem etiam ſine ratione, cùm videbitur, tibi fidem detrahet; adſentietúrque æquè facilè Arrianis, ſi rerum potiantur, aut etiam, quod deterius eſt, Muhammedanis; quod reverâ fecerunt Afri, poſt *Auguſtini* tempora. Quisquis credit eſſe aliquam religionem veram, quæritque ubi eam invenire poſſit, non eſt tam fatuus, ut nullam rationem ſibi dari poſtulet.

Ibid. §. 21. *Quid quod omnes hæretici Chriſto nos credere hortantur?* &c.] Verum eſt, ſed fuitne hæreticus tam impudens, aut tam bardus, qui nullas firmas rationes eſſe Chriſto credendi diceret? Non opinor. Fuitne etiam ſacerdos tam ignarus, aut tam hebes, qui aliquas earum rationum proferre non potuerit? Profectò ſi fuit, indignus fuit ſacerdotali ordine, & perperam in eum erat cooptatus. Nemo eſt qui nolit credere id quod non vidit; ſi modò ei conſtet eos qui quod non vidit docent potuiſſe rem reſcire, nec fallere voluiſſe, aut ipſos deceptos fuiſſe; quod liquidum nobis fit de Chriſto & Apoſtolis, & naturâ ipſâ rerum quas docuerunt, & miraculis præſertim. Sed quî ſcis, inquies, facta fuiſſe talia miracula, eaque contigiſſe quæ narrantur in Apoſtolorum ſcriptis? Hoc ſcio, prout novi reliquos omnes Hiſtoriæ antiquæ eventus indubitatos, imò & firmioribus rationibus nixus; non quia credo auctoritati cujuſpiam, a quo an fallar necne neſcio.

Ibid. §. 32. *At ipſum* (Chriſtum) *videmus, quantum illa, cui & ipſi* (Hæretici) *credunt, docet hiſtoria, nihil priùs, neque fortiùs, quàm credi ſibi voluiſſe; cùm illi nondum eſſent idonei, cum quibus ei res eſſet, ad divina percipienda ſecreta.*] Chriſtus apud Judæos Evangelium nunciavit, nemo autem Judæorum erat qui non facilè animadverteret ab eo minimè idololatriam ſuaderi & egregia ad mores præcepta dari; quamvis non intelligerent quæcumque dicebat. Nemo etiam illorum fuit qui non facilè videret miracula ab eo fieri, quot & qualia ab antiquis Prophetis facta non fuerant. Duæ hæ ſatis graves fuerunt credendi rationes, nec poteſt Chriſtus, cum bona *Auguſtini* venia, cum iis conferri, qui ſine ratione ſibi credi volunt. Apud Joannem, paſſim inculcat doctrinam ſuam eſſe à Patre ſuo acceptam; ſed ſibi non vult credi, niſi miraculis dictis ſuis fidem faciat. Imò verò ſic, apud Diſcipulos, loquitur Cap. xv, 24. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Igitur Chriſtus minimè poſtulavit ſibi ſine ratione credi; nec ab iis quos curavit, ut ſanarentur ad ſe delatos, fidem exegit, niſi poſtquàm jam multa ediderat miracula. Verùm, ne quid diſſimulem, hoc ſenſit *Auguſtinus*, ut oſtendunt ſequentia verba: *Quid enim aliud agunt*, inquit, *tanta & tam multa miracula, ipſo etiam dicente ea non fieri ob aliud, niſi ut ſibi crederent?* Nihil veriùs, ſed erant ipſa miracula graviſſima ratio, cur tutò ei crederent, & credere ſe poſſe intelligerent. *Sciebant* enim *quia peccatores Deus non audit*, (ad edenda miracula, quibus fraudibus ſuis fidem faciant) *ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Joan ix, 31. Itaque non potuit *Auguſtinus* exemplo Chriſti uti, ut probaret Eccleſiam Catholicam jure ſibi ſine ratione credi poſtulare. *Ergo ille afferens medicinam, quæ corruptiſſimos mores ſanatura eſſet, miraculis conciliavit* (ſibi) *auctoritatem, auctoritate meruit fidem.* Quæ verba ſunt *Auguſtini*, quibus planè adſentimur; at non ſequentibus: *fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetuſtatem, vetuſtate roboravit religionem.* Quamvis enim fide ſibi factâ apud multitudinem, Eccleſiam ſuam condiderit, atque conditam auxerit; attamen eò non ſpectavit ut aliquando Religionem vetuſtate roboraret, quaſi vetuſtas argumentum quandoque futurum eſſet veritatis. Non adſentimur iis qui Chriſti dogmata ſequuntur, quia antiqua eſt illorum fides; ſed quia conſentanea eſt veritati cœleſti, cui fidem Chriſtus miraculis ſuis fecit. Sed *Auguſtino* commodum erat talibus argumentis uti in Hæreticos ac Schiſmaticos, quibus paſſim novitatem & paucitatem exprobrat; quas olim Chriſtianis exprobraverant Ethnici.

Cap. xviii. *Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantùm profectum, fructúmque videamus, dubitabimus nos ejus Eccleſiæ condere gremio, quæ uſque ad confeſſionem generis humani, ab Apoſtolica ſede, per ſucceſſores Epiſcoporum, fruſtra Hæreticis circum latrantibus & partim plebis ipſius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majeſtate, damnatis, culmen auctoritatis obtinuit?*] Neſcio an hæc verba *uſque ad confeſſionem humani generis* ſatis ſana ſint; ſi ſunt, ſenſus erit, confitente humano genere. Sed multò mihi ſuſpectiora ſunt verba *ab Apoſtolica ſede*, nam ſic ſolebat in Occidente ſedes Romana vocari; cujus auctoritatem omnibus artibus amplificare conati ſunt exſcriptores librorum Eccleſiaſticorum Monachi. Si enim *Auguſtinus* de Eccleſia, per omnes terras ſparſa, hæc intellexit, falſum eſt eam *ab Apoſtolica ſede culmen auctoritatis obtinuiſſe*; omnes enim norunt Orientales Eccleſias priores tempore fuiſſe, nec ullam auctoritatem ab ulla Occidentali trahere voluiſſe. Si quid Apoſtolica ſedes habuit auctoritatis, id promanavit ex communione quæ ei fuit cum ceteris Eccleſiis Chriſtianis, quæ omnes ſimul omnem ſuam poteſtatem Chriſto capiti debent. Ne Africanæ quidem Eccleſiæ, tempore *Cypriani* & ipſius *Auguſtini*, ut ſat liquet ex contentione cum *Stephano*, & alia de transmarinis appellationibus, auctoritatem ſuam Romanæ debere voluerunt, quamvis eam fortè matrem agnoſcerent. Igitur ut quod ſuſpicor aperiam, crediderim legendum AB APOSTOLICA FIDE. Primam enim Eccleſiæ Chriſtianæ auctoritatem trahebant *ab Apoſtolica fide*; quòd cum Apoſtolis, nempe, ſentirent. Sic *Tertullianus* ratiocinatur in Lib. de Præſcript. Hæreticorum cap. xx. & xxi. pluresque Apoſtolicas memorat ſedes, non unam. *Eccleſias*, inquit, *apud unamquamque civitatem condiderunt* (Apoſtoli) *à quibus traducem fidei & ſemina doctrinæ ceteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiæ fiant. At per hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, ut ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum.* Paullò pòſt: *Hinc igitur dirigimus præſcriptionem; ſi Dominus Jeſus Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos prædicatores, quàm Chriſtus inſtituit; quia nec alius Patrem novit, niſi Filius & cui Filius revelavit, nec aliis videtur revelaſſe Filius quàm Apoſtolis, quos miſit ad prædicandum utique quod illis revelavit. Quid autem revelaverint, id eſt, quid illis Chriſtus revelaverit, & hic præſcribam non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam vivâ, quod ajunt, voce, quam per Epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam; ſine dubio tenentem quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo accepit.* Hæc oſtendunt optimo ſenſu poſſe, apud *Auguſtinum*,

legi

Digitized by Google

legi *Apoſtolica fide*, à qua ſedes Apoſtolicæ ipſæ omnem auctoritatem trahebant; ideò enim iis creditum eſt, quòd eum Apoſtolicis Scriptis ſentire ſe profiterentur; quæ Scripta à pleriſque antiquiſſimorum Hæreticorum rejiciebantur.

Quòd ſi *Auguſtinus* omnino ſcripſerit *Apoſtolicam fidem*, voluit Manichæos Afros adducere ad Eccleſiam Catholicam Africanam, quæ conſentiebat cum ſede Romana. Sed id argumentum levius, nam quis promiſerat Eccleſiis Apoſtolicis numquam eas à Chriſti doctrina aberraturas? Nemo. Talia ſunt quæ ducit ex conſenſu plebis, & Conciliorum, quæ tam falſis favere poſſunt, quàm veris; aut ex Hæreticis *miraculorum majeſtate damnatis*, quæ, illo ævo, ſtratagemata erant Eccleſiaſtica quibus plebeculæ fucus fiebat. Vide Lib. contra Epiſtolam Fundamenti Cap. IV.

Cap. XVIII. *Non fama de fumo eſt, & neſcio qua fabella Perſica, cui ſatis eſt aurem accommodare & animum non ſubtilem ſed planè puerilem.*] Fabellam Perſicam vocat dogmata abſurda Manichæi, qui Perſa erat, ſeu Babylonius, Vide & *Epiphanium* Hæreſ. XLVI. & poſtea librum contra *Epiſt. Manichæi*.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM CONTRA EPISTOLAM MANICHÆI.

CAp. I. *Noſtrum igitur fuit eligere & optare meliora, ut ad veſtram correctionem aditum haberemus; non in contentione & æmulatione & perſequutionibus, ſed manſuetè conſolando, benevolè cohortando, leniter diſputando; ſicut ſcriptum eſt:* Servum Domini non oportet litigare, ſed mitem eſſe ad omnes, docibilem, patientem, in modeſtia corripientem diverſa ſentientes. *Noſtrum ergo fuit velle has partes expetere: Dei eſt volentibus & petentibus donare quod bonum eſt.*] Quis non laudet manſuetudinem, hac in re, *Auguſtini?* Quis non plaudat Epiſcopo Pauli monitorum tam opportunè memori? Certè ego hæc verba ſatis exoſculari non poſſum. Sed & ſequentia, cedro digna, libenter exſcribam: *Illi in vos ſæviant, qui neſciunt cum quo labore verum inveniatur, & quàm difficilè caveantur errores. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt quàm rarum & arduum ſit carnalia phantaſmata piæ mentis ſerenitate ſuperare. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt cum quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis, ut poſſit intueri ſolem ſuum* &c. *Illi in vos ſæviant, qui neſciunt quibus ſuſpiriis & gemitibus fiat, ut ex quantulacumque parte poſſit intelligi Deus.* Nihil verius eſt, quàm eos demum ſævire in alios, ut eos ad rectam fidem, uti putant, adducant, qui neſciunt quàm facile ſit errare, & quàm difficulter præconcepta ſemel judicia ſanentur. Doleo *Auguſtinum*, ad mortem uſque, In tam pia ſententia non perſtitiſſe; nam hunc librum ſcripſit circa annum CCCXCVII. Sed anno CCCCXII. planè mutaverat mentem, ut liquet ex Epiſtola ad Vincentium. Tum demum intellexit facillimum eſſe & æquiſſimum mulctis, terrore & vi militari homines ad Catholicam Eccleſiam adducere; &, quod mireris, eodem tempore quo gratiæ ineluctabilis inſpirationi omnes bonas hominum actiones tribuere cœpit. Doleo etiam, in tam piis *Auguſtini* verbis, legi damnationem Imperatorum, qui contra Manichæos tot cruentas leges tulerunt, & quæ etiamnum leguntur in Codice Theodoſiano. Scio eorum *electos* accuſatos fuiſſe nefandorum ſtuprorum, quod nos docet *Auguſtinus* in libro de Hæreſibus; ſed idem docet auditores impiorum illorum myſteriorum ignaros fuiſſe. Si ergo plectendi erant *Manichæi*, non ſine diſtinctione de iis pœnæ ſumendæ fuere, quod tamen non fit. Lege VII. Tit. 5. Lib. XVI. Codicis Theodoſiani jus condendi Teſtamenti, aut Teſtamento in facultates patris vel cujusvis aliûs ſuccedendi eripitur Manichæis quibuſvis; nec eam conſtitutionem tantùm in futurum valere vult Theodoſius, ſed, præter omnem conſuetudinem, in præteritum. Vide & in eodem Titulo Leg. XIX. & *Jac. Gothofredi* commentarium.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS CONTRA FAUSTUM MANICHÆUM.

LIBRO XIV. contra Moſem ſic argumentatus erat Fauſtus: *Ait* (Deut. XXI, 23.) *maledictum eſſe omnem, qui pendet in ligno. Hunc ergo tu vis ut accipiam, huic ut credam; cùm, ſi divinus fuit, conſtet eum ſcientem, volentemque maledixiſſe Chriſto; ſi verò nolens, neſciénſque maledixerit, conſtet eum non fuiſſe divinum.* Tam facilem objectionem diluere non potuiſſe Auguſtinum mirum eſt, mortem enim & maledictionem unum, idémque eſſe vult, nec ullo modo ſeſe expedit. Deinde quod additur *Maledictus Deo*, ſic interpretatur: *niſi enim Deus odiſſet peccatum & mortem noſtram, non ad eam ſuſcipiendam atque delendam, Filium ſuum mitteret. Quid ergo mirum ſi maledictum Deo quod odit Deus?* Sed apud Moſem nulla peccati mentio, neque cujusvis mortis, ſed tantum cadaveris è ligno pendentis; quod eſſe rem ſummopere pollutam docet Moſes. Vide ad eum locum *Joannem Clericum*.

LIBRO XVI. Cap. 22. *Hinc eſt & illud, cujus ambiguitate Fauſtus fallitur:* Videbis vitam tuam pendentem, & non credes vitæ tuæ. *Quæ verba & aliter poſſe intelligi poteſt aliquis dicere, de Chriſto autem non poſſe intelligi, nec Fauſtus auſus eſt dicere, nec quiſquam prorſus audebit, niſi qui negaverit aut Chriſtum eſſe vitam, aut à Judæis viſum eſſe pendentem, aut eos illi non crediaiſſe. Cùm verò & ipſe dicat:* ego ſum vita, *& eum pependiſſe conſtet ante oculos ei non credentium Judæorum, non video cur dubitare debeamus id etiam de Chriſto ſcripſiſſe illum, de quo Chriſtus ait:* ille enim de me ſcripſit.] Nos quidem, non ſecus ac *Auguſtinus*, agnoſcimus Chriſtum eſſe hominum *vitam*, eúmque *pependiſſe* coram incredulis Judæis, & à dogmatibus Manichæorum fortaſſe alieniores ſumus, quàm ipſe fuit; ſed tamen pernegamus in loco Deuteronomii agi de Chriſto. Eſt is Deut. XXVIII, 66. ubi Moſes ſic deſcribit anxietatem Judæorum in captivitatem abductorum: *In gentibus quoque illis*, inquit, *non quieſces, neque erit requies veſtigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, & deficientes oculos & animam conſumtam mœrore, & erit vita tua quaſi pendens, ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Mane dices: quis mihi det veſperum? & veſpere: quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem* &c. Nemo non videt agi de vita dubia, ac incerta, quæ, notâ etiam Latinis metaphorâ, dicitur *pendere*. Antecedentia & conſequentia hanc eſſe ſententiam liquidò oſtendunt. *Non credere vitæ ſuæ*, eſt procul omni dubio ſecurum non eſſe de vita ſua. Quod ſi licet conculcatâ propriâ ſignificatione vocum & loquendi generum, ex qua egregius oritur, circumſtantiiſque loci convenien-

nientiſſimus ſenſus, ad tralatitiam confugere, nec rationem ullam babere conſequentium ac antecedentium; primùm omnia ex omnibus Scripturæ locis deducere licebit, deinde nihil in Scripturæ interpretatione certum erit, & quævis commenta ex ea probari poterunt. Scio *Athanaſium*, & alios Patres Græcos ac Latinos, ſimiliter bunc locum explicuiſſe; ſed ſi multò plures proferrentur, non efficeret eorum auctoritas, ut omnes rectæ interpretationis leges abrogarentur; cùm conſtet, (quid enim nos bic mentiri aut diſſimulare cogat?) propemodum omnes imperitos Criticæ Sacræ & infelices Scripturæ Interpretes fuiſſe; quidquid dictitent qui nec eos, nec Scripturam ſat ſtudioſè legerunt.

Libro xvii. c. i. Fauſtus in hæc verba Matth. v, 12. *non veni ſolvere legem, ſed adimplere*, ſic ſtultè ratiocinatur: *Quis boc teſtatur dixiſſe Jeſum? Matthæus. Ubi dixiſſe? In monte. Quibus præſentibus? Petro, Andreâ, Jacobo & Joanne; quatuor bis tantùm, ceteros enim necdum elegerat, nec ipſum Matthæum* &c.] Sic ratiocinabatur Fauſtus, quia credebat Mattbæum ordinem temporis in ſua narratione obſervaſſe, quod ab eo non factum eſſe oſtendit, in ſua Evangelica Harmonia, *Joannes Clericus*; ex qua liquet, non Mattbæum tantùm, ſed & reliquos omnes Apoſtolos eo tempore jam fuiſſe electos, atque ſermonem è monte habitum audiviſſe. Eam adito, ſi tanti eſt. Miror *Auguſtinum* boc non repoſuiſſe, cùm ceteroqui futiles Fauſti argutias non malè confutet. Non ſolum tamen Fauſtum, ſed & alios multos fugit hæc obſervatio, & in nonnullos errores conjecit.

Libro xxii. c. 35. *Cùm igitur Abraham eo tempore viveret, in rebus bumanis, quo quidem jam fratres ex utroque, aut ex altero, vel altera parente natos nectis conjugio non licebat; filios verò fratrum alioſque longinquiore gradu generis conſanguineos, nullâ lege, nullâ poteſtate probibita conſuetudo jungebat, quid mirum ſi ſororem ſuam, id eſt, ex patris ſanguine procreatam babebat uxorem? Nam boc ipſe reddens ſibi eam Regi dixit de patre eſſe ſororem, non de matre.*] Sed non tantùm *ſororem* vocat, quod ambiguum eſſe potuit, ſed *filiam patris, non vero matris* Gen. xx, 12. ex quo liquet propriè boc eſſe intelligendum. Ac ſanè nulla eſt hiſtoria, quæ nos doceat eo tempore, apud Cbaldæos, illicita fuiſſe fratrum & ſororum conjugia; quamvis boc affirmet *Auguſtinus*. Eadem tamen quoque fuit ſententia *Epiphanii*, quod teſtatur Hæreſi xxxix. n. 7. & *Hieronymi*, in libro contra Helvidium. At neuter ulla certa profert ejus rei argumenta, quæ notior eis eſſe, quàm nobis, non potuit. *Hieronymum* videtur temerè ſequutus eſſe *Auguſtinus*.

Libro xxxiii. Cap. vi. *Sed quid vobis faciam*, (alloquitur Manicbæos, qui Veteris Teſtamenti Scripturas prorſus rejiciebant, Novi falſatas eſſe contendebant) *quos contra teſtimonia Scripturarum ita obſurdefecit iniquitas, ut quidquid adverſum vos inde prolatum fuerit non eſſe dictum ab Apoſtolo, ſed à neſcio quo falſario, ſub ejus nomine, ſcriptum eſſe dicere audeatis?*] Nibil iniquius ac abſurdius fingi poterat, quàm quod faciebant Manichæi; qui, nullo Critico argumento nixi, ſed tantùm præjudiciis üſque perabſurdis occæcati, falſata eſſe dicebant quæcumque erant in Apoſtolorum ſcriptis ipſorum placitis contraria. Meritò *Auguſtinus* hanc illis objicit ratiocinationem Lib. xxiv. *In Apoſtolorum litteris quod volumus verum eſt, quod nolumus falſum eſt*; quâ impudentius ac ſtultius nihil excogitari potuit. Suſpicor ſanè homines, ſi auſi fuiſſent, rejecturos fuiſſe omnem Scripturam, tam Novi, quàm Veteris Teſtamenti; ſed quia numero Chriſtianorum cenſeri volebant, in abſurdas conjecturas eſſe delapſos.

Ibidem. *De quo libro certum erit cujus ſit, ſi litteræ quas Apoſtolorum dicit & tenet Eccleſia ab ipſis Apoſtolis propagata, & per omnes gentes tantâ eminentiâ declarata, utrum Apoſtolorum ſint incertum eſt; & boc erit certum ſcripſiſſe Apoſtolos, quod buic Eccleſiæ contrarii Hæretici proferunt auctorum ſuorum nominibus appellati, longè poſt Apoſtolos exſiſtentium?*] Optimè ſanè. Cùm enim videamus pleroſque omnes Chriſtianos, ab iis uſque, qui proximè Apoſtolicæ ætati ſucceſſerunt, unâ voce affirmare hæc, paucis exceptis, Apoſtolica eſſe ſcripta; non eſt cur quiſquam de illorum teſtimonio dubitet, ſi modò in iis libris nihil ſit, quod recta Ratio indignum eſſe ſpiritu divino demonſtret. Jam autem nemo eos, qui non fatuus ſit, aut pravo ingenio, libros leget, quin digniſſimos eſſe eos auctoribus quibus tribuuntur, viriſque à Deo miſſis, non judicet. In iis etiam divina quædam ſimplicitas ac ſinceritas nitet, quæ cum ſequentium ſæculorum figmentis ac pigmentis minimè conſentit; ut facilè intelligas ea eſſe antiquiora & profecta ab eorum manibus, quibus ſimiles nullos poſtea fuiſſe videmus. Igitur cùm nullum ſit, in re ipſa, vel minimum ſuppoſitionis indicium; teſtimonium Chriſtianorum ſuſpectius eſſe non poteſt, quàm Scriptorum Ethnicorum, qui ſummo conſenſu teſtantur Æneïdem eſſe fœtum Poëtæ Auguſto æqualis, & quorum teſtimonio ſtylus & præſtantia poëmatis maximum pondus addunt. Igitur audiendi non ſunt, qui, ſine ullis argumentis Criticis, diu pòſt Apoſtolorum tempora, libros eorum in dubium revocare aggreſſi ſunt, ut commentis ſuis contrarios.

Ibidem. *Quaſi verò & in litteris ſæcularibus non fuerint* (ſic legendum potiùs quàm fuerunt) *certiſſimi auctores, ſub quorum nominibus multa poſtea prolata ſunt & ideo repudiata; quia vel bis quæ ipſorum eſſe conſtaret, minimè congruerunt, vel eo tempore, quo illi ſcripſerunt, nequaquam innoteſcere & per ipſos vel familiariſſimos eorum in poſteros prodi, commendarique meruerunt.*] Hiſce nihil poteſt eſſe κριτήριον. Exemplum habemus ipſum *Auguſtinum*, cujus genuinis operibus admiſta erant ſæculis barbaris multa ſuppoſititia; quæ *Eraſmi* diligentia quidem partim, ſed *Lovanienſes* præſertim ac *Benedictini* tribu meritò moverunt, adjuti Indiculo Operum Hipponenſis Epiſcopi à *Poſſidio* Calamenſi, amico ejus ac diſcipulo conſcripto, & quem *Joannes Vlimmerius* primus edidit. Hinc multa quaſi *Auguſtini* laudata, ſuperioribus ſæculis, meritò poſtea rejecta ſunt, & auctoribus *Benedictinis* jure poſthac rejicientur. Quod cùm ita ſit, obelus Criticus erit apponendus multis locis ex iis opuſculis prolatis, ab iis qui de Controverſiis Theologicis ſuperioribus ſæculis ſcripſerunt. Quamobrem veri amantes gratias Benedictinis babere debent, quas nos bîc iis libenter agimus.

Ibidem. *Nonne, ut alios omittam, ſub Hippocratis Medici nobiliſſimi nomine, quidam libri prolati in auctoritatem à Medicis non recepti ſunt? Nec eos adjuvit nonnulla ſimilitudo rerum atque verborum, quando comparati eis, quos verè Hippocratis eſſe conſtaret, impares judicati ſunt; & quod ab eo tempore, quo & cetera ſcripta ejus non innotuerunt quod verè ejus eſſent.*] De Criticis operum *Hippocratis* variiſque eorum judiciis, adeundus Medicus eruditus *Daniel Clericus*, in Hiſtoria Medicinæ, Gallico ſermone conſcripta, & edita Amſtelodami anno cIↄ Iↄcc i. Parte I. Lib. III. c. 30. Diſſimilitudo ſcriptorum effecit ut ex ipſius *Auguſtini* Operibus innumeri libelli ejicerentur, qui nunc ad calcem ſingulorum Voluminum conſpiciuntur. Idem & in aliis Patribus Græcis & Latinis fieri cœptum eſt.

Ibidem. *Hos autem libros, quibus illi qui de transverſo proferuntur, comparati reſpuuntur, unde conſtat eſſe Hippocratis, unde, ſi quis boc neget, nec ſaltem refellitur, ſed ridetur, niſi quia ſic eos, ab ipſo Hippocratis tempore, uſque ad boc tempus & deinceps ſucceſſionis ſeries commendavit, ut binc dubitare dementis ſit?*] Hæc & cetera, quæ de veris auctoribus dignoſcendis, multis illuſtravit exemplis & teſtimoniis Veterum *Joannes Clericus* Artis Criticæ Parte III. S. 2. ubi agit de indiciis ſuppoſitionis; nec ſanè Criticorum præſtantiſſimus meliora poſſet hanc in rem proferre.

Ibidem. *Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, aliorúmque ejuſmodi auctorum libros, unde noverunt bomines quòd ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua?*] Adde & nullam fuiſſe iis, qui talia dixerunt, mentiendi propoſitam mercedem, aut utilitatem. Quæ omnia veriſſime dici poſſunt de iis libris ſacris, qui ſemper habiti ſunt

Digitized by Google

eorum hominum, quorum nomina præferunt. In re ipſa nihil eſt, quod non ſit digniſſimum hominibus divinitus afflatis; ſemper ab omnibus, qui ſe eorum diſcipulos profeſſi ſunt, eorum genuini fœtus habiti ſunt; nec ratio hiſce ulla fuit mentiendi. Nam iis libris, quaſi divinis admiſſis, tantùm abeſt ut quidquam, ad hanc vitam quod attinet, lucrarentur Chriſtiani; ut contrà, jam fermè ab initio, mores eorum & conſuetudines, imò etiam opiniones multæ, præſertim ſequentibus ætatibus, ex iis redargui poſſent. Profectò ſi conficti eſſent, ita eſſent ſcripti ut ad emolumentum eorum, famámque, qui iis uterentur, ſpectarent; non eos tam apertè, uti faciunt, damnarent, & ut degeneres Chriſtianos infamarent, & novorum dogmatum ac rituum conditores fuiſſe oſtenderent.

Ibidem. *Multi multa de litteris Eccleſiaſticis conſcripſerunt, non quidem auctoritate Canonicâ, ſed aliquo adjuvandi ſtudio, ſive diſcendi. Unde conſtat quid cujus ſit, niſi quia iis temporibus, quibus ea quiſque ſcripſit, quibus potuit inſinuavit atque edidit, & inde in alios, atque alios, continuatâ notitiâ, latiúſque firmatâ ad poſteriores etiam uſque ad noſtra tempora pervenerunt, ita ut interrogati cujus quiſque liber ſit, non hæſitemus quid reſpondere debeamus?*] Veriſſimum hoc eſt de libris inſignioribus, & qui in omnium manibus verſati fuerant, ab ipſa Scriptorum, quibus tribuuntur, ætate. Alioqui jam illo ævo multa fuerant ſuppoſita, ut in *Artis Criticæ* parte memorata, multis oſtenſum eſt. Hinc quoque *Auguſtinus* potuiſſet intelligere & *Sibyllarum* & *Hermetis* Triſmegiſti ſuppoſitos fuiſſe libros, qui ante pauca ſæcula prorſus ignoti fuerant. Sed ex eo quòd multi ſunt libri ſuppoſiti, non ſequitur omnes poſſe in ſuppoſitionis ſuſpicionem trahi: aut quia ſunt multi veri, omnes poſſe pro legitimis fœtibus eorum, quibus tribuuntur, haberi. Quod animadvertendum in eos, qui ex imperitia Criticæ, aut nimio affectu, in alterutro horum extremorum peccarunt.

Ibidem. *Sed quid pergam in longè præterita? Ecce iſtas litteras, quas habemus in manibus, ſi poſt aliquantum tempus vitæ hujus noſtræ, vel illas quiſquam Fauſti eſſe, vel has neget eſſe meas, unde convincitur, niſi quia illi, qui nunc iſta noverunt, notitiam ſuam ad longè etiam poſt futuros continuatis poſterorum ſucceſſionibus trajicient?*] Talia quotidie experiri licet, in iis quæ Majorum noſtrorum ætate ſcripta ſunt; quorum permulta ita celebria fuerunt, ut in omnium manibus ab initio fuerint, ſintque poſtea futura. Exempli cauſâ, habemus *Deſid. Eraſmi* Opera & ſeorſim & conjunctim ejus ætate edita, quæ ad nos tranſmiſſa, nos quoque ad poſteros tranſmittemus, nec quiſquam niſi inſanus de iis dubitare poterit; niſi ſi fortè Epiſtola aliqua alicubi deliteſcens quaſi Eraſmiana poſtea proferatur, & in dubium ab aliis revocetur. Attamen, ne quid diſſimulemus, Ars Typographica rem multò certiorem ac faciliorem reddidit; poterant enim ex Codicibus MSS. ſuppoſititia multa proferri, quæ revinci facilè, propter raritatem exemplarium, non poterant. Ac ſanè opus fuit ſplendidiſſimâ Criticæ luce, ut ſecernerentur ipſius *Auguſtini* Opera genuina à ſuppoſititiis.

Tandem ſic egregiam hancce diſputationem claudit: *Quæ cùm ita ſint, quis tandem tanto furore cæcatur, niſi Dæmoniorum mendaciloquorum malitiæ atque fallaciæ conſentiendo ſubverſus ſit, qui dicat hoc mereri* (hoc eſt, conſequi, ut paſſim) *non potuiſſe Apoſtolorum Eccleſiam, tam fidam, tam numeroſam fratrum concordiam, ut eorum ſcripta fideliter trajicerent; cùm eorum Cathedras, uſque ad præſentes Epiſcopos, certiſſimâ ſucceſſione ſervaverint; cùm hoc qualiumcunque hominum ſcriptis, ſive extra Eccleſiam, ſive in ipſa Eccleſia, tantâ facilitate proveniat?*] Hæc probe ſunt penſitanda iis, qui ſcripta Apoſtolica, ab ipſorum ætate omnibus nota fuiſſe, perque Eccleſias ſparſa, ac publicè lecta negant; ſed à ſecundi demum ſæculi hominibus in lucem protracta volunt. Videtur *Auguſtinus* in animo habuiſſe locum *Tertulliani*, de Præſcriptione contra Hæreticos, cap. XXXVI. *Age jam qui voles curioſitatem meliùs exercere, in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſident, apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur, ſonantes vocem & repræſentantes faciem uniuſcujuſque. Proxima tibi eſt Achaia? habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adjaces, Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt.*

Igitur cùm à temporibus Apoſtolicis in Eccleſiis, quas condiderant, recitatæ fuiſſent *authenticæ eorum litteræ*, non ſine ſumma impudentia ab Hæreticis, ſequentibus ætatibus exortis, rejiciebantur.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS DE TRINITATE.

LIBRO I. Cap. 1. §. 1. *Eſt item aliud hominum genus, eorum qui univerſam quidem creaturam, quæ profectò mutabilis eſt, nituntur tranſſcendere, ut ad incommutabilem ſubſtantiam, quæ Deus eſt, erigant intentionem* &c.] Platonicos intelligit, aut Platonicorum lectioni deditos; hi enim, præter omnes alios, incorporeum ſummum Numen eſſe contendebant. Eoſdem reſpicit hiſce verbis, quibus Paragraphus clauditur: *Qui autem putat ejus eſſe potentiæ Deum, ut ſe ipſum ipſe genuerit, eò plus errat, quod non ſolùm Deus ita non eſt, ſed nec ſpiritualis nec corporalis creatura; nulla enim omnino res eſt, quæ ſe ipſam gignat ut ſit.* Sic enim loquebantur vulgò Platonici, ut Deum ſui ipſius genitorem dicerent; quod inſigni exemplo oſtendimus ad Tom. VI. Lib. de Quæſtionibus LXXXIII. Quæſt. 16.

Cap. IV. §. 7. docet Catholicos Scriptores docere *quòd Pater & Filius & Spiritus Sanctus, unius ejuſdemque ſubſtantiæ inſeparabili æqualitate divinam inſinuent unitatem; ideóque non ſint tres Dii, ſed unus Deus* &c.] Hæc & ſimilia ut rectè intelligantur, probè expendenda eſt vox *æqualitas*; ex qua liquet Veteres, quamvis *unam eamdemque ſubſtantiam* dicant, intelligere non, ut nos hodie, *unam* numero *ſubſtantiam*, quæ ſibi æqualis dici non ſolet; ſed unam ſpecie, cujus tria individua rectè dicuntur ſibi invicem æqualia. Vide *Dionyſ. Petavii* Dogmat. Theolog. Tom. 2. De Trinit. Lib. IV. capp. IX. & XI. & notas in editione Amſtelodamenſi adjectas. Multa hodiè à nobis, hac de re, dicuntur incommodis loquutionibus iiſque à Veteribus deſumtis; quia ab aliter ſentientibus, cum quibus nos ſentire perperam putamus, inventæ fuerant, & cùm ſat aptæ eorum ſententiæ exprimendæ eſſent, noſtram jam exprimere commodè nequeunt. Niſi hujuſce rei memor ſit horum Librorum Lector, in iis paſſim tenebras offendet, atque ſubinde ceſpitabit.

Cap. 6. §. 13. *Non eſt utique Creatura Spiritus Sanctus, cui ab omnibus ſanctis talis ſervitus* (non δουλεία ſed λατρεία) *exhibetur, dicente Apoſtolo:* nos enim ſumus circumciſio, Spiritui Dei ſervientes (Philip. III, 3.) *quod eſt in Græco* λατρεύοντες. *Plures enim Codices, etiam Latini, ſic habent,* qui Spiritui Dei ſervimus; *Græci autem omnes, aut penè omnes. In nonnullis autem exemplaribus Latinis invenimus, non,* Spiritui Dei ſervimus, *ſed* ſpiritu Deo ſervimus.] At Tom. V. Sermone CLXIX. *Scio*, inquit, *pleroſque Codices* (Latinos, nam de Græcis poſtea) *habere*, qui Spiritu Deo

Deo ſervimus; *quantùm autem inſpicere potuimus, plures Græci hoc habent*: qui ſpiritui Dei ſervimus. Vide quæ de hoc loco habet *Joannes Clericus* Artis Criticæ Part. 3. Sect. 1. c. XIV. §. 15. Quamvis credamus eos erraſſe, qui Spiritum Sanctum Creaturam eſſe voluerunt, attamen hoc loco contra eos uti nollemus, ubi *plerique Libri Latini*, adſentientibus & multis Græcis, rectè legebant: *ſpiritu Deo ſervientes*, ut jam plerique cenſent. Notanda varietas *Auguſtini*, qui hìc ait *plures Codices Latinos* habere *Dei*; Sermone verò in hæc verba *pleroſque* habere *Deo*. Rurſus Tom. X. Lib. III. ad Bonifacium Cap. VII. codices habere ait alios *ſpiritu Deo*, alios *Spiritui Deo*, alios *Spiritui Dei*. Duæ priores lectiones ſunt potiùs variæ interpretationes vocum πνεύματι Θεοῦ.

Cap. XII. §. 23. Marc. XIII, 32. *De die & hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater.* Ad hæc ita Hipponenſis Epiſcopus: *Hoc enim neſcit, quod neſcientes facit, id eſt, quod non ita ſciebat ut tunc diſcipulis indicaret: ſicut dictum eſt Abraham*: nunc cognovi quod timeas Deum; *id eſt, nunc feci ut cognoſceres, quia & ipſe ſibi in illa tentatione probatus innotuit.*] Hanc interpretationem Geneſ. XXII, 12. violentam eſſe, ſi quæ umquam fuit, oſteńdimus ad Tom. V. Serm. 2. Non commodior eſt loci Marci, nec capio qui ſe Arianis ſilentium imponere poſſe, ejuſmodi reſponſione ſperarent. Vide tamen quæ hanc in rem collegit *Dionyſ. Petavius* Dogmat. Theolog. Tom. V. Lib. XI. c. 1. Satius multò erat dicere Chriſtum hominem hìc loqui, nec in mentem humanam cadere omniſcientiam; quàm violenter verba Chriſti torquere, ut conſentiant cum hypotheſi pro arbitrio arrepta. Pertinaciores hinc fiebant Ariani, cùm dubitare non poſſent quin adverſariorum interpretatio contorta eſſet; quamvis ipſi graviter errarent, dum eam ignorantiam Deitati Chriſti tribuebant.

LIBRO II. Cap. XI. §. 20. de Angelis, qui Abrahamo apparuerunt, Geneſ. XVIII, 2. *Cùm verò tres viri viſi ſunt, nec quiſquam in eis vel formâ, vel ætate, vel poteſtate major ceteris dictus eſt; cur non hìc accipiamus viſibiliter inſinuatam, per creaturam viſibilem, Trinitatis æqualitatem?* &c.] Clariùs hanc apparitionem ſenior interpretatus eſt *Auguſtinus* de Civit. Dei Lib. XVI. c. 29. Vide tamen infrà Lib. III. c. XI. ubi Angelos fuiſſe etiam demonſtrat.

LIBRO III. c. XI. §. 23. Poſtquàm dixit Angelorum miniſterio factas apparitiones divinas; *Sed ait aliquis*, inquit, *cur ergo ſcriptum eſt*: dixit Dominus ad Moyſen, *& non potiùs: dixit Angelus ad Moyſen? Quia cùm verba Judicis præco pronunciat, non ſcribitur in geſtis, ille præco dixit; ſed ille judex.*] Vide ſuperiorem adnotationem, & Interpretes ad Exod. III. & XX.

LIBRO IV. Poſtquàm dixit *duplæ morti noſtræ* (animi & corporis) *ſalvatorem noſtrum impendiſſe ſimplam ſuam*; ſic enim loquitur, delabitur Cap. IV. ad allegoricam Arithmeticam: *Hæc autem ratio*, inquit, *ſimpli ad duplum originem quidem à ternario numero, unum quippe ad duo tria ſunt; ſed hoc totum, quod dixi, ad ſenarium pervenit; unum enim & duo & tria ſex fiunt. Qui numerus proptereà perfectus dicitur, quia partibus ſuis completur. Habet enim illas tres, ſextam, tertiam, dimidiam; nec ulla pars alia, quæ dici poſſit quota ſit, invenitur in eo.*] Hæ ſunt Platonicæ & Pythagoricæ nugæ, quales exſtant apud *Philonem* cum alibi, tum in libro de Mundi Creatione. Nemo jam eſt qui talia non rideat, non tantùm *petulanti ſplene cachinno*, ſed & qui negantur alioqui ridere. Nemo eſt, qui talibus commentis nomen ſuum adſcribi velit. Hæc eo minùs ferenda, quòd in re ſeria, ſi quæ alia eſt, verſetur hìc *Auguſtinus* & ab inſcriptione operis ſui neſcio quò digrediatur. Sed pauci ſunt *Auguſtini* libri, in quibus non ſint digreſſiones ejuſmodi quæ hiantem Lectorem fruſtrentur.

LIBRO V. c. V. §. 6. *Quamvis diverſum ſit Patrem eſſe & Filium eſſe, non eſt tamen diverſa ſubſtantia; quia hæc non ſecundùm ſubſtantiam dicuntur, ſed ſecundùm relativum; quod tamen relativum non eſt accidens, quia non eſt mutabile.*] Notanda vox *diverſa*, qua frequenter hoc in negotio utitur *Auguſtinus*; ſignificat enim non diſtinctam, ſed alius generis. Vult ergo *paternitate*, ut cum Scholaſticis loquar, & *filietate* non fieri duorum generum ſubſtantias, ſed eas ejuſdem generis eſſe, ac ſolâ relatione Patris ad Filium, Filii ad Patrem diſtinctas. Multa hac de re, ſed ſatis intricata habet *Dionyſ. Petavius* Dogm. Theolog. T. 2. Lib. de Trinit. IV. c. 11.

Cap. VIII. §. 9, & 10. *Eſſentiam dico, quæ οὐσία Græcè dicitur, quam uſitatiùs* ſubſtantiam *vocamus. Dicunt quidem & illi* hypoſtaſin, *ſed neſcio quid volunt intereſſe inter* uſiam *&* hypoſtaſin; *ita ut plerique noſtri, qui hæc Græco tractant eloquio, dicere conſueverint* μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις, *quod eſt Latinè, unam eſſentiam, tres ſubſtantias.*] Hoc eſt, unius quidem generis eſſentiam, ſed tres diſtinctas ſubſtantias, at non diverſas; vel unam eſſentiam in tribus ſubſtantiis, quæ variâ dumtaxat ſubſiſtendi ratione, hoc eſt, relationibus differunt.

Cap. IX. *Sed quia noſtra loquendi conſuetudo jam obtinuit, ut hoc intelligatur, cùm dicimus* eſſentiam, *quod intelligitur cùm dicimus* ſubſtantiam; *non audemus dicere* unam eſſentiam, tres ſubſtantias; *ſed* unam eſſentiam, *vel* ſubſtantiam, tres autem perſonas; *quemadmodum multi Latini iſta tractantes & digni auctoritate dixerunt, cùm alium modum aptiorem non invenirent, quo enunciarent verbis quod ſine verbis intelligebant.*] Similia habemus Lib. VII. c. IV. §. 7. Miror *eſſentiam* & *ſubſtantiam* miſta fuiſſe, cùm ſint diverſæ ſignificationis voces; ideóque cùm voce *ſubſtantia* non careret Lingua Latina, inventa eſſet vox *eſſentia*, nec ab Eruditis repudiata quaſi inutilis. *Quintilianus* Inſtit. Orator. Lib. III. c. 8. *Multa ex Græco formata nova ac plurima à Sergio Flavio, quorum dura quædam admodum videntur, ut* ens *&* eſſentia; *quæ cur tantopere aſpernemur nihil video, niſi quod iniqui judices adverſus nos ſumus, ideóque paupertate ſermonis laboramus.* Sanè nec ſuperiorum ſæculorum Metaphyſici, nec noſtri temporis Philoſophi ac Theologi ea voce carere potuiſſent; uti nec, ſine magna ambiguitate, eam confundere cum *ſubſtantia*. Veteres autem cùm *unam eſſentiam* aut *ſubſtantiam* in divinis dicebant, intelligebant unitatem ſpecificam; cùm *tres perſonas*, tres ſubſtantias non diverſas, ſed diſtinctas. De unitate vide quæ infrà Lib. VI. c. III. §. 4. *Reverà enim*, ſubjicit *Auguſtinus, cùm Pater non ſit Filius, & Filius non ſit Pater, & Spiritus Sanctus ille, qui etiam donum Dei vocatur, nec Pater ſit, nec Filius, tres utique ſunt. Ideóque pluraliter dictum eſt*: Ego & Pater unum ſumus; *non enim dixit, unum eſt, quod Sabelliani dicunt, ſed*, unum ſumus. Obſervandum *Auguſtinum*, ceteroſque omnes Veteres, non dicere, paternitatem, filietatem, & ſpiritualitatem, ut Scholaſticè loquar, tria eſſe, aut tres relationes in unica numero ſubſtantia, ut nunc loquimur; ſed Patrem, Filium, ac Spiritum ſanctum tres eſſe perſonas, hoc eſt, *rationalis naturæ*, ex *Boetii* definitione, *individuas ſubſtantias*. Igitur perſona eſt aliquid abſolutum, quamvis *perſonalitas* ſit relativum quiddam; quod cùm non ſatis animadverteret *Dionyſ. Petavius*, *Auguſtinum* non intellexit, ut liquet ex Cap. XI. Lib. IV. de Trinitate Tom. 2. Dogm. Theol. Aut ſi intellexit, rem clariùs in lucem proferre auſus non eſt.

Nolebant tamen multi fateri tres eſſe *ſubſtantias*, ne ſecum pugnare viderentur, ac ne quis tres diverſas naturas ſomniaret, more Arianorum. Hinc Auguſtinus: *Tamen cùm quæritur quid tres? magna prorſus inopiâ humanum laborat eloquium. Dictum eſt tamen* tres perſonæ, *non ut illud diceretur, ſed ne taceretur.* Hoc eſt, non ut diceretur tres eſſe perſonas, quales ſunt tres homines, qui quamvis ſint ejuſdem ſpeciei, tamen differunt multum inter ſe, ſeparatique ſunt, & ſeorſim agunt, qualia in divinis perſonis eſſe poſſe meritò negabant Veteres. Vide Lib. VII. Cap. IV. §. 7, 8, & 9.

Lib. VI. c. I. §. 1. *Inter diſputationes, quas habebant noſtri adverſùs eos* (Arianos) *qui dicebant*, erat tempus, quando non erat Filius; *hanc etiam nonnulli ra-*

ratiocinationem inſerebant : ſi Dei Filius virtus & ſapientia Dei eſt, nec unquam Deus ſine ſapientia ac virtute fuit, coæternus eſt Deo Patri Filius. Dicit autem Apoſtolus Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam, *& Deum aliquando non habuiſſe virtutem aut ſapientiam, dementis eſt dicere; non igitur erat tempus, quando non erat Filius.*] Nemo non videt Paralogiſmum hunc eſſe, & meritò rejici ab *Auguſtino* ſequente libro, ut & ultimo. Nam ſapientia Patris ejus eſt proprietas, qualis non eſt Filius; quià Paulo 1 Cor. 1, 24. dicitur *virtus* & *ſapientia Patris*, dumtaxat quòd in eo maximè emicuerint potentia & ſapientia Dei. Attamen ſic multi Veterum ratiocinati ſunt, ut oſtendit *Dionyſ. Petavius* de Trinit. Lib. vi. c. 9. Sed & ante Ariana tempora, ejuſmodi ratiocinationes occurrunt; cùm Deum *rationalem* dixerint, quòd habuerit apud ſe *Rationem*. Vide *Athenagoræ* Apologiam pro Chriſtianis, & *Tertullianum* contra Praxeam cap. v. Nimirum, bonis illis viris placebant non tantùm ratiocinationes ad Logicas leges ſeverè exactæ, ſed & quæ ſolâ ſpecie firmæ erant. Miror tot verba hanc in rem profudiſſe *Auguſtinum*, cùm paucis expediri poſſet. Sed multa ſcribere videri voluit, potius quàm ad rem facientia.

Libro vii. Cap. 1. §. 2. contra eos qui de Filio loquebantur, quaſi eſſentiæ Patris fuiſſet proprietas: *Quomodo ergo ejuſdem eſſentiæ Filius, cujus Pater, quandoquidem ad ſe ipſum nec eſſentia eſt, nec omnino eſt ad ſe ipſum, ſed etiam eſſe ad Filium illi eſt? At enim multo magis unius ejuſdémque eſſentiæ, quia una eademque eſſentia Pater & Filius; quandoquidem Patri non ad ſe ipſum eſt ipſum eſſe, ſed ad Filium, quam eſſentiam genuit, & quâ eſſentiâ eſt quidquid eſt;* nimirum, *Filius.*] Vide hac de re *Petavium* libri laudati Cap. x. quamvis omnia obſcurare conetur. Non poteſt ſanè in Veteribus laudari, in re difficili per ſe, quæſita vocum ambiguitas; nec à Recentioribus eam augeri par fuit, dum Veteribus tribuunt id quod non ſenſerunt; quia iiſdem vocibus, ſed perincommodè, expreſſum eſt. Paucioribus multò verbis totum hoc negotium pertractari potuit, & dilucidiùs.

Cap. iv. §. 7. *Itaque loquendi causâ de ineffabilibus, ut fari aliquo modo poſſemus, quod effari nullo modo poſſumus, dictum eſt à noſtris Græcis:* una eſſentia, tres ſubſtantiæ; *à Latinis autem* una ſubſtantia *vel* eſſentia, tres perſonæ.] Jam hæc explicuimus ad Lib. v. cap. 8. & 9. Hic tantùm monebimus legenda attentè quæ ſuperſunt in hoc libro, ad finem uſque, ab iis, qui cupiunt ſcire quid Veteres de unitate Dei & pluralitate Perſonarum ſenſerint. Nimirum, intelligebant tres eſſe ſubſtantias diſtinctas, ſed æquè per omnia perfectas, ac ſimiles, non ſejunctas aut ſeparatas, ut tria corpora, ſed conjunctiſſimas, ita tamen ut relationibus inter ſe diſtinguerentur. Fatetur *Auguſtinus* potuiſſe dici *tres Deos*, niſi Scriptura contradixiſſet, §. 8. & *tres eſſentias*, niſi obſtaret arctiſſima earum conjunctio, & ſumma per omnia paritas. Ex tota denique ejus diſputatione liquet valde ambiguè eſſe, hiſce de rebus, loquutos Veteres. *Quid igitur*, inquit, §. 9. *reſtat, niſi ut fateamur loquendi neceſſitate parta hæc vocabula, cùm opus eſſet copioſa diſputatione adverſum inſidias, vel errores hæreticorum?* At profectò ambigua eſſe non debuerunt, ne plebs interea falleretur, neu contraria dixiſſe iis quæ ſentiebant poſteris viderentur, ut contigit; cùm præſertim proram & puppim Religionis Chriſtianæ, à Nicænis temporibus, in illa ſua Trinitatis explicatione, ſitam eſſe putarent. *Cùm enim conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum ſenſus, quod in ſecretario mentis pro captu tenet de Domino Deo, creatore ſuo, ſive per piam fidem, ſive per qualemcunque intelligentiam, timuit dicere* tres eſſentias; *ne intelligeretur in illa ſumma æqualitate ulla diverſitas. Rurſus non eſſe tria quædam non poterat dicere, quod Sabellius quia dixit, in hæreſin lapſus eſt.* Quid verò ex hiſce colligemus? Credere nos quoque oportere eſſe *tres eſſentias*, numero dumtaxat diſtinctas; ceteroqui conjunctiſſimas, ita ut *unus Deus* dici poſſit? Abſit ſanè! Poſteriorum ſæculorum Eccleſiæ, dum verè ſtatuunt in hoc capite nulli licuiſſe à Scriptura Sacra abire, ac proinde à ſuperioribus ætatibus, quas non ſuſpicabantur ab ea norma receſſiſſe, traditam eſſe Scripturæ doctrinam; earum ſententiam ex Scriptura interpretatæ ſunt, tribuerúntque antiquioribus non id quod ſenſerant, ſed quod ſentire debuerant. Nos ergo de unitate Dei, déque Patre, Filio, & Spiritu Sancto ex Scriptura quoque loquamur, atque ſentiamus; nec putemus id poſſe à nobis perſpicuè explicari, quod perſpicuè revelatum non eſt; aut meliùs exprimi verbis noſtris quod non aſſequimur, quàm verbis Chriſti & Apoſtolorum; cum præſertim tot & tantæ lites ex novis vocibus natæ ſint. Si Veteribus ignoſcimus quod de unitate ſpecifica divinæ naturæ in Patre, Filio & Spiritu Sancto docuerunt; ne immiſericordes ſimus in eos qui, hac de re, aliter quàm nos nunc fortè ſentiunt, ſi modò Scripturam Sacram normam fidei ſuæ habeant, præceptorum Evangelii ſint obſervantes, reditúmque è cœlo Domini Noſtri Jeſu-Chriſti vivos & mortuos judicaturi nobiſcum præſtolentur. Hanc æquitatem à nobis & rei difficultas, & humani ingenii imbecillitas neceſſariò poſtulant; niſi mirâ iniquitate velimus Recentiorum deteriorem eſſe conditionem quàm Veterum, quibus errantibus non veniam modò, ſed & laudes maximas tribuere ſolemus.

ANIMADVERSIONUM IN TOMUM VIII.

FINIS.

ANIMADVERSIONES
IN NONUM TOMUM
S. AUGUSTINI.
ANIMADVERSIONES
IN LIBROS CONTRA EPISTOLAM PARMENIANI.

Libro I. C. viii. §. 13. *Quin etiam conqueri audet Parmenianus quòd eos Conſtantinus ad campum, id eſt, ad ſupplicium duci juſſit, qui victi apud Eccleſiaſticos judices, nec apud ipſum quæ dicebant probare potuerunt, & adhuc in Sanctæ Eccleſiæ præciſione ſacrilego furore ferebantur.*] At propterea occidi non debuerunt, quòd de Cæciliano Carthaginienſi probare non potuerant traditorem fuiſſe, aut à traditoribus ordinatum; vel quòd ſeceſſionem feciſſent, quamvis immeritò, à reliquis Eccleſiis Chriſtianis; ſi modo legibus civilibus

Digitized by Google

ſibus ceteroqui parerent. Hæc delicta & vulnera mitioribus remediis curanda fuerunt.

Cap. IX. §. 15. *In quos* (Hæreticos) *ex occulto imperio Dei, per manifeſtum hominum imperium, multa quibus coërcerentur ſeveriſſimè conſtituta ſunt; nec ſolùm hæreticis, quoquo modo ſaltem Chriſtiano nomine dealbatis, ſed etiam ipſis Paganis. Nam utique & ipſi falſâ religione ſunt impii, quorum ſimulacra everti atque confringi juſſa ſunt recentibus legibus, inhiberi etiam ſacrificia ſub terrore capitali.*] Rectiùs dixit *Auguſtinus*, quàm putabat, *occultum* eſſe *imperium Dei* de vexandis Hæreticis; nam profectò adeò in Apoſtolorum ſcriptis latet, ut nec ipſe, nec alius quiſquam id proferre adhuc potuerit. Sed eo latente, non poſſunt excuſari Chriſtiani Imperatores, qui Ethnicos imitati meras opiniones pro delictis habuerunt, & gravibus pœnis affecerunt. Res enim tanti momenti, & cujus ſunt tam horrendæ ſequelæ, numquam debuit à Chriſtianis tentari; Deo non tantùm tacente, ſed etiam tot & tantis de amore in univerſum humanum genus iteratis præceptis diſertiſſimis ſatis apertè rem vetante. Legatur Codicis Theodoſiani Liber XVI. conferatúrque cum legibus Ethnicorum Principum in Chriſtianos; atque illico licebit intelligere, ſimili quidem temporis intervallo, non tot leges ab Ethnicis in Chriſtianos latas, quot ſunt à Chriſtianis in Hæreticos; quæ certe macula eſt nominis Chriſtiani, quam numquam, niſi contrariis inſtitutis, Principes ac Magiſtratus delebunt. Sat multis hac de re diximus, in Epiſtolam ad Vincentium, not. ad Tom. II.

Ad Ethnicos quod attinet, capitali ſupplicio, ſi ſacra Diis ſuis feciſſent, mulctandos, videtur reſpicere *Auguſtinus* ad Legg. XV, XVI, & XVIII. Tit. X. Lib. XVI. Codicis Theodoſiani, quæ Leges anno CCCXCIX. latæ ſunt. Ceterùm non tum demum ſupplicium capitale iis eſt intentum, qui ſacra Idolis facerent, ejuſdem enim Tituli Lex IV. à Conſtantio anno CCCLIII. lata ſic habet: *Placuit omnibus locis atque urbibus univerſis claudi protinus Templa, & acceſſu vetito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. Volumus enim cunctos ſacrificiis abſtinere. Quod ſi quis aliquid fortè hujuſmodi perpetraverit, gladio ultore ſternatur. Facultates etiam peremti fiſco decernimus vindicari, & ſimiliter affligi rectores Provinciarum, ſi facinora vindicare neglexerint.* Crudelis ſanè lex & Chriſtianâ manſuetudine prorſus indigna; quam legem ſi quis neget exſequutioni illo tempore ubique mandatam, propterea tamen Conſtantii honori minimè conſuluerit; nam per eum non ſtetit, quominùs exſequutioni mandaretur, & ſequentibus Principibus auctor fuit ita ſe ſe gerendi. *Auguſtinus* tamen non hîc tantùm, ſed & in Epiſtola XCIII. §. 10. eam ſævitiam laudat: *Quis enim noſtrûm*, inquit, *quis veſtrûm non laudat leges ab Imperatoribus datas adverſùs ſacrificia Paganorum? Et certè longè ibi pœna ſeverior conſtituta eſt; illius quippe impietatis capitale ſupplicium eſt.* Hæc ſi poſſent laudari, omnia à Chriſtianis, per tria prima ſæcula, dicta contra perſequutionem Religionis cauſâ, quaſi ſtulta aut malâ fide dicta, eſſent habenda. Stultum enim fuiſſet id oppugnare quod æquiſſimum eſſe putares; nam non perſequutio ipſa, quaſi per ſe mala, potuiſſet ab iis oppugnari, ſed tantùm quæ fieret contra rectè ſentientes. Cupiebant autem Chriſtiani ab Ethnicis, dum Ethnici erant, omnem perſequendi animum abjici; hoc eſt, ſe ab iis non vexari, quamvis Ethnici crederent eos in errore verſari, quod multis locis probari poſſet. Quòd ſi perſequutionem non improbabant, ſi modò a rectè ſentientibus in errantes exerceretur, oportuiſſet eos, ſi animum nudare voluiſſent, ſic Ethnicos alloqui: nunc quidem, dum infirmiores ſumus, ô Ethnici, à vobis diſſentientes clementer ferri cupimus; ſed ſi quando rerum potiemur, ne fallamini, non eamdem clementiam vobis præſtare ſtatuimus. Aras, templa ac ſimulacra omnia evertemus, ſacrificiáque veſtra ita vetabimus, ut ſacra Diis veſtris facere vobis capitale futurum ſit. Interea vos oramus ut erga nos clementer vos geratis, dum ſuperiores eſtis, quamvis, ſi umquam Imperatores Chriſtianos habere poſſimus, vos quaſi impios ſimus interſecturi, ſi Religionis veſtræ cultum tueri velitis. Sic Chriſtianos loqui oportuiſſet, ſi verum fateri voluiſſent; aut certè nihil obſtabat quominùs eorum dicta ſic interpretarentur Ethnici, ſi id credebant, quod hiſce temporibus credebat *Auguſtinus*. Judicent nunc quicumque omnem animi candorem ac probitatem non exuerunt, an boni eſſent habendi, quorum animus ita affectus fuiſſet. Hæc tamen ſunt neceſſaria ſententiæ Auguſtinianæ conſectaria.

Verùm hic præterea diligenter obſervandum eſt, quod ad Epiſtolam XLIV. obſervare omiſimus. Exprobrabat *Fortunius* Donatiſta, anno CCCXCVIII, *Auguſtino* ita eſſe animatos Epiſcopos Catholicos, ut datâ ſibi poteſtate acriter eſſent Donatiſtas perſequuturi, quamvis diſſimularent. Vide Epiſt. XLIV, II. Id verò negabat *Auguſtinus*, iis verbis quæ ex Epiſtola exce[rp]ſimus ad Tom. II. Deúmque cordium teſtem vocabat. Sed duobus annis poſtea, hoc eſt, CCCC, quo hic liber eſt ſcriptus, contrà ſentiebat ac loquebatur.

Cap. X. §. 16. *An fortè dicent etiamſi convincuntur in ſacrilega diſſenſione —— non tamen ad Imperatorum poteſtatem hæc coërcenda, vel punienda pertinere debere? Qua in re, quæro quid dicant, an quia de Religione vitioſa, vel falſa, nihil curandum eſt talibus poteſtatibus? Sed multa etiam de Paganis diximus, & de ipſis Dæmonibus, quòd perſequutiones ab Imperatoribus patiantur. An & hoc diſplicet?*] Hæc erant valde invidioſa & cum magno periculo conjuncta; ſi enim Donatiſtæ apertè dixiſſent eam curam ad Imperatores non pertinere, pro ſeditioſis habiti fuiſſent; nec fateri poterant, eo ſenſu, quo intelligebat *Auguſtinus*, ſine periculo; ſi enim res erat arbitrii Imperatorum, eis parendum erat. Sed diſcutienda fuit ambiguitas totius rei. Igitur conſtat inter omnes gentes ſummis Poteſtatibus demandatam fuiſſe à populis, aut ſcriptis legibus, aut tacito certè conſenſu, legum civilium & tranquillitatis publicæ tutelam. Has ut ſartas tectas conſervent, unius juſtitiæ rationem Poteſtates habeant neceſſe eſt; ſeu par eſt, eas ex legibus & æquitate de omnibus judicare. Verùm nulla ſocietas eſt, quæ iiſdem Poteſtatibus demandarit curam opinionum, præſertim Theoreticarum; ita ut eas ſanciant, quæ ipſis placebunt, proſcriptis omnibus aliis, atque auctoritate ſuâ, & armis, ſi neceſſe ſit, e Republica eliminatis. Nemo tam inſanus eſt, qui putet ſibi neceſſe eſſe ſequi opiniones ſummæ Poteſtatis; cui ad res ipſas, ad vitam communem ac civilem pertinentes, libenter alioqui paret. Alioquin oportuiſſet Judæos primùm, deinde & Chriſtianos Ethnicis Magiſtratibus de Religione fidem habere, & Idololatriam amplecti; neque enim deteriore jure imperabant Pagani, quàm poſtea Chriſtiani Imperatores. Oporteret ſimiliter, quicumque in Muhammedanis Regnis, aut Idololatriæ deditis etiamnum vivunt, eos nuncium remittere Religioni Chriſtianæ. Quòd ſi dixeris, non licere errantibus Poteſtatibus facere, quod licet rectè ſentientibus; in labyrinthum inextricabilem te conjicies; nam quis demum judicabit hic de errore? Credunt Ethnici, credunt Muhammedani, credunt Hæretici Principes te errare, qui te putas rectè ſentire; ac proinde te vexare debebunt; niſi fortè velis tibi ſoli ab omnibus credi, à te verò nemini, quod furioſum eſſet. Conſtat enim unumquemque id oportere ſequi & facere, quod veriſſimum & optimum, ex animi ſui ſententia, ei videtur; non quod falſum & noxium credit, quidquid de eo alii ſentiant. An oportebit Ethnicum, Muhammedanum, Hæreticum Principem favere ei Religioni, ejus ſectæ, quam falſam eſſe credit; vexare verò eos, qui rectè ei ſentire videntur? Sunt ergo omnes Poteſtates, quidquid ſentiant, communi legi ſubjiciendæ; ne, dum veritatis amantibus favere in Regno quopiam, aut Republica volumus, mendacii cultoribus imprudenter arma tradamus, quæ nullâ ratione eripere poſſimus.

Sed nullámne, inquies, curam Religionis gerere de-

Digitized by Google

debent Principes? Maximam, & quæ in hoc potiſſimùm ſita eſt, ut ne quis Religionis cauſâ alium vexet aut malè habeat, qui ceteroqui legibus civilibus paret; ne quis item ſeditionem creet, aut arma capiat, ut aliter ſentientes cives occidat, aut è civitate exterminet. Nulla alia tutela indiget Veritas, niſi ut ei liceat luce propriâ fulgenti oculos hominum ad ſe convertere, & firmis rationibus animos eorum allicere. Nulla erroris oppugnatio certior eſt, quam ut perſpicuè confutetur, & liberè tegantur hallucinationes. Sic ergo faveant Magiſtratus Veritati, ſic Errori adverſentur. Ubicumque utrumque licebit facere, brevi de Errore Veritas triumphabit. Quòd ſi hominum ignorantia, ſtupiditas aut affectus nonnihil triumphum Veritatis morentur; non erit longa mora, & humanæ imbecillitatis habenda profectò eſt aliqua ratio. Remedia certiſſima & efficaciſſima, quibus corporis morbi curantur, indigent quoque aliquo tempore, quò vim atque efficaciam ſuam exſerant. Mirúmne ergò aut iniquum videri poteſt, concedi animorum morbis moram aliquam, ut curentur? Nemini ſanè, niſi ſemet ipſum ignoranti. At ſæpè contigit, inquies, diutiſſimè errores fulgenti Veritati reſtitiſſe; quod liquet Ethnicíſmi exemplo, qui in Imperio Romano centum minimùm annis, poſt Conſtantini tempora, ſuperſtes fuit, nec fortè umquam intarmortuus eſſet, niſi vi legum fuiſſet expugnatus. At ego illas ipſas Leges diuturnitatis erroris cauſas partim fuiſſe exiſtimo; quòd homines ſoleant eas opiniones pertinaciùs fovere, quæ vi oppugnantur. Deinde non mera lux Evangelii tenebris Ethnicíſmi opponebatur, neque mera recta Ratio Errorem oppugnabat. Multa jam erant, eo tempore, in dogmatibus ritibúſque & moribus Chriſtianorum, quæ meritò (quid enim nunc præſertim nos vetat verum fateri?) offendebant Ethnicos. Sæpè etiam Chriſtiani Doctores, qui ſat benè Ethnicos errores evertebant, male atque imperitè Religionem Chriſtianam tuebantur. Itaque caligantes Ethnicorum oculi, dum hinc Veritatis luce præſtringebantur, illinc pravarum atque falſarum ratiocinationum nebulis præpediebantur, unáque cum paralogiſmis firmiſſimas ratiocinationes miſcebant. Videbant etiam hominum quoddam genus, à quo maximè oppugnabantur, cupere ut Religionem Chriſtianam amplecterentur, non tantùm animo ipſis benevolo; ſed etiam quia, aucto Chriſtianorum numero, fines regni cujuſdam novi generis, quod illi homines poſſidebant, proferebantur, opéſque & auctoritas eorum augebantur. Hæ aliæque ſimiles fuere remoræ, quæ objectæ ſunt Ethnicis, ne quàm primùm Chriſtianam Religionem amplecterentur; non quòd edicta non ſatis acerba ac crudelia contra eos promulgata fuerint; aut quòd divinæ Veritatis, cùm ſola fulget, exiguæ ſint vires, quando nulla vis vetat quominùs fulgeat. Sed hæc ſatis ſupérque hac de re.

Ibidem. *Illud quæro, cùm manifeſtè enumeret Apoſtolus opera carnis,* quæ ſunt, *inquit*, fornicationes, immunditiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, invidiæ, ebrietates, comeſtiones *& his ſimilia; quid iſtis videatur, ut crimen idololatriæ putent juſtè ab Imperatoribus vindicari; aut ſi nec hoc volunt, cur in veneficos vigorem legum exerceri juſtè fateantur; in hæreticos autem atque impias diſſenſiones nolint fateri, cùm in iiſdem iniquitatis fructibus, auctoritate Apoſtolicâ, numerentur?*] Si aqua hærebat hîc Donatiſtis, profectò *Auguſtinus* contemtu digni erant. Quis enim ignorat quæcumque Evangelicis legibus damnantur, & quæ præſertim Paulus loco ab *Auguſtino* allato perſtringit, civilibus legibus nec ſolere plecti, nec poſſe? Exempli cauſâ, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, invidia, avaritia, ſuperbia, ambitio, amor rerum hujus vitæ, modò ne eorum cauſâ Leges Reipublicæ perfringantur, numquam puniuntur ab hominibus; nec tamen propterea minùs Deo inviſa ſunt, minúſve regno cœleſti excludunt. Facilè oſtendere poſſemus, cur talia nequeant ab hominibus plecti, ſi hoc ageretur; ſatis erit dixiſſe, Leges civiles eſſe hominum conditioni attemperatas, nec ab iis eximiam quamdam ſanctitatem poſtulare, ſed tantùm eam virtutem, ſine qua Civium Societas incolumis eſſe non poteſt. Similiter nec opiniones ſubjacent Legum Civilium pœnis; quia æquiores omnes Legiſlatores ea tantùm plectunt, quæ experientiâ quotidianâ conſtat eſſe mala, taliáque ab omnibus habentur, qui quidem ſunt ſui compotes; qualia ſunt, cædes, furtum, adulterium & ſimilia; quæ ſi negligerentur, ſtare Societas humana non poſſet. Ideóque nullum eſt ratiocinationi Auguſtinianæ pondus. Si Donatiſtæ probabant ſupplicia Ethnicorum, digni ſane erant qui & ipſi vexarentur; nam quod ſibi non fieri cupiebant, id aliis fieri cupere non niſi iniquè poterant. Inter veneficos & hæreticos nulla eſt ſimilitudo; nam venefici convicti fatentur ſe contra jus & fas venena propinaſſe, nec res ullâ obſcuritate laborat: ſed ubi ſermo eſt de opinionibus, quas qui ſequuntur credunt eſſe veras, & propter quas in nullam Civilem Legem delinquunt, iniquiſſimæ ſunt pœnæ, ob rationes antes allatas. *An forte,* ſubjicit *Auguſtinus, nec talia poteſtates iſtæ humanæ conſtitutionis permittuntur curare? Propter quid ergo gladium portat, qui dictus eſt miniſter Dei vindex in iram eis qui malè agunt?* Si talia Poteſtates humanæ vi & armis curant, ſine dubio præter jus & fas potentia ſua abutuntur; neque enim talia vi & armis curantur. *Defendenda religio eſt,* inquiebat *Lactantius* Lib. v. c. 19. *non occidendo, ſed moriendo; non ſævitia, ſed patientia; non ſcelere, ſed fide. Illa enim malorum ſunt, hæc bonorum* &c. *Nihil eſt tam voluntarium, quàm Religio; in qua ſi animus ſacrificantis averſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt.* Gladius non eſt datus Principibus, niſi in eos, in quos, ex legibus civilibus gladio animadvertere, propter facinora quibus civilis ſocietas violatur, jubentur; non in eos, qui cetera innoxii, à rectis ſententiis aberrant, ſúntque perſuaſione & manſuetudine ad rectam viam revocandi. Fac contrarium eſſe verum, quid dices Ethnicis Magiſtratibus, qui rationes tuas audire nolent? Quid repoſuiſſet *Auguſtinus* Conſtantio Ariano malè habenti Synodi Nicænæ ſectatores? Quid Vandalis, qui, non ita multò pòſt ejus ætatem, ex Africa exegerunt Epiſcopos decretorum Nicænorum tenaciores, plebemque cum iis ſentientem male habuerunt? Nimirum, ad ſuas artes converti eum oportuiſſet, & Palinodiam canere crudelis ſententiæ de perſequutione licita, ut ad priorem manſuetudinem reverteretur. Nos verò ita ſentiamus de jure divino & humano, ut numquam nos ita ſenſiſſe pudeat, pœniteatque.

Libro ii. C. xiii. §. 29. *Etſi Laicus aliquis pereunti dederit neceſſitate compulſus* (Baptiſma & Euchariſtiam, nam illa juncta erant. Vide not. ad Tom. II. Ep. clxxii. §. 5.) *quod cùm ipſe acciperet quomodo dandum eſſet addidicit, neſcio an piè quiſquam dixerit eſſe repetendum. Nullâ enim cogente neceſſitate ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt; ſi autem neceſſitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum eſt.*] Si ponas ea ſacramenta eſſe neceſſaria ad ſalutem, quomodo vulgò, tempore *Auguſtini* ſentiebant, ſatiùs profectò eſt ea à Laïcis adminiſtrari, & rata cenſeri, quàm, ut quidam qui ſimilia ſentiunt, velle homines potiùs perire. Sed neutri oſtendere queant ea eſſe ad ſalutem neceſſaria. Vide Diſſertationem *Hug. Grotii* de Cœnæ adminiſtratione ubi Paſtores non ſunt, atque ad eam animadverſiones *Dionyſii Petavii* & *Henrici Dodwelli.*

Ibidem. *Neque ullo modo per devotum militem, quod à privatis uſurpatum eſt, ſignum regale violabitur.*] Hæc verba illuſtravit *Dionyſius Petavius*, Animadverſionum in Epiphanium p. 78. ad Hæreſ. xlii. unde quæ huc faciunt depromemus. Eſt καθοσιοῦσθαι idem ac *conſecrare, dicare.* Hinc καθοσίωσις *devotio*, & καθωσιωμένος *devotus, conſecraneus.* Quare qui ſe Principi devovebant ac religione aliquâ conſecrabant καθωσιωμένοι dicebantur, ut milites. *Capitolinus* in Maximino: *commilitones ſacrati, imò verò conſecranei.* Ejuſmodi fuere Gallorum Veterum *devoti, quos illi ſoldurios appellabant*, ait Cæſar Lib. I. Commentariorum, hoc eſt, καθωσιωμένους, quod aptius mihi videtur, quàm quod Græcus Interpres reddidit, συνωμότας; tametſi idem ferè eſt quia ad jusjurandum

dum adigi ſolebant. Egregium τῆς καθωσιώσεως exemplum refert *Dio* Lib. LIII. ad annum Urbis DCCXXV. ubi Sextum quemdam Pacuvium, vel Apadium Tribunum Plebis narrat ſemet ipſum Auguſto in Senatu devoviſſe, idemque ut alii Senatores facerent auctorem fuiſſe; ἐν τῷ γὰρ συνεδρίῳ τε ἑαυτὸν αἱ τὸν τῶν Ἰβήρων τρόπον καθωσίωσε, καὶ τοῖς ἄλλοις συνεβούλευε τοῦτο ποιῆσαι. Sed, Auguſto reclamante, Tribunus Plebis proſiliens ad populum obvios quoſque ac ceteros deinde cives coegit καθιερῶσαι ἀφᾶς τῷ Αὐγούστῳ. ἀφ᾽ οὗπερ καὶ νῦν, προτρεπόμενοι τὸν κρατοῦντα, λέγειν εἰώθαμεν ὅτι σοι καθωσιώμεθα. Hinc καθωσιωμένων appellatio ἐπιθετικῶς ex formula pleriſque Imperialibus Officiis ac miniſtris attributa; maximè, uti dictum eſt, militaribus. Quam in rem profert hunc *Auguſtini* locum, aliáque addit, quæ non exſcribam. Monebo tantùm locum quem citat ex *Capitolino*, non exſtare in vita Maximini, ſed in trium Gordianorum, ubi exſtat oratio Maximini. Adi & Gloſſarium Nomicum *Jac. Gothofredi*, ad Cod. Theodoſianum.

Ibidem. *Si quiſquam, ſive deſertor ſive qui numquam omnino militavit notâ militari privatum aliquem ſignet; nonne ubi fuerit deprehenſus, ille ſignatus pro deſertore punitur, & eo gravius quo probari potuerit numquam omnino militaſſe, ſimul ſecum punito, ſi eum prodiderit, audaciſſimo ſignatore* &c.] Alludit ad ſtigmata militaria, de quibus vide *Hug. Grotium* ad Gal. VI, 7. Lex 4. Lib. X. Tit. 21. in Codice Theodoſiano; *Stigmata, hoc eſt, nota publica Fabricenſium brachiis, ad imitationem Tironum infligatur* &c. Ad quem locum, lege Commentarium *Jacobi Gothofredi*.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS.

LIBRO II. Cap. III. §. 4. *Quis autem neſciat Sanctam Scripturam Canonicam tàm Veteris, quàm Novi Teſtamenti, certis ſuis terminis contineri; eamque omnibus poſterioribus Epiſcoporum litteris ita præponi, ut de illa omnino dubitari & diſceptari non poſſit, utrùm verum, vel utrum rectum ſit, quidquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit?*] Nihil verius, nec ab ullo Chriſtiano in controverſiam revocari potuit. Sed & ſequentia ſunt aurea, & digna quæ perpetuò iis occinantur, qui uſque adeò *Auguſtini* auctoritate abutuntur, ut velint nos ei potiùs credere, quàm rectæ Rationi: *Epiſcoporum autem litteras*, inquit, *quæ poſt confirmatum Canonem vel ſcriptæ ſunt, vel ſcribuntur, & per ſermonem fortè ſapientiorem cujuslibet in ea re peritioris; & per aliorum Epiſcoporum graviorum auctoritatem, doctiorémque prudentiam; & per Concilia licere reprehendi ſi quid in iis fortè à veritate deviatum eſt?* Optimè, nam Epiſcopis, aut aliis Eccleſiaſticis Scriptoribus, poſt Apoſtolorum tempora, minimè datus eſt ſpiritus *qui eos duceret in omnem veritatem*; nec ſanè æternis rectæ Rationis legibus, & canonibus Logicis ac Grammaticis, quibus omnes alii ſubjacent Scripturæ Interpretes, fuere ſubtracti à Deo. Igitur ſi in hæc peccant, ignoſcere quidem eis debemus, at non adſentiri; niſi hominum auctoritatem præferamus Veritati; quo ſtultius ac nequius nihil fieri poteſt. Addit *Auguſtinus*, in ſequentibus ejuſdem Periodi verbis; *& ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones, vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano, ſine ullis ambagibus cedere; ipſáque plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari; cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quòd latebat; ſine ullo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine ulla inflata cervice arrogantiæ, ſine ulla contentione lividæ invidiæ, cum ſancta humilitate, cum pace Catholica, cum caritate Chriſtiana?* Hic deſinit præter modum producta periodus. Ex poſtremis verbis liquet neque provincialia, neque plenaria Concilia habita fuiſſe ab *Auguſtino* erroris periculo exemta; quandoquidem priora, à poſterioribus, emendari poſſe cenſebat. Sed præterea duo hic ſunt obſervanda. Alterum eſt ad inveſtigationem veri, in re præſertim obſcura, undecumque ea obſcuritas oriatur, multitudinem nihil facere, ſed tantùm peritiam eorum qui congregantur & candorem. Si mihi exempli cauſâ omnes omnino Africæ Epiſcopos congregaſſes ad judicium ferendum de ſenſu loci Veteris aut Novi Teſtamenti, quorum nullus Hebraicè ſciebat, & perpauci Græcè norant, ingens illa imperitorum multitudo ineptior erat ad rectè judicandum, quàm vir unus peritus utriuſque Linguæ; exempli cauſſâ, quàm ſolus *Hieronymus* Stridonenſis, quamvis tanta non fuerit ejus peritia, quàm vulgò putatur. Quis dubitet etiam ſuperiore ſæculo XVII. unum *Hug. Grotium*, aut unum *Joan. Druſium*, rectiùs potuiſſe Scripturam Veteris & Novi Teſtamenti interpretari, quàm omnes Italiæ ac Hiſpaniæ Epiſcopos ſimul, capita conferentes? Igitur ſint plenaria Concilia, aut minùs plena, mihi perinde erit, ad ſpem inveniendæ Veritatis quod attinet; nec imperitæ multitudini, pro imperio aliquid definienti, & anathemata minitanti, nec rationes ullas, aut eas pravas, ſuæ definitionis adferenti, magis credam; quàm pauculis, aut uni. Imò verò uni viro docto argumenta firma proferenti continuò adſentiar; cùm ea intellexero, nec adverſarios ejus umquam numerabo. Numerus enim nihil ad Veritatem facit, & ſæpe etiam quo plures congregantur ad eam definiendam, eò plures imperiti, eò plures factioſi colliguntur; qui neque ſciunt quid ſit verum, neque quærunt, ſed tantùm quid ſibi expediat, aut expedire videatur. Conventus illi Eccleſiaſtici ſunt ad Civilium normam formati, & quia quo plures in hoſce conveniunt, eò major eſt eorum auctoritas: ſimile de Eccleſiaſticis cœtibus judicium fertur. At in Civilibus cœtibus aguntur res ad hancce vitam dumtaxat pertinentes, eæque hominibus notiſſimæ, & multis mutationibus obnoxiæ; quarum etiam rerum homines domini ſunt, & in quas proinde multitudini majus ſine dubio jus eſt, quàm paucis. Quamobrem rectè convocantur primores civium ſique magno numero, ad eas regendas & componendas, pluribúſque ſuffragiis cedunt pauciora. Verùm ubi cœleſtis veritas agitur, quam nemo niſi ſtudio & attentione adhibitis novit, quæ nulli mutationi obnoxia eſt, cujus nemo eſt dominus, & cujus definiendæ majorem à Deo poteſtatem plures non acceperunt, quàm pauciores; non ſunt numeranda ſuffragia, ſed ſingulis expendendæ ſuffragiorum rationes. Res eſt clara, ſed de ea, pro ejus utilitate ac præſtantia, agere hic non poſſumus. Quare nec quæ objici poſſent iis, quæ à nobis dicta ſunt, diluemus.

Alterum, quod hic obſervari volebamus, hoc erat: nimirum, cùm Concilia ſint errori obnoxia, non eſſe ἀβασανίστως eorum decretis credendum, ac proinde, ne alias repetam rationes quas in hiſce Animadverſionibus ſæpiùs attigi, minimè eſſe vexandos eos, qui verum non eſſe putant quod à Conciliis eſt definitum; ſi modò, in rebus civilibus, omnibus bonorum civium officiis defungantur. Iniquè ergo ac crudeliter vexati ſunt Pelagius, Cœleſtius & eorum diſcipuli, cùm in eos propoſitum eſt Edictum, quo in exſilium acti ſunt & bonis omnibus ſpoliati; & quidem *à quocumque traherem-*

rentur ad judicem, ſine accuſatricis diſcretione perſonæ, facultatum publicatione nudarentur, & irrevocabile paterentur exſilium. Fuit difficilior controverſia hæc, quàm intelligeretur ab Hoorio, homine ſtupido & ex alienis conſiliis ſemper pendente, ejúſque aulicis quidvis aliud curantibus, quàm rerum ejuſmodi cognitionem adipiſci; nec potuerunt ſe lictores præbere Afrorum Conciliorum, ſine maxima imprudentia. Ac ſanè & illo tempore & poſtea, per totum Orientem & Occidentem, plures loquuti ſunt & ſenſerunt cum Pelagio, quàm cum *Auguſtino*; quem, famæ cauſâ, reverebantur, quamvis ab eo diſſentirent.

Cap. IV. §. 5. *Hoc facit ſanitas pacis, ut cùm diutiùs aliqua obſcuriora quæruntur, & propter inveniendi difficultatem diverſas pariunt in fraterna diſceptatione ſententias, donec ad verum liquidum perveniatur; vinculum permaneat unitatis, ne in parte præciſa remaneat inſanabile vulnus erroris.*] Egregium ſanè monitum, atque officium quod meritò exigebat à Donatiſtis; ſed cui ſe ipſe ſubtrahere non debuit, in negotio Pelagianiſmi; in quo nihil tam quæſitum eſt, quàm ut præcipitibus multarum Synodorum ſententiis irrevocabilia anathemata, numquam, ut par erat, auditis fratribus dicerentur. Docebit hæc *Joan. Garnerius*, in enumeratione Conciliorum, quæ contra Pelagianos congregata ſunt. Attamen fatendum fuit rem eſſe, quæ non mediocribus tantùm ingeniis, ſed & præſtantiſſimis quibuſque negotium faceſſeret.

Cap. VII. §. 12. *Hanc ergo ſaluberrimam conſuetudinem per Agrippinum prædeceſſorem ſuum dicit Sanctus Cyprianus, quaſi cœpiſſe corrigi.*] Ipſe *Cyprianus* Epiſtola ad Jubajanum LXXIII. docet Agrippinum proximum prædeceſſorem ſuum non fuiſſe. *Apud nos autem*, inquit, *non nova aut repentina res eſt, ut baptizandos ſentiamus eos, qui ab Hæreticis ad Eccleſiam veniunt, quando multi jam anni ſunt, & longa ætas ex quo ſub Agrippino, bonæ memoriæ viro, convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerint, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis noſtris ad Eccleſiam converſi, non aſpernati ſint* &c.

ANIMADVERSIONES

IN LIBROS CONTRA LITTERAS PETILIANI.

LIBRO I. Cap. IX. §. 19. *Cùm audierit:* qui baptizatur à mortuo non ei prodeſt lavatio ejus; (Eccleſiaſtic. XXXIV, 30.) *reſpondebit: vivit Chriſtus, jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur* &c.] Loco illo Eccleſiaſtici abutebantur Donatiſtæ, ut oſtenderent baptiſmum collatum à malo ſacerdote, ſeu qui *mortuus* eſſet in peccatis, non prodeſſe. Neſcio quot modis ſe torquet *Auguſtinus*, ut oſtendat ex loco nihil poſſe elici; cùm deberet irridere Donatiſtas, quòd hîc *baptiſmum* Chriſtianum quærerent, cùm alia planè mens eſſet auctoris Eccleſiaſtici. Hæc ejus eſt ſententia integra: βαπτιζόμενος ἀπὸ νεκροῦ, καὶ πάλιν ἁπτόμενος αὐτοῦ, τί ὠφέλησεν ἐν τῷ λουτρῷ αὐτοῦ; hoc eſt, *is qui abluitur poſtquàm tetigit cadaver, & iterum id tangit, quid capit utilitatis ex ſua ablutione?* Liquidum eſt reſpici ad ablutiones legales, quæ debebant fieri, poſt tactum cadaver, ex mandato Legis, Num. XIX, 11. & quæ nihil prorſus faciunt ad baptiſmum Chriſtianum. Sed ſi legas ſequentia, videbis hanc eſſe priorem partem ſimilitudinis; hæc enim verba ſequuntur, quæ alteram continent: οὕτως ἄνθρωπος νηστεύων ἐπὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ, καὶ πάλιν πορευόμενος καὶ τὰ αὐτὰ ποιῶν, τῆς προσευχῆς αὐτοῦ τίς εἰσακούσεται; καὶ τί ὠφέλησεν ἐν τῷ ταπεινωθῆναι αὐτόν; *ſic hominis qui jejunat ob peccata ſua, & iterum in ea delapſus eadem facit, quis orationem exaudiverit? quidve utilitatis capiet ex ſua humilitate?* Nihil hæc ad Baptiſmum, quamvis *Cyprianus* quoque eò locum hunc trahat, quem citat etiam dimidiatum, Epiſt. LXXI. Sed ille, ut rectè obſervavit ad eum locum *Nicolaus Rigaltius*, ſæpenumero, ut & alii Patres, arripit de Scripturis quidquid vel ſolo verborum ſono facere ad propoſitum videtur, etſi longè alio ſit intelligendum ſenſu. Tam frequens eſt hoc in *Cypriano*, *Auguſtino*, & aliis, ut minimè opus ſit quærere, cum viro doctiſſimo, quod eos in citatione hujus loci excuſet, cùm excuſari nequeant multa alia ſimilia. Vix quiſquam dicere poſſit quàm veræ intelligentiæ Scripturæ, & paci Eccleſiæ nocuerint Oratores populares, Criticæ omnis ac Dialecticæ imperiti; dum enim nullam regularum utriuſque illius Artis rationem habent, ubique quoſvis ſenſus quæſiverunt, & ex ſoni ſimilitudine omnia probare ſe poſſe crediderunt, unde innumeræ rixæ natæ ſunt. At olim ejuſmodi homines, propter dicendi facultatem, aut ad primarias ſunt ſedes evecti, aut in Synodis regnum quoddam obtinuerunt. Plura non dicam, nota enim hæc ſunt Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ peritis, & qui judicium in ea legenda adhibuerunt. Non moror ceteros, diſſimulare, mentiri, & carpere veri amantes ſemper paratos.

LIBRO III. C. XXV. §. 30. *Cùm ego Mediolanum ante Bautonem Conſulem venerim, eique Conſuli Calendis Januariis laudem, pro mea tunc Rhetorica profeſſione, recitaverim.*] Hujus moris publicè laudandorum Conſulum, Calendis Januarii quibus magiſtratum inibant, teſtes ſunt Panegyrici Conſulares, utrâque linguâ, tum verſu, tum ſolutâ oratione dicti à *Mamertino*, *Libanio*, *Themiſtio*, *Claudiano*, *Sidonio*. Hæc adnotavit *Jac. Sirmondus*, adducto poſtea loco hoc *Auguſtini*, ad Epiſt. *Sidonii* Lib. VIII. Ep. VI. ubi *Sidonius* moris hujus meminit.

ANIMADVERSIONUM IN TOMUM IX.

FINIS.

ANIMAD-

A N I M A D V E R S I O N E S
IN TOMUM DECIMUM
S. A U G U S T I N I.

LECTORI S. D.
JOANNES PHEREPONUS.

MULTA in hunc ultimum *Auguſtini* Tomum adnotare facilè potuiſſemus, ſed duo, aut tria obſtiterunt, ne id præſtaremus, quæ te, LECTOR, reſcire noſtrâ nonnihil intereſt. Primum eſt feſtinatio Typographorum, quibus, dudum edito integro *Auguſtiſtino* unà cum Indice, longum videbatur exſpectare diutiùs animadverſiones noſtras, quas tam cito adornari aliæ occupationes non patiebantur. Alterum, quod neque neceſſe erat quidquam hic à nobis dici, aut pluribus diduci; quia in hiſce ratiocinationibus Hipponenſis Epiſcopi contra Pelagianos, innumeræ ſunt repetitiones, nec, ad ſummam rerum quod attinet, quidquam novi occurrit, præter ea quæ dicta erant hac de re in Epiſtolis, ad quas quæ viſum fuit jam adnotavimus. Nam tota controverſia, ſi probè introſpiciatur, vertitur in explicatione quorumdum Scripturæ locorum, de quibus jam dixeramus. Huc accedebat, quod nos quoque harum rixarum tantum tandem cepiſſet tædium, ut eas vix ac ne vix quidem ferre poſſemus; nec ſanè quiſquam melioribus occupatus millies idem aut legere, aut dicere ſuſtineat; præſertim ſi quæ tribus verbis abſolvi poterant millenis aliquot dicantur, multaque aliena infarciantur, quemadmodum hac in re factum eſt. Cui verò etiam nauſeam non moveant tot & tam longæ, ut voce ſequioris ævi utar, *rhetoricationes*, aut ad declinandum adverſarii ictum, aut ad eum inſectandum, aut denique ad invidiam vel movendam, vel fugiendam? Mihi certè tantum crearunt, inter legendum, faſtidium, ut planè recreatione gratiorum & utiliorum ſtudiorum indigeam. Boni igitur conſule, LECTOR, quæ ſequuntur; aut ipſe calamum arripe, ut labori meo ſuppleas quod deeſt, ſed memento ante omnia ſolius Veritatis, cui uni litare conatus ſum, rationem habere. VALE.

P R Æ F A T I O
A D
D. A U G U S T I N I
L I B R U M
DE GESTIS PELAGII,

Anno MDCXI. primùm editum Auguſtæ Vindelicorum.

S. Auguſtinus, Retractationum Lib. 2. cap. 47.

PER idem tempus in oriente, hoc eſt, in Syria &c. uſque ad hæc: «
Hic liber incipit: Poſteaquam in manus noſtras. «

His verbis, *S. Auguſtinus* ſcriptionis cauſam & libri argumentum explicat; qui antehac omnes Auguſtinianorum operum conquiſitores, Viros doctrinâ & diligentiâ præſtantes, fugit, nunc demum Fæſulis, in bibliotheca Abbatiæ S^{ti.} Bartholomæi Canonicorum Regularium Lateranenſium, repertus. Ejus antigraphum cum SCIPIO COBELLUTIUS, ab epiſtolis & ſecretis ſummi Pontificis, Roma ad MARCUM VELSERUM II. Virum Auguſtam Vindelicorum miſiſſet; viſum pulchertimæ gemmæ publicam lucem non eſſe invidendam. *Sapientia enim*

abſcondita, & theſaurus invifus, quæ utilitas in utriſque? Romæ quidem & Florentiæ accuratiſſimas editiones, commentariis illuſtratas, apparari ferebantur, & falcem in alienam meſſem non mittendam eſſe memineramus: ſed quoniam longum id futurum negotium res loquebatur, neque enim ſanè tanti momenti cauſa præcipitari debet, ſi interim nuda *Auguſtini* verba utenda fruenda proponeremus, gratiam nos apud viros pios & eruditos, antiquæ doctrinæ amantes, Romanis Florentiniſque editoribus ipſis non invitis, quippe quorum induſtriæ nullum hinc ſufflamen, cùm ne dedicationis quidem florem præcerpſerimus, inituros ſperavimus. Exemplum Romà miſſum cum fide expreſſimus, & lectiones variantes ad oram adſcriptæ, inde ſunt: ſed quæ in imà paginà pleraſque ANTONIUS VELSERUS Canonicus Friſingenſis, inter legendum ſubitarià conjecturà adnotavit, paucas aliquas, audaciores paullò non agnoſcit. Nullas in contextum, quantàvis probabilitatis ſpecie blandientes, recepimus.

„ Meminit præterea hujus libri *Auguſtinus* libro 2. de pecc. origin. c. 14. *Quod autem*
„ *ſcitis*, &c.... *Aurelium ſcripſi.*

„ *Poſſidius* in indiculo, c. 4. *contra geſta Pelagii liber unus.*

Et *Photius* in Biblioth. *Andrea* Schotto interprete, num. 54. „ *Pelagius in ea Synodo*
„ &c..... *Sic Auguſtinus in iis quæ ad Aurelium Carthag. Epiſc. ſcripſit, refert.*

Cetera de Synodo & tota hac cauſa, à *Card. Baronio*, qui *Auguſtini* librum periiſſe credidit, ex ipſo *Sto. Auguſtino*, *Sto. Hieronymo*, & *Sto. Proſpero* ad annum Chriſti DCXV. & ſeq. atque à *Severino Binio* in 1o. Conciliot. tomo, diligenter & copiosè collecta, non exſcribimus, ne actum agamus. Obiter monemus, ea quæ *Auguſtinus* ſub finem libri ſcribit à Pelagianis incredibili audacià perpetrata. „ *Ut Dei ſervi & ancillæ ad curam Sti.*
„ *Hieronymi presbyteri pertinentes, ſceleratiſſimâ cæde afficerentur* &c. haud dubiè ea ipſa eſſe quorum *Innocentius* Pont. Epiſt. 24. ſive 32. ad *Joannem* Hieroſolymit. Epiſcopum meminit: „ *Direptiones, cædes, incendia, omne facinus extremæ dementiæ, generoſiſſi-*
„ *mæ ſanctæ virgines, Euſtochium & Paula, deploraverunt, in locis Eccleſiæ tuæ perpe-*
„ *tràſſe Diabolum.*

Et Epiſt. 25. ſive 33. ad Hieronymum: „ *Dolor gemituſque tuus ita quatit viſcera no-*
„ *ſtra, ut ratio non tractandi, conſulendique ſit.*

Adven-

Adventoria Amiciſſimo ac Doctiſſimo Viro P. Franciſco Macedo, *in Patavina Academia Ethices Interpreti; In qua de Inſcriptione Libri S. Auguſtini de Gratia Chriſti, Albine, Piniane, & Melania diſſeritur ab* Henrico Noris *Veronenſi Auguſtiniano, in Academia Piſana Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Profeſſore.*

Rev. ac Doctiſſime Pater.

Acceperam ab amico litteras, quibus ſignificabat, te Venetiis Bononiam verſùs ſolviſſe; neſcire autem ſe, quam in urbem improviſam hanc tuam peregrinationem deſtinâſſes. Idem etiam libellum, quem nuper Veronæ adverſùs meam de quorumdam veterum Lerinenſium doctrina ſententiam edidiſti, transmiſit. At ipſe volumen illud avidè legere, diligenter expendere, accuratè notare. Etenim ſperabam fore, ut ſuperatis Apennini jugis, de proximo Florentiam venires, eáque occaſione & ſincerè, & amicè aperirem, quid in libello tuo albis calculis, quid nigro theta ſignandum cenſerem. Verùm cùm Florentiam acceſſiſſes, adventum tuum tam ſtudioſè mihi celatum voluiſti, ut penè verear, ne antiquæ noſtræ amicitiæ hoc tuo ſilentio nuncium remiſeris; præſertim cum nec unius libelli tui exemplar ad me deferendum curaveris. Ceterùm ne officia, quæ pro jure veteris conſuetudinis à te exſpectabam, ipſe etiam deeſſe videar, quod ſperabam coram præſtare, litteris exſequor. Et quidem, mi MACEDO, non ſum tam bardus, aut ſtupidus, quin optime intelligam, neminem mortalium quantalibet amicitiâ cariſſimum eſſe in amore Divis præferendum. Novi vetus adagium: *Amicus uſque ad aras.* Itaque ineptus judicer, ſi tantum mihi ab amico tribui velim, ut me plus, quàm Superos amet. Utinam ſuſceptam pro doctrina Sanctorum *Hilarij* Arelatenſis, & *Vincentii* Lerinenſis defenſionem pro merito præſtitiſſes, & ex vetuſtis tabulis, atque antiquioris Eccleſiæ teſtibus rem feliciter confeciſſes! Profectò multas tibi gratias agerem, plures etiam deberem, quippe qui duos celeberrimos Patres *Auguſtini* coætaneos, eidem S. Doctori in nullo dogmate adverſatos, ſed per omnia conſentientes oſtendiſſes; nihil enim magis in votis habeo, quàm Auguſtinianam doctrinam communibus Patrum ſuffragiis comprobatam monſtrari. At cùm videam te paſſim rhetoricari, omiſſis veterum monimentis, tuis imaginationibus indulgere, ac pro hiſtoria entia rationis, & ſecundas intentiones, ut dicitis, ſeu vana quædam tuæ mentis idola obtrudere; non poſſum non tuas vices dolere, qui bonæ cauſæ non æquè bonam advocationem commodaſti. Intra ſex, vel octo dies, nuperrimæ tuæ apologiæ confutationem ad umbilicum deducam, & palam faciam te *Dallæi*, *Blondelli*, aliorumque Proteſtantium ſententiam ſequi, munire, exaggerare: *Baronij* defenſionem verbo tenus abs te jactari, cùm eidem, etiam cùm patrocinium magno hiatu promittis, adverſere, & neglectis veterum ſcriptorum voluminibus, novas paſſim hiſtorias, hoc eſt, puras putas fabulas venditari. Ne tamen ad populum phaleras loqui videar, univerſi tui operis ſpecimen in una & altera pagina capitis ſeptimi in hac epiſtola exhibeo, cùm ne fortè iis, qui ne leviter quidem in Eccleſiaſtica hiſtoria verſati ſunt, fucum facias, tum etiam ut adventoriæ loco te in Urbe conveniat; ne qui in amore erga te nemini cedo, amicorum tuorum, quorum centurias Romæ numeras, officiis ſuperer. Etenim nulla inter amicos officia laudabiliora verſantur, quàm cùm ſuas apud amicos querelas ſine ſequeſtro deponunt, animi arcana produnt, nihilque quod illorum rem attinet, celatum volunt; Et ſi quandoque à benevolentia, humanitate, ac veritate deflectant, eoſdem intra orbitas ponunt, & ad officium revocant. Hæc integro volumine præſtabo, quod brevi extra Italiam (Florentini enim Typographi variis libris, libelliſque imprimendis occupantur) nitidiſſimis characteribus excuſum, ad te transmittam, quamvis tu Florentia tranſiens nullam mihi libelli tui legendi copiam facere volueris; cùm tamen plurimi meâ intereſſet, noſcere per te errores, quos fugerem, cernere veritatem, quam conſectarer.

In capite ſeptimo prioris commentationis pro doctrina Lerinenſium à te ingenioſiſſimè concinnatæ, pagina 51. veritus ne brevioris opuſculi lectio faſtidio proximior fieret, lepidam mihi de Albino quæſtionem facturus, ex arce cauſæ ad exilia, & ludicra quædam deſcendis, ut me univerſis deridendum exhibeas. *Sed ecce*, inquis, *ut moleſtum hoc opus lepôre aliquo, & ſapore condiam, incido in locum Noris, in quo deſidero Grammaticam.* Quòd autem hoc ipſum eſſet ex præcipuis, quæ in tuo opere Lectoribus obſervanda duceres, in indice ſcripſiſti: *Noris imperitiæ Grammaticæ arguitur.* Næ poſtquam ibidem in proxima pagina, ex ſacris Theologorum Academiis, me ad Chronologos amandaſti, ſtatim ad Grammaticorum ſubſellia *ab Orbilio*, ut inquis, *caſtigandum* detrudis. Equidem Lectores tanto abs te *lepore, & ſapore condita* ſcripta evolventes, cum Terentio repetent:

> *Facetè, lepidè, lautè, nihil ſuprà. O capitulum lepidiſſimum!* In Eun. 3. 1. 3.

Ipſe autem doctiſſimi æquè ac ſanctiſſimi Nolani Antiſtitis ad *Auſonium* V.C. carmina tibi ingero:

> *Multa jocis pateant; liceat quoque ludere fictis.*
> *Sed linguâ mulcente gravem interludere dentem,*
> *Ludere blanditiis urentibus, & malè dulces*
> *Fermentare jocos ſatyræ mordacis aceto,*
> *Sæpè poetarum, numquam decet eſſe parentum.*

Non tua ſcripta lepôre condis, mi Pater, ſed meam mihi cutem, non ſecus ac elephantinam, tam multo ſale perfundis, ut cùm me *amiciſſimum* ibidem voces, procul dubio habearis

> *magni delator amici.* Juven. Sat. 1. 33.

Iniquiori autem loco me tecum congredi jubes, dum ad Grammaticam provocas, quæ tuum regnum eſt, in quo tibi plaudis, ac triumphas. Etenim cum ego nondum mammam, atque tatam loquerer, tu eloquentiæ Magiſter publicè Madriti Rhetoricam profitebaris, cui à teneris unguiculis ſtrenuam, atque indefeſſam operam navaveras, non ſecus ac ille,

> *Quem pater ardentis maſſæ fuligine lippus* Idem Sat. 10. 30.
> *A carbone, & forcipibus, gladioſque parante*
> *Incude, & luteo Vulcano ad rhetora miſit.*

Profectò numquam ab *amiciſſimo* viro, qualem te conteſtaris, tantum meo tergo periculi timuiſſem, ut ab eodem contra me ſtringerentur *Orbilii* ſcuticæ,

> *Ferulæque triſtes, ſceptra pædagogorum.* Mart. lib. 10. LXII.

Itane à meo Macedone, quem in editis voluminibus toties ſummis laudum præconiis extuli

> *Diſcipulorum inter jubeor plorare cathedras?* Horat. ſat. 1. 10.

Libeat Auguſtini ſententiam ſolidæ apologiæ loco tibi reponere lib. 2. con. Creſconium cap. 1. *Si enim*, inquit,

inquit, *Demoſthenes clariſſimus Oratorum, cui verborum tanta fuit cura, quanta rerum auctoribus noſtris, cùm tamen ei nonnullam orationis inſolentiam objeciſſet Æſchines, negavit ille in eo poſitas eſſe fortunas Græciæ, illone, an illo verbo uſus fuerit, & an huc, an illuc manum porrexerit; quanto minus nos laborare debemus de regulis derivandorum nominum, quando ſive hoc, ſive illud dicamus, intelligitur ſine ambiguitate quod dicimus, quorum non in expolitione ſermonis, ſed in demonſtratione veritatis eſt major intentio.* Interim ne me timeas, *cui vides neceſſariam eſſe grammaticam.* Sed ne me tergiverſari putes, Grammaticorum ſcholam *ab Orbilio caſtigandus*, ut minitaris, ingredior.

Cum lib. 1. Hiſt. Pelagianæ cap. 15. expenderem inſcriptionem librorum S. Auguſtini de gratia Chriſti, & de peccato originali, nempe: *Sinceriſſimi fratres, dilecti à Deo Albine, Piniane, & Melania*, non admiſi correctionem Baronii, qui A. 409. pro *Albine* putavit *Albina* reponendum, *niſi*, addit ibidem, *præter Albinam matrem fuerit illic Albinus filius.* Etenim eâ ætate fœminarum nomina non ſemper fœmininâ terminatione efferebantur. Paulæ filia neutriæ terminationis cognomen habuit, nempe Euſtochium. Imò mulierum nomina à Sanctis Patribus cum terminatione maſculina id temporis exprimi ſolita affirmavi. Ita *Albinam* junioris Melaniæ matrem paſſim *Albinus* in recto caſu vocatam indicavi. *Auguſtinus* præter inſcriptionem libri de gratia Chriſti hunc titulum epiſtolæ 227. dedit: *Albino, Piniano, & Meliano.* Ubi certum eſt, legendum eſſe *Melaniæ*. Hieronymus epiſt. 79. ait: *Albinus, Pinianus, Melania ſalutant vos.* Poſſidius Calamenſis in indice librorum S. Doctoris Hipponenſis ſcribit libros de gratia Chriſti, & peccato originali miſſos *ad Pinianum, Albinum, & Melaniam.* S. Paulinus epiſt. 44. quæ inter Auguſtinianas eſt 249. *Melanio* pro Melania poſuit. Ita Patres, qui anno 400. florebant, Albinæ nobiliſſimæ fœminæ nomen ſcripſere.

Pag. 52. *Mira*, inquis, *certè ratio exponendi, nova, & incognita antiquis Priſcianis, & Donatis, & nuperis Deſpauteriis, & Nebriſſis, quam nulla tempora tulerunt, ut libera eſſet nominum inflexio, & promiſcuè maſculina, & fœminina declinarentur: atque adeo Albina pro Albino, & Melanius pro Melania poneretur.*

Rectiùs dixiſſes, *Albinus pro Albina, & Melanius pro Melania poneretur.* Sed hoc omiſſo, ad Donati, ad quod provocaſti tribunal vador. Scribit lib. 5. de generibus: *Sunt præterea alia ſono maſculina, intellectu fœminina, ut Eunuchus comœdia, Oreſtes tragœdia, Centaurus navis. Alia ſono neutra, intellectu fœminina, ut Phroneſium, Glycerium, Sophronium, quæ mulieres ſunt.* Itaque Donato judice, nomen deſinens in *US*, aliàs maſculinæ terminationis, ſi rei fœmininæ imponatur, retentâ terminatione maſculinâ, ſignificationem fœmininam induit. Ita *Eunuchus*, nomen eſt viri execti maſculinæ terminationis, & ſignificationis; at ſi imponatur uni ex comœdiis Terentii, non mutatâ terminatione, variata tamen ſignificatione, fit generis fœminini, & dicimus *lepidam Eunuchum* Terentii. Ægyptus fœmininæ ſignificationis nomen eſt; at ſi viro cuipiam id nominis imponatur, maſculini generis evadit. Horum ratio eſt, quia terminatio in *US* eſt tantùm materia, & ſubſtratum nominis; ſola autem ſignificatio, Donato Magiſtro, ſortitur rationem formæ. Appello teſtem omni exceptione majorem *Voſſium*, qui lib. 3. Grammat. lib. 1. de analogia cap. 24. laudato prius *Quintiliani* teſtimonio ait: *Voluit igitur Fabius parem eſſe rationem in Muræna & Glycerium, eoque ut virile eſt Muræna* PROPTER SIGNIFICATIONEM, *etſi terminatio aliud requirere videatur: ita Glycerium eſſe muliebre, licet ſit neutralis terminatio.* Quare licèt hoc cognomen *Albinus* ſit terminationis maſculinæ, eo ipſo quod fœminæ imponatur, quomodo reapſe à tot Patribus impoſitum fuit, ſignificationem fœmininam ſubit, quæ optimè cum terminatione maſculina cohæret. Equidem, mi dulciſſime *Macedo*, *Heribertus Roſweydus* hiſce tuis ſcrupulis non tangebatur, cum in præfatione ad lib. 8. de vitis Patrum num. 6. hæc notavit: *Proba Baronii divinatio: ſed non neceſſe Albinam pro Albino reſtituere.* CONSTAT *enim illo ſeculo fœminarum nomina etiam maſculinis terminationibus quandoque elata. Sic de fœmina nunc* Melanius, *nunc* Melanium *apud veteres occurrit.* Hoc ipſum poſtea etiam confirmavit in notis ad epiſtolam 44. S. Paulini, ubi ait: MELANIO: *Intelligit ipſam Melaniam,* quæ nunc Melania, *nunc* Melanius, *nunc* Melanium *dicta. Ita videtur capiendus Auguſtinus epiſtola* 227. Chariſſimis fratribus Albino, Piniano, & Melanio: *Ita lego pro Meliano. Intelligit Albinam, & Melaniam, cum apud Alypium Epiſcopum Tagaſtæ in Africa verſarentur.* Viden' ut totus meus eſt *Roſweydus*? quem ſanè ante oculos habui, cùm illa ſcriberem, & *Baronii* correctionem non admitterem. Tu verò inquis: *A Grammaticis Noris diſſentit ab Orbilio caſtigandus, nec Baronio timendus, quem obiter pungere voluit, & ego vindicare.* Pag. 35. Quid, Amice, cum *Roſweydo* ages? Memento hunc illum eſſe, quem pag. 150. *auctorem eruditiſſimum, & elegantiſſimum* nuncupaſti; in indice ſcribis: *Roſweydus auctor elegantiſſimus.* An forte, ne mihi plagas condones, unà mecum *Roſweydum ab Orbilio caſtigandum* dices? Cave tibi à tot ferulis, quas docti *Roſweydi* ſodales in ſcholis ſtringunt. Vel *elegantiſſimi* titulum expunge, ſi in homine quoque quemadmodum in me, grammaticam deſideras. Vel ſi temeritati id proximum judicas, me quoque, qui *Roſweydi* verbis locutus ſum, Orbilii ferulis exime. Hoc interim ſcias, mibi decretum eſſe; malle cum *Roſweydo* vapulare, quàm Grammaticas Macedonis regulas diſcere. Falleris tamen, ſi unum à me tibi Heribertum opponi putas. Habeo plures tum veteres, tum recentes, tum Græcos, tum Latinos ſcriptores, quibus pro me loquentibus, tu ne biſcere quidem audeas; ſed mirere tantùm, & forſitan doleas, neque enim

Hæc rixa eſt, ubi tu pulſas, ego vapulo tantum. Juven. ſat. 3. 288. Pag. 53.

Exemplum, inquis, *Euſtochii ab re eſt, cum Euſtochium fuerit nomen proprium Virginis Paulæ filiæ, quæ Euſtochia dici non potuit, cum Euſtochium deberet, quemadmodum nec Glycerium apud Terentium in Andria Glyceria vocari potuit: erant quippe certa nomina terminata in um, quæ tum virorum, tum fœminarum propria erant: puta Dynaeium, Pegnium virorum: Euſtochium, Glycerium fœminarum. Non erat igitur libera, nec promiſcua illa declinatio, ſed neceſſaria Grammatices conſtructio.*

Memento te in Grammaticorum ſchola verſari, à quibus vapularent diſcipuli, qui Euſtochium *nomen* proprium Virginis dicerent, erat enim cognomen filiæ Toxotii & Paulæ, illius autem nomen Julia erat. Scribit *Hieronymus* de D. Paula epiſt. 27. *Juncta eſt Toxotio, qui Æneæ, & Juliorum altiſſimum ſanguinem trahit, unde etiam filia ejus virgo Euſtochium Julia nuncupatur.* Ex quibus corrigo *Glandorpium*, qui Toxotios Juniis accenſuit in Onomaſtico. Quod etiam ex Capitolino in juniori Maximino patet. *Deſponſata*, inquit, *illi erat Julia Fadilla proneptis Antonini, quam poſtea accepit Toxotius ejuſdem familiæ Senator.* Errat autem Gruterus, qui *Juniam Fadillam* legit. Sed debis aliàs; neque enim te, qui nomen Virginis pro cognomine poſuiſti, Orbilii ferulæ ſubjiciam; non ſum erga amicum tam rigidus in Grammatica cenſor, qualem te erga me profiteris. Notat *Chiffletius* pag. 45. notarum in epiſtolas Paulini Nolani in editis voluminibus in calce epiſtolæ ad Pammachium *Euſtochium* legi, *cum alioquin*, inquit, *Euſtochia aſcribatur in MSS. Puteano, & Viennenſi.* Codicem verò Puteanum vocat pag. 8. *perquam antiquum, & optimæ notæ.* Tranſeo ad Glycerium *Terentii*; video enim te parùm veterum monimenta callere, & præſertim *Priſciani*, quem alterum contra me judicem, ſeu teſtem appellas. Notat *Priſcianus*, nomina fœminarum deſinentia in UM figuratè, non verò propriè ſic elata. Do ejuſdem verba ex lib. 6. *Inveniuntur tamen*, inquit, *apud Comicos multa hujuſcemodi Græcorum nomina quibus articulos fœminini generis neceſſariò ſignificationis gratia præponere ſolent, ἡ Δόρκιον hæc Dorcium, ἡ Γλυκέριον hæc Glycerium;*

Digitized by Google

rium; hoc autem ſolet fieri adulationis cauſa, ſive diminutionis ætatis. Idem lib. 5. ſcribit nomina fœminarum deſinere in UM *figuratè, ut Glycerium mea, Dorcium, & Philotium.* Quare ſi Glyceria per imitationem tantum Græcorum a Latinis Glycerium dici potuit, propriè, & rectè, hoc eſt, Latinè loquendo Glyceria, non Glycerium dici debuit. Quid ergo ais: *Nec Glycerium Glyceria vocari potuit?* Imò paſſim apud Latinos illius nominis fœminam *Glyceram* appellatam video. *Martialis* lib. 11. epigr. 41. ait:

Reſpondit Glyceræ dolere dentes.

Horatius lib. 1. Ode 19.

Urit me Glyceræ nitor,
Splendentis Pario marmore purior.

Ode 30.

O Venus regina Gnidi, Paphique,
Sperne dilectam Cypron, & vocantis
Thure te multo Glyceræ decoram
Transfer in ædem.

Idipſum ex pluribus inſcriptionibus apparet. Unam & alteram ſubjiciam. Romæ ad D. Clementis:

FLAVIA. DOMITILLA. FILIA. FLAVIÆ. DOMITILLÆ
DOMITI. IMP. CÆSARIS..... ANI. NEPTIS. FECIT. GLYCERÆ. L.
ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM

Altera apud Gruterum pag. MVIII. 6.

D. M.
FLAVIO. SEVERO
FILIO. KARISSIMO
QVI. VIXIT. ANN. VI. M. V.
FLAVIUS. VITALIS. EVOK. ET
GLYCERA. PARENTES
INFELICISSIMI.

Ex his intelligis nomen *Glyceræ* familiare Latinis fuiſſe. Unde & in faſtis Romanæ Eccleſiæ ad diem 13. Maii leges: *Heracleæ S. Glyceriæ Martyris.* Imò non modo apud Latinos, verùm etiam apud Græcos Glyceriam, ſeu Glyceram legimus: Laudatur à *Simocatta* lib. 1. & 8. de rebus Mauricii Imperatoris cultus Γλυκερίας τῆς Μάρτυρος *Glyceriæ Martyris.* *Athenæus* lib. 13. inter famoſas mulieres recenſet τὴν Γλυκέραν, *Glyceram,* quam ab Harpalo Athenas accitam ſcribit. *Lucianus* de Rhetorum præcept. cum Thaide, & Malthace Γλυκέραν *Glyceram* nominat. Notabat autem laudatus *Priſcianus* lib. 6. Glyceram fœminam per quamdam adulationem (ipſe dicerem feſtivitatem) neutrali nominis terminatione expreſſam. Ita *Athenæus* ibidem ex Machone poeta hæc carmina recitat:

Glycerium, quam ab amatore acceperat
Corinthio, æſtivam veſtem ſtatim
Fulloni tradidit.

Lucianus etiam in dialogis meretricum Γλυκέριον *Glycerium* nominat. Et quidem meretrices à Plauto in Græca terminatione efferuntur. Ita appellantur *Silenium,* & *Gymnaſium* in Ciſtellaria; *Philocomaſium,* & *Acroteleutium* in Milite; *Phœnicium* in Pſeudolo &c. Ita etiam ſcortorum nomina exhibet *Ariſtænetus* lib. 1. epiſt. 14. & 24. lib. 2. epiſt. 13. Vide, mi *Macedo,* quales libros tua illa cenſura Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ profeſſorem appellare cogat!

Sed, uti es acuto, & ſubtili ingenio, repones mulierem, quæ apud *Terentium Glycerium* dicitur, numquam Glyceram potuiſſe nuncupari, ſicuti nec quæ Glycera nominabatur, Glycerium in recto caſu dici potuiſſe. Sed parum hocce te effugium juvat. Relege memoratos dialogos *Luciani*: videbis uni illorum ab auctore titulum dari ΓΛΥΚΕΡΑ ΚΑΙ ΘΑΙΣ: *Glycera, & Thais*; at in dialogo ſcribitur Γλυκέριον *Glycerium.* Ita legitur in editis codicibus, & in duobus MSS. Sereniſſimi Magni Ducis in pluteo LVII. Atque ita omnino interpretantur viri doctiſſimi Jacobus Micyllus, & Joannes Benedictus, in titulo: *Glycera, & Thais,* in textu *Glycerium* vertentes. Magnus *Baronius* in notis ad diem 13. Maii lit. C. ait: *Glyceriæ, ſive Glyceræ.* Idem in annalibus A. 175. *Glyceriam* martyrem laudat, quæ in ejuſdem tomi indice *Glycerium* dicitur. Redeo ad Glycerium *Terentii.* Scis Andriam *Terentii* eſſe *Menandri* comœdiam, quam ille Latio ſe donaſſe teſtatur in prologo.

Menander fecit Andriam, & Perinthiam.

At Glyceram meretricem dilectam à *Menandro Athenæus* lib. 13. teſtatur: *Glyceram amatam Menandro norunt omnes.* Græcè Γλυκέραν leges. Quare *Menander* amaſiam fabulæ inſeruit, quemadmodum noſter *Maro* ſuum Alexin in ſecundâ eclogâ cantavit. Et quamvis malo Græcæ poeſis fato *Menandri* comœdiæ interierint, palam fit ex interpretatione *Terentii, Glycerium* in Græca fabula appellatam, quam *Athenæus Glyceram* nominavit. Quid ergo ſcribis: *Nec Glycerium apud Terentium in Andria Glyceria vocari potuit?* Claudat agmen vir utriuſque idiomatis peritiſſimus *Gentianus Hervetus,* cujus eruditas interpretationes poteris per otium legere apud Poſſevinum. Hic primus Lauſiacam hiſtoriam *Palladii* Epiſcopi Helenopolitani Latinis auribus donavit. Porrò ſcribit cap. 86. *Illic* Evagrius *excipitur à beata Melania.* Poſtea: *Dicit ei beata Melanium.* Idem cap. 97. *Huic aliquando Melanium junior magnæ Melaniæ neptis, de qua dicam poſtea, miſit quingentos nummos.* Denique cap. 118. *Cum autem, inquit, ſuam quoque neptem Melanium &c.* Quod tu *non licere uſurpari* dicis, *Hervetus* non tantùm ſemel, ſed iterum, ac tertiò uſurpavit, eandem fœminam Melanium, & Melaniam promiſcuè nuncupans, cum tamen in textu Græco Palladii nunquam Melanium inveniatur, ſed fœmininâ terminatione idem mulieris nomen ſemper efferatur. At tu *Herveto* eruditior ſcribis: *Non erat libera, nec promiſcua illa declinatio, ſed neceſſaria Grammaticæ conſtructio.* Audebiſne tantis ſcriptoribus oppedere? Itane *Martialem, Horatium, Lucianum, Athenæum,* & interpretes *Micyllum,* & *Benedictum, Hervetum, Roſweydum,* & ſi ſuperis placet, magnum *Baronium ab Orbilio caſtigandos* pronunciabis, & *imperitiæ grammaticæ* accuſabis? Expunge potius præcipitem tuam illam cenſuram, à qua, ſi melius Veterum ſcripta luſtraſſes, non dubito quin abſtinuiſſes, ne inſulſus alienæ grammaticæ caſtigator haberere. Si tamen roges, cur Patres, quos initio laudavi, pro *Albina,* & *Melania* poſuerint *Albinum,* & *Melaniam?* docebit te *Roſweydus* in notis ad epiſtolam 44. S. Paulini, cujus verba non laudo, quod velim bibas ex fonte. Jam vides, jam ſentis, Amice, tuam illam cenſuram, quam veluti inſigne tui operis documentum in indice ſic exaraſti: *Noris imperitiæ grammaticæ arguitur,* tot teſtimoniorum pondere eliſam jacere. Ne tamen inhumanus cenſear, ſepulcrale eidem ſaxum impono, addito epitaphio, quo juſta illius oppreſſio uncialibus characteribus exprimatur. Ex Gruterianis acervis illud exporto:

SATVRNINVS *Pag 825. 6.*
SEVERI. V. F. SIBI
ET RAMO. VRSVLAE
CON. KARISSIMAE
ACCEPTO F. ANN. VIII.
MASCVLO F. ANN. XIII.

Legent poſteri poſt *Joſephum Scaligerum* cap. 19. indicis Gruteriani, RAMVS VRSVLA. Verum

32

ſi tu ſaxo durior in ſemel concepta criſi perduras, abjecto calamo, exciſorium ſcalprum, & malleolum ſtringe, ac pro RAMO incidas RAMAE, ut vel ſilentes mortuorum manes è ſepulcrali lapide tuam in grammatica excellentiam loquantur, & ne uſquam gentium mulieris nomen maſculina terminatione elatum fuiſſe videatur.

Pag. 5. Sentio tamen iterum me in arenam abs te provocari. *Sed mittamus*, inquis, *hæc exilia, quamquam non contemnenda, ne videamur in titvilitio immorari.* Utinam quæ præ exilitate mittis, omiſiſſes, profectò ſecuriùs encyclopædiæ tuæ, cujus te non ſemel ſpecimen edidiſſe in præfatione ſubindicas, conſuluiſſes. Exilia vocas, quæ *nihil* rectiùs dixiſſes. Certè mihi gaudeo, utinam & tibi gratulari poſſem, finem logomachiæ tandem impoſitum. Pergis: *Examinemus perſonas, quibus opus illud ſuum Auguſtinus dedicavit, & uter noſtrum melius ſentiat, experiamur. Inſcriptio eſt: Albine, Piniane, & Melania.* Itaque à Grammatica ad Hiſtoriam provocas. Cave tamen, ne ubi in Grammatica non bonus corrector fuiſti, malus in hiſtoria ſcriptor habearis. Equidem libentiùs in hiſtoriarum campo, quàm intra Grammatices cancellos tecum certabo; nam ubi tu phaleratam orationis copiam, & Tulliano ore crepantes periodos conſectaris, ut tympano potius, quàm gladio pugnes; ego rebus addictus, ſervin factis, rerum geſtarum notitiam in antiquioris ætatis ruderibus ſepultam indago, ut ſi non ſermonis, veritatis tamen curam quàm maximam geram. Agedum, quid ſentias de perſonis, quibus librum de gratia Chriſti S. Doctor nuncupavit, expone.

Pag. 52. *Equidem*, inquis, *initio haud probabam nomine* Albine *ſignificari filium Piniani, ne præponeretur filius parentibus.*

Si Palladii hiſtoriam legiſſes, numquam de filio Piniani cogitaſſes; nam idem cap. 119. hæc ſcribit: *Cum Melania ſuſcepiſſet filios duos, & utrique defuncti eſſent, venit ad tantum pro Chriſti nomine odium nuptiarum, ut hoc Piniano marito ſuo Severi Ex-præfecti filio diceret. &c.* Itaque Pinianus filios amiſerat, antequàm ex Italia diſcederet, & caſtitatis propoſitum una cum uxore Melania indueret. Scriptor vitæ S. Melaniæ apud *Surium* die 31. Decembris, narrat Melaniam prius fœminam peperiſſe, poſtea filium. *Atque*, ait, *quod natum quidem fuerat, erat maſculinum, ſimulatque autem natum, & ſancto baptiſmo fuit regeneratum, ab hoc mundo diſcedens ad eum, qui illic eſt, tranſmittitur.* Progrederis.

Ibid. *Placebat aut mutari nomen* Albine *in* Albina, *uti vult Baronius, ut ſit Albina ſocrus, aut retineri* Albinum *pro ſocero, aut avo unius duorum Piniani, & Melaniæ: & hoc arridebat magis.*

Id poſtremum, quòd ridiculum eſſet, arridebat magis. Hoc ut clariùs intelligas, & tuas haſce phantaſias me magiſtro exuas; ſcito Melaniæ ſenioris filium Albinam nobiliſſimam fœminam deſponſaſſe, ex qua Melaniam juniorem Piniani poſtea conjugem ſuſcepit. Hæc tradit *Palladius* Melaniæ ſenioris amicus ex cap. 10. Lauſiacæ, & Melaniæ, ac Piniani in Italia hoſpes, cùm in cauſa *S. Joannis Chryſoſtomi* legatus Romam venit, ut idem teſtatur cap. 121. Hæc loquitur laudatus ſcriptor cap. 118. *Cum autem* Melania ſenior *ſuam quoque neptem Melanium* (ita Hervetus interpretatur, noli de nomine profligatam litem reſtaurare) *unà cum ejus marito Piniano, & catecheſi inſtituiſſet Albinam nurum ſuam, uxorem autem filii ſui, & perſuaſiſſet his omnibus vendere, quæ habebant, Roma eos eduxit.* Itaque avus junioris Melaniæ erat maritus Melaniæ ſenioris. At certum eſt conjugem Melaniæ ſenioris non fuiſſe in vivis anno 373. Audi *Hieronymum* epiſt. 24. *Sancta Melania calenti adhuc mariti corpuſculo, & nedum humato, duos ſimul perdidit filios.* Poſtea: *Quin imò qua illos mente contempſerit, in unico poſtea filio probat, cui omni, quam habebat, poſſeſſione conceſſa, ingruente jam hieme, Jeroſolymam navigavit.* Idem verò *Hieronymus* in chronico ad annum decimum Valentis Imperatoris ſcribit: *Melania nobiliſſima mulierum Romanarum & Marcellini quondam conſulis filia unico Prætori tunc Urbano filio derelicto Jeroſolymam navigavit.* Anno epochæ Chriſtianæ 373. à 28. Martii ex *Ammiano Marcellino* lib. 26. pag. 315. edit. *Valeſii* V. C. decimus Valentis annus labebatur. Tu verò, mi Macedo, maritum Melaniæ ſenioris, & alterius avum ſuperſtitem facis anno 418. quo *S. Auguſtinus* ſcripſit librum de gratia Chriſti; nam Albinum avum Melaniæ junioris imaginaris, cui S. Doctor laudatum volumen nuncupavit. *Palladius* cap. 117. hæc ait: *Inter quas erat etiam beatiſſima Melania Romana, quæ fuit quidem filia Marcelli conſularis, uxor cujuſdam viri, qui erat in magna auctoritate, cujus nominis non rectè memini.* Profectò prodigio propius eſt, *Palladium* utriuſque Melaniæ amiciſſimum, ac nobiliſſimæ familiæ clientem oblitum fuiſſe nominis mariti Melaniæ, illud verò à te poſt duodecim & amplius ſæcula prodi; quod, nempè, Albinus diceretur. Sed nec rectè aſſeri poteſt Albinus avus Piniani; nam circa annum 400. ut oſtendam, Pinianus, & Melania caſtitatis propoſitum ſuſceperunt, magnam paternorum bonorum partem in pauperes erogantes. Quod cum Severus Piniani frater intellexiſſet, ac locupletiſſimo patrimonio familiam Piniani pietate privatam doleret, *inſano Dæmonis inſtinctu*, inquit Auctor vitæ S. Melaniæ, *inſpiratus, aggreſſus eſt fratrem moleſtia afficere, agros avellens, fructus abripiens, omnibus modis inſultans, & vim afferens.* Idem nequiſſimis Piniani *ſervis perſuaſit, ut non ſolùm ſeipſos ſed eos quoque agros, in quibus habitabant, Severi eſſe dicerent, & eos ejus nominarent.* Ex quibus patet non modò avum, verùm etiam patrem Piniani id temporis non vixiſſe, cùm Severus Piniani fratris bona per vim occupare tentaret, & Pinianus agros, & ſervos diſtraheret, antequàm in Africam navigaret. An bona quædam caſtrenſia uni tibi nota obtrudes?

Quod autem exiſtimas Albinum fuiſſe ſaltem *ſocerum unius duorum*, eadem facilitate refellitur. Etenim ſocer Melaniæ vocabatur Severus. Id disertè legiſſes in libro memorato Palladii Helenopolitani Epiſcopi cap. 119. ubi ait: *Cùm Melania ſuſcepiſſet filios duos, & utrique defuncti eſſent, venit ad tantum pro Chriſti nomine odium nuptiarum, ut hoc Piniano marito ſuo Severi Ex-præfecti filio diceret.* Audin' ut Severus fuerit ſocer Melaniæ, non verò tuus ille Albinus? Sed nec dici poteſt ſocer Piniani, nam pater Melaniæ junioris Publicola dicebatur, quod diſcere poteras ex notis viri erudituſſimi *Petri Fr. Chiffletii* in *Paulini* epiſtolas p. 1. cap. 24., & rurſus p. 2. cap. 26. & 34. Mirari lubet undenam *tantam*, ut Hieronymi verbis utar, *habeas mutandorum nominum poteſtatem*, ut Severo, & Publicolæ Albini nomen imponas? *Hoc*, inquis, *arridebat magis.* Querebar de te, quòd cap. 11. pag. 64. tuæ apologiæ me *Pyrgopolynicen* dixiſſes, ſed in poſterum querelas compeſcam, cum te videam tam eruditum nomenclatorem. Nondum tamen illud agnomen demerui, ſcis enim
ex Plauto, Pyrgopolynici dictum: *ſexaginta Mace-* In milite
dones unâ die occidiſti. Cùm integrum tuum volumen confutavero, ac te unum Macedonem dejecero, tunc, ut libet, ut lubet, me Pyrgopolynicem nuncupato. Addis.

Baronius mutat Albine *in* Albina, *& mendum pu-* Pag. 53.
tat, non tamen improbat Albine *pro filio Albinæ, ut ſit ſenſus* Albine *vir. Noris ait,* Albine *retinendum, eoque nomine ſignificari fœminam pro illius ætatis licentia ob rationem proximè adductam. Ego contra ſentio omnino legendum* Albine *maſculini generis.* Ubi, u-
bi, amice, Baronii defenſio, quam in titulo capitis Pag. 47.
promiſeras? *Vindicatur ab ejus nota Baronius.* Peream, ſi ſemel promiſſam toties in hoc tuo opere *Baronio* defenſionem commodaſti. Toto, ut ajunt, oſtio ab eo aberras, cùm te ejuſdem ſectatorem publicas. Hæc ad oculum demonſtro in apologia, quam procudo. *Baronius* ſcribit, mendum in vocem *Albine* irrepſiſſe, cum Albina Melaniæ mater dicenda ſit. Ego quod perſonam attinet, Baronio conſentio, nego tamen mendum irrepſiſſe, cùm utramque nominis terminationem Albina ſubire potuerit. At tu contendis *Albine* legendum, & hunc virum putas, qui fuerit aut avunculus, aut pater, aut ſocer,

aut Patruus Piniani. Hoccine eſt *Baronium* à *Noris* nota vindicare? De unica tantum littera cum *Baronio* quæſtionem habeo, nempe quod Albina mater Melaniæ in caſu vocativo *Albine* ob illius ætatis licentiam appellata fuerit. Tu ſexum omnino mutas, & quam *Baronius* fœminam rectè dixit, tu maſculum facis; Imò ubi ille de filio Albinæ ſuſpicatur, tu Albinum non cognatum Piniani cum *Baronio*, ſed avum, aut patrem, aut avunculum ejuſdem imaginaris. I nunc, & temet *Baronii* advocatum vendita, cum eidem quam maximè adverſere. Quid in mente habebas, cum hanc egregiam tuam *Baronii* defenſionem litteris mandabas? Procedis.

Pag. 54. *Id elicio ex verbis Auguſtini*; *Quippe ait:* ſinceriſſimi fratres, dilecti à Deo Albine, Piniane, & Melania, *quod nomen* fratres *ſignificat majorem partem maſculos eſſe, & epitheta confirmant*, ſinceriſſimi, dilecti.

Vereor ne Theraſiam quoque *S. Paulini* uxorem in virum mutes; nam in titulo epiſtolæ 34. *S. Auguſtini* hæc leguntur: *Dominis dilectiſſimis, & ſinceriſſimis, verè beatiſſimis atque abundantiſſima Dei gratia Fratribus Paulino, & Theraſiæ.* Et in medio epiſtolæ: *Sancti fratres, & dilecti Deo.* In calce verò: *Domini dilectiſſimi, ſinceriſſimi, verè benigni, & abundantiſſima Domini gratiâ præſtantiſſimi fratres.* Ubi vides titulum utrumque conjugem appellare, licèt genus nominum à digniori deſumatur. Ita unus Pinianus, quod genus attinet, illa epitheta regit, licet unà ſimul ſocrus, & uxor deſignentur. Addis.

Ibid. *Quis autem eſſet ille Albinus, latet.* Hic Rhodus, hic ſaltus; hoc opus, hic labor eſt, ô *Macedo.* Dixeras in titulo hujuſce tui capitis ſeptimi: *Qui fuerit Albinus, Pinianus, & Melania, exponitur.* De Piniano, & Melania hoc tantùm dicis, fuiſſe conjuges, ac præterea nihil. Albini nomen utramque paginam implet. Adeſdum: expone quis fuerit. Reſpondes: *latet.* Ad jus tituli te, velis, nolis, voco. Obligatam fidem imple, ne magni hiatus, ut ait *Horatius*, promiſſor dicare. Memento te dixiſſe: *Qui fuerit Albinus exponitur.* Si latet, te judice, non exponitur. Nihilne tibi ſuggerit, quam in præfatione

IV.II.69. jactas, Encyclopædia? Liceat ex Trinummo *Plauti* reponere:

Vide homo ut hominem noveris!

Ego tamen, inquis, *exiſtimo fuiſſe aut Patrem, aut Socerum, aut Patruum; aut Avunculum Piniani, ut ſit major natu, & propter ætatem primas vendicet.* Ita putaſti repetito quater *aut, aut*, compendio Albinum tuum illum virum expoſuiſſe; illa enim disjunctione tanquam Ariadneo filo uſus ex intricato Albinianæ genealogiæ labyrintho evaſiſti. Heu quantis, amice, erroribus implicaris! Non fuit Albinus Piniani pater, nam ex Lauſiaca hiſtoria, cujus verba ſuperiùs dedi ex cap. 119. pater Piniani dicebatur *Severus Ex-præfectus.* Exſtant reſcripta trium Auguſtorum ad Severum Præfectum Urbi in Cod. Theod. *L. un. De mendicantibus*, & *L. 2. de lucris officiorum* data Antonio, & Syagrio Conſſ. nempe anno 382. Pinianus autem Severi filius anno 397. quo Melania avia uxoris Piniani Siricio Pontifice, ex *Hieronymo* in apologia 2. contr. Rufinum, cum hoc ipſo ex Palæſtina Romam venit, junctus erat Melaniæ juniori, teſte *Palladio* cap. 118.

Sed nec *ſocerum* Piniani fuiſſe evidenter demonſtro. S. *Auguſtinus* lib. 2. Retract. cap. 50. hæc ſcribit. *Poſteaquam Pelagiana hæreſis cum ſuis auctoribus ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ priùs Innocentio, deinde Zoſimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum litteris, convicta, atque damnata eſt: ſcripſi duos libros adverſus eos, unum de gratia Chriſti, alterum de peccato originali.* Porrò Auguſtinus hoſce libros nuncupavit Albino, Piniano, & Melaniæ, ut capite primo ſtatim apparet. Innocentius hæreſim Pelagii damnavit anno 416. ut patet ex ejuſdem litteris datis ad Patres Synodi Milevitanæ VI. Kal. Februarias Honorio Aug. & Conſtantio V. C. Conſs. Zoſimus anno 418. eoſdem hæreticos repetita ſententia proſcripſit. Quare duo illi libri, quos Albino, Piniano, ac Melaniæ S. Doctor inſcripſit, anno eodem 418. editi ſunt. At filius Melaniæ ſenioris ſocer Piniani abhinc annos viginti è vita diſceſſerat. Scio *Baronium* ad annum 409. *Chiffletium* verò p. 2. not. in epiſt. Paulini cap. 34. & 35. anno 416. ejuſdem obitum recitare. Verum evidenter utriuſque metachroniſmos refello. Scriptor vitæ S. Melaniæ narrat eamdem anno ætatis decimo quarto junctam fuiſſe Piniano, & cum duos filios peperiſſet, ſimulque amiſiſſet, de vita cælibe ſeriò cogitaſſe; verùm à patre prohibitam, ne pium illud propoſitum exſequeretur. Poſtea ait: *Eis quidem è vivis excedit Melaniæ pater.* Quo quidem defuncto, Melania unà cum Piniano, thori ſocietate dimiſſâ, conceptum dudum caſtæ vitæ propoſitum exſecuta eſt. Audiatur laudatus auctor. *Illi autem cùm amotus eſſet is, qui prohibebat, quando Deo viſum eſt, & tempus vocabat, ſtatim quidem exeunt è magna civitate, urbanam multitudinem, & tumultus valere jubentes. Erat id temporis Piniano ætas viginti quatuor annorum, Melaniæ autem viginti.* *Palladius* etiam capite 119 de eadem ſcribit: *Viceſimo ergo ſuæ ætatis anno mundo renunciat.* Quare Pinianus ſuperſtite ſocero ſex tantùm annis cum uxore Melania vixit. Idem verò Palladius de Melania ſeniori ſcribens cap. 118. ait: *Multis itaque poſt annis, cum de neptis ſtatu audiſſet, & eam nupſiſſe, & velle ſæculo renunciare: verita ne fortè in aliquam abriperentur doctrinam, vel hæreſim, vel malam vitam, anus LX. annorum nata navem adſcendit, & Cæſarea navigans viginti dierum ſpatio Romam venit.* Ejuſdem in Italiam unà cum Rufino adventum, ejuſque Romam iter fuſiùs deſcribit in Epiſtola 10. ad Severum *S. Paulinus*, apud quem illa in Campania hoſpitata eſt. Cum verò vivente Siricio Melania & Rufinus Romam advenerint, ut teſtatur *Hieronymus* cum in apologia ſecunda, tum in epiſtola 16. quæ epitaphium Marcellæ inſcribitur, palam fit anno 397. qui poſtremus Siricio fuit, Pinianum junctum fuiſſe Melaniæ juniori, neque poſſe patris ejuſdem, & ſoceri Piniani obitum protrahi vel cum *Baronio* ad annum 409. vel cum *Chiffletio* in annum 416. cum ſuperſtite ſocero ſex tantùm annos cum uxore Pinianus vixerit. Exſtat de obitu ſoceri ejuſdem inſignis epiſtola 44. S. Paulini, quæ inter Auguſtinianas eſt 249. ad S. Auguſtinum, cui S. Doctor in ſequentem epiſtolam 250. repoſuit, ex qua annus obitus filii Melaniæ ſenioris, qui Piniani ſocer fuit, clarè mihi deducitur. Hæc ibi leguntur: *Proinde ad iſtam lætitiam, qua vobiſcum eſt Frater Poſſidius, cum ex ipſo audieritis, quàm triſtis eum cauſa compulerit, hoc me veriſſimè cognoſcetis &c.* Triſtis verò cauſa, quæ Poſſidium Epiſcopum ad navigandum in Italiam compulit, traditur ab eodem *Auguſtino* epiſt. 202. ad Nectarium. Etenim Gentiles Calamæ in Numidia, cujus ſacris Poſſidius præerat, facto tumultu lapidibus, dein facibus Eccleſiam Chriſtianorum evertere conati, ipſum Poſſidium Epiſcopum ad necem quæſiverant. Quod facinus ſcribit *Auguſtinus* perpetratum adverſus *recentiſſimas leges* contra Paganos ab Imperatoribus Arcadio, & Honorio latas in Africa XIV. Kal. Aprilis Manlio Theodoro Coſ. nempe anno 399. ut idem teſtatur lib. 18. de civit. Dei cap. 54. In eadem verò epiſtola ait tumultuatum à Gentilibus *Kalendis Juniis*, dum illi Floralia feſta peragerent. Tempus verò navigationis Poſſidii ex altera Auguſtini ad Nectarium epiſtola 254. colligitur, ubi ait: *Nam ego reſcripſeram, cum adhuc nobiſcum eſſet, neque navigaſſet Sanctus frater, & Coepiſcopus meus Poſſidius. Has autem, quas mei cauſa illi dignatus es reddere, accepi VI. Kal. Aprilis poſt menſes fermè octo, quàm ſcripſeram.* Itaque Poſſidius anno 399. ineunte Auguſto nondum in Italiam transmiſerat, qui tamen anno 400. ante VI. Kal. Aprilis in Africam redierat, cum ante illud tempus Nectarius Calamenſis eidem S. Auguſtini literas tradiderit. Imò ſi exactiùs rem velis inveſtigare; notes, precor, Paulinum in laudata epiſtola 44. in qua de obitu ſoceri Piniani, ac conſtantia matris Melaniæ cum laude loquitur, ſcribere ſe circa diem feſtum Apoſtolorum Petri, & Pauli litteras *Auguſtini* accepiſſe

à Va-

Digitized by Google

à Victore Diacono, qui aliquandiu Romæ antea moratus, non curaverat citiùs eaſdem ad ſe in Campaniam tranſmittere. Quid verò in illa epiſtola *Auguſtinus* ſcripſerit, attende. *Docuiſti me*, inquit, *in ſpiritu veritatis ſalutare moderandi in occiduis mortalibus animi temperamentum, quo & illam beatam matrem, & aviam Melaniam fleviſſe carnalem obitum unici filii, taciturno quidem fletu, non tamen ſicco à maternis lacrymis dolore vidiſti.* Ex his colligas ſocerum Piniani, filium Melaniæ ſenioris, & junioris patrem, obiiſſe ante Majum A. 399. cum Paulinus conſtantiam matris in morte filii ex litteris *Auguſtini* intellexerat circa feſtum Apoſtolorum, ut teſtatur in epiſtola 44. cui alteram, quæ eſt 250. repoſuit *Auguſtinus*, degente in Italia Poſſidio, qui poſt Julium ejuſdem anni ex epiſt. 254. ex Africa ad Comitatum navigaverat. Hæc fuſiùs dixi, non quod tanti fuerit, tuas de Albino ſocero Piniani imaginationes refellere, ſed ut epiſtolarum Sanctorum *Paulini*, & *Auguſtini* tempus innoteſceret, cùm *Baronius*, & *Chiffletius* alieno prorſus tempore eaſdem recitent. Vide quanti faciam tuam illam planè frigidam admonitionem pag. 287. in fine operis contra Lupum: *Norit Noris, cum à Principe Eccleſiaſticæ hiſtoriæ recedit, à vero recedere. Baronium* & veneror, & nocturnâ, diurnâque manu illius digniſſimos cedro annales evolvo; haud tamen ita viro deditus ſum, ut eumdem veritati præferendum ducam. Sed de his plura habebis in apologia. Utinam tu, qui antiquos fontes, unde plurimarum rerum ad Albinum, Pinianum, ac Melaniam ſpectantium, notitiam haurire poteras, inquirere neglexiſti, deductos ſaltem inde *Baronii* rivos adiiſſes. Sanè didiciſſes ſocerum Piniani anno 409. obiiſſe, vel eo ipſo anno illius obitum à magno annaliſta recitari, neque eumdem anno 418. ſuperſtitem cogitaſſes. Itaque errati duplicis convictus es, qui Albinum putaſti Piniani Patrem, aut ſocerum. Addis *aut patruum*. Hic me veterum monimenta deficiunt. Interim ex Trinummo Plauti reſponſum accipe.

Ẏ. II. 8.

Neque novi: neque natus, necne is fuerit, id ſolidè ſcio.

Denique concludis: *aut avunculum*. Superius ſcripſeras pag. 52. poſſe *retineri Albinum pro ſocero, vel avo unius duorum Piniani, & Melaniæ: & hoc arridebat magis*. Riſum amice teneas, qui modò Albinum non avum, ſed *avunculum* Piniani exiſtimas. Videris velle univerſam Piniani cognationem, & affinitatem comprehendere, dum ſcribis Albinum fuiſſe ejuſdem *aut patrem, aut ſocerum, aut patruum, aut avunculum*. Quæſo te, cur Avum omiſiſti, de quo tamen modò cogitaveras? Cur tam citò avus in avunculum transmigravit? Pudet me bonas horas tuis hiſce phantaſiis refellendis inſumere.

Horum autem omnium rationem reddis. *Ut ſit major natu, & propter ætatem primas vendicet.* Rem non intelligis. Ideo *Auguſtinus* in laudata inſcriptione Albinum priori loco nominavit, non quòd vir ille eſſet major natu aliis duobus, ſed quia cum illi tres litteras communes pro Pelagio, quocum erant in Palæſtina, ad *Auguſtinum* in Africam exaraſſent, Pinianus ſocrui Albinæ ob ætatis prærogativam, & quòd filii loco ab eadem amabatur, unde S. Doctor epiſt. 225. eumdem Albinæ *filium* dicit, priorem in ſubſcriptione litterarum locum honoris & reverentiæ gratiâ detulit. Hinc illis reſpondens *S. Auguſtinus*, eumdem in inſcriptione ordinem ſervatum voluit, quem in inſcriptione eorumdem notaverat. Ita, teſte *S. Poſſidio*, in indiculo epiſtolarum S. Patris, hanc inter ceteras inſcriptionem ponit: *Albinæ, Piniano, & Melaniæ*; ubi ſocrus ante generum nominatur. Hinc obſerves *Auguſtinum*, ejúſque coætaneos Patres, *Poſſidium* ac *Proſperum*, quoties memoratos libros appellare opus fuit, vel nomina fœminarum Albinæ, & Melaniæ, omiſiſſe vel Pinianum fœminis præpoſuiſſe. Audi noſtrum S. Doctorem, *in quo* gloriaris pag. 287. *habitare*, lib. 4. con. Jul. cap. 8. *In noviſſimis enim partibus primi libri mei ad S. Pinianum, cujus eſt titulus de gratia Dei contra Pelagium.* S. Poſſidius Epiſcopus Calamenſis, in catalogo librorum Auguſtinenſium ait: *Contra Pelagium & Cæleſtium de gratia Chriſti, & peccato originali libri duo ad Pinianum, Albinum, & Melaniam.* Videſne hic Pinianum fœminæ Albinæ anteponi, non ob ætatis privilegium, ſed ob dignitatem ſexûs? Vocat illam *Albinum*, non *Albinam*, ut jam ſatis ſupérque intelligas, nullo jure tantum Grammaticorum pulverem abs te in virum amiciſſimum excitatum. *S. Proſper* in fine operis contra Collatorem recenſens pleroſque libros Auguſtini, inter eoſdem nominat *ad S. Pinianum duos*. Fatere, in illa inſcriptione non virum Albinum, quem fingis, ſed Albinam ſocrum ob ætatis privilegium priores partes tuliſſe, cùm aliàs ob ſexûs dignitatem vel unus, vel priori ſaltem loco Pinianus gener collocaretur.

Addo, inquis, *Auguſtinum epiſtola 227. ſcribere* Pag. 54.
Albino, Piniano, Meliano, qui videntur eſſe iidem, quos nominavimus, niſi in Meliano *mendum ſit, ac legendum ſit* Melaniæ. *Itaque mihi penè perſuaſum eſt Albinum eſſe retinendum, ut virum ſignificet.* Si *Poſſidy* indiculum legiſſes, hanc tuam de maſculo Albino opinionem depoſuiſſes. Ita illius epiſtolæ titulum ibidem recitat: *Albinæ, Piniano, & Melaniæ.* Eamdem mulierem Albinum vocat *Auguſtinus*, Albinam ejuſdem collega *Poſſidius* nuncupat. Si audiviſſes Scriptorem vitæ S. Melaniæ, numquam eidem Albinum virum ſocrum apud Africam poſuiſſes. *Cumque*, inquit, *Melaniæ ita viſum eſſet, mare eam ſuſcepit, cum ſimul adeſſet mater*, nempe Albina, *& Pinianus.* Anno 410. Albina ſocrus cum filia, & genero erant in Sicilia, quo tempore Alaricus Calabros vaſtabat. *Rufinus* in præfatione ad Homilias *Origenis* ſuper Numeros, quem ſuo auctori reſtituit vir omni præconio major *Emericus Bigotius*, ac *Henrico Valeſio* V. C. communicavit, hæc ait: *Quamvis amantiſſimus filius noſter Pinianus, cujus religioſum cœtum pro amore pudicitiæ profugum comitamur, ſujungat & alia.* Ibidem verò injectas Rhegio oppido faces *anguſtiſſimo freto* è Siciliæ litore ſe proſpectaſſe teſtatur. At mortuo paullò poſt Rufino, Albina, Pinianus, & Melania ſe ad Alypium Tagaſtam contulere; quorum adventu intellecto, ſcripſit ad eoſdem *Auguſtinus*, non poſſe ſe Hippone diſcedere, hiemis rigorem cauſatus. Cùm verò ſeptem in Africa annos degiſſent, in Palæſtinam tranſmiſerunt, ut conſtat ex actis S. Melaniæ; inde litteras pro Pelagio anno 418. ad *Auguſtinum* ſcripſerunt, quibus duos doctiſſimos libros ſanctiſſimus Pater repoſuit.

Laudaveram *S. Paulini* epiſtolam inter Auguſtinianas 249. in qua *Melanio* pro *Melania* ſcribitur. Ejus verba ſunt: *Sed ceſſo plura de memoria tam dilecti mihi, quam devoti Chriſto hominis enarrare, cum & priſtinis litteris non pauca ſuper eo narraſſe me repetam, & nihil poſſim de beata hujus filij matre, & ſanctorum patre radice ramorum Melanio melius, aut ſanctius prædicare, quàm ſanctitas tua in eam profari, & diſputare dignata eſt.* Hæc verba minùs mihi intellecta ſcribis. *Fefellit*, inquis, *illum quod putavit illud* Melanio *Melaniæ eſſe attribuendum, & unam hic tantùm perſonam ſignificari.* Poſtea: *Verùm duæ hic perſonæ nominantur, mater & filius: Melania, & Melanius.* De beata, *inquit*, matre: *ecce una*; & ſanctorum patre radice ramorum: *ecce altera, id eſt Melanius.* Si Roſweydi *eruditiſſimi, & elegantiſſimi* notas in laudatam epiſtolam legiſſes, textûs mendum, quod te fefellit, adnotaſſes. Scribit vir inſignis pag. 887. *Antecedentia, & conſequentia docent legendum, ſanctorum* PARITER *radice ramorum Melania; nuſquam enim alibi mentio Melany patris. At de Melania, & ante locutus erat, & continuò ſubjicit. Videndum an fortè dictum ſit Melanium, ut Glycerium.* Et rectè. Nam ſi matrem Melaniam, & patrem Melanium immediatè poſuiſſet, dixiſſet non *in eam*, ſed *in eos profari dignata eſt.* Adde filium Melaniæ appellatum non Melanium, ſed Publicolam, ut in notis ad eaſdem epiſtolas Paulini non uno loco tibi indicare poteſt *Chiffletius*. Verùm duobus hiſce celeberrimis è Societate Jeſu ſcriptoribus aures denegaſti; cur te ipſum ſaltem non audiſti? Nonne dixeras ſocerum Piniani Albinum nominatum? quo jure alterum eidem

fratrem

Digitized by Google

fratrem Melanium addis? An fortè dicturus es, duos fuiſſe Melaniæ filios, quorum unus Melanius, cujus morti Paulinus indoluit, alter verò Albinus Melaniæ junioris pater, & ſocer Piniani? O te! Ab anno 373. unici filii mater remanſerat vidua Milania. Scribit *Palladius* cap. 118. *Non eſt abſtracta a cupiditate filii, non eam divisit à caritate Chriſti unigenitі filii deſiderium.* Scribit Hieronymus *epiſt.* 24. *Quin imò quæ illos mente contempſerit* (nempè mortuum maritum, ac binos filios) *in unico poſtea filio probas.* Scribit *Paulinus* epiſt. 44. *Melaniam fleviſſe carnalem obitum unici filii ſui.* Tu verò contra oculatorum teſtium dicta duos Melaniæ filios obtrudis, Albinum, & Melanium, cùm unicus illi filius Publicola fuerit. Si vidiſſes hæc *Hieronymi* verba in epiſt. 41. ad Rufinum: *Erat nobiſcum & Hilas Sancti Melanii famulus*, profectò tibimet pro Melanio viro triumphum cecíniſſes. Sed textûs mendum corrigendum eſt ex optimo MS. bibliothecæ Sereniſſimi Magni Ducis in pluteo XIX. ubi *Sanctæ Melaniæ* legitur. Fortè *Sanctæ Melanii* ſcriptum fuit à *Hieronymo*, quæ exſcriptores haud percipientes, vel textum corruperunt, *Sancti* reddentes, vel ſine neceſſitate emendarunt, *Melaniæ* exprimentes. Corrigendus inſuper eſt ſcholiaſtes *Barony*, qui ad A. 409. ubi eruditiſſimus Cardinalis recitat epiſtolam *Paulini* ad *Auguſtinum*, ponit in margine: *Melanius pater Melaniæ*; etenim de Melania ſcribit Palladius cap. 117. *Fuit quidem filia Marcelli conſularis.* Scio in Chronico D. *Hieronymi* ad annum decimum Valentis dici Melaniam *Marcellini Conſulis filiam.* Sed *Rufinus* lib. 2. invect. in *Hieronymum* referens verba Chronici Hieronymiani ſcribit: *Marcellini conſulis neptem.* Geſſit autem Flavius Marcellinus conſulatum cum Probino collega anno 341.

Putabas, Amice, Albini tui genealogiam repetitis illis *aut, aut*, tanquam facibus illuſtrare, ſed non modò illam denſiſſimis tenebris involviſti, verùm etiam palam feciſti quantam lucis in Eccleſiaſtica hiſtoria jacturam patiaris. Quæſo te, ne moleſtè, & acerbè feras, *Auguſtini* verbis ab amico admoneri: *Si ergo penitus inſtructus non es, cur non penitus taces, aut ita loqueris, ut inſtitui te deſideres?* Lib. 1. con. Creſconium cap. 3. Cum tuam provocationem in hæc planè verba concepiſſes: *Examinemus perſonas, quibus opus illud ſuum Auguſtinus dedicavit, & uter noſtrum melius ſentiat, experiamur*, conſulere debueras veterum ſcriptorum volumina, ut inde perſonarum, de quibus mihi litem intendebas, notitiam haurires. Laudantur tres illæ perſonæ, earumque agnati ab *Auguſtino, Hieronymo, Paulino, Palladio, Rufino, Poſſidio*, qui non modò eiſdem convixere, ſed etiam eaſdem de facie noverunt, illarumque fuere hoſpites, & clientes, vel encomiaſtæ. Dicis cap. 3. pag. 25. *Novit Noris meus familiaris, cum me eſſe, qui ſummâ curâ, & intentione auctores lego, ac iis me inferre, ac penitus introducere, ac eorum ſenſum diligenter inveſtigare.* Sanè ſi ad tribunal vocer, non auſim tale pro te teſtimonium dicere; ſiquidem ſuſpicor, cùm illa ſcribebas, te ne ſemel quidem memoratos Auctores vidiſſe, nedum totum *te iiſdem intuliſſe, ac penitus introdediſſe.* In præfatione tui operis, adverſus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ profeſſores, laxatis eloquentiæ tuæ habenis, grandi verborum ſtrepitu declamans, *Bajulos*, inquis, *agunt non auctores; in dorſo ſtudium; non in cerebro.* Et rurſus: *Et quidem ii nihil afferunt ab ingenio, à dorſo multum, cum aliò comportant, quæ invenerunt.* Ita eſt, mi *Macedo*, doſſuarius homo ſum, & bajulum ago, & plerumque ſub librorum onere deficio. Tu verò, qui dedignaris hiſce bajulis, ac ſi eſſent ultima de fæce ſaburræ, accenſeri, omnia *ab ingenio* affers, *à dorſo* nihil, *auctorem*, non *bajulum* agis. Vah quàm feliciter! Etenim *ab ingenio* tuo eſt filius Piniani, & Melaniæ anno 418. ſuperſtes. Hunc doſſuarii ex lectione libri de vita S. Melaniæ id temporis vixiſſe ne cogitarunt quidem. *Ab ingenio* tuo eſt avus Melaniæ junioris, anno eodem in Palæſtina degens. Doſſuarii ex Chronico *D. Hieronymi* eumdem anno 373. defunctum putant. *Ab ingenio* tuo eſt Piniani pater Albinus. Hunc doſſuarii ex *Palladii* Piniani ejuſdem hoſpitis Lauſiaca Severum vocant. *Ab ingenio* tuo eſt Piniani ſocer Albinus anno 418. inter homines ambulans. Hunc doſſuarii ex *Auguſtini*, & *Paulini* litteris ante annum 400. diem obiiſſe teſtantur. *Ab ingenio* tuo ſunt patruus, & avunculus Piniani. Hos miſeri doſſuarii in nullis veterum monumentis inveniunt. *Ab ingenio* tuo, in laudata inſcriptione libri de gratia Chriſti, primas ſibi vendicat Albinus. Doſſuarii ex *Auguſtino*, & *Poſſidio*, & *Proſpero* priorem Piniano tamquam viro locum concedunt. *Ab ingenio* tuo Albinus vir Piniani, & Melaniæ ſocius in Africa publicatur. Doſſuarii ex libro de vita Melaniæ horum ſociam Albinam fœminam faciunt. *Ab ingenio* tuo ſunt duo ſenioris Melaniæ filii, Albinus, & Melanius. Doſſuarii ex *Hieronymo, Paulino*, & *Palladio* unicum eidem filium fuiſſe pronunciant. *Ab ingenio* denique tuo eſt quidquid cogitas, dicis, ſcribis. *A dorſo* meo eſt, quidquid ad te confutandum inveni. Poetarum eſt, mi *Macedo*, omnia afferre ab ingenio. Poemata, elegiæ, & argutiſſima illa epigrammata, quibus Ethicas lectiones in Paravina cathedra tam lepidè me toties audiente concludere conſueſti, *ab ingenio* tuo eleganti, acuto, erudito derivare, ne Zoilus quidem inficias ibit. At cùm hiſtorias quoque præter omnium veterum ſcriptorum fidem, *ingenio* tuo obſtetricante, in litteras mittis, nonne illud *Martialis* repetere poſſumus,

Hiſtorias bellas, carmina bella facis? Lib. 2. VII.

Perge, Amice, *ingenio* fidere, & *Bajulis dorſi* laborem, ac graves, crebróſque ſub vaſto voluminum pondere anhelitus exprobra, ut hiſtoriæ, quas tam bellè compingis, ab ingenio, non modo verborum elegantiam, verùm etiam eventuum fidem accipiant. Scribis pag. 55. *Non eo hæc dico, quod velim convicium facere doctiſſimo viro, mihique amiciſſimo, ſed ut aliquid dem lepôri, & ſalibus, quibus interdum ſcripta moleſta, & inſipida, ſunt condienda.* Quæ verba in calce capitis ſeptimi loqueris, in quo de Albino grammaticam, & hiſtoricam mihi quæſtionem intuliſti. Non recuſo, ut cum Satyrico loquar, *Euge tuum, & bellè.* Perſius Sat. I. 49.
Profectò quis te, ô *Macedo*, non lepidiſſimi judicii hominem fateatur, qui me *doctiſſimum* vocas, ſimulque *ab Orbilio caſtigandum* dicis? Quem appellas *amiciſſimum*, toto tuo ſale perfricas, quod hoſtili rabie ſuper dirutarum urbium ſolum ſæpius ſparſum accepimus. Credas non dicam doctiſſimo, *quia*, ut *Petronii* verbis utar, *non ſum de glorioſis*, ſaltem *amiciſſimo*, te multum olei, & operæ, plurimum verò etiam ſalis perdidiſſe, dum eodem tua ſcripta condienda exiſtimaſti, veritus ne illa *moleſta & inſipida* Lectoribus viderentur. Etenim ſi ſali peperciſſes, tot lepidis de Glyceria, & Glycerio, de Melania, & Melanio ſcholiis conſperſa ſunt, tam bellis hiſtoriolis de Albino *aut patre, aut avo, aut avunculo, aut ſocero, aut patruo* condita, ut minimè dubitem, quin eruditi non modò hilari animo, verùm etiam ore ridenti eadem lecturi ſint. Certè egomet, qui tamen illis impetor, non potui, cùm illa legerem, à riſu temperare.

Quoniam tuæ elegantiſſimæ, ſimúlque vehementiſſimæ præfationis mentio incidit, juvat unam, & alteram illius periodum hìc recitare. Hæc fulmina contra Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cultores, ſeu ut vocas, *bajulos valentiſſimos*, ore tonas: *In rutis, cæſiſque verſantur: dummodo antiquarios ſe oſtendant, ſibi ſatisfaciunt; litterarios, & ruderarios præſtant. Latomorum inſtar cædunt lapicidinas priſcorum monumentorum, & efferunt lapides, & acervos ſtruunt.* Scias velim, Bajulos illos valentiſſimos ſtrenuos etiam lapidarios quandoque agere. Saxa eadem, quà volumina, manu volvunt, ac revolvunt; ſiquidem inſcripti lapides certiſſimi illis ſunt teſtes antiquitatis. Attende, quid à lapidariis afferri poſſit, ut Albinæ, de qua tantum pulverem ab ingenio tuo excitatum video, & Pater, & Frater, & Familia etiam intelligantur. In libello de vita S. Melaniæ apud *Surium* die 31. Decembris, *Lippomanum* verò die 31. Januarii hæc de eadem recitantur, cùm Byzantium appuliſſet: *Invenit autem ſuum quoque patruum Voluſianum gravi morbo oppreſſum.* Exſtat in bibliotheca Sereniſſimi Magni Ducis idem libellus Græcè ſcriptus, inter opuſcula S. *Gregorii*

Digitized by Google

Nazianzeni in pluteo VII. Num. 6. ubi laudata verba ita leguntur: ἀφῆκεν δὲ καὶ τὸν θεῖον αὐτῆς Βολουσιανὸν χριστῷ νῦν κεκρατημένον. At falſum eſt Voluſianum fuiſſe patruum S. Melaniæ; etenim pater Melaniæ nullum fratrem habuit, cum *unicus filius* Melaniæ ſeniori fuerit, quemadmodum Hieronymus, Paulinus, ac Palladius, quorum verba ſuperiùs laudavi, diſertiſſimè conteſtantur. Quare cum Voluſianus non fuerit frater patris Melaniæ junioris, nec iſtius patruus ſcribi poteſt. Ex interpretum vitio error vulgaris derivavit. *Photius* Codice LII. Voluſiani mentionem facit, idémque ibidem nuncupatur θεῖος τῆς ἁγίας Μελάνης. At nomen illud θεῖος apud Græcos promiſcuè ſignificat fratrem patris, & matris; nempe, patruum, vel avunculum; quemadmodum apud Italos vox *Zio*, & apud Hiſpanos *Tio*, quæ verba a Græcis mutuata eſſe mihi certum eſt, idque fortè etiam oſtendet *Octavius Ferrarius* V. C. & magnum bonarum artium in Italia columen, & præſidium, in opere de origine linguæ Italicæ, quod proximè typis daturus eſt. Interpretes, quos inter *Schottus*, genealogiæ Melaniæ ignari, vocem θεῖος *patruum* Latine reddiderunt, cùm *avunculum* ſcribere debuiſſent, & quidem *Baronius* ad A. 420. rectè Voluſianum S. Melaniæ *avunculum* dixit. Itaque Voluſianus fuit frater Albinæ, & *avunculus Sanctæ Melaniæ*. Ex his Pater, Frater, ac Familia Albinæ nullis hucuſque ſcriptoribus indagata, intelligitur. Etenim illa fuit filia Rufii Ceionii Albini, ac ſoror Rufii Ceionii Voluſiani, ut poſtea oſtendam. Albinos è Ceionia gente fuiſſe patet ex epiſtola Ceionii ad Ælium Baſſianum, apud Capitolinum in Albino cap. 4. Ibi verò Clodius Albinus Ceionii filius, qui unà cum Septimio Severo Cæſar fuit, laudatur à Capitolino uti *originem à Romanis familiis* trahens; *Poſthumiorum ſcilicet, & Albinorum Ceioniorum. Quæ familia*, inquit, *hodie quoque, Conſtantine maxime, nobiliſſima eſt, & per te aucta, & augenda, quæ per Gordianos, & Gallienum plurimum crevit.* Qui verò ex hac familia, Conſtantino imperante, ſummos honores conſequutus fuerit, ex hac inſcriptione mutila colligitur apud Gruterum pag. CCCLXXVII. 5.

RELIGIOSISSIMOQVE.

C. CEIONIO. RVFO. VOLVSIANO. V. C.

CORR. ITALIAE. PER ANNOS OCTO.

PROCONSVLI AFRICAE.

COMITI. DOMINI. NOSTRI.

CONSTANTINI. INVICTI.

ET PERPETVI. SEMPER. AVGVSTI.

PRAEFECTO. VRBI. IVDICI. SACRARVM.

COGNITIONVM. CONSVLI.

At Ceionia familia ante Albinum Severi collegam Romanum Orbem moderata eſt; etenim L. Ceionius in Æliam, & Antoniam familiam transſcriptus, cum Antonino Philoſopho Auguſtus fuit, ac appellatus *L. Ceionius Ælius Commodus Verus Antoninus* ex Capitolino in vita ejuſdem initio. Illius verò pater Ceionius Commodus ab Hadriano Cæſar deſignatus, paulò pòſt improviſà morte deceſſerat. Porrò Ceionios Albinos cognomen Voluſiani habuiſſe conſtat ex hac inſcriptione apud meum Panvinium anno V. C. MXXCVII.

S. P. Q. R.

CEIONIVM.RVFVM.ALBINVM.V.C. PHILOSOPHVM.RVFI.

VOLVSIANI.IVD.ORD.CONS.FILIVM.SENAT. CONSVLTO

SVOQ.. EIVS.LIBERIS. POST.CAESARIANA. TEMPORA.I.

POST.ANNOS.CCCLXXX.ET.I.AVCTORITATE. DECREVIT.

FL. MAGNVS. IANVARIVS. V. C. VII. STATVARVM.

Cùm inter majores ſuos referrent Voluſum ducem Rutulorum, inde Albinos Voluſiani cognomen aſſumſiſſe ſcribit *Rutilius Numatianus* lib. 1. itinerarii V. 167.

Jamque aliis Romam redeuntibus, hæret eunti
Rufius, Albini gloria viva patris;
Qui Voluſi antiquo derivat ſtemmate nomen,
Et reges Rutulos, teſte Marone, refert.

Hunc Rufium Voluſianum Ceionii Albini filium, fratrem noſtræ Albinæ & S. Melaniæ avunculum illum fuiſſe, qui poſtea contra Pelagianos, cùm iterum Urbi præfectus eſſet, edictum publicavit, ſcribunt erudititiſſ. viri Cardin. *Baronius* ad annum 412. & *Jacobus Sirmondus* in notis ad epiſtolam 16. lib. 9. Sidonii, quibus ſubſcribit Rutilii Scholiaſtes Caſparus *Barthius* num. 169. Itaque Ceionia Albina mater fuit Melaniæ, & ſocrus Piniani, ſoror verò Ceionii Venerii Rufi Albini Voluſiani, qui pluries Urbis præfecturam geſſit, & unà cum matre in Africa degens ad *Auguſtinum* Ethnicus ſcripſit, ut patet ex epiſtola 2. tom. 2. operum *S. Auguſtini*. Huic Voluſiano Rutilius ejuſdem in præfectura Urbana deceſſor ſuum itinerarium nuncupavit; unde illius nomina concinnantur.

Quòd verò hæc ſcribo in Etruria, quò me Sereniſſimus Magnus Dux COSMUS III. eximius bonarum artium cultor, ac protector munificentiſſimus vocavit, liceat obſervare Albinos Voluſianos ex Etruria originem duxiſſe, indéque Romam ſe contuliſſe. Id teſtatur Capitolinus in Vero Auguſto cap. 2. Albinum autem Voluſianum Albinæ noſtræ fratrem in agro Volaterrano villam habuiſſe idem Rutilius affirmat; etenim ſcribit ſe, cum Volaterrana Vada navigio prætervehereturm improviſa tempeſtate adortum, in terram exſcendiſſe, ac Albini Voluſiani villam petiiſſe. Hæc ille ait. V. 463.

Illic me rapidus conſiſtere Corus adegit,
Qualis ſylvarum frangere luſtra ſolet.
Vix tuti domibus ſævos toleravimus imbres,
Albini patuit proxima villa mei.
Namque meus, quem Roma meo ſubjunxit honori;
Per quem jura meæ continuata togæ.

Hunc verò honorem fuiſſe præfecturam Urbis paulò ſuperiùs, nempe verſu 415. affirmat. Id autem in itinere intellexit, antequàm Piſanum litus attingeret.

Hic præfecturam ſacræ cognoſcimus urbis
Delatam meritis, dulcis amice, tuis.
Optarem verum complecti carmine nomen,
Sed quoſdam refugit regula dura pedes.
Cognomen verſu Veneris, cariſſime Rufi,
Illo te dudum pagina noſtra canit.
Feſta dies, pridemque meos dignata penates,
Poſte coronato vota ſecunda colat.

Geſſit autem Rufius Voluſianus Urbis præfecturam, anno epochæ Chriſtianæ 417. etenim ſcribit *Rutilius* Romam alloquens V. 135.

Quamvis ſedecies denis, & mille peractis,
Annus præterea jam tibi nonus eat.

Annus autem Urbis 1169. à Palilibus nempe 21. Aprilis coincidit cum anno Dionyſiano 417. quo anno Rutilius Roma profectus, Voluſianum Præfectum Urbis deſignatum accepit. Diutiùs autem, poſt Conſtantini imperium, Ceionii Ethnicorum ſuperſtitionem ſecuti ſunt. Conſtat ex hac inſcriptione apud Gruterum pag. XXVIII. 5.

CEIONIVS. RVFIVS. VOLVSI

ANVS. V. C. ET INLVSTRIS.

EX. VICARIO. ASIAE. ET CEIO

NI. RVFI. VOLVSIANI. V. C.

ET.

Digitized by Google

ET. INLVSTRIS. EX. PREFECTO. PRE

TORIO. ET. EX. PRFFECTO. VRBIS.

ET. CECINÆ. LOLLIANE. CLARISSI

ME. ET. INLVSTRIS. FEMINE.

DEE. ISIDIS. SACERDOTIS. FILIVS.

ITERATO. EX. VIGINTI. ANNIS. EX. PERCEP.

TIS. TAVROBOLIIS. VI. ARAM CONSTITVIT.

ET. CONSECRAVIT. VI. KAL. IVN. D. N. VALEN.

TINIANO. AVG. ET. NEOTERICO CONSS.

Ita illi anno 390. à Chriſtiana religione averſi erant. Voluſianum eadem ſuperſtitiooe occupatum patet ex epiſtola ejuſdem, itemque *Auguſtini*, & *Marcellini*, initio ſtatim tomi ſecundi operum S. Doctoris. Melania avunculum ad rectum dogma paullò ante ejuſdem obitum Byzantii adduxit. Albinam etiam ſororem in eodem errore fuiſſe poſſet quis colligere ex *Palladio* in Lauſiaca cap. 118. ubi tum Apronianum Gentilem, tum Albinam à Melania ſeniori *catechesi* inſtructos affirmat. Plura de Albina leges in actis ejuſdem filiæ Melaniæ.

Interim vide quàm benevolo erga te animo ſim. Etenim ubi confidenter me in certamen provocans exclamaſti. *Examinemus perſonas, quibus opus ſuum Auguſtinus dedicavit, & uter noſtrum melius ſentiat, experiamur*: ego temet ex adverſario judicem conſtituo, ac depoſco. Tu de Albino pronunciaſti: *Quis autem eſſet ille Albinus, latet.* Ego non virum, ſed fœminam fuiſſe oſtendi, ejúſque patrem Albinum, Fratrem Rufium Voluſianum, familiam Cejoniam, ſocrum Melaniam, maritum Publicolam, filiam Melaniam juniorem, avorum patriam Etruriam, villas ad Vada Volaterrana, quod oppido nomen etiamnum manet Populonium inter ac Liburnum, amicos denique & encomiaſtas *Auguſtinum, Hieronymum, Palladium, Rufinum*; hæc, inquam, omnia de Albina monſtravi, ut jam ſatis ſupérque, *uter noſtrum melius ſentiat*, experiaris. Voca me *bajulum, antiquarium, ruderarium, Latomum*; ut lubet, ut lubet, modò fateare, me de perſonis, quibus Auguſtinus laudatos libros inſcripſit, ex ipſis oculatorum teſtium ſcriptis, ex vetuſtiſſimis Sanctorum Patrum monumentis, ex antiquorum lapidum inſcriptionibus longè certiora protuliſſe, quàm tu *ab ingenio*, ſine ullo prorſus librorum, quod me dicere pudet, præſidio de eiſdem adduxeris. Quod ſi pronuncies te *ab ingenio auctorem* eſſe ingenioſiſſimum, me vero *à dorſo valentiſſimum bajulum*, ſtabo tuæ ſententiæ, nec alium judicem appellabo.

Hæc juſtæ apologiæ, quam modò adverſus recentiſſimum tuum librum adorno, ſpecimen ſint. Cum verò intelligam me iſthic à quibuſdam reprehendi, quod dixerim Sanctos Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, & Vincentium Lerinenſem Monachum Caſſiani partibus adverſùs doctrinam S. Auguſtini de prædeſtinatione adhæſiſſe, quaſi aut ſolus, aut primus id aſſeruerim, & tu quoque hæc in cap. 16. p. 119. ſcribas: *Cedo mihi, quæſo, Pater Noris, ſcriptorem aliquem bonum, malum, qui Hilarium Arelatenſem Semipelagianiſmi appellet: ego nullum hactenus potui invenire*; decrevi quoſdam nobiles ſcriptores appellare. Agmen ducat *S. Proſper* in epiſtola ad *Auguſtinum*, in qua cum Caſſiani ſectatorum (quos Scholaſtici recentiores dixere Semipelagianos) opiniones, & objecta S. Doctori narraſſet, hæc ſcribit: *Credimus, & ſperamus non ſolùm tenuitatem noſtram diſputationum tuarum præſidio roborandam, ſed etiam ipſos, quos meritis, atque honoribus claros caligo iſtius opinionis obſcurat, defæcatiſſimum lumen gratiæ recepturos.* Nam UNUM EORUM *præcipuæ auctoritatis, & ſpiritalium ſtudiorum virum, Sanctum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, ſciat beatitudo tua admiratorem, ſectatoremque in aliis omnibus tuæ eſſe doctrinæ, & de* HOC, *quod* IN QUERELAM TRAHIT, *jam pridem apud ſanctitatem tuam ſenſum ſuum per literas velle conferre.* Hinc *Auguſtinus* in lib. de dono perſever. cap. 21. non dubitat ſuppreſſo nomine Hilarium iis accenſere qui negabant *initium fidei eſſe donum Dei.* Quàm verò violenter verba illa detorqueas, brevi intelliges. Petis *ſcriptorem aliquem bonum, malum?* Audi *Uſſerium* in lib. de antiquitate Eccleſ. Britan. cap. 11. pag. 346. *Denique*, inquit, *Hilarium Arelatenſem illum ſuum inter eos, qui in doctrina de prædeſtinatione ab Auguſtino diſſentiunt, adnumerat Proſper.* Fortè repones, *Uſſerium* eſſe Calviniſtam. At ipſemet ſcriptorem aliquem *malum* poſcebas. Vocatur tamen *Uſſerius* à P. *Ricciolio* lib. 1. Chroool. Reformatæ cap. 20. *vir Eccleſiaſticæ antiquitatis ſcientiſſimus.* Hoc parum cauſam juvat adverſùs te, qui *bonum, malum*, flagitaſti. Attende ſcriptores bonos, melliores, optimos, quibus vix audeas adverſari. P. *Theophilus Raynaudus* in apologia pro Valeriano Cemelienſi cap. 4. ita ſcribit. *Hilarius Epiſcopus Arelatenſis unus fuit eorum, qui adverſùs D. Auguſtinum querelas moverunt. Audi Proſperum in calce epiſtolæ ad Auguſtinum.* Et laudatis verbis proximè à me recitatis, *expendo*, inquit, *particulas illas* unum eorum, *utique adverſùs Auguſtinum agentium, de quibus ſermo*: & in aliis omnibus, *nam quoad negotium, de quo Proſper tota epiſtola, atque adeo quoad errorem ſemipelagianum, non erat Auguſtinianæ doctrinæ admirator, imò eam* in querelam trahebat. *Et Proſper liquidè teſtatur ſe eum habuiſſe ſuſpectum, cùm dubitet, quo fine eſſet cum Auguſtino per litteras acturus.* Accedat quartus poſt *Proſperum* teſtis P. *Gabriel de Henao* in volumine pro ſcientia media ſect. 28. num. 184. ubi ait: *Liquet etiam de diſcrimine ab Hilario, qui unà cum S. Proſpero miſit litteras ad S. Auguſtinum. Nam is Hilarius non obſcurabatur caligine opinionis adverſæ S. Auguſtino, neque hujus doctrinam in querelam trahebat circa negotium gratiæ, ſed ille alter Hilarius Antiſtes Arelatenſis.* Sunt hi duo inſignes è Societate Jeſu ſcriptores, ſed tertium ex eadem doctiſſima familia teſtem habeo, magnum ſacræ ac profanæ eruditionis promotorem, *Jacobum Sirmondum* in notis ad epiſtolam Cœleſtini Papæ ad Epiſcopos Galliæ, ubi ſcribit *epiſtolam illam, quæ tota eſt pro defenſione S. Auguſtini, congruere Hilario Arelatenſi non poſſe, qui Auguſtini doctrinam, ut Proſper in epiſtola ſua teſtatur, cum in ceteris ſuſpiceret, hac in parte* NON PROBABAT. Apud *Labbeum* & *Coſſartium* tomo 2. Coocil. pag. 1818. In hoc tanti viri teſtimonio & glorior, & triumpho. Viſne alios teſtes, qui *aliquem malum, bonum* rogabas? Adeſt par teſtium, & uno ore loquuntur. Sunt *Sammarthani* viri eruditiſſimi tomo 1. Galliæ Chriſtianæ pag. 36. *Conſtat autem*, inquiunt, *Hilarium, qui ſcripſit ad S. Auguſtinum, & cujus occaſione miſit libros de prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeverantiæ, eſſe diſtinctum ab Hilario Arelatenſi Epiſcopo: primùm quia Hilarius in epiſtola ad Auguſtinum ſignificat ſe fuiſſe laicum. Proſper vero eodem tempore, & die ſcribens ad Auguſtinum, dicit Hilarium Arelatenſem tunc fuiſſe Epiſcopum, & ipſius doctrinæ contrarium, his verbis*: Credimus ipſos, quos meritis, & honoribus claros caligo iſtius opinionis obſcurat, *ſemipelagianiſmi*, (inſeruot hoc verbum Sammarthani, non ego) defæcatiſſimum lumen gratiæ recepturos; Nam unum eorum præcipuæ auctoritatis, & ſpiritalium ſtudiorum virum Sanctum Hilarium Arelatenſem &c. verba Proſperi recitant. Petis alium teſtem, qui ſeptimus ceterorum agmen claudat? Adeſt ex eadem Gallia *Gilbertus Mauguinus* vir doctiſſimus, ac Regi Chriſtianiſſimo à conſiliis, qui paucis abhinc diebus diem obiit. Hæc ſcribit part. 2. confut. Fabulæ Prædeſt. cap. 11. pag. 650. *Teſte Proſpero epiſtola ad Auguſtinum Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, & alii plurimi non minus auctoritate, quàm pietate celeberrimi viri, S. Auguſtini de gratuita Dei prædeſtinatione doctrinam non minus quàm hæreſim averſati ſunt.* Et pag. 475. ex eodem *Proſpero* teſtatur Hilarium *Pelagianæ pravitatis reliquiis infectum.* Cum dixeris: *ego nullum hactenus potui invenire*, qui ſcripſerit S. Hilarium Arelatenſem adverſatum fuiſſe doctrinæ *S. Auguſtini*, abſit ut te mentitum putem; novi animi tui ingenuitatem,

candorem, ſimplicitatem. Itaque neminem laudatorum ſcriptorum legiſti. Tantùm, mi Macedo, plerumque nocet omnia *ab ingenio* afferre. Diſce tandem, quid juvet, *Bajulos agere*, *non auctores*; *in dorſo ſtudium eſſe*, *non in cerebro*. Nam his planè verbis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ profeſſoribus in præfatione inſultaſti. Tua illa compellatio confidentiſſima: *Cedo mihi*, *P. Noris*, *ſcriptorem aliquem bonum*, *malum*, tuo *ab ingenio* eſt. At amici tui Noris gravis, ac quadrata reſponſio *à dorſo*. De Vincentio Lerinenſi nil addendum puto; ſcribis enim me alios habere dicti mei aſſertores: nuper acceſſit eximius Doctor Lovanienſis *Chriſtianus Lupus* part. 4. not. in Synodos pag. 757. Hæc, mi dulciſſime *Macedo*, æqui boníque conſulas precor, néve tibi ante victoriam triumphum per Italiam Romam uſque cantes. Et quando annos natus ſeptuaginta ſeptem, tot vigiliis, quas in edendis quadraginta & ampliùs voluminibus ſubiiſti, ſenili corpore macerato, vaſtiſſimo Eccleſiaſticæ eruditionis pelago te committere expaveſcis, veritus ne in medio curſu te vita deficiat; ſine me, quem imberbem juvenem olim Romæ vidiſti, & amicum tui nominis ſupra ceteros ſtudioſiſſimum noſti; ſine, inquam, me vela pandere, ac de portu ſecurus proſperam mihi navigationem Horatiano carmine ominare.

Navis quæ tibi creditum
Debes Hiſtoricum per freta ducere, Lib. 1. Ode 3.
Reddas Noriſium *precor*,
Et ſerves animæ dimidium meæ.

Vale, amiciſſime, & ingenioſiſſime Pater, méque iſthic amicis commendatum facias; tuos verò patronos mihi benevolos, vel ſaltem minùs iratos reddas.

L A U S   D E O.

ANIMADVERSIONES

IN LIBRUM DE CORREPTIONE ET GRATIA.

CAP. I. §. 2. *Liberum itaque arbitrium*, *& ad malum & ad bonum faciendum confitendum eſt nos habere*; *ſed in malo faciendo liber eſt quiſque juſtitiæ ſervúſque peccati*; *in bono autem liber eſſe nullus poteſt*, *niſi fuerit liberatus* &c.] Vocibus *liberi arbitrii* hic voluntatem intelligit *Auguſtinus*, non id quod ab omnibus intelligi ſolebat; nimirum, facultatem illam mentis, quâ poteſt aliquid facere, tam bonum, quàm malum, aut omittere. Homines, ſecundùm eum, naſcuntur, ſúntque ſemper ante regenerationem liberi à juſtitia, & ſervi peccati; hoc eſt, nihil niſi mala facere poſſunt, bona nulla poſſunt; ſed faciunt mala volentes, bona omittunt nolentes, quamvis, ſine miraculo divino quod in regeneratione fit, voluntas mutari nequeat. Satis liquet alios omnes mortales, ſi ita ſenſiſſent, negaturos hominibus ineſſe *liberum arbitrium*; & ſanè negabat ipſe *Auguſtinus*, cùm extra controverſiæ æſtum loquebatur, ut liquet ex Enchiridio ad Laurentium Cap. xxx. Vide not. ad Tom. vi.

Cap. ii. §. 5. Objectionem contra doctrinam ſuam de gratia, quâ *non ſolùm monſtrante ipſo quid faciendum ſit ſciunt* homines, *verùm etiam quâ ſolâ præſtante faciunt*, *cum dilectione quod ſciunt*, ſic proponit: *Ergo*, inquiunt, *præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus qui nobis præſunt*, *& ut faciamus orent pro nobis*, *non autem nos corripiant & arguant*, *ſi non fecerimus*. Quia, nimirum, ſi quis præceptis divinis non paruerit, id ex ſententia *Auguſtini*, certum eſt indicium, præſto ei non adfuiſſe gratiam efficacem; quâ opitulante fieri nequit quin pareat, deficiente verò nemo parere poteſt. Quid ad hæc *Auguſtinus*? *Imò*, inquit, *omnia fiant*; *quoniam doctores Eccleſiarum Apoſtoli omnia faciebant*, *& præcipiebant quæ fierent*, *& corripiebant ſi non fierent*, *& orabant ut fierent*; quod exemplis demonſtrat. Verùm Apoſtolos in ſententia *Auguſtini* fuiſſe non concedebant, qui eas objectiones proferebant; eóſque aliter ſenſiſſe hinc ipſe colligere poterat, quòd homines divinitus afflati non erant facturi quod cum eorum ſententia ſtare non poterat. Poſtea, *ô homo*, inquit, *in præceptione cognoſce quid debeas habere*; *in correptione cognoſce tuo te vitio habere*; *in oratione cognoſce unde accipias quod vis habere*. Satis conſtat à Deo petendum auxilium in futurum, ſed non in res præteritas, nam delicta præterita infecta fieri non poſſunt; de iis autem hic agitur, nam *correptio* ad præterita pertinet. Itaque rhetoricè eludit objectionem *Auguſtinus*, non reſpondet. Deinde ne de futuris quidem orationes poſſunt, ex ejus ſententia, fundi; nam Dei decreta erga electos exſequutioni mandabuntur, ſive ores, ſive taceas: erga reprobos, nihil fiet orationibus tuis. Ergo

Deſine fata Dei flecti ſperare precando.

Ex correptione liquet ſanè *vitio* quemque *ſuo* peccaſſe, alioquin iniqua eſſet; ſed vitium ut noſtrum dicatur oportet ut ſit culpâ noſtrâ contractum, útque vinci queat, ſi id vincere jubeamur; nulla enim eſt culpa ejus qui non facit, quod nec nunc poteſt, nec umquam antea potuit. Quòd ſi nemo potuit impedire, quæ ſententia eſt *Auguſtini*, quominus vitio inquinaretur, propterea non debet corripi: uti nec ſi nulla ratione, eo ſemel inquinatus, vincere id potuit quia ei defuit auxilium, ſine quo vinci vitium non potuit. Igitur ex animi ſententia non potuit dicere *Auguſtinus*; *tuo vitio non habes* quod neceſſarium eſt ad obſervationem divinorum præceptorum; nec proinde, poſitâ ejus doctrinâ, *ex præceptione* cognoſci quid homo *debeat habere*; nam non *debet habere*, quod non magis potuit habere, nolente Deo, quàm ſiſtere curſum ſiderum. Perpetuò Hipponenſis Epiſcopus objectiones retundere conatur, verbis quæ cum ejus ſententia acerrimè pugnant; quia ſi ſi convenienter ei ſententiæ per omnia loquendum fuiſſet, ſermo Scripturæ, imò & totius humani generis fuiſſet damnandus & immutandus, eadémque operâ convellenda ſocietatis humanæ firmiſſima fundamenta.

Cap. vi. §. 9. *Hanc* (gratiam, inquiunt Pelagiani, ſub perſona peccatorum loquentes) *non accepimus*; *quid itaque corripimur*, *quaſi nos eam nobis dare poſſimus*, *& noſtro arbitrio dare nolimus*? Nihil evidentius, nec intelligo quomodo *Auguſtinus* ex hiſce neceſſariis ac perſpicuis conſectariis non animadverterit à ſe non ſatis rectè intellecta, quæ hiſce de rebus habet Scriptura. Ei quidem verba non deſunt, quæ paullò exercitatioribus Rhetoribus numquam deeſſe poſſunt; ſed ex quibus facilè intelligas hominem ad ſilentium redigendum fuiſſe, niſi exiſtimatio ſua, editi libri, Conciliorum auctoritas & omnia contra Pelagianos tanto zelo geſta fuiſſent defendenda. Ipſum audi: *nec attendunt*, inquit, *ſi nondum regenerati ſunt*, *primam eſſe cauſam cur objurgati quod ſint inobedientes Deo*, *ſibi debeant diſplicere*. Sed hæc mera eſt *petitio principii*, ut loquuntur Logici; nam hi homines negabant, ſe *debere*, hoc eſt, ullâ lege teneri, ut facerent quod facere non poterant; quale eſt ſibi propter peccata diſplicere, nullâ acceptâ gratiâ divinâ, eam in rem neceſſariâ. Verùm *Auguſtinus*, quaſi hanc difficultatem ſoluturus, addit: *quia fecit Deus hominem rectum*, *ab initio humanæ creaturæ*, *& non eſt iniquitas apud Deum*. Quem hominem *fecit rectum*? Adamum ſolum, non eos qui nondum erant; niſi, abſurdo commento, dicas quod aliquando placuit *Auguſtino*, omnium hominum qui ſunt, qui fuerunt, quique pòſt aliis erunt in annis mentes in mente Adami fuiſſe; ac proinde antè peccaſſe, quàm in corpora ſua venirent. Vide not. ad T. I.

T. I. Lib. III. de Libero Arbitrio cap. xx. atque ad Tom. II. Ep. 98. Hoc commentum non exagitabo, cùm à nemine nunc defendatur, aut defendi poſſit. Itaque niſi ſit *iniquitas apud Deum*, quam ab eo amolitur verbo tenus *Auguſtinus*, non poteſt à poſteris Adami exigere ut ſint recti; cùm numquam recti fuerint, nec eſſe potuerint, ſi credimus *Auguſtino*, nam peccati originalis propagationem vitare non potuerunt. Ergo fucus eſt merus quod addit: *ac per hoc prima pravitas, quâ Deo non obeditur, ab homine eſt; quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitus fecit, ſuâ malâ voluntate, decidens pravus effectus eſt.* De Adamo dicat hoc licet, ſed de ejus poſteris, de quibus ſolis hic ſermo eſt, dici non poteſt. Itaque nihil hoc ad rem facit, neque attingit objectionem eorum qui, multis ſæculis poſt Adamum, ita nati & concepti in peccato originali fuerant, ut non poſſent vim ejus fugere, ſi Afro Theologo credimus. Verùm hîc ſequitur alterum ſubterfugium, quo à quæſtione animum avertere conatur: *An verò ideo pravitas iſta corripienda non eſt in homine, quia non ejus propria quæ corripitur, ſed communis eſt omnibus? Imò verò corripiatur & in ſingulis, quod eſt omnium. Non enim propterea cujuſquam non eſt, quòd ab ea nullus immunis eſt.* Pelagiani communionem depravationis minimè urgebant, ut eam excuſatum irent; ſed negabant Caium, exempli cauſâ, ac Titium poſſe corripi ob delicta, ſi numquam in eorum poteſtate fuiſſet vitare peccatum, primùm quidem originale, deinde actualia omnia; quia Caius & Titius (non homo in genere, de quo non loquebantur) numquam habuerunt gratiam Dei eam in rem neceſſariam. Habuerit eam Adamus, ſi modò ea indiguit; ſi Caïus & Titius numquam habuerunt, corripi profectò, ſine iniquitate, non potuerunt.

Peccata quidem, inquit deinde Carneades Pœnus, *iſta originalia ideò dicuntur aliena, quod ea ſinguli de parentibus trahunt; ſed non ſine cauſa dicuntur & noſtra, quia in illo uno omnes, ſicut dicit Apoſtolus, peccaverunt.* Verùm in hac controverſia noſtra dicuntur, non tralatitio ſenſu, ſed proprio, peccata; nam ſermo hîc eſt de peccatis propter quæ non tralatitias ſed propriè dictas pœnas, ex divina, hoc eſt, perfectiſſima juſtitia, dare poſſimus; quia ab iis abſtinere potuimus, nec iis, niſi culpâ *noſtrâ* propriè dictâ, ſuccubuimus. Ceterùm peccata parentum *noſtra* dici nequeunt, ita ut propter ea corripi, & plecti jure queamus; nec etiam Apoſtolus dicit nos *in Adamo* peccaſſe, quemadmodum paſſim Græci ſermonis imperitus dictitat *Auguſtinus*. Sic enim Paulus Rom. v, 12. Ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον: *Quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors: ſic & in omnes homines mors tranſiit, quia omnes peccarunt.* Vertimus cum *Deſ. Eraſmo*, ἐφ' ᾧ *quia*, non *in quo*, quia alioquin hiulca eſt oratio, & dura. Sed fac hoc non eſſe perſpicuum, profectò verſio quam ſequitur *Auguſtinus* non ita certa eſt, ut poſſit is locus, quaſi clarus, urgeri; cùm præſertim ex eo fermè ſolo, aut potiſſimo colligatur dogma, quod tot difficultatibus premitur, ut vix ullas alias majores in dogmate theologico inveniri poſſe putem. Earum ſpecimina in ſuperioribus vidimus; quibus Auguſtinus ſatisfacere nullo modo potuit. Subjicit: *corripiatur ergo origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur.* At quo jure corripietur quiſquam, quòd natus ſit peccato originali inquinatus; cùm non magis hoc vitare potuerit, quàm poteſt ne ſol oriatur & occidat impedire? Ubi invenietur exemplum ejuſmodi correptionis, in univerſa Scriptura? Vult *Auguſtinus* peccatum originale pœnam eſſe peccati Adami, à Deo inflictam, ut docet Lib. de Civit. Dei XIII. c. 12. Qui verò creatura vitabit pœnas à Creatore inflictas? Quomodo etiam, quòd eas non vitaverit, corripi poterit? Hos nemo umquam ſolvit nodos, neque porrò ſolvet.

Hæc de irregenerati corruptione vult dici *Auguſtinus*, de regenerato verò corripiendo ſic philoſophatur: *Si autem jam regeneratus & juſtificatus in malam vitam ſuâ voluntate relabitur, certè iſte non poteſt dicere: non accepi; quia acceptam gratiam Dei ſuo in malum libero amiſit arbitrio.* Credebat *Auguſtinus* quoſdam juſtificari, qui non ſunt prædeſtinati ad ſalutem, ac proinde non acceperunt à Deo donum perſeverantiæ, eóſque labi; ut pluribus in ſequentibus docet. Quod cùm ita ſit, hæc ejus reſponſio in ore *Pelagii* recta eſſet, ſed in ipſius ore caret planè ſenſu. Si enim ſermo ſit de homine minimè prædeſtinato, non poterit corripi; quia Deus non ſtatuit ei dare perſeverantiam, ſine qua ad finem uſque ſtare nequit. At fortè, inquies, hîc ſermo eſt de electo. Sed ne hunc quidem corripere potes, ex *Auguſtini* hypotheſi, quâ ſtatuit gratiam ad ſingulos actus bonos eſſe planè neceſſariam; nec eam umquam adeſſe quin effectus ſequatur, aut abeſſe ſine hominis lapſu. Cum quidquid boni homines in vita faciunt, id faciant ſolâ vi afflatûs, ſi deſinit afflatus, neceſſariò peccant; nec amittunt afflatum ſequentem, niſi quia Deus priorem ſubtraxerat. Nullæ ſunt hominum hac in re partes, ſunt inſtar follium, qui ventum dilatati accipiunt, conſtricti emittunt; nec majorem habere poſſunt aut emittere quàm datur, manu dilatantis aut conſtringentis.

Plura in hunc libellum non adnotabo, pauca enim quæ adtuli ſatis ſuperque oſtendunt, quas in anguſtias conjectus eſſet *Auguſtinus*, cùm conſectariis neceſſariis ſui dogmatis premebatur. Addam dumtaxat me hæc & alia adnotaſſe ſolo amore Veritatis ductum, utque ſanctitatem Evangelii, juſtitiámque Dei majore in luce collocarem; quò ii, qui hæc legent, ad parendum Jeſu Chriſti præceptis efficaciùs adducantur. Hunc eſſe animum meum Deus mihi teſtis eſt, quem oro ut acerbiſſimas controverſias ex definitionibus Africanorum Conciliorum ortas ſedare, aut certè adventu Filii ſui Jeſu Chriſti peccatis omnibus noſtris tandem finem imponere velit.

CLAUDII MENARDI
PRÆFATIO IN II. PRIORES LIBROS
OPERIS IMPERFECTI.

Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. D. DIONYSIO de MARQUEMONT, *Archiep. & Comiti Lugdunenſi. &c.*

QUOD his accidit, ILLUSTRISS. PRIMAS, qui peregrini littoris uniones, ſummam luxuriæ gloriam, legunt; ut maceratis inediâ corporibus alto ſeſe immergant mari, luſtratóque diu fundo, veſtigatis, & per mortes mille pauperatis ſcopulis, tenaci ac longo ſpiritu terram repetant, naturæ miracula deliciáſque profuturi: id in hac aſſidua communique veterum undecumque membranarum urinatione fatali, at felici oeſtro percitis, evenire ſentio, ut poſt attritas inſano labore vires, profundis bibliothecarum ſinibus immerſi, reptent hinc inde, & per varias

diſquiſitionum ſortes, fruſtrationum mortes, enatent tamen, publicóque radiantium orbe toto, litterarum ſoli reconditas ingeniorum ſeculorumque dotes exponant. In his eſſe me ni profitear, vanus ſim, qui aliquot annis propellente genio, nihil in votis habui ſanctius, quàm ût ovanti litterarum gloriæ, parens patria, nutrix caráque civitas aſſurgeret, pampinos ſuos attexeret, litteratas laurus offerret. Et volente Deo factum, ut penè conſumtis in ea cogitatione curis, inſperato beneficio perolidas tinearum pulverumque ſordes, hæc cœli ſolique margarita canderet, cujus ignoratâ poſſeſſione, deluſus annos aliquot, aliud agens omnino, ſenſi tandem vix parabili theſauro me felicem. Quantum hac beatitate gaudii ſuccreverit nobis, loquatur ipſa res, & ſi cui talium cupienti rerum par lux affulſit; eò nunc plenior, quo inter omnes militantis Eccleſiæ Patres, altior hæc, diviniórque aquila pervadit, eò purior, non ætatis loquentiæque prærogativâ turgens hic liber, ſed ultimi ſpiritûs conteſtatione vegetior & defungentem exhibet & pugnantem. Pugnantem rectè; cujus vitæ quot momenta, tot acies; quot verba, tot laureæ. Impius ergo ſim, beatíque nominis, quô tinxit mater Eccleſia, profanus andabata, ſi demerſum altè tot annorum fluctibus oblatúmque deſideriis elenchum novus urinator attineo. Cujus renovato nunc primùm lumini, quod te potiùs dixerim laudatorem publica cauſa eſt. Ejus enim conſeſſeratione debuit Africanus Præſul, tot olim Synodorum genius, Epiſcoporum lingua calamúſque foveri, qui veris pallii juſtiſque myſteriis & tractûs noſtri, *& Gallorum Legatus audit.*

Narrant Annales Hiſpanarum rerum, ſub ævum 685. principante Gotho Cindaſuinda, collectos Toleti præſules 30, cùm Moralium liber, quem olim Leandro Hiſpalenſi ſolicitante dictaverat magnus ſanctiſſimúſque Gregorius, haud ſupereſſet ampliùs, delectum ſuffraganti- bus Epiſcopis Tajonem Cæſarauguſtanum, religione litteraturáque præſtantem, qui Romana ſcrinia conſulens, amiſſos cuſtodum negligentiâ libros, Hiſpanis redderet ſuis. Quod dum procurat, Martino I. Pontifice, nec in ſacris archivis, præ multitudine codicum, quæri aut divinari poſſent, indicante locum Angelô, repertos & deſcriptos. Concil. Tol. c. 7.

Efflaverat, ſcilicet, in Siciliæ ſcopulis primùm feralis doctrinæ virus Rufini Pelagiique vaſrities, cùm indicante Presbyterô tunc Hilariô, poſt Arelatenſi Epiſcopô, * divinus ſanctiſſimi Senis animus ſumtà fidei propugnatione, deforme monſtrum longo decennalíque bellô confecit. Quod igitur Gallis, inſtigante præſule ſuo, laboratum eſt, *quod magnis pòſt animis eodem defendente conſumtum*, cujus potiùs auſpiciis comitiváque potuit, poſt tot annorum diſcere, quàm ejus qui poſt ventilatas longum in ipſa Urbis orbiſque arce, ingenii divitis opes, *perpetua Galliarum Legatione blatteatur*: quem non inter ſamoſos latrociniis Numidas, incultos animis Mauros, diſſertantem, ſed in ampliſſimo Galliæ, id eſt, elegantiæ omnis theatro, aut pro catholici nominis reſtitutione detonantem, aut de ſeverioris diſciplinæ cultu anxium & perorantem tanta pendentis ſtupentiſque coronæ gratulatio ſecuta eſt, ut in ampliſſimo honoris throno non pietas poſuiſſe, ſed ad purpuras, aut ſi quid majus haberet Gallicana fortuna, exercere videatur. Macte virtutibus, ILLUSTRISSIME COMES, quæ te ad tanti muneris apices, licet onerent veriùs quàm honorent, debebant tamen feraci vitiis cœlo, ſpecimen potiùs quàm præmii, *Religio*, *Fides*, *Conſtantia*, *Pietas*, quas palantes uſque pannoſaſque ſic revocas & devincis, ut exhinc, non ab his effectum te, ſed ex te natas, à te doctas, ipſa tantarum virtutum admiratio glorietur. At, eſt & privata ratio, quæ me tanti operis reddat obnoxium; quam ſi tacitis adniventibuſque oculis neglexiſſe potuerim, magni me ſceleris impiatum rea conſcientia poſtulabit. Tu Fratrem cariſſimum, quietis privatæ deliciis, ſeveriorique propoſiti cogitationibus immerſum, vix & cognitum, nec ſperantem, ſolemni benignitatis luce perfundis, & reſtitantem penè ſic occupas, ut ad tanti Solis radios, & vita ſe omnis, & reliqua ſi quæ eſt fortuna, committat. Stet igitur in foribus auguſtiſſimi operis ſacrum ſolemnéque hoc anathema, quod amori tuo beneficiiſque lubens meritò familia omnis privatis ſenſibus, publicâ devotione ſuſpendit. Quam, æternùm tuam, ſacra hæc nec moritura umquam tabella damnabit. *Juliomagi Andium. Pridie Nonas Aug.* 1616.

* Errat: alius is erat ab Arelatenſi.

Illuſtriſſ. A. T. deditus

CLAUD. MENARDUS,

Propræt. Urb. And.

ANIMADVERSIONES
IN OPUS IMPERFECTUM
CONTRA JULIANUM.

LIBRO I. §. 3. Julianus de Auguſtino: *Hoc ipſo quàm ſit divinæ legis imperitus interpres & profanus apparet, quiſquis putat ejus ſanctione defendi, quod juſtitiâ non poteſt vindicari.* Reponit Auguſtinus: *Vos quod dicitis potiùs non poteſt ullâ juſtitiæ ratione defendi; quia miſeria generis humani à qua nullum hominum ab exort uſque ad obitum videmus alienum, non pertinet ad Omnipotentis judicium, ſi non eſt originale peccatum.* Atqui hoc tantùm de infautibus aut puerulis dicere debuit, nam majores natu ſat actualium peccatorum admittunt, ut hujus

hujus vitæ miſeriis digni ſint. Sed ponamus eum, ut debuit, de infantibus dumtaxat, aut puerulis loquutum; peccatum originale, ut ab *Auguſtino* explicatur, commodam nullam rationem defendendæ juſtitiæ divinæ ſuppeditat; cum qua nullo modo poteſt conſiſtere, ut exiſtimabant adverſarii *Auguſtini*, quos nuſquam rectè confutavit. Sed, inquies, quamvis non intelligam quomodo peccati Adami imputatio poſteris, & vitii neceſſaria in eos propagatio conſiſtere queant cum ſanctitate, ac juſtitia divina; oportet tamen ut ſint infantes, puerique peccatores, cùm miſeri ſint, Deus verò juſtus. Satius eſſet multò dicere, te neſcire cur innoxii miſeri ſint, quàm, ut facias eos noxios, invenire hypotheſin, quæ tot difficultatibus laborat. Sed quid ſunt hæ infantium, puerorúmque breviſſimæ miſeriæ, ſi cum æterna beatitudine, quibus eas Deus penſat, conferantur? Nihil prorſus, aut ſi quid nihilo poſſet eſſe minus. Itaque quod Deus eas ab illis in hac vita non amolitur, mirum videri nequit.

§. 8. Ait *Julianus* ea ab *Auguſtino* ſcripta, *quæ propter honeſtatis reverentiam oblivioni exterminata mandentur*. Vide notata ad T. VII. Lib. de Civit. Dei XIV. c. 18. & ſeqq.

§. X. Julianus: *Laudat etiam potentem hominem* (Auguſtinus Valerium Lib. I. de Nuptiis, c. 2.) *quod noſtris petitionibus, qui nihil aliud quàm dari tanto negotio judices vociferabantur, ut ea quæ ſubreptionibus acta conſtabat, emendarentur potiùs quàm punirentur examine, mole ſua dignitatis obſtiterit, nec diſceptationi tempus aut locum permiſerit impetrare.*] Reverà laudat *Auguſtinus*, loco indicato, Valerium, quia iis, quibus diſputando ipſe reſiſtebat, ille *poteſtate, curando & inſtando efficaciter reſtiterat*. Quod ſanè minimè laudandum erat, nam in re gravi & difficili, in qua ſibi probè conſcius erat *Auguſtinus*, tantas eſſe difficultates, ut iis ſolvendis par non eſſet, præſtabat, adverſariis ſæpiùs auditis, judicare; quàm damnare illico inauditos, Synodorúmque, ne reditus ad mitiora conſilia pateret, aliarum, ſuper aliis, anathematibus infamare, & edicto Imperatoris graviſſimè perſequi. Fiducia veri, ſi qua fuiſſet, debuiſſet eo adducere *Auguſtinum* & alios, ut differrent ultimum de ea controverſia judicium, ſæpiúſque, quàm opus erat, audirent Pelagianos; ne in iis damnandis aberrarent, ſeu quòd rem ipſam, arduam ſanè ac difficilem, non ſatis intelligerent, ſeu quòd adverſariorum mentem non adſequerentur. Res quæ tot ingeniis, eruditione atque acumine inſignibus, crucem fixit, tótque controverſias per omnia ſæcula excitavit, non debuit illico permitti paucorum Numidarum ac Afrorum judicio; qui poſtea, cedere neſcii, judicium hoc ſuum eſſent quovis modo defenſuri, quemadmodum contigit. Doctrina etiam vera, ſed plena difficultatibus, non debuit quaſi caput fidei neceſſarium imponi, ſine ulla Chriſti, aut Apoſtolorum auctoritate, quâ eam neceſſariam eſſe conſtaret. Non debuit denique Pelagianis præberi juſtiſſima querendi cauſa, quòd inauditi damnati fuiſſent. Sed audiamus *Auguſtinum* reſpondentem: *Abſit à Chriſtianis poteſtatibus terrenæ Reipublicæ, ut de antiqua Catholica fide dubitent, & ob hoc oppugnatoribus ejus locum & tempus examinis præbeant; ac non potiùs in ea certi ac fundati, talibus, quales vos eſtis, inimicis ejus diſciplinam coercitionis imponant.* Verba hæc ſunt victoris, ſed qui magis illâ terrenâ auctoritate nitebatur, quàm rationibus. An ergo Chriſtiani Magiſtratus, ſine examine ullo, debent eos vexare, quos pauci Epiſcopi inauditos damnarunt, quia antiqua fides habenda *aſſeveratur*, quæ in provincialibus Synodis numero ſuffragiorum comprobata eſt? Sunt ergo Magiſtratus lictores Cœtuum Eccleſiaſticorum, quibus parere eos oportet, non reſponſare. Si talia dixiſſent Ariani, cum erant ſuperiores, profectò intolerandæ tyrannidis meritò inſimulati fuiſſent. Sed horum me dudum diſtædet. Itaque manum de tabula.

JOANNIS VLIMMERII
PRÆFATIO
AD JACOBUM PAMELIUM

Sacr. Litterarum Licentiatum ac Brugis Canonicum,

DE INDICULO POSSIDII.

QUANTA hactenus, VIR HUMANISSIME, hominum quorumdam in judicando temeritas fuerit, quidvis D. *Auguſtini* eſſe clamantium, ac pro animi arbitrio reclamantium, haud quiſquam facilè crediderit, niſi ipſam rei veritatem, ab antiquioribus proditam, penitiùs introſpexerit, & ad vivum (quod ajunt) reſecuerit. In quo controverſiæ genere, nemo nobis *D. Poſſidio*, ut qui ejus diſcipulus fuerit, potior diſceptator haberi debet; nam cum Beatiſſ. *Auguſtinus* tam multa ediderit, dictarit, atque in Eccleſia acerrimè diſputarit, exceperit, & emendarit, vel adverſus hæreticos conſcripta, vel ex Canonicis libris expoſita, ut illis omnibus cognoſcendis, & perlegendis vix quiſquam ſtudioſorum ſufficiat, nulli mirum videri debet, quædam ejus ſcriptis admiſta eſſe quæ vix eruditi alicujus ac pii ſunt, nedum D. *Auguſtini*, ſummâ eruditione ac pietate, viri: & rurſus quorumdam conjecturis (ne dicam præcipiti judicio & temerario auſu) quædam ſublata eſſe, quæ, vel omnibus tacentibus, phraſis ipſa atque incredibilis pietas *Auguſtini* eſſe loquebantur. Quare ne veritatis & verbi Dei avidiſſimos, *Poſſidius*, qui cum hoc noſtro Antiſtite annis fermè quadraginta, Dei beneficio ac dono, *abſque amara ulla diſſenſione* (libenter enim ipſius verbis utor) *familiariter ac dulciter vixit*, in aliquo defraudare videretur, Indiculum librorum, tractatuum, & Epiſtolarum ejuſdem, omnibus ſtudioſis promiſſum, conſcripſit & exhibuit, quem tamen in hunc uſque diem omnes qui *Auguſtino* non favere non poſſunt, haud citra ſummam exſpectationem votis ardentiſſimis deſiderarunt, ne poſthac (ut rectiſſimè ſcribis) Cenſorum quorumdam temerariis judiciis fluctuarent incerti. Eum ego non alibi à me inventum ac nuſquam extare exiſtimatum, in Villarienſis Abbatiæ venerandæ antiquitatis

Codi-

Codicibus longè inſtructiſſima Bibliotheca excutienda occupatiſſimus, ac tuo exemplo, illius avidiſſimus, nihil minùs cogitans, reperi. Quem ut aliquando in lucem (cui numquam antea adſueverat) edere vellem, non ſemel id litteris ad me miſſis, quibus & operam & partem magnam ſumtuum liberaliſſimè offerebas, hortatus es; ne diutiùs qua exſpectatione fruſtrarentur Viri docti, quos nulli rei magis inhiare crediderim. Hactenus tamen ejus editionem quamlibet multum poſtulatam differre viſum fuit, ut noſtris marginum ſcholiis illuſtratus (quibus & per ipſum *Auguſtinum* & per veteres Patres, qui ejus ſcripta paſſim citare non dubitant, opera eſſe *Auguſtini* convincuntur) ac in commodiorem atque aliquanto concinniorem ordinem redactus, in lucem, ſub tui nominis auſpicio, prodiret, quando aliud tibi nequaquam gratius eſſe poſſe certum habebam. Nam quantopere iiſdem ſtudiis delectareris, etſi antea didiceram è cognato tuo *Ludovico Carrione* Juvene non illitterato, in cujus ore mihi planè habitare viſus es, adeò tuum erga ſe ſtudium, munificentiam ac favorem frequenter nobis, ſumma cum animi voluptate, prædicat; magis id tamen venerabilis ille *Beda* tuus, nuper in officina Hervagiana renatus, ac multorum librorum aceeſſione, non ſine immenſis ſumtibus ac ſtudiis auctus, teſtatus eſt. Maximam itaque in ſpem adducor fore, ut quæ, temporum injuriâ, in tenebris adhuc jacent & cum blattis ac tineis alicubi rixantur, ea tu, quæ tua eſt in veteribus conquirendis indefeſſo ſtudio, diligentia, aliquando in propatulum allaturus, & quod noſtris qualibuscumque laboribus deeſt, indubitanter adjecturus ſis. Siquidem comperi & ego, poſt hanc noſtram abſolutam editionem, nonnulla eſſe quæ diligens Lector exactiùs & magis plena numeris ſuis tradita, optare poſſit. In marginibus verò librorum noſtrorum (ut & ejus conſilii mei tibi conſtet ratio) ſatis habuimus voluminum tomos adnotare, omiſſo paginarum numero, quod is in aliis atque aliis exemplaribus, alius ac multo diverſiſſimus ſit, nec idem omnibus reſpondere poſſit. Ceterùm hanc opellam & qualemcumque induſtriam noſtram, te auctore ſuſceptam cùm recordarer; abduci ab eo non potui quin generoſæ D. T. conſecratam humiliter offerrem. Accipies itaque eo, quo offerimus, animo & pro tua ſolita humanitate, adverſus calumniatorum inſultus, noſtros conatus tuebere.

Vale multùm obſervande Domine, nóſque tui ſtudioſiſſimos mutuò dilige. Lovanii, è noſtro Martiniano Cœnobio. 9. Calend. Apriles. Anno M. D. LXIV.

ANIMADVERSIONES

IN VITAM AUGUSTINI.

PRæfat. de iis qui vitas virorum Eccleſiaſticorum ſcripſerant: *Divino afflati Spiritu ſermone proprio atque ſtilo, & auribus & oculis ſcire volentium, dicendo & ſcribendo ſimilia, ſtudioſorum notitiæ intulerunt, quales quantique viri ex communis Domini gratia in rebus humanis, & vivere & uſque in finem obitus perſeverare meruerunt.*] *Afflatos divino ſpiritu* vocat bono conſilio atque animo vitas ſcribentes, quia omnia bona à divino afflatu procedere putabat. Nemo tamen neget eſſe rectè facta quædam humana, quæ Deo quidem ut humanæ naturæ auctori debentur, ſi ad ſupremam cauſam adſcendamus; ſed quæ nonniſi incommodè *afflatu* ejus fieri dicantur, propter admiſtas nimis multas ingenii humani imperfectiones. Sic ipſe & alii bono animo, ut putabant, ſcripſerunt vitas ſuperiorum Epiſcoporum; qui eorum animus, credo, ex officii ſui cognitione natus erat, ac proinde Deo quoque, officii exactori, vel hoc ſenſu tribuendus. Sed afflati ſanè à Deo non fuerunt ut ferè diſſimularent vitia & delicta eorum quorum vitas ſcribebant, virtutéſque ac dotes modicas præter omnem modum extollerent, & venia indigentis quaſi miranda deſcriberent. Ejuſmodi enim Encomiis, ne alia objiciam, fit non tam ut incauti Lectores eorum virtutes imitentur, & vera placita ſequantur; quàm ut vitia diſſimulata quaſi licita & honeſta, erroréſque quaſi veritatem defendendos ſibi proponant; neque enim putant, ſi fugienda hæc eſſent, diſſimulaturos fuiſſe harum vitarum ſcriptores; nec ſe peccare poſſe credunt, dum viros uſque adeò laudatos imitantur. Ei incommodo obviam ire voluimus in Animadverſionibus noſtris, ubi ut laudanda candidè & libenter laudavimus, ſic nec vituperanda diſſimulavimus; quamvis multùm abſit, ut omnia attigerimus, quod immenſæ erat operæ, nec uno volumine fieri potuiſſet. Verùm quidquid conatus ſum, id ex amore Dei & proximi profluxiſſe novit ille, cui animorum arcana patent; quem, ut tenebras opinionum noſtrarum, affectuúmque fruſtrationes diſcutiat luce adventûs Filii ſui, etiam atque etiam oro. AMEN.

PRÆFATIONUM, CENSURARUM ET ANIMADVERSIONUM

IN OPERA AUGUSTINI

FINIS.

INDEX.

INDEX I.

Locorum Scripturæ, qui in Appendice Auguſtiniana illuſtrantur.

a primam columnam, *b* ſecundam, numerus paginam ſignificat.

GENESIS.

GEn. I, 6. *Fiat firmamentum.* 727.b.
Gen. I, 14. *Dividant inter medium dies* &c. 529.a.
Gen. I, 29. *Secundùm firmamentum cœli.* 529.a.
Gen. I, 23. *Creſcite & multiplicamini.* 200.b.
Gen. I, 20. *Faciamus hominem, ſecundùm imaginem* &c. 193.a. 197.b. 198.b.
Gen. II, 8. *Produxit lignum vitæ* &c. 200.a.
Gen. II, 9. *Cognoſcibile boni & mali.* 529.a.
Geneſ. II, 17. *Morte morieris.* 585.a.
Gen. III, 21. *Fecit Dominus Deus Adam & uxori ejus veſtes pelliceas.* 202.b.
Gen. VI, 2. *Videntes Angeli filias hominum.* 587.a.
Gen. VI, 4. *Gigantes.* 530.a.
Gen. VI, 5. *Videns Deus quòd multa malitia eſſet in terra* &c. 289.b.
Gen. VII, 15. *In quo eſt ſpiritus vitæ.* 530.a.
Gen. XVII, 14. *Maſculus cujus præputii caro* &c. 290.a.
Gen. XXII, 12. *Nunc cognovi quod timeas Dominum.* 545.a.
Gen. XXXIII, 2. *Quemadmodum cùm videt aliquis faciem Dei.* 530.a.

EXODUS.

Exod. I, 21. *Fecerunt ſibi domos.* 529.b.
Exod. XXX, 7. *Adolebit incenſum ſuper eo Aaron.* 472.b.

DEUTERONOMIUM.

Deut. XXI, 23. *Maledictus, qui pendet in ligno.* 598.a.
Deut XXIV, 16. *Non morientur patres pro filiis* &c. 192.a.
Deut. XXVIII, 66. *Videbis vitam tuam pendentem.* 598.b.

JOSUE.

Joſ. IV, 7. *In æternum.* 530.b.

JUDICES.

Jud. II, 13. *Baal & Aſtartibus.* 530.b.
Jud. III, 31. *Præter vitulis boum.* 531.b.

LIB. REGUM.

1 Reg. II, 10. *Exaltabit cornu uncti ſui.* 589.a.
1 Reg. VII, 12. *Maſſephat.* 589.a.

JOB.

Job. X, 8. *Manus tuæ fecerunt me.* 199.a.
Job. XIV, 4. *Quis enim mundus à ſorde* &c. 290.a.

PSALMI.

Pſalmi I. variæ interpretationes Auguſtinianæ. 538.a. & ſeqq.
Pſalm. II, 6. *Ego hodie genui te.* 539.b.
Pſalm. III. variæ interpretationes diſcuſſæ. 539.b. & ſeq.
Pſalm. XV, 10. *Non derelinques animam meam in inferno.* 497.b.
Pſalm. XVI, 14. *Domine perdens de terra diſpertire eos.* 496.b.
Ibid. *Saturati ſunt porcina.* 497.a.
Pſalm. XLIV. in titulo: *pro iis qui immutabuntur.* 595.a.
Pſalm. L, 7. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum* &c. 290.a.
Pſalm. LXXVII, 21. *Domini exitus mortis.* 545.a.
Pſalm. LXXXVIII, 47. *Memento quæ eſt mea ſubſtantia.* 589.a.
Pſalm. CII, 20. *Benedicite Dominum omnes Angeli ejus* &c. 194.a.
Pſalm. CIII, 24. *Quàm magnificata ſunt opera tua* &c. 193.b.

ECCLESIASTES.

Eccleſ. XII, 7. *Revertetur ſpiritus ad Deum, qui dedit ipſum* &c. 199.a.

SAPIENTIA.

Sap. IX, 17. *Emiſiſti ſanctum Spiritum tuum ex altis* &c. 193.b.
Sap. XII. 10. *Non ignorans quoniam nequam eſt natio eorum* &c. 290.a.

ECCLESIASTICUS.

Eccleſiaſtic. XXIII, 18. *Ut & bonis ejus perfruaris.* 547.a.
Eccleſiaſtic. XXXIV, 30. *Qui baptizatur à mortuo* &c. 606.a.
Eccleſiaſtic. XL, 1. *Grave jugum ſuper filios Adam* &c. 290.a. 295.a.

ISAIAS.

Iſaiæ VII, 9. *Niſi credideritis, non intelligetis.* 482.a.

EZECHIEL.

Ezech. XVIII, 2. *Non morientur patres pro filiis* &c. 203.a. 291.a.

JONAS.

Jon. III, 4. *Adhuc triduum & Ninive evertetur.* 592.a. & ſeqq.

ZACHARIAS.

Zachar. XII, 1. *Fingens ſpiritum hominis in ipſo.* 199.a.

MATTHÆUS.

Matth. V, 9. *Beati pacifici.* 534.a.
Matth. V, 22. *Raba.* 534.a.
Matth. VI, 12. *Dimitte nobis debita noſtra.* 510.a.
Ibid. 13. *Ne nos inferas in tentationem.* 510.a.
Matth. VII, 8. *Petite & accipietis.* 476.b.
Matth. XVIII, 3. *Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli.* 204.b.
Matth. XXVII, 10. *Per Jeremiam.* 533.a.b.

MARCUS.

Marc. XIII, 32. *Neque Filius.* 601.a.

LUCAS.

Luc. II, 40. *Puer autem creſcebat* &c. 205.a.
Luc. II, 52. *Et Jeſus proficiebat ætate* &c. Ib.
Luc. XI, 20. *In digito Dei ejicio Dæmones.* 192.a.
Luc. XI, 49. *Sapientia Dei dixit: mitto* &c. 194.a.
Luc. XVI, 22. *In ſinum Abrahæ.* 475.a.

JOANNES.

Joan. I, 3. *Sine ipſo factum eſt nihil.* 533.a.
Joan. I, 3. 4. *Quod factum eſt in illo vita erat.* 527.b.
Joan. III, 5. *Niſi quis fuerit renatus ex aqua* &c. 192.b.
Joan. V, 17. *Pater meus uſque modo operatur* &c. 192.a.
Joan. VI, 53. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis* &c. 521.a. 525.b.
Joan. VIII, 25. *Principium quia & loquor vobis.* 484.a. 535.a.
Joan. X. 37. *Si non facio opera Patris mei* &c. 191.b.
Joan. XIV, 9. *Qui me vidit vidit & Patrem.* 191.b.
Joan. XV, 26. *Spiritus Veritatis qui à Patre procedit* &c. 192.a.

EPIST. AD ROMANOS.

Rom. V, 12. *Sicut per unum hominem peccatum* &c. 290.b. 520.a.
Rom. VI, 3. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto* &c. 292.b.
Rom. VII, 8. *Sine lege peccatum mortuum erat* &c. 291.a.
Rom. VII, 25. *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum.* 518.b.
Rom. VIII, 9. *Spiritus Domini habitat in vobis.* 193.a.
Rom. VIII, 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.* 519.a.
Rom. IX, 11. *Ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret.* 556.b. & ſeq.
Rom. IX. 12. *Major ſerviet minori.* 557.a.
Rom. IX, 16. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* 519.a.
Rom. XII. 5. *Secundùm gratiam, quæ data eſt nobis.* 519.a.

I. EPIST. AD CORINTHIOS.

1 Cor. I, 23. *Chriſtum Dei ſapientiam.* 193.b.
1 Cor. II, 10. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* 192.b.
1 Cor. II, 12. *Spiritum, qui ex Deo eſt.* 189.a.
1 Cor. II, 14. *Homo animalis non percipit quæ ſunt Spiritus Dei.* 518.b.
1 Cor. III, 11. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere.* 594.a.
1 Cor. III, 16. *Templum Dei eſtis & Spiritus Dei habitat in vobis.* 192.a.
1 Cor. VII, 10. 11. *His autem qui ſunt in conjugio præcipio* &c. 564.a.
1 Cor. VII, 14. *Alioquin filii veſtri immundi ſunt* &c. 203.b.
1 Cor. X, 13. *Fidelis Deus qui non permittet vos tentari* &c. 520.a.
1 Cor. XII, 11. *Hæc omnia operatur unus atque idem ſpiritus* &c. 194.
1 Cor. XIV, 4. *Diviſiones verò gratiarum ſunt* &c. 194.a.
1 Cor. XV, 10. *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* 519.a.
1 Cor. XV. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur* &c. 510.a.
1 Cor. XV. 35. *Quomodo reſurgent mortui* &c. 206.b.
1 Cor. XV, 55. *Ubi eſt mors contentio tua.* 562.a.

II. EPIST. AD CORINTHIOS.

2 Cor. III, 5. *Non quia idonei ſumus cogitare aliquid, quaſi ex nobis ipſis* &c. 519.a.
2 Cor. III, 6. *Littera occidit, ſpiritus autem vivificat.* 525.b.
2 Cor. III, 17. *Dominus ſpiritus eſt* &c. 192.a.
2 Cor. IV, 7. *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus* &c. 519.a.
2 Cor. V, 10. *Ut referat unuſquiſque propria corporis* &c. 203.a. 191.b.

EPIST. AD GALATAS.

Gal. II, 21. *Non irritam facio gratiam Dei* &c. 520.b.
Gal. III, 19. *Quid ergo? Lex* &c. 536.a.
Gal. IV, 6. *Miſit ſpiritum Filii ſui* &c. 193.a.
Gal. VI, 7. *Stigmata Jeſu-Chriſti* &c. 537.a.b.

EPIST. AD EHESIOS.

Epheſ. II, 3. *Natura filii iræ* &c. 290.b.
Epheſ. IV, 25. *Unus Dominus, una fides* &c. 194.a.

EPIST. AD PHILIPPENSES.

Philipp. III, 2. *Spiritu Deo ſervimus.* 600.b.

II. EPIST. AD THESSALONICEN.

2 Theſſ. II, 3. *Niſi venerit diſceſſio* &c. 593.b.

I. EPIST. AD TIMOTHEUM.

1 Tim. V, 11. *Cùm in deliciis egerint, in Chriſto nubere volunt.* 564.b.

EPIST. AD TITUM.

Tit. I, 2. *Ante tempora æterna.* 584.b.

EPIST. AD HEBRÆOS.

Heb. VII, 9. *Per Abraham Levi decimatus eſt.* 528.b.

I. EPIST. JOANNIS.

1 Joan. I, 8. *Si dixerimus quia peccatum non habemus.* 298.a. 536.a.

APOCALYPSIS.

Apoc. XX, 13. *Exhibuit mare mortuos, qui in eo erant* &c. 593.b.

INDEX II.

Rerum ac Verborum memorabilium quæ in Appendice Auguſtiniana occurrunt.

a primam columnam, *b* ſecundam, numerus paginam ſignificat.

A.

ABaddires, Vox Punica quid ſignificet. 488. b.
Abbir majus & *Abbir minus* orbes Africæ. 504. b.
Abitina, urbs Africæ Proconſolaris. 501. b.
Abzura, urbs Africæ Proconſularis. 504. b.
Academici ſententiæ ſuæ diſſimulatores. 488. a.
Acta, *ad acta dicere* quid ſit. 492. a.
Acumen pro *accentu*. 481. a.
Adami anima, ex ea omnes alias natas vult *Auguſtinus*. 483. b. 518. a. b.
Adamo labores impoſiti, ad bonum. 102. a.
Adamus mortalis quomodo, ex mente Auctoris Quæſt. in V. & N. Teſtamentum. 85. a.
Adami mortalitas, variæ de ea ſententiæ & quæſtiones. 287. a. & ſeqq.
Adamus quo in ſtatu fuerit ante peccatum. 484. b.
Adami peccatum quid nocuerit poſteris, ex mente Auctoris Quæſt. in V. & N. Teſtamentum. 85. b.
Adclamationes in Eccleſia noxiæ. 516. b.
Adeodatus Bellalitenſis in Numidia Epiſcopus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 509. b. quid *Noriſius*. 510. b.
Adeodatus Bencenoenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 102. a.
Adeodatus Simidicus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 103. a. quid *Noriſius*. 503. a.
A'dns quid ſignificet in Scriptura. 497. a. & ſeq.
Adoleſcentia quouſque olim producta. 76. b.
Adulterium cur malum. 482. a.
Æmilianus ignotæ ſedis in Africa proconſulari Epiſcopus. 104. b.
Æmilius, vir illuſtris, ſocer Juliani poſtea Eclanenſis Epiſcopi. 76. a.
Æqualitas in Trinitatis perſonis, quid apud Veteres, innuat. 600. a.
Æterna tempora, longa, ſive de præteritis agatur, ſive de futuris. 584. b.
Æternum dicitur tempus longum. 530. b.
Æternum Auguſtino quod ante tempus creatum. 476. b.
Afflatus divino Spiritu quid apud *Poſſidium*. 622. a.
Africana Concilia quot generum fuerint. 130. a. b.
Africana Synodus plenaria contra *Pelagianos*. 131. a. & ſeqq. variæ ejus ſeſſiones. 131. b.
Africana Synodus ſecunda contra *Pelagianos*. 133. a. & ſeqq.
Africana Synodi tertia & quarta contra *Pelagianos*. 136. a. & ſeq.
Africana quinta Synodus contra *Pelagianos*. 140. a. b. & ſeqq.
Africani Canones contra *Pelagium*. 121. a. & ſeq.
Africanus incertæ ſedis in Africa proconſulari Epiſcopus. 104. b.
Agentes in rebus qui. 474. a.
Agricola Pelagianus. 147. a.
Albina dicta maſculinè *Albinus*. 610. a.
Albina conſanguinitas. 615. b.
Alexandrina Synodus ſub *Cyrillo*. 151. a.
Allegoria proferri non poſſunt, niſi ſtante ſenſu litterali. 346. b.
Allegoricæ interpretationes plus æquo Veteribus placebant. 473. b.
Altoburos urbs in provincia proconſulari. 513. a.
Alypius Thagaſtenſis. 507. b.
Amacius Galliarum præfectus. 146. b.
Ambivius Piſitenſis Epiſcopus. 501. b.
Ambroſio tributi commentarii in Epiſt. Pauli. 90. a. & ſeqq.
Amerbachius (Joannes) laudatur ab Eraſmo. 464.
Ammedera urbs Numidiæ. 512. b. 513. a.
Ampelius incertæ ſedis in Africa Epiſcopus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 103. a. quid *Noriſius*. 502. b.
Anagnoſtæ ignari ſæpe in Eccleſiis. 561. b.
Anaſtaſii Epiſtola ad Joannem Jeroſolymitanum. 39. 40. a. & ſeq.
Anaſtaſii electio & obitus. 41. a.
Angeli an *proximi* nomine contineantur. 524. a.
Angeli, qui Abrahamo apparuerunt. 601 a.
Angeli, per eos Deum apparuiſſe. 545. b.
Angeli minimè culti à Vett. Chriſtianis. 485. a.
Angeli dicti *Dii*. 581. a.
Anathematiſmi quid in fide *Rufini*. 44. b.
Aubura urbs Numidiæ. 508. a.
Animalia aëria Dæmones dicti. 479. b.
Animus fictum nomen Afri Epiſcopi. 501 b.
Animorum origo. Variæ ea de re ſententiæ. 50. a. b.
Animorum præexſiſtentia cur ab *Origene* credita. 48. a. b. 50. a.
Animos per traducem non propagari. 199. a.
Annianus Diaconus Celedenſis quiſnam fuerit. 81. a. interpres homiliarum *Chryſoſtomi*. 81. b. & ſeqq. alia ad hominem pertinentia. *Ibidem*. ſcripta quæ. 84. b.
Anianus, Celedenſis Diaconi, amanuenſis *Pelagii*. ſcriptorum recenſio accurata & fragmenta. 278. a. & ſeqq.
Annianus Vir Illuſtris, tempore Alarici. 82. a.
Antiochena Synodus contra *Pelagium*. 127. a. b.
Antipodes temerè ab *Auguſtino* oppugnati. 588. b.
Antonianus Donatiſta. 514. a.
Antonius Anachoreta quomodo ad Eremiticam vitam vocatus. 474. b.
Antonius Carpitanus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 102. a. quid *Noriſius*. 500. b.
Antonius Foſſalenſis, quid de eo conjecerit *Garnerius*. 110. b. quid *Noriſius*. 514. b.
Antonius Lamfortenſis, quid de eo obſervaris *Garnerius*. 110. a. quid *Noriſius*. 514. a.
Antonius Mutugennenſis. 514. a.
Aobia urbs provinciæ proconſularis in Africa. 513. a.
Apelles in variis præiverat *Apollinariſtis*. 49. a.
Apim Ægyptium non fuiſſe Argivorum regem. 589. b.
Apollinaris Laodiceni error. 46. b.
Apollinariſtarum error. 49. a. 289. b.
Apoſtolica ſedis auctoritas in Occidente. 597. b.
Appetitus coitûs, an in primis hominibus ante peccatum. 518. a.
Aquæ ſupra cœlum an ſint. 527. a. b.
Aqua Regia urbs in Byzacena Provincia. 104. a.
Aquilegienſis Synodus ſub *Niceta*. 151. b.
Aquitanicus, pro *Aquitano*, dictus *Proſper*. 3. a.
Arauſicana ſecunda Synodus. 151. a.
Arcæ Noachi dimenſiones non intellectæ ab *Auguſtino*. 587. b.
Archeſilas malè pro *Arceſilas*. 477. b.
Arelatenſis Synodus anni CCCCLXXV. 151. b.
Arelatenſis Synodus contra *Pelagianos*. 146. a. & ſeqq.
Ariani Verbum dicebant Chriſto fuiſſe inſtar animæ. 205. b.
Arianorum quæſtiones confutatæ à *Rufino*. 207. a. & ſeq.
Arnaldus (*Robertus*) notatur. 491. a.
Arithmetica an neceſſaria ad myſteria in Scriptura retegenda. 525. a.
Arithmeticæ argutiæ de Scripturæ locis nonnullis. 527. b. 532. b. 548. b. 549. a. 601. a.
Aſiaticus incertæ ſedis in Numidia Epiſcopus. 109. b.
Aſſenenſalenſis Eccleſia in Proconſulari Africa. 505. a.
Aſtarte quid Punicâ Linguâ. 530. b.
Auctor pro *actore*. 16. b.
Auctoritati an temerè credendum. 480. a. b. 485. a.
Auguſtinus Patriarcha Aquileienſis, æqualis *Auguſtino* Hipponenſi. 516. b.
Auguſtinus ex Academicorum ingenio quidpiam retinuerat. 496. a.
Auguſtini inanes quædam argutiæ. 480. a. 483. a. b.
Auguſtinus Aſtronomiæ imperitus. 587. a.
Auguſtinus crapulâ laborabat. 475. b.
Auguſtinus cur Hebraicam, Græcamve Linguam non didicerit. 530. a.
Auguſtinus verba *Juliani* nonnulla in alienum ſenſum detorſit. 230. & ſeq.
Auguſtinus laudatus à *Pherepono*. 554. b. 561. b. 577. b. 598. a. b. 599. b. & ſeq. 605. a. 606. a. & alibi.
Auguſtini laudes à *Proſpero* dictæ. 8
Auguſtinus laudatus & collatus aliis Patribus ab *Eraſmo*. 461. & ſeq. Vide & *Eraſmi* judicia poſt præfationem.
Auguſtinus memoriâ lapſus. 489. a. 577. a.
Auguſtinus metaphoricis loquutionibus omnium delectatus. 478. b. & argutiis inanibus. Ibid. 479. a.
Auguſtinus initio Pelagianus. 471. b. 485. b. & ſeq. 496. b. 526. a. 536. a.
Auguſtinus à librariis factus Pelagianus. 561. a.
Auguſtinus quomodo devenerit ad opinionem ſuam de gratia, & electione. 557. a.
Auguſtinus cur tam infenſus Pelagio. 526. a.
Auguſtinus *Pelagii* reſponſis utitur, ad objectiones repellendas. 519. a.
Auguſtini omnium contra Pelagianos ſcriptorum Chronologia. 238. a. & ſeqq.
Auguſtinus, poſt Donatiſtarum & Pelagianorum ortas controverſias, ſemper de iis loquebatur. 566. a. b.
Auguſtinus de perſequutione ſententiam temerè mutavit. 490 b.
Auguſtinus ſucceſſorem ſibi ſuum elegit. 522. a. Succeſſor ipſe vivo Valerio datus. Ibid.
Auguſtinus proficiendo ſcribebat. 496. b.
Auguſtinus turpiloquium non refugit. 580. b. 586. a.
Auguſtinus verborum prodigus. 480. b. 481. b.
Auguſtini Opera quàm corrupta. 465.
Auguſtino tributa confeſſio fidei *Pelagii* 222. a.
Auguſtini Confeſſiones, & Retractationes, judicium de iis *Eraſmi*. 471. & ſeq. *Pherepeni*. 375. b. & ſeq. 483. b. 484. b.
Auguſtini Epiſtolæ, judicium de iis *Eraſmi*. 487.
Auguſtini Libros 2. priores in Julianum quis invenerit. 619. & ſeqq.
Auguſtini locus Lib. VI. c. 4. contra *Julianum* illuſtratus. 256 b.
Auguſtini Liber de Fide & Operibus quare ſcriptus. 45. b.
Auguſtini libri de moribus Eccleſiæ & Manichæorum, judicium de iis *Eraſmi* 484.
Auguſtini Liber de geſtis *Pelagii* à quo & ubi inventus. 607
Auguſtini Homiliæ in Pſalmos, quid de iis ſentiendum. 537. a. b. & ſeqq.
Auguſtini Liber de Regula ad ſervos Dei, judicium de eo *Eraſmi*. 486

Auguſti-

*

Digitized by Google

Auguſtini libri ſoliloquiorum, judicium de eo *Eraſmi*. 479

Auguſtini liber de Vita Beata, judicium de eo *Pherepon*. 479. b.

Aurelius, unde id prænomen Auguſtino adhæſerit. 309. a.

Aurelii Carthaginienſis laus, Epiſcopatus & obitus. 162. b.

Aurelius Carthaginienſis Epiſcopus, quid de eo obſervarit *Garnerius* p. 101. b. quid *Noriſius*. p. 499. b.

Aurelii Epiſtola de damnatione Pelagianorum. 163.

Auxilium Dei, ne tentationibus ſuccumbamus, an ſitum in afflatu ineluctabili. 519. b.

Auxilium Dei ad intelligendam Scripturam quomodo implorandum. 476. a. b. 477. b.

Auxegga cognomen urbis Vagæ in Africa. 501. b.

B.

B & V miſta à librariis. 488. b.

Baal quid Punicâ Linguâ. 530. b.

Baia locus longe amœniſſimus. 477. a. b.

Βαλανεῖον unde Græcè dictum *balneum*. 475. b.

Baptiſmus an infantibus neceſſarius ad ſalutem. 497. a. 498. b. 519. b.

Baptiſmus infantium, ab eo ducta argumenta contra *Pelagianos*. 292. a. b.

Baptiſmus à Laico, ob neceſſitatem adminiſtratus. 604. b.

Baptizari an debeant infantes ne damnentur. 504. a.

Baronius confutatus. 155. a. & ſeq.

Baronius notatus. 162. b.

Baſilicæ Carthaginienſes. 545. b.

Bazarita urbs Numidiæ. 510. b.

Beatitudo cur nulla in terris 478. b.

Beda Præfat. in Cant. emendatus. 77. a.

Beda notatus à *Garnerio*. 68. a.

Bellarminus (Cardin.) confutatus in eo quod ſenſit de Auctore Quæſtionum in N. & V. Teſtamentum. 86. b.

Bellarminus de auctore collectaneorum in Epiſt. Pauli, ex Operibus Auguſtini, confutatus. 268. b.

Bencenna urbs Africæ. 500. b.

Benefacta Ethnicorum an vituperanda. 558. a.

Beneventum urbs Africæ Proconſularis. 500. b.

Bocchi regnum in Africa. 514. b. & ſeq.

Bogudis regnum in Africa. 514. b. & ſeq.

Bona, id eſt, faventes. 10. b.

Bonifacius diſturbat conſilia *Cœleſtii*. 166. a.

Bonus ore pro facundo. 6. a.

Brachmanes nudi procedebant. 585. b.

Britannorum fruges pro doctrina Pelagii. 37. a.

C.

CÆcilianus damnatus & abſolutus quoties. 554. a.

Caſula urbs Provinciæ Proconſularis, in Africa. 500. a.

Celeſtius. vide *Cœleſtius*.

Ceremonia unde dictæ. 471. b.

Calla urbs Numidiæ. 514. a.

Callimachus. An ad eum ſpectarit Paulus Tit. 11. 456. a.

Campanum gramen pro doctrina Juliani. 37. b.

Candidus Abiritanus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 504. b. quid *Noriſius*. 506. b.

Candorius Mullitenſis in Africa Proconſulari Epiſcopus. 504. a.

Canon xvi. Africani Codicis illuſtratus à *Garnerio*. 76. b.

Canonis LXXIII. Eccleſiæ Africanæ explicatio. 98. a.

Canonicæ Scripturæ quæ. 514. b.

Caræmum, quid ſit. 485. b.

Carthaginienſis Provinciæ Privilegium. 162. a.

Carthaginienſis Synodus prima contra *Pelagium*. 92. a.

Carthaginienſis Synodus ſecunda contrà Cœleſtium & Pelagium. 98. a. & ſeqq. Epiſtola ejus ad Innocentium. 99.

Carthaginienſis Synodus tertia contra Pelagianos. 128. a. & ſeq.

Carthaginienſis tertia Synodus contra Pelagium. 111. a. & ſeq. Epiſtola ejus ad Innocentium. Ibidem.

Caſus quid propriè dici debeat. 471. a.

Caſſianus Joannes a Proſpero epigrammatibus perſtrictus. 36. a.

Catechizandi ratio. 582. b.

Cœonia familia. 616 a.

Celedenſis, an *Celenenſis* dicendus Annianus Pelagianus. 83. b. & ſeq.

Chaldæi quid de evocatione Deorum ſenſerunt. 583. a.

Chifflerii (*Petri*) Jeſuitæ laus. 512. a.

Chriſti anima, ſecundùm *Origenem* meruit ut Verbo uniretur. 48. b. alii quoque ſic ſenſerunt 61. b.

Chriſtianæ Religionis probandæ non ſatis periti erant Veteres. 558. b.

Chriſtianis tempeſtatum perturbationes abſurde ab Ethnicis tributas. 577. a.

Chriſtiani, pœnis datis, omnes ſervandos ex *Hieronymi* ſententia. 45. b.

Chriſtonius ignotæ ſedis in Numidia Epiſcopus. 109. a.

Chriſtus ut homo ignoraſſe diem judicii multis viſus, aliis aliter ſentientibus. 47. a.

Chriſto Verbum animæ loco fuiſſe quinam crediderint. 49. a.

Chryſoſtomi aliquot homiliarum Interpres Annianus Celedenſis. 81. b. & ſeqq.

Chryſoſtomi locus, in Homilia ad Neophytos, explicatus. 62. b.

Chryſoſtomi de *Pelagio* locus explicatus. 68. b.

Cilibienſis Eccleſia in Africa proconſulari. 506. a.

Cilicia Synodus habita contra Pelagianos. 137. a. & ſeqq.

Circumcelliones qui. 489. a.

Cirta & *Conſtantina* eadem urbs in Numidia. 508. b.

Cirtenſis Synodus anno CCCV. coacta. 510. a.

Civitatis Dei Interpretes Scholaſtici quam imperiti. 571. a. & ſeqq.

Clara ex obſcuris non eſſe explicanda. 554. b.

Cœleſtini Epiſtola ex Romana Synodo datæ. 149. a.

Cœleſtii Pelagii Diſcipuli brevis hiſtoria. 71. a. & ſeqq. 72. b.

Cœleſtii damnatio & proſcriptiones. 74. a. & ſeqq. opera ejus quæ. 75. b.

Cœleſtii, *Pelagii* diſcipuli ſcriptorum accurata recenſio & fragmenta. 272. b. & ſeqq.

Cœleſtii libellus fidei cum fide *Pelagii* comparatus. 214. a. & ſeqq.

Cœleſtii Epiſtola ad Clericos Romanos. 218. a. & ſeqq.

Cœleſtio objecta in Carthaginienſi Synodo I. 93. a. & ſeq.

Cœleſtius abſens damnatus. 518. a. b.

Cœleſtius cur interdum *Pelagio* magiſtro præpoſitus. 164. b.

Cœleſtius quomodo ſe geſſerit in Dioſpolitana Synodo. 92. a. & ſeqq.

Cœleſtium non fuiſſe Monachum. 72. a.

Cœli cur pluraliter dicantur. 527. b.

Cœna pura cur dicta dies Veneris. 535. b.

Cœnobitarum mores. 485. a.

Cogi ad bonum an quiſquam poſſit. 498. b.

Cogitare quaſi *coagitare*. 475. b.

Cognoſcere pro audire. 3. b.

Comeſſatio, abſurdè à *cum* & *menſa* derivatum. 346. b.

Commemorare cum accuſativo perſonæ. 472. a.

Communio malorum non inquinat, ſi facta diſſentiant. 496. b.

Competeates qui dicerentur. 471. b.

Comprehendi nequit quando perpetuò mutatur. 555. a.

Concernis pro miſceri. 473. a.

Conciliorum auctoritas quænam. 605. a.

Conhibentia pro conniventia. 520 b.

Conſtantii auctoritas antequam Imperator eſſet. 167. a.

Conſtantii nondum Imp. epiſtola ad *Symmachum*. 167. b.

Conſtantii Imp. Epiſtola ad Voluſianum contra Pelagianos. 165. Hiſtoria ejus Epiſtolæ, ibid. a. b. & ſeq. explicatio, 166. a. & ſeqq.

Conſtantina & *Cirta* eadem urbs in Numidia. 508. b.

Conſtantinopolitana prima Synodus contra Pelagianos. 121. a.

Conſtantinopolitana Synodus ſecunda contra Pelagianos. 138. a b.

Conſtantinopolitana Synodus adverſùs Maſſilianos. 128. a.

Conſtantius Epiſcopus ad quem ſcripſit Pelagius. 563. a.

Conſtantius commentitius qui Martyrium paſſus ſit à Pelagianis. 156 a.

Conſuetudo collata cum flumine 472 a.

Conſuetudo quomodo fiat neceſſitas. 474 a.

Conſules Calendis Januarii laudabantur. 606. b.

Converſionis initium quale. 58. & ſeqq.

Cornelius Celſus. 479. b.

Corpora animorum ergaſtula ſecundum *Origenem*. 48. b.

Corpora hominum poſt reſurrectionem qualia, ſecundùm *Origenem* 49. b. reditura in materiam, ſecundum eumdem. 50 a.

Correptiones nullas eſſe poſſe in eos, qui peccarunt, ex doctrina *Auguſtini*. 6. 15. a. & ſeqq.

Coſterius Editionem Auguſtini Lovanienſem adjuvit. 469.

Crapula quid ſit. 475. b.

Creatio Telluris, an ſit omnium prima. 564. a. b.

Creatio voluntatis eſt non naturæ. 195. a.

Creaturam, quæ exſpectare dicitur revelationem filiorum Dei, Rom. VIII. eſſe rationalem. 335. a.

Credere antequam intelligas an prudens. 482. a. b.

Credere Chriſto ſine ratione nos non juberi. 527. a.

Credi ſibi ſine ratione, an quiſquam exigere poſſit. 596. a. & ſeqq.

Creſceotius Numida Epiſcopus. 110. b.

Creſconius Centenarienſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 109. b. quid *Noriſius*. 510. b.

Creſconius Cuiculitanus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 109. a. quid *Noriſius*. 509.

Creſconius de Caſtello Titulino quid obſervatum à *Garnerio*. 511. b.

Creſconius incertæ ſedis in Numidia Epiſcopus. 110. b.

Creſconius Tubinienſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 110. a. quid *Noriſius*. 514. a.

Criſpulus Velitenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 103. b. quid *Noriſius*. 504. a.

Cuiculum urbs Numidiæ, ubi ſita. 509. & ſeq.

Culucitana, urbs Numidiæ. 500. b.

Culuſitana, urbs Africæ Proconſularis. 500. b.

Curationem facere quid. 560. b.

Curioſitas an ſit peccatum. 475. b.

Curova urbs Africæ Proconſularis. 501. a.

Curzupita dicti Donatiſtæ. 490. b.

Cybela ſacerdotes. 581. a.

Cypriani auctoritas qualis. 549. b.

Cyprianus ignotæ ſedis in Africa proconſulari Epiſcopus. 104 b.

Cyprianus Tuburbitanus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 104. b. quid *Noriſius*. 506. b.

D.

D & Z permutati. 501 b.

David an ſit auctor omnium Pſalmorum. 589. b.

David an temperanter plures uxores habuerit. 5 6. a.

Dæmones an efficiant medicatis cibis ut homines ſe credant jumenta factos. 590 a.

Dæmones, ex *Origenis* ſententia, tandem ſervandi. 45. a.

Dæmones Platonicorum an credibiles. 581. a.

Dæmonum primum peccatum, in quonam ſitum. 196. b.

Deabus *capillos diſponere* quid. 580. b.

Dealbatores viæ quæ dicantur 473.b.
Defectus ſolis pro Eclipſibus. 30.b.
Definitiones vocum quàm neceſſariæ. 479.a.
Deificari quid ſit. 488.b.
Delphinus Numida Epiſcopus, quid de eo conjecerit *Garnerius.* 112.b. quid *Noriſius.* 515.b.
Dehoneſtare, vituperare. 471.a.
Deponens verbum unde dictum. 481.b.
Devotus Miles, quis dicatur. 604. b. & ſeq.
Deus motu ac ratione omnia gubernans. 579.a.
Deus Deorum cur verus Deus dicatur. 582.a.
Deus ſui cauſa dicebatur à Platonicis. 555.a.
Deus quid faceret ante creationem. 476.a.
Deus an ſuggerat ſcribentibus, quæ ſcire cupiunt. 524.a.
Deus an *facere malum* dici queat. 479.b.
Deus *gaudere* quomodo dicatur. 474.a.
Dei omnipotentia an lædatur, quòd homines non faciant quod vult. 561.b.
Dei opera quomodo infinita philoſophicè dici queant. 583.a.b.
Dei ſapientia quo ſenſu dicatur Chriſtus. 602.a.
Deum nolle omnes ſervari, ex ſententia *Proſperi.* 14.
Deum exaudire bonos. 471.b.
Deos & *Dei filios* dici Reges. 582.a.
Deorum Ethnicorum varii ordines. 590.a.
Diabolus an beatus ante Peccatum. 529.b.
Diabolo an iniquum ſit eripi homines, quos fefellit, ut volebat *Auguſtinus.* 483.a.
Dialogorum Platonicorum inanes ambages. 482.b.
Didymus in Africa proconſulari Epiſcopus. 104.b. 506.b.
Dies quomodo numerarent Hebræi. 484.a.
Dies primus quid ſit ſecundùm Auguſtinum. 527.b.
Diffamari, idem ac famâ celebrari. 578.b.
Dii ſcligi non poſſunt ut bulbi. 580.b.
Dii an irridendi quod Romam non ſervarint. 576.b.
Diogenes an coram omnibus concubuerit. 586.a.
Dionyſiana urbs Byzacii in Africa. 505.a.
Dioſpolitana Synodus, quare primum coacta. 236.a.
Dioſpolitana Synodi contra Pelagium coactæ hiſtoria. 96.a. & ſeqq.
Diſſecare hoſtem, hoc eſt, ſubtiliter ac particulatim eum confutare. 6.a.
Diſtinctiones in libris olim omiſſæ. 525.b.
Divinitus dictata verba ingens hyperbole. 489.a.
Diviſione corpora in nihilum non redeunt. 480.b.
Donatianus, Teleptenſis Epiſcopus. 164.a.
Donatianus Zeggenſis. quid de eo obſervarit *Garnerius.* 103.a. quid *Noriſius.* 503.a.
Donatiſtæ plures Eccleſias obtinuerunt ſoli. 515.b.
Donatiſtæ ſibimet manus inferentes. 521. a.b.
Donatiſtæ Epiſcopi ad Eccleſiam reverſi Palinodia. 554.a.
Donatiſtæ quibus legibus ad Collationem invitati. 553.b.
Donatiſtarum pœnæ quæ fuerint. 495.b. Seditioſi plecti potuerunt, ſed non ſimpliciter errantes. Ibid. 496.b.
Donatiſtarum ſcelera. 554.a.
Donatus Amporenſis, quid de eo ſcripſerit *Garnerius.* 107.b. quid *Noriſius.* 508.a.
Donatus Buritanus, quid de eo notarit *Garnerius* 110.b. quid *Noriſius.* 515.a.
Donatus Tibilitanus, quid de eo obſervarit *Garnerius.* 109. a. quid *Noriſius.* 510.b.
Δουλεία quemvis cultum ſignificat. 582.b.
Druſiliana urbs Africæ Proconſularis. 505.a.
Dualſedenſis urbs Africæ Proconſularis. 505.a.

E.

E*Danum* Appuliæ urbs, cujus Epiſcopus fuit Julianus. 77.a.
Elias an venturus ſit ante Chriſti adventum. 593.b.
Enos unde dictus. 588.a.
Epheſina Synodus in multis illuſtrata. 149. a. & ſeq. Canones ejus contra Neſtorianos & Pelagianos. 150.a.
Epheſina Synodus ante Oecumenicam, ex ſententia *Garnerii.* 151.a.
Epheſini Concilii Acta Part. 2. Act. 5. emendata à Garnerio. 78.b.
Epiphanii libri de hæreſibus *Auguſtino* numquam viſi. 594.a.
Epiſcopatus varii ab eodem vicibus occupati. 511.a.
Epiſcopatûs cupiditas quanta olim. 547.b.
Epiſcopi plerique ditiores, quàm cùm fuerunt privati. 496.a.
Epiſcoporum anniverſarii dies ab iis celebrati. 552.b.
Epiſcopo non licuiſſe ſibi ſucceſſorem aligere. 522.a.
Epiſcoporum auctoritas quænam. 605.a.
Epiſcopum vivo Epiſcopo, nec exauctorato, dari ſucceſſorem non licuit. 522.a.
Epiſtolæ Encyclicæ Imperatorum ad Epiſcopos, quomodo miſſæ. 42.b.
Eros & Lazarus accuſatores Pelagii. 97.b. 100.a.
Eros & *Lazarus* flagitioſi homines. 123. & ſeq.
Errorum gradus varii. 520.b.
Errores multi innoxii. 559.b.
Eſſentia & *ſubſtantia* quomodo differant. 601.b.
Et, pro *tamen.* 472.a.
Ethnici an rectè capite plecterentur ſacra facientes. 603.a.
Ethnicis iniquior *Auguſtinus.* 577.a.
Ethnicorum ſacra facientium capitalia ſupplicia an laudanda. 521.b.
Etymologiis incertis niti quàm inconſultum. 586.b. 587.a. 589.a.
Evagrius Epiſcopus Afer. 500.a.
Evagrius Ponticus, Palladii Magiſter, an Pelagio præiverit. 307.a.
Evangelus Aſſuritanus, quid de eo obſervarit *Garnerius.* 101.b. quid *Noriſius.* 500.a.
Evangeliſtæ tres priores an alii aliorum Evangelia viderint. 538.a.
Euchadires vox Punica quid ſignificet. 488.b.
Euchariſtia conjuncta cum Baptiſmo. 521.a. neceſſaria ad ſalutem, ſecundùm Veteres. ibid.
Everſores qui in ſcholis Rhetorum. 47.a.b.
Euhemerus hiſtoricus. 581.a.
Euodius Uzalenſis Epiſcopus, varia ad eum pertinentia. 115.a.b.
Eutychis error aliunde ortum, aliunde nomen accepit. 47.a.
Expemparı, pro infamari. 547.b.

F.

F*Acundus* Hermianenſis *Theodori* Mopſueſteni defenſor. 62.a.
Fati nomine malè providentiam ſignari. 579.a.b.
Fauſtinianus ignotæ ſedis in Africa Proconſulari Epiſcopus. 503.b.
Fauſtinianus Ruſicaddenſis in Numidia Epiſcopus. 509.b.
Fauſtinianus Tamugadenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius.* 109.a. quid *Noriſius.* 509.b.
Fauſtini duo in Numidia Epiſcopi, quid de iis notarit *Garnerius.* 110.a. quid *Noriſius.* 513.b.
Fauſtinus Sillitenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius.* 109.b. quid *Noriſius.* 516.a.
Felix Aptongenſis, Epiſcopus qui adfuit Collationi cum Donatiſtis. 503.a.
Felix Tubienſis, quid de eo obſervarit *Garnerius.* 110.b. quid *Noriſius.* 514.b.
Felix Villaregenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius.* 109.b. quid *Noriſius.* 511.a.
Felix Uzireoſis, quid de eo obſervarit *Garnerius.* 103.a. quid *Noriſius.* 503.a.
Fide non excludi rationem. 495.b.
Fidentius Cæſalenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius.* 101.b. quid *Noriſius.* 500.a.
Figuratè quid ſit in Scriptura intelligendum. 525.b.
Filios Deorum cur Veteres tot crediderunt. 578.a.
Filius Dei an diſtinguendus à Jeſu. 205.a.
Filius cur factus homo, ex ſententia *Ruffini* & Pelagianorum. 205.b.
Filius Patrem videre negatus ab *Origene.* 48.a.
Finis alium in finem procedere, hoc eſt, alium exitum habere. 8.a.
Florentia baſilica. 554.a. *Florentia* de ſtatu florente. Ibid. a.
Fœminarum nomina maſculinè & neutraliter prolata. 610.a. & ſeq.
Folles ærei & argentei quid. 555.a.b.
Fortunatianus Neapolitanus ac Siccenſis, quid de iis obſervarit *Garnerius.* 103.a. quid *Noriſius.* 502.a.
Fortunatus Caſenſicalanenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius.* 109.a. quid *Noriſius.* 510.b.
Fortunatus Conſtantinienſis, quid de eo obſervarit *Garnerius.* 108.a. quid *Noriſius.* 508.b.
Frangere tabulas in manumiſſione ſervi quid. 546.b.
Frater, occiſo fratre agnito, ſe interfecit. 577.a.
Fratris nomine quis Patriarchas ſalutaret. 115.a.
Fructuoſus Abziritenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius.* 103.b. quid *Noriſius.* 504.b.
Futura libera qui providere poſſit Deus. 483.a.

G.

G*Arba* Numidiæ urbs. 506.a.
Garnerius (Joannes) de ſedibus Africanorum Epiſcoporum confutatus à *Noriſio.* 499.a. & ſeq. Item de ſedibus Numidarum Præſulum. p. 507.a. & ſeqq.
Garnerius (Joannes) vituperatus & laudatus à *Noriſio.* 516.a. & ſeq.
Gennadii de *Pelagio* locus illuſtratus. 171.b.
Gennadius in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis emendatus. 77.a. idem notatus. 78.a.
Gennadius defenſus contra *Vignerium* à *Garnerio.* 81.a.
Germanianus in Africa proconſulari Epiſcopus. 104.b. 506.b.
Germanus in Africa proconſulari Epiſcopus. 104.b. 506.b.
Germanus Antiſſiodorenſis quando in Britanniam miſſus. 146.a. & ſeq.
Gigantes an olim fuerint. 586.a.
Gegeta urbs Africæ Proconſularis versùs Numidiam. 504.a.
Gignantius Epiſcopus Numida incertæ ſedis. 514.a.
Gineſita Africæ urbs. 505.b.
Giſipa Africæ urbs. 505.b.
Giufita urbs Tripolitanæ Provinciæ in Africa. 506.b.
Gladiatoria ſpectacula tempore *Auguſtini.* 473.b.
Glaucia ſoboles, pro *Daucia.* Vide Præfationem *Pherepani.* 488.b.
Gloriari qui homines poſſint ex ſententia *Pelagii.* 327.b.
Glycera & *Glyceria* nomina mulieris, ut *Glycerium.* 611.a.
Gothi à quibus Roma capta eſt, quinam populi fuerint 574.a.b. & ſeqq. Chriſtianos fuiſſe & pepercisse Chriſtianis. 576.a.
Gothofredus (Jacobus) notatus. 166.b.
Græcæ Linguæ ſtudium commendat *Auguſtinus.* 524.b.
Γεωμετρικῶς & Γεωμετρικοὶ quid 479.b.
Γραμματικοὺς αγωγεῖς qui. 591.a.
Grando inſigniti *alapidis* nomine. 578.b.
Gratia Dei per Chriſtum, quæ & qualis, variæque de ea quæſtiones. 301.a. & ſeqq. quatenus ſupernaturalis. 302.b. quatenus gratuita. 303.b.
Gratia Dei inimici an ſint Pelagiani. 593.b.
Gratia Dei an uſquam in Scriptura aſſlatum ineluctabilem ſignificet. 518.b.
Gratia actualis & habitualis defenſa ab Auctore Quæſt. in V. & N. Teſtamentum. 85.b.

Gratiæ

Digitized by Google

Gratiæ Dei neceſſitas; quæſtiones ea de re à *Pelagianis* motæ. 300.a. & ſeq.
Gratia oppoſita *Legi* quid ſit. 510.b.
Gratia cur variè data. 24.
Gratiam gratis dare, ſecundùm *Proſperum.* 87.
Gratiam Dei an omnino rejiceret *Pelagius.* 497.a.
Gratiâ non tolli arbitrium hominis. 22. & ſeq.
Gregorii Magni dubitationes du origine animæ. 50.b.
Gregorii Nazianzeni locus Orat. XXXIX. de purgatorio igne illuſtratus. 46.a.
Gregorii Nyſſeni ſententia de omnium Chriſtianorum ſalute. 46.a.
Guddentus martyr. 549.a.

H.

HÆreſis an quia eſt opus carnis poſſet civilibus pœnis plecti. 604.a.
Hæreſes quomodo creſcant & ſpargantur. 174.a. & ſeqq.
Hæreſes ſæpe antiquiores iis à quibus nomen traxerunt. 61.a.
Hæretici pluribus legibus damnati à Chriſtianis, quàm Chriſtiani ab Ethnicis. 605.a.
Hæretici quomodo ſubſcriptiones ſubterfugiant. 186.a. & ſeq.
Hæretici ſæpe queſti ſibi tribui dogmata quæ damnabant. 180.a.
Hæreticorum pœnæ ex Codice Theodoſiano. 492.a.
Hæreticos non poſſe conferri Phreneticis. 492.b.
Hebraicæ linguæ ſtudium commendat *Auguſtinus.* 524.b.
Hercules Syrus. 590.a.
Hermes Triſmegiſtus ſuppoſitus. 581.b.
Heraclius ſucceſſor *Auguſtini.* 522.a.
Hierius Rhetor, ab *Auguſtino* laudatus. 473.a.
Hieronymi locus de Pelagio explicatus. 83.a.
Hieronymi in Præfat. Lib. III. in Jerem. locus de Pelagio explicatus. 71.a. & ſeq.
Hieronymi locus de origine Pelagianiſmi examinatus. 305.a. & ſeqq. 307.b. & ſeq.
Hieronymi ſententia de finu ſuppliciorum Chriſtianorum. 45.b.
Hieronymi ſententia de principibus hæreſis Pelagianæ expenſa. 307.a. & ſeq.
Hieronymi ſcriptorum adverſus Pelagianos Chronologia. 434.a. & ſeqq.
Hieronymo adſcriptus Commentarius in Epiſtolas ad Romanos à Pelagio editus. 558.b. item Epiſt. ad Demetriadem. 268.a.
Hieronymo gratiæ habendæ fuere, ob verſionem. 490.a. malè oppugnatus ab *Auguſtino.* 491.a.b.
Hieronymo tributa confeſſio fidei Pelagii. 211.a. quamvis in ea occultè oppugnatus. 212.a. & ſeq.
Hieronymus in Epiſt. LXI. ad Avitum emendatus. 50.a.
Hieronymus notatus. 584.b.
Hieroſolymitana Synodus in cauſa Pelagii congregata. 94.a.
Hilarii quatuor *Auguſtino* noti. 90.a.
Hilarius Arelatenſis Semipelagianus. 617.a. b.
Hilarius auctor Commentariorum in Epiſtolas Pauli. 90.a. & ſeqq. item Quæſtionum in V. & N. Teſtamentum. 91.a.
Hilarius auctor Commentariorum in Epiſt. Pauli an Pelagianus. 90.b. & ſeqq.
Hincmari Remenſis ſententia de libris Hypognoſticon. 253.a. & ſeq.
Hiſtoria pro peritia. 479.b. 481.a.
Hiſtoricus pro docto. 495.a.
Holſtenius (Lucas) notatus à *Noriſio.* 506.a.
Holſtenius (Lucas) notatus. 511.a. b. 514.b. 515.b.
Homines naſci meliores an iniquum uſſet. 483.b.
Hominum conditiones quàm diverſæ. 26. diſcretio eorum à Deo. 27.
Homo duplex in Oriente natus. 587.a.
Honoratus quando in Epiſcopatu Arelatenſi Patroclo ſucceſſerit. 146.b.
Honoratus Thabennenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius.* 110.b. quid *Noriſius.* 514.b.
Honorii Aurelium Carthaginienſem ad Synodum Spoletinam evocantis Epiſtola. 162.b.
Honorii Conſtitutio contra Pelagianos 143. ejus hiſtoria. 154.a. & ſeqq. explicata. 157.a. & ſeqq.
Honorii Epiſtola ad *Aurelium* Carthaginienſem. 160.a. ejus hiſtoria. 161.a. explicatio. 162.b.
Honorii Imp. infirmitas. 495.a.
Honorius Auguſtodunenſis notatus. 78.a.
Honorius ignotæ ſedis in Numidia Epiſcopus. 109.a.
Humaniter homines diligere quid. 473.a.
Humilitas an poſſit Deo tribui. 558.b.
Hypognoſticon libri ſex ad examen revocati. 251.a. & ſeqq. copioſè contra Julianum ſcripti. 252.a. quibus tribui nequeant 251.b. non ſunt *Marii Mercatoris.* 254.a. Sed *Sixti* Presbyteri Romani, qui *Cœleſtino* ſucceſſit in ſede Romana. 254.b. & ſeqq. cur à Veteribus non memoratum hoc opus. 256.b.

I.

IA uxor Juliani Eclanenſis poſtea Epiſcopi. 76.a.
Jacula ſuperata quæ. 22.b.
Janſenii (Cornelii) Yprenſis error de Cœleſtio. 73.a. 74.a.
Janſenii error *Arminianum* cum *Pelagio* miſcentis. 82.b.
Janſenius confutatus in eo quod ſentit de Auctore Quæſt. in V. & N. Teſtamentum. 87.b.
Janſenius confutatus in eo quod ſenſit du Pelagianiſmo *Hilarii.* 90.a. & ſeqq.
Janſenius notatus à *Garnerio.* 68.a.
Janſenii pravum judicium de Apologia *Oroſii.* 95.b.
Janſenius de Palladio confutatus. 307.a. & ſeq.
Januarius Timidenſis, quid de eo obſervatum à *Garnerio.* 104.a. quid à *Noriſio.* 506.a.
Illicita placent. 472.b.
Impeccantia oppugnata ab Auctore Quæſt. in V. & N. Teſtamentum. 87.b.
Impeccantia, quæſtiones hac de re natæ. 297.b.
Incomprehenſibilis Deus; licet *ſtabilis.* 472.a.
Infantes Adami peccato non teneri, nec propterea baptizari. 203.a.
Infantes non baptizati an pereant. 497.a. 498.b. 519.b.
Inferi an in bono ſenſu inveniantur in Scriptura. 498.a.
Ingenium ſingulari ſenſu ſumptum apud *S. Proſperum.* 9.a.
Ingrati quinam dicti *Proſpero*; an homines ſine gratia, an Maſſilienſes. 3.a. & b. 25.a.
Innocentii Epiſtolæ ad Afros, de damnatione Pelagii. 117. & ſeqq.
Innocentius Germanienſis, quid de eo obſervarit *Garnerius.* 10.b. quid *Noriſius.* 514.b.
Inquiſitores in Hæreticos dati. 167.a.
Inſecta à Deo creata. 471.b.
Inſecta an ex putredine naſcantur. 535.a.
Inſpiratio Dei non eſt neceſſaria ad ea dictanda quæ ratio, aut inſtitutio docet. 477.b.
Interpellet Chriſtus pro nobis quâ ratione. 356.b.
Intercenſis Eccleſia in Africa Proconſulari. 512.b.
Interpretandi Scripturam varia genera. 506.a.
Joannis Jeroſolymitani electio & obitus. 41.a.
Jonam Argivam non fuiſſe Ægyptiacam *Iſim.* 589.b.
Joviniani ſententia de impeccantia. 229.b. 309.b. & ſeqq.
Jovinianus, qua in re conſenſerit cum Pelagianis. 309.a.
Jovis amaſiæ mulieres impudicæ. 580.b.
Iſidori Peluſiotæ locus de Pelagio explicatus. 68.b.
Iſis unde dicta. 589.b.
Juba regnum in Africa quantum. 514.b. & ſeq.
Jucundus an *Jocundus* ſcribendum. 474.a.
Judæi capſarii Chriſtianorum. 545.a.
Judæi terræ motu Jeroſolimitano territi. 545.b. & ſeq.
Judæos convincere non potuit *Auguſtinus.* 595.b.
Juliana mater *Juliani* Eclanenſis. 76.a.
Juliani Eclanenſis Epiſcopi, Pelagiani brevis hiſtoria. 75.a. & ſeqq.
Juliani, Eclanenſis libellus nominu XVIII. Epiſcoporum ſcriptus. 220.a. ejus hiſtoria. 223.b. & ſeqq. explicatio. 226.b. & ſeqq.
Juliani Eclanenſis Epiſcopi, ſcriptorum accurata recenſio & fragmenta. 276.a. & ſeqq.
Juliani Epiſtolæ ad Zoſimum fragmenta. 231.b. & ſeqq. ad Rufum. 232.a. & ſeqq.
Julianus damnatus & pulſus. 78. b. & ſeqq.
Julianus Cœleſtii diſcipulus cujus urbis Epiſcopus. 77.a. quænam ejus Opera. 77.b. & ſeq.
Julianus Pelagianus oſtentationis inſimulatus. 157.b.
Juniores dicti præſidiarii milites. 578.b.
Juventius in Africa Proconſulari Epiſcopus. 104.b. 506.b.
Juſtiniani Epiſtola ad Menam, variaque in ea obſervata. 41.a.

K.

K*Ikajon*, quid apud Jonam. 491.b.

L.

LAcrimis cur juvemur. 473.a.
Lampadius Tiſeditenſis, quid de eo notarit *Garnerius.* 110.b. quid *Noriſius.* 515.b.
Lamfortenſis Eccleſia in Numidia. 514.a.
Lapides Eshuici dicti. 546.b.
Lares, urbs Proconſularis Africæ. 512.b.
Lato limite proſternere. 7.a.
Lazarus & *Eros* flagitioſi homines. 123. & ſeq.
Legere Deum pro eligere. 25.a.
Leo Magnus miſtus à *Garnerio* cum Leone IX. 505.b.
Leo Municipii Moptenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius.* 109.a. quid *Noriſius.* 509.b.
Leporius quid docuerit. 312.a.
Leporii error & hiſtoria. 140.a. & ſeq. ejus libellus ad Epiſcopos Galliæ. 142. & ſeqq. Epiſtola Afrorum de ejus emendatione. 144.
Levi quomodo in *Abrahamo* decimatus. 518.b.
Lex in rebus Eccleſiaſticis quid poſſit haberi, quamvis non revelatum. 490.a.
Libentia & libertas ab *Auguſtino* miſtæ. 560.b.
Liberi arbitrii vocibus voluntatem intelligit *Auguſtinus.* 618.a.
Liberi nominis abſurda etymologia. 580.b.
Libertas cum gratia conjuncta. 34.
Libertatem & voluntatem perperam miſcuit *Auguſtinus.* 483.a.
Libertina, urbs Africæ Proconſularis. 501.b.
Liberum arbitrium amiſſum ex *Auguſtini* ſententia. 560.a.
Liberum arbitrium quomodo liberetur. 518.a.
Libido an per ſe mala. 482.a.
Libido peccatum habitum ab Auctore V. & N. Teſtamenti. 86.b.
Libri genuini à ſuppoſitis quomodo diſtincti. 599.b. & ſeqq.
Libri N. T. quomodo genuini eſſe intelligantur. 599.b. & ſeqq.
Limbus an *Auguſtino* creditus. 549.b.
Limes extremi ſtatus. 18.a.
Linguæ quomodo diviſæ. 588.b.
Lipſius (*Martinus*) Quid in editione Auguſtini Lovanienſi præſtiterit. 469.
Litteraliter quæ ſint in Scriptura intelligenda. 525.b.
Litterius Suanenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius.* 109.a. quid *Noriſius.* 550.a.
Loquutiones Scripturæ, libri *Auguſtini* de iis quam in rem utiles. 519.a.
Loquutor dictus *Virgilius.* 585.b.
Lovanienſes Theologi confutati in eo quod

ſenſerunt de Auctore Quæſtionum in Vet. & N. Teſtamentum. 87. a.
Lucas an ſacerdotalem ſtirpem Chriſto tribuerit. 592. a. b.
Lucianus Guirenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 103. b. quid *Noriſius*. 508. a.
Lucillus Sinitenſis, quid de eo notarit *Garnerius*. 110. a. quid *Noriſius*. 513. a.
Lucius ignotæ ſedis in Numidia Epiſcopus. 109. a.
Lucius Tagaratenſis Epiſcopus. 103. b.
Lucretius emendatus 39.
Lugdunenſis Synodus. 151. b.
Lupus, Luſus Proſperi in hac voce. 36. b.
Lupus Trecenſis, quando in Britanniam miſſus. 146. & ſeqq.
Lympha dictæ Nymphæ fontium præſides. 580. a.

M.

M*Acariana tempora* quæ. 489. a.
Macomades quot urbes in Africa. 507. b.
Magiſtratuum cura in rebus ad Religionem pertinentibus quænam. 603. b. & ſeq.
Majorinus Zemptenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 103. b. quid *Noriſius*. 530. b.
Majorinus in Africa Proconſulari Epiſcopus. 104. b. 506. b.
Malchus Maſculitanus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 109. a. quid *Noriſius*. 110. a.
Fl. Mallius Theodorus. 478. a. b.
Malum an ſit tantùm privatio boni. 559. a.
Mangana quæ dicuntur. 488. b.
Manes ſub Luna volitantes. 582. b.
Manichaiſmus invidia *Auguſtino* facta à Pelagianis. 308. a. b.
Manichæorum varii ordines. 473. a.
Manichæus, qui cum eo conſentire dici potuerint Pelagiani. 308. a.
Marcellinus ignotæ ſedis in Africa Proconſulari Epiſcopus. 104. b.
Marcellus in Africa Proconſulari Epiſcopus. 104. b. 506. b.
Marcus an ſit breviator Matthæi. 532. a.
Marcus Donatiſta. 507. b.
Marianus Uzipparenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 103. b. quid *Noriſius*. 504. b.
Marii Mercatoris ſententia de principibus Hæreſis Pelagianæ, cum Hieronymiana collata. 305. a.
Martyres, quæ, ne deflorarentur, ſe occiderunt. 577. a.
Martyres, quâ ratione culti. 581. b.
Maſſilienſes, vide *Semipelagiani*.
Maurentius Tuburſicenſis. 108. b.
Maximianus Anazarbenus. 137. a.
Maximus ignotæ ſedis in Africa Proconſulari Epiſcopus. 104. a.
Mazarana urbs Byzacii in Africa. 501. a.
Megurius ignotæ ſedis, in Africa Proconſulari, Epiſcopus. 104. a.
Meglapolis urbs Africæ Proconſularis. 507. a.
Melania majoris conſanguinitas. 615. a.
Mel thymınum quodnam. 480. a.
Melanium idem nomen ac *Melania*. 611. b.
Meldita & *Melzita* eadem urbs Africæ. 501. b.
Membreſa urbs Africæ Proconſularis. 501. a.
Memes aut *Memorius* pater *Juliani*. 76. a.
Mendacia quæ & quatenus licita. 565. a. b.
Mendacia religioſa quàm vituperanda. 559. b.
Mendacia eorum qui vixere ſub V. T. quomodo interpretetur *Auguſtinus*. 564. a. b.
Mendoſus pro mendace. 536. a.
Mens pro Deo Patre. 192. b.
Menſa pro altari. 550. a.
Meretrices neceſſariæ, ſi credimus *Auguſtino*. 479. a.
Merita conſiſtere poſſe cum gratia. 33.
Μεταχηματισμὸς apud Paulum Rom. VII. 331. b.
Metuere ſibi aut aliis aliquid. 577. a.
Migirpa urbs Africæ Proconſularis. 503. b.
Mileum an idem cum *Mileve*. 105. a.
Milevum urbs Numidiæ, an omiſſa à Geographis. 105. a.
Milevitana Synodus contra Pelagianos. 104. a. & ſeqq. ejus Epiſtola ad Innocentium. 105.
Miracula ficta ſæculi quarti. 492. a. 535. b. 550. a. b. 594. b.
Moderatio ficta. 550. a. 552. a.
Monachi quot generum fuerint quarto ſæculo deſinente & initio quinti. 67. a.
Monachorum deſidia ab Auguſtino damnata. 566. a. b.
Monachorum mores, qui eſſe debeant. 486. a. b.
Monaxius Præfectus Prætorio. 159. a.
Monnica ab *Auguſtino* laudata. 478. b.
Montenſes dicti *Donatiſtæ* cur. 490. b.
Mopta Mauritaniæ Sitifenſis Municipium. 509. b.
Mortales homines an à Deo facti. 200. a.
Mortalitas, vide *Adamus*.
Mortui, quid de precibus pro mortuis cenſuerit *Auguſtinus*. 566. a. b.
Mortuorum ſtatus ante reſurrectionem. 534. b.
Mula virgo eſt, dicterium Manichæorum. 485. b.
Multiloquium quale. 471. a.
Mundi manu damnati Pelagiani, quid ſibi velit. 12. a.
Munera gladiatoria quando edita. 545. b.
Municipium oppidum Numidiæ. 509. b.
Muræ quinam dicti. 579. a.
Murcia Dea Marcoris. 579. a.
Muſæ cur novem fictæ. 585. a.
Muſti, duæ hujus nominis urbes in Africa. 512. b.
Muzua urbs in Africa Proconſulari. 504. b.
Muzuca urbs Byzacii. 502. a.
Muzucenſis Eccleſia in Africa Proconſulari. 505. b.

N.

N*Ævius* homo proceritatis inſignis. 488. b.
Namphamo, vox Punica quid ſignificet. 489. a.
Navaggara urbs Africæ Proconſularis. 504. a.
Neceſſitas quomodo fiat ex conſuetudine. 474. a.
Negatio duplex pro una. 580. a.
Neſtorius quid docuerit. 312. a.
Neſtorii error aliunde ortum, aliunde nomen accepit. 47. a.
Neſtorianiſmi & Pelagianiſmi conjunctio. 37. & ſeq.
Neſtoriano & Pelagiano dogmati quæ ſocietas. 311. a. & ſeq.
Ninus quo tempore vixerit. 590. b.
Nobilitata veritatis hiſtoricus Salluſtius. 577. a.
Novatianorum error. 219. b.
Novatus Siniſenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 108. b. quid *Noriſius*. 509. a.
Nuditas cur pudenda. 685. b.
Nuditatis cur puduerit primos parentes. 585. a. b.
Numæ cadaver & libri à quo reperta. 581. a. quodnam eorum eſſet argumentum. Ibid. a.
Numidica Synodus contra Pelagianos. 104. a. & ſeqq.
Numidius Maxulitanus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 101. b. quid *Noriſius*. 508. a.
Nuptiæ, quæſtiones de iis à Pelagianis motæ. 197. a. & ſeqq.

O.

O*Bba* Provinciæ Proconſularis in Africa. 513. a.
Obſcura ex claris eſſe explicanda. 554. b.
Occiduus decor pro caduco. 17. a.
Octavianus Reſſianenſis. 506. a.
Octavius Uthinenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 103. b. quid *Noriſius*. 503. b.
Oenſes cives urbis Africæ. 498. b.
Olympi fabuloſa altitudo. 484. a.
Omnes ſervari noluit Deus ex *Auguſtini* ſententia. 561. a. b.
Origenes quomodo prævierit *Pelagio*. 46. b. 303. b. cur tamen laviſus *Pelagianis* 306. a. cum *Maſſilienſibus* ſenſit. Ibid.
Orare Deum, ut ſe tentatione liberaret qui poſſent *Pelagiani*. 519. b.
Origenes animos tribuit aſtris. 196. b. & ſeq. credidit eos præſignificare futura. 196. b. & ſeq. animos ſimul omnes factos. 198. b.
Origenes credidit animorum præexiſtentiam. 48. a. b. 50. a.
Origenis cum *Apollinari* ſentientis locus. 46. b.
Origenes cum Arianis ſenſit. 47. b. 48. a.
Origenis ſententia de corporibus poſt reſurrectionem. 49. b. 50. a.
Origenes damnatus ab *Anaſtaſio* Romano. 40.
Origenes negavit Deum feciſſe omnia quæ voluit. 195. a.
Origenes quid intellexerit purgatorio igne. 46. a.
Origenis ſententia de omnium rerum reſtitutione. 49. b.
Origenes in fide *Rufini* Palæſtini damnatus. 45. a.
Oroſius quid geſſerit in Synodo Hieroſolymitana. 94. a. & ſeqq.

P.

P*Acem accipere* quid ſit in Eccleſiaſticâ Latinitate. 8. a.
Palatinus Boſſitenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 102. a. quid *Noriſius*. 500. b.
Palladius Præfectus Prætorio quando. 157. a. 159. a.
Palladii tres, an ab aliquo eorum edoctus ſit Pelagius. 307. a. & ſeq.
Pannonius Pupputanus. 102. b. 502. b.
Paraſkeue cur dicta dies Veneris. 535. b.
Parentes quinam, honoris causâ ab Imperatoribus Chriſtianis dicti. 158. a.
Partes corporis Epiſcopi populi ejus fidei commiſſi. 42. a.
Parthi ad quos ſcripſit *Joannes* Apoſtolus. 537. a.
Paſſum quid ſit. 485. b.
Patientia vera quæ. 566. a. b.
Patres primi Adamus & Eva dicti Proſpero. 32. b.
Patres ſinguli interdum nimiùm amati. 46. b.
Patrum libri quo animo legendi, ex *Auguſtini* ſententia. 495. a.
Patriarcharum polygamia quomodo excuſata ab *Auguſtino*. 562. b. & ſeqq.
Patroclus Arelatenſis Epiſcopus. 146. b. 170. b.
Paulini libellus *Zoſimo* oblatus. 126. b.
Paulinus Diaconus accuſator *Cæleſtii*. 93. a.
Pauli Epiſtolæ ad Romanos quis potiſſimus ſcopus. 556. a.
Pauli Cappadocis curatio miraculoſa in actus diſtincta. 550. b. & ſeqq.
Paulus Diaconus in lib. de Gratia emendatus. 77. a.
Pauli Oroſii ſcriptorum contra Pelagianos hiſtoria & Chronologia. 248. a. & ſeq. confutantur qui Apologeticum ab eo ſcriptum negant. 248. a. & ſeqq.
Pauli Oroſii ſententia de omnium Chriſtianorum ſalute. 46. a.
Paulus Samoſatenus quid edocuerit. 312. a.
Paulus Samoſatenus *Pelagianis* præivit. 61. b.
Peccata *noſtra* quæ dicantur. 619. a.
Peccatorum veniam adultis omnibus à Deo petendam an negarent *Pelagiani*. 520. a.
Peccatorum ſuorum causâ, non alienorum quiſque patitur. 203. a. & ſeq.
Peccati immunes quo ſenſu poſſint eſſe homines. 497. a.
Peccati immunes poſſe homines eſſe quomodo probaret *Cæleſtius*. 273. b. & ſeq.
Peccati immunes eſſe quæ loca Scripturæ jubeant. 274. b. quæ non peccandi poſſibilitatem, ex ſententia *Cæleſtii*, adſtruant. 275. a. & ſeq.
Peccatum naturale vocabant *Pelagiani* peccatum originale. 229. a.
Peccatum originale, ex *Auguſtini* ſententia, an conſiſtat cum juſtitia divina. 621. a

Digitized by Google

Peccatum originale, quomodo defenſum & oppugnatum, variæque de eo quæſtiones. 288. a. & ſeqq.
Peccatum originale defenſum ab Auctore Quæſt. Veteris & Novi Teſtamenti. 86. b.
Peccatum non eſt quod non poteſt vitari. 483. b.
Peccatum voluntarium, hoc eſt, liberum eſſe oportere. 485. b. 556. b.
Peccatum non committi, niſi voluntate propriâ. 498. a. & quidem ſine coactione. Ibid. b.
Pectora tundi in Eccleſiis ſolitum ab iis qui ſe reos agnoſcebant peccatorum quæ arguebantur. 552. b.
Pelagiana dogmata ad xv. capita ab *Auguſtino* redacta. 97. b.
Pelagianiſmus in duodecim capita ab *Auguſtino* contractus & examinatus. 582. b. & ſeqq.
Pelagianiſmi initia à *Theodoro* Mopſueſteno. 62. b.
Pelagianiſmus quando natus & propagatus. 68. a.
Pelagianiſmi ſumma capita, ex ſententia *Garnerii*. 281. a. initia. Ibid. & ſeqq. unde variæ ejus quæſtiones natæ. 283. a. & ſeqq.
Pelagianiſmi quinque potiſſima capita. 85. a.
Pelagianiſmo adverſi aut faventes quinam Patres ſint utrimque prolati. 298. b. & ſeq.
Pelagianiſmus cur adeò pertinaciter ſparſus. 174. a. & ſeqq.
Pelagianorum opiniones iis antiquiores. 61. b.
Pelagiani nimis celeriter damnati. 621. a. b.
Pelagiani inter ſe diſſentientes. 304. b.
Pelagiani mendaciorum accuſati à Garnerio. 176. b. & ſeqq.
Pelagianiſmi & *Neſtorianiſmi* conjunctio. 37. & ſeq.
Pelagiani Neſtorianiſmi ſuſpecti. 327. a. 330. a. b.
Pelagianorum & *Neſtorianorum* quale conſortium. 311. a. & ſeq.
Pelagiani non accuſati Neſtorianiſmi à potiſſimis adverſariis. 313. a.
Pelagianis oblata formula fidei ſubſcribenda quæ. 181. a. & ſeqq.
Pelagiani an reddant hominem ſuperbum. 517. b.
Pelagianorum & *Semipelagianiorum* collatio, ex *Proſperi* mente. 10. 13. 18.
Pelagianorum ſcripta, in defenſionem ſui dogmatis. 257. a. & ſeqq.
Pelagiani non crediſſe animam Chriſti meruiſſe Verbo uniri. 48. b. 50. b.
Pelagius in Africa Proconſulari Epiſcopus. 104. b. 506. b.
Pelagius Britannus. 4. b. ejus brevis hiſtoria. 66. a. & ſeqq. Monachus fuit. 66. b. & ſeq. cetera ad ipſum pertinentia. *Ibidem.*
Pelagii Confeſſio ex Oriente Romam miſſa. 209. a. & ſeqq. ejus hiſtoria. 211. a. & ſeqq. explicatio. 212. b. & ſeqq.
Pelagii dogmata ſecundùm *Proſperum*. 4. 12.
Pelagius imperitus Græcæ Linguæ. 346. b. 456. a.
Pelagius quomodo ſe geſſerit in Synodo Hieroſolymitana 94. a. & ſeqq. in Dioſpolitana. 96. a. & ſeqq.
Pelagii Opera quæ & quibus temporibus ſcripta. 68. b. & ſeqq.
Pelagii ſcriptorum accurata recenſio & fragmenta. 558. a. & ſeqq.
Pelagii Commentarios in Paulum verè continere doctrinam *Pelagii*. 328. b. 332. b. 336. a. 340. a. 341. a. 358. a. 411. a. 412. a. 427. a. 429. a. 443. b.
Pelagii Comment. in Paulum interpretes. 328. a. *ubi vide notam ſubjectam.*
Pelagius quidam Monachus diverſus à Britanno. 68. b.
Pelagius Tarentinus. 66. a.
Pennas reſumere, de anima, quid apud Platonicos. 474. b.
Penthadius Carpitanus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 104. b. quid *Noriſius*, 506. b.
Peregrinus nomen fictum *Vincentii* Lirinenſis. 36. b.
Peremtor, Diabolus dictus à *Proſpero*. 31. b.
Perfectus nemo ſine gratia Dei. 46. b.
Περιεργὶς quid ſignificet. 582. b.
Periergi cur ab *Auguſtino* dicti Theurgi. 582. b.
Perſequi, Religionis causâ, qui negabant licitum eſſe poſtea perſequuti ſunt. 490. b.
Perſequutionem primùm oppugnavit *Auguſtinus*. 598. a. b.
Perſequutionem, religionis causâ, licitam concedit fruſtra *Auguſtinus*. 492. a. b. & ſeqq.
Perſequutione adducti ad profitendum quidpiam an fide digni. 492. b. an rationibus magis flectantur. 495. a.
Perſequutionem licitam qui facit eum infamare Chriſtianos, qui per tria prima ſæcula vixerunt. 511. b.
Perſona pro conditione. 484. b.
Perſonæ in divinis, ex *Auguſtini* ſententia ſunt ſubſtantiæ. 584. a. 601. b.
Perſpicuitas ſtyli quanti facienda. 579. b.
Φιλαυλία quid propriè dicatur Græcè. 471. a.
Philoſophaſter an dictus *Cicero* ab *Auguſtino*. 578. a.
Photini ſententia de anima Chriſti deificata. 46. b.
Photinus quid docuerit. 312. a.
Photius Cod. LIV. emendatus. 117. b.
Photius ſuſpectus Pelagianiſmi *Garnerio*. 171. b.
Phyſici ſæpe Athei. 31. a.
du Pin (*Elias*) notatus. 491. a.
Pinianus raptus ad Presbyteratum & vix dimiſſus. 496. a.
Piniani tota conſanguinitas. 613. a. & ſeqq. varia ad vitæ ejus Chronologiam pertinentia. 613. b.
Piſcis de profundo Chriſtus. 477. a.
Placentius Madaurenſis. 108. a. 508. a.
Platonici, judice *Auguſtino*, antiquiores futuri fuiſſent Chriſtiani, ſi ſeriùs vixiſſent 485. a. attamen recentiores infenſiſſimi fuere Chriſtianis. 485. a.
Platoniſmo deceptus eſt *Auguſtinus*. 473. b. 474. b. 476. b. 479. b. 482. b.
Plotini libri *Auguſtino* lecti & laudati. 477. a.
Poëtam temere apertum de futuris conſulere moris fuit. 473. a.
Polyptoton quo delectatus *Proſper*. 22. b.
Pontifices Romani ex Synodo reſcribere gravioribus quæſtionibus ſolebant. 116. a.
Pontifex Max. apud Hebræos, an ingrederetur quotidie Adytum. 472. a. b.
Ponteo ſcribendum non *Panteo*. 474. a.
Populus qui dici nequeat. 593. a.
Porphyrius Philoſophus Platonicus, Tyrius, non Siculus. 471. b.
Porphyrii ſententia de Trinitate. 582. b.
Poſſidius Calamenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 108. b. quid Noriſius. 508. b.
Poſſidii Indiculus & vita *Auguſtini* a quo inventa. 468.
Poſſidonius Epiſcopus Numida incertæ ſedis. 554. a.
Poſſum, ſi volo, quid *Pelagii* temporibus ſignificaret. 62. a. b.
Poſthumianus Epiſcopus in Africæ Provincia Proconſulari. 103. b.
in Poteſtate hominis eſſe quid ſonet. 471. b.
Præcepta omnia Dei debent eſſe poſſibilia. 518. b.
Præfectorum Prætorio edictum contra *Pelagianos*. 159.
Præſcientia futurorum liberorum, qui ab *Auguſtino* explicata. 579. b. 483. a.
Præſidii Numidæ Epiſcopi duo. 10. b.
Prætextatus Sicilibenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 104. b. quid *Noriſius*, 506. a.
Praudii legitima hora ſexta. 553. a.
Praylius Synodo Antiochenæ contra *Pelagium* interfuit. 128. a.
Precum alæ quæ dicantur. 553. b.
Presbyteri coram Epiſcopis concionari. 546. b.
Primas pro præcipuo, apud *Proſperum*. 5. b.
Principum in rebus Eccleſiaſticis auctoritas quænam. 152. a.
Proceſſus ignotæ ſedis in Numidia Epiſcopus. 510. b.
Proculianus in Africa Proconſulari Epiſcopus. 104. a. 505. b.
Pronunciatio hodiernæ Linguæ Latinæ quàm prava. 481. a.
Proſper an Epiſcopus fuerit. 3. a.
Proſperi locus contra Collatorem illuſtratus. 256. b.
Proſperi locus de ſocietate *Neſtoriani* dogmatis cum *Pelagiano* explicatus. 318. a. & ſeqq. confutatus. 322. b.
Proſperi locus de *Cæleſtio* à *Garnerio* explicatus. 71. b.
Proſper imitator *Taciti*. 20. b. Virgilii. 218. 30. 31. a. paſſim in notis.
Proſperi aliquot loca illuſtrata. 131. a. & ſeqq.
Proſper Chronographus confutatus. 155. b. an ſit idem ac adverſarius Caſſiani. 155. b. notatus. 196. b.
Proſperi locus de miſſione *Germani* Antiſſiodorenſis in Britanniam explicatus. 147. a. & ſeq.
Proſtrata natura quid, ſecundùm *Proſperum*. 15. a.
Protaſii & *Gervaſii* Martyrum inventio. 475. a.
Pubertas, quouſque olim producta. 76. b.
Publianus Bazarididacenus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 102. b. quid *Noriſius*. 501. a.
Publicola Melaniæ filius. 615. a.
Pudor cur neceſſarius, & unde ortus. 585. b.
Puerorum ſimilium alii ſervantur, alii damnantur, ſecundùm *Proſperum* 23. & 24.
Punica Lingua, obſervante *Auguſtino* affinis Hebraicæ. 530. b. 547. b.
Punicum proverbium elegans. 548. a.
Puppitanus à *Puppitu* urbe Africæ. 501. b.
Purgatorius ignis, quid de eo ſenſerit *Auguſtinus*. 557. a. b.
Pythagoras quibus temporibus vixerit. 591. a.

Q.

Q*Uadratus* incertæ ſedis in Numidia Epiſcopus. 110. a.
Quæſtionum in Vetus & Novum Teſtamentum auctor, *Pelagianiſmi* a nonnullis accuſatus, multis à *Garnerio* defenſus. 84. a. & ſeqq. quis & qualis fuerit. 89. a. b.
Quies Dei, ſeptimo die, non intellecta ab *Auguſtino*. 583. b.
Quodvultdeus Verenſis. 104. b. 506. b.
Quodvultdeus Giviſenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 104. b. quid *Noriſius*. 506. b.

R.

R*Aka* quid ſignificet, apud *Matthæum*. 534. a. b.
Ratio recta ſemper conſentit cum Scriptura, & viciſſim. 496. b.
Ratio cauſalis animæ, quid apud Philoſophos. 528. a.
Rationem non excludi fide. 425. b.
Ratio Platonicè ab *Auguſtino* intellecta. 479. a. 482. b.
Ratio Seminalis, quid apud Philoſophos. 488. b.
Regnum Dei malè diſtinctum à vita æterna. 549. b.
Rrienſis Synodus. 151. b.
Religio Ethnica, quòd nihil ad bonos mores faceret, vituperanda. 577. b.
Remigii Lugdunenſis ſententia de libris Hypognoſticon. 253. a. & ſeq.
Reſpondere exteriùs apud *Proſperum* pro apparere. 19. b.
Reſponſa & *Sanctiones* Principum quomodo differrent. 42. b.
Reſſana Urbs Numidiæ. 506. a.
Reſtitutus Cincariſenſis quid de eo obſervarit *Garnerius*. 103. a. quid *Noriſius*. 502. a.
Reſtitutus Muzulenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 102. b. quid *Noriſius*. 502. a.
Reſtitutus Novatinus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 107. b. quid *Noriſius*. 508. a.

Rhy.

Digitized by Google

Rhythmus quid ſit. 481. a.
Rhetorica ingenia qualia ſint. 474. a.
Romana Synodus prima contra *Pelagium*. 116. a.
Romana Synodus ſecunda de cauſa *Pelagii*. 122. a. b.
Romana Synodus tertia contra *Pelagianos*. 134. & ſeqq.
Romana quarta Synodus contra *Pelagianos*. 139. a. b.
Romana quinta Synodus contra *Pelagianos*. 148. a. & ſeq.
Romana Synodus ſub *Bonifacio*, ex ſententia *Garnerii*. 151. a.
Romana Synodus ſub *Gelaſio*. 151. b.
Romanæ ſedis jura qualia. 520. b.
Romani, an meliores fuerint, primis Reipublicæ temporibus, quàm poſtea. 577. b.
Romanis veteribus an præmium virtutum dederit Deus. 580. a.
Romanus Meglapolitanus, quid de eo à *Garnerio* obſervatum. 104. b. quid à *Noriſio*. 507. a.
Rufianus Maxenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 104. a. quid *Noriſius*. 505. b.
Rufinianus incertæ ſedis in Numidia Epiſcopus. 509. b.
Rufinus Aquilegienſis interpolator *Origenis*. 47. b. 49. b.
Rufini apologia ob converſum *Origenem*. 43. a.
Rufini hiſtoria. 41. a. & ſeqq.
Rufinus Druſilianenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 104. a. quid *Noriſius*. 505. a.
Rufinus Syrus quæ ſcripſerit pro *Pelagianiſmo*. 557. a. & ſeqq.
Rufini Syri confeſſio fidei. 43. 44. a. & ſeqq.
Rufini Syri libellus fidei. 590. & ſeqq.
Rufinus Cœleſtii & Pelagii magiſter non Aquilegienſis, 63. a. b. ſed Syrus. 64. a. & ſeqq. ilque *Hieronymi* amicos. 64. b. & ſeqq.
Rufinus, *Origenis* interpres, caſtigatus ab *Anaſtaſio* Romano. 40.
Rufini tres æquales. 44. a.
Ruſpa urbs Byzacii, in Africa. 509. a.
Ruſpina urbs Byzacii in Africa. 509. a.
Ruſticianus Tabracenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 101. b. quid *Noriſius*. 500. a.
Ruſticus Druſilianenſis. 505. a.
Ruſticus Tabracenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*, 102. b. quid *Noriſius*. 502. a.

S.

Sabinus Tuccenſis, quid de eo notarit *Garnerius*. 510. a. quid *Noriſius*. 513. a.
Sacramentum corporis Chriſti. 495. a.
Sacula ſæculorum, quid ſignificet. 585. a.
Salmaſius (*Claudius*) confutatus. 155. a.
Salmaſii & *Sirmondi* contentio de Edictis & Conſtitutionibus Principum. 159. a.
Salutare pro vocare. 562. a.
Samardaci, divini quidam ac plani, vox Punica. 477. b.
Samuel an evocatus reverâ à Pythoniſſa. 557. b.
à *Sancto Paulo* (*Carolus*) notatus. 506. b. 511. a. b. 514. b. 515. b.
Sapientia Dei dictus etiam à veteribus Spiritus Sanctus. 491. b.
Sapientiæ libri quiſnam auctor. 524. b.
Saraballa quid ſit & quomodo ſcribi debeat. 482. a. b.
Sardicenſis Synodus. 151. a.
Saturninus ignotæ ſedis in Numidia Epiſcopus. 509. a.
Saturninus in Africa proconſulari Epiſcopus. 104. b. 506. b.
Saturni ſtella cur *frigida* ab Aſtrologis vulgò credita. 527. a.
Saturnum cur à Judæis cultum crediderint Ethnici nonnulli. 532. b.
Scripturæ ſacræ interpretatio omnis vitioſa, quæ non eſt conſentanea ſcriptoris ſacri animo. 477. a.
Scriptura temerè aperta & de futuris conſulta. 474. b.
Scripturam malè interpretatur qui veram in eam ſententiam, ſed alieno loco quærit. 524. a.
Scripturæ ſtylus ſimpliciſſimus & additiones & detractiones patitur. 477. b.
Scriptura ſecum pugnare nequit. 554. b.
Secundus Magarmelitanus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 109. b. quid *Noriſius*. 510. b.
Secundus Ruſpitenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 108. b. quid *Noriſius*. 509. a.
Seia Dea frugis. 579. a.
Semipelagiani confutati à *Proſpero*. 13. & ſeqq.
Semipelagiani conſentanea non loquebantur, ut cenſebat Proſper. 19. & ſeqq.
Semipelagiani ex *Origene* dogmata ſua hauſerunt. 306. a. & ſeq.
Semipelagianorum placita, ſecundùm S. *Proſperum*. 9. 29.
Semipelagianorum & *Pelagianorum* collatio ex *Proſperi* mente. 10. 13. 28.
Senatores Romani ſæpe erant qui nunquam Romæ fuerant. 580. a.
Senum cœtus pro Concilio apud *Proſperum*. 7. a.
Senſus quid ſit. 480. b.
Septimæ diei veſpera cur non memoretur. 477. b.
Septuaginta Interpretes an afflati. 533. a.
Septuaginta Interpretes temerè ab *Auguſtino* defenſi. 489. a. & ſeqq. 491. a. b. fabula de eorum conſenſu. 489. b.
Septuaginta Interpretes ex aliis verſionibus ſæpe corrupti. 510. b.
Septuaginta Intt. verſio perperam ſine mendis judicata. 591. b. & ſeq.
Septuaginta Intt. Verſio vitioſa. 586. b. 587. a.
Septuaginta Intt. verſio cur credita afflata. 587. b.
Serotinus Thurſitenſis quid de eo obſervarit *Garnerius*. 103. b. quid *Noriſius*. 503. b.
Servilius in Africa proconſulari Epiſcopus. 104. b. 516. b.
Servus Dei Eccleſiæ Miniſter. 475. a.
Servus Dei Burenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 109. b. quid *Noriſius*. 511. a.
Seth unde dictus. 586. b.
Severianus. 146. a.
Severus ex-Præfectus *Pinian*i pater. 612. a. frater ejuſdem nominis. Ib. b.
Severus Milevitanus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 108. a. quid *Noriſius*. 508. b.
Sextus aut *Sixtus* Afer Epiſcopus. 104. b. 506. b.
Sibylla Erythrææ commentitiæ varii verſus. 590. b. & ſeq. unde vatibus nomen illud impoſitum. 590. b.
[illegible] in Africa proconſulari. 506. a.
Sigebertus de tempore Synodi Arelatenſis confutatus. 146. b.
Sigeberti, duos *Amianos* miſcentis, error inſignis. 82. a.
Silvanus Summenſis, quid de eo obſervatum à *Garnerio*. 107. a. quid à *Noriſio*. 507. a.
Simittuenſe oppidum in Africa. 503. a.
Simonis Magi ejuſque mortis fabula confutata. 595. a.
Sinceres barbara vox malè intellecta à *Pelagio*. 421. b.
Sinus Abrahæ quid apud *Auguſtinum*. 475. a.
Sitifis Mauritaniæ urbs. 509. a.
Sixtus Presbyter Romanus auctor Hypognoſticorum. 254. b. & ſeq. patrocinatus eſt aliquandiu *Pelagianis*. Ibid. ſed poſtea contra eos ſcripſit. 255. b. & ſeq.
Sixtus Senenſis reprehenſus. 45. b.
Selaria Profeſſorum quæ propriè dicerentur. 472. a. b.
Solidum aureum quid ſit. 555. a.
Sophiſma eſt, quod hoc tempore prodeſt, poſtea nocet. 492. b.
Somnia divinitus miſſa à naturalibus qui diſcerneret *Monnica*. 473. b.
Sophiſta Pharaonis cur dicti Magi. 529. b.
Spectacula plebem avocantia Eccleſias infrequentes faciebant. 546. a.
Speculum Auguſtino tributum, an ejus ſit, quale ad manus noſtras pervenit. 530. a.
Sperantius Ammadærenſis, quid de eo ſcripſerit *Garnerius*. 109. b. quid *Noriſius*. 512. a. & ſeq.
Spiritus Dei, interdum pro Anima Univerſi poſitus, ſi credimus nonnullis Veteribus. 526. b.
Spiritus Sanctus Patrem & Filium videre negatos ab *Origene*. 48. a.
Spiritus Sanctus an bonitas aut ſanctitas Patris ac Filii dici queat. 583. b.
Stephani Protomartyris cadaver quando repertum dicatur. 550. a.
Stigmata Jeſu-Chriſti apud Paulum quæ. 532. a.
Stigmata militaria quænam. 605. b.
Stylus hyperbolicus & tumidus quarti ſæculi. 489. a.
Suabenſis Eccleſia Numidiæ. 510. a.
Suares (*Franciſcus*) notatus. 45. b.
Subſcriptiones coactæ, in cauſa *Pelagiana*. 165. a. b.
Subſcriptiones exactæ in cauſa *Pelagianorum*, totaque earum hiſtoria. 172. a. & ſeqq. cur impoſitæ. Ibid. & 173. à quibus exactæ. 172. b. & ſeq. 183. a. quâ auctoritate. 182. a. quæ exceperint detrectantes. 183. a. & ſeq.
Subſcriptiones contra *Pelagianos* an fuerint contra dogmatum auctores. 179. a. & ſeq.
Subſcriptiones contra *Pelagianiſmum* qui recuſarent quomodo habiti. 187. a. qui pœnitentiâ ducerentur quomodo. 187. a. & ſeq.
Sagitana Eccleſia Numidiæ. 510. a.
Sumere pro accipere. 4. a.
Superbia an naſcatur ex dogmate *Pelagii*. 517. b.
Superſtitiones irriſæ à ſapientibus Ethnicis. 525. a.
Suppoſitiones librorum olim nimium probatæ, aut parum intellectæ 581. b.
Suſceptoris in baptiſmo reſponſum *credo*, quid ſignificaret. 495. a.
Symbolum Africanæ Eccleſiæ non habuit articulum de deſcenſu ad inferos. 558. b.
Synodi Africanæ contra *Pelagium* coactæ. 7. a. & b.
Synodi habitæ in cauſa Pelagianorum. 92. a. & ſeq.
Syracuſana Synodus contra *Pelagianos*, ex ſententia *Garnerii*. 151. a.

T.

Tabora urbs Africæ Proconſularis & Mauritaniæ. 503. a.
Tacarata Numidiæ urbs. 501. a.
Tagarata Africæ Proconſularis urbs. 501. a.
Tagora, duæ urbes hujus nominis in Africa. 504. a.
[illegible] Secunianenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 509. b. quid *Noriſius*. 511. b.
Terræ motus in Oriente. 545. b.
Thabena Mauritaniæ Sitifenſis urbs. 514. b. & ſeq.
Theaſius Membteſitanus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 102. b. quid *Noriſius*. 501. a.
Theodori Mopſueſteni ingenium quale, ſecundùm *Garnerium*. 63. b.
Theodorus Mopſueſtiæ Epiſcopus quæ ſcripſerit pro *Pelagianiſmo*. 257. a. & ſeq.
Theodorus Mopſueſtenus *Paulum* Samoſatenum in multis ſequutus. 62. b.
Theodorus Mopſueſtenus Pelagianiſmi parens. 62. a. & ſeq. ejus varia placita. *Ibidem*.
Theodori Mopſueſteni objectiones Cœleſtianis ſimiles. 218. b.
Theodori Mopſueſteni Symbolum. 189. & ſeqq.
Theodoreti diſtinctio, in damnatione Neſtorii. 179. b. & ſeq.
Theodoſii Junioris conſtitutiones adverſus Pelagianos. 171. a. & ſeq.
Theodotus Epiſcopus Antiochenus. 127. b. & ſeq.
Thermæ Gargilianæ Carthagine. 555. b.
Theurgia Sacra. 476. a.
Thiazacenus in Africa proconſulari Epiſcopus. 104. b. 506. b.
Thibis quid apud Septuaginta Interpretes. 529. b.
Thomagada urbs Numidiæ. 509. b.

Digitized by Google

I N D E X.

Thomas Cabdenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 105. a. quid *Noriſius*. 505. b.
Thurris urbs Africæ Proconſularis. 512. b.
Thuryſita urbs Provinciæ Proconſularis in Africa. 503. b
Thuraza urbs Byzacii in Africa. 503. b.
Tigmica urbs Africæ proconſularis. 513. a.
Timaſius & *Jacobus* ſeducti à Pelagio, & ab *Auguſtino* revocati. 115. b.
Tiſidium urbs Numidiæ. 515. b.
Tituleniſis Eccleſia proconſularis Africæ. 511. b. & ſeq.
Toxatius è Julia gente. 610. b.
Tractatus, *tractator*, & *tractatio* quid ſignificent. 459. b.
Tractatus ſermo vel concio. 471. a. 554. b.
Traducianus dictus *Auguſtinus* à *Pelagianis*. 82. a.
Tranſlationum novarum ex Hebraicis fontibus neceſſitas. 489. b.
Trinitas, quænam fuerit de ea *Auguſtini* ſententia. 601. b & ſeqq.
Trinitas tam parum, ut putabat *Auguſtinus*, intellecta, quàm ſæpe ſermonibus vexata. 477. a.
Trinitatem Philoſophorum non eamdem eſſe ac Chriſtianorum. 583. a.
Trinitas ſimili argumento probata 556. a.
Tuburſis Eccleſia Mauritaniæ Sitifenſis. 511. a.
Tuburbo duplex in Africa. 506. b.
Tuburbum, urbs Africæ Proconſularis. 501. b.
Tubuna Numidiæ & Mauritaniæ. 514. a.
Tuburbitani Martyres. 553. a.
Tubutficus Buræ & Numidiarum. 511. a.
Tucca, quatuor ejus nominis urbes in Africa. 513 b.
Tunca urbs Numidiæ, ubi ſita. 513. b.
Tunicæ pelliceæ primorum parentum, quid ſecundum *Origenem*. 202. b.
Tunuba aut Tunada urbs Africæ. 506. a.
Turus Melditanus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 102. b. quid *Noriſius*. 502. b.

V.

V*Aga* aliquot urbes dictæ in Africa. 502. b.
Vagitanus Deus. 578. b.
Vasa urbs Nomidiæ. 507. b.
Valentinianus III. Conſtitutio contra *Pelagianos*. 168. ejus hiſtoria. 164. a. & ſeqq. explicatio. 169. b. & ſeq.
Valentinus Vaienſis, aut Vaienenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 107. a. quid *Noriſius*. 507. b.
Valerianus Pelagianus quis. 83. a.
Vallos urbs proconſularis Africæ. 511. a.
Vanitas, ματαιότης. 480. b.
Vaticanus Deus. 578. b.
Vazarita urbs Numidiæ 510 b.
Ucitana duo oppida in Africa. 504. b.
Ucula vel *Ulucua* urbs proconſularis Africæ. 512. a.
Vegentela urbs Numidiæ 507. b.
Venantius in Africa proconſulari Epiſcopus. 204. b. 506. b.
Verbum Dei, an in eo Angeli videant quid agatur in terris. 581. b. 584. a.
Verecundia, ſecundùm *Auguſtinum*, ſequela peccati. 200. b.
Vergere pro deprimi. 475. a.
Veriſimilia ſectati Rhetores, non vera. 549. a. 558 a. 576. b.
Veritas omnium mortalium famæ anteferenda. 491. a. b.
Veritas quomodo à Magiſtratibus defendenda. 604. a.
Verſus unde dictus. 481. a. b.
Verulamienſis Synodus, in Anglia, contra *Pelagianos*. 148 a. & ſeq.
Veſtigia Chriſti, in monte Oliveti. 535.
Victor Epiſcopus Cullitenſis in Numidia. 514. a.
Victor Miggirpenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 103. b. quid *Noriſius*. 104. a.
Victor Vitenſis quid de eo obſervarit *Garnerius*. 102. b. quid *Noriſius*. 501. b.
Victor Uricenſis, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 103 b. quid *Noriſius*. 504. a.
Victor Vitenſis ſcriptor perſequutionis Vandalicæ. 504. a.
Victoris Vitenſis hiſtoria perſequutionis Vandalicæ. 517. a.
Victores plures Epiſcopi in Africa. 501. b.
Victores Numidæ Epiſcopi incertæ ſedis. 210. b.
Victorinus Rhetor Romanus. 474. a.
Victorius (*Marianus*) reprehenſus 45. b.
Viduitas an verenda. 564 a.
Vignerius notatus à *Garnerio*. 77. a. 81. a.
Vina urbs Africæ Proconſularis. 102. b.
Vincentius Culuzitanus, quid de eo obſervarit *Garnerius*. 102. a. quid *Noriſius*. 500. b.
Vincentius Lerinenſis Semipelagianus. 617. a. b.
Vincentius Lerinenſis an perſtrictus à *Proſpero*. 36. b.
Vinum erroris quale. 472. b.
Virgines an ſint, ceteris paribus, Deo gratiores conjugatis. 563. a. b.
Viroſa ebrietas. 22. a.
Vis an à Chriſto adhibita ut mercatores è Templo exigeret. 471. b.
Viſitenſis Eccleſia in Africa Proconſulari. 503. a.
Vitarum conſcriptores Eccleſiaſtici, quo vitio laborent. 62 a. b.
Vives (*Joan. Lud.*) quo labore *Civitatem Dei Auguſtini* illuſtrarit. 569 a. & ſeqq.
Vlimmerius (Joannes) quid in edendo *Auguſtino* præſtiterit. 469 a.
Univerſum quot partibus conſtet, ſecundum *Origenem*. 49. a.
Unitas ſecretiſſima quid Platonicis. 472. b.
Voluntatis malæ quæ cauſa. 584. a.
Voluſiani ex Etruria oriundi. 616. b.
Voluſianus Albinæ frater. 616 a b.
Voluſiani edictum contra *Cæleſtium*. 168.
Urbe ſubmoveri quid in Edicto contra Pelagianos. 159. b.
Urſorum ſpectacula ignota Africæ. 477 a.
Usna, duplex ejus nominis urbs in Africa. 503 b.
Utimana urbs Africæ. 503. b.
Uzalba urbs Byzacii in Africa. 503. a.

Z.

Z & D permutati. 501. b.
Zama & *Zumma* duo diverſa oppida Numidiæ. 507. a.
Zenta urbs Africæ Proconſularis. 504. a.
Ziggu aut *Zigua* urbs Africæ in Proconſulari Provincia. 503. a.
Zella urbs Byzacii in Africa. 503. a.
Zoſimus ob præcipitem *Pelagii* damnationem caſtigatus. 231. a. ejus tractoria qualis fuerit. 231 b.
Zoſimi Epiſtola tertia ad Afros de *Cæleſtio*. 129 a.
Zoſimi Epiſtolæ duæ ad Afros de *Cæleſtio*. 122. & ſeqq. genuinæ 125. a. & ſeqq.
Zoſimi tractoria Epiſtola contra *Pelagianos*. 134. a. & ſeqq.
Zoſimi Epiſtola ſubſcribenda data Pelagianis. 181. a.

L E C T O R I S.

OMnia S. Auguſtini Opera proſtant apud PETRUM MORTIER, Bibliopolam Amſtelodamenſem, qui & ſeorſim Tomum XII. vendit, cùm in minori charta editum tum etiam in majori, ut poſſit cum Pariſienſi Editione conjungi. Vale.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

009469003

Digitized by Google

Digitized by Google